

J. DUNS SCOTUS

OPERA OMNIA

X



GEORG OLMS HILDESHEIM

JOHANNES DUNS SCOTUS · OPERA OMNIA X

JOHANNES DUNS SCOTUS

OPERA OMNIA

X



1968

GEORG OLMS VERLAGSBUCHHANDLUNG
HILDESHEIM

Die Originalvorlage für diesen Faksimiledruck ist im Besitz
der Niedersächsischen Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen.
Signatur: 2° Patr. Lat. 1842/3

Die falsche Paginierung sowie die teilweise
schlecht ausgedruckten Passagen der Originalvorlage
wurden beibehalten.



B
765
D7
1639a
t. 10

Reprografischer Nachdruck der Ausgabe Lyon 1639
Printed in Germany
Herstellung: fotokop W. Weihert, Darmstadt
Best.-Nr. 5101863

R. P. F.
IOANNIS DVNS SCOTI,
DOCTORIS SVBTILIS,
ORDINIS MINORVM,
QVÆSTIONES
IN LIB. IV. SENTENTIARVM,

Nunc denuò recognitæ, Annotationibus marginalibus, Doctorúmque celebriorum ante quamlibet Quæstionem citationibus exornatæ, & Scholiis per textum insertis illustratæ.

CVM COMMENTARIO R.P.F. ANTONII HIQVÆI Hiberni, eiusdem Ordinis S. Theologiæ Lectoris emeriti.

TOMVS DECIMVS.



LVGDVNI,
Sumpt. LAVRENTII DVRAND.

M. DC. XXXIX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.



INDEX DISTINCTIONVM ET QVÆSTIONVM, QVÆ hoc Tomo continentur.

DISTINCTIO L.



INDEX



INDEX QVÆSTIONVM IN Commentariis ad hunc Tomum examinatarum.

HÆc tabula disponitur iuxta exigentiam variarum materiarum, quas discernere oportet à se inuicem in diuersas classes; non secus ac in duobus præcedentibus Tomis; & primo loco comprehendit animam.

Index Quæstionum.

Corpus gloriosum.

Ignis Infernalis.

Imago.

Iudicium.

Iustitia, & Pœna.

Lumen gloriæ.

Memoria.

Miseria.

Peccatum.

Penetratio corporum.

Pœna.

Pœnæ damnatorum.

Resurrectio.

An

Sanctorum inuocatio.

Subtilitatis dos.

Voluntas.





INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ.

12.24. *In*

Ex Marco.

Ex Luca.

Ex Ioanne.

Ex

Index locorum S. Scripturæ.

8. *Quæ*

APPROBATIO OPERIS.

EX adiuncto mihi munere à Reuerendiſſ. P. NICOLAO RICARDII, ſacri Palatij Apoſtolici Magiſtro, vidi Commentaria *à diſtinct. 23. vſque ad finem* libri quarti celeberrimi Doctoris IOANNIS SCOTI, in Sententiarum Magiſtrum elaborata ab admodùm R.P.F. ANTONIO HIQVÆO: opus ſanè egregium, in quo auctor ingenio, eruditione, & modeſtia, amicabili nexu inter ſe confœderatis, docet ſapienter, arguit efficaciter, ſoluit argumenta ſubtiliter. Depoſitum quod à Patribus cuſtodiendum accepit, fideliter tradit, antiquam ſuis Magiſtri doctrinam nouiter illuſtrat, nouitatem omni tempore pernicioſam abhorret. Omnia fidei & bonis moribus conſona inueni, proptereà vt in lucem prodeant, digna iudico. In Collegio Romano, S. Thomæ Aquinatis. 21. Nouembr. An. 1638.

Imprimatur. Fr. IOANNES GONZALEZ DE LEON, Magiſter & Regens.

Fr. NICOLAVS RICARDIVS, S. Palatij Apoſt. Magiſter.

CENSVRA ORDINIS.

NOs infraſcripti ex commiſſione R. P. F. IOANNIS BAPTISTÆ A CAMPANEA totius Ordinis Minorum Miniſtri Generalis Tomum tertium Commentariorum R. P. F. ANTONII HIQVÆI, eiuſdem Ordinis Lectoris emeriti ſupra Quartum Doctoris Subtilis attentè legimus, ac examinauimus, eúmque in eo non ſolùm nihil repetiamus, quod fidei, aut bonis moribus vlla ratione aduerſetur; ſed etiam eiuſdem Doctoris doctrina & metaphyſicis rationibus, & ſacræ Scripturæ, ac ſanctorum Patrum authoritatibus explicetur, ac defendatur, dignum iudicamus, qui non in Scotiſtarum tantùm, ſed aliarum etiam ſcholarum vtilitatem prælo mandetur. Datum Romæ in Collegio S. Iſidori Fratrum Minorum Hibernorum. 6. Februarij. 1638.

Fr. THADÆVS DALÆVS, S. Theol. Lector, & Guardian. prædicti Collegij.

Fr. IOANNES PONCE, S. Theol. Lector.

R. P. F.



R. P. F. IOANNIS DVNS SCOTI, DOCTORIS SVBTILIS, ORDINIS MINORVM, IN LIB. IV. SENTENTIARVM, QVÆSTIONVM

PARS TERTIA.

Cum Commentario R. P. F. ANTONII HIQVÆI.

DISTINCTIO XLIII.

De Resurrectione, & die Iudicij.



POSTREMÒ de conditione resurrectionis, & modo resurgentium, necnon & de die iudicij, & misericordiæ qualitate breuiter disserendum est. [Omnibus quæstionibus, quæ de hac re moueri solent, satisfacere non valeo, resurrecturam tamen carnem omnium quicunque nati sunt, atque nascentur, & mortui sunt, & morientur, nullatenus ambigere debet Christianus.] Ait enim Isaias, Resurgent mortui, & resurgent qui erunt in sepulchris. Et Apost. Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, vt non contristemini, sicut & cæteri qui spem non habent; scilicet resurrectionis. Si enim credimus quòd Iesus mortuus est, & resurrexit: ita & Deus eos, qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui viuimus, qui residui sumus in aduentum Domini, non præueniemus eos, qui dormierunt. Quoniam ipse dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo: & mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde, nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus. His verbis & veritas resurrectionis, & causa atque ordo resurgentium præclarissimè insinuatur.

A

Aug. in Ench. c. 84.

Isai. 26. d.
1. Thes. 4. d.

De voce tubæ.

B CAusa enim resurrectionis mortuorum erit vox tubæ, quæ in aduentu iudicis ab omnibus audietur: & cuius virtute excitabuntur mortui, & de monumentis resurgent. Vnde Propheta: Dabit voci suæ vocem virtutis, id est, effectum resuscitandi mortuos. Et Ioannes Euangelista ait; Venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei, & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij. Si verò quæritur, cuius, vel qualis erit vox illa? Apostolus dicit, quòd erit Archangeli, id est, ipsius Christi, qui est Princeps Archangelorum. Vel vox erit vnius, vel plurium Angelorum. Eadémque dicitur tuba: quia erit manifesta: & nouissima, quia post eam non erit alia. [Hæc tuba (vt ait August.) est clamor: de quo dicitur in Euangelio, Media nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit: exite obuiam ei. Tubæ nomine aliquod euidens & præclarum signum intelligitur. Quod vox Archangeli, & tuba Dei ab Apostolo dicitur. In Euangelio vox Filij Dei, & clamor appellatur: quod signum mortui audient, & resurgent.

Psal.67. Ioan.5.d. 1. Theff.4.d. 1.Cor.15.g. In ep.120. de Gratiano test. ad Honoratũ, cap.34. Mat.25.a. 1.Theff.4.d Ioan.5.d.

De media nocte.

C MEdia autem nocte dicitur venturus, vt Augustinus ait, [non pro hora temporis: sed quia tunc veniet, cùm non speratur. Media ergo nocte, scilicet cùm valde obscurum erit, id est occultum, veniet. Dies enim Domini, sicut fur in nocte, ita veniet.] Potest tamen non incongruè intelligi mediæ noctis tempore venturus: quia, vt ait Cassiodor. [Hoc tempore primogenita Ægypti percussa sunt, quando etiam sponsus venturus est.] Pluribus etiam locis contestantur auctores, quod aduentus Christi dies dicitur Domini, non pro qualitate temporis, sed rerum: quia tunc cogitationes & consilia singulorum patebunt. Vnde in Daniele, Vetustus dierum sedit, & libri aperti sunt coram eo. Libri sunt conscientiæ singulorum, quæ tunc aperientur aliis. Et tunc implebitur: Nihil occultum quod non reueletur. Adueniente autem summo Iudice non solùm aëris tenebræ illuminabuntur, sed abscondita cordium manifestabuntur. [Virtute ergo diuina fiet, vt cuique opera sua bona vel mala cuncta in memoriam reuocentur, & mentis intuitu mira celeritate cernantur, vt accuset, vel excuset hominem conscientia, eáque teste damnetur, vel saluetur.]

August. loco præalleg. 1.Theff.5.a Super octonar.7. Psal.118. Exod.12. Dan.7.c. Mat.10.c. Marc.4.c. 1.Cor.4.a. August. de Ciuit. Dei lib. 20. cap.14.

De memoria electorum, si tunc præcedentia mala teneat.

D HIc quæritur, Vtrùm electis tunc adsit memoria præcedentium malorum, sicut bonorum? Quædam auctoritates videntur tradere, bonos non habituros tunc memoriam præcedentium malorum, id est, peccatorum vel tormentorum. Ait enim Isaias. Ego creo cælos nouos, & terram nouam: & non erunt in memoria priora, & non ascendent super cor, sed gaudebitis in æternum. Item, Obliuioni traditæ sunt angustiæ priores, & absconditæ ab oculis nostris. Quæ de futuro exponens Hieronymus ait, [Obliuioni tradentur priora mala: quia forsitan in futuro pristinæ conuersationis memoria omnino delebitur, succedentibus bonis æternis: ne sit pars malorum, prioris angustiæ memorari.] Sed hæc, & his similia possunt accipi sic, vt

Isai.65.e. Ibidem. In com.sup. illum locum Isai. & in glo. ibid.

vt non excludant memoriam præcedentium malorum, sed ex ea molestiam & læsionem amoueant. Non enim eorum memoria Sanctos contristabit, vel eorum beatitudinem obfuscabit, sed gratiores Deo reddet. Vnde super Psalmum 88. ait Gregorius. [Quomodo in æternum misericordias Domini canit, qui miseriæ non meminit? Quomodo autem plena beatitudo, si memoria reatus mentem tangit? Sed sæpe læti tristium meminimus, & sani dolorum meminimus sine dolore: & inde ampliùs læti & grati sumus.] Ex his apparet, quòd si priorum malorum memoriam Sancti habebunt in futuro, non eis tamen erit ad pœnam vel gloriæ derogationem, sed ad gratiarum actionem. Si verò quæritur, Vtrùm peccata, quæ fecerunt electi, prodeant tunc in notitiam omnium, sicut mala damnandorum omnibus erunt nota: non legi hoc expressum in Scriptura. Vnde non irrationabiliter putari potest, peccata hîc per pœnitentiam tecta, & deleta, illic etiam tegi aliis: alia verò cunctis propalari.

Lib. 4. Moralium cap. 42.

De his qui viui reperientur.

E

[QVæri solet, Vtrùm illi, quos viuos inueniet Christus, numquam omnino morituri sint, an ipso temporis puncto, quo rapientur obuiam Christo, ad immortalitatem mira celeritate sint transituri? Non enim dicendum est, fieri non posse, vt dum per aëra in sublime portentur, in illo spatio & moriantur, & reuiuiscant. Ad hunc autem sensum, quo existimamus illos in paruo spatio & passuros mortem, & accepturos immortalitatem, Apostolus nos vrgere videtur, vbi dicit: Omnes in Christo viuificabimur.] Et alibi, [Quod seminas non viuificatur, nisi priùs moriatur. Cur autem nobis incredibile videatur, illam multitudinem corporum in aëre quodammodo seminari, atque ibi protinus immortaliter & incorruptibiliter reuiuiscere, cùm credamus in ictu oculi futuram resurrectionem, & in membra sine fine victura, tanta velocitate rediturum antiquissimorum cadauerum puluerem? Sed vellem de his potiùs audire doctiores. Si ergo Sanctos, qui reperientur Christo veniente viuentes, eíque obuiam rapientur, crediderimus in eodem raptu de mortalibus corporibus exituros, & ad eadem mox immortalia redituros: nullas in verbis Apostoli patiemur angustias, generaliter accipientes illud quod dictum est, *Omnes quidem resurgemus*, scilicet tam boni, quàm mali: *sed non omnes immutabimur*, scilicet in solemnitatem resurrectionis.] De hoc etiam Ambrosius ait, [In ipso raptu eorum, qui viui reperientur, mors erit & resurrectio: vbi anima quasi per soporem egressa de corpore, eidem in momento reddatur.] Contrà verò scribens ad Marcellam Hieron testari videtur, dicẽs, [quosdam in fine sæculi adueniente Christo non esse morituros, sed viuos repertos in immortalitatem repente mutandos.] Horum autem quid verius sit, non est humani iudicij definire.

Aug. de Ciuitat. Dei. lib. 20. cap. 20.
1. Cor. 15. c.
Ibid. Aug.
1. Cor. 15. g Comment. sup. 1. Thess 4. Super illud, Deinde nos qui viuimus. *Epist. de 5. q. tom. 3. quæ incipit* Magnis nos, *in solut. 3. q.*

Quomodo intelligitur Christus iudex viuorum & mortuorum.


F

HIs autem adiiciendum est, dupliciter intelligi quod dicitur Christus iudicaturus viuos & mortuos. Aut enim viui accipiuntur, qui in aduentu eius viui reperientur, licèt in raptu moriantur: & mortui, qui antè decesserant: vel viui, vel mortui accipiuntur iusti, & iniusti.

August. in Ench. c. 55.

Quomodo omnes incorrupti resurgent?

G CVmque ex prædictis sanè credi valeat omnes resurrecturos, creden-
1. Cor. 15. g. dum est etiam quòd omnes resurgent incorrupti: non vtique impassibiles, quia reprobi mortem patientur æternam, sed sine diminutione membrorum omnia humani corporis habituri membra, nec tamen gloria,
* *al.* specie. ac * spe impassibilitatis induentur.



QVÆSTIO I.

Vtrùm resurrectio generalis hominum sit futura?

D.Thom.3.*part.quæst.*53.*art.*1. *& in addit. quæst.*69.*art.*1.*& hic quæst.*1.*art.*1. D.Bonau.*art.*1.*q.*1.2.*&* 3. Richard. *art.*1.*quæst.*1. Suar. 3.*part.tom.*2.*d.*50.*sect.*2.*&* 3. Vide Scot. 1.*Phys.q.*24. *& ibi* Aretin.

1

Arg. 1. IRCA istam quadragesimam tertiam distinctionē quæro quinque. Primò, vtrùm resurrectio generalis hominum sit futura? Quòd non, Ecclesiastes 3. *Vnus est interitus hominum, & iumentorum*; sed iumenta non resurgunt; ergo.

Arg. 2. Præterea, Iob.14. *Homo cùm dormierit, non resurget, donec atteratur cælum, non euigilabit*; sed cælum nunquam atteretur, cùm sit incorruptibile: ergo.

Arg. 3. *Text. vlt.* Præterea, Philosophus 2. de Generatione; *Quæ corrumpuntur secundùm substantiam, non redeunt eadem numero, sed specie.* Idem *vlt.* 5.*Physic.* *T. com.* 36. *& inde.*

Arg. 4. Præterea, per rationem; totum requirit vnionem partium: ergo & idem totum eandem vnionem; sed non redibit eadem vnio, quia interrupta est; sed interruptum non redit idem, quia si redit idem, iteratio erit; sed iteratio repugnat identitati, quia iteratio ponit numerum, identitas priuat: ergo.

Rat. ad opp. Oppositum, Iob 19. *Scio quòd in nouissimo die de terra surrecturus sum, &c.* Præterea 1. ad Cor. 15. *Omnes resurgemus.*

COMMENTARIVS.

Prologus. ABSOLVTO tractatu de Sacramentis in genere, & specie, duobus tomis prioribus, nunc aggredimur cum Dei ope postremam partem huius Commentarij; in qua agitur de termino peregrinationis huius status, in quo creatura rationalis finem statutum recipiet, & diuina Iustitia, ac Misericordia per vltimam sententiam declarabitur. *Summariū argumenti tertiæ partis.* Continet octo distinctiones, & incipit distinctione quadragesimatertia, in qua agitur de resurrectione generali hominum. Distinctione quadragesimaquarta agitur de subiecto resurrectionis; & de cruciatu ignis infernalis. Distinctione quadragesimaquinta de statu animæ separatæ quoad cognitionem naturalem, & an Beati cognoscant orationes viatorum. Distinctione quadragesimasexta de Attributis Iustitiæ, & Misericordiæ diuinæ. Distinctione quadragesimaseptima de iudicio vniuersali, & cōflagratione ignis. Distinctione quadragesima octaua de forma iudicis, & iudicij finalis. Distinctione quadragesima nona de beatitudine animæ, & corporis. Distinctione quinquagesima & vltima, de pœna damnatorum, & de excessu eius, & beatitudinis.

In hac distinctione mouet quinque quæstiones. *Summariū.* Prima est, de possibilitate, & facto, seu de eo quod futurum erit. Secunda quærit, an lumine, & ratione naturali cognosci possit futura. Tertia, An in natura possit esse causa actiua respectu eius? Quarta quæstio, An sit naturalis? Quinta quæstio, Vtrùm fiet in instanti.

SCHOLIVM.

Ponit sententiam D. Thom. negantis alia ab homine corrupta, posse eadem numero redire; hominem tamen corruptum posse eundem numero redire. Eandem clariùs tenent Durand. hîc quæst.3. Marsil.2.de gener.quæst.vlt. Ioan.de Neapol. quodl.21. quæst.6. Hanc latè refutat Doctor, ex Aug. ratione, ab inconuenientibus, & ex ipso D.Thom.

2 a HIc duo sunt videnda. Primò, de possibilitate. Secundò, de facto. b De pri-
*D.Thom.*4. *d.*44.*q.*1. mo dicitur sic, quòd si in homine anima sensibilis esset diuersa ab anima rationali, & per consequens corruptibilis, sicut in aliis animalibus, optimè concluderetur, quòd in resurrectione non erit eadem anima sensibilis; & per consequens, nec idem animal. Si autem ponatur, quòd eadem anima secundùm substantiam sit in homine, rationalis, & sensibilis, nullas in hoc angustias patiemur. Quod declarat alibi,

alibi, ostendens differentiam hominis ad alia corruptibilia.

Ad propositum, quia aliorum animalium forma non est per se subsistens, vt post compositi corruptionem manere valeat, sicut est de anima rationali, quæ *esse*, quod sibi in corpore acquiritur, etiam post separationem à corpore retinet, & in participationem illius *esse*, corpus per resurrectionem adducitur; ita quòd non sit aliud *esse* corporis, & aliud animæ in homine, aliàs coniunctio animæ, & corporis esset accidentalis: & sic nulla interruptio facta est in *esse* substantiali hominis, vt non possit idem numero redire, propter interruptionem essendi; sicut accidit in aliis rebus corruptis, quarum *esse* omnino corrumpitur. Stat ergo istud dictum in hoc, quòd etsi interruptum non possit redire idem numero, tamen quia *esse* animæ intellectiuæ est idem, quod *esse* totius, & materia manet eadem, & sic in nullo pertinente ad substantiam hominis facta est interruptio essentiæ; ideò possibile est hominem redire eundem numero, non sic in aliis corruptis. *Alia ab homine non posse resurgere, ait D. Thom.*

c Contra hoc primò auctoritate Augustini 22. *de Ciuit. Dei. cap.* 20. loquens de carne reddenda homini in resurrectione: *Et si*, inquit, *omnibus periisset modis, nec vlla eius materia in vllis naturæ latebris mansisset: tamen si vellet, eam repararet Omnipotens:* ergo totaliter destructum, & corruptum in totali *esse*, potest idem reparari. 3

Præterea, per rationem: si destructum esset annihilatum, illud nihil, sequens annihilationem eius, esset eiusdem rationis cum nihilo, quod erat terminus *à quo* creationis. Patet, quia illæ mutationes oppositæ habent idem pro termino; vna pro termino *à quo*, alia pro termino *ad quem:* sed nihil præcedens creationem non repugnabat quin illud, cui opponitur, poterat creari: ergo & post annihilationem poterit idem recreari.

Confirmatur ratio, quia planum est quòd ex parte causæ remanet eadem potestas: ex parte autem lapidis, esto quòd lapis sit annihilatus, tanta est possibilitas simpliciter ad *esse* post annihilationem, quanta ante creationem; quia non magis includit contradictionem, neque illud nihil in quod cessit lapis, magis priuat possibilitatem: quia non priuaret, nisi tanquam oppositum, sed eidem, & æqualiter opponebatur ante creationem.

d Præterea, in homine est aliqua entitas positiua, quæ neque est pars materialis, nec formalis, nec partes, sicut probatum est 3. *lib. distinct.* 3. *quæst.* 2. & ad propositum sufficit repetere vnam rationem, quia aliquid est ibi causatum à causis intrinsecis: sed nec materialis, nec formalis est causata à causis intrinsecis, nec ambo simul: ergo aliqua alia entitas à causis diuisim, & coniunctim acceptis: & illa destruitur, alioquin homo non esset verè mortuus, quia non esset corruptio totalis entitatis hominis: & tamen illa entitas reparabitur eadem numero, alioquin non esset idem homo numero. 4 *Dari tertiã entitatẽ in composito.*

Præterea, si Deus in hoc instanti *A*, & in toto illo tempore medio, vsque ad *B*, & in instanti *B*, conseruaret istud *esse*, concederet quòd esset omnino idem numero: ergo si in *A*, conseruat, & iterum in instanti *B*, & in tempore intermedio, *esse* non conseruat, adhuc erit idem, & tamen erit interruptum in tempore intermedio. Probatio consequentiæ, quia identitas illius *esse*, vt est in *B*, ad seipsum, vt est in *A*, non dependet essentialiter ex conseruatione pro tempore illo medio, quia neque vt à causa formali, neque vt à quacunque causa essentiali.

Hoc etiam probatur aliter, quia alioquin non posset Deus idem *esse* creare in alio instanti posteriori, quod in instanti priori creat: quia si in instanti priori creat, & in tempore sequenti conseruat *esse* idem, vt conseruatum in tempore illo essentialiter requireretur ad identitatem illius *esse* in instanti *B*, & tunc si non esset conseruatum in illo tempore, sed in primo, creatum in *B* non posset creari idem.

Præterea, diuersitas posterioris non arguit diuersitatem prioris essentialiter; sed illa instantia ad ipsum *esse* permanens sunt posteriora essentialiter: vnde & illud *esse* manet idem in quibuscunque instantibus succedentibus: ergo siue fiat continuatio inter illa instantia, siue non, non minùs ipsum *esse* poterit esse idem. Vel sic, si *esse* esset in *A*, & in tempore sequenti, & in *B*, esset idem in *A*, & in *B*: ergo si destruatur posterius eo, quod est durare in tempore intermedio, adhuc non necessariò ex hoc sequetur diuersitas eius in *A*, & in *B*. 5 *Diuersitas posterioris non infert diuersitatẽ prioris.*

Præterea, ex illa radice, quòd *esse* simpliciter interruptum, vel destructum non potest redire idem, sequuntur inconuenientia. Primò, quòd Deus non posset brutum resuscitare idem numero; cuius oppositum nonnunquam legitur miraculosè factum à Sanctis; vt patet de tauro, quem suscitauit Syluester in Legenda eius: & *Roma præsentibus Constãtino;*

& Helena tunc nouiter conuersis.

hoc Deo negare esse possibile, videtur magnæ infidelitatis, & tamen sensitiuæ eius est destructio, & interruptio.

Sequeretur etiam, quòd omnia accidentia, quæ corrumpuntur in corruptione hominis, vel ante resurrectionem, non possunt eadem numero redire: & tunc non haberet homo resuscitatus eandem propriam passionem numero, quam priùs: quia illa propria passio non mansit post mortem, quia erat totius, vt totius, & non animæ tantùm. Consequens autem est impossibile, quòd sit idem subiectum specie, & tamen non habeat eandem passionem. Sequeretur etiam de aliis accidentibus, quòd potentiæ animæ, quæ, secundùm istum, sunt accidentia, cùm non sint accidentia solius animæ, sed totius compositi, secundùm Philosophum *in principio de Sensu, & primo de Som. & Vig.* quòd non possent redire eadem: & ita homo non haberet eandem potentiam auditiuam, vel visiuam, & sic de singulis. Sequeretur etiam, quòd homo non haberet eandem quantitatem, quia illa non manet, nec in materia sola manente, nec in anima intellectiua.

D. Thom. 1.p.q.77. art.1.

Ex D.Th. non resurgeret homo cum iisdem sensibus, & quantitate.

6 In alio videtur peccare, quia non ponit totum *esse* hominis manere non interruptum. Primò, quia, vt probatum est priùs, entitas totalis interrumpitur. Secundò, quia *esse* animæ intellectiuæ non est *esse* totale hominis, vt ipse accipit: quia omne ens habet aliquod *esse* proprium: homo, vt homo, est aliquod ens, non tantùm anima: ergo habet aliquod *esse* proprium, & non tantùm *esse* animæ.

Idem p.1. Sum.q.89. art.1.

Prætereà, iste in hoc contradicit sibi ipsi: quia alibi dicit quòd status animæ in corpore est perfectior, quàm status eius extra corpus, quia est pars compositi, & omnis pars materialis est respectu totius. Et tunc arguitur sic, quod habet totaliter idem *esse* proprium, non est imperfectius ex hoc solo, quòd non communicat alij illud *esse*; sed per te anima totaliter habet idem *esse* separata, quod coniuncta, imò *esse*, quod est totale *esse* hominis, quandoque communicatur corpori: ergo ipsa in nullo est imperfectior, pro eo quòd non communicat idem *esse* corpori. Maior apparet, quia perfectio naturaliter præsupponitur ei, quod est communicare perfectionem: ergo non est maior, vel minor per hoc, quòd communicat, vel non communicat: & hoc maximè sequitur, si per talem communicationem nullum aliud *esse* est totius, quàm istud idem.

7 Prætereà, probatum est *superiùs in materia de Eucharistia*, quòd in homine est alia forma substantialis ab anima intellectiua: & per consequens cùm cuiuslibet formæ sit dare *esse*, in anima intellectiua non est totale *esse* compositi. Et istud etiam potest adduci contra primum: quia illa forma interrumpitur secundùm *esse*, & tamen reducitur eadem.

dist.11.q.3.

Ad probationem, quam innuit in contrarium, quòd tunc vnio animæ, & corporis esset accidentalis; consequentia est neganda: quia sicut vnio non est nihil, sed alicuius ad aliquid, & per consequens est entis ad ens: ita est habentis *esse* ad habens *esse*: (quia non capio quòd aliquid sit ens extra causam suam, quin habeat *esse* proprium) ergo sicut ens est per se componibile cum ente; sicut per se receptiuum cum per se recepto: ita & habens *esse* proprium cum habente *esse* proprium: nec est vnio accidentalis, quia istud est per se perfectibile, & illud per se perfectio: quia si habere *esse* tolleret per se rationem perfectibilis: ergo non posset aliquid esse per se perfectibile, nisi non ens.

Materiam habere propriam existentiam.

COMMENTARIVS.

1 *Ordo & diuisio.*

a Hic duo sunt videnda, &c. Diuidit quæstionem in duos articulos; quorum primus est de possibilitate; secundus verò de ipso facto. Quoniam ergo agitur de resurrectione eiusdem numero indiuidui (quam plures negabant) ideò hîc primùm Doctor præmittit in primo articulo quæstionem illam: An diuina virtute possit idem numero indiuiduum reparari?

An idem numero corruptum possit reparari.

2 *Sententia D.Thom.*

b *De primo dicitur*, &c. Hîc adducit responsionem D.Thomæ *in 4.dist.44.art.2.ad 3.* vbi asserit, si anima sensitiua in homine distingueretur ab intellectiua, sequi, non fore vt homo resurgeret idem numero quoad sensitiuam; quia illa in morte fuit corrupta. Sentit ergo respectiuè ad diuinam virtutem corruptum non posse idem in numero reparari. Item *3.p. quæst.77. art.5.* idem docet de eo, quod annihilatur, non posse redire iterum idem in numero. Et *in 4. dist. 12. quæst.1. art. 2.* idem habet. Hinc D. Thomas (vt patet etiam ex litera Doctoris exponentis sententiam eius) reducit possibilitatem resurrectionis hominis ad hoc, quòd *esse* ipsius non sit interruptum, quia materia manet, & anima rationalis, cuius *esse* est idem, quod *esse* totius.

Possibilitas reparationis, & eius fundamentum.

Cæterùm, quia D. Thomas 4. *contra Gentes cap.81. & opusculo 9.cap.82. & quodlib.4.art.5.* docet ens permanens, si desinat esse, posse diuina virtute idem in indiuiduo redire. Præcipua concertatio huius loci magis vertitur in Durandum, qui sententiam priori loco assertam mordicus defendit *in hac dist. q.3.* quam sequitur Abulensis *in*

Sententia Durandi.

in Matthæum 22.quæst. 238. Quæ etiam sententia tribuitur Marsilio *q.* 18. *in 2.de generatione.*

3 *Impugnatur. August.* c *Contra hoc primo,authoritate Augustini,*&c.Impugnat prædictam sententiam, primùm authoritate Augustini *lib.* 22. *de Ciuitate cap.* 20. verba eius clara sunt:dicit enim, si nulla superesset pars materiæ carnis humanæ,Deus posset eandem ipsam reparare. *Responsio.* Respondet Durandus *responsione ad* 5. quòd materia ex se nullam habet vnitatem actualem,neque pluralitatem, sicut neque actualem entitatem, ideóque cum alia materia ex se non facit vnum,aut diuersa,quia hæc omnia participiat à forma, & ideò si annihilata esset materia hominis,& Deus eam repararet, non posset dici eadem cum præcedente,nec alia;tamen posset dici eadem ratione formæ,quia eidem animæ numero vniretur,quæ fuit annihilata,& quæ fuit reparata. *Impugnatio.* Contrà. In primis hæc responsio inhæret principiis particularibus,vt quòd materia non habeat propriam existentiam diuersam ab existentia formæ, & neque consequenter habeat vnitatem,aut diuersitatem propriam, sed omnia hæc recipiat à forma. *Fundamentum responsionis insolidum.* Hæc principia non subsistunt, vt latiùs ostenditur 1. *Physic.* & aliàs *in* 7. *Metaph.* quæ principia impugnat Doctor *in* 2. *d.* 12. *quæst.*1. & communior in schola sententia reiicit. *Non soluit difficultatẽ.* Neque etiam faciunt ad propositum:quia quacunque ratione competit materiæ creari, aut produci, eadem ratione potest reparari, quamuis non esset, quod docet Augustinus, cuius verbis illa responsio non quadrat, imò repugnat.

August. *Absit autem,inquit,vt ad resuscitanda corpora, vitaque reddenda, non possit omnipotentia creationis omnia reuocare, quæ vel bestia, vel ignis absumpsit: vel in puluerem, cinerémve collapsum, vel in humorem solutum,vel in auras est exhalatum. Absit vt sinus vllus,secretúmque naturæ ita recipiat aliquid subtractum sensibus nostris, vt omnium Creatoris aut lateat cognitionem,aut effugiat potestatem,* &c.& infrà.*Et si omnibus periisset modis, nec vlla eius materies*(supple carnis humanæ) *in vllis naturæ latebris mansisset, tamen si vellet, eam repararet Omnipotens,* &c.

4 *Duplex desitio, & corruptio carnis.* Augustin.duas reparationes hìc specificat corporis corrupti,aut carnis humanæ desinentis, & vtrámque fundat in Dei omnipotentia,& sapientia. Prima est,quando caro desinit per corruptionem absumpta à bestia, consumpta per ignem, conuersa in puluerem,&c.Secunda reparatio est, quando desineret tota per annihilationem, & secundùm omnem sui partem,idest, materiam, & formam. Vtrámque possibilem Omnipotenti docet Augustinus, non ex eo quòd anima rationalis maneat (quia hæc non facit ad reparationem carnis, vt per se constat) sed quia omnipotentiam Creatoris non fugit, & consequenter continetur sub eius obiecto ens corruptum, sicut & ens possibile,quod perinde ipsi sit æquè possibile primò producere,ac reparare. Vtrúmque sine actione non contingit:ergo illa actio sicut est ad terminum,ita etiam terminus ipse est diuersus in entitate ab anima superueniente,& sic saluatur ex mente Augustini actualitas,& differentia,tam carnis,quàm materiæ, sibi propria,& possibilitas reparandi idem in numero, quod perit: quia de hoc ipso secundùm vnitatem indiuidui præëxistentis,& reparati,agit Augustinus, Scripturæ,& Patres in hoc articulo,quatenus anima in eodem corpore, in quo fuit operata, dignam operibus retributionem in eodem ipso reciperet.Inde Augustinus,vt saluaret vnitatem eiusdem indiuiduæ carnis, & materiæ in numero, & non solùm in specie,dicit reuocandam ex omni sinu naturæ, in quem quacunque mutatione facta per actionem corrumpẽtis transiuit;quin imò,si nihil eius maneret,fore,vt potẽtia Creatoris repararetur.Ideò *Enchiridij cap.*88. quamuis pereat in se ipsa,negat eam perire Deo.*Non perit,*inquit,*Deo terrena materies,de qua mortalium creatur caro,sed in quemlibet puluerem cinerémve soluatur, in quoslibet halitus, aurásque diffugiat,in quamcunque aliorum corporum substantiam,vel in ipsa elemẽta vertatur,*&c.*illi animæ humanæ in puncto temporis redditur, quæ illam primitùs, vt homo fieret,cresceret,viueret,animauit,* &c. His verbis satis impugnatur euasio illa Durandi, qua dicit hoc referendum esse ad identitatem, seu vnitatem,quam recipit materia, seu corpus, ab anima præëxistente, per vnionem sui ad materiam,& communicationem existentiæ,quia neque de hoc somniauit Augustinus, qui loquitur de *esse* proprio,quod habet materia, & de *esse* proprio corporis,& carnis corruptæ, vt distinguitur ab *esse* animæ. *Vnitas materiæ propria asseritur, & eius reparatio.*

5 .Vt autem clarè hoc ostendatur, articulus hic de resurrectione eiusdem carnis, & corporis hoc modo intelligabatur passim à Patribus,& propugnabatur contra Gentiles, & hæreticos,qui vim faciebant in eo, quòd corpus corruptum non posset reparari. *Intellectio vera articuli de resurrectione carnis.* Vnde ex aduerso Patres resurrectionem ad ipsum corpus referebant, & non ad animam. Origenes contra negantes resurrectionem corporum, & admittentes resurrectionem mortuorum, lib.2. de principiis cap. 10. *Origenes.* *Si confiteantur,*inquit,*etiam ipsi, quia resurrectio sit mortuorum: Respondeant nobis, quid est quod mortuum est? nonne corpus?* & infrà: *non enim propriè resurgere dicitur,nisi id quod antè ceciderit;nulli dubium est idcirco ea resurgere*(supple corpora)*vt his iterum ex resurrectione induantur.*&c. Proclus sermone de Resurrectione, *Corporis,* inquit, *est resurrectio, non animæ,*&c. *Proclus.* Chrysostom. *homil.* 1. *de resurrectione,* impugnans hæreticos. *Chrysostom.* *Mors,*inquit,*nihil aliud est, quàm plena corruptionis consumptio, neque enim mors simpliciter corpus,sed corruptionem corporis absumit,* &c.*homo enim non est anima sola, sed corpus & anima: si ergo animà sola resurget,dimidium animal resurget,& ita non integrum, sed & de anima non propriè dicitur resurrectio;resurrectio enim eius est quod cecidit,& quod dissolutum est, anima autem non dissoluitur, sed corpus,*&c. Idem Theophylact. *in* 12. *Marci.* reparandum ergo ipsum corpus secundùm *esse* proprium, vt distinguitur in tali *esse* ab anima, intendunt quòd *esse* fuit resolutum & corruptum in cineres, aut aliam substantiam; & hoc possibile esse negabant Gentiles, vt patet *ex Epistola fratrum Lugdunensium & Viennensium, ad fratres in Asia,& Phrygia de martyribus*;quam tradit Eusebius *lib.*5. *histor.cap.* 1. *Epistola Lugdunensium.* hac enim ratione corpora martyrum comburebant Gentiles,& cineres spargebant in Rhodanum, ne spes vlla resurrectionis illis superesset. *Ista, inquiunt, eo consilio patrabant,quòd Deum se posse vincere, & illis regenerationem corporum prorsus eripere arbitrati sunt:quo ne vlla quidem* (sic enim dicebant)*spes resurrectionis illis reliqua fieret,*&c. si ergo corruptio ad ipsum corpus,& reparatio ad idem secundùm *esse* proprium spectat, vt distinguitur ab *esse* animæ,sequitur *esse* animæ non esse *esse* corporis,aut materiæ,,sed ab his diuersum, ac proinde materiam habere propriam vnitatem, & actualitatem diuersam ab *esse* animæ, & totius. *Esse corporis diuersum ab esse animæ.*

6 Confirmatur, data hac doctrina Durandi, corruit discursus Patrum contra Origenistas, qui admittebant resurgere quidem corpora, non eadẽ in numero, sed in specie. Dato enim quòd materia, & corpus non habeat aliud *esse*, nisi *esse* animæ, *esse*, inquam, numericum, & indiuiduale, & existentiæ; quod recipit materia à forma aduenientc; sequitur quòd quæcunque materia vniretur animæ, faceret idem *esse* in numero, quod à sola anima sumeretur. Friuola ergo redditur disceptatio Patrum posita veritate huius Philosophiæ; neque alij iure condemnandi erant, vt hæretici; sed vt errantes in principiis philosophicis. Anima erat immortalis secundùm vtrosque, & manebat eadem numero, & vniebatur corpori, quod resurgebat. Disceptatio autem fuit de corpore eodem numero; supponebant ergo Patres vnitatem numericam corporis non esse ab anima; sed ex propria entitate; quam vnitatem negantes Origenistæ, reprobati sunt, vt contra fidem veram resurrectionis dogmatizantes. Quod non esset verum, stante illa Philosophia Durandi, & aliorum; nam si admittebant idem corpus in specie resurgere, & vniri eidem animæ in numero, fieret idem etiam numero corpus ex dicta opinione, quæ parùm fauet huic articulo, & malè etiam fundatur in Philosophia.

Confirmat. Error Origenis.

Materia controuersa.

7 Secundò, impugnat Doctor præfatam opinionem ratione. Terminus *ad quem* annihilationis, qui est *non esse* rei, est eiusdem rationis cum termino *à quo* creationis eiusdem, seu *non esse* præcedens, ex lege oppositorum circa idem; quia motus, seu mutationes contrariæ debent habere eosdem terminos secundùm oppositionem, ita vt terminus *à quo* vnius sit terminus *ad quem* alterius, & è contrà; sed *non esse* antecedens non repugnat quin effectus potuerit creari: ergo neque *non esse*, seu nihilum consequens repugnat, quin possit reproduci.

Secunda ratio.

Oppositarum mutationum termini sunt iidem.

Confirmat, quia eadem est possibilitas ex parte effectus, eadem potentia ex parte Dei, neque effectui magis repugnat *non esse* subsequens, quàm *non esse* antecedens eius existentiam; neque in Deo mutatur, aut diminuitur potentia actiua respectu eius. Hæc ratio est à priori.

Confirmat.

8 Durandus *responsione prima ad argumenta.*

Euasio.

Ad primum, dicit *non esse* sequens interruptionem *esse*, seu negationem existendi sequentem eius priorem existentiam, esse diuersæ rationis à negatione, quæ supponitur ad existentiam; quia negatio antecedens existentiam tollit actum existendi tantùm, non verò possibilitatem ad existendum; negatio verò consequens existentiam tollit non solùm actum, sed etiam possibilitatem ad existendum ampliùs.

Ad aliud, seu ad confirmationem; negat eandem manere possibilitatem interrupto *esse* effectus, quæ fuit aliàs ante eius productionem, & *in responsione ad* 4. admittit quòd si Deus annihilaret mundum post annihilationem, maneret eadem Dei potentia, sed non maneret eadem habitudo extrinseca eius ad res creatas, ideóque non posset idem in numero reproducere. Rationem huius, seu declarationem præmisit in corpore, nempe quòd idem manens semper natum est facere idem 2. *de Generat.* ad hoc autem vt agens sit idem, aut maneat idem, oportet vt maneat idem secundùm virtutem, & idem secundùm habitudinem ad terminum, id est, quoad actionem; interrupta autem actione ipsa, non manet; neque eadem numero potest iterum haberi: ergo, &c.

Responsio ad confirmationem.

Hæc responsio contra communem Theologorum caret omni probatione idonea, vt vel hinc meritò reiiciatur tanquam libera. 9

Impugnatur vtraque responsio.

Sed vrgeo rationem Doctoris contra ipsam. Negatio sequens *esse* rei non plus dicit in conceptu præciso negationis existendi; quàm negatio prior eius existentiæ; ergo non infert impossibilitatem essendi magis quam negatio præsupposita existentiæ. Antecedens probatur: negatio ex conceptu præciso negationis non variatur, neque distinguitur, nisi affirmatio opposita varietur; quia se adæquant mutuò secundùm oppositionem, ita vt affirmatio tantum ponat, quantum tollit negatio, & è contra. Aliàs si negatio plus tolleret, quàm affirmatio ponit, sequeretur quòd excessus ille priuatiuus negationis respiceret aliquid aliud præter conceptum simplicem affirmationis, & indiuisibilem: quia conceptus negationis præcisè est in ordine ad affirmationem, à qua specificatur, & sine qua nequit concipi; sed conceptus existentiæ, quæ est affirmatio, cui opponitur negatio existendi, est simplex, & indiuisibilis, & inuariabilis, vt opponitur negationi; & est idem vt consideratur, antequàm in re ponitur, & postquam in re ponitur, & quando in re ipsa positus priuatur, aut corrumpitur; quia est terminus possibilitatis rei, quẽ præcisè respicit: ergo negatio eius, vt est terminus *ad quẽ* desitionis rei, est eiusdẽ rationis cum negatione, vt erat terminus *à quo* positionis eiusdẽ in *esse*.

Negatio sequens esse rei, est eadẽ, quæ præcedit in specie.

Negatio & affirmatio vt opponuntur.

Eadem negatio opponitur existentia.

Dices negationem consequentem *esse* rei, non solùm tollere actum existendi, sed etiam possibilitatem ad existendum. 10

Responsio.

Contrà. Vel tolleret possibilitatem rei in se absolutè, vel respectiuè ad aliquod extrinsecum per se necessarium ad positionem rei in *esse*, quod extrinsecum redditur impossibile ex vi desitionis rei, & negationis, in quam desinit; sed vtrumque est falsum: ergo, &c. Maior per se patet, quia non est alius modus diuersus fingendi impossibilitatem. Minor autem probatur, quoad primum membrum: quia sicut se habet impossibile vt chimæra, & quidquid imaginari potest complexum ex incompossibilibus, ad impossibilitatem ex natura sua, & in ordine ad se absolutè; ita etiam se habet possibile in ordine ad se, & possibilitatem existendi; quia oppositorum eadem est ratio, & disciplina; sed impossibili repugnat vt transeat in *esse* possibile, aut vt fiat in se absolutè ens possibile: sicut repugnat partibus eius oppositis, & repugnantibus, vt stante conceptu specifico ipsarum exuant rationes proprias, in quibus repugnant: ergo etiam repugnat enti possibili, vt transeat absolutè in ordine ad se ad classem & statum impossibilium.

Impugnatur. Negatio tollit actum, nõ possibilitatẽ.

Possibilitas intrinseca ex terminis.

Impossibile nequit fieri possibile.

Nec hoc fieri impossibile.

Hæc ratio videtur euidens, & confirmatur. Essentiæ rerum sunt necessariæ, æternæ, & immutabiles, & sub hac ratione scientia de ipsis est necessaria, & ponuntur in Prædicamento, non secundùm existentiam; ens autem prædicamentabile præter alias conditiones requirit, vt sit possibile: hic lapis siue existat, siue desinat, perinde recipit prædicationem Generis, & Speciei: ergo sicut manet essentia inuariata, & inseparabilis, ita & proprietas eius, quæ est possibilitas ad existendum, siue aliàs nunquam extiterit actu, siue quandoque existat, siue etiam desinat existere, quod per se notum est ex Philosophia.

Essentia rei immutabilis.

Possibilitas est proprietas rei.

His

11 His ergo positis, probatur secundum membrum: essentia rei non variatur, neque possibilitas existendi priuatur per negationem consequentem existentiam: ergo illa negatio non opponitur rei possibilitati, sed tantùm actui existendi; sed possibilitas rei in tantùm stat, in quantùm potest per se coniungi in effectu cum suo actu; ergo per negationem prædictam existendi, consequentem *esse*, non tollitur possibilitas rei in ordine ad causas extrinsecas, saltem primam, quin possit possibilitas rei reduci ad actum existendi. Sublumptum probatur, quia possibilitas nequit stare, nisi in ordine ad actum: Vnde ad actum impossibilem ab intrinseco, nulla est possibilitas actiua, aut passiua in natura: quia omnis possibilitas fundatur in ente, & in ordine ad causas per se entis, & in ordine etiam ad actum per modum entis, loquendo de positiua possibilitate: vel si est ad negationem, fundatur in suspensione alicuius actus, qui sit ens possibile in subiecto per virtutem causarum: ergo stante impossibilitate actus absolutè, tollitur etiam possibilitas passiua ad actum. Stante ergo possibilitate absoluta rei corruptæ, non tollitur possibilitas in ordine ad causas per illam negationem existendi, quæ est solius actus existendi priuatio. Probatur consequentia.

Non tollitur per negationẽ consequẽtem existentiam.

Ex possibilitate intrinseca deducitur possibilitas extrinseca.

Respicit virtutem causarum.

12 Omnem repugnantiam & effectum, quem nata est inducere negatio, aut priuatio, ponit circa subiectum cui adhæret, & nullo modo mutat vllum subiectum ex natura negationis (qua concipitur in subiecto vt quædam forma priuatiua) in subiecto, quod non afficit per modum formæ, quia in causando vel priuando imitatur naturam formæ, cui opponitur, aliàs non saluaretur oppositio; sed negatio existendi consequens existentiam, & ea priuans, verificatur de subiecto, quod existentia priuat: huic autem nequit communicare impossibilitatem ad existendum, vt probatum est: ergo neque potest priuare causam effectiuam, quæ nata est dare existentiam possibilitate actiua, vt ita dicam, qua possit dare existentiam. Consequentia iam probata est, quia mutare subiectum, in quo non est, nequit, nisi ponat impedimentum ex parte subiecti, in quo est; sed ex parte effectus non ponit aliquod impedimentum negatio, quà negatio est præcisè: quia sic omnis negatio tolleret possibilitatem ad affirmationem in euentu, quod est falsum; quia ipsa negatio antecedens existentiam rei, quæ est eiusdem rationis, non statuit impedimentum: ideò ergo negatio aliqua dicitur ponere impedimentum ex parte subiecti ad actum, vel quia supponit ipsum impedimentum, nempe conceptum aliquem entitatiuum subiecti, ad quem sequitur, qui conceptus est de essentia subiecti: v. g. incorporeum in Angelo, & hinc negatio corporeitatis est inseparabilis ab ipso. Vel ideò statuit impedimentum ex parte subiecti respectiuè ad agens; quia priuat aliquo, quod per se requisitum est ad actionem ex parte subiecti: v.g. negatio quantitatis extensæ respectiuè ad agens corporeum priuat capacitate proxima sustinendi, aut recipiendi actum à tali agente. Vel denique priuat, quia concomitatur formam aliquam repugnantem in subiecto, quam nequit destruere, aut superare virtus agentis improportionati tali resistentiæ.

Negatio, & priuatio verificatur de subiecto, in quo est.

Negatio existẽtiæ actualis non priuat causam virtute actiua.

Quibus modis impediri posset virtus agentis, per negationem in subiecto.

13 Sed nihil horum dici potest, aut imaginari in proposito. Non primum; quia negatio consequens existentiam priuando ipsa existentia non supponit aliquem conceptum essentialem, aut proprietatem subiecti variari, neque addit nouum; & neutrum horum requiritur ad priuationem actus existendi, qui est contingens rei, licèt possibilitas ad ipsum sit necessaria. Non secundum, neque tertium, quia talia impedimenta supponunt existentiam subiecti quod sub negatione non est: neque in proposito datur fundamentum imaginandi talia impedimenta: ergo, quod est intentum, sequitur, quòd neque possibilitas effectus in ordine ad agens mutetur, neque à fortiori agens in ordine ad effectum quantùm ad possibilitatem actiuam; sed stante possibilitate actiua causæ completæ, & totalis quantùm ad virtutem, non impeditæ, & similiter stante possibilitate completa passiua, & non impedita ex parte effectus, stat etiam possibilitas effectus ad existendum, siue absoluta in ordine ad se, siue respectiua in ordine ad causam, quæ est minor principalis, quam hactenus probauimus, & consequenter potest per reproductionem illa possibilitas effectus eiusdem in numero reduci ad actum.

Negatio consequens esse corrupti, non variat essentiam, aut proprietatẽ.

Non ponit impedimentum positiuũ ex parte naturæ, & indiuidui.

Non tollit possibilitatem effectus in ordine ad agens.

Vt autem ex hoc gradatim procedam ad reliqua præmissæ responsionis, superest illa euasio, nempe per illam negationem tolli & actionem, & habitudinem eandem causæ ad effectum; quæ actio, & habitudo nequeunt iterum poni, neque consequenter idem effectus numero reproduci. 14

Contrà. Persistit possibilitas completa in effectu, & potentia completa in causa, & vtrumque horum sine impedimento: ergo etiam possibilitas ad actionem reproductiuam, sit eadem quæ prior, sit alia numero, parum refert. Probatur consequentia; nihil potest inducere absolutam impossibilitatem consequentis, nisi quod inducit impossibilitatem antecedentis, neque consequenter ponitur impossibilitas ad actionem, nisi ponatur ex parte alicuius causæ, aut termini talis impossibilitas; sed in proposito, vt probatum est, non ponit illa negatio impossibilitatem ex parte effectus aut causarum: ergo etiam neque ex parte actionis. Probatur consequentia: quia eatenus poneretur repugnantia ex parte actionis, quatenus tolleretur virtus, & ordo causarum, à quibus tantùm dependet actio, & à nullo alio; sed de possibilitate tam actiua, quàm passiua iam præmissa nihil tollitur ex parte causarum, & ordinis earum, vt supponuntur priùs natura actioni: ergo neque repugnantia vlla actionis ponitur, ex qua redderetur impossibilis. Quod ergo dicit prædictus author, per desitionem rei tolli actionem eius conseruatiuam, siue productiuam, id verum est; sed in tantùm tollitur, in quantùm per negationem, quæ est terminus *ad quem* desitionis, tollitur existentia, ad quam est ipsa actio, vt ad terminum formalem. Si ergo existentia ipsa reparari potest, cui primò opponitur negatio, actio etiam denuò potest poni, vel ipsa eadem in numero, vel certè æquiualens, quod est intentum.

Non inducit repugnantiã ad reproductionem.

Possibilitas consequentis stat cum possibilitate antecedens.

Possibilitas ex parte effectus & causarũ infert possibilitem actionis.

Ad cuius probationem suppono iuxta varias sententias nos posse loqui de actione; primò, vt dicatur relatio quædam transmutantis ad transmutatum. Secundò, vt dicatur actio ipsum *fieri* formæ, seu forma in *fieri*, vt egreditur ab agente, & virtute eius, sic dicitur productio, vt autem est

Varia considerationes actionis.

est inter terminos, dicitur mutatio, vel secundùm *quid*, & latè, quatenus est transitus rei de *non esse* ad *esse*, & sic comprehendit creationem propriè dictam, de qua ex instituto huius quæstionis, & argumenti agitur: vel certè simpliciter & propriè, vt comparatur ad subiectum, quod mutatur à negatione ad formam.

15 *Actio, vt est relatio, possibilis est ad reproductum.* Hoc supposito, sic argumentor; si sumatur actio primo modo, est in agente, neque consequenter spectat ad constitutionem intrinsecam indiuidui producti, aut reproducti, vt per se constat; & multiplicari potest non multiplicato termino, vt per se constat, ex sola multiplicatione fundamenti, aut etiam applicationis diuersæ: *Multiplex esse potest non mutato termino.* v. g. si plures causæ concurrant ad transmutandum subiectum, quarum quælibet posset seorsim producere completum eundem effectum; sed de actione hoc modo non agit Durandus; sed de actione secundo modo: quia in Deo non datur talis actio, aut relatio realis transmutantis. Deinde, agit hìc de creatione, seu de reproductione entis annihilati ex non subiecto; transmutatio autem supponit subiectum.

16 Probatur ergo intentum, sistendo in hac acceptione actionis, vt est mutatio de *non esse* ad *esse*, vel simpliciter, vel secundùm *quid*. Primò de *Actio sumpta pro forma fluente.* creatione. In creatione, vt est mutatio, seu transitus termini de *non esse* ad *esse*, considerare possumus vtrumque terminum, *ad quem*, & *à quo*, & ipsam mutationem, vt communicat cum vtroque extremo, tanquam medium iuxta modum concipiendi nostrum, vt est transitus à termino *à quo*, & via ad terminum *ad quem* secundùm *Non spectat ad constitutionē indiuidui.* existentiam; sed sic non spectat ad constitutionem indiuidui; ergo ex vnitate, aut multiplicatione eius in numero non sequitur multiplicatio indiuidui effectus in *esse* indiuidui. Minor probatur, quia tam negatio existentiæ, quàm ipsa existentia adueniunt indiuiduo iam completo in *esse* indiuidui; res enim prædicamentalis, vt abstrahit ab existentia in actu, ponitur in Prædicamento; sed creatio, & in genere omnis productio entis creati indiuidui, non respicit indiui- *Diuersa mutatio nō variat indiuiduum.* duum, nisi vt completur inter extrema negationis existendi, & ipsam existentiam, vt afficiunt indiuiduum tanquam constitutum priùs in *esse* indiuidui: ergo ordo inter hæc extrema (qualis est mutatio, prout nunc de ea agimus) inter, inquam, ipsa extrema, quà posteriora sunt indiuiduo constituto, &, illud successiuè afficiunt, non faciunt ad constitutionem indiuidui, ac proinde quantumcunque varietur, vt est inter extrema respectiuè ad idem indiuiduum, non variatur indiuiduum, sed idem manet.

17 *Confirmatio.* Confirmatur exemplis; idem effectus in numero potest produci à Deo per creationem, strictè sumptam: & potest etiam produci v. g. Petrus per generationem, quæ sunt diuersæ muta- *Varia mutationes ad idē indiuiduum.* tiones, vt connotatur ordo causarum, & modus productionis; eadem albedo per creationem potest produci, & vniri subiecto, sicut producitur, ex communi veterum sententia, gratia habitualis. Potest etiam educi de subiecto instantaneè per diuinam virtutem, vel etiam successiuè; & in tempore per concursum causæ creatæ, quæ sunt productiones diuersæ rationis; per motum rectum, & circularem potest acquiri idem locus, & *vbi*, qui sunt motus diuersi, quamuis vbicatio sit eadem, & locus. In his omnibus manet idem indiuiduum in numero, quod etiam est possibile respectiuè ad omnes illos modos, quibus virtute causarum produci potest, licèt productiones ipsæ distinguantur, non solùm numero, & modo, sed etiam specie aliquæ, vt considerantur in *esse* mutationis: manet tamen, hoc non obstante, effectus in *esse* indiuidui, & entis idem: ergo falsum est principium, ex quo procedit Durandus, nempe ad idem indiuiduum in numero non posse dari nisi eandem in numero mutationem, aut vnicam, & eandem habitudinem agentis primi, intelligendo per habitudinem actionem: quia, vt *Possibilitas effectus æquatur virtuti causarum.* clarum est, potest creare, & educere ex subiecto eandem numero formam, & possibilitas indiuidui possibilis ad existentiam, tam extensa est, vt respicit causas extrinsecas existendi, quàm extensa est virtus, modus agendi, & ipsa potentia actiua causarum.

Confirmatur secundò, licèt daremus gratis Durando, quòd eadem actio & habitudo causæ efficientis nequeat reparari, quando desinit *esse*, non sequitur intentum, nempe non posse reproduci indiuiduum idem in numero. Probatur sequela; quia omnis actio, & productio rei, quæ non est posita in actu, potest per virtutem agentis primi poni in actu, & potentia passiua ad eam est ex parte entis possibilis, vt iam dictum est, quia non solùm dicit possibilitatem ad existendum, sed etiam ad recipiendam existentiam quocunque modo potest reduci ad existendum: quia possibilitas entis ad *esse*, subordinatur omnipotentiæ Dei, & virtuti actiuæ causarum per se eius; sed omnis potentia passiua, quæ saltem non est reducta ad actum, potest reduci ad actum: ergo Deus potest ens permanens, & creabile reducere ad actum per creationem, quamuis daretur quòd non posset reduci ad actum per generationem, aut modum specialem producendi per quem aliàs recepit *esse*. 18 *Confirmat 2. Potest aliquid reproduci per aliā actionē possibilem, & nōdum positam in actu.*

Dices non posse reduci ad actum existendi, quia iam illum habuit. 19 *Responsio.*

Contrà. Hoc destruit causam assignatam repugnantiæ: quia ideò negatio consequens *esse* tollit tam possibilitatem, quàm existentiam; quia priuat mutatione, per quam recepit *esse*: ergo si possibilis est alia mutatio ad idem *esse*, potest reparari *esse* deperditum; sed hæc est possibilis, quia negatio illa consequens *esse* non priuat nisi ipso *esse*, & mutatione, qua peculiariter recepit ipsum *esse*, non autem priuat *esse*, vt natum est haberi per aliam mutationem possibilem, neque ipsam mutationem tollit, quæ nunquam posita est in actu, neque consequenter possibilitatem eius tollit: ergo neque possibilitatem *esse* effectus, vt natus est produci illa mutatione: ergo per eam tanquam nouam habitudinem agentis potest reparari effectus: v. g. per creationem reproduci illud ens, quod fuit aliàs generatum, & desinit per corruptionem: quia ad hoc nihil aliud exigitur quàm *non esse* effectus, & possibilitas non reducta ad actum. *Impugnatur.*

Confirmatur tertiò, effectus recipit specificationem formalem, siue in *esse* indiuidui, siue in *esse* speciei à solis causis intrinsecis, & non ab extrinsecis, neque à productione, neque à modo productionis, neque à termino *à quo* productionis, seu mutationis: ergo manentibus causis intrinsecis manet indiuiduum idem, quantumlibet cætera mutentur. Antecedens probatur: quia causæ intrinsecæ solæ spectant ad constitutionem indiuidui, non ita causæ extrinsecæ, dependentia 20 *Confirm. 3. Specificatio effectus est à causis intrinsecis.*

tia per productionem à causis extrinsecis est ratione existentiæ tantùm, quæ posterior est indiuidualitate, & quacunque ratione tribuitur, existentia manet in se inuariata; licèt modus productionis sit diuersus: sequitur enim existentia naturam ipsius rei tanquam modus eius, si distinguatur; vel si non distinguitur, est ipsa res in se extra causas, non specificatur indiuiduum, aut etiam eius existentia à termino *à quo*, quia potest productio saluari, siue fiat ex hac, aut illa materia, supposita priuatione hac, aut illa: vel si producatur non ex præsupposita materia per creationem, supponendo *non esse* simpliciter. Deinde, omnis diuersitas mutationis, quæ desumitur à termino *à quo* per accidens se habet ad mutationem, vt consideratur in ratione actus productiui, vel vt eadem est termino *ad quem*: quia *non esse* antecedens productionem, (sit negatio pura, sit priuatio) eatenus reputatur inter principia rerum naturalium, aut supponi debere ad productionem rei, quatenus non datur actio ad præexistens, non verò per modum causæ influentis; quacunque ergo ratione res est in potentia, & non existens actu, sufficit, vt possit virtute saltem diuina poni in *esse*.

Existentia sequitur naturam.

Terminus à quo per accidens se habet ad productionem.

Est multiplex.

Cur supponitur terminus à quo.

21 *Sequela dictorum.*

Ex dictis ergo habetur rem variis mutationibus, & differentibus posse recipere *esse*; neque variari ens indiuiduum in *esse* indiuidui, licèt varientur mutationes ad ipsum. Habetur consequenter quòd reproductio eiusdem in numero potest haberi per productionem alterius rationis, quàm fuerit prior eius productio; & quamuis prior productio non posset denuò haberi, quòd alia æquiualens haberi possit ad idem indiuiduũ, & eiusdem indiuidui, vt consideratur in ordine ad Deum, possint esse diuersæ habitudines, quia propriè non dicitur habitudo Dei ad effectum, cuius actio est transiens. Ex quibus patet fundamentum Durandi non subsistere. Patet etiam ratio Doctoris cum sua confirmatione, nempe *non esse* sequens *esse* eiusdem esse rationis cum *non esse* antecedente productionem, tum ex ratione negationis, tum ex oppositione mutationum, quæ respiciunt eosdem terminos ordine contradictorio. Sequitur prætereà, quòd non solus effectus reproduci potest, sed etiam prior eius productio replicari, in quantùm productio est, & *fieri* eius effectus; nam ad productionem sub ratione productionis per accidens est vt procedat ex negatione hac, vel illa in numero. Demus negationes sic distingui ex interruptione; non ideò enim hæc negatio, aut priuatio numero est terminus *à quo* mutationis productiuæ, quà productiua est, quia est hæc negatio determinata, sed quia opponitur existentiæ, & tollit actum eius; vnde effectus reddatur in potentia ad produci.

22 *Confirm.4.*

Ad confirmationem autem dictorum facit authoritas Patrum vniuersalis, quæ possibilitatem resurrectionis reducit in eandem omnipotentiam Dei; quæ res condidit, & paris sit virtutis rem primùm condere, & lapsam, ac deficientem reparare, supponendo hanc Doctoris rationem, nempe *non esse* consequens rei *esse* non inducere maiorem rei, aut Deo impossibilitatem, quàm *non esse* antecedens primam eius productionem. Quin imò hoc argumento vtuntur tanquam à maiori ad minus; quia maioris potentiæ fuit res primùm ex nihilo creare, quàm creatas ex præiacente, & persistente materia antiqua restaurare. Athenagoras *de mortuorum resurrectione.* Iustinus *ad Antoninum Pium*, Cyrillus Hierosl. *catechesi.* 18. Minutius Felix *in Octauio.* Ambrosius *orat. de fide resurrectionis*, & alij, vt August. *serm.* 15. *de verbis Apostoli. De verbis Domini serm. vlt. lib. de consolatione mortuorum*, *cap.* 23. *De catechismo s.* 1. *epist.*49. Gregorius Magnus *hom.*2. *in Ezechielem, hom.*26. *in Euangelia.* 14. *Moral. cap.* 3.

Patres supponunt rationem præmissam Doctoris.

Maioris virtutis est rem primò producere quàm reparare lapsam.

d *Prætereà, in homine est*, &c. Hæc est tertia probatio contra sententiam præmissam, & supponit doctrinam, quam aliàs tenuit loco citato in textu, nempe, totum substantiale distingui realiter à suis partibus vnitis; ad cuius probationem repetit vnam rationem de causato causarum intrinsecarum, vt diuerso à suis causis physicis, & physicè. Hanc sententiam supponimus nunc ex loco citato. Vis rationis ad propositum in hoc consistit, quia reparatur totum, quod fuit corruptum in morte: ergo aliquid corruptum potest reparari; & si negetur compositum dicere tertiam entitatem, non refert, quia certum est compositum dicere aliquid reale præter partes seorsim sumptas, sit vnio partium, & hæc destruitur per separationem partium, & restituitur in resurrectione eadem ipsa vnio, non alia, sicut in morte Christi destructa fuit vnio animæ ad corpus, & in resurrectione eius fuit restituta. 23

Tertia ratio Doctoru.

Compositum & vnio substantialis reproducitur.

Si dicas non eandem in numero restitui, sed alaim eiusdem speciei. 24

Responsio. Impugnatio.

Contrà. Idem indiuiduum non sic resurgeret, sed in numero diuersum, quod videtur contra hunc articulum de resurrectione; nam si aliqua pars mutaretur in aliam diuersam solo numero, non esset verum idem indiuiduum resurgere: ergo similiter si non restituitur eadem vnio partium, quæ facit ad veritatem compositi, sic non erit resurrectio eiusdem compositi in indiuiduo. Deinde, illa vnio, quæ fuit deperdita, & virtute causarum generationis primùm causata restituitur: quia restituitur deperditum per corruptionem mortis; idem nempe homo ex iisdem numero partibus, & vnione: sed in resurrectione eius diuersa est actio productiua, quæ à Deo solo procedit, ab actione primùm generatiua illius per causas creatas; quod destruit fundamentum sententiæ oppositæ, quatenus negat idem numero posse produci nisi vna & in eadem in numero actione.

Eandẽ vnionem numero restitui.

Quartò, consequenter Doctor impugnat priorem sententiam, quia si Deus creat aliquid pro instanti *A*, & conseruat toto tempore intermedio vsque ad instans *B*, admitteret sententia opposita esse idem numero indiuiduum: ergo si non conseruat tempore intermedio, sed in prima & vltima parte temporis, erit idem indiuiduum. Ponamus tres partes temporis, vt tres horas; in prima hora Deus creet, & conseruet, & in tertia hora similiter, non conseruando, sed interrumpendo *esse* rei, & actionem pro tempore intermedio. Probat consequentiam, quia identitas illius *esse*, vt conseruatur in tertia hora, & in prima, non dependet à conseruatione sui pro tempore intermedio; quia neque vt causa formali, neque essentiali. Deinde, probat eandem cõsequentiam, quia ex opposito sequeretur quòd Deus non posset creare illud idem pro instanti priori, & posteriori, & sic de cæteris, si identitas sui *esse* dependeret à tempore intermedio. 25

Quarta ratio ex conseruatione.

Respondet Durandus in responsione ad secundum, negando consequentiam, aut idem post interruptum

Responsio Durandi.

terruptum *esse* posse creari, aut recreari: quamuis concedat posse primò creari pro omnibus instantibus. Hæc responsio reducitur ad illa principia, quæ impugnata sunt *suprà* deducendo secundum argumentum Doctoris.

26 *Impugnatur.* *Creatio non determinat aliquã partem determinati tẽporis.* Confirmatur ratio Doctoris; res creata non dicit ordinem essentialem ex natura sui *esse* ad tempus aliquod determinatum, quin esse possit in alio tempore primo, & non esse in quauis parte temporis determinati: quia, vt concedit aduersarius, potest primò produci in quolibet tempore determinato; idem dicendũ etiam de productione, qua producitur, nempe de ipsa creatione, siue vt procedit à creante, siue vt terminatur ad *esse* entis creati: ergo potest esse creatum, & hoc primo modo: ergo etiam potest post interruptum *esse* per annihilationem renouari creatio, & ens creatum pro tempore sequenti. Probatur consequentia: non ideò potest esse creatio Angeli primò in tempore determinato sequente *esse* interruptum sui, quia fuit *esse* eius interruptum, vel quia præcessit *esse* eius; & creatio pro prima parte temporis antecedentis annihilationem; sed quia absolutè ex natura sua non dicit ordinem essentialem ad vllam partem determinatam temporis, quin primò possit esse in alia, & non in illa.

Tunc sic, creatio qua primò produceretur Angelus in tempore sequenti interruptionem, est diuersæ rationis numero à creatione, quæ interrupta est, & fuit pro prima parte temporis: ergo post talem creationem poni potest in tempore sequẽte interruptionem, etiam vt sequitur interruptionẽ, seu *non esse* eius per annihilationem priorem. Patet consequentia: quia si esset possibilis aliqua mutatio ad *esse* Angeli, quo produceretur, diuersa à prima mutatione in numero, & per quam Angelus recepit primum *esse* in casu interruptionis, admitteret aduersarius consequentiam, quam negat, ideóque eam negat; quia aliam mutationem numero diuersam esse possibilem negat. Si enim esset alia mutatio diuersa possibilis, cùm prior interruptio non ei opponatur, quia nunquam posita est, sic etiam non statueret ei repugnantiam vllam in *esse*.

27 *Creationes diuersa eiusdem ex parte termini à quo.* Restat ergo probandum subsumptum: quod sic probo: Variatio termini *à quo*, maximè ex mente aduersarij, variat mutationem in numero; sed *non esse*, quod respicit creatio, vt posita est in primo instanti temporis antecedentis, est *non esse* immediatè antecedens creationem; & sic etiam *non esse*, quod determinatè respicit quæcunque creatio, per quam poneretur Angelus pro quocunque tempore determinato respicit *Creatio respicit nõ esse immediatè pracedens.* præcisè *non esse* Angeli determinatum pro tempore antecedenti immediatè mensuram productionis: ergo creatio possibilis Angeli pro quolibet tempore determinato, & primò est alterius rationis in *esse* mutationis, vt est inter *non esse*, & *esse*, à creatione, qua produceretur Angelus primò pro alio tempore determinato; quia quælibet creatio importat in *esse* mutationis determinatam negationem essendi pro tempore determinato, & immediatè antecedenti. Deinde, præter determinatam etiam negationem importat determinatum ordinem tam in *esse* mutationis, quàm vt procedit à voluntate creante respectiuè ad tempus, & mensuram intrinsecam productionis: pro qua primò determinatur *fieri* Angeli pro hoc tempore determinato, & non pro alio: nam in principio, à quo exit mutatio, & creatio Angeli, *Dicit etiam aliquam diuersitatem in esse mutationis.* determinatio temporis importat aliquid positiuum ex parte volitionis diuinæ, ita vt ipsa volitio, qua vult præcisè *esse* Angeli, & primò pro hoc æuo, vel tempore intrinsecè, fit diuersæ rationis, & alterius obiecti ab ea voluntate, qua vellet *esse* eius, in alio determinato, & diuerso tempore; neque ex vi huius voluntatis præcisè Angelus habeat *esse* pro aliquo tempore sequenti, aut antecedenti, aut habere posset, nisi ipsa volitio extenderetur ad aliud tempus, qua vellet Angelum in illo tempore esse: sequitur ergo mutationem ad *esse* Angeli primò pro illa mensura determinata, dicere aliquam determinationem in numero diuersam à quacumque alia, quæ ad aliam Dei voluntatem determinatam sequeretur aliàs. Et probatur sequela; quia omnis determinatio in voluntate diuina spectans ad eius efficaciam, est propter determinationem in mutatione, seu actione transeunte in effectum, aliàs superflueret talis determinatio in diuina voluntate, vt causa, à qua est productio effectus, si nihil in re ipsa & actione corresponderet. *Determinatio temporis importat positiuum ex parte creantis.* *Determinatio efficax in Deo transit in effectum.*

Applicando itaque dicta ad propositum, Deus secundùm aduersarium potest primò producere Angelum in tempore sequenti corruptionem, seu interruptionem; sed hæc productio eius est diuersa in *esse* mutationis à productione Angeli pro omni alio tempore, & primò: ergo potest etiam post interruptum *esse* producere Angelum in tempore sequenti. Patet consequentia ex destructione fundamenti oppositi ex dictis. Et probatur, quia hæc productio Angeli esset prima eius productio pro illo instanti (quam aliàs possibilem admittit Durandus, licèt non in casu interruptionis) quia licèt aliàs fuerit Angelus productus, ita vt non sit hæc productio prima eius: tamen est eius prima productio pro hoc instanti, ita vt nulla alia fuerit productio Angeli respiciens hoc instans primariò, aut secundariò; & ita se habet hæc eius productio ad suos terminos, ac si nunquam præcessisset alia eius productio: quia neque in virtute prioris productionis, neque ex voluntate diuina, vt ex ea processit prior productio fit hæc productio primò pro instanti sequente interruptionem, neque ipsum *esse* Angeli, aut productio eius dicit ordinem vllum ad priorem productionem in *esse* productionis, aut mutationis. Hæc prætereà productio respicit essentialiter, vt est pro hoc tempore primo, *non esse* præcedens; quod autem ex interruptione præcedat *non esse*, nihil facit ad propositum: quia negatio essendi in *esse* negationis formaliter est terminus *à quo* mutationis, non vt dicit ordinem ad causam, à qua redundat; neque priuatio formæ in subiecto variatur in *esse* priuationis, quantumlibet ex variis causis inesse possit: v. g. priuatio vitæ; tum etiam quia *non esse* per interruptionem tantùm opponitur *esse* Angeli, quamdiu est, & si sit possibilis affirmatio opposita, ipsi cedit: est autem possibilis per nouam mutationem, & diuersam in numero: ergo à primo ad vltimum ratio Doctoris est probans. 28 *Applicatio dictorum.* *Productio Angeli non respicit esse pracedens.* *Priuatio eadem est formaliter à per diuersas causas.*

29 *Quinta ratio.* *Diuersitas posterioris nõ infert diuersitatem prioris.* Quintò probat idem ex eo, quòd diuersitas posterioris non inferat diuersitatem prioris. Hæc regula est per se nota; quia omne prius, in quantùm prius, supponitur completum in suo *esse*, antequàm fundat ordinem ad aliud posterius secundùm *esse*; sed instantia temporis extrinseci sunt posteriora ipso *esse* permanentis rei, quia neque ad constitutionẽ eius, neque ad productionem,

nem, neque ad causas spectant; & potest ens permanens esse absque eo, quòd sit in talibus instantibus, iisque transeuntibus permanere: ergo in singulis seorsim potest esse absque eo, quòd in aliis sit: ac proinde in primo, & vltimo, absque eo quòd sit in tempore intermedio. Ad hoc argumentum redit eadem solutio Durandi, & eadem etiam impugnatio facta. Ratio Doctoris intelligitur, sicut prior; nempe quòd ens permanens possit esse in primo, & vltimo instanti per reproductionem, non verò per continuam actionem, absque eo quòd sit in tempore intermedio.

Permanens potest esse in prima, & vltima parte temporis absque eo quòd sit in medio.

30 Sexta ratio Doctoris est, quòd sequeretur quòd Deus non posset resuscitare brutum; quod est contra Legendam sancti Syluestri, & plurium Sanctorum; quia hæc miracula circa viuentia mortua patrarunt; quamuis anima viuens fuerit mortua; & hæc resuscitare posse Deum negare, inquit, videtur magnæ infidelitatis, id est, contra pietatem fidei, & credulitatem piam miraculorum.

Sexta ratio. Deus potest suscitare brutum.

31 Septima ratio est; sequi quòd neque eadem numero accidentia, neque potentiæ, & proprietates, quæ in sententia D. Thomæ sunt accidentia, neque quantitas eadem repararetur, neque eadem visiua, vel auditiua, quod est maximum inconueniens, maximè quoad proprietates, & potentias, quæ sunt inseparabiles à subiecto.

Septima ratio. Eadem accidentia, & proprietates, redire possunt.

Responsio. Respondet Durandus, si proprietates distinguantur realiter à subiecto, hoc non esse inconueniens, quia Deus potest illa separare. Si verò non distinguantur, easdem redire.

Impugnatio. Contrà: magis peccat in Philosophiam astruere separari posse proprietatem à subiecto, quæ toti, soli, & semper competit, quàm quòd idem diuina virtute reparari possit. Deinde, separatio, seu corruptio proprietatum non est miraculosa, sed per causas naturales corrumpentes subiectum; quo corrupto, aut desinente, desinunt etiam proprietates eius secundariò, non per mutationem, quæ sit primariò ad ipsas, vt ad terminum primum corruptionis. Si ergo sola diuina virtute possunt separari, sequitur quòd sint inseparabiles virtute causæ naturalis, manente subiecto; ac proinde, vt dixi, ideò corrumpuntur, quia corrumpitur subiectum: ergo æquè impossibile est subiectum reparari, ac ipsas proprietates. Sed subiectum corruptum admittit reparari posse: ergo idem consequenter dicendum de proprietatibus. Patet consequentia, quia reparatio subiecti tendit ad *esse* eius naturale ex iisdem causis; sed subiectum nequit saluari secundùm *esse* suum naturale sine suis accidentibus, & maximè proprietatibus: ergo & hæc etiam reparantur: quia fluunt immediatè & necessariò ab essentia subiecti; & per easdem causas, quibus subiectum est ens.

Proprietates corruptione subiecti desinunt.

Fluunt à subiecto.

32 Si dicas alias potentias numero restitui, v. g. visiuam, & auditiuam numero diuersam.

Responsio.

Impugnatio. Contrà. Vel illæ potentiæ inessent præcisè per actionem Dei distinctam ab actione, quâ reparatur subiectum, vel per emanationem virtute principiorum ipsius subiecti. Non primum, quia sic non essent proprietates subiecti, neque per se conuenirent, sed contingenter, & per actionem causæ extrinsecæ, non qua dat formam, aut *esse* subiecto; sed quatenus agit ex alia determinatione diuersa. Neque secundum dici potest, nempe inesse per modum proprietatum: quia forma dans *esse* subiecto sicut nequit variari quantùm ad effectum formalem, vt alium numero diuersum sit nata communicare ante, & post interruptionem sui *esse* in subiecto; ita etiam nequit habere connexionem necessariam ex se cum diuersa potentia numero, aut esse radix eius, ex qua insit: ante autem interruptum *esse* habuit naturalem, & necessariam connexionem cum illa numero potentia, quæ tum infuit, itavt aliam numero diuersam non potuerit communicare: ergo cùm *esse* eius sit idem, ante, & post interruptionem, nequit esse radix alterius proprietatis, post & ante interruptionem.

Octauò argumentatur contra fundamentum quod supponitur prioris sententiæ, quod est totum *esse* hominis manere non interruptum; quia illud *esse* solum est *esse* animæ, quæ manet incorrupta: hoc autem falsum est, quia sicut homo est aliud ens, & compositum ex anima tanquã parte, repugnat constare solo *esse* animæ, aut manere non interruptum per mortem, vt per se constat ex terminis apprehensis: omnis enim compositio realis, qualis est hominis, est ex diuersis realiter partibus, quarum quælibet secundùm proprium *esse*, & distinctum ab *esse* compartis, concurrit ad compositionem totius. 33

Octaua ratio.

Anima non est totũ esse hominis.

Nonò, vrget ad hominem, quia D. Thomas dicit quòd anima sit perfectior in corpore, quàm extra corpus, quia est pars compositi, & omnis pars materialis est respectu totius, id est, perfectibilis, & potentialis: sed hoc esset falsum, si tota actualitas, & *esse* compositi esset anima intellectiua: quia communicans perfectionem alteri non redditur inde perfectior: quia ante communicationem eius habet complete in seipso perfectionem, quam communicat. 34

Nona ratio ad hominem.

Decimò tandem impugnat, quia præter animam rationem est in homine alia forma substantialis constituens corpus; de qua egimus cum Doctore *in prima parte huius Commentarij, dist.* 11. *quæst.* 3.

Decima ratio.

Alij impugnant sententiam præmissam ex infinita Dei potentia, & ex continentia eminentiali quam habet ratione suæ omnipotentiæ, & quòd aliàs non repugnat rem permanentem, & corruptam posse reproduci. Quæ argumenta verissima sunt in hac materia: sed quia opinantes negant possibilitatem ex parte effectus, magis inhæret probatio huic fundamento destruendo, quàm assertioni diuinæ potentiæ, quam illi admittunt; respectiuè tamen ad ens possibile: ideò Doctor rectè ad hanc partem collimauit.

Rationes aliorum.

Obiicies. Ex duobus entibus in actu non fit vnum ens per se, sed per accidens: ergo neque inter materiam, seu corpus, si habeat propriam existentiam, potest fieri vnum per se, & animam. 35

Obiect. 1.

Respondet Doctor propositionem illam falsam esse, si intelligatur de actu existentiæ, imò contrarium stabiliendum est, vt patet ex litera. Illa propositio intelligenda est non de actu existentiæ præcisè, sed de actu completo, & totali: quia ens completum & totale non est in potentia ad aliud, cuius esset pars per se, licèt secundùm *quid*, & accidentaliter posset ad aliud ordinari, cum quo componeret per accidens.

Solutio.

Ex duobus entibus in actu non fit vnum per se.

Obiicit Durandus primò. Si Deus ageret necessitate naturæ, non posset reparare corruptum in toto, aut in parte; sed ex eo quòd liberè agat, non variat potentiam, sed modum agendi; neque 36

Secunda obiectio.

An Deus agens neceſſitate poſſet reproducere corruptum.

que plus poteſt agendo liberè, quàm ſi ageret neceſſariò; vnde Philoſophi admittebant Deum habere potentiam infinitam; quamuis docebant eum neceſſariò agere. Probatur maior, quia agendo neceſſariò, ageret per modum aliarum cauſarum naturalium; ſed hæ non poſſunt reparare quod corruptum eſt: ergo neque Deus. Confirmatur, ſi per impoſſibile generatio diuina interrumperetur, deberet neceſſariò alia generatio diuerſa numero ſuccedere. & conſequenter diuerſus numero filius: ergo ſi ad intra interruptio productionis induceret diuerſam productionem, ratione neceſſitatis agendi ad intrà, ita etiam ad extrà; ſi ageret neceſſitate naturæ, non poſſet idem numero reparare; ergo neque liberè agens idem poteſt.

Reſponſio. *Suppoſitio caſus.* *Hypotheſis non admittenda.*

Reſpondetur, ſi ageret Deus neceſſitate naturæ, ſaluando in eo omnipotentiam, quam in re habet, & quam fides docet, per quam poteſt omnem effectum ſe ſolo producere, qui alioquin non implicat imperfectionem, quæ redundaret in cauſam, aut aliud repugnans ex ſpeciali natura effectus, dando, inquam, Deum agere ex neceſſitate cum hac omnipotentia, argumentum Durandi eſſe de ſubiecto non ſupponente, quia ſi Deus ſic ageret, immediatè applicando omnipotentiam ad effectum, nihil poſſet corrumpi, aut annihilari; ſicut enim neceſſariò produceret, ita etiam neceſſariò conſeruaret, cuius omnipotentiæ ſic neceſſariò applicatæ nullum corrumpens eſſet proportionatum ad deſtructionem effectus: dato tamen quòd aliquid poſſet tum corrumpi, aut annihilari.

Reſpondetur Deum poſſe illum reproducere per eandem numero actionem, in *eſſe* actus productiui, & perinde tam actio, quàm effectus redire poſſet virtute diuina.

Quòd ſi verò Deus ageret neceſſitate naturæ, & ſecundùm illam omnipotentiam, quam ſolam admittebant Philoſophi, vt Ariſtoteles, qua nempe poſſet in omnem effectum, non tamen ſe ſolo illum producere ſine concurſu cauſarum inferiorum, tunc non poſſet producere corruptum idem in numero, niſi in caſu, quo applicaret eaſdem cauſas vniformiter, ex quibus fuit priùs effectus. An autem ſit poſſibilis aliqua reproductio eiuſdem virtute naturæ, explicabitur in ſequentibus. Ad probationem maioris

37 *Probatio æquiuocans.* *Forma probandi reycitur.*

Reſpondetur fallere ſecundùm æquiuocationem: quia Deus ageret ad inſtar aliorum agentium naturalium, quantùm ad neceſſitatem agendi, non verò ſecundùm potentiam, aut ſubſtantiam actionis; ageret enim per creationem independenter ab aliis agentibus, quia neceſſariò agens applicaret perfectiſſimo modo poſſibili omnipotentiam ſuam, ac proinde vt ageret creatione propriè dicta, modò effectui non repugnaret ſic produci. Neque forma illa probandi etiam concludit, quia de facto liberè agens agit ad modum aliorum agentium liberorum, quantùm ad indifferentiam ſcilicet; ſed alia libera agentia non poſſunt ſuſcitare mortuum: ergo neque Deus. Modus ergo agendi naturalis, aut liber in propoſito non dat cauſam concluſionis, ſed poſſibilitas ex parte termini, plenitudo virtutis ex parte cauſæ.

Reſponſio ad confirm.

Ad confirmationem reſpondetur, eundem Filium, & generationem in diuinis fore in illa hypotheſi, quia debet admittere poſſibilitatem ad generationem, quæ ſuccederet interruptioni: in diuinis autem neque intenſiuè, neque extenſiuè eſt alia poſſibilis quam hæc. Deinde, ſuppoſitio hæc implicat in terminis, ideò non venit in diſſertationem, quia perinde infert contradictoria, quia generatio poſt interruptum *eſſe* eſſet mutatio ex *non eſſe*, & ſic non infertur *non eſſe* perſonæ ſubſiſtentis in Deitate, quia repugnat ſubſiſtentem eſſentialiter in Deitate ſupponere ſuum *non eſſe* per mutationem: quia ſic non eſſet Deus, & æternus. Ex alia parte, quam exprimit ſuppoſitio, eſſet Filius ſubſiſtens in Deitate ille, qui reproduceretur.

Suppoſitio implicans ex terminis reycienda.

Obiicit ſecundò. Ideo agens naturale nequit idem numero indiuiduum reproducere. poſtquàm deſiit; quia nequit habere eandem numero habitudinem ad eundem effectum, quæ habitudo interrumpitur per corruptionem, & poſteà nequit redire; ſed eodem modo deſinit actio Dei per corruptionem: ergo ſimiliter nequit res reproduci à Deo. 38

Tertia Obiectio.

Reſpondetur negando antecedens, de quo poſteà agetur in ſequentibus; & negatur etiam conſequentia, quidquid ſit de antecedente, quia, vt *ſuprà* probatum eſt, poteſt Deus habere varias habitudines ad eundem effectum, quin & eundem reparare, ſi velit.

Reſponſio. *Deus poteſt habere varias habitudines ad effectum.*

Obiicit tertiò. Ad eandem numero formam impoſſibile eſt plures actiones terminari: ergo. 39

Quarta obiectio.

Reſpondetur negando antecedens, vt *ſuprà* probatum eſt contrarium; & quidquid ſit de hoc, eadem ipſa actio virtute diuina in *eſſe* productionis redire poteſt.

Reſponſio.

Obiicit quartò. Duratio Angeli non diſtinguitur realiter ab Angelo; ergo nequit numerari, non numerato Angelo: ſed hoc eſſet falſum, ſi Deus poſſet denuò reproducere Angelum annihilatum: quia verum eſſet dicere quòd bis exiſteret.

Quinta obiectio.

Reſpondetur. Si duratio Angeli differat realiter ab Angelo, antecedens probandum eſſe. Si differat etiam formaliter, perinde numerari poteſt: ſi nullo modo differat, etiam numerari poteſt reſpectiuè ad diuerſa tempora, in quibus ſucceſſiuè exiſtit, ſicut verum eſt dicere; quod fuit heri, eſt hodie, erit cras; hæc autem numeratio contingit non ex variatione exiſtentiæ, ſed ex diuerſis præſentiis, & ſucceſſiuis in ordine ad diuerſa tempora extrinſeca.

Reſponſio. *Duratio Angeli numerari poteſt.*

Obiicit quintò. Vel ſimpliciter poſſibile eſt idem redire numero, vel ſimpliciter impoſſibile eſt idem redire? Si primum: ergo virtute naturæ eſt poſſibile idem redire. Si ſecundum; ergo diuina virtute non eſt poſſibile idem redire. 40

Sexta obiectio.

Reſpondetur formam argumenti eſſe vitioſam, ſicut hæc eſt vitioſa: ſimpliciter poſſibile eſt hominem produci: ergo eſt poſſibile ab hoc agente produci hominem: v. g. ab igne. Eſt enim fallacia conſequentis: quamuis ergo ſit poſſibile quod non eſt, rationibus repugnantibus; quia illa poſſibilitas ſimpliciter eſt non repugnantia; tamen non inde ſequitur quòd illa poſſibilitas ſubordinetur cuilibet cauſæ, vt per eam poſſit reduci ad actum: quamuis ergo diuina virtute poſſet idem numero reproduci, aut ſuſcitari, & hoc ſit ſimpliciter poſſibile, non inde ſequitur poſſe reſuſcitari virtute naturæ; nam ipſe concedit poſſibile eſſe hominem reſuſcitari ſimpliciter; tamen in natura non eſt aliqua potentia, quæ id poſſit, cùm ſubordinetur tantùm diuinæ omnipotentiæ. An autem virtute naturæ poſſit idem numero reproduci, *infrà* tractabitur *quæſt* 3.

Reſponſio. *Forma vitioſa.* *Poſſibilitas rei ſubordinatur certa cauſa.*

Obiicit

41 Obiicit sextò. Successiuum, v.g. motus, non potest idem numero reproduci, ne quidem à Deo; sed idem dicendum de permanentibus, quia quod est successio in motu, est *esse* in ente permanente.

Septima obiectio.

An successiuũ redire idem numero potest.

Ad hanc obiectionem variè respondent Doctores, nam D. Thomas, & plures alij concedunt antecedens; quamuis enim admittant posse redire permanentia, negant tamen redire posse successiua, etiam diuina virtute. Idem tenet Henricus *quodlibeto 7. quæst.16.* Ægidius *Theoremate 2.* Paludanus & Capreolus Hispalensis *in hac distinctione.*

Responsio.

Probabilior affirmat.

Respondetur tamen non apparere repugnantiam, quin Deus posset successiua reuocare, seu reparare, vt docet noster Bassolis *in hac dist. quæst.1. art.3.* Mayrones *dist.44. quæst. 3.* quæ sententia placet etiam posterioribus, vt Conimbricen. *in 2. de Generat. cap.11. quæst.2. art.2.* Toleto *ibidem quæst.13.* neque repugnat Suarez *tom.2. in 3. part. disp.44. sect.6.* magis placet Patri Ægidio Lusitano *lib.1. de Beatitudine tom.3. quæst.3. art.2.* §.4. vbi benè resoluit fundamenta sententiæ negatiuæ. Hanc iudico magis conformem nostro Doctori, & principiis eius circa naturam motus, & potentiam Dei, quia §. *sequenti* reiicit, vt videbimus, rationem fundamentalem sententiæ tanquam non concludentem; possumus enim loqui de motu in quantùm est actus productiuus, vel ipse terminus in fluxu, & prout motus apprehenditur per modum alicuius actualitatis, & definitur *actus entis in potentia*, &c. in motu hoc modo considerato intelligitur & successio partium secundùm durationem, & gradus formæ productus, vt prior supponitur posteriori; sub hac ratione successionis, motus non est actus productiuus; successio enim in motu est ordo partium secundùm durationem, in qua fluunt virtute agentis, & transeunt de *non esse* ad *esse*; quæ successio sicut non fundatur in virtute causatiuæ causæ efficientis, sed in defectu virtutis, quæ nequit superare simul resistentiam ex parte mobilis, aut passi, aut spatij (vt benè Doctor *in 1. dist. 2. quæst.1. ad vltimum, & in 2. distinct.2. quæst.9. & infrà quæst.5. in hac dist.*) ita motus non est actus productiuus termini, vt est successiuus, sed vt est ipsa forma fluens in *esse* à virtute agẽtis: hinc tota realitas motus potest à vi tute superiore, & cui omnis resistentia est improportionata, poni in instanti. Alio modo potest esse successio in motu ex libertate agentis, & diuisibilitate graduum formæ, vt talis sit, quæ successiuè produci possit: & sic Deus potest, v.g. albedinem producere successiuè extra omne subiectum; vnde quòd motus sit actus alicuius subiecti, per accidens est, vt benè Doctor *suprà, dist.12. quæst.4. ad primum*, non verò hoc ipsi est essentiale ex his.

Conformis Doctori.

Duplex consideratio motus.

Vt est actualitas quædam.

Vt est successiuus.

Hoc modo non est actus productiuus.

Successio vnde conuenit motui?

Realitas motus potest poni in instanti.

Successio aliquando ex libertate.

42 Probatur responsio data. Successio potest separari à motu in quantùm motus est actus productiuus; quia, vt dixi, ipsi adhæret, vel ex imperfectione agentis, quando successio est ex defectu motoris; vel certè liberè, quando Deus ita produceret per motum, vt posse constat *ex §. sequenti*: ergo saltem sicut actio instantanea reuocari potest à Deo applicante virtutem propriam, aut alienam sub omni determinatione necessaria ad reditionem illius actionis, seu termini eius; ita etiam motus, saltem in ratione actus productiui, idem numero posset reparari: Sed nihil etiam repugnare potest, quin cùm eadem successione redeat: ergo redire potest. Probatur subsumptum, quia eadem successio redire potest, cùm nihil aliud sit quàm ordo secundùm durationem intrinsecam inter partes motus in fluxu, & vnionem inter ipsas, seu continuationem: ergo & ordo inter partes, & sic de reliquis quæ spectant ad essentiam motus, redire potest.

Successio separabilis à realitate motus.

Redire potest idem motus quoad successionem.

Dices non redire motum quoad præsentiam ad idem tempus, quod præteriit. 43

Responsio.

Impugnatur.

Contrà. Ad essentiam motus non spectat præsentia ad tempus determinatum; sicut neque ad essentiã permanentis spectat præsentia ad aliquod instans tẽporis determinatũ; quia vtrumq; æquè primò potest fieri in alia mensura diuersa: ergo ex eo, quòd non rediret præsentia ad prius tempus, in quo fuit motus, non sequitur quin rediret motus cum differentia præsentiæ ad aliud tempus posterius; quia prior essentia est accidens per accidens motus, & non prædicatum per se eius. Deinde, motus potest esse sine reali mensura externa, sicut est motus primi mobilis.

Præsentia ad tempus non est de essentiâ motus.

Deinde, dependentia motus ad tempus extrinsecum non fundatur in actualitate ipsius motus, aut formæ; vt dictum est; sed in imperfectione agentis, aut libertate, & resistentia passi, & spatij, quæ sunt causæ per se successionis, ad quam in nullo genere facit tempus extrinsecum, nisi vt concomitans tanquam mensura magis nota, & regularis: ideóque tota realitas motus potest esse à causa maioris virtutis in minori tempore, vt argumentatur Philosophus *6. Ethic.* inde probans non posse dari motum in instanti. Sed causæ illæ possunt etiam replicari à Deo vniformiter in alio tempore ad eundem motum: ergo replicare ipsum motum postquàm desiit, potest Deus per reparationem eius.

Tempus non est causa motus essentialis.

Dices, sequi, quòd non esset idem motus ex interruptione; quia interruptio motus est diuisio partium eius, & consequenter sicut in omni quantitate ex diuisione causatur numerus, ita in proposito. 44

Responsio.

Contrà. Motus terminatus per vltimum terminum nullo modo diuiditur, quia ad continuitatem motus non facit desitio eius per vltimum *mutatum esse*; sed ad *non esse* motus tantùm. Ad continuationem autem solùm facit vnio partium inter se, ex quibus componitur motus; sed in proposito, maneret eadem vnio, & nulla discontinuitas partium supponitur, aut admittitur: ergo motus idem sine discontinuitate partium rediret vnus numero, & perinde se haberet ac quantitas, quæ desiit, reparata, quantùm ad continuitatem partium, interruptionem tamen essendi; sic Doctor reiicit illam probationem, §. *sequent. num.9.*

Impugnatur.

Vltimum mutatum esse non facit ad continuitatem motus.

Ex quibus facilè solui possunt rationes in oppositum; nam prima est iam impugnata, nempe sequi esse diuersum motum in numero; hoc negatur.

Obiicit Durandus facilius esse conseruare rem in *esse*, quàm desinentem reuocare; sed Deus non potest partes motus conseruare, ne fluant: ergo neque reuocare, seu reparare. 45

Obiectio.

Respondetur distinguendo maiorem: quantùm ad ens permanens, transeat; quantùm ad successiuum, negatur. Ratio disparitatis est, quia conseruatio dicit ordinem ad *esse* totum, & completum antecedens, vt sit conseruatio, quam intendit argumentum; ac proinde supponit hæc conseruatio

Solutio

Quid sit conseruatio.

seruatio ipsum *esse* extra causas, cui non succedit *non esse*; sed ipsum idem *esse* continuatum pro tempore sequenti; ac proinde permanens. Sed successiuum est in continuo fluxu, & hic est modus essendi eius: ideò nequit totum simul existere, aut conseruari; potest tamen conseruari à Deo conseruatione proportionata suæ existentiæ, nempe per partes nouas, & vnitas conseruari aliquis motus, quæ conseruatio non facit ad propositum argumenti.

46 *Secunda obiectio.* Obiicit Durandus, quòd sequeretur quòd idem mobile esset bis eodem motu motum, quod repugnat.

Solutio. Respondetur non esse repugnantiam, vt idem bis eodem motu moueatur pro diuerso statu, & tempore; sicut non est inconueniens vt bis sit in potentia ad eumdem actum, v. g. albedinem; quando ei succedit negatio in subiecto, & denuò ipsa forma communicatur: nam id concedendum est, quòd eadem materia bis animatur; primò dum vnitur animæ rationali; denuò dum succedit priuatio vitæ, & vnitur denuò anima in resurrectione: non enim numeratur forma per hoc, sed effectus eius formalis reciprocatus in subiecto pro diuerso tempore, & interruptus. *Idem potest esse in actu per eandem formam successiuè.* Quod dicitur de motu, idem dicitur de *quando*, seu de duratione intrinseca, & de tempore etiam quoad eandem durationem intrinsecam, licèt connotaret diuersa extrinseca realia, aut imaginaria.

SCHOLIVM.

Sententia Ægidij, per naturam nihil posse redire idem numero, quia non agit nisi per mutationem, & motum: per Deum verò posse, quia non agit per mutationem, vel motum. Refutatur primò, quia dubium est an natura possit idem numero reproducere: de quo quæst.3. Secundò, non est necesse eandem mutationem, vel motum redire, vt redeat eadem forma. Ad aliud quod tangit Ægid. scilicet Deum agere in materiam, vt quid *est, naturam non: explicat quem apparentem sensum habere potest: de quo dist.11. quæst.2. & dist.10. quæst.4.*

8 *Ægid. Theor. 11.* e ALiter ponitur, quòd quia natura non agit, nisi per motum, & mutationem, ideò non potest reducere idem numero: quia motus, vel mutatio non potest redire idem numero. Deus autem potest agere, non per motum, nec per mutationem; & ideò per oppositum redit idem numero. Et ad hoc potest adduci aliud, quod tangit iste, quòd quia Deus respicit ipsam materiam vt *quid*, potest in ipsam, vt in nullo modo distinctam, formam quamcumque imprimere: nam vt est *quid*, est omnino indistincta, & ita potest formam eandem semper imprimere, dum materia manet eadem: materia autem vt sic, manet semper eadem; sed agens naturale non respicit materiam vt *quid*, ideò non potest indifferenter quamcumque formam inducere ipsam quantumcunque manentem eandem, & ita non eandem formam inducere.

Refutat Ægid. Contra istud, primò ad propositum, falsum supponitur, scilicet Deus non agit per mutationem resuscitando, quod probatur, quia materia præfuit sub priuatione formæ, & fit sub forma: ergo per actionem agentis transit à priuatione ad formam; sed transitus talis propriè est mutatio, quia tota ratio mutationis ibi saluatur. *Licèt mutatio nõ redeat eadẽ, posset eadẽ forma redire.* Quod autem dicit ex alia parte de agente naturali; conclusio dubia est, & tangetur *quæst.3.* Sed ratio non concludit, quia non oportet, si posterius non possit redire idem, ergo nec prius; sed mutatio est posterior ipsa forma. Et confirmatur istud, quia de facto Deus resuscitans non reducit eandem mutationem numero, quia resuscitatio non erit eadem mutatio cum generatione: tamen eadem forma numero reducetur. *Resurrectio distinguitur à generatione.* Vnde fallacia consequentis est ex distinctione mutationum, inferre distinctionem terminorum: è contrario enim benè sequitur, quòd si alia forma acquiritur, quòd sit alia mutatio: sed eadem potest benè acquiri diuersis mutationibus, sicut & idem *vbi* specie potest acquiri diuersis motibus localibus specie, vtpote motu circulari, & motu recto: qui adeò sunt alterius rationis, vt non sint comparabiles. *7. Phys. Text. 21.*

9 *Vide Varr. q. præsenti.* Augustinus etiam *3. de Trinit. cap. 9.* vult quòd idem specie possit generari æquiuocè, & vniuocè: & tamen mutationes sunt alterius rationis. Probatio etiam ad hoc antecedens, scilicet quòd mutatio non potest reduci eadem numero, non valet, quia etsi vnitas totius ex partibus sit continuitas partis cum parte: tamen vnitas, siue identitas partis ad seipsam non est continuitas eius ad aliam partem.

Si ergo interruptio ponat non continuitatem posterioris ad prius, non sequitur quòd tollat identitatem illius ad se ipsam. Et quod illa opinio tangit de respicere materiam, vt *quid* est: tactum est *suprà in materia de Eucharistia dist. 11. art. 2. quæst. 1.* *Exponit Ægid.* Si enim aliquem intellectum bonum haberet propositio, forsan esset ille, quòd Deus

Deus non respicit materiam, vt ordine quodam transeuntem à forma in formam; quomodo agens naturale necessariò respicit, quia non potest immediatè transire de quocumque in quodlibet; sed hæc differentia nihil facit ad posse reducere idem numero, vel non: quia ille ordo respicit formas secundùm rationes specificas, non autem secundùm identitatem, vel distinctionem numeralem earum: quia non potest statim succedere formæ vini, nisi aceti forma, & non è conuerso immediatè: sed quòd huic formæ vini succedat, vel illi, indifferens est: sicut indifferenter ex hoc igne, vel illo generatur aqua: ergo agens respiciens ordinem formarum in transmutatione ita potest habere aliquid præcedens formam inducendam ab ipso, sicut si immediatè ageret sine tali ordine: & per consequens, si absolutè sit sibi possibile reducere idem numero, non impedietur per hoc, quòd determinatur ad talem ordinem formarum in agendo.

COMMENTARIVS.

47 *Sententia Ægidij.* e *ALiter ponitur* &c. Hîc impugnat Ægidium, qui conclusionem communem tenet, nempe Deum posse reproducere idem corruptum. Ratio tamen quâ id probat, reiicitur à Doctore: est autem talis, quòd ideò Deus potest idem numero reparare; quia non agit per motum, aut mutationem; non ita natura, ex eo quòd agat per motum, & mutationem. Ad maiorem huius apparentiam adducit sententiam eiusdem Ægidij, quam impugnauit *suprà dist.* 11. *huius art.* 2. *quæst.* 1. & de qua *ibidem* actum est, nempe Deum respicere materiam, vt est *quid*, est indistincta per omnem formam; non ita agens naturale, sed vt distincta, & determinata per aliquam formam priorem, & ideò non potest eandem formam semper imprimere materiæ, sed aliam, & aliam.

48 *Impugnatur. Deus agit per mutationem subiecti.* Hunc modum dicendi impugnat primò, elidendo suppositum: quia Deus agit etiam per mutationem de priuatione ad formam, per quam aliter se habet subiectum. Deinde, alterum suppositum, seu conclusio potiùs inde deducta, est dubia; scilicet an agens naturale possit agere ad eamdem formam, quà corrupta est; hoc remittens ad tertiam quæstionem sequentem. Tertiò, reiicit fundamentum, quia licèt non reproduceretur prior mutatio interrupta, non inde sequitur, quin per aliam posset reproduci idem; *Fallacia consequentis.* nam ad idem possunt esse differentes mutationes, vt patet; quia resuscitatio mortui est alia mutatio ab eius generatione, per quam primum recepit *esse*: est ergo fallacia consequentis ex distinctione mutationum inferre distinctionem terminorum. Instat de motu circulari, & recto, qui *Motus incomparabiles ad eadem aliquando sunt.* sunt incompatabiles per Philosophum 7. *Physic.* quibus tamen potest acquiri idem *vbi*. Deinde, si ex distinctione numerica mutationis inferretur distinctio numerica terminorum; ita etiam ex distinctione specifica mutationum inferretur distinctio specifica terminorum. Hoc est contra August. 3. *de Trinit. cap.* 9. vbi asserit idem in specie posse produci per generationem æquiuocam, & vniuocam. Prætereà reiicit rationem illam, qua fundatur communiter sententia negans successiuum diuina virtute posse reparari; quia scilicet esset idem, & non esset idem; idem quidem ex suppositione; non idem autem, quia interrumpitur. Hanc rationem reiicit Doctor: quia continuitas successiui est ex vnione partis ad partem, non autem eiusdem ad seipsum: quamuis ergo continuitas ponat vnitatem posterioris partis ad priorem, & arguit hinc distinctionem non tamen alicuius vnius, vt comparatur ad seipsum. Si ergo motus idem reproduceretur, non sequeretur illa diuersitas, quæ prætenditur, vt visum est *in responsione suprà præmissa* §. *præcedenti*.

Tandem reiicit, quod aliàs impugnat de diuerso modo, quo Deus, & agens naturale respiciunt materiam; Deus vt nudam, & absque ordine ad vllas formas determinatas in specie, non ita agens naturale; quia supponit formam priorem in materia, à qua eam transmutat ad aliam, quam producit. Dicit tandem, & rectè, hunc ordinem non esse ad propositum; quia seruatur tandem inter formas in specie, & non in numero: quia etsi vinum non possit mutari virtute agentis nisi in acetum, neque hoc immmediatè immutari in vinum; tamen non sequitur, quin posset in hoc accetum immutari; vinum, v.g. reproductum à Deo, in quod aliàs fuit immutatum. Exemplum subdit de mutatione ignis in aquam hanc numero, cui per accidens est, si fiat ex hoc igne numero, vel alio: non loquitur de aqua adæquatè, vt constat materia, & forma, quia sicut materia huius, & illius ignis sunt diuersæ numero, & transeuntes in substantiam aquæ, retinerent eandem differentiam, & communicarent toti, nempe aquæ, ita etiam ex parte materiæ differret aqua ex hoc igne generata numero, ab aqua generata ex alio igne, quamuis formam eandem numero haberet. Loquitur ergo Doctor de aqua quoad formam eandem in numero, quæ potest ab agente in hac, vel illa materia produci eadem. Vnde concludit ordinem illum transmutationis inter formas quoad speciem respectiuè ad agens naturale, non facere ad propositum huius difficultatis, quæ attenditur secundùm productionem eiusdem in numero formæ, quæ aliàs desiit; quia hæc potest stare sine ordine inter indiuidua, licèt esset ordo inter ipsas species. Nam licèt vino succedat acetum in specie, per accidens est, vt hæc in numero forma succedat aceto, vel alia eiusdem speciei, & perfectionis. Vnde colligitur ex tali ordine inter formas in specie non assignari sufficientem rationem, cur agens naturale non possit idem numero indiuiduum reproducere. De hoc fusiùs agetur *quæst.* 3. in qua hæc controuersia per se tangitur.

49

Ordo est inter formas in specie non tamen in indiuiduo.

Explicatur ratio præmissa.

SCHOLIVM.

Possibilitas reproducendi est ex omnipotentia Dei, & non repugnantia creaturæ, vt ostensum est ex auctoritate August. & ratione contra D.Thom. Potest fieri sine mutatione, si res annihiletur, cum mutatione, si corrumpatur.

10 *Decisio q.* f QVantum igitur ad istum articulum, dico quòd possibilitas est ex parte Dei ex omnipotentia eius (quòd si sit possibile alij causæ, de hoc non tracto *hîc*, sed *quæst.*3. dicetur) & ex parte obiecti est possibilitas simpliciter, quia non includit contradictionem: & hoc probatum est, & auctoritate, & ratione, & contra primam opinionem: & hoc, siue reducatur sine mutatione, siue per mutationem: quia vtrumque est possibile, sicut argutum est contra secundam opinionem, *Sine mutatione fieret, si res annihilaretur.*

COMMENTARIVS.

50 f QVantum igitur ad istum Articulum, &c. Statuit conclusionem huius articuli, quam *suprà* hactenus probauit, nempe possibilem esse resurrectionem hominis; tum quia potentia est ex parte Dei, & possibilitas ex parte hominis, vt reparari possit. Conclusio est fidei, & communis, quam *art. seq.* fusius probat, *& in antecedentibus.* *Resurrectio hominum possibilis est.*

SCHOLIVM.

Resurrectionem esse futuram ex tribus symbolis & Scriptura probat. Habetur etiam Exod.3. Isai. 26. Ezechiel. 37. Ionæ 2. Sophon.3. Esdr. 2. Luc. 20. ad Philipp.3. 2.Cor.4. 2.Tim.2. Apoc.20. ad secundum, cælum & elementa non esse substantialiter corrumpenda in fine mundi. Ita August.20. Ciuit. 14. Hieron. in 65. Esai. Gregor. 17. mor. 5. D.Thom. in addit. quæst.91. art.4.

11 *Resuscitãdos esse mortuos.* g DE secundo articulo, si resurrectionem fore, possit ostendi ratione naturali: de hoc statim in proxima quæstione. Sed pro nunc manifesta est conclusio ex veritate fidei: hanc enim veritatem tanquam articulum fidei exprimit tam symbolum Apostolorum, *Carnis resurrectionem*, quàm symbolum Nicænum *& expecto resurrectionem mortuorum:* quàm symbolum Athanasij, *Omnes homines resurgere habent cum corporibus suis*, &c. Istud autem valdè expresse habetur in multis locis Scripturæ, vtpote *Ioann.*5.11.20.*&* 21. *& Matth.*25.*& Apost.* 1.*Corinth.*15. *&* 1.*Thess.* 4. *& secundi Machab.*12. *Nisi eos qui ceciderant, resurrecturos speraret.*

12 *Ad arg.*1. h Ad argumenta. Ad primum, Salomon fuit ibi concionator nunc allegans pro parte stultorum, nunc respondens secundùm sententiam sapientum, & illud dictum est concionando pro stultis. Sed contradicitur illi sententiæ posteà. cap. vlt. *Ibit homo in domum æternitatis suæ; finem loquendi omnes pariter audiamus. Deum time, & mandata eius obserua: hoc est enim omnis homo.*

Ad 2. *Cælum & elementa nõ esse substantialiter corrumpẽda.* Ad secundum, & si cælum nunquam atteretur quantùm ad substantiam, tamen atteretur quantùm ad efficaciam, vel influentiam in ista inferiora, generando, & corrumpendo: quia post iudicium cessabit ista influentia, & quoad hoc intelligi potest illud 1.Corinth.7. *Præterit figura huius mundi.* Vel posset dici, quòd loquitur de illo cælo, de quo loquitur Petrus in Canonica sua, *Cæli transient, & elementa calore soluentur:* quod non intelligitur nisi de cælo elementari. *in* 2.*ep.c.*3.

Ad 3. Ad aliud, Philosophus ibi distinguit circulationem in corporibus cælestibus à circulatione in corruptibilibus, quia ibi suprà non corrumpitur per motum, & ideò redit eadem, non sicut accipiens *esse* per istum motum, sed fit præsens eidem parti per motum reducentem: sed circulatio in istis inferioribus est secundùm corruptionem formæ substantialis, & reductionem eius: & ideò non sic redit idem numero. An autem vniuersaliter neget idem numero posse redire, de hoc *quæst.*3.

13 *Ad* 4. *In resurrectione redit eadẽ vnio, non eadem mutatio.* i Ad vltimum posset dici, quòd compositum potest idem redire, licèt non redeat vnio eadem partium: quia illa vnio non est de essentia totius, nec illa vnio est illa entitas totalis, quæ est ex partibus, nec forma illius entitatis; sed quia vnio est simpliciter necessariò requisita ad entitatem totalem, & non videtur aliquid esse idem numero, nisi illud sit idem numero, quod necessariò requiritur ad ipsum: ideò verius videtur, quòd vnio redibit eadem, & hoc, si accipiatur pro illa relatione

ne partium vnitarum ad inuicem, non autem pro ipsa passione, quæ non manet nisi in instanti resuscitationis: illa enim potest poni alia, sicut & illa mutatio est alia à generatione.

Et cùm arguitur, quòd illa vnio fuit interrupta: dico quòd interruptum potest redire idem numero, & non tantùm absolutum, sed respectus, si extrema eius redeant eadem numero. Credo enim beatam Mariam habuisse eandem relationem ad Filium post passionem, quam habuit ante Christi passionem, & tamen fuit interrupta, & in morte Christi propter destructionem termini, & in morte Mariæ propter destructionem fundamenti. *Eadem relatio potest redire, si redeant extrema.*

Et si dicas, quòd contradicere videtur illa responsio sibi ipsi, quia negat vnionem passionem redire eandem, & tamen illa est necessaria ad *fieri* totius, & secundùm istud dictum non potest aliquid redire idem, nisi illud redeat idem, quod est necessarium ad *esse* eius. Respondeo, esto, quòd vnio, vt est passio, sit necessaria ad *fieri* totius, sequitur quòd non est idem *fieri* ipsius totius, nisi sit eadem vnio: & concedo: & tunc vel neutrum erit idem, quod est probabile, quia illa vnio, vt dictum est, non erit eadem cum generatione hominis: vel vtrumque poterit esse idem, quia non est ibi contradictio. *Problema, an erit eadem passio & vnio in resurrectione.*

COMMENTARIVS.

51 *Fiet etiam in euentu.* g DE *secundo Articulo. Si resurrectionem fore*, &c. Remittit ad sequentem quæstionem examen illius difficultatis, si possit resurrectio ostendi ratione naturali. Interim hîc statuit conclusionem fidei, nempe de fide esse resurrectionem futuram. Circa quam veritatem fuerunt plures errores. Fuit error Philosophorum, qui negarunt immortalitatem animæ: vt erant Stoici, & Epicurei; quin etiam hic error fuit communis Philosophorum Gentilium, qui negabant possibilitatem resurrectionis, vt docet Tertullianus *lib. de præscriptionibus cap.* 7. & patet ex principiis eorum, qui dicebant Deum agere necessitate naturæ ad extrà, nec posse se solo producere effectum causarum inferiorum sine ipsis causis, fuit Atheniensium vt constat *Act.* 17. qui subsannabant Paulum ob prædicationem huius articuli, quasi seminiuerbium, aut magistrum ridiculæ doctrinæ. Sic Festus eundem dixit insanire *Act.* 26. quod resurrectionem prædicârit, Videatur Augustinus *lib.* 12. *de ciuitat. c.* 13. & *lib.* 22. *cap.* 25. Ideóque contra hos qui negabant possibilitatem resurrectionis Patres disseрunt ex potentia infinita Dei, vt ostendant possibilitatem resurrectionis ex prima rerum conditione, seu creatione. Sadducæi etiam negabant eandem veritatem *Matt.* 22. *Marc.* 12. *Luc.* 10. *Act.* 4. 5. & 23. Eundem errorem in Ecclesia suscitarunt etiam hæretici, vt Simon Magus, vt docet Epiphanius *hæres.* 21. Hymenæus & Philetus 2. *ad Tim.* 2. dicebant euenisse, & non fore ampliùs resurrectionem. *Errores contra articulũ fidei. Error Philosophorum. Impugnantur ex Dei omnipotentia. Error hæret. Præcessisse resurrectionẽ.*

52 *Negantes carnis resurrectionem.* Alij negabant resurrectionem carnis, statuentes tantùm salutem animæ. Carpocrates apud Irenæum *lib.* 1. *cap.* 24 Valentinus, vt idem *cap.* 1. & Epiphan. *hæres.* 31. Marcion *apud Irenæum citatum cap.* 29. *apud Epiphanium hæres.* 42. Manichæi *apud eosdem & August. Theodoret.* Origenes citatur pro hoc errore à quibusdam; sed alius fuit error eius *apud Methodium in Aglaphonte & Epiphan. hæres.* 64. non idem corpus numero, sed specie resurrecturum, citatur *in psalm.* 1. & *psal.* 65. *lib. verò* 3. *in Epistolâ ad Romanos* docuit transmigrationem animæ in corpus, & sexus fœminei in virilem. Testatur etiam Theophilus Alexandrinus *epistola* 2. *paschali.* August. *lib.* 2. *de ciuitat.* *cap.* 13. Photius *opusculo de* 7. *Oecumenicis Conciliis.* Hunc secundum errorem docuerunt Armeni, vt refert Guido Carmelita. Prioris aut similis erroris fuit Eutychius Patriarcha Constantinopolitanus, vt docet Gregorius Magnus *lib.* 14. *moral. c.* 29. & Beda *lib.* 6. *in Lucam c.* 24. *Error Origenis.*

Conclusionem fidei optime probat Doctor ex Symbolo Apostolorum, Nicæno, & Athanasij, & ex nouo Testamento; in quibus expressissimè definitur, sicut etiam ex veteri Testamẽto *Iob* 19. *Isaia* 26. *Ezechielis* 37. quamuis hic locus aliter etiam soleat interpretari de reconciliatione, & vocatione finali Iudæorum ad fidem, vt August. *lib.* 10. *de Gen. ad literam cap.* 5. Hieron. Theodoret. & glossa ordinaria in eundem locum. *Probatio conclusionis fidei. Symbola fidei. Iob. Isaias. Ezechiel.*

Hanc veritatem fuisse explicitam fidei in omni statu post lapsum existimo, & necessariò creditam explicitè ab omnibus, ita vt contrarius error fuerit hæresis. Hæc est contra Abulensem *in Matthæum quæst.* 129. qui putat apud Iudæos resurrectionem futuram non fuisse articulum fidei, sed opinionem tantùm, ex eo quòd Sadducæi fuerunt inter Iudæos tolerati. Contrarium constat *ex Matthæi* 22. vbi Christus conuincit Sadducæos errasse de articulo resurrectionis, probans veritatem ex scriptura veteris Testamenti, dicítque eos errare nescientes Scripturam, & virtutem Dei; & Paulus *Actor.* 24. dicit se credere omnibus, quæ in Lege, & Prophetis scripta sunt, spémque habere resurrectionis, quam habebant Iudæi. Vnde colligitur tam Paulum, quàm Iudæos credidisse ex Lege, & Prophetis illi articulo fide diuina, non tantùm opinione humana, & *Actor.* 26. dicit se iudicari, quia prædicabat resurrectionem mortuorum, quam spem duodecim Tribus die, ac nocte tenebant. Loca etiam veteris Testamenti citata veritatem hanc docent. vt Iob. & Daniel. Vnde rectè Tertullianus *in lib. de resurrectione carnis cap.* 39. appellat hunc articulum præcipuum fidei, quia nempe spes retributionis in eo fundatur. Vnde Paulus 1. *ad Corinth.* 15. *Si secundum hominem, inquit, ad bestias pugnaui Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgant? manducemus & bibamus, cras enim moriemur*, &c. Quibus verbis satis indicat Apostolus spem retributionis fundari in articulo resurrectionis. Sed spes hæc retributionis in omni statu viæ post lapsum docebatur per fidem, & promissiones Dei: ergo etiam resurrectio perinde ad 53 *Fuit hæc veritas explicitè credenda in omni statu. Articulus credendus explicitè. 1. Cor. 15.*

ad fidem explicitam ſpectabat.

54 *Reſponſio.* Obiicies. Potuit eſſe retributio animarum in *eſſe* ſeparato, quamuis non ſequeretur reſurrectio.

Impugnatur. Contrà. Hæc retributio licèt fiat etiamnum ante reſurrectionem, non illa tamen retributio conſummata, quam Iudæos exſpectaſſe docet Paulus; & quam ipſe ex Lege, & Prophetis exſpectabat, & quam proponebat; & etiam patet Danielis 12. & 2. Machabæorum 7. *Tu quidem ſceleſtiſſime in præſenti vita nos perdis, ſed Rex mundi defunctos nos pro ſuis legibus in æterna vitæ reſurrectione ſuſcitabit*, &c: *mundi creator, qui formauit hominis natiuitatem, quique omnium inuenit originem, & ſpiritum vobis iterum cum miſericordia reddet, & vitam*, &c. Teſtimonia etiam Iob ſunt clariſſima, ex quibus ſatis patet, qualis fides, & quàm explicita vulgariter fuerit reſurrectionis in populo Hæbreorum, & aliis qui ante aduentum Chriſti exſpectabant retributionem. Videantur expoſitores in loca citata in textu, qui ſenſum eorum ſatis diffusè exponunt, & explicant formam rationis, qua Chriſtus conuincit Sadducæos, & Paulus alios negantes reſurrectionem, quas benè expendit Ægidius Luſitanus *quæſt*.4. *art*.1. §.4. & Suarez citatus. Procedunt autem illa argumenta ex natura promiſſionis factæ, & diſpoſitione diuina quantùm ad ſubſtantiam retributionis faciendæ, & modum quo facienda eſt, & certitudinem eius in diuina determinatione; & procedit rectè contra admittentes legem, & negantes reſurrectionem, vt erant Sadducæi, quos conuincebat Chriſtus declarando Legem, & qua ratione Deus eſt Abraham, Iſaac, & Iacob, quoad ſe quidem mortuorum, quoad Deum autem viuentium, non ſolùm quoad animam, ſed etiam quoad retributionem operum, quam facturus eſt in reſurrectione: quia Deo non pereunt, qui eſt ipſos reſuſcitaturus. Rationes etiam Pauli eandem veritatem, & diſpoſitionem ſupponunt, quando v.g. loco citato ex reſurrectione Chriſti, facta, fore aliorum dormientium reſurrectionem probat, nam ſicut in Adam omnes moriuntur, ita erit reſurrectio omnium per Chriſtum, & in Chriſto. Rationes ſunt ex reuelatis, & declarationes veritatis, vt reuelata eſt, in quibus promiſſio, ſubſtantia, modus reſurrectionis exponitur iuxta prouidentiam Dei præſentem, qua omnia diſpoſuit, neque tam forma rationis attendenda eſt, quàm ipſa contenta declaratio veritatis per expreſſum ordinem ad ſuas cauſas, ex quibus eſt reſurrectio.

55 h *Ad argumenta*, &c. Ad primum, &c. Hæc ſolutio eſt Gregorij *lib*.4. *Dialog. cap*.4. Ad ſecundum patet ex litera, & quæſtio ipſa *infrà* tractabitur; An ſcilicet cælum diſſoluetur: Intelligit Gregorius locum prout ſecunda interpretatio proponit. Ad tertium patet ex litera, & ampliùs declarabitur *quæſt*.3.

56 *Ad vltimum.* i *Ad vltimum poſſet dici*, &c. Docet compoſitum poſſe redire idem numero, quamuis vnio eadem numero ipſarum partium non rediret: quia illa non eſt de eſſentia totius. Reſolutio hæc eſt etiam D. Thomæ *in diſt. ſeq. art*.1. *quæſt*.2. *ad* 2. quam amplectitur Suarez, vt probabilem, & benè probatur à Doctore, ſuppoſita diſtinctione reali totius per ſe à partibus vnitis, quia ſic neque vnio eſt pars eſſentialis totius, neque integralis, ſed applicatio cauſarum intrinſecarum, cuius diuerſitas in numero non infert diuerſitatem totius; quod manentibus iiſdem partibus componentibus numero, & ipſum manet idem numero; quia ſicut poteſt cum vnitate totius ſtare diuerſitas mutationis, ita & vnionis. Cæterum, tenendo totum non diſtingui à partibus vnitis, non videtur cum diuerſitate vnionis partium ſtare poſſe vnitatem hanc compoſiti, quia ſic vnio, quidquid ponatur, ſe habet vt pars formalis compoſiti, quia compoſitum eſt aliquid diuerſum à partibus ſeparatis.

Poſſe redire idem numero, quamuis non eadem vnio numero.

Secundò reſpondet probabilius eſſe redire eandem vnionem in numero, accipiendo vnionem pro ordine, ſeu relatione partium ad inuicem, non verò pro ipſa paſſione. Rationem aſſignat prioris; quia ipſa vnio videtur requiri neceſſariò ad compoſitum. Hæc ratio non videtur ſufficere, aut probare intentum, dato quòd vnio non ſit pars compoſiti, aut hoc diſtingui à partibus vnitis: quia vnionem eſſe aliam, & aliam, non variat ordinem materiæ ad formam in *eſſe* potentiæ per ſe, neque formæ ad materiam, vt eſt actus per ſe eius, quia comparantur ad ſe inuicem, & ad totum ſecundùm id quod ſunt formaliter. Vnde ſi albedo ſeorſim diuerſis ſubiectis numero vniretur eadem numero, aut anima hæc huic, aut illi materiæ, non ſequeretur diuerſitas in effectu formali eius, quamuis vnio eſſet diuerſa. 57 *Secunda reſponſio.* *Redire eandem vnionem.* *Obiicitur.*

Intelligi poteſt Doctor loqui ſecundùm præſentem materiam, nempe qua ſtatuitur idem corpus cum ſuis accidentibus connaturalibus, quæ habuit virtute agentium, & actionis, qua primò fuit productum, reſuſcitari: ſic etiam neceſſariò redire eandem vnionem, non quòd ſit hoc neceſſarium ad *eſſe* numericum, & ſubſtantiale corporis; ſed ad *eſſe* integrale, & veritatem eius. *Solutio obiectionis.* *Redire vnionem, quia ſpectat ad veritatem naturæ.*

Secundum, quod aſſerit Doctor, eſt, non redire eandem paſſionem. Intelligit paſſionem fieri ipſius vnionis in ſubiecto, vt eſt ex vi actionis tranſmutantis, vel poteſt intelligi ipſa relatio paſſionis; probat autem hoc, quia non eſt niſi in ipſo inſtanti reſurrectionis, ſupple, actiuæ, & eſt tranſiens ſicut ipſa actio, ſeu mutatio tranſit: quæ ratio videtur comprehendere paſſionem, & actionem pro ipſa forma, ſeu vnione in *fieri*, vt eſt ab agente; & ſit in ſubiecto, & connotat per modum mutationis actiuæ, & paſſiuæ terminum *à quo*. 58 *Quid ſit paſſio vnitiua.*

Obiicit, quòd vnio fuit interrupta: ergo non redit eadem numero. 59 *Obiectio.*

Reſpondet negando conſequentiam, & aſſerit eandem fuiſſe relationem maternitatis in Beata Virgine, ante, & poſt reſurrectionem ipſius. *Solutitur.*

Vrget ampliùs, quòd ex hoc ſequeretur, quòd etiam vnio, vt paſſio, neceſſariò debet redire eadem. *Obiectio.*

Reſpondet problematicè poſſe dici, quòd vnio & paſſio ſit eadem, & vel vtrùmque redire idem, vel neutrum: ſiſtendo tamen in prima ſolutione. *Solutio.*

Reſpondetur. Sicut alia eſt hîc mutatio in reſurrectione ab illa, qua homo primùm fuit productus per generationem, ita etiam eandem poſſe eſſe vnionem, licèt diuerſa eſſet paſſio, propter diuerſitatem termini, qui eſt ſolus Deus reſuſcitans. Si loquamur de paſſione in *eſſe* relationis extrinſecæ aduenientis, & reſpicientis agens; *Ad vnionem poſſunt eſſe diuerſæ mutationes.*

agens; non sequitur tamen vnionem esse diuersam, quia vt in 1. art. disseruimus cōtra Durandum, eadē numero forma potest per diuersas mutationes produci ipsa in se manente inuariata; sicut ergo vnio fuit primùm producta per generationem, & posteà restituitur per actionem solius Dei; ita etiam mutationes illæ variantur, quamuis vnio per modum termini producti sit eadem numero.

Quæstio II.

Utrùm posset esse notum per rationem naturalem, resurrectionem generalem hominum esse futuram?

D.Thom. *in add. quæst. 75. art. 3. & hic quæst. 1. art. 2.* D.Bonau. *art. 1. quæst. 5.* Argentina, *quæst. 1. art 2.* Suarez *3. part. tom. 2. disp. 50. sect. 2. & 3.* Vide Scot. *9. Met. quæst. 11. in Theorem. §. Non potest probari animam. & 2. Phys. quæst. 4.* vbi Aretin.

k SECVNDÒ quæro, vtrùm posset esse notum per rationem naturalem resur- 1
rectionem generalem hominū esse futuram? Quòd sic; desiderium naturale *Arg. 1.*
non potest esse frustrà, Commentator, *2. Metaph.* sed homo naturale desiderium ha- *In proœm.*
bet ad semper esse, & istud desiderium potest esse notum per rationem naturalem,
& quòd illud non sit impossibile: ergo, &c. Probatio minoris, quia non fugitur aliquid naturaliter nisi virtute naturalis desiderij, vel amoris ad aliud; sed naturaliter fugit homo mortem. Hoc patet per experientiam. Patet etiam per illud Apostoli 2. ad Corinth. 5. *Nolumus exspoliari, sed superuestiri.*

Præterea, naturaliter notum est, quòd beatitudo naturaliter appetitur: hoc patet, *Arg. 2.*
& ex 1. *Ethic.* de beatitudine in generali, *& ex* 10. de beatitudine in speciali; sed no- *Cap. 17.*
tum est per rationem naturalem, beatitudinem non posse esse nisi sempiternam: *Cap. 10.*
ergo notum est per rationem naturalem hominem esse ordinatum ad aliquam perfectionem sempiternam. Probatio minoris, August. *lib. 13. de Trinit. cap.* 8. probat illud per rationem sic: *Morientem vita ipsa deserit, si beata; aut ergo nolentem deserit, aut volentem, aut neutrum: si nolentem, quomodo est beata vita, quæ ita est in voluntate, quòd non sit in potestate? si autem volentem, quomodo vita beata erat, quam noluit, qui habebat? Si dicas neutrum, nec nolle, nec velle, sed nec illa beata est vita, quæ talis est, vt quem beatum facit, amore eius indigna sit.*

Præterea, naturaliter notum est, quòd tota species non caret fine suo, quin illum 2
in aliquo indiuiduo consequatur; sed naturaliter notum est beatitudinem esse finem *Arg. 3.*
speciei humanæ: ergo & hominem posse consequi illam, saltem in aliquo indiuiduo; sed non potest eam consequi in vita ista propter mullas miserias concomitantes eam, puta varietas fortunæ, & infirmitas corporis, imperfectio scientiæ & virtutis, & instabilitas, & fatigatio in exercendo actus perfectos, in tantùm vt nulla operatio quantumcunque in principio est delectabilis, possit continuè esse delectabilis, imò per eam fatigato delectabile erit cessare ab ipsa: & notum est per rationem naturalem, operationem beatificam non esse fastidiosam, nec potest haberi à sola anima separata, quia in hac homo non consequitur finem suum: ergo habebitur in alia vita à toto coniuncto: & per consequens ad minùs videtur per rationem naturalem concludi, in quibus homo ad finem suum pertinget.

Præterea, per rationem naturalem notum est quòd omnis species, quæ est de *Arg. 4.*
integritate vniuersi, est perpetua; quia totum integrum est perpetuum; sed homo
est species perfectissima, saltem inter ista inferiora: *Sumus enim nos quodammodo finis* *Text. 24.*
omnium. 2. Physic. ergo, &c.

Oppositum August. 13. *Trinit. cap.* 9. loquens de vita immortali, vel sempiterna. 3
Hæc, inquit, *vtrùm careat humana natura, nec parua quæstio est. Humanis quippe argumen-* *Ratio ad*
tationibus hanc inuenire conantes, vix pauci magno præditi ingenio, vacantes otio, doctrinisque *opp.*
subtilissimis eruditi, ad indagandam solius animæ immortalitatem peruenire potuerunt.

Idem *Act.* 17. dicitur de quibusdam Atheniensibus audientibus Paulum, qui dice- *Ratio 2.*
bant, quòd nouorum dæmoniorum videbatur denunciator esse, quia Iesum, & resurrectionem annuntiabat eis: & tamen illi Athenienses erant Philosophi, multùm vigentes ratione naturali. Patet de Dionysio conuerso, qui fuit vnus eorum: ergo istud, quod videbatur eis ità remotum à veritate, non videtur benè esse notum per rationem naturalem: vnde & omnia quæ adducit ibi Paulus, non sunt nisi quædam persuasiones. Patet ibi.

Præterea,

Ratio 3. Præterea. *Act.* 26. cùm diceret Paulus. *Si paßibilis Christus, si primus ex resurrectione*, &c. Festus magna voce dixit, *Insanus Paule.*

COMMENTARIVS.

1 *Expositio quæstionis.* k *SEcundò quæro vtrùm possit esse notum*, &c. In hac quæstione examinatur, an ratione naturali possit ostendi resurrectio futura, & agitur de ratione necessaria à priori, aut à posteriori. Hanc quæstionem alij disputant sub titulo possibilitatis, an scilicet ratione naturali ostendi possit possibilis resurrectio. *Ordo & diuisio.* Vtrumque comprehendit Doctor *in hac quæst.* proponit pro parte affirmatiua quatuor rationes, quarum tres primæ fundantur in appetitu beatitudinis, eiúsque cognitione naturali, quam experimur. Quarta verò de perpetuitate specierum. Pro negatiua verò adducit Augustinum, & Apostolum. Tandem, quia demonstratio à priori est per causas intrinsecas essendi, proponit tres propositiones, *Principia demonstrandi resurrectionem tria.* ex quibus velut à priori possit formari illa demonstratio; quarum prima est ex forma intrinseca, & specifica hominis, quæ est anima rationalis. Secunda, quòd hæc sit incorruptibilis. Tertia, quòd non permanebit semper extra corpus, & consequenter restituetur corpori: ex quibus sequitur fore resurrectionem. Resoluit primam esse notam naturaliter tanquam necessariam. Secundam esse probabilem naturaliter; non tamen necessariam. Tertiam verò non esse tam notam naturaliter: ac proinde probationem à priori non esse necessariam, seu demonstratiuam physicam. *Resolutio finalis.* Idem dicit quantùm ad rationes à posteriori, quæ desumuntur ex inclinatione ad beatitudinem, & retributionem operum, & tandem respondet ad argumenta.

SCHOLIVM.

Ponit tres propositiones, quæ si naturaliter essent notæ, naturaliter etiam sciretur futuram generalem hominum resurrectionem. Prima propositio est; Anima rationalis est forma specifica hominis. Ponit auctoritates quibus D. Thom. probat hanc esse notam naturaliter, imò videtur communis omnium Philosophorum.

4 l REspondeo, hoc manifestum est, quòd si ratio aliqua resurrectionem ostendit, oportet quòd accipiatur ex aliquo, quod est proprium hominis, ita quòd non conueniat aliis corruptibilibus: hoc autem non est materia etiam incorruptibilis, nec forma aliqua destructibilis; quia etsi talis sit in homine, & excellentior omni forma bruti, tamen ex illa non potest sumi ratio sufficiens ad probandum resurrectionem totius: ergo oportet quòd accipiatur à forma specifica hominis, vel ab operatione conueniente homini secundùm illam formam.

Primo modo procedendo ex tribus propositionibus concluditur propositum, & si illæ omnes ratione naturali essent notæ, haberemus propositum: sunt autem istæ; Prima, *Anima intellectiua est forma hominis specifica.* Secunda, *Anima est incorruptibilis:* ex quibus sequitur quòd forma specifica hominis sit incorruptibilis. Additur tertia, quòd *forma specifica hominis non remanebit perpetuò extra corpus:* sequitur ergo, quòd aliquando redibit idem. Ista reditio iterata resurrectio vocatur secundùm Damascenum *lib.* 4. *cap.* 19. Resurrectio est secunda eius, quod dissolutum est, surrectio.

5 De istis ergo tribus propositionibus, qualiter notæ sunt, per ordinem videamus.
D. Thom. 1. p. q. 76. art. 1. De prima dicitur, quòd est ratione naturali nota: quod ostenditur dupliciter. Vno modo per auctoritates Philosophorum, qui hoc asserebant, & nonnisi tanquam ratione naturali notum. Alio modo, adducendo ibi rationes naturales, ex quibus
Text. 6. istud concluditur. De prima, Arist. definit animam, 2. *de Anima*, quòd *est actus cor-*
Text. 1. *poris physici*, &c. Et in principio tertij, *de parte autem animæ, quæ cognoscit, & sapit.* vbi videtur ponere animam intellectiuam partem saltem subiectiuam animæ priùs definitæ in communi.

Præterea, omnes Philosophi communiter in definitione hominis posuerunt *rationale* tanquam eius differentiam propriam; per *rationale* intelligentes animam intellectiuam esse partem essentialem eius: nec breuitèr inuenitur aliquis Philosophus *Auerroëm reprehēdit ponentem vnitatem intellectus.* notabilis, qui hoc neget; licèt ille maledictus Auerroës in fictione sua 3. *de Anima.* quæ tamen non est intelligibilis, nec sibi, nec alij, ponat intellectum esse quamdam substantiam separatam mediantibus phantasmatibus nobis coniungibilem; quam coniunctionem nec ipse, nec aliquis sequax eius adhuc potuit explicare; nec per illam coniunctionem saluare hominem intelligere. Nam secundùm ipsum homo formaliter non esset nisi quoddam animal irrationale excellens: per quandam tamen animam irrationalem, & sensitiuam excellentiorem aliis animabus.

COMMEN

COMMENTARIVS.

2 *Vnde sumenda est demonstratio.* *Ex propriis hominis.* *Tres propositiones, earúmque vsus quoad præsens.*

l RESpondeo hoc manifestum est, &c. Docet hanc demonstrationem petendam esse ex propriis hominis, non ab aliquo corruptibili, neque ex materia etiam prima, quæ incorruptibilis est, sed ex forma specifica hominis, nempe ex anima rationali, vel ex operatione eius. Ex qua sumit tres propositiones, ex quibus hæc veritas deduci potest. Prima est, quòd sit *forma hominis.* Secunda quòd sit *immortalis & incorruptibilis secundùm esse.* Tertia, quòd *forma illa non manebit perpetuò extra corpus.* De his propositionibus earúmque materia non est instituti per se tractare, quia est alterius loci, sed tantùm quærere de gradu certitudinis earum, & an secluso fidei lumine, & traditionis receptæ ab initio in genere humano, sint talis euidentiæ, vt conuincant proteruum per veram demonstrationem, & necessariam: quòd enim propositiones sint veræ, non negatur; sed disseritur tantùm, an necessariò concludentes modo dicto.

Quòd prima sit vera, & necessaria, admittit Doctor, & primò adducit probationem eius ex Sancto Thoma 3. *part. quæst.* 76. *art.* 1. tum quia Philosophi plures hoc lumine naturali nouerunt. Secundò, quia *ex* 2. *&* 3. *de Anima*, ponitur anima intellectiua, pars subiectiua animæ, vt sic, quæ definitur *actus corporis organici*, &c. Deinde, quia communiter Philosophi statuunt *rationale* differentiam hominis, & animam rationalem, quà talis est, partem eius essentialem, excepto Auerroë, cuius fictio non est intelligibilis, & hoc argumentum est ab auctoritate. *Prima propositio est vera, & necessaria.* *Probatio.*

SCHOLIVM.

Ponitur ratio, quâ D. Thom. probat primam propositionem, scilicet ex operatione animæ: quam refutat Doctor, quia secundùm D. Thom. intellectus se habet passiuè quoad intellectionem; de quo dictum est 1. dist. 3. quæst. 7. Ex vera sententia de actiuitate intellectus, format Doctor rationem aliter, sic; homo formaliter & propriè intelligit: ergo anima intellectiua est eius forma. Antecedens fusè examinat pro, & contra.

m DE secundo, ad propositum non inuenitur faciliter ratio à priori, neque à posteriori propria, nisi ex propria operatione hominis: siquidem forma innotescit ex operatione, sicut materia ex transmutatione: ex operatione ergo intelligendi arguitur propositum sic. Intelligere est propria operatio hominis: ergo est à propria forma: sed est ab intellectiua: ergo intellectiua est propria forma hominis. 6 *D. Thom. 1. p. q. 75. art. 2.*

Sed ista ratio patitur instantiam; quia intellectus, & *intelligere* secundùm eos se habent passiuè, & non actiuè: ergo illa propositio, *propria operatio est à propria forma*, non probat intellectiuam esse propriam formam: siquidem ab ipsa non est ipsa operatio secundùm eos, sed ab obiecto intelligibili, vel à phantasmate. Ideò ex illa opinione, formo rationem aliter sic; homo intelligit formaliter, & propriè: ergo anima intellectiua est propria forma hominis. Antecedens videtur satis esse manifestum secundùm auctoritatem Philosophi 3. *de Anima*, *&* 1. *Ethic. cap.* 9. quia *intelligere* est propria operatio hominis: operatio autem vt distinguitur contra actionem, seu factionem, formaliter inest ipsi operanti, & non est ab ipso altero. Consimiliter 10. *Ethic.* in *intelligere* ponit felicitatem hominis: & manifestum est, quòd illa felicitas inest formaliter homini: ergo & illa operatio, in qua consistit. *De hoc 1. dist. 3. q. 7. num. 14.* *Tex. 1. & 5.* *Vide 2. de Anim. tex. 24. 55. & 60.* *Cap. 10.*

Sed tentandum est probare antecedens per rationem contra proteruum, si neget, & hoc intelligendo in antecedente *intelligere* propriè acceptum: per quod intelligo actum cognoscendi transcendentem totum genus cognitionis sensitiuæ. Probatur ergo illud antecedens vno modo sic. Homo cognoscit actu cognoscendi, non organico: ergo intelligit propriè. Consequentia patet ex ratione iam posita; quia intellectio propriè est cognitio transcendens omne genus sensationis: omnis autem sensatio est cognitio organica, *ex* 2. *de Anima.* Antecedens huius enthymematis probatur, quia omne organum determinatur ad certum genus sensibilium, *ex* 2. *de Anima*, & hoc ideò quia consistit in media proportione extremorum illius generis; sed aliquam cognitionem experimur in nobis, quæ non competit nobis secundùm tale organum: quia tunc determinaretur præcisè ad sensibilia determinati generis, cuius oppositum experimur: quia cognoscimus per talem actum differentiam cuiuscunque generis sensibilium ad aliquid, quod non est aliquid illius generis: ergo cognoscimus vtrumque extremum. Patet illa consequentia secundùm Philosophum sic arguentem 2. *de Anima, cap. de Sensu communi.* 7 *Idem 1. p. quæst. eadē art. 5.* *Text. 51. & lib. 1. com. 122. & 130* *Text. 118. & inde.* *Text. 149. & circiter.*

Sed huic instatur primò, quia cognitio organica est, quæ inest secundùm determinatam partem corporis; illa autem, de qua arguitur, quòd per ipsam distinguimus sensibilia à non sensibilibus, inest toti primò, & ideò non per aliquod organum 8

num propriè loquendo: tamen non transcendit omne genus cognitionis sensitiuæ secundùm perfectionem, quia inest primò toti, & per consequens ita est materiale sicut illud, quod inest toti per partem. Ita enim passio totius est materialis, sicut aliquid, quod inest toti per partem.

Secundò negatur assumptum, scilicet quòd ille actus non inest secundùm aliquod organum, quia inest secundùm organum phantasiæ: cuius probatio est, quia illo læso impeditur cognitio. Nec probatio illa de determinatione organi ad certum genus, cogit: quia phantasia extendit se ad omnia sensibilia. Sed secunda instantia exclusa est per quoddam ibi tactum, quia per illum actum discernimus totum genus sensibilium ab aliquo extra totum illud genus, nec illa probatio, quòd impeditur ille actus læso organo phantasiæ, concludit: hoc enim est propter ordinem potentiarum illarum in operando, non autem quia intellectio exerceatur mediante illo organo.

2. de Anima. Text. 63.

COMMENTARIVS.

3 *Secunda ratio. Ex operatione.* m DE *secundo ad propositum*, &c. Hîc subiungit alteram rationem à posteriori desumptam à propria operatione hominis, quæ est intellectio: ergo à propria forma hominis.

Instatur. Respondet instari posse, dato quòd intellectio sit à solo phantasmate, aut obiecto, tanquam causa totali efficiente, & principio elicitiuo, ad quod se habet intellectus tantùm passiuè. De hac opinione agit *in 1.dist.3.quæst.7.* instantia autem insinuata in hoc potissimùm vrget contra hanc rationem; quia actus intelligendi, vt est ab ipsa anima elicitiuè, potissimùm probat eam esse formam corporis. Cæterum, etiam format ipse rationem in sensu formali, quia intellectio est propria operatio hominis, ex Philosopho, & distinguitur contra factionem, seu actionem transeuntem, & in ea consistit felicitas hominis, ex eodem Philosopho: ergo inest secundùm propriam formam hominis.

Formatur ratio. Intellectio est intrinseca.

Deinde, homo cognoscit actu non organico, quem experimur in nobis, quæ cognitio non extenditur ad certum genus sensibilium, sicut cognitio organica, & illo actu differentiam omnium sensibilium inter se cognoscit. *Intellectio non est actus organicus.*

Si respondeatur quòd illa cognitio sit secundùm totum, & non secundùm organum. Vel si dicatur inesse secundùm phantasiam, quia hac læsa impeditur talis actus. *Responsio.*

Vtramque reiicit Doctor, tum quia per cognitionem illam cognoscimus aliquid, quod excedit totum genus sensibilium, & ideò impeditur talis cognitio læsa phantasia, ob subordinationem potentiarum in operando. *Impugnatur. Intelligitur quod est sensibile.*

SCHOLIVM.

Probat D. Thom. nos formaliter intelligere, quia in nobis est aliqua cognitio immaterialis. Hanc reijcit Scotus, & propositum suadet varijs experientijs, quibus constat nos cognoscere multa, quæ omnem cognitionem sensitiuam excedunt, si verò proteruè aliquis istas experientias negaret, dimittendus esset, vt brutum.

9 *D. Thom. 1.p.q.75. art.2. Inesse nobis cognitionē spiritualē.* n ALiter probatur antecedens principale, quia aliqua cognitio immaterialis inest nobis; nulla autem sensitiua potest esse immaterialis: ergo, &c. Istud vocabulum *immateriale* est frequens in vsu Philosophi in proposito: sed videtur ambiguum. Potest enim ad propositum tripliciter intelligi, vel immaterialis, quia incorporea, hoc modo, quia non operatur per partem corpoream, & organum: & tunc istud est idem cum propositione iam posita de non organica. Vel alio modo immaterialis, quia nullo modo extensa: & tunc plus dicit quàm non organica: etsi enim omnis organica sit extensa, quia recipitur in extenso: non tamen solùm: quia si reciperetur in toto composito primò, cùm illud sit extensum, adhuc esset operatio extensa.

Tertio modo potest intelligi immaterialis, eius in comparatione ad obiectum, vt scilicet respiciat obiectum sub rationibus immaterialibus, vtpote in quantum abstrahit ab *hîc, & nunc* & huiusmodi; quæ dicuntur conditiones materiales. Si ergo probaretur immaterialitas secundo modo; veriùs haberetur propositum quàm ex probatione eius primo modo. Sed non videtur sic posse probari, nisi ex conditionibus obiecti, quod respicit ille actus; nisi fortè ex reflexione, quia experimur nos reflecti super actum talis cognitionis: quantum autem non est super se reflexiuum: & ideò ab obiecto huius actus fit finaliter probatio antecedentis.

10 *Nos habere aliquā cognitionē nō sensitiuam,* Prætereà, habemus in nobis aliquam cognitionem obiecti sub aliqua ratione, sub qua non potest esse actus eius aliqua cognitio sensitiua: ergo, &c. Antecedens probatur, quia experimur in nobis, quòd cognoscimus actu vniuersale: experimur enim quòd cognoscimus ens, vel qualitatem sub ratione aliqua communiori, quàm sit ratio primi

primi obiecti sensibilis, etiam respectu supremæ sensitiuæ. Experimur etiam quòd cognoscimus relationes consequentes naturas rerum, etiam non sensibilium, & experimur, quòd distinguimus omne genus sensibilium ab aliquo, quod non est illius generis. Experimur quòd cognoscimus relationes rationis, quæ sunt secundæ intentiones, scilicet relationem Vniuersalis, Generis, & Speciei, &c. & oppositionis, & aliarum intentionū Logicalium. Experimur quòd cognoscimus actum illum, quo cognoscimus ista, & illud, secundùm quod inest nobis ille actus, quod est per actum reflexum super actum rectum, & susceptiuum eius. Experimur, quòd assentimus complexionibus sine possibilitate contradicendi, vel errandi, vtpote primis principiis. Experimur denique quòd cognoscimus ignotum ex noto per discursum, ita quòd non possumus dissentire euidentiæ discursus, nec cognitionis illatæ; quodcunque istorum cognoscere est impossibile alicui sensitiuæ potentiæ attribuere: ergo, &c.

experientià probatur variis modis.

Si qui autem proterue neget illos actus inesse homini, non est cum eo vlteriùs disputandum, sed dicendum sibi quòd est brutum: sicut nec cum dicente, non video colorem ibi, non est disputandum, sed dicendum sibi, tu indiges sensu, quia cæcus es. Ita quodam sensu, id est, perceptione interiori, experimur istos actus in nobis, & ideò si quis istos neget, dicendum est eum non esse hominem, quia non habet illam visionem interiorem, quam alij experiuntur se habere. Assumptum, scilicet quòd nullus istorum actuum potest esse secundùm aliquam potentiam sensitiuam, probatur, quia actu vniuersale cognoscitur sub tanta indifferentia, sub quanta ipsum sic cognitum est simul dicibile: est autem simul dicibile de omnibus singularibus, in quibus saluatur: sic non cognoscit sensus. Sed de secunda est euidentius, quia nulla potentia potest cognoscere aliquid sub ratione vniuersaliori ratione sui proprij obiecti; sicut visus non cognoscit aliquid sub ratione indifferenti ad colorem, & ad sonum: ergo cognitio illa, quæ est alicuius sub ratione communiori quocunque primo obiecto, etiam supremi sensus non potest esse aliqua sensatio. 11

Sensus non cognoscit Vniuersale.

Tertium probat idem, quia nulla sensatio potest esse distinctiua primi obiecti sensibilis, id est communissimi, ab eo, quod non est tale, quia non potest esse vtriusque extremi. De relationibus consequentibus alia non sensibilia inter se, vel insensibilia ad sensibilia, patet per idem, quòd sensus non potest in illos; multò magis patet de relationibus istis, quæ dicuntur rationis, quia sensus non potest moueri ad cognoscendum aliquid, nisi quod includitur in obiecto sensibili, vt sensibili; habitudo rationis non includitur in aliquo, vt existens est: sensus autem existentis est, vt existens est, vt per hoc posset probari primum etiam de actu vniuersali, quia vniuersali in actu repugnat esse existens, vt existens. Aliud de reflexione super actum & potentiam, probatur per hoc, quia quantum non est reflexiuum super se. Alia duo de compositione, & assentire compositioni, & de discurrere, & assentire euidentiæ discursus, probantur ex relatione rationis, quia illa non sunt sine relatione rationis.

Sensus non cognoscit ens rationis.

Sensus est tãtum existentis quà tale.

Vniuersali repugnat esse existẽs.

COMMENTARIVS.

4 ALiter probatur Antecedens, &c. Est alia probatio D. Thomæ: quia aliqua cognitio immaterialis est in nobis; nulla autem sensitiua est immaterialis: ergo, &c.

Respondet Doctor, dictionem illam *immaterialis* esse frequentem ex vsu Philosophi in materia cognitionis, & esse ambiguam: Primò, vt opponitur principio operanti per organum, & sic propositio præmissa facit in paragrapho antecedenti, quia dicitur in nobis esse cognitio non organica formaliter. Secundò modo dicitur *immateriale* id quod non est extensum. Tertiò dicitur *immaterialis*, vt comparatur ad obiectum, quatenus illud percipit sub ratione abstrahente à conditionibus materialibus, seu indiuidualibus, vt est *hic & nunc*, & cæteræ conditiones, quæ sequuntur ad indiuiduum. Dicit quòd immaterialitas excludens extensionem, seu secundo modo sumpta faceret ad institutum, si probaretur; cuius probatio desumi tantùm potest ex condi-

Immateriale variis modis accipitur.
Vt opponitur organo.
Vt extensioni opponitur.
Vt abstrahit à conditione indiuiduante.

tione obiecti, quod respicit ille actus cognitionis immaterialis; vel ex reflexione potentiæ super eodem actu; quod nequit competere extensæ, & quantæ, quæ nequit reflectere. Ideo Doctor probat illam propositionem D. Thomæ, tam ex conditione obiecti, quàm reflexionis. Ex parte obiecti; quia experimur in nobis cognitionem, quâ cognoscimus ens, & qualitatem sub communiori ratione, quàm sit obiectum sensus vllius. Deinde, quia experimur etiam nos cognoscere per reflexionem eundem illum actum: v.g. quo cognoscimus entia rationis, & Logicalia, & huiusmodi non sensibilia. Idem probat ex assensu primorum principiorum, conclusionum scientificarum, & euidentiæ discursus, cui nequit intellectus dissentiri; qui actus nequeunt conuenire vlli potentiæ sensitiuæ; *& qui negaret*, inquit, *has experientias, esset repellendus tanquam insensatus, aut irrationabilis.*

Intellectio est immaterialis vt excludit extensionem.
Probatur ex obiecto, & reflexione.
Potentia organica nequit reflectere.

Pergit vlteriùs probare quòd illi actus, quos experimur, non insint secundùm aliquam potentiam sensitiuam. Probatio eius reducitur ad tres propositiones. Prima est, quòd Vniuersale, quà Vniuersale, 5

Obiectum intellectus est latiùs patens, quàm sensibile. Vniuersale, cognoscitur sub illa indifferentia, sub qua natum est prædicari indifferenter de omnibus suis inferioribus, seu indiuiduis; sub qua ratione non potest cognosci à sensu.

Explicatur Doctor. Contra hanc propositionem non facit quòd aliàs asserit singularitatem non cadere sub obiecto sensus, vt *in dist.* 3. vbi per varias quæstiones agit de principio indiuiduationis, & potissimùm *quæst.6.* qua agit de indiuiduo per se; hîc autem agit de indiuiduo secundùm conditiones *Sensus fertur in indiuiduum accidentale.* materiales existentiæ loci, & temporis, à quibus non abstrahit cognitio sensitiua; quia, vt hîc dicit, sensus est existentis, quà existens est, ideò licèt non feratur in indiuiduum sub ratione indiuidualitatis, ita vt ipsam discernere posset ab alia eiusdem naturæ: tamen fertur sub ratione existendi hîc & nunc, sine quibus non esset natum obiectum mouere, aut terminare actum sensitiuæ, neque natura obiecti sensibilis, vt illas conditiones includit, est indifferens, vt dicatur indifferenter per modum vniuersalis de quolibet singulari, quod est, & quod non est, cognitio autem intellectualis vniuersalis circa obiectum sensibile est, vel potest esse de ipso, vt abstrahit ab illis conditionibus, & vt potest de singulis inferioribus prædicari indifferenter.

Secunda propositio est, quòd nulla potentia 6 sensitiua potest fieri in obiectum suum sub aliqua *Sensitiua non excedit primam rationem sui obiecti.* ratione vniuersaliori, quàm sit prima ratio sui obiecti: v.g. visus nequit cognoscere obiectum sub ratione indifferẽti ad coloratum, & auditum.

Responsio. Et si instes quòd phantasia posset sic ferri, aut sensus communis.

Impugnatur. Contra est, quòd nequeat ferri sub vniuersaliori ratione, quàm sit sensibile in genere: non sic intellectus, vt exemplis probat, & hanc rationem dicit esse magis euidentem quàm sit prior ratio.

Tertia propositio est: quòd nulla sensatio possit esse distinctiua sui primi obiecti ab alio, quod non est tale: quia neque esse vtriúsque extremi, cùm nequeat ferri extra suum obiectum primum. Deinceps applicat exempla data, in quibus ostenditur in nobis esse cognitio intellectiua, quæ transcendit obiecta sensibilia, & probat etiam esse in nobis reflexionem supra actum, qua ipsum actum per modum obiecti cognoscimus.

SCHOLIVM.

Probat illam consequentiam positam num.6. Homo formaliter intelligit: ergo anima intellectiua est eius forma, quia intellectio non potest recipi in parte organica, nec in toto, alioquin esset extensa: ergo habet subiectum inextensum, scilicet animam, quæ necessariò erit forma hominis, quia non materia eius. Probat etiam ex libera operatione voluntatis eandem consequentiam.

12 o CONsequentia primi enthymematis probatur sic. Si talis actus est in nobis formaliter, cùm non sit substantia nostra, quia quandoque inest, quandoque non inest: ergo oportet dare sibi aliquod receptiuum proprium; non autem aliquod extensum, siue sit pars organica, siue totum compositum, quia tunc ista esset extensa, nec posset esse talis, qualis dicta est, circa obiecta qualia dicta sunt: ergo oportet quòd insit secundùm aliquid inextensum; & quòd illud sit formaliter in nobis: illud non potest esse nisi anima intellectiua: quia quæcumque alia forma est extensa. Vel aliter potest probari ista consequentia, eundo ad conditiones obiecti illius actus, quia quælibet forma inferior intellectiua, si habet operationem, habet præcisè respectu obiecti sub rationibus oppositis istis rationibus dictis: ergo si habemus operationem circa obiectum sub istis rationibus, illud non inerit nobis secundùm aliquam formam aliam ab intellectiua: ergo inest nobis secundùm intellectiuam: ergo intellectiua formaliter inest nobis; alioquin aliter non essemus formaliter operantes secundùm illam operationem.

Hominem esse liberũ, fide, & ratione constat. Ex secunda operatione humana, scilicet voluntate, potest probari idem: quia homo est dominus suorum actuum, ita quòd in potestate eius est determinare se ad hoc, vel oppositum, sicut dictum est *dist.*25.2.*quæst.*1. & etiam non tantùm ex fide, sed etiam per rationem naturalem; illa autem indeterminatio non potest poni in aliquo appetitu organico, vel extenso, quia quilibet appetitus organicus, vel materialis, determinatur ad certum genus appetibilium sibi conueniens, ita quòd illud apprehensum non potest non conuenire, nec appetitus non approbare: ergo voluntas, qua sic indeterminatè volumus, est appetitus non alicuius talis formæ, scilicet materialis, & per consequens est alicuius excedentis omnem talem; huiusmodi ponimus intellectiuam: & tunc si appetitus ille sit formaliter in nobis, quia & appetere, sequitur quòd forma illa sit forma nostra.

COMMENTARIVS.

7 o *COnsequentia primi Enthymematis probatur sic*, &c. Enthymema habetur §. *De secundo ad propositum*, &c: cuius antecedens hactenus probauit; nempe quòd *intellectio sit propria operatio hominis*, consequens enthymematis est: *ergo est à propria forma hominis*, quam hîc probat. *Intellectionẽ esse in nobis formaliter, & esse propriam.* Intellectio est in nobis formaliter: non per modum

modum formæ substantialis: quia aliquando est, aliquando non inest: ergo per modum accidentis, & consequenter habet suum receptiuum proprium: sed illud non est aliquid extensum, siue vt pars organica, siue vt totum compositum; quia sic intellectio esset extensa, & consequenter non esset taliter, aut talium obiectorum, de quibus est, vt probatur in præmissis: ergo eius subiectum est aliquid inextensum: illud verò est anima rationalis sola: ergo &c. Format secundò eandem probationem ex natura obiecti intelligibilis, & non sensibilis; & ratio est clara ex textu.

Probatio.

Secundò probat eandem consequentiam ex libertate voluntatis, quæ etiam lumine naturali est nota euidenter, & non solùm per fidem. Hæc libertas nequit inesse per appetitum organicum, quia hic tantùm fertur in aliquod materiale, & sensibile, & ducitur necessariò non potens non approbare delectabile sensibile, & materiale: & consequenter appetitus rationalis excedit quantùm ad obiectum, & modum operandi, totum genus appetitus sensibilis, & materialis: ergo sicut appetitus liber est in nobis formaliter, ita etiam forma, in qua est formaliter, est in nobis & illa est anima intellectiua. Hæc ratio deducitur ex modo operandi, & abstractione obiecti, & probat appetitum esse immaterialem, & formam, à qua procedit. Hæ sunt rationes potissimæ, quibus probatur propositio prima viâ naturali, & eas existimat Doctor demonstratiuas: Fusiùs autem deduci possunt singulæ adductis responsionibus tam Auerrois, quàm aliorum, qui negarunt animam esse immaterialem, easque impugnando; sed quia non est propositi hanc quæstionem hîc prosequi, ideò per compendium eas percurrimus, & veritatem contrariam supponimus ex dogmate fidei; quòd fusè alij in hac materia prosequuntur proprio loco.

Secunda ratio ex libertate.

Animam esse propriã formã hominis.

SCHOLIVM.

Secunda propositio est animam rationalem esse immortalem. Pro hac naturaliter demonstranda adducit Doctor multa loca Philosophi; quorum aliqua habet Richard. 2.dist.19.art.1.quæst.1. & rationes D.Thom.1.p.q.75.art.6. sed ad oppositum affert duo loca Philosophi.

P DE secunda propositione principali, quæ est, quòd anima intellectiua est immortalis, proceditur sicut de prima. Primò adducendo auctoritates Philosophorum, qui hoc senserunt. Aristot. 2. *de Anima*, dicit quòd *intellectus separatur à cæteris, sicut perpetuum à corruptibili.* Si dicatur, separatur quantum ad operationem. Contrà, ex hoc sequitur propositum, quia si potest separari secundùm operationem, & secundùm *esse*, secundùm ipsum. 1. *de Anima.* Prætereà 3. *de Anima* ponitur differentia inter sensum, & intellectum, quia *excellens sensibile corrumpit sensum*, & propter hoc posteà minùs sentit minus sensibile: non sic est de intellectu, imò postquàm intellexerit summa intelligibilia, magis intelligit inferiora: ergo intellectus non debilitatur in operando: & tunc vltra sequitur, quòd sit incorruptibilis in essendo. Prætereà 12. Metaph. cap. 1. *Mouentes causæ velut priùs existentes, quæ autem vt ratio, id est, forma simul* (supple sunt) *cum causato, vt toto: quando enim sanatur homo, tunc & sanitas est. Si autem posterius aliquid manet, perscrutandum est. In quibusdam enim nihil prohibet, vt si anima est tale, non omnis, sed intellectus:* ergo vult dicere quòd intellectus est forma manens post compositum, sed non ante. Prætereà 16. *de Animalibus*, relinquitur solum intellectum deforis aduenire: ergo non accipit *esse* per generationem, sed à causa extrinseca: nec per consequens potest accipere *non esse* per corruptionem, nec per aliquam causam corruptiuam: quia eius *esse* non subest alicui tali causæ, cùm sit à causa superiori immediatè. 13

Rich. lib. 2. disp. 19. ar. 1. quæst. 1. Text. 21. Text. 12. Text. 7. Text. com. 16. Text. com. 27. Cap. 4. In not. t. 2. 2. de generatione animaliũ. c. 3.

Prætereà ex dictis Philosophi formantur aliquæ rationes. Est enim vnum principium apud eum, quòd naturale desiderium non est frustrà: nunc autem in anima est naturale desiderium ad semper esse. Prætereà 7. *Metaph.* vult quòd *materia est, qua res potest esse, & non esse:* ergo illud quod non habet materiam, non habet talem potentiam non essendi; intellectiua non habet materiam secundùm eum, quia est forma simplex. Prætereà 3. *Ethicor.* vult quòd fortis debet se exponere morti pro republica, & 9. *Ethic.* vult idem: & secundùm iudicium rationis naturalis: ergo secundùm rationem naturalem potest cognosci immortalitas animæ. Probatio illius consequentiæ, quia nullus propter quodcunque bonum virtutis, vel in se, vel in alio, vel communitatis debet, vel potest appetere omnino *non esse* suum: quia secundùm August. 3. de lib. arbitr. *non esse non potest appeti:* nunc autem si anima non esset immortalis, moriens acciperet *non esse* totaliter. 14

Text. 22. Cap. 11. Cap. 9.

Prætereà, arguit vnus Doctor ex verbis Philosophi sic; quod corrumpitur, aut corrumpitur per contrarium, aut per defectum alicuius necessariò requisiti ad *esse* eius; sed anima intellectiua non habet contrarium, nec *esse* corporis est simpliciter

D. Thom. 1. p. q. 75. art. 6.

necessarium ad eius *esse*, quia habet proprium *esse* per se, & idem in corpore & extra corpus; nec est differentia, nisi quòd in corpore communicat illud corpori, extra corpus non communicat.

Præterea, simplex non potest separari à seipso: anima est simplex: ergo non potest separari à seipsa, nec per consequens separari à suo *esse*, quia non per aliam formam à se habet *esse*. Secus est de composito, quod habet *esse* per formam, quæ forma potest separari à materia, & ita *esse* compositi destrui.

15 Text.c.60. Sed oppositum videtur Philosophus sensisse. quia *in fine. 7. Metaph.* ex intentione vult quòd omnes partes, quæ possunt manere separatæ à toto, sunt elementa, id est, partes materiales, sicut ipse accipit elementa: & præter tales necesse est ponere in toto aliquam formam, quæ totum est illud quod est, quæ non posset manere separata à parte materiali, toto non manente: ergo si concessit animam intellectiuam esse formam hominis, sicut patet ex probatione præcedente, non ponit eam manere separatam à materia, toto non manente.

Text.102. & 126. & inde. Text. 60. Præterea, principium videtur apud eum, *Quod incipit esse, desinit esse.* Vnde 1. *de Cælo* contra Platonem videtur habere pro incompossibili, quòd aliquid inceperit, & sit perpetuum incorruptibile, & 3 Physic. cap. de Infinito: *Cuius est principium, eius finis est.*

COMMENTARIVS.

9 De anima immortalitate. p DE *secunda propositione*, &c. Aggreditur secundam propositionem, nempe an immortalitas animæ sit demonstrabilis? Adducit varias auctoritates pro hac, quas D. Thomas, & Richardus citant ex Philosopho, quæ auctoritates etsi monstrent Philosophum docuisse immortalitatem animæ, non faciunt demonstrationem: potissima autem ratio demonstrandi sumitur ex eo, quòd anima sit immortalis, vt in Eius probatio duplex. prioribus demonstratum est. Ex hoc sequitur, quòd sit incorruptibilis, independens à materia, sicut in operatione, sic etiam in *esse*, quòd sit simplex, quòd sit incorruptibilis per se, & per accidens. Alia demonstratio sumitur ex diuina prouidentia quoad retributionem iustitiæ post hanc vitam respectiuè ad opera bona, & mala, quæ non retribuuntur in hac vita: ergo vt fiat retributio, debet anima post hanc vitam manere ex diuina prouidentia.

Obiicit Doctor Philosophum 7. *Met. text. com.* 60. vbi contendit solas partes materiales manere post totum, formam autem non manere: anima autem est forma hominis: ergo. Deinde, 1. *de cælo t. com.* 102. 106. & 3. *Physicorum. cap. de Infinito* docet, quod incipit, & habet principium, etiam desinere.

SCHOLIVM.

Putat Doctor auctoritates, & rationes allatas non demonstrare immortalitatem animæ; & ad auctoritates dicit primò Aristotelem nunc vni parti, nunc alteri fauisse pro commoditate materiæ, de qua agebat; & sic fuisse dubium in hoc. Secundò ait, esto assertiuè tenuisset immortalitatem, omnia dicta eius non esse necessaria, sed multa tantùm probabilia: quod ex ipso ostendit. Tertiò, respondet ad omnes auctoritates adductas num. 13. *&* 14. *per ordinem explicando varia axiomata, per optimam & subtilem doctrinam. Refutat etiam duas rationes D.Thom. ad propositum allatas. n.* 14.

16 q POtest dici, quòd licèt ad illam secundam propositionem probandam sint rationes probabiles: non tamen demonstratiuæ, imò nec necessariæ. Et quod adducitur pro ea secundùm primam viam de auctoritatibus Philosophorum, dupliciter potest solui. Vno modo, quia dubium est quid Philosophus circa hoc sensit. Variè enim loquitur in diuersis locis, & habuit diuersa principia, ex quorum aliquibus videtur sequi vnum oppositum, ex aliis aliud. Vnde probabile est, quòd in illa conclusione semper fuerit dubius, & nunc magis accederet ad vnam partem, nunc ad aliam, iuxta hoc quod tractabat materiam consonam vni parti magis quàm alteri.

Idem dicit Hen. vbi supr. Arist. videtur dubius de anima immortalitate.

Est & alia responsio realior, quia non omnia dicta à Philosophis etiam assertiuè, erant ab eis probata per necessariam rationem naturalem: sed frequenter non habebant nisi quasdam probabiles persuasiones, vel vulgarem opinionem præcedentium Philosophorum. Vnde dicit Philosophus. 2. *de Cæl. & Mun.* (in cap. de duab. quæst. difficilibus loquitur) *tentandum dicere, quod videtur dignum, reputantes promptitudinem magis imputari verecundiæ, quàm audaciæ, si quis propter Philosophiam stare, & paruas sufficientias diligit, de quibus maximas habemus dubitationes.* Vnde paruæ semper sufficientiæ suffecerunt Philosophis, vbi non poterant ad maiora peruenire, ne contradicerent principiis

Non omnia dicta à Philosophis sũt necessaria sed aliqua tãtùm probabilia. Text 60.

cipiis Philosophiæ. Et *in eod.cap.de aliis astris dicunt Ægyptij; & Babylonij, à quibus multas credulitates habemus de vnoquoque astrorum.* Vnde quandoque Philosophi acquiescunt propter suas persuasiones probabiles, quandoque propter assertiones suorum principiorum præter rationem necessariam. Et illa responsio sufficeret ad omnes auctoritates, licèt essent expressæ, quòd non concludunt propositum. *Text.60. ad fin.*

17 Tamen responderi potest per ordinem, primò, quòd non intelligit illam separationem, nisi præcisè in hoc, scilicet quòd intellectus non vtitur corpore in operando, & per hoc est incorruptibilis in operando, loquendo de illa corruptione, qua virtus organica corrumpitur propter corruptionem organi: & illa sola corruptio competit potentiæ organicæ secundùm Philosophum 1.*de Anima.* Si senex acciperet oculum iuuenis, videret vtique sicut iuuenis: ergo ipsa potentia visiua non est debilitata, vel corrupta quantùm ad operationem, sed quantùm ad organum tantùm: nec tamen ex illa incorruptione intellectus, quia scilicet non habet organum, per cuius corruptionem possit corrumpi in operando, sequitur quòd sit simpliciter incorruptibilis in operando, quia tunc sequeretur quòd in essendo; sicut tunc argutum est: sed tantùm sequitur quòd non est corruptibilis in operando illo modo, quo potentia organica: tamen poneretur simpliciter corruptibilis; iuxta illud primò de Anima, *Intellectus corrumpitur in nobis quodam interiori corrupto*: & hoc pro tanto, quia poneretur principium ipsi toti composito operandi operationem propriam eius; sed compositum est corruptibile: ergo & principium operatiuum eius. Quòd autem sit principium operandi toti, & operatio eius sit operatio totius, videtur Aristoteles dicere 1.*de Anima.* *Soluit loca Arist. pro immortalitate animæ. Text.65. Text. com. 66. Text.64.*

18 Ad aliud dico, quòd excellens sensibile corrumpit sensum per accidens: quia corrumpit organum, quia soluit illam mediam proportionem, in qua consistit bona dispositio organi, & per oppositum intellectus, quia non habet organum; non corrumpitur ab excellenti obiecto: sed ex hoc non sequitur, quòd sit incorruptibile, nisi probetur quòd non dependeat in essendo à toto, quod est corruptibile. *Excellent sẽsibile corrumpit sensum.*

Ad illud *de 12.Metaph.* dicitur quòd Aristoteles ponit illud sub dubio, & dicit *forsan*: sed non dicit *forsan* ad istud, quòd intellectus manet posterius, id est, post totum, sed non omnis anima, sed intellectus: & sequitur, *Omnem namque fortassis impossibile est:* vbi dubitat, an possibile sit omnem animam manere post compositum: si ergo expresè asserat; potest dici quòd tamen non fuit per rationem necessariam demonstratum, sed per rationes probabiles persuasum. *Vide Henriq.vbi sup.*

19 Ad aliud, valdè dubium est, quid ipse senserit de inceptione animæ intellectiuæ, si enim non ponit Deum aliquid immediatè de nouo agere, sed tantummodò motu sempiterno mouere cælum, & hoc vt agens remotum, à quo agente separato poneret ipse intellectiuam de nouo produci? Si enim dicas, quòd ab aliqua Intelligentia; duplex est inconueniens: vnum quia illa non potest creare substantiam, 1.*dist.* huius quarti. Aliud, quia illa non potest magis aliquid nouum producere immediatè, quàm Deus secundùm principia Philosophi de immutabilitate agentis, & de sempiternitate in agendo. Nec potest ipse, vt videtur, secundùm principia sua ponere intellectiuam esse terminum agentis naturalis: quia vt videtur *ex 12.Metaph.* ponit eam incorruptibilem, & nulla forma, quæ est terminus agentis naturalis, est simpliciter incorruptibilis. *Text. com. 17.*

Potest dici, quòd ponit eam immediatè accipere *esse*, & nouũ *esse* à Deo; quia quòd accipiat *esse*, satis sequitur ex principiis eius, cùm non ponat eam perpetuò præcessisse sine corpore, nec priùs in alio corpore: & non est probabile secundùm rationem, à quo possit recipere totale *esse* nullo præsupposito, nisi à Deo: ergo concederet creationem. Non sequitur, quia non dixit esse aliam productionem compositi, & animæ intellectiuæ, sicut nec in igne, & forma ignis: sed illam animationem corporis organici ponit esse productionem per accidens ipsius animæ. *Arist. admittendo animam à Deo de nouo produci, nõ ideò daret creari.*

20 Nos autem ponimus duas productiones; vnam de *non esse* animæ ad *esse* eius, & illa est creatio: aliam à non animatione corporis ad animationem eius, & illa est productio corporis animati, & per mutationem propriè dictam. Qui igitur poneret tantùm secundam, scilicet animationem, nullam creationem poneret, & ita Aristoteles.

Sed licèt vites creationem, secundùm eum, quomodo potest agens immutabile aliquid nouum producere? Respondeo, nullo modo, nisi propter nouitatem passi receptiui: quod enim effectus totaliter, & præcisè dependens à causa actiua, esset *Quomodò saluares Arist. agẽt*

immutabile aliquid de nouo producere? nouus, reduceretur secundùm Aristotelem in aliquam variationem ipsius causæ efficientis: sed quòd effectus dependens ab agente, & passo receptiuo sit nouus, potest reduci in nouitatem ipsius passi, sine nouitate agentis: & ita diceretur hîc quòd Deus necessitate naturali, transmutat corpus organicum ad animationem, quàm citò corpus est susceptiuum istius animationis: & à causis naturalibus fit aliquando de nouo istud susceptiuum, & tunc noua est mutatio ad animationem ab ipso Deo.

21 *Deus secundùm Arist. agit semper in passum eodem modo se habens.* Sed quare reducenda est illa nouitas immediatè in Deum, sicut in causam agentem? Respondeo, sicut quia est primum agens, ideò secundùm Aristotelem est semper agens aliqua actione in passum semper eodem modo se habens: ita si aliquod passum potest esse nouum, & susceptiuum alicuius formæ, quæ non potest subesse causalitati alicuius causæ secundæ; Deus est immediata causa illius: & tamen de nouo, quia omni potentiæ passiuæ in ente oportet ponere aliam actiuam correspondentem: & ita si passiuæ nouæ non correspondet alia actiua creata, correspondebit sibi immediatè diuina.

Ad aliud de desiderio naturali respondebitur, respondendo ad rationes principales, quia prima ratio principalis, secunda, & tertia procedunt ex hoc. Ad aliud *de 7. Metaphysicæ*, vera est illa descriptio materiæ: non tamen intelligenda est ita, quòd materia est, qua res tantùm, cuius ipsa est pars, potest esse, & non esse: sed res, siue cuius ipsa est pars, siue quæ recipitur in ipsa: alioquin forma ignis non posset non esse, quia materia non est pars formæ ignis. (Materia est quâ res potest esse, & non esse. *Explicatur.*)

Ad aliud de forti fit magna altercatio, an secundùm rectam rationem debet se sic exponere morti. Tamen potest dici sicut Philosophus respondet *in 9.* quòd maximum bonum tribuit sibi in exercendo illum magnum actum virtutis: & hoc bono priuaret se, imò vitiosè viueret, si illo actu tunc prætermisso, saluaret suum *esse* per quantumcunque *esse*: melius est autem simpliciter maximum bonum, & momentaneum, quàm remissum bonum virtutis, vel vita vitiosa per magnum tempus. Vnde ex illo probatur euidenter, quòd bonum commune secundùm rectam rationem est magis diligendum quàm bonum proprium: quia totum bonum proprium debet homo exponere destructioni simpliciter, etiamsi nesciat animam immortalem, propter saluationem boni communis, & illud magis diligitur simpliciter, propter cuius salutem *esse* alterius contemnitur, vel negligitur. (22 *Fortis iuxta rectam rationē pro bono communi exponit se morti.* *Cap. 9.*)

23 *Refutat rationes D. Thom. positas n. 14.* Ad rationes illas Doctorum. Ad primam, si intelligat animam habere per se *esse* idem in toto, & extra totum, prout *per se esse* distinguitur contra *inesse* accidentis; hoc modo forma ignis, si esset sine materia, haberet per se *esse*: & tunc posset concludi quòd forma ignis esset incorruptibilis. Si autem intelligitur de *esse* per se, quod conuenit composito in genere substantiæ: sic est falsum, quòd anima sine corpore habet per se *esse*: quia tunc *esse* eius non esset communicabile alteri, quia in Diuinis etiam per se *esse* illo modo acceptum est incommunicabile. Vnde isto modo deficit consequentia, anima habet *esse* sine corpore: ergo non indiget corpore: quia in secundo intellectu antecedens falsum est: in primo consequentia non valet, nisi addatur ibi, quòd naturaliter siue sine miraculo habet per se *esse* primo modo: sed hæc propositio credita est, & non per rationem naturalem nota.

D. Bonau. 2. d. 2. ar. 1. q. 3. de quo Scot. 2. d. 2. quæst. 1. Ad aliud, non omnis corruptio est per separationem alterius ab altero; accipiendo enim *esse* Angeli, si illud ponatur secundùm aliquos aliud ab essentia, illud non est separabile à seipso: & tamen est destructibile per successionem oppositi ad ipsum *esse*.

COMMENTARIVS.

10 *Rationes illæ an sint necessariæ.* q POtest dici, &c. Docet ad secundam propositionem multas esse rationes probabiles, non tamen necessarias. Circa hanc conclusionem Doctoris est potissima concertatio, nam D. Thomas, & plures post eum docent contrarium, nempe illam probationem esse necessariam, & demonstratiuam: quâ in re iudicauerim non fauendum esse Atheistis, neque inter Theologos, qui veritatem fidei sustinent, fouendam esse controuersiam, sed reducendam ad sensum idoneum; ideò aliqui docent rationes naturales esse demonstratiuas respectu intellectus benè dispositi, (*Esse necessarias respectu intellectus.*) non autem respectu proterui; neque existimo Doctorem repugnare; quia vt patet *ex §. De secundo ad propositum*, versu, *Sed tentandum est probare antecedens per rationem contra proteruum si neget*, &c. Videtur de hoc genere demonstrationis agere. Loquitur prætereà Doctor de demonstratione euidenti, quæ Philosophum conuinceret, ex gradu certitudinis, quæ deduci posset ex principiis ab eo admissis, tanquam certis, & demonstratis; quo sensu negat præmissam rationem demonstrare; cuius præmissas alia principia, quibus ipse Philosophus magis inhæsit, & certiùs destruunt, qualia sunt illa, quibus mundum esse ab æterno docuit, Deum agere necessariò ad extrà, neque posse producere effectum (*benè dispositi.* *Explicatur Doctor.* *Illæ rationes non cōuincerent Philosophum ex propriis.*)

Principia ex quibus repugnaret veritati. ctum sine concursu causarum inferiorum hîc, & nunc; propter ordinem essentialem causarum in causando. Ex nihilo nihil fieri; quod incipit, habere finem; formam non manere corrupto toto; causam efficientem præcedere suum effectum, & formam ex eo incipere 12. *Met. cap.3. t. com.* 16. posuit etiam felicitatem hominis in hac vita tantùm, vt colligere licet ex variis eius locis vt 1. *Ethic. cap.*16. 3. *Ethic. cap.*6. 12. *Met. t. com.*39. Quam quæstionem indecisam in superioribus reliquit *eodem libro*, & 1. *de Anima*; his ergo principiis adhærens, quæ magis ex instituto secutus est, non admitteret rationem illam ex operatione animæ desumptam, esse demonstratiuam, & conuincentem; quòd tantùm intendit Doctor in proposito. *Scopus Doctoris.*

11 *Aristotelem docuisse immortalitatem animæ plures asserunt.* Accedit quòd plures Patres, & Philosophi, & Theologi doceant eum fuisse in errore opposito, vel certè ambiguum. Iustinus martyr *in oratione ad Gentes* ei tribuit illum errorem. Nazianz. *in disp. contra Eunomium.* Origenes *lib.*6. *Philosophomeno.* Nemesius *lib. de natura hominis cap.*2. Theodoretus *lib.*5. *curat. græc.* Gazæus *in dialog. de immortal. animæ prope initium in Theophrasto Platonico.* Atticus Plotinus, Porphyrius *apud Eusebium lib.*13. *de præparatione Euangelij cap.*8. 9.10. & 11. idque docuisse in Platonis inuidiam, vel obscurasse veritatem, & in dubium reuocasse. Alexander etiam Aphrodisius *lib.*3. *de anima*, eum ita docuisse exponit; & sequitur Caiet. *lib.*3. *de anima.* Pomponatius *de immortalitate animæ.* Dubium fuisse noster Doctor hîc asserit; ita etiam Heruæus, Iandunus, Niphus. Prætereà videtur pluribus in locis magis loqui ex sententia aliorum, vt Platonis, Trismegisti, & Pythagoræ, vbicunque differit oppositum, quàm ostensiuè discurrere ab probationem. Accedit tertiò, quòd licèt alij discipuli, & Commentatores eius defendant ex mente eius immortalitatem, & sequantur, vt Themistius, Philoponus, Commentator, Simplicius, eò tamen sententiam deducunt, vt planè euertant & veritatem principij, & vsum eius ad demonstrationem, asserentes animam assistentem esse corpori non informantem, vt dicit ipse Aristoteles, sicut nauta in naui, *lib.*2. *de anima t.com.*11. Ita Auerroës 3. *de anima text.*5. Themistius *lib.* 2. *t. com.*17. Simplicius *de anima lib.*1. *t.com.*17. Philoponus *t.*11.

12 Ex his ergo colligitur obscuritas huius quæstionis in schola Peripatetica ante illustrationem fidei, & prout ex propriis placitis tam Magistri, quàm ipsorum differebatur. Plato etiam *in Alcibiade* & eius sectatores, vt exponit D. Thomas *lib.*2. *contra Gentes, cap.*57. & Theophrastus *in dialogo Gazæi*, negabat animam rationalem vniri corpori per modum formæ informantis, sed contactu virtutis assistentis sicut motricis, vt est nauta in naui, & corpus esse indumentum animæ asserebat; non materiam; quia non capiebat seruando principia de generatione, & corruptione formarum aliarum in materia, quomodo substantia intellectualis possit inesse materiæ sine dependentia in *esse*, & operatione; & consequenter quomodo extra materiam posset manere destructo toto; quibus principiis inhærens Auerroës, & alij citati ponebant intellectum separatum, & assistentem, quin etiam Aphrodisius ex iisdem principiis admittebat animam mortalem, constituitque virtutem intellectiuam in nobis commixtionem elementorum; *Errores aliorum.* qua homo redderetur capax impressionis recipiendæ ab intellectu agente, qui semper est in actu; & hunc constituebat substantiam separatam, & assistentem. Hi errores eorum reducebãtur ad principia asserta de generatione, & corruptione rerum, & dependentia formæ à subiecto, vt dixi, in *esse*, & *operari*, quod existimabant conuenire non posse substantiæ intellectuali; neque ex alia parte conuenire posse formæ informanti, non dependere à subiecto, aut desinente toto manere. Vide D. Thom. *lib.*2. *Contra gentes, cap.*62. Missum facio errorem Stoicorum, & Epicuri, & Anaxagoræ, & quotquot animam mortalem faciebant, aut corpoream.

Reducendo rationem ad principia, quibus inhæserunt Philosophi Peripatetici, intelligit Doctor eam non esse demonstratiuam ad ipsos, ideóque ex principiis ipsorum soluit argumenta: vel enim negarent maiorem, quam tamen necessariam esse tenet Doctor: negarent, inquam, vt patet ex dictis cum Platone: vel certè admissa maiori, negarent animam esse immortalem, quia negarent eam creatam independenter à materia, neque separatam à toto posse manere, sicut negarent Deum posse eam producere extra materiam, & totum; sic etiam negarent conseruare posse extra concursum materiæ: nam dato quòd Deus per ipsos necessitate naturæ agat ad extrà, non concederent eum habere posse effectum aliquem nouum sine nouitate ex parte alicuius causæ inferioris; quam nouitatem hîc statuerent ex parte materiæ nunc dispositæ ad receptionem formæ in ordine ad generationem totius; & dicerent sine materia non posse eum producere, neque consequenter conseruare animam, & hac ratione negarent esse immortalem; admisso quòd esset forma corporis, & in se immaterialis quantùm ad negationem extensionis, & quantùm ad independentiam operationis à subiecto, aut organo extenso, non tamen quantùm ad dependentiam remotam à materia in suo *esse*, à qua consequenter dependeret operatio remotè, sicut anima proximè in eo sensu. 13 *Intendit Doctor non demonstrari sufficienter immortalitatem quoad Peripat.* *Principia Philosophi.* *Vnde negaret animam esse immortalem.*

Cæterum quantùm ad rem ipsam illa ratio videtur demonstratiua, & ex prioribus, nam admittendo esse substantiam spiritualem, & incorpoream, ex operatione à posteriori deuenitur ad causam à priori, ex qua probatur animam esse incorruptibilem, quia substantia spiritualis, & immaterialis nequit produci dependenter à materia, sed ex nihilo, ob excessum perfectionis suæ in essendo supra ens materiale; & supposita cognitione creationis per fidem, & omnipotentiæ diuinæ, & libertate eius in agendo, & exigentia termini ob perfectionem sui. Rectè ergo Doctor asserit hanc propositionem respectu Philosophi, vt ipse intendit, esse persuasionem, & probabilem ex principio admisso; sed non esset demonstratio Philosopho: quia licèt admiserit principium, ex quo in re ipsa hoc sequitur: tamen aliis principiis magis inhæsit, ex quibus oppositum deducitur. Vnde rectè Doctor asserit eum admisisse contradictoria implicitè, nunc tenens vnum, nunc alterum, in diuersis materiis, in quibus illud magis eum vrgeret; quod ex proposito magis defendit. Sic ergo propositio, quæ respectiuè ad Philosophum est tantùm probabilis, in se ipsa est necessaria, & respectiuè ad intellectum illustratum, qui non habet impedimentum contrarij erroris, ex quo Philosophus 14 *Esse demonstrationem in reipsa.* *Propositio est in reipsa necessaria.*

phus procedit de necessitate Dei in causando, & necessario concursu causatum inferiorum, vt materiæ ad productionem animæ, eiúsque conseruationem.

15 *Eius necessitatem videntur discipuli Aristotelis.*

Hanc autem veritatem, seu necessitatem essendi formæ spiritualis, & incorruptibilis, videntur tacitè admittere, & sensisse discipuli Aristotelis *suprà* citati, qui ideò negant animam quà intellectiua est, esse formam corporis, sed esse assistentem, & separatam, ne ex argumento ab operatione separata à materia cogerentur admittere, si produceretur à forma informante, & essentiali hominis, illam constituere incorruptibilem contra alia principia ab iis magis asserta, & superiùs insinuata. Hoc modo ergo, videtur dirimi controuersia, dicendo rationem non dari necessariam absolutè respectiuè ad quemcunque intellectum; sed tantùm illustratum, licèt ipsa ratio in se sit necessaria, quia causam veritatis eius adæquatam, quæ pendet à modo productionis animæ per creationem non cognoscit Philosophus: esse autem propositionem, & in se necessariam, & respectiuè ad intellectum illustratum, qui causam veritatis adæquatam cognoscit. Et quamuis Doctor asserat non esse demonstratiuam, aut necessariam probationem eius, intelligi potest secundùm principia naturalia, quæ tradidit Philosophus, ex quibus soluit argumenta, quæ adducuntur in oppositum, & secundùm mentem ipsius Philosophi.

16 *Alius modus interpretandi Doctorem sustinetur.*

Qui voluerit dicere Doctorem negare hanc rationem esse notam euidenter lumine naturali, sed infallibilem veritatem & necessariam eius reducere ad fidem, non desunt ei fundamenta ex litera sub fine, vbi veritatem huius necessariam refert ad reuelationem; quamuis probabilem referat ad lumen, & rationem naturalem. Deinde, ex solutione argumentorum ex principiis naturalibus obiectis, tum quia plures etiam Patres docuerunt animam ex traduce, vt sustinerent veritatem peccati originalis, & illud Apostoli: *Per vnun hominem peccatum intrauit in mundum*,&c. & quæstio ex eo fuit obscura, quòd ex vna parte non capiebant quomodo anima à Deo creata esset obnoxia peccato, quin Deus esset author eius, quod dicere nefas erat, ex alia parte non capiebant quomodo peccatum esset originarium ex sola carne,quæ non est subiectum peccati. Hæc quæstio fuit frequens ante Augustinum; & ipse eam variis in locis disserit pro vtraque parte ex Scripturis; vt *de Gen. ad literam, lib.*10. *cap.*11. *lib.*3. *de liber. arbitr.cap.*20. *epist.*7. & aliàs frequentissimè. Quin etiam post Augustinum Gregorius lib.7.epist.54. ad Secundinum: *De origine animæ inter Sanctos Patres*, inquit, *requisitio non parua versata est: sed vtrùm ipsa ab Adam descenderit, an certè singulis detur, incertum remansit, eámque in hac vita insolubilem fassi sunt quæstionem: grauis enim est quæstio, nec valet ab homine comprehendi: quia si de Adam substantia animæ cum carne nascitur, cur non etiam cum carne moritur? Si verò cum carne nascitur, cur in ea carne, quæ de Adam prolata est, obligata peccatis tenetur? &c.* Quod satis denotat quæstionis obscuritatem illustrandam fide magis, quàm ratione; neque proinde demonstrabilem esse, sed creditam, postquam Ecclesia eam declarauit.

Controuersia antiqua de origine animæ, & eius fundamentum.

Gregorius.

Obscuritas quæstionis, & incertitudo olim.

17 *August.*

Accedit testimonium Sancti Augustini *lib.*13. *de Trinitate, cap.*9. vbi præmittens non capere aliquem vitam verè beatam, nisi sit sempiterna, subiungit: *Hanc vtrùm capiat humana natura, quam tamen desiderabilem confitetur, non parua quæstio est. Sed si fides absit, quæ inest eis, quibus dedit Iesus filios Dei fieri; nulla quæstio est. Humanis quippe argumentationibus hæc inuenire conantes, vix pauci magno præditi ingenio, abundantes otio, doctrinísque subtilissimis eruditi, ad indagandam solius animæ immortalitatem peruenire potuerunt: qui tamen animæ beatam vitam non inuenerunt stabilem, id est, veram: ad miserias eam quippe vitæ huius post beatitudinem redire dixerunt; & qui eorum de hac erubuerunt sententia, & animam purgatam in sempiternam beatitudinem sine corpore collocandam putauerunt, talia de mundi retrorsus æternitate sentiunt, vt hanc de anima sententiam suam ipsi redarguant*, &c. Augustinus intendit Platonicos, de quibus in specie agit *lib.*12. *de Ciuit. cap.*19. & 20. & aliis; ad quem locum se remittit hîc quoad impugnationem factam erroris; sed perinde etiam postrema verba accommodari possunt Aristoteli, qui licèt animæ immortalitatem docuerit, aut certè insinuauerit ex anterioribus; tamen alia, quæ docuit superiùs expressa hanc sententiam redarguunt.

18 *Exponitur difficultas probationis iuxta lumen imperfectum huius status.*

Accedit spectata ratione naturali huius status, probationem illam non esse adeò claram, vt eludi non possit: quia sicut operatio animæ abstrahens à materia probat esse substantiam spiritualem incorruptibilem; ita ex opposito ratio, quæ probat animam esse formam corporis informantem, probat etiam dependere à materia, & toto in *esse*. Diceretur ergo communicare animam cum Intelligentiis, quantùm ad intellectum, & voluntatem, & consequenter quantùm ad spiritualitatem; sed non quantùm ad incorruptibilitatem, quia hoc non compatitur ratio formæ informantis, & constituentis, quæ essentialis est animæ; & ita quantum probat abstractio operationum incorruptibilitatem, tantum etiam, spectando præcisè lumen naturale, & imperfectum huius status, probat conceptus formæ dependentiam à materia, cum qua negaret impossibilem esse incorruptibilitatem. Ratio ergo desumpta ab operatione benè probat immaterialitatem, vt opponitur extensioni; sed obscuratur probatio ab immaterialitate ad incorruptibilitatem, nisi in iis, quæ non insunt materiæ, vt sunt Intelligentiæ.

Operatio probat abstractionem, sed esse formæ corruptibilitatem ex errore Philosophorum.

19 *Ex necessitate agēdi causa prima dicerent Philosophi animam in esse dependere à materia, aut toto.*

Deinde, illa ratio ex inceptione de nouo in *esse*, & vt materiæ communicatur, supposito quòd Deus necessariò ageret ad extrà, vt tenuit Philosophus, probaret animam dependere à materia saltem, & habere causam ad extrà, sine qua nequit poni à Deo, & consequenter à tali causa dependere animam in *esse*. Oporteret ergo destruere propositionem Philosophi falsam, & deinde probare creationem animæ, ad hoc vt ratione conuincente habeatur probatio necessaria. Hic autem processus debet esse ex reuelatis, maximè quoad creationem animæ, neque fortè alia ratione quidem Philosophi, vt Platonici negant vnionem animæ ad corpus, aut informationem, & dicebant animas præcessisse corpus, quàm vt saluarent immortalitatem animæ; ne ex hoc principio conuincerentur, quòd recipiat *esse* in materia, & subsit corruptioni. Vulgare etiam fuit illud, quod adducit Doctor de inceptione; ita vt quidquid haberet inceptionem sui *esse*, non posset sibi vindicare necessitatem essendi,

Argumentum Philosophorū de inceptione & desitione.

essendi, ac proinde posse desinere: quia sicut ex non necessitate essendi aliquando non fuit, ita etiam ex suo *esse* non habet ab intrinseco quòd necessariò persistat in *esse*: cui argumento occurrit Irenæus *lib.2. cap.64.* respondet tamen ex reuelatis. *Si qui, inquit, hoc in loco dicant non posse animas eas, quæ paulò antè cæperint, in multum temporis perseuerare, sed oportere eas aut innascibiles esse, vt sint immortales: vel si generationis initium acceperint, cum ipso corpore mori: discant quoniam sine initio, & sine fine verè, & semper idem, & eodem modo se habens, solus est Deus, qui est omnium Dominus; quæ autem sunt ab illo omnia, quæcunque facta sunt, & fiunt, initium quidem suum accipiunt generationis, & per hoc inferiora sunt eo qui fecit ea: quoniam non sunt ingenita: perseuerant autem, & extenduntur in longitudinem sæculorum secundùm voluntatem factoris Dei, ita vt sic initio fierent, & posteà vt sint, eis donet.* &c. Etiam Nazianzenus hanc rationem soluit, *orat.35.*

Irenæus.

Suppositis his, quæ pro vtraque parte dicta sunt, facilis est resolutio Doctoris *in hoc* §.

20 Obiicitur authoritas Philosophorum, & potissimùm Aristotelis, qui videtur concedere animam esse immortalem.

Obiectio ex Philosophorum sententia. Soluitur.

Respondet Doctor dubium esse, quid senserit in hoc, qui variè discurrit secundùm materiam oblatam, & aliquando quædam principia assumit, quæ ad hanc veritatem faciunt; aliquando alia assumit, quæ aduersantur, & hoc secundum patet ex dictis.

Dubius Aristoteles.

Respondet secundò non omnia dicta à Philosophis fuisse ab eis ostensiuè probata per rationem necessariam naturaliter notam ex terminis, aut demonstratam à priori, aut posteriori, quia frequenter differebant ex probabilibus, & ex vulgari opinione præcedentium: quod probat ex Aristotele 2. *de cælo & mundo.* Hæc responsio est communis, & vera.

Aliquando Philosophi ex probabilibus opinantur.

Respondet præstereà in specie ad locum, qui obiicitur 2. de Anima text. 21. *Intellectus separatur à cæteris, sicut perpetuum à corruptibili.* Respondet, inquam, Doctor posse intelligi de separatione operationis ad differentiam operationis sensibilis per organum, quæ à materia dependet, & particulari instrumento, & subiecto: non intelligeretur autem de separatione in *esse*, aut etiam in *operari* à toto, etsi enim esset incorruptibilis in operando ea corruptione, quæ competit organo, *ex 1. de Anima text.65.* non tamen ea corruptione, quæ est formæ, quæ dependet à materia in toto. Hæc responsio eò tendit vt ostendat ad demonstrationem requiri probari debere animam non dependere à materia in essendo, aut manere posse desinente toto.

Separatio intellectus duplex.

Ad locum *ex 12. Metaph. text.17.* qui magis expressus est, respondet (seclusa interpretatione aliorum, qui eum dubitatiuè loqui intelligunt; quæ dubitatio, inquit, ad aliud refertur, nempe si possibile est alias animas à rationali diuersas remanere) eum non inniti demonstrationi, sed rationi probabili, aut dictis aliorum.

Ad aliud de inceptione animæ dicit, incertum esse quid ipse senserit; resoluit tamen iuxta principia ipsius Philosophi de modo agendi causæ primæ, quòd diceret animam produci non ab vlla Intelligentia, aut alia causa naturali; sed à Deo immediatè in materia disposita, neque aliud esse probabile, nempe produci ab aliquo, spectando rationem naturalem, quàm ab ipso Deo. De hac consequentia doctrinæ Philosophi iam *suprà* dictum est tangendo hanc rationem. Reliquæ in litera Doctoris responsiones sunt claræ: quia veritas ex obiectis non demonstratur, sed hæret in illa, An operatio separata modo dicto inferat animam non dependere à materia, & hoc necessariò. Illa ratio, quam habet D.Thomas de subsistentia animæ, ad quam respondet Doctor §. *Ad rationes illas Doctorum*, &c. sustinetur aliter à Caietano, aliter à Ferrariensi; sed responsio Doctoris clara est, quia si intendat esse per se extra totum, id negaret Philosophus, & est quod debet probari, non supponi: si autem intelligatur de esse per se in toto, id est, de existentia animæ non dependente à materia, aut toto, hoc restat probandum alia via notiore. 21

SCHOLIVM.

Tertia propositio in hac quæstione est, quòd forma specifica hominis non manebit perpetuò extra corpus. Ponit rationes aliorum conantium hanc naturaliter probare, quas ostendit nihil conficere: imò videtur, si Philosophi posuissent animam immortalem, quòd eam posuissent perpetuò extra corpus. Explicat optimè illud axioma. Nullum violentum est perpetuum, *tunc tantùm verificari, quando violentum est contra inclinationem receptiui suæ perfectionis, non verò quando est contra inclinationem communicatiui.* 24

Vide Hen. quodlib. 2. q.3. D.Th. 1.p. qu. 79. & 104. art.1. cont. Gen. lib.4.c.79. Text 17.

r DE tertia propositione dicitur, eam probari posse per hoc, quòd pars extra totum est imperfecta; forma autem tam nobilis non remanebit perpetuò imperfecta: ergo nec separata à toto. Præstereà, *nullum violentum est perpetuum*, secundùm Philosophum. 2. *de Cæl. & Mun.* separatio autem corporis ab anima est violenta, quia contra inclinationem naturalem animæ, secundùm Philosophum: quia naturaliter inclinatur ad perficiendum corpus.

De ista autem propositione, videtur quòd Philosophus, si posuisset animam immortalem, magis posuisset perpetuò eam manere sine corpore, quàm in corpore: quia omne compositum ex contrariis est corruptibile. Nec rationes istæ probant. Prima non, nam illa maior, *Pars extra totum est imperfecta*, non est vera nisi de parte, quæ

Pars extra totum est imperfecta explicatur.

quæ recipit aliquam perfectionem in toto: anima non recipit sed communicat: & sic potest formari ratio ad oppositum, quia non repugnat alicui æquè perfecto in se manere, licèt alteri non communicet suam perfectionem: hoc apparet de causa efficiente, cui non repugnat quantumcunque manere sine effectu suo: sed anima manet æquè perfecta in *esse* suo proprio, siue coniuncta, siue separata: tamen in hoc habet differentiam, quia separata non communicat suum *esse* alteri.

25 Per hoc ad aliud, quia inclinatio naturalis duplex est, vna ad actum primum, & est imperfecti ad perfectum, & concomitatur potentiam essentialem. Alia ad actum secundum, & est perfecti ad perfectionem communicandam, & concomitatur potentiam accidentalem. De prima verum est, quòd oppositum eius est violentum, & non perpetuum: quia ponit imperfectionèm perpetuam, quam Philosophus habuit pro inconuenienti: quia ponit in vniuerso causas ablatiuas cuiuscunque imperfectionis. Sed secunda inclinatio, etsi perpetuò suspendatur, nullum violentum propriè dicitur, quia nec imperfectio: nunc autem inclinatio animæ ad corpus tantùm est secundo modo. Vel potest dici secundùm Auicennam quòd appetitus animæ satiatus est, per hoc quòd semel perfecit corpus: quia illa coniunctio est ad hoc, vt anima, mediante corpore, acquirat suas perfectiones per sensus, quas non posset acquirere sine sensibus, & per consequens sine corpore: semel autem coniuncta, acquisiuit quantum ipsa simpliciter appetit acquirere illo modo.

Nullum violentum perpetuũ explicatur.

COMMENTARIVS.

22 r DE *tertia propositione*, &c. Hæc fuit, quòd anima non possit manere semper extra totum, aut corpus. Hæc probatur ab aliis: quia pars extra totum est imperfecta, anima autem tam nobilis non manebit semper imperfecta. Secundò, quia violentum nullum est perpetuum, anima autem violentè separatur, & contra inclinationem naturalem.

Tertia propositio, eiúsque probatio. Quòd anima non maneret extra corpus.

Respondet Doctor ex mente Philosophorum, si poneret Aristoteles animam manere post corpus immortalem, posuisset eam semper in eo statu manere sine corpore, quia corpus corruptibile est ex contrariis, nil autem tale poneret Philosophus permansurum semper: nam statum renouationis corporis nostri non agnouit Philosophus, neque demonstrari potest ratione naturali, quod scitur tantùm ex creditis: neque admitteret idem corpus renouari sine iisdem causis, quas non admitteret naturali cursu renouari. Deinde etiam si admitteret animam esse immortalem, diceret statum eius separatæ esse perfectiorem, quàm statum in corpore corruptibili, quod beatitudinem eius impediret.

Anima semper maneret extra corpus iuxta Aristotelem.

Illum statum diceret perfectiorem.

Respondet ergo ad rationes, primam intelligi de parte, quæ recipit perfectionem in toto, & dependet; non autem de parte communicante perfectionem, & non recipiente, qualis esset anima, supposita eius immortalitate, si admitteretur à Philosopho. 23

Ad aliud respondet, distinguendo appetitum naturalem in eum, qui est recipiendæ perfectionis, & eum, qui est communicandæ perfectionis. Secundo modo sumptus non constituit violentum, dum separatur ab actu, & sic tantùm competeret animæ ex mente Philosophi, vt patet ex Auicenna. Has rationes admittit Doctor esse probabiles, & sunt veræ, & secundùm mentem ipsius: sed eas soluit tanquam non necessarias lumine naturali, & respectiuè ad Philosophos.

Rationes veræ non necessariæ in ordine ad Philosophos.

S C H O L I V M.

Resoluit Doctor primam propositionem, animam rationalem esse formam hominis, quodammodo à priori probari; & oppositum esse errorem pessimum Auerrois; alias verò duas non demonstrari ratione naturali. Ad secundam, scilicet animam esse immortalem, plures rationes probabiles afferri. Ad tertiam verò pauciores. In secunda propositione est magna controuersia, & communior tenet demonstrari animæ immortalitatem. Scotus tamen solidas non reperit ad id rationes, ideò negat: quem sequuntur eius discipuli. Tartaret. hîc. Bassol. quæst. 3. Ioan. Andreas, Petr. de Aquila, Faber. Theor. 48. cap. 3. & Theor. 69. item, Iandanus 3. de Anima quæst. 5. & 29. Caiet. epist. ad Rom. cap. 9. Pomponatius lib. 2. de immortalitate animæ, tenet, sed malè, eius immortalitatem esse contra lumen naturæ: & multi tenent esse sententiam Arist. Alij cum Scoto aiunt eum fuisse in hoc dubium.

26 f DIco ergo quòd illarum trium propositionum, ex quibus formatur ratio ad resurrectionem quodammodo à priori, quia sumptæ sunt à forma hominis resuscitandi. Prima est naturaliter nota, & error ei oppositus, qui proprius est, & solius Auerrois pessimus est, non tantùm contra veritatem Theologiæ, sed etiam contra veritatem Philosophiæ: destruit enim scientiam, quia omnes actus intelligendi,

di, vt distinctos ab actibus sentiendi, & omnes actus electionis, vt distinctos ab actibus appetitus sensitiui: & ita omnes virtutes, quæ non generantur sine electionibus factis secundùm rationem rectam: & per consequens talis errans esset à communitate hominum, & naturali ratione vtentium exterminandus.

Sed aliæ duæ non sunt sufficienter notæ ratione naturali, licèt ad eas sint quædam persuasiones probabiles. Ad secundam quidem plures probabiliores, vnde & illam videtur magis expresſè sensisse Philosophus. Ad tertiam autem pauciores, & per consequens conclusio sequens ex istis non est per illam viam sufficienter nota ratione naturali.

Secunda via ad eam est à posterioribus, quarum aliquæ probabiles tactæ sunt in rationibus principalibus, vtpote de beatitudine hominis. Ad hoc etiam adducitur de iustitia Dei retribuentis: nunc autem in vita ista virtuosi maiores patiuntur pœnas, quàm vitiosi. Et istud argumentum videtur Apostolus tangere. 1. Cor. 15. *Si in hac vita tantùm in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus*, &c. 27 *Var. vbi suprà, & Richard. vbi supr.*

Sed istæ rationes à posteriori minùs concludunt, quàm illæ à priori acceptæ à propria forma hominis: non enim apparet per rationem naturalem, quòd est vnus rector hominum secundùm leges iustitiæ retributiuæ, & punitiuæ. Etiam esto quòd sic diceretur quòd vnicuique in bono actu suo sit retributio sufficiens; sicut dicit Augustin. lib. 1. Confess. cap. 12. *Iussisti Domine, & ita est; vt sibi sit pœna omnis peccator:* ita quòd ipsum peccatum est pœna prima peccati. Vnde apparet quòd Sancti à posteriori arguentes ad propositum, non intendunt facere, nisi quasdam persuasiones probabiles sicut Greg. *lib. 4. Moralium in fine*; positis ad hoc quibusdam persuasionibus dicit, *Qui propter istas rationes noluerit credere, propter fidem credat.* *Ex eo quòd aliqui boni tota vita affligantur nō habetur resurrectionem esse futuram.*

Similiter doctrina Pauli *Act. 17. & 26.* & etiam *1. Cor. 15.* per exemplum de grano cadente, & per resurrectionem Christi, *Si Christus resurrexit, & mortui resurgent*, & per iustam retributionem: vel non sunt, nisi persuasiones probabiles, vel tantùm ex præmissis creditis. Patet discurrendo per singula. 28

t Breuiter ergo nec à priori, nec per rationem principij intrinseci in homine: nec à posteriori, puta per rationem alicuius operationis, vel perfectionis congruentis homini, potest probari necessariò resurrectio, innitendo lumini naturali: ergo hoc tanquam omnino certum, non tenetur nisi per fidem. Imò u nec secunda propositio in prima via, sicut dicit August. 13. *Trin. cap. 9.* tenetur per rationem, sed tantùm per Euangelium, dicente Christo: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; timete autem*, &c. *Resurrectio nec à priori, nec à posteriori, euidenter probatur.* *Matth. 10.*

x Ad argumenta. Ad primum: aut arguitur præcisè de desiderio naturali propriè dicto, & illud non est aliquis actus elicitus, sed sola inclinatio naturæ ad aliquid: & tunc planum est, quòd non potest probari desiderium naturale ad aliquid, nisi primò probetur possibilitas in natura ad illud: & per consequens è conuerso arguendo, est petitio principij: aut arguendo de desiderio naturali minùs propriè dicto, quòd, scilicet est actus elicitus, sed concorditer inclinationi naturali: tunc iterum non potest probari quòd aliquod desiderium elicitum sit naturale illo modo, nisi priùs probetur, quòd ad idem sit desiderium naturale primo modo. 29 *Ad arg. 1. Quid desiderium naturale propriè & impropriè dictum.*

Si autem arguas; illud naturaliter desideratur, quod apprehensum statim actu elicito desideratur, quia ista pronitas non videtur esse, nisi ex inclinatione naturali. Hoc vno modo negaretur primò, quia vitiosus statim inclinatur ad desiderandum secundùm habitum suum, id quod sibi offertur; sed quia natura non statim est ex se vitiosa, nec in omnibus, & quilibet statim appetit istud apprehensum; sequitur quòd illud desiderium non est vitiosum: ergo ista responsio non est generalis.

Ideò potest dici, quòd oportet apprehensionem esse secundùm rationem rectam, non erroneam; alioquin si ad apprehensionem erroneam statim omnes appetant actu elicito, non sequitur illud esse consonum inclinationi naturæ, imò magis oppositum: non est autem manifestum per rationem naturalem, quòd ratio ostendens homini semper esse tanquam appetibile, sit ratio non erronea: quia priùs oporteret ostendere quòd istud posset competere homini. 30 *Velle sēper esse, an sit desiderium naturale?*

Breuiter ergo omne medium ex desiderio naturali videtur esse inefficax: quia ad efficaciam eius oportet ostendere, vel potentiam naturalem in natura ad istud: vel quòd apprehensio, quam statim sequitur istud desiderium, si est actus elicitus, sit apprehensio recta, & non erronea: & horum primum est idem cum conclusione,

quæ

quæ concluditur ex desiderio naturali: secundum autem difficilius, vel minùs notum illa conclusione.

31 Sed ad probationem huius, quòd desiderium hominis naturale est ad immortalitatem, quia naturaliter fugit mortem, posset dici, quòd illa probatio concluderet æquè de quocunque bruto. Et si adducatur Philosophus 2. de Generatione in fine: *Melius autem in omnibus semper esse, quàm non esse*; istud est ad oppositum; tum quia æquè concluderetur in bruto sicut in homine: tum quia subdit: *Hoc autem in omnibus impossibile existere continuè, propter longè à principio distare, & ideò reliquo modo Deus compleuit naturam continuam facere generationem:* quasi dicat, cùm desiderium naturale sit ad semper esse, in quibus est, hoc impossibile in seipso est ad illud sicut est possibile, scilicet in continuatione speciei in diuersis indiuiduis: & ita conceditur de homine, sicut in alio generabili, non in vnico, sed in tali successione.

Text.55. Non infertur desiderium naturale ad immortalitatem ex eo quòd homo naturaliter vitat mortem.

Sed semper videtur stare vis, quia fugiens vnum oppositum, non fugit nisi propter amorem alterius oppositi. Concedi potest quòd ex hoc sequitur, cùm fugiat mortem pro nunc: ergo amat vitam pro nunc, & sic de quolibet *nunc* signato; sed non sequitur: ergo pro infinito.

2.Cor.5. Ad illud autem Apostoli, *nolumus expoliari*, respondeo nolumus, scilicet nos inspirati, siue certificati per fidem: & vtique nolumus naturaliter sic, quòd istud *nolle* est secundùm naturalem inclinationem: sed non est notum ratione naturali, quòd istud *nolle* sit secundùm inclinationem naturalem.

32 *Ad 2.* y Ad secundum, conceditur quòd verum est beatitudinem non solùm in vniuersali, sed etiam in speciali appeti naturaliter ab homine, sicut inferiùs patebit *dist.* 49. sed non est notum naturali ratione, quòd ipsa in particulari, quæ scilicet consistit in illo, quo nos credimus illam consistere, appetitur naturaliter ab homine: oporteret enim esse notum per rationem naturalem, quòd ille actus nobis est conueniens tanquam finis.

Beatitudo appetitur naturaliter, sed non scitur naturaliter in quo consistit.

Cùm ergo probas per Philosophum, quòd beatitudo non tantùm in generali. 1. *Eth.* sed in speciali *ex* 10. appetitur naturaliter. Respondeo, etiam illa ratio beatitudinis, quam Philosophus reputauit specialem, quæ scilicet consistit in speculatione altissimarum causarum perfectissima possibili homini, est valdè ratio vniuersalis: in speciali autem descendendo, ipse non videtur processisse vltra speculationem perfectissimam in vita ista. Vnde inquisita ista beatitudine hominis subdit: *Oportet & corpus sanum esse, & cibum, & famulatum esse: non tamen æstimandum multis, & magnis indigere, felicem*; ergo felicitas illa specialis, quam nos ponimus, (quia ponimus speculationem homini possibilem, quæ longè perfectior est quacunque possibili sibi in vita ista) non est naturaliter nota esse finis noster, nec naturaliter notum eam naturaliter appeti à nobis tanquam finem.

10. Ethic. cap.10.

10. Ethic. cap.10.

Cùm probas per rationem Augustini beatitudinem non posse esse, nisi sempiternam: dabitur illud * medium, ab illo qui tenet beatitudinem humanam posse haberi in vita ista, quòd volens amittit eam: quia debet secundùm rectam rationem velle propriam conditionem naturæ suæ: recta autem ratio ostendit isti non habenti fidem, vt videtur sibi, quòd conditio naturæ suæ est mortalitas, tam animæ, quàm corporis: & ideò debet velle, sicut vitam amittere, ita vitam beatam. Et cùm dicis, non est vita beata, quæ non erat amata ab habente; verum est, si non esset amata pro quando est possibilis, & conueniens illi amanti: sed sic esse conuenientem pro semper non est notum per rationem naturalem.

** al. membrum.*

33 *Ad 3.* z Ad aliud, conceditur quòd notum est hominem posse consequi finem suum in aliquo indiuiduo: & per consequens, beatitudinem in illo gradu, in quo notum est beatudinem esse finem hominis. Et cùm dicis hoc esse impossibile in vita ista; dicitur quòd illa impossibilitas non est nota per rationem naturalem.

Cùm adducis infortunia, infirmitatem corporis, imperfectionem virtutis, & scientiæ. Respondetur quòd hæc omnia repugnant perfectæ felicitati, qualem notum est competere Intelligentiæ: sed non qualem notum est posse competere homini.

Ad 4. a Ad quartum, diceretur quòd illa species perpetuabitur in vniuerso per continuam successionem indiuiduorum, quam poneret Philosophus per generationem, continuã, non autẽ continuabitur per vitã alicuius, vel aliquorũ in specie. Ex his apparet quantæ sint gratiæ referendæ misericordiæ Creatoris, qui nos per fidẽ certissimos reddidit in his, quæ pertinent ad finem nostrum, & ad perpetuitatem sempiternam, ad quæ ingeniosissimi, & eruditissimi, quasi nihil poterant attingere, iuxta illud, quod adductum

ductum est de August. 13. Trin. cap. 9. in princip. *Quòd vix pauci, magno præditi ingenio, vacantes otio, &c. ad indagandam solius animæ immortalitatem potuerunt peruenire:* sed si fides adsit, quæ est in eis, quibus dedit Iesus filios Dei fieri, nulla quæstio est: quia ipse suos credentes in hoc certissimos reddidit.

COMMENTARIVS.

24 § *Dico ergo quòd illarum trium propositionum*, &c. Proponit conclusionem principalem huius quæstionis: quæ est hæc, nempe, primam propositionem esse necessariã; secundam, & tertiam esse probabiles; cõclusionẽ proinde non esse demonstratã lumine naturali; patet ex præmissis.

Demonstratio à posteriori ex prouidentia & retributione. Deinde subdit rationem, quæ affertur à posteriori, tanquam necessaria, vt de beatitudine hominis (quam in responsionibus ad argumenta resoluit) & aliam ex Dei iustitia retributiua bonorum, & malorum: in hac autem vita non fit talis retributio, quia iusti in ea patiuntur; peccatores autem prosperantur: ergo debet fieri in altera, & consequenter hinc manet animas non esse mortales. Hanc rationem docet Doctor non esse demonstratiuam, nempe prout solo lumine innititur naturali, seclusa traditione, & reuelatione. *Non esse necessariam.* Quæ responsio displicet Cano, & quibusdam aliis, sed facilis est concordia: quia Doctor aliter sumit demonstrationem, aliter Canus, & alij; sumit enim Doctor demonstrationem in rigore, prout de ea egit Philosophus *in libro Posteriorum*, vt est per causam, & effectum necessaria, & præcisa; sic autem negat hanc rationem in eo gradu esse necessariam, in quo est ratio prior desumpta ab operatione ipsius animæ intellectiuæ: *Est per medium extrinsecum.* quia non est nisi per medium extrinsecum diuinæ prouidentiæ, prout alteram vitam respicit, & nota tantùm est reuelatione; ideò negat esse notam lumine naturali à priori, aut posteriori demonstratiuè esse rectorem hominum secundùm leges *Dependet à reuelatione.* iustitiæ punitiuæ, & retributiuæ; quod est principium ex quo prædicta veritas deducitur. Si ergo hoc principium non est lumine naturali notũ ex terminis, neque per aliud tale probatum, sequitur ex eo non deduci hanc veritatem certitudine illa metaphysica, de qua præcisè Doctor agit.

25 *Probatio.* Quòd autem non ita sit certum, patet; quia hæc prouidentia Dei, vt respicit finem creationis hominis, & præfigit ei terminum, & modum beatitudinis consequendæ, & media, consistit in libera eius voluntate, & supernaturali; quæ nequit cognosci aliter, quàm per reuelationem, sicut neque ipse finis constitutus aliter cognoscitur, prout reipsa, & de facto est constitutus, quia est libera Dei, & contingens determinatio, quæ potuit non esse, supposita hominis creatione. *Finis hominis reuelatione notus.* Sicut ergo finis nequit certò cognosci naturaliter, neque media ad ipsum ordinata esse opera nostra; ita etiam neque rationem operum haberi in altera vita est notum hoc modo naturaliter, sed tantùm per reuelationem.

26 *Responsio.* Dices. Debemus de Deo concipere illud, quod magis ipsi est congruum, & suæ perfectioni; hoc autem congruum est, vt exerceat retributiuam respectu operum: ergo.

Impugnatur. Contrà. Hoc nihil probat necessariò: quidquid enim Deus liberè ordinat, potest non ordinare; neque inde ex eius ordinatione accrescit ei perfectio, neque deficit ex contrario, si nihil ordinet: quamuis autem ad ostensionem suæ iustitiæ statuit retributionem, potuit non ostendisse iustitiam, sicut etiam neque creasse mundum, & nihil in hoc ei deficeret: *Prouidentia Dei libera potuit non fuisse.* sicut ergo ordinatio eius libera fuit, ita adhæret ei ex determinatione voluntatis, non ex necessitate, aut causis per se essendi; quæ voluntas nulla via cognoscitur ex natura effectus, nisi per reuelationem, quod vt communiter acceptum iam supponimus. Quidquid ergo statuerunt Philosophi circa beatitudinem alterius vitæ, & retributionem operum; ex traditione primæua, & conseruata in genere humano nouerunt, & non per demonstrationem, & ex Scriptura, & reuelatione facta aliis. Sed & errores eorum de ipsa retributione, de transmigratione animarum, de beatitudine ipsa, prout eam statuebant, manifestè commonstrant, eos hanc veritatem attingere aliter non potuisse, quàm sola fide humana, & traditione, quam suis inuentionibus obfuscârunt.

Alio modo potest considerari prædicta ratio, 27 vt communi traditione recepta in genere humano, quantùm ad substantiam, saltem in confuso, *Potest dici demonstratio moralis.* quamuis non in omnibus fuerit notitia particularis veritatis, & prout spectat ad præsentem Dei gubernationem, eam sic conseruare, tanquam instinctum aliquem, quo homines non excusarentur, & ex quo moueri possint ad inquirendam ipsam veritatem: hoc modo sumpta est quædam demonstratio moralis, & sic vsus eius est commodus, vt ex principio aliquo modo per *Eius vsus communis.* traditionem, & communi sensu admisso, procederetur ad veritatem insinuandam; & sic Patres hac ratione vtuntur ad probationem, non solùm immortalitatis animarum, sed & resurrectionis, & iudicij; supponentes scilicet, & quod sapientes sæculi, & communis sensus hominum admittebat, & Scriptura expresè, & omni tempore proponebat. Procedunt enim patres partim ex reuelatis, partim ex traditione illa communiter recepta.

Communis autem sensus in rebus obscuris, 28 in quibus alia manifestior ratio non apparet, est *Communis sensus quid efficiat probationis.* sufficiens principium assensus, vt irrationabilis & peruicax censeatur qui ab eo recedit. Non admitterent tamen Philosophi talem assensum esse demonstratiuum, sed fidei humanæ, cui tamen secundùm prudentiam debetur assensus. Vnde Aristot. lib. 2. Metaph. text. 1. *Speculatio*, inquit, *de veritate partim difficilis, partim facilis est; signum autem quòd neque satis eam aliquis consequitur, neque aberrant omnes ab ea, sed quisque aliquid de natura dicit, & singuli quid, nil aut parum ei addunt; ex omnibus verò collectis aliqua magnitudo fit*, &c. Quibus verbis difficultatem, scientiæ necessariæ habendæ demonstrat, & cognitionem humanam, vt plurimùm admixtam habere opinionem, & fidem, quæ sequenda est, deficiente alia certiore. Vt ergo tollatur controuersia, certitudo rigorosæ demonstrationis nequit tribui huic rationi, quæ est per medium tantùm extrinsecum, & ex fide diuina, aut humana nota, non verò ex causa, aut effectu: & hoc intendit Doctor; habere

habere autem efficaciam rationis moralis non negat, & quæ secundùm prudentiam, & desiderium innatum veritatis admitti debet; quia hac ratione dicit esse persuasionem, vt scilicet procedit secundùm naturale lumen fidei humanæ, & communis sensus, & opinionis; vel eam esse ex creditis, vt procedit ex reuelatione, & fide diuina. Vtroque modo vtuntur Patres hac ratione, tam vt est ex concessis ab antiquis, non solùm Philosophis, sed aliis, quàm etiam vt ex diuinis Scripturis constat. Clemens Rom. *lib.* 3. *Recognitionum.* Alexandrinus *lib.* 5. *Stromat.* frequenter Chrysost. vt *homil.* 4. *de Prouidentia, hom.* 6. *in epistolam ad Philipp.* & aliàs. Circa verò illud, quod subdit Doctor, de rationibus probandi resurrectionem futuram, quibus vtitur Paulus; videatur Ægidius Lusitanus *tom.* 3. *de Beatitudine. q.* 4. *art.* 2. § 4. & expositores Apostoli. Scopus Pauli est ostendere futuram resurrectionem, quod tantùm est creditum.

29 *Resurrectio vt futura nō probatur ratione naturali.* t *Breuiter ergo nec à priori, nec à posteriori*, &c. Dicit quòd resurrectionem futuram esse, neque à priori, neque à posteriori potest lumine naturali ostendi, sed sola fide ex reuelatione. Hanc omnes admittunt ideóque à Paulo mysterium vocatur, & reuelatio filiorum Dei: & discurrendo à ratione, facilè ostendi potest; quia licèt demonstrari, aut efficaciter probari possit possibilitas eius, non sequitur inde futuram probari certò; quia non omne possibile Deo ponitur in effectu; sed illa quæ ex lege suæ diuinæ sapientiæ, & prouidentiæ determinantur. Deinde, dato quòd aliqua retributio probari possit, & animæ immortalitas demonstratione naturali; non sequitur inde futura resurrectio; quia Philosophi illam retributionem statuerent animarum tantùm post mortem, vt Platonici, & Pythagorici, & Trismegistus; non autem reparari eundem hominem. Illa etiam retributio esset possibilis sine resurrectione in solis animabus, si Deus vellèt, prout ante resurrectionem de facto contingit.

30 *An possibilitas resurrectionis demōstrari possit? Sententia negatiua.* An autem possibilitas resurrectionis ratione naturali demonstrari possit? Respondet Sotus *in hac d. quæst. art.* 3. *conclus.* 3. Medina 3. *part. quæst.* 53. *art.* 11. negant probari posse. Ita etiam tenet in re ipsa Suarez 2. *tom. disp.* 44. *sect.* 8. asserens probationem eius quasi euidentem dari, licèt à proteruo possit refutari. Ægidius etiam Lusitanus *loco citato quæst.* 3. *art.* 5. idem docet. & certè si demonstrari posset Dei omnipotentia prout in re est, & à fidelibus creditur, & declaratur à Theologis, ego non dubitarem hanc probationem necessariam esse; destruenda tamen essent principia erronea Aristotelis de æternitate mundi, de necessitate agendi causæ primæ, de ordine essentiali causarum, quem ipse statuit, vt probatio ad conclusionem applicaretur.

31 *Immortalitas animæ nō demonstratur.* u *Imò nec secunda propositio*, &c. Secunda propositio est, quam *suprà*, & hactenus tractauit de immortalitate animæ. Dicit secundùm Augustinum hanc non teneri per rationem, supple, vt certam, sed tantùm per Euangelium, dicente Christo: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*, &c. illa particula *tantùm* non est exclusiua alterius reuelationis circa hanc veritatem, diuersæ ab ea, quæ facta est in Euangelio; sed est exclusiua rationis euidentis naturalis, vt excludit fidem reuelatam; intendit ergo certitudinem irrefragabilem huius veritatis esse ex fide; quamuis admittat eam probabiliter ratione etiam naturali probari, licèt non euidentia rigorosæ demonstrationis, & quæ admitteretur à Philosopho. Veritas fidei patet *Gen.* 2. *Sapient.* 3. 4. & 5. *Eccles. vlt. Matth.* 10. *Luc.* 16. 23. & vniuersim ex omnibus locis, ex quibus habetur resurrectio mortuorum, retributio operum ex doctrina vniuersali Patrum, & Ecclesiæ. Et hic articulus est fundamentum plurium dogmatum fidei, ac penè omnium, sine quo non subsisterent: & patet ex definitione Lataranensis Concilij sub Leone X. §. 8. *Cùm diebus nostris nonnulli ausi sunt dicere de natura animæ rationalis, quòd mortalis, & aliqui temerè philosophantes, secundùm saltem Philosophiam verum esse asseuerent: sacro approbante Concilio damnamus, ac reprobamus asserentes animam intellectiuam mortalem esse*, &c. In qua definitione non solùm exponitur veritas fidei, sed etiam damnatur temeritas asserentium animam secundùm Philosophiam, mortalem esse, & meritò, quia neque secundùm Philosophiam anima est mortalis, quia si Philosophos consulamus, vt fusè probat Eugubinus *lib.* 9. *de perenni Philosophia*, & plures, & potiores animam immortalem esse defenderunt; quin etiam & ipse Aristoteles, vt *ibidem* ipse probat, & vt benè Doctor, saltem in hanc veritatem fuit magis inclinatus, eum benè defendit, & adducit in hanc sententiam Cardinalis Oregius *in opusculo de hac materia.* Si rationem, & principia Philosophiæ spectemus, nullum est, quod probet contrarium: nam quòd anima sit forma corporis corruptibilis, nihil inde habetur præter vnionem, & informationem; neque argumentum ex similitudine aliarum formarum, quæ educuntur ex materia, valet ad probandum materialitatem animæ, minùs autem mortalitatem: nam ex operatione colligitur esse forma immaterialis, ex immaterialitate vrgenter deducitur eius immortalitas, & independentia à materia in *esse.* Alia verò principia Aristotelis de æternitate mundi, & de necessitate agendi causæ primæ, sunt errores, neque ratione vlla, quæ rectè subsistat ex causa, & effectu, fulciuntur; vt magis suo loco probatur. Non rectè ergo anima dicitur mortalis secundùm Philosophiam. His quantùm ad veritatem suppositis, remittentes magis completum tractatum ad suum locum, prosequemur institutum.

Fide tenetur certa.

Definitio Cōcilij Lateranensis.

Damnantur asserētes animam nostrā esse mortalē.

Potiores Philosophi docuerunt animam esse immortalem.

Philosophia non docet esse mortalem.

x *Ad argumenta. Ad primum*, &c. Respondet Doctor ad argumenta principalia, quæ faciunt pro affirmatiua parte, nempe hanc veritatem esse demonstrabilem, easque soluit. Primum argumentum sumitur ex desiderio naturali, quod habet homo ad semper esse, & ex quo naturaliter fugit mortem: hæc autem inclinatio non est frustrà: ergo ex ea potest deueniri ad demonstrandam resurrectionem futuram. 32 *Ad primum. Ex appetitu essendi semper.*

Respondet Doctor sub distinctione: summa autem responsionis est hæc: quia vel intelligitur de appetitu innato, qui est ipsa naturæ inclinatio passiua naturalis, & sic vt conclusio necessariò sequatur, debet ratione naturali ostendi possibilitas semper essendi: quia cùm inclinatio fundatur in ipsa natura, debet esse ad actum possibilem haberi, quæ possibilitas non cognoscitur lumine naturali. Si autem sumatur desiderium naturale pro actu elicito, debet probari quòd ille actus sit secundùm rectam rationem, & non sit erronea apprehensio, ex qua concipitur: quia voluntas est etiam impossibilium; licèt non intentio,

Responsio.

Non demonstrat appetitus innatus resurrectionem.

Neque elicitus.

tentio, aut electio, sed tantùm possibilium. Vt sit recta ratio, debet conformis esse veritati rei, & causis essendi, & possibilitati sic essendi semper: ergo à primo ad vltimum hæc ratio non est efficax ad probandum resurrectionem futuram ratione naturali; quia hæc nequit attingere possibilitatem huius effectus, procedendo per causas naturales essendi hominis, siue intrinsecas, siue extrinsecas; quia licèt attingere posset immortalitatem animæ, vel probabiliter, vel certè demonstratiuè, vt alij volunt, non potest attingere hominem secundùm se in *esse* constituti, qui corruptibilis est, & desinit posse iterum reparari, vel quod magis est, fore vt reparetur. Ex parte etiam corporis non suppetit ratio probans eandem possibilitatem, sed magis contrarium: quia reparatio corporis est miraculosa, & supra vires naturæ: & idem patet quantùm ad alias causas secundas: quantùm autem ad primam causam, vt præcisè est author naturæ, quidquid sit de potentia eius absoluta reparandi corruptum, quam negat Durandus suprà, saltem ex prouidentia eius ordinaria, & modo concursus secundùm exigentiam causatum naturalium, nequit colligi fore vt aliter concurrat, quàm vt secundùm statum præsentem concurrit. Ex quibus patet dicta responsio.

Defectus probationis.

33 Alij autem negarent inclinationem naturalem esse ad semper esse in natura nostra, vt respicit resurrectionem, sed tantùm obedientialem: quia naturalis secundùm ipsos respicit causam efficientem naturalem, cuius virtutem excedit resurrectio; sed iam non differimus hanc quæstionem; resolutio autem communis est, siue admittatur naturalis, siue negetur.

Quid infert fuga mortis. Ad probationem illam ex fuga mortis, quatenus hæc procedit ex amore oppositi, nempe semper essendi; respondet iuxta mentem, & principia Philosophi, qui dicit *quodlibet appetit suum esse*; & sicut natura inclinat ad id, quod melius est, melius autem in omnibus est *esse*, quàm *non esse*; impossibile tamen censet id Philosophus in omnibus, id est, in corruptibilibus, in quibus continuatio generationis per propagationem speciei supplet corruptibilitatem indiuidui, & corruptionem. Quæ doctrina perinde, sequendo hæc principia, verificatur de homine. Sed vrget Doctor fugam mortis esse ex amore vitæ, & essendi. Respondet ex hoc sequi cùm fugiat mortem pro nunc, & sic de quolibet instanti signato, amet etiam vitam, & *esse*, pro quolibet instanti signato; non tamen in infinitum. Huius ratio iam præmissa est: quia inclinatio naturalis essendi non excedit possibilitatem causatum naturæ: in tantùm ergo extenditur, in quantùm virtus causarum extenditur, & non extenditur ad aliquid, quod impossibile est, etiam respectiuè ad causas, ex quibus natura recipit *esse*, perfectionem & continuationem essendi. Alia probatio eiusdem desiderij adducitur ex Paulo 2. Cor. 5. *Nolumus exspoliari, sed superuestiri.* Respondet illud intelligendum supposita fide, quæ possibilitatem effectus ostendit. Deinde, dici quidem posse nos nolle etiam secundùm desiderium naturale; sed quod non cognoscit ratio naturalis, pro hoc statu.

Nullus appetitus ad impossibile.

34 y *Ad secundum conceditur*, &c. Secundum argumentum est ex appetitu naturali beatitudinis non solùm in generali, vt inesse probat Philosophus, 1. *Ethic.* sed etiam ex appetitu ad beatitudinem in specie, de qua agit 10. *Ethic.* sed ratione naturali notum est beatitudinem non esse, nisi sit sempiterna: ergo notum est eadem ratione naturali hominem ordinatum esse ad aliquam perfectionem sempiternam. Subsumptum probat ex Augustino, vt patet in litera.

Ad secundum argumentum.

Appetitus beatitudinis an probat resurrectionem.

Respondet Doctor supponendo quòd aliàs *infrà dist.* 49. tractabit, nempe in nobis esse appetitum naturalem passiuum ad beatitudinem in specie, quæ datur iustis, & non solùm obedientialem, vt alij tenent, quod *ibid.* differetur; sed hunc appetitum non esse notum lumine naturali, neque actum illius appetitus, neque conuenientiam finis sub illa speciali ratione; quia hæc omnia per fidem & reuelationem tantùm proponuntur. *Responsio.* *Inesse appetitum naturalem beatitudinis.*

Ad probationem ex Aristotele respondet ipsam non intellexisse aliam in specie beatitudinem, quàm illam, quæ est vitæ præsentis, eámque posuit in speculatione altissimarum causarum; ad quam ordinauit sanitatem corporis, & alia commoda vitæ præsentis. *Explicatur Philos.*

Ad probationem ex Augustino, qua probatur beatitudinis perpetuitas; dicit quòd admittens beatitudinem possibilem tantùm esse in hac vita, admitteret volentem deseri à beatitudine; quia ratio recta eius conformaretur conditioni suæ naturæ, quam vt solam possibilem intelligeret, nempe eam esse mortalem, & quoad corpus, & quoad animam, dato quòd ignoraret animæ immortalitatem. Dicit prætereà illam vitam beatam finibilem fuisse amatam ab habente, pro quanto cognouit eam sibi fuisse possibilem, nempe pro hac tantùm vita. Rectè ergo probat Augustinus non posse hominem in vita mortali esse beatum, & procedit contra eos qui statuebant beatitudinem in hac tantùm vita. Sed non probat beatitudinem veram hominis, quæ futura est, lumine naturali posse cognosci in specie, aut probari futura, imò *ibid.* ex professo probat Philosophos eam nunquam cognouisse, & beatitudinem eos statuisse in vita præsenti; contra quos *ibid.* differit. 35 *Explicatur Augustinus.*

z *Ad aliud conceditur*, &c. Respondet ad tertium, quod desumitur ex fine, quia naturaliter notum est totam speciem non carere suo fine, quin illum in indiuiduo aliquo saltem consequeretur; sed naturaliter notum est beatitudinem esse finem humanæ speciei: ergo & hominem posse eam consequi in aliquo saltem indiuiduo: sed non in hac vita, propter miserias, fatigationem, infirmitatem, defectum perfectæ virtutis, & scientiæ; neque potest haberi à sola anima separata, quia sic non esset beatitudo hominis: ergo habebitur toto coniuncto, & consequenter resurgente à mortuis. 36 *Ad tertium.* *Argumentum à fine, & eius appetitu, & perfectione speciei non demonstrat.*

Respondet concedendo hominem consequi beatitudinem in indiuiduo quoad gradum, in quo ipsi notum est naturaliter esse finem hominis. Quod autem dicitur id impossibile esse in hac vita: Respondetur, id quidem verum est, quia neque etiam illum statum beatitudinis, quem Philosophi statuerunt, potest homo viribus naturæ pro hoc statu peccati attingere sine gratia Dei. Deinde, neque in eo consistit beatitudo vltima, & consummata hominis, sed id Philosophis oppositum statuentibus, & sequentibus lumen naturale, fuit ignotum, ideò neque demonstrari potest. *Soluitur.*

Ad illud quod obiicitur de miseriis, & perturbationibus vitæ præsentis, verum est, eas repugnare veræ felicitati, & perfectæ, quales tribuebant Philosophi Intelligentiis, seu Angelis, sed non illi felicitati, quam solùm vitæ præsentis tribuebant homini.

a *Ad quartum*, &c. Quartum fuit ex perpetuitate speciei, quæ spectat ad integritatem vniuersi.

Responsio est clara iuxta doctrinam Aristotelis, & modum perpetuandi species per continuam generationem in corruptibilibus.

Tandem concludit quantùm sit homo fidelis ad agendum gratias suo Creatori obnoxius, qui depulsa ignorantia infidelium, & sapientum huius mundi, nos certos reddidit in his, quæ spectant ad finem nostrum, & sempiternam felicitatem, quam attingere non potuerunt Philosophi, teste Augustino *loco citato*. *Vltima conclusio fidelis, & pia Doctoris.*



QVÆSTIO III.

Vtrùm natura posit esse causa actiua resurrectionis?

D.Thom. D.Bonau. Argentin. Suarez *citati pro quæst. præcedenti.* August. 12. *de Ciuit. cap.* 13. Arist. 2. *de generat. in fine.* Rada *quarta parte Controuer.* 15. *art.* 3. Vide Scot. 7. *Metaph. quæst.* 8. 9. 10. *& in Theor.* §. *Materia est.* & §. *Non potest probari animam, &* 2. *Phys. quæst.* 4.

1 a

Arg. 1. Vide Var. hic. ERTIÒ quæro, Vtrùm natura possit esse causa actiua resurrectionis? Quòd sic; quia in natura est potentia passiua ad resurrectionem, & naturalis: anima enim naturaliter inclinatur ad materiam perficiendam, & è conuerso materia naturaliter ad animam, vt ad perfectionem; sed omni potentiæ passiuæ naturali correspondet potentia actiua naturalis; alioquin talis potentia passiua esset frustrà: ergo est aliqua potentia actiua naturalis respectu resurrectionis.

Arg. 2. Præterea, in natura est duplex processus: vnus componendo, alius resoluendo: & à quo vnus incipit, in illud alius terminatur, & è conuerso: ergo vterque videtur æquè subesse actioni naturæ, quia vterque est terminus vtriusque; sed natura potest resoluere compositum istud in componentia: ergo è conuerso ex componentibus potest producere istud compositum.

Arg. 3. Præterea, corrumpatur aër in ignem, posteà ignis in aërem, deinde è conuerso aër in ignem; ille secundus ignis videtur idem cum primo, quia eadem materia; & potest esse, quòd habeat idem efficiens cum primo igne. Nunc autem secundùm Philosophum. 8. Metaph. 3. cap. *Si materia eadem, & efficiens idem, & effectus idem*: si ergo natura potest eundem ignem reducere, pari ratione & eundem hominem. *Text. com. 11. & 12.*

Rat. ad opp. Oppositum Dionys. *de diu. nom. cap. 6. de resurrectione* dicit: *Rem vetustati visam contra naturam, mihi autem, & veritati supra naturam.*

Præterea, animal perfectum non potest produci æquiuocè, sicut Commentator arguit contra Auicennam. 8. *Physicor. Commento.* 46. cuius textus incipit: *Vtrùm vnumquodque mouetur:* homo ergo, cùm sit animal perfectissimum, non potest produci à natura, nisi productione vniuoca; sed resurrectio non est productio vniuoca, quia non generatio: ergo, &c.

COMMENTARIVS.

1 a TErtiò, *quæro vtrùm natura*, &c. Postquàm egit de possibilitate, & cognitione, & futuritione resurrectionis, nunc agit de causa; & potissimùm, vtrùm natura concurrere possit.

Diuiditur quæstio in tres articulos. Primus est: An possit corruptibile idem numero redire naturaliter? Secundus: An hoc mixtum, nempe homo? Tertius: An possit, saltem reparato corpore, vniri ei anima virtute agentis naturalis? *Ordo, & diuisio.*

SCHOLIVM.

Posita definitione resurrectionis, addducit errorem quorundam Philosophorum dicentium post 36. millia annorum omnia reditura eadem, & ponit refutationes August. contra eam, quibus addit rationes optimas, Mathematicas, Physicas, & Morales.

2 b HIc sciendum est, quòd cùm secundùm Damascenum cap. 19. lib. 4. *Resurrectio est eius, quod cecidit, & dissolutum est, secunda surrectio:* & homo totus cecidit in morte; & etiam ponendo formam mixti ibi aliam ab anima intellectiua (vt credo esse verum) illud mixtum dissolutum est, vel in morte, vel post mortem: necesse est ad resurrectionem, primò quidem ordine naturæ illud mixtum reparari idem: & secundò

cundò illi mixto animam intellectiuam eandem reuniri, vt sic resurgat idem homo. Primò ergo videndum est, si natura possit reducere formam mixti eandem numero. Secundò, si possit illi mixto dissoluto reunire animam intellectiuam, vt sit idem homo. Et primum duo continet. Primum, si vniuersaliter potest aliquod corruptibile redire idem numero: secundò, si istud mixtum; vt sic in speciali sint tres articuli. *Tres articuli examinandi.*

c De primo, August. 12. *Ciuit. cap.* 13. recitat opinionem Philosophorum aliquorum dicentium per circuitus temporum, eadem redire, quibus imponitur, quòd post magnum annum, id est, post triginta sex millia annorum, omnia redirent eadem. Ratio eorum erat, quia redeunte causa eadem, redibit idem effectus; tunc autem omnia corpora cœlestia redibunt ad eundem situm: quia supponendo illud Ptolemæi *in Almagesto*, quòd cælum stellatum moueatur in centum annis vno gradu, contra motum diurnum: sequitur quòd complebitur motus ille eius ab occidente in orientem in triginta sex millibus annorum. *An idem numero redire possit.*

Sed illam opinionem improbat ibi August. per auctoritatem Scripturæ Roman. 6. *Christus resurgens ex mortuis*, &c. Secundò per illud 1. Thess. 4. *Semper cum Domino erimus.* Item, per illud Psalmistæ: *Tu Domine seruabis nos, & custodies nos à generatione hac in æternū.* Vnde de sic opinantibus benè subdit Psalmista: *in circuitu impij ambulant*, id est, ducunt reditiones circulares. Et per rationem de beatitudine, quia secundùm istum circulum nulla esset vera beatitudo, pro eo quòd anima beata reditura esset ad miserias, quas priùs habuit: & ita dum beata est, aut credit se nunquam rediturам, & sic falsa opinione beata est: aut credit se rediturам, & tunc timet, & per consequens non est beata. Et respondet ibi ad illud Eccles. 1. *Nihil sub Sole nouum*, dicens: *Absit vt his Salomonis verbis illos circuitus significatos esse credamus: sed vel generaliter accipiendo eadem præcessisse, quæ erunt, non autem eadem secundùm numerum. Vel aliqui sic intellexerunt tanquam in prædestinatione Dei iam facta fuisse omnia, Sapiens voluisset intelligi, & ideò nihil recens sub Sole.* 3 *Psal.* 11. *Beatus esset miser si ad hanc vitam esset rediturus.* *Quomodo nihil sub Sole nouū.*

Potest etiam illa opinio improbari quantùm ad rationem eius: quia si probetur aliquem motum cælestem alicui incommensurabilem: quod probari potest, si ponatur magnitudo, super quam fit, esse incommensurabilis magnitudini, supposita hinc inde æquali velocitate; tunc, inquam, sequitur, quòd nunquam omnes motus redibunt ad idem: nec istud de incommensurabilitate motuum est contra continuitatem motus continui: quia si duo mobilia mouerentur, vnum super costam quadrati, aliud super diametrum; motus illi essent incommensurabiles; nec in perpetuum, si durarent, redirent ad vniformitatem: sed istud requireret magnam discussionem singulorum motuum congruentium epicyclis, & deferentibus, si aliquis possit alicui inueniri incommensurabilis, in toto cœlo. 4 *Refutat rationibus errorē Philosophorum quorundā.*

Præterea, illud fundamentum acceptum à Ptolemæo improbatur per Thebit, qui probat cælum stellatum non sic moueri ab occidente in orientem: quia tunc aliquando foret in principio Cancri noni cæli stella illa, quæ aliàs fuit in principio Capricorni noni cæli: & ideò ponit motum octaui cæli, vel stellati, esse in quibusdam paruis circulis descriptis super principium Arietis & Libræ noni cæli: & quòd ille est quidam motus accessus, & recessus, secundùm quòd principium Arietis mobilis in suo circulo ascendit, & per oppositum caput Libræ mobilis in suo circulo descendit: & aliàs è conuerso, capite Arietis descendente, caput Libræ ascendit, & sic mouentur stellæ in octauo cælo secundùm longitudinem, & latitudinem simul. Si ergo ille motus probaretur in aliquo tempore compleri, in quo tempore non possent omnes orbes inferiores redire ad eundem situm, quem habuerunt in principio illius motus, sequeretur propositum.

Præterea, ratio est diminuta, quia non tantùm à causa efficiente dependet identitas effectus, sed etiam à materia: materia autem potest esse omnino alia, vel alium situm habere in comparatione ad cælum, quia per actionem liberi arbitrij possunt corpora impediri, ne sint in illo situ, vbi priùs erant. Potest etiam per actionem talem aliquod corpus esse diuisum, & ita materia dispersa.

Præterea, manifesta inconuenientia sequuntur ad hanc positionem in specie humana: sequitur enim primò, quòd *addiscere* non sit, nisi *reminisci*; de quo tangit Philosophus 1. *Posteriorum*: quia inconueniens est, vt probat in fine *secundi Posteriorum*, nobilissimos habitus esse in nobis, & latere nos. 5 *Text.* 4.

Aliud est, quia actus liberi arbitrij non subsunt necessariò causalitati cæli, & per consequens illi non necessariò redibunt iidem, nec per consequens aliqui actus ne- *Liberū arbitriū non subest operationi cæli.*

cessatiò dependentes ex eis: & tamen illud exemplum ponit August. de dicto Philosophorum, vbi priùs, *Sicut*, (inquit) *in hoc seculo Plato, & in schola, quæ Academica dicta est, discipulos docuit, ita per innumerabilia retrò secula, & idem Plato, & eadem ciuitas, & eadem schola, ijdémque discipuli reperti.* Sed subdit: *Absit, vt ista credamus*, inducens improbationes ex Scriptura priùs adductas.

COMMENTARIVS.

2 b ILlud *sciendum*, &c. Subiicit *quid nominis* per Etymologiam nominis ex Damasceno: Quòd, nempe *resurrectio sit eius quod cecidit, iterata, seu secunda surrectio.* Secundùm vsum communem Scripturæ accommodatur homini cadenti per mortem à vita; quamuis in latiori significatione de aliis dicatur, aut translatitiè, vt quòd animus resurgat, quòd ciuitas resurgat; aut domus, quæ fuit diruta: homo in morte cadit, quia destruitur *esse* totius, & destruitur etiam forma mixtionis, & vnio animæ cum corpore, ad resurrectionem autem sicut requiritur propriè, vt idem numero resurgat quoad suas partes vnitas, ideo ordine naturæ supponitur reparatio mixti, & vnitio eiusdem animæ, antequã resurgat totum. Primus itaque articulus quærit, an natura possit reducere eandem formam mixti.

Quid sit resurrectio.

Quid requiritur ad resurrectionem hominis.

3 c *De primo Augustinus*, &c. Hanc circulationem rerum posuerunt Platonici, & Pythagorici, & mihi videtur desumptus error ab iis, qui transmigrationem animarum fingebant, ex qua, facili commercio hæc circulatio innasci potuit, licèt diuersus sit error, quem tribuit Epicuro Hieron. *in cap.* 1. *Ecclesiast.* Ex quo errore Origenes aliud genus circulationis induxit, in successione circulari beatitudinis, & miseriæ, & alterius vniuersitatis, quem impugnat Augustinus *eod. lib.* 12. *de Ciuitat. cap.* 20. non admittebat Origenes circulationem in indiuiduo. Philosophos optimè impugnat Augustinus *cap.* 13. ex Scriptura *ad Romanos* 6. 1. *Ad Thessa.* 4. & *psal.* 11. in quibus ostenditur permanentia iustorum cum Christo resurgentium sine vlla mutatione. Probat etiam optimè ex beatitudine, quæ debet esse sine metu, & miseria, & vera, non in sola opinione non subsistente. Ratio patet ex litera. Obiectio illa *ex Ecclesiastici primo* fuit Origenis: sed rectè soluitur ab Augustino, vt patet ex litera.

Circulatio Philosophorum.

Error Origenis.

4 Hic error Philosophorum facilè per rationem impugnatur; & primò Doctor impugnat eius fundamentum, quod redeunte circulo primi mobilis ad periodum cursus redire principia, & causas easdem, ac proinde eosdem effectus numero. Perficit autem circulum primum mobile iuxta Ptolemæum, & Empedoclem, vt aliqui volunt, triginta sex millibus annorum ex nostris. Alfonsus docet *in suis tabulis* quadraginta nouem millibus annorum perfici. Fundamentum sumitur ex motu cæli stellati, qui præter motum diurnum in centum annis mouetur etiam retrò ab occidente in orientem vno gradu. Ductis ergo centum annis per singulos gradus, qui sunt trecenti sexaginta in vniuersum, habetur numerus præscriptus annorum, in quo finitur circulus motus, & redit annus ille, quem Philosophi magnum vocant iuxta descriptionem Ptolemæi.

Circulus primi mobilis.

Annus magnus.

5 Dato autem hoc de motu primi mobilis, & circulo, impugnat Doctor rationem fundamentalem Philosophorum; ideò redirent iidem effectus, quia eædem omnino causæ redirent; sed hoc est falsum, neque sequitur ex reditu primi mobilis ad periodum circuli, quod orbes inferiores, à quibus dependet generatio, & planetæ, sint in eodem situ respectiuè ad ipsum primum mobile, aut respectiuè ad inferiora, & generabilia, quia motus eorum sunt incommensurabiles, ita vt nunquam redeant (quantumlibet motus earum perpetuetur) ad eundem situm, & aspectum, quem antè habebant ante initium circuli motus.

Impugnatur error.

Demonstratio Doctoris ex motu inferiorum.

Hanc rationem dicit Doctor requirere longiorem discussionem, eius demonstrationem subiicit Clauius *in cap. primum sphæræ, §. de periodis motuum cælestium*, vbi probat hos motus esse incommensurabiles.

Exemplum autem, quod adducit Doctor motus incommensurabilis super costa, & diametro eiusdem plani, ipse probat, & declarat ex regulis Euclidis *in* 2. *d.* 2. *q.* 9. secunda probatione Geometrica, contra asserentes continuum componi ex indiuisibilibus quam deducit *ex* 5 & 7 *decimi Euclid.*

Motus super costa & diametro incommensurabilis.

Probat secundò ex demonstratione, quam adducit Thebit contra Ptolemæum, & ex qua sequitur orbes inferiores non redire ad eundem situm & aspectum, quando circulum perficit primum mobile. 6

Secunda probatio.

Tertiò, probat rationem illam esse diminutam, dato quòd causæ cælestes redirent ad eundem situm, & aspectum; quia & causa materialis potest habere diuersum situm in comparatione ad cælum, quia potest per actionem hominis, Angeli, aut casu etiam, & per agens etiam naturale, transferri ad alium situm, vt cinis sparsus per ventum, & ignis resolutus in aërem, & motu ventorum impulsum. & sic de aliis corruptibilibus sublunaribus; vt quando alimentum conuersum in substantiam viuentis aliò transfertur. Item cùm ipsa materia diuiditur sub diuersis formis actione agentis naturalis dispergitur. Eadem ratio fieri potest etiam quoad causas secundas particulares, quæ necessariò requiruntur ad actionem, vt patet in generatione vniuoca viuentium perfectorum, quæ nullo modo possunt produci per generationẽ æquiuocã, aut à solis astris, aut influentia cælorũ: requiritur etiã dispositio particularis in materia per causas particulares, hęc omnia deficere possũt, quamuis idẽ esset aspectus astrorũ, & cælorũ, &c.

Tertia ratio contra Philosophos.

Causæ inferiores requisitæ nequeũt esse in eodem situ licèt superiores essent.

Quartò, impugnat ab inconuenienti, nempe quòd sequeretur quòd addiscere non sit aliud, quàm reminisci: ergo, &c. Probatur sequela, quia & hi Philosophi docent animã esse immortalem, & eam redire ad idem corpus, & vt dicit Augustinus ex ipsis, quòd *redibit idem Plato, & eadem ciuitas, & eadem schola, & iidẽ discipuli sub eodem discent eandem disciplinam totidem verbis depromptam* &c. Sequitur quòd illa scientia erit in eis reminiscentia eorum, quæ anteà sciuerunt; quia non datur ratio vnde isti habitus perderentur, & consequenter videntur reduci ad vsum per reminiscentiam. 7

Quarta ratio cõtra eosdem qui destruũt scientiam.

Quintò tandem, actus liberi arbitrij non subsunt cælis, neque sequitur eos redire eosdem in numero, aut specie, neque etiam cætera, quæ ab ipsis dependent. Tandem nulla ratione fundatur hæc Chimæra.

Quinta ratio.

SCHOLIVM

SCHOLIVM.

Sententia asserens per naturale agens nullo modo idem numero posse redire, suadetur ex variis locis Arist. & quatuor rationibus.

d ALia est opinio totaliter contraria, dicens quòd impossibile est redire aliquid idem numero per agens naturale: pro quo adducitur auctoritas Philosophi secundo de Generatione in fine: *Quorum substantia perit, non reuertitur eadem numero.* Et auctoritas eius 5. *Physic. de Sanitate*, quòd non redit eadem numero; & auctoritas eius in Prædicamentis, *à priuatione ad habitum impossibilis est regressio.* Quod intelligendum est de priuatione subsequente formam, & forma præcedente, cum qua concordat illud, quod allegant aliqui *de* 8. *Metaph. cap. de vino & aceto*: sed illud negat reditum immediatum, etiam secundùm speciem: quia oportet priùs fieri resolutionem ad materiam communem. Adducitur etiam auctoritas 6. *Ethicor.* approbantis dictum * Agathonis. *Rectè*, inquit, *ait, hoc solo priuatur Deus, ingenita facere, quæ facta sunt*: ergo non potest præterita reducere, quia tunc faceret ea esse non tantùm non præterita, sed etiam præsentia. 6

*Gofr. quodlib. 6. quæst 2. Ægid. Thess. 1. Text. vlt. Text. 36. Cap. de opp. Text. 14. Hen. quodl. 4. q. 13. & quodl. 8. q. 5 Cap. 3. * al. Solonis.*

Præterea, rationes quatuor ponuntur ad hoc. Prima est hæc, in omni corruptione materia geniti diuiditur, ita quòd non ex tota materia eadem generatur genitum, quæ præfuit in corrupto: & sic vlteriùs semper fit maior, & maior diuisio materiæ: ergo per quamcunque circulationem, si reditio fiat ad aliquid eiusdem speciei cum primo corrupto, non erit ex eadem materia totali, & per consequens non erit idem: quia ad identitatem numeralem requiritur eadem materia, sicut eadem forma secundùm Philosophum 12. *Metaphysic. cap.* 2. & per rationem, quia est principium essentiale totius. 7

Ad idem numero requiritur eadem materia.

Prætereà secundò, agens naturale non potest agere nisi per motum, vel mutationem; motus autem, & mutatio non potest redire idem, quia eius vnitas est continuitas: & interruptio, vel iteratio repugnat continuitati: ergo & vnitati motus & mutationis: non ergo terminus eius potest redire idem. Et ista ratio confirmatur sic, sicut se habet hoc productum ad productum, ita hæc productio ad productionem: ergo permutatim, sicut productum ad productionem, sic hoc productum ad hanc productionem. Sed non potest esse productum sine productione: ergo nec hoc productum sine hac productione: sed hæc productio non potest redire eadem, quia nec eadem mutatio: ergo nec hoc productum.

Text. com. 27. & circiter.

Prætereà, non posset redire idem, nisi ad ipsum posset esse eadem potentia; sed hoc falsum est, quia aut eadem potentia semper manens, aut de nouo reducta. Non primo modo, quia potentia corrumpitur in aduentu formæ, & per consequens post primam reductionem ad actum non manet eadem potentia. Nec secundo modo, quia sicut formæ succedit alia priuatio, quàm quæ præcessit eam: ita forma resoluitur in aliam potentiam, si in aliquam resoluitur. 8

Probatur etiam simul, quòd neutro modo, quia ad præteritum non est potentia; hæc forma est præterita. Quare etiam non statim reducitur à natura idem, si potentia est ad idem in susceptiuo, & natura potest esse causa actiua: in hoc enim non est ratio, cùm natura agat ex impetu: quare non ita statim reducat idem, sicut non statim ad minus habito tali ordine formarum, secundùm quem potest reducere idem specie: sed manifestè videmus quòd non statim in prima reductione eiusdem secundùm speciem, reducit idem numero: quod apparet ex actibus, vel accidentibus omnino aliis consequentibus, saltem vt inseparabilibus, ipsum suppositum: & ista quæstio posita sub *quare*, posset esse quarta principalis ratio.

Ad præteritum nõ est potentia.

COMMENTARIVS.

8 d ALia est opinio totaliter contraria, &c. Hæc sententia est communis: quam tenent *in hac dist.* frequentiùs Theologi, *& lib. 2. de Generat.* Philosophi. Citatur Auerroës *com. 70.* sequuntur Conimbricenses *c. 11. quæst. 1.* Fonseca 8. *Metaph. c. 5. quæst. 1.* D. Thomas 4. *contra Gentes cap. 81. & quodlib. 4. art. 5.* Ægidius *Theor. 1. corporis Christi.* Ægidius Lusitanus *tom. 3. de Beatitudine, quæst. 3. art. 1. §. 1. & 3.* pro eadem plures citat. Rationes, & fundamenta subiicit Doctor, quæ *infrà* adducentur. §. *Ad illa ergo.* &c. Hanc defendit Suarez *tom. 2. in Metaph. disput. 6. sect. 3. & tom. 2. in 3. p. disp. 44. sect. 6.*

An virtute causarũ naturaliũ redire possit idẽ. Sententia negatiua

SCHOLIVM.

Sententia Richardi tenens aliqua per agens naturale posse redire eadem, suadetur auctoritate Arist. & forti ratione, ac exemplo.

9 c Tertia opinio est media, quæ ponit, quòd etsi non omnia possunt redire eadem numero per actionem naturæ, tamen aliquid potest redire idem numero. Pro hac opinione arguitur primò per illud Philosophi. 8. Metaph. 3. cap. *Si agens idem, & materia eadem, effectus erit idem:* quia non assignat diuersitatem effectus possibilem, nisi propter diuersitatem efficientis, vel materiæ: sed possibile est idem efficiens esse, & eandem materiam respectu secundò producti, quæ erant respectu primò producti: ergo possibile est secundò productum esse idem cum primò producto. Minor probatur, quia si frequenter in corruptione fiat dispersio, vel diuisio materiæ, tamen possibile est oppositum in multis casibus; puta si includatur ignis intra vrinale, & ibi corrumpatur in aërem, deinde ex illo aëre generetur ignis per reflexionem radiorum Solarium, vel aliter, materia inclusa erit eadem. Consimiliter si ex solido generatur solidum, vbi præcisè forma geniti potest sequi formam corrupti; sequitur quòd qua ratione tota materia præfuit sub forma corrupti, pari ratione eadem tota suberit sub forma generandi.

Richar. hic art. 3. q. 1. solut. 6. art. Vide 2. d. 20. q. 2. & in 4. d. 25. q. 2. quodnō tenet in moralibus, & in agētibus liberis.

Respondetur quòd illud Philosophi debet intelligi cum hac additione, *simul:* quia secundùm Philosophum 5. *Physic.* non tantùm est numeratio propter alietatem speciei, & subiecti, sed etiam temporis. Alia responsio, & melior, quòd Philosophus asserit, quòd si agens aliud, & materia alia, quòd effectus est alius: sed non ex opposito antecedentis, si agens idem, & materia eadem; infert quòd effectus sit idem. Vnde in fine concludendo ait: *Si ergo contingit idem ex materia facere palam, quia principium, quod est vt mouens idem. Nam & si materia altera, & mouens, & quod factum est.* supple erit aliud.

Text. 11. & 12. in princ.

10 Contra primam responsionem, si agens agat nunc in *A*, instanti, causabit aliquid, istud sit *B*, si non agat nunc, sed cesset vsque ad instans *B*, causabit idem: ergo si causet in *A*, & tempore intermedio inter *A*, & *B*, destruatur illud causatum, & iterum agat in instanti *B*, causabit illud idem. Consequentia patet ex hoc, quòd continuitas temporis intermedij nihil facit ad identitatem permanentis, quia habet *esse* idem in illo tempore, & in terminis illius temporis. Si neges assumptum, quia in *B*, instanti non potest idem causatum habere eandem influentiam, quam habuit in instanti *A*, & ideò non poterit tunc idem causare. Contra hoc dupliciter: primò, quia similis influentia sufficit ad identitatem effectus: si enim in instanti *A*, esset aliud agens approximatum passo, produceret idem numero, quod istud agens producit; & tamen illa influentia, non esset eadem numero cum influentia istius, sed tantùm similis: nunc autem in alio instanti, puta *B*, est influentia similis, quæ fuit in instanti *A*.

Temporis interruptio non obstat identitati permanentis.

De quo 2. dist. 20 q. 2. vbi dicitur idētitatem causæ non requiri ad idētitatem effectus.

11 Præterea, influentia illa non est aliquid absolutum receptum in causa secunda: quia tunc causa secunda per illud receptum posset agere, sine causa prima, cuius influentiam recipit: quia iam habet in se totum illud, propter quod indiget actione causæ primæ, quod inconueniens est: ergo influentia causæ superioris respectu inferioris non est aliquid receptum in causa inferiori. Vnde est tantummodò ordo eius in causando ad causam superiorem, continuè quantùm est de se coagentem: non ergo erit alia influentia, sicut nec alius ordo causæ superioris ad inferiorem.

Influentia causæ primæ non recipitur in secunda.

Præterea, aut simpliciter impossibile est idem numero aliàs produci, & tunc sequitur quòd Deus in hoc *nunc* non poterit: aut si non est simpliciter impossibile, & tunc sequitur, quòd in causalitate eorum, in quibus priùs fuit istud possibile, & nunc erit; sed priùs fuit in causalitate causarum naturalium: ergo & nunc erit.

COMMENTARIVS.

9 c Tertia opinio est media, &c. Hæc sententia est Richardi *in hac d. artic. 3. quæst. 1. ad 6.* quam etiam admittit Henricus *quodlib. 10. quæst. 4.* Eam sequitur Bassolis *quæst. 2. art. 3.* Rubion probabilem docet *quæst. 1. art. 3.* Est Antonij Andreæ *in hac quæstione* Mayronis *dist. 44. quæst. 4.* & magis probabilem censet Doctor. §. *Quantum ad istum articulum*, &c. qui est sequens. Toletus probabilem censet *lib. de Generat, quæst. 13.* Fundamenta huius reducit ad Philosophum 8. *Metaph. cap. 3.* vbi videtur dicere, quòd sicut ex diuersitate causarum colligitur diuersitas effectus, ita ex opposito, seruata identitate causarum seruatur identitas effectus.

Sententia affirmatiua.

Si dicas in corruptione fieri dispersionem materiæ, *Obiectio.*

teriæ, ac proinde non seruari eandem materiam. *Responsio.* Probat contrarium per instantiam, qua ignis includeretur vitro, aut vrinali obturato, & conuerteretur in aërem, & mox per reflexionem radiorum solarium conuerteretur in ignem, seruaretur eadem materia; & idem fit quando aliquod solidum conuertitur in aliud corpus solidum, vt lignum in lapidem, quod sæpe contingit, manet eadem materia: ergo dispersio eius non semper contingit, & redit argumentum sicut prius.

10 *Responsio.* Dices quòd intelligi debet Philosophus non solùm de identitate materiæ, & efficientis, sed etiam temporis, & aliorum, vt patet. 5. *Physicorum text. com.* 11. *&* 12. tempus autem simul non potest virtute naturæ idem reproduci.

Alia responsio. Dices secundò quòd Philosophus ex diuersitate materiæ, aut efficientis inferat diuersitatem effectus, non tamen ex identitate earum probat, aut intendit identitatem effectus, vt patet ex verbis adductis in litera.

Hanc secundam solutionem non impugnat ex eo argumento, quod *suprà quæst.* 1. vrget, probando aliquid corruptum, vel annihilatum posse produci actione causæ primæ, quia sicut tempore signato potest illud conseruare in *esse*, ita etiam si desinat in media parte temporis signati, potest illud reproducere pro vltima parte eiusdem temporis: quia neque possibilitas, aut *esse* rei sic productæ dependet à continuatione sui *esse* pro tempore intermedio antecedente: neque etiam virtus agentis limitatur ad talem modum productionis in illo tempore *esse* interrupti: quin possit in effectum influere pro prima, & vltima parte, non influendo pro tempore intermedio. Eodem ergo modo in natura contingere potest.

Dices, esse diuersam influentiam causæ in effectum pro diuerso tempore. 11 *Responsio.*

Contrà. Quamuis etiam hoc detur iuxta sententiam eorum, qui dicunt *esse* creaturæ esse in continuo fluxu, ac proinde conseruationem eius esse diuersam actionem à productione; tamen diuersitas influxus non variat *esse* numericum effectus: ergo, &c.

Deinde probat non esse aliam influentiam, quia sicut manet idem effectus ex dictis; & idem ordo causæ secundæ ad primam, sic etiam eadem actio, seu influentia erit in effectum; eiusdem enim causæ in eodem ordine causandi ad eundem effectum permanentem, & eiusdem non mutati *esse* eadem erit influentia; quia nulla apparet ex parte causæ, aut effectus exigentia mutandæ influentiæ, & cùm extrema omnino sunt eadem, idem erit ordo extremorum ad se inuicem.

Vltima denique ratio est, quia nulla apparet impossibilitas, vt idem effectus numero manet possibilis, vt reducatur à causa, à qua primò fuit productus, aut ab alia æquiualenti, sicut sic etiam manet possibilis respectiuè ad Deum.

SCHOLIVM.

Doctor tenet cum sententia tertia posse aliquid idem numero redire per agens naturale: quod tenet Richard. hîc art.3.quæst.1.ad 6. & inclinat D.Thom.ibi art.1.quæst.3. dum ait resurrectionem eatenus esse miraculosam, quia dispositio corporis non fit modo naturali virtute seminis. & disp.44.q.1.art.1. quæst.2. ait per generationem naturalem ideò non redire idem numero, quia non fit ex eadem materia. Videatur Henr.quodl.11. quæst.4. & Marsil. hîc quæst. vlt. art.1. idem docere. Idem tenet Bassol. hîc quæst.2. Tartar Ioannes Andreas, Rada 4. controu.15.art.3: & alij Scotistæ, hîc.

f QVantum ad istum articulum, respondeo quòd opinio tertia videtur probabilior. Prima enim de reditu omnium est omnino improbabilis, saltem quia est contra fidem: nec pro ea est ratio efficax: quia illa de reditu cæli, & dubium antecedens supponit, & dubia est illatio. 12

Secunda opinio non probat sufficienter impossibilitatem reditus cuiuscumque per naturam: & ideò potest teneri tertia, quia non apparet quare non possit natura aliquid idem numero reducere. Si enim vbi est continua actio agentis naturalis respectu producti, sicut est in Sole respectu radij, si ponatur in primo instanti producere radium, & in tempore habito conseruare in vltimo instanti, puta *B*, erit ibi idem radius; cùm non dependeat illa identitas radij in secundo instanti ad seipsum in primo instanti, vel ab existentia eius in tempore intermedio: quia sine illa existentia posset idem numero fuisse productum in eodem instanti: sequitur ergo, quòd illo *esse* intermedio destructo, posset idem *esse* in vtroque extremo: & licèt in aliis agentibus, vbi diceretur agens nihil agere post primum instans, esset euasio quantùm ad illud respectu proximi agentis: tamen argumentum manet idem respectu remoti agentis, à quo continuè dependet effectus, & in isto effectu dependente à proximo agente immediatè concluditur propositum. *An naturaliter redire possit idem radius.*

COMMEN

COMMENTARIVS.

12 *Tertia tenetur vt probabilior.*

f QVantum ad istum articulum,&c. Conclusio Doctoris est, quòd opinio iam præmissa videatur probabilior: *Respondeo*, inquit, *quòd opinio videtur probabilior*, &c. Primam de circulatione, quam superiùs impugnauit, dicit esse contra fidem, & improbabilem. Secundam verò non sufficienter ostendere impossibilitatem, *& ideò*, inquit, *potest teneri tertia*; quia non apparet repugnantia, cur natura non possit aliquid idem numero reducere: non tenet ergo hanc conclusionem vniuersaliter, sed quoad aliquid particulare; vt quandocunque effectus dependet à continuo influxu causæ proximæ, & creatæ, vt radius à Sole: & applicat rationem iam præmissam; sicut enim rectè sequitur quòd Deus potest idem numero reducere post *esse* interruptum, quia neque effectus dependet à seipso, vt continuatur tempore antecedenti in *esse*, vel toto tempore: v.g. vna hora, & *esse* eius in vltima parte temporis non dependet à se, vt fuit tempore antecedenti; ita si deficiat illo tempore, potest à Deo reparari pro vltima parte horæ; sic etiam radius vt continuatur in *esse* à Sole per tempus signatum, vt est in vltima parte temporis, non dependet à se ipso, vt fuit in priori parte: ergo si decidat, potest eadem virtute Solis reparari, ita vt non sit impossibilitas: quidquid sit de aliis effectibus, qui non dependent in *conseruari* à suis causis: *quia in his*, inquit, *posset esse euasio*: quia nimirum diceretur non extendi virtutem causæ ad illos effectus, nisi tantùm, quando primò fiunt, vt vniuersim docent quidam de causis naturalibus, quantùm ad reparationem effectus corrupti. Ex his sequitur non rectè quosdam adducere Doctorem tanquam primarium assertorem huius sententiæ, quam ipse tantùm ex aliis refert, vt probabiliorem, ex ea solùm ratione, quòd non appareat repugnantia. Deinde, Doctor agit de possibilitate tantùm, non verò de euentu, an ita contingat de facto, quia in aliquibus secundariis entibus id contingere probabo; de primariis autem, quæ per emanationem non resultant, sed per actionem immediatè producuntur, non solùm incertum est de facto eadem redire, sed verius est actione creaturæ non redire secundùm legem ordinariam, quamuis nihil repugnat, quin sic redire possint, quantùm est ex parte causarum proximarum ab intrinseco, & ex parte effectus, vt ipsis possibilis est, licèt sit repugnantia ab extrinseco.

Prima reiicitur vt falsa.
Secunda non sufficienter probatur.
Sententia Doctoris explicatur in parte.
Effectus, qui dependet à continuo influxu causæ.
Potest reproduci quãtum est de parte causæ.
Doctor non est primus assertor huius sentẽtiæ.
Differit de sola possibilitate, quæ opponitur repugnantiæ ab intrinseco.
Non redit de facto idem effectus regulariter.

13 *Probatur cõclusio primò.*

Probatur ergo hæc sententia quantùm ad possibilitatem illam; & confirmatur ratio Doctoris. Dignificanda est natura, & virtus causarum naturalium in iis, quæ non repugnant; sed non repugnat effectum contineri in virtute causæ naturalis sine limitatione hac, ita etiam vt extendatur ad effectum, qui desiit; neque etiam ex repugnantia ex parte effectus, sed maior perfectio eum sic comprehendi in virtute illa suæ causæ sine limitatione: ergo sic includitur. Maior patet, quia sic magis participat ens creatum perfectionem sui creatoris, & hæc magis manifestatur, quò magis communicatur, & relucet in creaturis: & possibilitas creaturæ sic magis reducitur ad actum: ergo non est subtrahenda naturæ perfectio, quæ ipsi non repugnat. Patet consequentia; quia subtraheretur, vel ex defectu causæ non potentis communicare, aut non volentis. Nec primum dici potest, quia inferret defectum in virtute: neque secundum, quia inferret defectum in voluntate, & quasi inuidiam. Deinde neutrum consistere potest; quia virtus causarum vel est sua substantia, vel proprietas inseparabilis; quarum neutra, mutari potest.

Natura est dignificanda in possibilibus.
Probatio maioris.
Ex perfectione causæ naturalis, & effectus.

14 *Probatio minoris, quia saluantur omnia ex parte causæ, & effectus.*

Probatur ergo minor principalis quoad primum disiunctum. Hæc continentia non extraheret causam secundam extra perfectionem causæ creatæ, & subordinatæ ad primam causam in *esse*, & *operari* essentialiter respectiuè ad effectum secundò producibilem, sicut se habet ad effectum primò producibilem: ergo non superaddit perfectionem repugnantem causæ creatæ. Probatur consequentia, quia ideò superadderet talem gradum excedentis perfectionis, quia variaret aliquem gradum entitatis, aut modum operandi essentialem, & conuenientem præcisè causæ creatæ ex suo genere; sed neutrum horum est verum, quia causa creata, vt dixi, ageret cum subordinatione ad primam causam; ageret dependenter à materia; ageret supposita applicatione necessaria: ageret eodem modo ad secundam productionem sicut ad primam: ergo talis gradus virtutis actiuæ nihil superaddit repugnans tali causæ.

Non variatur entitas eius, virtus, aut modus operandi.

15 *Probatio minoris quoad effectum, qui inuariabilis est.*

Probatur eadem minor quoad secundum disiunctum: effectus idem secundò productus, postquàm desiit, non est alterius entitatis, aut perfectionis à seipso, vt primò fuit productus: ergo non derogat eius perfectioni, vt attingatur virtute eiusdem causæ, à qua primò fuit productus: neque consequenter habet aliquem gradum entis diuersum, aut existentiæ, per quem exigeret solùm reproduci à superiori causa in perfectione: ergo ex parte effectus nequit fundari repugnantia prætensa. Deinde sicut effectus in se est idem inuariatus, ita etiam dicit eandem possibilitatem ad *esse* ex natura sua, & respectiuè ad causas essendi: magis autem erit possibilis respectiuè ad causas extensiuè, quo plures habet causas, ex quibus potest recipere *esse*: ergo etiam possibilitas eiusdem respectiuè ad causas creatas superaddit illi gradum possibilitatis diuersum (loquor de extrinseca, & in ordine ad causas) ab eo gradu, quem habet præcisè ad causam primam solam, vt hæc agit per modum causæ totalis, & particularis: quia sic magis dicit ordinem ad actum essendi, quò plures causas potest habere, per quas reduci potest ad actum; ac proinde possibilitas eius extrinseca, & extensiua erit maior.

Non esse repugnantiam ex parte effectus.
Habet eandem possibilitatẽ post non esse quam habuit antequàm fuit.
Possibilitas extensiua ad esse.

16 *Secunda ratio.*

Secundò ad idem; ens creatum diuiditur in ens possibile, & ens in actu, tanquam in membra adæquata, seu in ens in potentia, & ens extra causas: ergo quando desinit esse in actu, per negationem essendi, transfertur ad statum absolutum entis possibilis: inter hæc enim quæ diuiduntur per membra contradictionis, non est dare medium; neque vnum communicat alteri: ergo quando corrumpitur actus existendi, succedit negatio existendi in eodem subiecto inuariato quoad se, & qua indifferens est ad negationem actus, & ad actum ipsum: v.g. Petrus vt est indifferens ad vtrumque: ergo manet sub eodem gradu possibilitatis, sub quo fuit ante productionem: sed gradus ille possibilitatis subordinatur

Entis in actu & in potentia diuisio
Idem est non esse subsequens & antecedens esse.

subordinatur non solùm causæ primæ, sed etiam secundæ; ergo etiam corruptum vt transfertur ad *esse* in potentia, seu possibile, perinde subordinatur causæ creatæ, sicut priùs: ergo & potest reduci ad actum per causam creatam, quantùm est ex parte causæ, & ex parte effectus.

17 *Responsio.* Dices negationem succedentem actui esse alterius rationis à negatione antecedente actum existendi, & proinde constituere diuersam impotentiam.

Impugnatio. Contrà: hæc responsio impugnata est, *quæstione prima huius distinctionis* aduersus Durandum, & reiicitur ab omnibus communiter, vt ex ea præfatus author conatur sustinere, neque per diuinam potentiam posse idem corruptum numero redire. Et sic argumentor. *Potentia passiua quid sit?* Potentia passiua dicit duo, nempe capacitatem ex parte materiæ, & negationem actus; subiectum autem, aut materia (quod est idem in proposito) quà dicit capacitatem separabilem ab actu, est indifferens ad actum ipsum, & negationem actus; vnde ex se non variatur vt prior secundùm conceptum essentialem, aut proprietatis necessariæ, qualis est eius capacitas, siue subsit negationi, siue actui; quibus naturæ prioritate supponitur: quia negatio est affirmationis ab aliquo; affirmatio est positio actus tollens negationem, quæ præfuit in aliquo, seu priuationem.

18 *Negatio præcisè sumpta quid dicit?* Quibus positis, sic argumentor. Negatio ex præcisa ratione negationis nihil dicit præter absentiam, seu priuationem actus: ergo ex natura sua non variat subiectum, aut capacitatem eius in ordine ad actum, si aliunde non mutetur; sed in proposito non variatur indiuiduum, quod corrumpitur, nisi tantùm quoad ipsam negationem, quæ priuat actu præhabito existentiæ, non autem priuat conceptu aliquo essentiali, aut proprietali; neque consequenter capacitate, quam habet ad existendum, siue in ordine ad se, siue in ordine ad causas: ergo non priuat effectum aliqua possibilitate magis quàm negatio, quæ est terminus *à quo* productionis, seu quæ præfuit productioni; sed illa non priuat possibilitate essendi per causam creatam: ergo neque hæc. *Idem est terminus mutationum oppositarum.* Patet prima consequentia: quia idem est terminus mutationum oppositarum, seruata proportione oppositionis: quia terminus *ad quem* productionis est terminus *à quo* corruptionis; & terminus *à quo* productionis est terminus *ad quem* corruptionis. Deinde, negatio succedens corruptioni *Negatio essendi non tollit possibilitatem.* opponitur præcisè actui existendi, & non possibilitati ad existendum: ergo non priuat possibilitate vlla ex parte effectus passiua; quia aliàs priuaret aliquo gradu entitatis: ergo minùs priuat causam, creatam, cui illa possibilitas subordinatur, virtute productiua effectus.

19 Deinde si priuaret possibilitate aliqua effectum, priuaret possibilitate absoluta respectiuè ad omnem causam, etiam primam; quod est falsum. Probatur sequela, quia negatio illa in *esse* negationis eatenus priuat possibilitate essendi effectum respectiuè ad causam potentem dare *esse*, *Negatio possibilitatis excludit eam respectiuè ad omnem causam.* quatenus ponit aliquid primò repugnans affirmationi, cui primò opponitur, & formaliter, secundariò, & ex consequenti tollit possibilitatem effectus respectiuè ad causam efficientem; sed omnis repugnantia fundata in negatione respectiuè ad affirmationem, sicut est formalis, & contradictoria, seu priuatiua, est absoluta repugnantia formalis; & sicut tollit possibilitatem intrinsecam affirmationis absolutè, & sine limitatione, ita etiam extrinsecam respectiuè ad omnem causam: ergo etiam respectiuè ad primam causam, quod falsum est.

Dices repugnantiam non prouenire ex negatione, quæ succedit ad *esse* corrupti, sed ex aliquo impedimento adiuncto. 20 *Responsio.*

Contrà. Illud impedimentum non est ex parte subiecti negationis: v. g. indiuidui, quod est corruptum; quia manet idem inuariatum, quantùm ad omnem conceptum suum substantialem, & proprietalem. *Impugnatur.* Eodem modo definitur; ponitur in Prædicamento; cadit sub scientia, neque ex mutatione priuatiua, qua priuatur actu existendi, accedit ei aliquod positiuum, quod esset impedimentum intrinsecum, quia illa mutatio neque est productiua, neque ad alium terminum *ad quem*, nisi ad solam negationem & priuationem actus existendi, cui succedit negatio ipsa: ergo illud impedimentum, si est aliquod positiuum, nequit inesse per actionem corruptiuam: sed neque ex natura ipsius entis corrupti specificatiuè; quidquid enim sic conuenit, est necessariò sequens, & inuariabile: neque ex actione alterius causæ inest, quia nulla causa agit ad illud indiuiduum, nisi productiua, & corruptiua. *Nullum esse impedimentum ex parte corrupti, quin possit reproduci.* Ex productiua nequit esse, tum quia causa dans *esse* non dat impotentiam essendi, tum quia corruptio tollit quidquid effectui communicatur per causam productiuam, & ipsam productionem. Non est per corruptiuam, vt iam est probatum: neque alia causa imaginari potest, per quam insit tale impedimentum intrinsecum: quia omnis alia causa, quæ non agit ad *esse* effectus, supponit ipsum *esse* effectus, quà nata est agere ad aliquid posterius *esse*; quod etiam destruitur, destructo ipso *esse*. Ex quibus à primo ad vltimum sequitur illud impedimentum, quo impediretur causa creata ad reproductionem eiusdem numero effectus iam corrupti, nullum esse.

Sed nequit illa negatio connotare impedimentum, aut illud inferre ex parte causæ creatæ; cuius virtus actiua manet eadem inuariata, & in nullo gradu patitur priuationem eius ex desitione effectus sui, aut alterius causæ; tum quia est potentia inseparabilis à causa, & inuariabilis; tum quia est prior ipso effectu essentialiter, siue vt effectus producitur, vel corrumpitur, siue vt est etiam corruptum. Ponamus ergo omnia requisita ad productionem illius effectus coniungi causæ, stat potentia proxima ex parte causæ, & possibilitas proxima ex parte effectus, vt respicit causam, quantùm est ab intrinseco: ergo & possibilitas ipsius effectus producendi à causa, quantùm est ex parte vtriusque, hoc est, quòd nullum sit impedimentum ab intrinseco ex parte alterutrius.

Tertiò applicando vtramque rationem præmissam, simul cum ea, quam præmisit Doctor, in specie probatur intentum, destruendo fundamentum oppositæ sententiæ, quo statuitur hæc impossibilitas, seu impedimentum. 21 *Tertia ratio. Impugnatur fundamentum oppositæ sententiæ.* In primis D.Thomas 4. *contra Gentes. cap.*81. assignat hanc rationem, quòd nempe natura non possit operari nisi per aliquam formam, quæ dum corrupta est, nequit esse principium operandi; *Ratio fundans impossibilitatem ex D.Thoma.* sed hæc ratio tantùm probat, (vt *ibidem* aduertit Ferrariensis,) nihil posse producere seipsum, quod in dubium non vertitur; *Impugnatur.* vel si ratio extendatur ad causam proximam, quæ corrupta est, verum etiam

etiam est naturam nihil producere, nisi per causas existentes in se, vel saltem in sua virtute, vt excludamus vulgarem illam quæstionem de accidente, an possit producere substantiam in virtute substantiæ: sed hinc non sequitur, quin eadem causa manens possit producere effectum corruptum, quem aliàs produxit, vel alia quæcunque ei quoad hoc æquiualens, & quæ aliàs posset producere eundem effectum primò.

22 *Alia ratio impugnatur.* Alia ratio assignatur, & hæc est magis vulgaris, nempe vnum numero effectum vindicare sibi vnam numero actionem, & vnam numero causam secundam; ita vt nec ab alio numero agente, aut alia numero actione produci possit; hanc autem numero actionem naturaliter non posse redire: ergo nec idem numero effectus redire potest; quia in entitate sua numerica dependet ab eadem numero actione, à qua fuit productus.

Contrà. Hæc ratio valdè difficilis est, neque admittenda: quia vt incipiam primùm à conclusione, quæ reddit causam totius discursus, nempe quòd eadem numero actio per se faciat ad vnitatem numericam effectus, est falsum, & contra veram Philosophiam: quia vt dicitur, actio est singularium, non solùm ex parte principij, sed etiam termini, ita vt nullius sit actio, nisi quod supponitur singulare, quia neque terminare actionem potest natura, nisi vt est in indiuiduo; neque etiam elicere: ergo actio aduenit indiuiduo, & non supponitur ad eius vnitatem tanquam constitutiuum eius, vel aliquid per se antecedens ad vnitatem numericam, vt requisitum, aliàs nullum esset indiuiduum nisi existens; & magis sequenda esset illa sententia (quæ communiter reiicitur ex regulis, & serie Prædicamentorum) quæ constituit existentiam, principium formale indiuiduationis, quæ ex hac sententia sequitur: quia actio non facit ad vnitatem numericam indiuidui, nisi in quantùm dat *esse*, seu existentiam: ergo vnitas illa ab existentia sumenda esset primò; quia vnitas numerica est entis in ordine ad se, & non ad causas extrinsecas, & non solùm sumitur à causis formalibus essendi, vel in parte, vt à materia, vt dicit D. Thomas in corporeis, vel ab ipsa essentia in spiritualibus, vel præcisè ab ipsa entitate, quæ intrinsecè, & per se est singularis à parte rei, vt dicunt alij; vel certè ab vltimo gradu realitatis, vt nos cum Doctore tenemus; quibus non est iam vacandum: sed supponenda principia communia, & secundùm ea discurrendum ad propositum.

Actio nō facit ad constitutionē indiuidui.

Vnde sumenda vnitas numerica.

23 Hæc ergo numero actio facit per se ad vnitatem numericam indiuidui, vel in *esse* entis per se, & Prædicamentalis; vel in effectus. Si tantùm in effectus sic determinatè producti, vt sit formaliter hic numero effectus formaliter in *esse* huius effectus per hanc numero actionem; loquendo præcisè de ipso in ratione effectus formaliter, & huius effectus, vt recipit *esse* per hanc actionem, vera est propositio: sed non respondet ad propositum, quia non quæritur ad scopum difficultatis, an hæc numero actio redire possit virtute causæ naturalis, & consequenter effectus vt per hanc numero actionem duntaxat est; sed an indiuiduum substratum huic actioni possit saltem per aliam numero actionem redire virtute naturæ, & saltem virtute alterius causæ, quæ ipsum primò potuit producere: & licèt non esset idem numero in ratione huius effectus per hanc numero actionem, quæ in re posita est: esset tamen idem ens numero, per aliam numero, quod fieri posse mox probabimus.

Indiuiduum per diuersas actiones numero est producibile.

Si autem dicatur hanc numero actionem facere per se ad vnitatem indiuidui in *esse* entis. Propositio est falsa in Philosophia; tum quia Indiuiduatio supponitur ad actionem, & existentiam; tum quia perinde Petrus siue existat, siue non existat, ponitur per se in Prædicamento: tum quia propositiones necessariæ, scientificæ, & vniuersales, & æternæ veritatis perinde distribuunt pro indiuiduis existentibus, & non existentibus; aliàs certè non essent æternæ veritatis, & necessariæ, & scientificæ, sed merè contingentes, vt distribuunt pro suppositis, seu indiuiduis; tum quia qui concipit Antichristum, aut aliud indiuiduum non existens, concipit verè aliquod indiuiduum, & constitutum completè in *esse* indiuidui, & quod non potest prædicari de pluribus, sed de vno solo: concipit autem non in ordine ad existentiam in actu, aut actionem hanc numero: ergo neque existentia, minùs autem actio facit ad vnitatem numericam effectus in *esse* entis prædicamentalis, & consequenter principium hoc, in quo cætera illius responsionis fundantur, non ostendit repugnantiam. 24

Indiuiduatio supponitur ad actionem & existentiam.

Ex cuius suppositione argumentor ad destructionem antecedentis, quod est *hunc numero effectum exigere hanc numero causam*, ideo hic numero effectus exigit hanc numero causam, hanc numero actionem, quia per se faciunt ad vnitatem numericam effectus ex ratione assignata; sed vnitas numerica effectus, inuariata in se, perinde manet respectiuè ad quamcunque causam potentem producere effectum, & ad quamlibet productionem, per quam natus est idem numero effectus produci: ergo etiam causa prima neque se sola, neque per aliam productionem numero, aut specie diuersam potest eundem effectum primò producere, aut corruptum reproducere, etiam supernaturaliter; quia si non manet ex his principiis eadem numero causa, idem numero effectus, nec manebit vnitas numerica effectus; ergo, &c. sed consequens est falsum, etiam secundùm opinantes: ergo & antecedens: quia *ex vero nil nisi verum deducitur.* 25

Sequeretur ex ratione præmissa causam primā non posse effectum reproducere.

Præterea, idem antecedens impugnatur absolutè, & in se, & negatur communiter ab omnibus, qui tenent à causa prima determinari causam secundam ad indiuiduum effectus; idem numero effectus potest produci diuersis actionibus in specie, vt per creationem, per generationem, per motum, per mutationem instantaneam, per motum tardum ex remissione virtutis in agente, vel libertate, & per motum celerem, vt si est à fortiori virtute in duplo; per generationem vniuocam, & æquiuocam, vt rana; idem *vbi* per motum circularem, & obliquum, vt superiùs in prima quæstione probatum est contra Durandum: ergo non exigit hanc numero actionem: ergo neque etiam hanc numero causam.

Idem effectus per diuersas in specie actiones potest produci.

Deinde, idem quod producitur ab vna causa, potest ab alia eiusdem virtutis, & efficaciæ, & cæteris concurrentibus produci, saltem diuersa numero actione, vel certè eadem. Si loquamur de actione pro re acta, potest etiam à causa perfectionis virtutis, & eminentioris, quia nulla ratio 26

Idem à diuersis causis produci potest seorsim.

ratio in oppositum præter iam impugnatam assignari potest: tum etiam quia secundùm Philosophum, non est ordo per se, & essentialis, inter indiuidua sicut inter species; esset autem hoc falsum, si vnum indiuiduū ita per se supponeret aliud in *esse* causæ, vt à nulla alia creata produci posset. Præterea, sicut natura ipsa, v.g. in causis vniuocis, est principium agendi, & terminandi actionem, quæ indifferenter respicit omnia indiuidua participantia eandem naturam; ita non constituit hoc indiuiduum causæ determinatè in ordine ad determinata indiuidua, & non in ordine ad alia eiusdem rationis, & perfectionis. Vnde quod in re est causa vniuoca effectus, posset in alio rerum, & causandi ordine esse causa suæ causæ, si præexisteret, & applicaretur ad eius productionem, vt Abraham posset esse sic in alio ordine filius Isaac, vt optimè Doctor *in 2. distinct.20. quæst.2.* Ratio autem huius est, quia inter indiuidua eiusdem speciei non est ordo essentialis; quia vniformiter participant naturam; ita etiam indifferenter se mutuò respiciunt, & non determinatè per se ex necessitate essendi, licèt contingenter vnum sit ab alio hîc, & nunc. Ex quibus sequitur impotentiam reducendi eundem effectum à natura, non fundari in ratione iam assignata, neque per eam probari repugnantiam.

Ordo accidentalis in indiuiduis non essentialis.

Natura in causis vniuocis nō constituit ordinem essentialem.

Cur non sit ordo inter indiuidua essentialis.

27 Quartò impugnatur fundamentum huius repugnantiæ, vt ab aliis assignatur in hoc, quòd naturalis ordo, qui seruatur in agentibus naturalibus, id postulet: hæc enim licèt ex se habeant virtutem indifferentem, & quasi generalem ad plura indiuidua eiusdem speciei producenda; in vsu tamen & exercitio ipsa natura semper determinata est ad producenda indiuidua numero distincta. Hoc ordine supposito benè infertur quòd natura non sit nata agere ad idem. Hic modus placet Suario *in 3. part. tom.2. disput.44. sect. 6.* & eum sequitur Ægidius, eum citans §.5. *num.*33. *&* 37. Fundamentum eius adducitur, quia id consentaneum est naturæ, & ideo Deus iuxta hunc ordinem naturæ creat animas rationales diuersas, & non eandem infundit diuersis corporibus: & à posteriori probatur ex eo quòd natura id quòd semper agit, ex se habeat, quòd illud agat: sed semper producit in rectum producendo secundùm diuersos effectus: ergo. Probat præterea ratione euidenti naturali Ægidius Lusitan. *num.*38. Reducitur ratio ad hoc, quòd nihil potest esse simul in actu & potentia. *ex 9. Met.* Ergo quando iam effectus semel productus est, & fit in actu, non est amplius in potentia, aut virtute actiua causæ creatæ.

Alia ratio ab aliis assignata.

Explicatur.

Eius fundamentum.

28 Contrà: hic modus non subsistit, & vt incipiamus à ratione hac vltima, quam demonstratiuam dicit ille auctor. In primis æquiuocat de potentia, vt dicitur effectus esse in potentia: nam vel intelligitur de potentia, quam nos communiter dicimus obiectiuam, & quæ opponitur actui existendi, de qua etiam loquitur Philosophus, & sic est ipsa possibilitas effectus cum carentia actus existendi, cui succedit ipse actus existendi per productionem rei tanquam habitus, seu affirmatio opposita illi negationi, aut priuationi, qualem volueris esse, & sic verum est nihil esse simul in potentia, & actu, neque esse posse per diuinam potentiam: ergo si destruitur virtus causæ productiuæ, posito effectu in actu, sequitur etiam destrui potentiam causæ primæ, & non solius creatæ; quod negat præfatus author cum communi. Non rectè ergo, sed secundùm æquiuocationem arguitur ex oppositione actus, & potentiæ primo sumptæ ad oppositionem actus, & potentiæ secundo modo sumptæ: quia primo modo sumpta est possibilitas, aut potentia passiua entis, cum carentia actus? secundo modo sumpta est ipsa virtus actiua causæ, quæ eadem semper manet, siue producat effectum, siue non, & nullum ex productione dispendium, aut diminutionem patitur: imò rectè ex illo principio infertur oppositum: quia ens in potentia, & ens in actu opponuntur contradictoriè, aut priuatiuè: ergo alterum necessariò inest: ergo quando destruitur actus per corruptionem, succedit negatio actus, & sic redditur sicut priùs ens in potentia: ergo respectiuè ad causas priores productiuas eius naturaliter, & quarum virtus ex productione non mutatur, possibilis est. Quod argumentum *suprà* deduximus.

Impugnatur.

Tollitur æquiuocatio potentiæ.

Potentia obiectiua.

Fallacia æquiuocationis.

Retorquetur ratio.

Deinde, virtus actiua indifferens causæ creatæ, & vniuersalis, neque de se limitata ad vllum effectum in numero, nequit in vsu, & exercitio seipsam primò determinare ad hoc indiuiduum magis quàm ad aliud: ergo ratio assignata est falsa. Probatur antecedens; illa indifferentia est potentia passiua, quæ necessariò per aliud, nempe per extrinsecum reduci debet ad actum, sicut patet vniuersaliter in reliquis similibus. Quòd verò sit potentia passiua, probatur: quia virtus causæ naturalis indifferens ad infinitos effectus in numero eiusdem speciei, & perfectionis de se non respicit vnum magis, quàm aliud indiuiduum effectus: neque potest producere simul totam latitudinem effectuum: quia materia non est capax, neque ex parte effectuum est aliqua determinatio in vno ad *esse*, & *produci*, vt simul respiciunt virtutem causæ; ergo debet hæc determinatio prouenire ab extrinseco, & non ex natura causæ creatæ indifferentis. Declaratur exemplo, quando effectus est indiuisibilis, ita vt à pluribus causis eiusdem ordinis, & perfectionis nequeat simul produci, si applicentur eidem materiæ duæ causæ totales, non potest effectus produci ab vna magis, quàm ab altera, nisi determinetur altera ad effectum per aliud extrinsecum; quia nequit agere vna nisi secundùm extremum virium, cùm sit naturalis; & sic produceret totum effectum, qui nequit partialiter attingi: eodem modo produceret altera, quod repugnat; quia effectus non est capax duplicis productionis totalis: vel vtraque produceret diuersam formam, quarum non est capax materia.

29 *Determinatio ad indiuiduum effectus non est à causa secunda.*

Causa secunda est indifferens ad omnes effectus eiusdem naturæ & perfectionis.

Exemplum.

Vel ponamus aliud exemplum, quod negari non potest; graue mouet deorsum naturaliter: in bilance ponantur duæ libræ eiusdem metalli, & pōderis, neutrum trahit lancem deorsum: quia non est maior ratio, cur vnum magis quàm aliud, & vtrumque se mutuò adæquant. Ita in proposito virtus causæ naturalis positis cæteris indifferenter, ita est indifferens ad indiuidua eiusdem perfectionis, & formas: ergo nequit habere vsum, & exercitium illius virtutis in ordine ad vnum determinatum, nisi aliunde accedat determinatio: ergo non extrinseca virtute causa naturalis indifferens hoc modo potest se determinare: quia illa est differentia causæ liberæ, quòd ab intrinseco habeat aliquam determi-

30 *Aliud exemplum.*

determinationem, quam non habet causa naturalis indifferens virtute, quæ simul nequit transire in totam latitudinem effectuum, neque in hunc magis, quàm alium similem, quia nulla est determinatio virtutis ab intrinseco ad vnum magis, quàm ad alterum, neque ad vtrumque simul potest ob repugnantiam eorum ad tertium, nempe ad materiam, quæ per vnum actuatur complete, & vtrumque æqualiter respicit: ergo ordo ille agendi ad diuersa non fundatur in virtute causæ creatæ, vt comparatur ad effectus indifferentes, seu ad quos est indifferens: & iam probatum est inter illos effectus spectata virtute præcisa causæ connumerari illud, quod est corruptum, & iam existit in potentia sicut anteà fuit, in potentia, inquam, causæ. Vnde colligitur hunc ordinem causandi falsò attribui naturæ, vt consideratur ab intrinseco, & vt distinguitur ab authore naturæ, & eius speciali dispositione, & influxu: quia sic nullus ordo conuenit naturæ, quà actiua est ad sui perfectionem, nisi ille, qui fundatur in virtute causarum naturalium: hic ordo non ita fundatur, vt probatum est: ergo, &c.

Fundamentū huius indifferentiæ.

Ordo prætensus nequit fundari in natura.

31 Præterea, hic modus dicendi non admitteretur à Philosopho, neque ex principiis eius deduci potest; quia in primis nullum ordinem per se admittit ipse in indiuiduis eiusdem speciei, sed tantùm contingentem, & ab extrinseco; quod non esset verum, si natura in exercitio determinaretur ad vnum effectum in numero, modo dicto: quia licèt vnum indiuiduum non supponeret aliud, vt causam priorem sui; tamen supponeret alium in ratione effectus prioris, ex subordinato modo agendi causæ prioris. Deinde, Philosophus ex eo quòd causa prima per ipsum agit naturaliter, seu necessariò, proinde vniformitatem motus, & perpetuitatem in ipsam reducit; vnde etiam differentiam motus, & contingentiam (ex quibus est differentia, & contingentia effectuum inferiorum iuxta eundem) reducit in causas inferiores & differentes hîc, & nunc in diuerso concursu, & situ concurrentes. Eodem etiam consequenter modo admitteret causam naturalem ex se quidem idem agere, & vniformiter, sed differentiam effectuum reduceret ad alias simul concurrentes hîc, & nunc, & nullo modo in diuersum modum, & determinationem ipsius causæ in agendo: qui ordo ex principiis eius non subsistit.

Ille ordo non admitteretur à Philosopho.

Ordo essentialis inter indiuidua non admittitur à Philosopho.

Vnde sit diuersitas in effectu iuxta Philosophū.

32 Deinde, non valet consequentia prætensa, nempe naturales causæ de facto agunt in directum per differentes effectus; & hoc conuenit naturæ: ergo ab intrinseco modo dicto: hæc, inquam, consequentia non valet, quia per se conuenit naturæ, quidquid ei competit ex Authore naturæ, & dispositione eius, ex qua dispositione est ordo ipse rerum, & applicatio causarum in ordine ad hos, aut illos effectus, in indiuiduo magis, quàm ad alios: nam sicut motus cælorum, & applicatio ordinata causarum generalium iuxta cursum præscriptum, est ab authore naturæ, ex quibus desumitur diuersitas effectuum in specie hîc, & nunc producta in exercitio; ita etiam indiuiduorum ordo ab eodem Authore est. Vnde, instantia illa de diuersis animabus confirmat propositum, quia eandem animam infundi diuersis corporibus non compatitur cum fine creationis, ad effectum prædestinationis, & præmij, & meriti, aut demeriti, & pœnæ, & statutum terminum vtriúsque; inde ergo est quòd eadem anima non infundatur pluribus corporibus; non verò ob exigentiam naturæ ab intrinseco; quia eandem animam vnire corpori perinde faceret ad perfectionem vniuersi, & naturæ hîc & nunc, quantùm ex hoc indiuiduo particulari posset redundare, quàm animam nouam infundere. Recurrendum ergo est ad dispositionem Authoris naturæ, & non ad naturas particularium causarum, quando differentia effectus ex iis non colligitur; atque id faciendum est in omni casu, in quo deficit virtus causæ, aut determinatio, & applicatio sufficiens ab intrinseco à perfectione, & differentia, & determinatione effectus. Ex his patet solutio illius rationis à posteriori, quam assignat præfatus author, in eo quòd illud, quod semper facit natura, ex se faciat, vel habeat id facere. Verum est si intelligatur de iis, quæ ab intrinseco conueniunt naturæ, vt causam naturalem vniuocam producere sibi semper simile: non tamen quòd producat hoc indiuiduū magis, quàm aliud, quia finis actionis est propagare speciem in aliquo indiuiduo, quod sit hoc indiuiduum magis quàm aliud; neque ex fine, neque ex virtute agentis colligitur; sed ex sola applicatione causæ superioris, quæ sicut virtutem dedit causandi, sic etiam supplet eius defectum in exercitio respectiuè ad effectus, quos vult, applicando illam virtutem, vt posteà videbimus.

Illatio non fundatur.

Impugnatur instantia allata de diuersitate animæ.

Quando refundi debet effectus in Authorem naturæ.

Soluitur ratio vt est à posteriori.

Quintò destruitur ratio aliorum, quâ conantur hanc repugnantiam reducere ad circunstantias, quæ ita determinant ad hunc numero effectum, vt impossibile sit produci aliud indiuiduum in his circunstantiis. Hæc ratio patitur plures difficultates in causis liberis, quàm hîc ex professo impugnare non expedit, nisi tantùm vt facit ad institutum. Res ipsa indifferens est ad quascunque circumstantias loci, temporis, &c. quia potest existere, imò de facto existit in variis circunstantiis, & diuersis ab iis, in quibus producta est: ergo potuit, aut potest in iis produci primò, & consequenter corrupta reproduci. Probatur consequentia: quia quibuscunque circunstantiis non repugnat *esse* effectus, non repugnat eius *produci*, aut *fieri*, si causæ per se applicentur: ergo in omnibus circumstantis, in quibus potest esse effectus, potest ex natura effectus produci in iisdem, si aliàs non sit. 33

Alia ratio.

Reduci determinationem ad circunstantias aliqui volūt.

Impugnatur.

Effectus est indifferēs ad omnes circūstantias, in quibus potest esse.

In iisdem potest produci primò.

Antecedens probatur, quia *fieri* effectus nihil dicit præter negationem, quæ est terminus *à quo* distinctus ab ipso *esse* effectus; sed negatio illa non repugnat circumstantiis vllis ex se: quia sicut terminus *ad quem*, seu ipse effectus potest esse in variis circumstantiis, in iisdem potest non esse, cùm de se non dicat necessariò *esse*: ergo & eius negatio potest esse in iis circumstantiis, vel non repugnat eam esse: ergo nullæ circumstantiæ ex his, in quibus potest esse effectus, vel est de facto, dicit necessariam connexionem cum effectu, aut existentia eius ex natura sua, neque cum negatione etiam essendi eius, sed alterutri coniungi potest: ergo productio effectus in illis circumstantiis est indifferens, ita vt in singulis possit esse, vel non esse. Patet consequentia: quia repugnantia, aut necessaria connexio circumstantiarum cum productione effectus oritur ex connexione determinata, aut repugnantia circumstantiarum ad alterum terminum productionis; cùm productio ex se non fundet 34

Circumstantia non dicūt ordinem determinatum ad existentiā effectus, aut etiam negationem.

hanc

Repugnantia productionis ad aliquid fundatur in terminis à quo vel ad quem.

hanc connexionem, aut repugnantiam, niſi ratione alicuius termini, ſcilicet *à quo*, vel *ad quem* ipſius productionis: ſed hoc inſtans, v.g. temporis, tam capax eſt termini, quàm *non eſſe* termini, ſeu effectus: ergo tam capax eſt productionis, quàm ipſius termini producti, ſeu *eſſe* eius. Probatur conſequentia, quia hoc inſtans, vt eſt coëxiſtens termino intrinſecè, aut extrinſecè, non ſupponit determinatè *eſſe* termini pro tempore antecedente; neque ſupponit *non eſſe* termini pro tempore antecedente determinatè, quia ſiue præceſſerit *eſſe* eius, ſiue *non eſſe* determinatè, non facit ad coëxiſtentiam prædictam, quæ fundatur in ipſa indiſtantia, tam inſtantis, quàm rei quoad exiſtentiam ſimultaneam, & exiſtentiam inſtantis; ſeu coëxiſtentiam nequit menſurare *eſſe* effectus, niſi præciſè, prout concipitur eſſe coëxiſtens; & hæc coëxiſtentia poteſt eſſe, ſiue præceſſerit *eſſe* rei, ſiue non præceſſerit pro tempore antecedenti; & ſicut ſe habet ipſa res indifferenter quoad *eſſe*, vel *non eſſe* in tempore antecedenti, ita etiam eius coëxiſtentia ad hoc inſtans ſe habet indifferenter quoad coëxiſtentiam, ſeu non coëxiſtentiam tempori antecedenti inſtans: quod tempus ſicut eſt inſtanti extrinſecum, vt comparatur præciſè ad *eſſe* rei in ipſo inſtanti, & extrinſecum etiam rei tanquam diuerſa menſura, ita etiam non facit ad coëxiſtentiam rei ad inſtans, neque inſtantis ad rem ipſam: ergo quamuis præceſſerit *non eſſe* rei pro tempore antecedenti, poteſt res eſſe in inſtanti ſequenti; & res aliter ſe habere ad inſtans, quàm ſe habuit ad tempus antecedens: ergo produci in tali inſtanti primo potuit, vel certè aliàs productum continuari, & conſequenter non habet tale inſtans determinatam connexionem cum ipſa re in indiuiduo, quin poſſit in eo eſſe, vel non eſſe, produci, vel non produci; produci primò, vel aliàs productum continuari in *eſſe*, vel corrumpi.

Ordo rei ad menſurā extrinſecam.

35 *Confirmatio.* Confirmatur, inceptio, vel deſitio rei ſunt mutationes oppoſitæ: ergo pro quocunque tempore, aut menſura poteſt eſſe vna, poteſt etiam eſſe altera ex regula oppoſitionis; intelligo ſic, quòd pro illo inſtanti, pro quo poteſt eſſe corruptio rei, quòd prima productio eius potuit etiam fuiſſe pro illo inſtanti, ſi pro illo tum primò applicarentur cauſæ eius productiuæ; ſed ens corruptibile poteſt pro omni menſura, pro quo eſt corruptibile, corrumpi primò: ergo etiam pro quolibet tali potuit fuiſſe prima eius productio; & ſicut corruptio non vindicat ſibi per ſe, & neceſſariò aliquod inſtans determinatum, ita neque productio. Deinde, continuatio rei in *eſſe* æquiualet eius productioni; ex vi enim productionis non habet res quòd ſit pro alia menſura, ſed ex conſeruatione; ergo ſicut conſeruatio, quæ poteſt eſſe, & non eſſe pro omni determinata menſura ſequenti, non vindicat ſibi aliquod determinatum tempus, ita neque prima productio, neque vlla poteſt ratio eſſe oppoſita.

Primò produci poſſet res pro inſtāti, quo deſinit.

36 Hoc argumentum perinde probat de ſingulis aliis circunſtantiis permanentibus, in quibus poteſt eſſe, & non eſſe effectus, produci, vel non produci, vel diuerſus numero produci; imò etiam de tota collectione, ſimul quia ſicut quælibet circunſtantia eſt diuerſi ordinis, & generis, & etiam cauſalitatis ab alia, ſi quam habet, ita nihil alteri ſuperaddit in proprio genere alterius, neque conſequenter alteri coniuncta acquirit maiorem determinationem, quàm illam, quam ex ſe habet, neque inducere poteſt etiam agenti in effectis naturalibus, in quibus omnes circunſtantiæ, quæ non habent rationem cauſæ, aut conditionis, ſunt concomitantes: ſi autem habent rationem cauſæ, aut conditionis, illa eſt indifferens ad quemcunque effectum eiuſdem ordinis, & perfectionis in ſpecie, ſicut & virtus ipſa cauſæ ex ſe eſt ita indifferens, vt concedit hæc ſententia, ac proinde recurrit ad circunſtantias.

Circunſtātiæ ſunt concomitantes.

Vis huius argumenti conſiſtit in hoc, quòd nulla circunſtantia dicat determinatam connexionem cum *eſſe* huius effectus, neque cum *non eſſe* eius, aut cum *non eſſe* aliorum effectuum ſimilium; quia tam hic effectus, quàm alij poſſunt non eſſe in iis circunſtantiis determinatis, & his variatis permanere, & omnino non eſſe in iis circunſtantiis: ſed hinc infertur primò quòd nullam connexionem neceſſariam habent cum productione huius effectus. & probatur illatio, quia ideò haberent connexionem cum productione effectus, quatenus exigerent ipſum *eſſe* effectus ex natura ſua, & talis connexionis; hoc non exigunt, quia ad *eſſe*, & *non eſſe* eius ſunt indifferentes, vt probatum eſt de circunſtantia temporis, in quo faciliùs poſſet euadi vis argumenti. 37

Difficultas argumenti ponderatur, & applicatur.

Sequitur ſecundò has circunſtantias nullam inferre determinationem agenti, vt in ipſis, hunc tantùm numero effectum poſſit producere, & non alium. Probatur ſequela, quia virtus agentis, vt ſupponit hæc ſententia, eſt indifferens, vt producat ſibi ſimile, vel effectum in ſpecie in quibuſcunque circunſtantiis, in quibus agere poteſt, & agit de facto: ergo non dependet ab his determinatis circunſtantiis virtus agentis in ſpecie, tanquam ab aliquibus prioribus, ſicut dependet ab approximatione, à concurſu aliarum cauſarum: ergo quòd dependeat ab his, quoad hanc numero actionem, & effectum, eſt tantùm ex dependentia ipſius actionis, & effectus in numero, quatenus dicit neceſſarium ordinem ad has numero circunſtantias; ſed nulla eſt talis dependentia, vt probatū eſt: ergo neque determinatio prætenſa per circunſtantias, & conſequenter poteſt effectus produci, corrumpi & reproduci in aliis circunſtantiis; & ſicut virtute cauſæ primæ id fieri poteſt, idem etiam contingere poteſt virtute cauſæ creatæ, quantùm eſt ex parte virtutis, & effectus. 38

Non determinari virtutē agentis per circunſtātias ad hunc numero effectū.

Sextò, ab aliis aſſignatur fundamentum huius repugnantiæ, non ex parte cauſæ creatæ, neque etiam effectus; ſed ab extrinſeco, nempe ex determinatione cauſæ primæ, cuius eſt ad indiuiduum huius effectus determinare: quæ eſt ſententia ſatis communis nunc dierum in ſcholis, & quam ſupponit Doctor *in 2. diſt. 20. q. 2.* & aliàs ſæpè, vt *in 1. diſt. 36. & 37.* Dato ergo quòd cauſa prima ſola determinat ad indiuiduum determinatum effectus, dicitur quòd ideò non poteſt naturaliter redire idem numero effectus, quia determinatio cauſæ primæ eſt ad nouos, & nouos effectus, non autem ad eoſdem reproductos. Hanc rationem præ cæteris probabilem exiſtimo, neque ſententiæ Doctoris repugnat; quia non ſtatuit repugnantiam intrinſecam ex parte cauſæ creatæ, aut effectus reproducendi ab eadem, ſi Deus concurreret, ſed impedimentum extrinſecum tantùm, quatenus effectus 39

Sexta ratio aliorum.

vt sit, requirit sui determinationem in causa prima. Non sequitur tamen inde repugnare absolutè effectum reproduci à causa creata: quia ad tollendam hanc repugnantiam nihil aliud exigitur, quàm vt virtus causæ sit completa in suo genere, & includat in se effectum, & applicari possit suppositis requisitis, & concursu primæ causæ: nam hoc modo dicimus plures effectus esse possibiles causæ creatæ, qui tamen ab ea nunquam procedent, & nunquam recipient *esse*: quia non sunt determinati ad essendum per causam primam. Cæterùm admittuntur possibiles produci. Ergo eodem modo licèt in exercitio non producantur iidem effectus denuò à causis creatis, ob rationem prædictam: tamen non sequitur non esse possibiles produci: quia ad possibilitatem sufficit virtus completa in causa, & posse applicari, & non repugnare, effectum esse à causa: quæ omnia saluantur, quanquam in actu non contingat effectum sic produci, aut causam ad eius productionem applicari.

Impugnatur.

Dependentia à causa prima non statuit impossibilitatem.

Diuersæ igitur sunt hæ propositiones; *Repugnat effectum reproduci virtute causæ creatæ*; & *effectus non reproducitur virtute causæ creatæ*, quia prima statuit repugnantiam ex parte causæ, & tollit potentiam actiuam eius, & sic est falsa. Secunda verò non tollit possibilitatem causæ, aut effectus, sed ipsum effectum, & exercitium, & applicationem, quæ quidem possibilia simpliciter sunt, impossibilia tantùm secundùm *quid*, & ex suppositione, stante rerum cursu à diuina voluntate ordinato, supra quem cursum licèt aliquid fieret, esset quidem miraculum, non tamen impossibile.

40 Hunc modum impugnat Ægidius Lusitanus tanquam improbabilem; quamuis admittat ad indiuiduum actus determinari à causa prima; sed non inde infertur, inquit, intentum; quia vnde constat Deum ita determinasse ad nouos semper effectus ex mera sua libertate, & non contingere vt ad reproductionem eiusdem quandoque determinet, quia hoc nequit sciri nisi ex reuelatione. Si verò dicatur illam determinationem Dei supponere fundamentum ex parte causarum secundarum, quatenus exigant procedere semper in nouum effectum; sententia est probabilis, quia statuit primam radicem determinationis in ipsa natura causarum, cui accedit Dei determinatio. Ita ille *num.36.* Sed hæc non cogunt, quia illud statutum, licèt sit liberum, tamen est prouidentia eius ordinaria, & magis conueniens naturæ ex fine creationis rerum, & mutationis, & virtutis causarum. Ex fine quidem creationis, vt ostendatur Dei potentia, & sapientia, non solùm ex multiplicatione specierum vniuersi, sed vnius speciei in pluribus, & variis suppositis, ex fine mutationis; quia mundus inferior ad vsum hominis creatus consistit in fluxu, & successione; successiuum autem non constat iisdem partibus, sed diuersis ex fine virtutis, & efficaciæ causarum, quia rarò concurrunt eædem causæ, vt idem efficiens generale in eodem situ, & applicatione, aut idem agens particulare, & eadem materia: hinc est, vt non idem sequatur effectus, aut debeat sequi: quamuis id non repugnet, & in casu, quo eædem causæ concurrant, aut aliquæ æquiualentes ad producendam eandem formam in specie in eadem materia, in qua fuit corrupta prior forma, non ideò dispositio vniuersalis in casu contingenti præteriri debet, sed seruari; ideóque non eadem forma numero debet produci, quæ fuit corrupta, sed alia noua; licèt ex præcisa natura causarum id non oriatur, tanquam ex prima radice, sed ex determinatione Authoris naturæ, ex causis verò accessoriè, vt huic determinationi subsunt. Ostensum autem est non posse oriri ex natura causarum: ergo recurrendum est ad aliquam causam huius ordinis, non ad aliam, quàm ad primam, à qua est ordo naturæ, & omne supplementum, cuius causa in ipsa natura non inuenitur.

Obiectio.

Responsio.

Prouidentia Dei ordinaria agit ad effectus nouos & nō ad eundem reproducendū.

Congruitas huius.

Vltimò tandem probatur conclusio, quia effectus corruptus potest redire diuina virtute: ergo Deus potest applicare omnem causam per se productiuam effectus: ergo & causam secundam; sit applicatio miraculosa, non refert; productio erit naturalis: ergo virtute naturæ applicatæ ad eundem effectum non repugnat redire eundem in numero: quia in eo casu non ageret vt instrumentum per potentiam obedientialem, sed ex virtute innata. 41

Vltima probatio conclusionis ex Dei virtute.

Dices applicationem esse supernaturalem.

Responsio.

Contrà. Etsi applicatio sit supernaturalis in hoc sensu, quia redire eundem effectum sit supra cursum naturæ ordinarium; tamen si sumatur applicatio in ordine ad alias causas concurrentes, vt in ordine ad materiam eandem, potest merè naturalis esse, illa ergo supernaturalitas prætensa priori modo est petitio principij. Deinde, ratio ipsa probat, maximè esse naturale agentibus creatis subordinari primæ causæ, ab eáque applicari posse ad effectus, quos in sua virtute includunt; sed ens illud corruptum includunt causæ naturales in sua virtute: ergo applicari possunt à Deo ad eius productionem.

Impugnatur.

Dices quòd causa, quæ produxit illum effectum, iam amisit potentiam respectu eius. Hæc responsio est Fonsecæ 8.*Met. c.5. q.1. sect.3. ad* 4. Meritò eam reiicit Suarez *in metaph. disp.6 sect.*8. vt non intelligibilem, & assertam sine fundamento. 42

Responsio.

Contra eam superiùs egimus in primo & secundo argumento. Et sic argumentor: Manet eadem virtus causæ in actu primo inuariata, sicut ex sua substantia: ergo de se potest terminare dependentiam posterioris, si posterius redire potest; quia neque posteriori repugnat dependere à virtute causæ, à qua primùm dependebat, neque causæ terminare talem dependentiam, quæ ante ad ipsam fuit. Posterius illud, est ipsa actio numerica, qua effectus productus est, vt exiit actio à principio actiuo se ipsa immediatè ad illud dependens; vel est terminus ipsius actionis; sed tam actio, quàm terminus redire potest respectiuè ad eandem causam, vel ad aliam eiusdem virtutis; ergo manet non solùm potentia causæ in actu primo, sed etiā vt nata est reduci in actū secundum, Deo saltem illam sic applicāte. Probatur subsumptum: quia ideo actio redire nequit, quia actioni in specie hoc repugnat, vel huic actioni in numero. Non primum; quia sic repugnaret redire posse terminum diuina virtute per eandem in specie actionem: quod non admittunt opinantes: Deus enim potest reparare annihilatum Angelum per creationem de nouo: non repugnat actioni redire quà hæc numero fuit, loquendo de actione, vt est productio termini; quia sic etiam sequeretur quòd Deus non posset hāc numero creationē reducere, in quo tamen nulla potest assignari repugnantia, &

Impugnatio.

Non repugnat actionem aut terminū redire.

& prætereà, vel ideo repugnat actionem eandem redire, qua productio est termini, vel quia transit in terminum, & exit, vt quidam dicunt, à virtute actiua causæ in terminum:sed sic etiam actio Dei exit in terminum à virtute causæ, in quo par est actioni causæ secundæ; vel ideò nequit redire, quia desinit esse per corruptionem: sed & ipse terminus desinit esse per corruptionem, & tamen redire potest: corruptio autem nihil statuit magis repugnans actioni, quàm termino: si enim hæc actio, per quam producitur terminus, est ipsi connaturalis, quà producibilis est, ita etiam connaturale erit ipsi, quà producibilis est, extremis omnino inuariatis: ergo ad eam manet virtus causæ in potentia tanquam ad actum secundum, Deo ipsam applicante. Deinde, vtraque ratio assignata corruit respectiuè ad aliam actionem, quæ nunquam posita est in *esse*, per quam tamen potest produci effectus: v.g. per generationem vniuocam, & æquiuocam: quia si producatur per vnam, quare per alteram non possit reproduci, Deo applicante causam? Item, si Deus potest idem reproducere per creationem, quare etiam non posset per generationem naturalem, quæ potest haberi virtute causarum naturalium, saltem illarum, quæ nunquam transierunt in actum respectu illius termini: nam hæc ratio à quibusdam datur, cur Deus possit reducere idem numero, quia potest nempe agere diuersis actionibus ad eundem terminum: quæ ratio etiam currit in proposito.

Potest per actionem nouam idē terminus reproduci.

44 Deinde, non magis destruitur potentia causæ efficientis per productionem formæ, quàm potentia passiua materiæ, in qua fuit; sed corrupta forma redit potentia materiæ ad statum potentiæ naturalis passiuæ, hoc est, capacitatis naturalis ad illam formam cum priuatione ipsius, & non cum negatione repugnante formæ, & inseparabili à materia: ergo etiam manet actiua causæ efficientis. Maior cum consequentia probatur: quia potentia naturalis passiua materiæ ad formam naturalis ordinis, & producibilitatis, subordinatur potentiæ actiuæ causæ naturalis, & eodem modo ante formæ,& post eius desitionem: ergo manet eius correlatiuum potentiæ actiuæ in natura, etiam post desitionem formæ.

Par ratio est de potentia actiua, & passiua permanentia.

Probatur minor; quia capacitas materiæ, seu appetitus per se eius manet, quia est ingenerabilis, & incorruptibilis; sicut & ipsa materia; manet, inquam, respectiuè ad ipsam formam, ita vt si rediret eadem forma, eodem modo esset actus per se materiæ, & fieret ex vtraque idem compositum, quod prius, ex partibus per se iisdem, & eodem modo concurrentibus; ergo negatio succedens formæ corruptæ in materia, est priuatio formæ, quia alia negatio non est compatibilis, etiam per diuinam potentiam cum appetitu naturali materiæ. Ex quo facilè refutatur responsio Ægidij *num.39.* qui dicit corrupta forma manere aptitudinem obedientialem, vt redeat, si hoc intelligat de aptitudine materiæ, seu appetitu naturali eius, est absurdum, sicut æquè absurdum esset dicere, si forma illa rediret, non facere per se compositionem eandem, actus per se, quam primò facit: ergo respiceret per se materiam, tanquam potentiam per se naturalem,& non solùm obedientialem. Si intelligat aptitudinem obedientialem respectiuè ad produci ab agente creato, petit principium, & nihil probat in re ipsa, sed verbis contradicit, dicens negationem, quæ sequitur ad corruptionem, esse priuationem actus essendi, ac proinde priuare possibilitate essendi; negationem verò, quæ antecedit, esse negationem actus essendi, non priuationem.

Manere potentiam naturalem per se subiecti ad formam corruptam.

Hanc Philosophiam non capio, neque ipso eam explicare videtur per aliquam rationem notiorem, sed in hoc modo dicendi tantùm inhærere. Superiùs egimus de hoc sufficienter ex comparatione adæquata harum negationum ad ea, ad quæ debeant comparari.

Plures aliæ probationes afferuntur pro conclusione; quibus omissis, confirmatur ratio contra dictam solutionem: in primis, causa potens producere illam formam corruptā, & non produxit, saltem est in potentia ad eam producendam:quia potentia eius non fuit vnquam reducta ad actum.

Causa productiua non producens manet in potētia ad producendum.

Dices fuisse reductam ad actum æquiualenter; quia eo ipso,quo effectus eius fuit positus,iam desiit esse in potentia causæ creatæ in vniuersum. 45

Contrà. Hæc responsio sæpiùs confutata est superiùs. Eam iterum impugno, vt responsio sit vera, debet in omnibus causis creatis verificari respectiuè ad effectus à se productos; sed hoc est falsum; quia causa creata, à qua producitur effectus, semper dependens ab influxu causæ per productionem, non admittit potentiam actiuam: v.g. radius solaris, actus vitalis, & huiusmodi, non solùm est in potentia causæ per primam sui productionem, sed etiam quamdiu est in *esse*;sed si causa creata, vt vult præfatus author, ex sola productione effectus in actu existendi amitteret potentiam actiuam respectu effectus, hoc esset falsum; imò sequeretur absurdum hoc, nempe repugnare omni causæ creatæ conseruare suum effectum, quia ex negatione potentiæ, rectè negatur actio, & influxus.

Effectus dependens à cōtinuo influxu suæ causæ manet semper in eius potentia.

Dices aliquas causas habere non solùm potentiam productiuam,sed etiam conseruatiuam,productiuam desinere posita productione, conseruatiuam posita corruptione effectus. 46 *Responsio.*

Contrà. Eadem ipsa est productiua, & conseruatiua in illis causis; & eadem est actio ex parte causæ, & dependentia ex parte effectus, qui non variatur in existentia: ergo per solam productionem non tollitur potentia actiua causæ. Vel si dicas diuersas esse potentias, & actiones, non refert ad intentum, quia sequitur virtutem actiuam causæ creatæ non deperdi per primam productionem effectus in *esse*; vel ex eo præcisè, quòd effectus ponitur in *esse*; sed per aliam actionem saltem influere posse in effectum, quæ æquiualet productioni eius, ergo, &c. *Impugnatio.*

Confirmatur secundò, posita opinione satis communi, & recepta in schola D.Thomæ, nempe Deum non posse se solo producere actum vitalem sine concursu potentiæ, sequeretur neque per potentiam absolutam Deum posse producere actum vitalem, si repugnat causæ creatæ agere ad reproductionem formæ iam corruptæ. Sequela probatur;quia ex illa opinione nequit reproducere,aut etiam primò producere actum vitalem,nisi per applicationem potentiæ vitalis;hanc nequit applicare:quia corrupto actu,non est iam potentia:ergo &c.Hoc autem videtur absurdum asserere,quòd vlla creatura,quæ ex se est,aut fuit possibilis,transeat ad statū impossibilis,ita vt ampliùs non sit creatura,neque subsit diuinæ omnipotentiæ,ex eo tantùm quòd actum essendi,quem merè contingenter habet,amiserit; neque possit Deus ampliùs 47

Confirmatur ab inconuenienti.

ampliùs eam reducere ad actum; quia id nihil aliud est, quàm destruere prædicata essentialia, & necessaria eius, ex mutatione posterioris contingentis, quod inesse potest, & abesse, non destructo priori, quia eadem libertate ego etiam dicere possem id semper contingere, vt non maneat prius idem numero, variato posteriori, non necessariò coniuncto. Si enim resolutio difficultatum reducatur ad negationem principiorum, de reliquo nihil erit constitutum.

48 *Idem numero corruptũ aliquando redire virtute causarum.* Tandem probatur idem numero corruptum de facto redire etiam virtute causarum naturalium: quia vt *suprà* Doctor *quæstione prima in fine*, eadem numero maternitas redit in Beatissima Virgine post resurrectionem Filij, quæ fuit ante mortem eius, & sic etiam post resurrectionem erit in aliis, ergo non repugnat idem numero corruptum redire virtute agentis naturalis, si applicetur. *Maternitas in beata Virgine post resurrectionem Filij eadem redijt.* Probatur antecedens ex vi actionis qua resurrexit Christus, non potuit resultare maternitas in Beata Virgine, quia hæc fundatur in actione generatiua, vt procedit à fundamento, in quo est ipsa relatio; resurrectio Christi non fuit generatio, neque ad eam habuit vllum concursum Virgo: ergo maternitas nequit in tali actione fundari, neque ad eam referri, vt conditionem fundandi proximam, aut remotam; neque resurrectio potuit ad eam terminari, vt ad terminum immediatè productum, aut etiam mediatè, ex conditione opposita resurrectioni, quæ est actio libera; quam conditionem exigit relatio ex parte termini, nempe vt recipiat *esse* per generationem præteritam, quæ fundatur, & causa tam proxima, quàm remota eius est naturalis; sed hæc maternitas, quæ fuit in numero corrupta, est eadem quæ reuixit in numero. & probatur, quia sequitur ad eandem numero generationem præteritam, per quam inest, seu ex virtute terminorum, vt subsunt præcisè illi generationi numericæ, quæ infuit, & non respectiuè ad aliam, quæ inesse posset: ergo sicut illa numero generatio ad hanc numero maternitatem, & non ad aliam referebatur primò; sic etiam illa sola est, quæ reuixit ex virtute prioris generationis præteritæ, & non alia maternitas; quia videtur repugnare, vt alia maternitas insit virtute præteritæ actionis, quæ non infuit aliàs extremis præexistentibus ante corruptionem. Eadem ratio potest fieri de entitate compositi, vt est ex causis intrinsecis: de proprietatibus Physicis, quæ insunt ex principiis intrinsecis rei. *Alia corrupta quæ redeunt.* Et si dicas præcedere necessariò miraculum, per quod tam extrema relationis producuntur, quàm causæ intrinsecæ, vt materia & forma, coniunguntur, & subiectum proprietatis Physicæ restituatur, hoc non refert; quia supposito *esse*, hæc naturaliter eadem sequuntur, sicut cæcus illuminatus miraculosè naturaliter videt, restituta potentia visiua: ergo etiam prædicta entia naturalia corrupta, naturali virtute proximè reducuntur, quamuis supponunt operationem miraculosam, quæ terminatur ad aliud prius naturaliter ipsis. Vnde si quoad ea, quæ minùs intenduntur à natura, maneat possibilitas, eadem in numero corrupta iterum reducendi per causas proximas, si ponantur in *esse*; à fortiori virtus causarum, ex quibus natura apta est recipere principalem finem, & perfectionem suam primariam, minùs destruitur per corruptionem perfectionis; quia & hoc facit magis ad perfectionem naturæ, & sequitur ex alio, quia perfectiones secundariæ ordinantur ad primariam, quæ primò intenditur à natura, & frustrà maneret possibilitas ad hunc finem, si destruitur ab intrinseco possibilitas, quæ aliàs fuit attingendi finem principalem ab intrinseco per causas in natura. Superest vt respondeamus obiectis fundamentis oppositæ sententiæ, quod melius §. *sequenti* fiet, in quo Doctor eadem soluit.

SCHOLIVM.

Soluit argumenta pro secunda sententia posita. num. 6. & explicat graues difficultates Philosophicas de reditione respectu motus potentiæ, & de vi consequentiæ, à permutata proportione, qua sæpè vtitur Aristot. de quo egit. 1. dist. 36. num. 12. vide Tartaret. hîc.

13 *Ad arg. posita n. 6. Huius dist. sol. tertium argumentum.* g AD illa ergo quæ sunt pro opinione secunda, & contra illam tertiam per consequens. Ad primum responsum est *in prima quæstione*. Ad secundum magis posset ex illa dubitatione 5. *Physicor.* trahi oppositum: quia si sanitas continuata per diem, manet eadem, quare non eodem modo illa, quæ fuit in mane, & interrupta in meridie, & reddita in vespere, erit eadem? Vnde non habetur ibi expresè negatiua, quæ allegatur. Ad illud de Prædicamentis, si priuatio, quæ est terminus *à quo*, non potest redire eadem, nec terminus *ad quem*, & hoc loquendo de præciso termino *à quo*, & respectu agentis naturalis: nunc autem non est causa, quare illa non redit eadem, nisi quia positiuum, cum quo coniungitur, non redit idem. Si enim forma secundùm ordinem generationis immediatè præcedens aliam in materia, potest redire, non apparet quare non possit etiam redire priuatio concomitans. *A priuatione ad habitum impossibilis est regressus:* Illa ergo propositio de Prædicamentis intelligitur in ordine naturalis generationis secundùm descensum: quia post priuationem ibi non redit habitus, quia non redit forma immediatè præcedens illum habitum, secundùm ordinem generationis; potest breuiter dici, quòd illud intelligitur de identitate secundùm speciem, non de identitate numerali: *Explicatur de reditione immediata.* & tunc de immediata reditione, & per consequens neutrum de reditione mediata.

Ad illud. *9. Ethicor.* intelligit Philosophus *ingenita facere, quæ facta sunt*, id est, non potest facere quin facta fuerint: sed non sequitur: ergo non potest facere ea præsentia. Non enim repugnat ea facta fuisse, & nunc esse præsentia, alia factione, etiamsi destructa fuerint inter primam factionem, & secundam.

Ad rationes pro illa secunda opinione. Ad primam, patet quòd illa ratio non deberet mouere: tum quia aliqua pars materiæ eadem non obstante diuisione materiæ, manet: ergo in illa parte reduceretur eadem forma, quæ priùs, si non propter aliud impeditur reditio eiusdem formæ, nisi propter alietatem materiæ: & tunc generatum nouum esset partim numeraliter idem ei, quod præfuit, partim diuersum, quia pro illa parte materiæ, quæ manet eadem, esset genitum idem prius corrupto: pro aliis autem partibus materiæ, quæ successerunt illis, quæ fuerant in corrupto: & dispersæ sunt, esset generatum aliud à corrupto: tum quia Deus, vel Angelus posset colligere omnes partes materiæ ipsius corrupti, & applicare eas agenti naturali in debita proportione, & sic rediret idem numero totum, quod priùs secundùm illam rationem. 14 *Ad rationes positas n. 7. & 8.*

Similiter, naturaliter potest eadem materia saluari tota sine diuisione; vtpote ignis in vrinali conuertatur in aërem, & è conuerso totus ille aër conuertatur in ignem, hic non est dispersio materiæ. Est ergo responsio, quòd non oportet necessariò materiam priorem corrumpi & diuidi: & licèt maneret eadem, illa non esset tota ratio reditionis eiusdem. Ad aliud de motu, & mutatione, responsum est *in prima quæstione.*

Ad confirmationem de permutata proportione. Respondeo, permutata proportio accipitur ab Euclide *lib. 5. conclus.* 16. si aliquæ quantitates sunt proportionales permutatim, proportionatæ quoque quantitates erunt, & transfertur illud ad argumenta. Patet per Philosophum. *2. Priorum.* Si *A*, & *B*, conuertuntur: & *C*, & *D*, conuertuntur: si *A*, & *C*, contradicunt: & *B*, & *D*, contradicunt: & hoc modo vniuersaliter valet argumentum à permutata proportione, si permutatio fiat quantùm ad *contradicere*, & *conuerti*. Si autem fiat quantùm ad *sequi*, vel *antecedere*, non valet; sed facit fallaciam consequentis: non enim valet hæc, *sicut homo ad non hominem, sic animal ad non animal: ergo* permutando, *sicut homo ad animal secundùm consequentiam se habet, sic non homo ad non animal secundùm consequentiam.* *In corpor. quæst. impugnando Ægidiũ. Text. 12.* *De permutata proportione.*

Ad propositum, quia arguitur quoad hoc, quòd non est posse esse sine hoc: consequentia non valet, quando commune determinat sibi aliud commune, & inferius sub communi non determinat sibi aliquod inferius sub alio communi; istud autem est benè possibile, quia ex eo, quòd commune determinat sibi aliud commune, non sequitur, nisi quòd inferius determinat sibi idem commune. 15

Exemplum, sicut superficies ad hanc superficiem, sic color ad hunc colorem, & è conuerso: ergo permutando, sicut superficies non potest esse sine colore, sic nec hæc superficies sine hoc colore; non sequitur, quia etsi commune vnum determinat sibi aliud commune, non tamen singulare singulare. Consimiliter, sicut corpus ad hoc corpus, ita locus ad hunc locum: ergo permutatim, sicut corpus ad locum, sic hoc corpus ad hunc locum; sed corpus non potest esse sine loco: ergo nec hoc corpus sine hoc loco: non valet consequentia, quia non eodem modo determinat sibi hoc corpus hunc locum, sicut corpus locum: sed benè sequitur, si illud quod necessariò requiritur ad aliud, non potest esse sine aliquo, nec illud ad quod requiritur potest esse sine illo: & ita cùm productio necessariò includatur in ratione huius productionis, si productio non potest esse sine producto, sequitur quòd hæc productio non potest esse sine hoc producto; sed nec productio in communi, nec productum in communi necessariò requirit hanc productionem. Sicut corpus ad locũ, ita hoc corpus ad hunc locum, *non tenet.*

Breuiter, permutatio non tenet nisi secundùm idem, secundùm quod priùs præfuit proportio, vel secundùm aliquid, in quo proportionem esse includitur in prima proportione: sicut in hoc, quod est proportionale esse secundùm conuertibilitatem, includitur proportionalia esse secundùm repugnantiam. Sed in proposito non est ita, quia in hoc, quod est proportionale esse secundùm superius, & inferius, non includitur vniuersaliter proportionalia esse secundùm inseparabilitatem talem in inferioribus, qualis est in superioribus. 16 *Quomodo permutatio proportionis valeat.*

Ad aliud, dico quòd principium potentiale semper manet idem, & illud sufficit ad hoc, vt forma recipiatur, quia si vltra istud principium quæras aliam potentiam, quæ est respectus, illa nihil facit ad receptionem formæ: si tamen illa requiratur,

poteſt dici, quòd verè nunc eſt eadem. Et cùm quæris, aut ſemper manet, aut redit eadem? vtrumque poteſt dari. Primum quidem, quia abſolutè loquendo de potentia, quæ dicit ordinem receptiui ad receptum, ille, ſcilicet ordo, manet idem, ſiue antequam receptum inſit, ſiue quando receptum ineſt: quia ille conſequitur naturam receptiui, quæ nata eſt perfici à tali forma: & probatur illam manere, quia ſi Deus reduceret eandem formam (quod non negatur ſibi poſſibile) illa faceret per ſe vnum cum materia, ſicut priùs: ergo in materia eſſet potentia reſpectu eius, eadem quæ priùs.

An potentia ad formam manet cũ ea? Et tunc cùm arguitur potentiam deſtrui in aduentu formæ; oportet dicere, quòd hoc non intelligitur propriè de ipſa ratione potentiæ, ſed de quodam reſpectu concomitante potentiam, quem habet per hoc, quod eſt ante actum, qui eſt quædam prioritas durationis ad actum: non autem includitur per ſe in ratione potentiæ, quia ſimul ipſa poteſt eſſe cum illa prioritate, & cum ſimultate ad actum.

Poſſet etiam dici, quòd potentia ante actum manet eadem ſemper, & cum actu: nec tamen ſunt oppoſita ſimul, quia potentia ante actum non eſt ad formam pro illo eodem *nunc*, pro quo ineſt actus, ſed pro alio, quia pro *nunc* habet actum. Potentia autem ante actum non ineſt ad eandem formam, ſed pro futuro: & quòd altera illarum reſponſionum ſit vera, probatur per hoc, quòd ſi aliquid poteſt habere potentiam ad formam, iam habet potentiam: quia impoſſibile non poteſt fieri poſſibile, & per conſequens non poteſt aliquando haberi potentia ad aliquam formam, quin nunc habeatur, ſi ſuſceptiuum poſſibile nunc eſt.

17 *Aliæ ſolutiones de reditione potentiæ.* Aliter diceretur, quòd eadem potentia rediret, ſicut & poſſibile eſt eundem actum redire: & tunc diceretur, quod pro inſtanti, pro quo actus ineſt, non manet potentia, quæ eſt oppoſita actui: redit autem ceſſante illo actu. Vltimo modo diceretur quòd à principio creationis in principio potentiali ſunt diſtinctæ potentiæ, tot, quot ſunt formæ receptibiles, non tantùm diſtinctæ ſpecie, ſed numero, non præcisè tot, ſed ad eandem formam ſunt tot, quoties illa forma poteſt induci, & vnaquæque illarum potentiarum deſinit eſſe adueniente ſuo proprio actu: nec illa redit, & tamen eadem forma poteſt redire: quia ad illam non tantùm erat vnica potentia, ſed alia, & alia ſecundùm quòd erat aliàs, & aliàs inducibilis in idem principium potentiale.

Cùm arguitur contra ſecundum membrum, quòd non poſſit eadem potentia redire, quia nec priuatio; dictum eſt *ſuprà*, quòd priuatio poteſt redire, ſi poſitiuum, cui adiungitur priuatio, poteſt: & eodem modo dicitur de potentia, ſi poteſt redire illa forma prior ordine generationis, quam concomitatur illa potentia ad illam ſecundam.

18 Cùm arguitur contra vtrumque membrum, quòd potentia non eſt ad præteritum, verum eſt, vt eſt præteritum: vnde non eſt propriè potentia, vt illud, quod fuit, non fuerit: ſed potentia eſt ad illud, quod fuit præteritum, in quantùm tamen ipſum poteſt eſſe futurum. Iſtud autem argumentum de potentia non tantùm concludit contra agens naturale, ſed etiam contra reditionem eiuſdem formæ materialis per actionem diuinam, quia illa requirit potentiam in materia, quam perficit.

Hoc tenendum puto, quia aliud vix capi poteſt. Qui diceret iſtas potentias nihil eſſe, loquendo de quacunque potentia, præter illam, quæ dicit reſpectum recipientis ad formam receptam; expediret ſe breuiter de tota illa briga, quia quot ponantur nihila, non eſt cura. Illa autem quæ eſt realis relatio ex parte materiæ ad formam, ſicut è conuerſo, informatio eſt realis relatio formæ ad materiam; illa, inquam, redit eadem, ſi forma redit: vel ſi non rediret ante compoſitum, poſſet idem redire, vt dictum eſt *in prima quæſtione*.

Quare in prima reditione eiuſdem ſecundùm ſpeciẽ, non redit ſecundùm numerum. Ad vltimum, quare ſtatim in prima reditione eiuſdem ſecundùm ſpeciem, non rediret idem numero, poteſt dici quòd aliqua ſunt impedimenta ex parte paſſi, vel agentis, propter quæ accidentia inſeparabilia primi non ſunt ſtatim reducibilia: & ſine illis non reduceretur eadem ſubſtantia: non ſic oportet ſemper eſſe talia impedientia.

COMMENTARIVS.

49 *Ad rationes oppoſita ſententia.* g AD *illa ergo quæ ſunt*, &c. Hîc reſpondet fundamentis oppoſitæ ſententiæ, quam hactenus impugnauimus in eo, quòd dicat hanc impoſſibilitatem redeundi eiuſdem corrupti in numero, eſſe ab intrinſeco: quatenus ſimpliciter, & abſolutè deficiat virtus, & potentia in cauſa naturali reſpectu corrupti, quæ fuit aliàs ante eius primam productionem. Nos autem hanc impoſſibilitatem ſtatuimus ex defectu applicationis

tionis per causam primam quantùm ad eundem numero effectum; quantùm autem ad aliquos effectus in specie, etiam datur alia ratio in ipsa natura, prout procedit de imperfecto ad perfectum, de qua inferiùs agetur. Constat ergo inter omnes non redire de facto eundem numero effectum naturaliter, exceptis quibusdam *suprà* expressis, & solùm est controuersia de fundamento, seu impedimento, ex quo non datur iste circulus in corruptis. Prior sententia aduersa statuit hoc impedimentum ab intrinseco ex natura causarum, & effectus; nos autem id negamus cum Doctore, sed esse ab extrinseco, nempe ex dispositione Authoris naturæ, seu primæ causæ; in quo nobiscum concordant Doctores, qui hoc impedimentum reducunt ad determinationem primæ causæ; nescio tamen vnde sustineant controuersiam contra Doctorem, qui nihil aliud intendit, quàm hanc repugnantiam non esse ex natura causarum, aut effectus.

Status controuersia.

50 *Prima obiectio.* Obiicitur primò ex Philosopho 2. de Generatione in fine: *Quorum substantia perit, non reuertitur eadem numero*, &c.

Responsio. Huic respondet Doctor *quæst.* 1. *art.* 2. *ad* 3. Philosophum *ibidem* distinguere circulationem in corporibus cælestibus à circulatione, quæ fit in corruptibilibus; quòd in prioribus non fiat corruptio corporum per motum, & ideò redit secundùm substantiam per lationem ad idem punctum, in quo anteà fuit; in sublunaribus verò fiat secundùm corruptionem, & ideò non redeat eadem numero, sed specie. Et *sic*, inquit, *non redit idem numero.* Hanc responsionem aliter adducit Ægidius Lusitanus *loco cit.* §. 3. *n.* 14. quasi Doctor ponat differentiam circulationis in eo solùm, quòd inferiora corrumpuntur, non verò quòd non redeant eadem numero; & sic eum impugnat ex contextu. Sed responsio Doctoris clara est, quia non solùm distinguit circulationem inferiorum corporum, ex eo quòd corrumpantur, à circulatione cælestium; sed etiam in eo quòd idem numero non reducatur: *Sed circulatio*, inquit, *in istis inferioribus est secundùm corruptionem formæ substantialis, & reductionem eius: & ideò sic non redit idem numero. An autem vniuersaliter, negat idem numero posse redire, de hoc quæst.* 3. &c. Non secus ergo interpretatur Doctor Philosophum, quàm alij, vt ipse Ægidius. Neque dicit Doctor hîc, aut alibi idem numero corruptum redire, sed tantùm possibile esse ab intrinseco vt redeat; neque aliter respondet Bassolis *quæst.* 2. *huius distinctionis* ad eandem authoritatem, dicens Philosophum docere, id quod de facto contingit, non tamen negasse eundem numero effectum redire viribus naturæ esse possibile.

Circulatio aliter contingit in cælestibus, aliter in sublunaribus.

Interpretatio aliorum ex mente Doctoris.

Reijcitur.

51 *Obiectio.* Sed vrget Lusitanus Aristotelem in illo capite agere de ordine rerum, quem negabat necessarium, & infallibilem: *Quorum verò*, inquit, *substantia est corruptibilis, non idem numero reuerti necesse est*, &c. Verbum *necesse* designat repugnantiam ex mente Philosophi, quod probat ex eo quòd putauit Deum ad extrà agere necessariò, ac proinde aliter non agere quàm facit. Deinde, aliam responsionem Bassolis adducit: asserit quidem Philosophum in ea fuisse sententia, non tamen sequendum. Hæc solutio, inquit Lusitanus, satis supérque ostendit non esse à Philosopho recipiendam, cùm fateatur Author esse contrariam Aristoteli.

Respondetur tamen discursum hunc, seu impugnationem implicare principia opposita intento, neque Aristotelem esse sequendum in conclusione, quam ex principio erroneo deducit, & quæ in se falsa est, & contra fidem vniuersaliter intellecta, & prout suis principiis adhæret; in se falsa est, quia destruit possibilitatem resurrectionis: nam & hominem corrumpi certum est, & contineri in illa circulatione inferiorum corporum constat, de qua agit Philosophus, & perinde eadem impossibilitas ex mente Aristotelis comprehendit hominem, sicut & cætera corruptibilia: quidquid enim sit de immortalitate animæ, & beatitudine eius aliqua post hanc vitam; An, inquam, hæc cognouerit Aristoteles, saltem negaret eam vnquam redire ad corpus, aut idem numero corpus posse restaurari. *Resurrectio*, inquit Dionysius, cap. 6. de diuinis nom. *Vetustati visa est contra naturam, mihi autem & veritati supra naturam*, &c.

Responsio.

Philosophus errans non sequendus.

Error eius.

Dionysius.

Deinde reducendo illam conclusionem ad sua principia, ex quibus eam deducit Philosophus, perinde falsa est, & comprehendit impossibilitatem resurrectionis; nam si Aristoteles impossibilitatem hanc reducit ad necessitatem agendi causæ primæ, seu naturæ naturantis, quæ nequit res aliter facere quàm facit, perinde ad resurrectionem extenditur talis necessitas, & impossibilitas in ea fundata; meritò ergo negatur eius authoritas, dum errat, & ei præferenda est non solùm infallibilitas fidei, sed & authoritas aliorum Philosophorum, qui veritatem docuerunt contrariam eius errori; neque enim assertio Aristotelica, aut discursus ita admittendus est in mysteriis fidei, aut iis quæstionibus etiam naturalibus, quæ aliquo modo ad fidei veritates explicandas faciunt, vt omittatur delectus, & examen debitum, & quid ipse intenderet, & ex quo errore, aut veritate differat, & ad quem finem, & prout hîc ex principio erroneo circa ordinem naturæ procedit, ita etiam castigandus est tam in principio, quàm in conclusione deducta. Mirum ergo est si præfatus author assertum ordinem rerum, eiúsque necessitatem velit reducere ad authoritatem Aristotelis, prout innititur tali principio erroneo eius de necessitate agendi causæ primæ ad extrà. Ex quibus patet veritas responsionis præmissæ; & in hoc nihil obtinere authoritatẽ Philosophi prædicto loco. 52

Cæterùm, magis fauet ipse Philosophus secludendo errorem, qui in eo fuit: nam si ipse hanc necessitatem reduxit in causam extrinsecam, nempe in Authorem naturæ, & modum agendi necessarium, quem finxit, & consequenter impossibilitatem applicationis earundem omnino causarum in eadem dispositione, quæ fuit primò dum effectus produceretur hic numero, causarum, inquam, tam particularium, quàm etiam vniuersalium, sequitur Aristotelem non sensisse hanc impossibilitatem prouenire ab intrinseco, quasi deficeret virtus causæ naturalis respectiuè ad effectum corruptum. Idem etiam faterentur Philosophi, qui statuebant circulationem, quam *suprà* impugnauimus, qui licèt impugnauerint in hoc, seu facto; tamen admittebant, si omnes omnino causæ redirent in eodem situ, & dispositione, redire posse effectum ex sufficienti virtute causarum, & eadem numero earum applicatione; sicut ergo aliud est causas easdem non conuenire in eadem dispositione, & cæteris 53

Aristoteles reducitur ad oppositum.

Magis fauet conclusioni.

Alij Philosophi fauent.

cæteris requisitis, aliud autem deficere in singulis causis seorsim virtutem respectu effectus; ita etiam alia causa reddenda est conclusionis, nempe quare non redeat idem effectus, iuxta sententiam tam Aristotelis, quàm aliorum Philosophorum, ab illa, quam assignant opinantes, quia primam causam redderent Philosophi, nempe ex defectu concursus omnium per se causarum, & requisitorum ad producendum eundem numero effectum, ideò non posse redire eundem numero effectum; non verò quòd in causis deficiat virtus causandi.

Cur negarent redire posse eundem numero effectũ.

54 Differentia ergo inter Philosophos priores, & Aristotelem in eo consistit, quòd illi putauerint redeunte circulatione, quam ipsi constituebant redituros eosdem effectus: è contra Aristoteles negabat hunc circulum redire posse, ex eo quòd statuebat primam causam agere necessariò, & contingentiam effectuum prouenire ex diuersitate causarum inferiorum, in natura, tam vniuersalium, vt cælorum, & stellarum, quàm particularium, & sublunarium; constituebat enim in motu vniformitatem, & perpetuitatem, vt est à causa prima necessariò, vt ipse dicebat, agente; diuersitatem verò ex aliis causis concurrentibus ad productionem inferiorum, quarum circulationem in eodem situ, & dispositione negabat posse redire, & hinc perpetuitatem specierum in entibus sublunaribus constituebat in propagatione indiuiduorum, quæ ex diuersitate præmissa tam causarum, quàm etiam applicationis constituebat diuersa, & in successione; & nunquam redire in idem: quia nunquam omnes causæ productiuæ poterant redire in idem, seu simul concurrere in eodem situ, & dispositione.

Discordia inter ipsos & Aristotelem.

Circulatio quam asserit Aristoteles.

55 Vt autem ampliùs mentem, & consequentiam doctrinæ Philosophi declaremus, illud sciendum est ex natura motus illum voluisse probare æternitatem mundi à parte antè, & à parte pòst 8. *Physicorum*: rationes eius eò tendunt: nam *textu* 10. *&* 11. probat motum & tempus esse connexa ex propositione illa, quam probauit 4. *Physicorum*, quòd *tempus est numerus motus primi mobilis*, & quòd *prius, & posterius sint differentiæ temporis*. Summa rationis est in hoc, quòd si motus non esset ab æterno, esset genitus: ergo ante motum esset prius; *prius* autem est differentia temporis: ergo & tempus fuit ante motum: & consequenter motus ante motum in infinitum, quia tempus nequit esse sine motu, cuius est numerus. Et contra Platonem eodem loco nititur eadem ratione, vel simili, ex eo quòd *nunc* non possit esse sine tempore, neque tempus sine *nunc*; Si ergo tempus est genitum, fuit in aliquo *nunc*; illud *nunc* fuit in tempore: ergo *nunc* præcessit tempus, & sic in infinitum. Et *textu* 4. supponens definitionem datam motus *in* 3. *Physicorum*, quòd sit *actus entis in potentia secundùm quòd in potentia*: & sic omne quod mouetur, priùs esse in potentia quàm moueatur; & in sequẽtibus infert ante motum dari aliũ motum, & sic in infinitũ, & consequenter motum & generationem esse ab æterno, quia hæc præcedunt mouens & mobile: vel ergo facta, vel non facta; si facta, præcessit motus: si non facta, fuerunt ab æterno, & consequenter motus. Huc spectat alia ratio *textu* 8. *&* 9. & aliæ, quas adducit de incorruptibilitate cæli *in lib.* 1. *de Cælo*, & Auerroës *lib. de substantia orbis, cap.* 4. ex quibus colligitur eum posuisse motum cæli æternũ fuisse causam motus in inferioribus,

Declaratur ampliùs mẽs, & discursus Philosophi.

Cõnexio motus, & temporis.

& sicut ille successiuus erat, ita in inferioribus motum successiuum esse. Ex hac autem ratione negaret, idem posse redire in numero; quia causæ eius non possent redire eædem, vel eodem modo applicatæ; non quòd deficiat virtus causarum in seipsis respectu eiusdem effectus; ideò verba eius, & asserta, reducenda sunt ad principia, & causas, ex quibus processit; quia falsa sunt in reipsa, quamuis aliam causam conclusionis assignet diuersam ab ea, quam opinantes intendunt.

Cur negaret idem numero redire posse.

Ad illud, quod obiicitur *ex* 5. *Physicorum* eadem solutio respondet, quamuis Doctor respondeat expresse non haberi negatiuam vniuersalem in illo textu. 56

Ad illud, quod dicit *de priuatione ad habitum impossibilis est regressio.*

Respondet Doctor saluando authoritatem Philosophi, si posset redire forma prior, non apparere implicantiam, quin eadem priuatio posset redire ei connexa: proinde intelligi debet secundùm ordinem naturalis generationis de reditione immediata, non autem mediata: & non solùm de reditione eiusdem in numero habitus, vniuersaliter loquendo, sed de eiusdem in specie regressu immediato. Licèt hæc solutio sit bona, vt aliquo modo congruo saluetur veritas illius propositionis: spectato tamen intento Philosophi, quod *suprà* explicuimus, negari potest propositio, & vniuersaliter sumpta est falsa in se, quia possibilis est hic regressus, vt patet, virtute diuina in resurrectione: possibilis etiam est virtute causæ creatæ in pluribus, si à Deo applicaretur.

Solutio Doctoris.

De regressu à priuatione ad habitum.

Spectatio intento Aristotelis, magis videtur neganda propositio.

Dices Philosophum intelligi quantùm ad regressum habitus virtute causæ naturalis, seu viribus naturæ tantùm. 57

Responsio.

Contrà. Imò neque hanc exceptionem, aut limitationem admitteret Philosophus, neque cohæret principiis eius iam explicatis: quod enim est impossibile naturæ in his sublunaribus, & corruptibilibus, quoad effectus, qui in virtute causarum particularium includuntur aliàs, & per easdem causas nati sunt produci, diceret Philosophus esse impossibile simpliciter, etiam respectu causæ primæ: quia negaret causam primam posse ad tales effectus agere sine causis particularibus, & consequenter, si sit impossibilis regressus à priuatione ad habitum per virtutem causarum naturalium, erit etiam impossibilis in sententia Philosophi per virtutem causæ primæ. Vnde nescio quid prodest aduersariis, aut in quo fauet hæc Philosophi authoritas, quæ vt applicatur ad scopum præsentis quæstionis; ad fundandam impossibilitatem redeundi eiusdem in numero effectus, potiùs est neganda spectato intento Aristotelis, quàm interpretanda contra eius mentem; perinde enim extenderet illam propositionem ad hominem corruptum, & ad alia quæcunque, vt patet ex dictis.

Impugnatur.

Hic regressus negatur vniuersaliter ab Aristotele.

Interpretando ergo illam propositionem, non ad scopum erroris admissi à Philosopho, aut huius quæstionis, bona est interpretatio Doctoris; at intelligi debet propositio secundùm regressum in specie, & immediatum, & regulariter, non vniuersaliter: nam Philosophus in illo capite admittit dari regressum inter contraria; & negat illum regressum à priuatione ad habitum; inter contraria autem neque admitteret Philosophus, neque obiicientes hanc eius authoritatem, dari regressum 58

Interpretatio congrua veritati.

Non dari regressum immediatum ab habitu ad priuationem. regressum ad eandem in numero formam contrariam; neque etiam de facto admittitur talis regressus: ergo debet intelligi regressus inter contraria, secundùm speciem, qui negatur à priuatione ad habitum: sed hoc etiam intelligitur de regressu immediato, qui potest esse inter contraria; vt inter calidum, & frigidum, & è contra; non autem de mediato; quia sic etiam in specie potest esse regressus mediatus à priuatione ad habitum, vt patet in generatione, & nutritione, vt quando materia defluens iterum mutatur in substantiam alimenti, & hoc in substantiam alterius viuentis in specie, aut eiusdem, à quo primò defluxit materia. Deinde, dixi regulariter debere intelligi, seu accommodè, nempe in solis mixtis, quæ non sunt nata transmutari actione agentis naturalis immediatè in se inuicem, vt acetum in vinum; non verò intelligitur in simplicibus, vt si vnum elementum in aliud conuertatur, non repugnat fieri regressum immediatum eiusdem in aliud, vt aëris in ignem, & ignis in aërem: quia in his non interueniunt plures mutationes intermediæ, & substantiales, sicut in mixtis ex subordinato modo agendi naturæ via generationis, procedendo ab imperfecto ad perfectum per media, vt contingit: v.g. in viuentibus, ideò nequit statim attingere formam perfectam, nisi priùs procedendo per imperfectas, secundùm dispositionem, & modum agendi causarum applicatarum, non ita contingit in contrariis, quia immediatè in se inuicem agunt secundùm excessũ virtutis; & quod fortius est, assimilat sibi passum, quia ad aliam formam nequit agere immediatè nisi ad propriã in specie.

Dari posse mediatum regressum.

Exemplum.

Intelligitur in mixtis, & non in simplicibus, in quibus datur hic regressus.

Alteratio in mixtis procedit per medium.

Non ita in contrariis.

Ratio huius.

59 *Obiectio.* Contrà vrget Lusitanus, inter contraria non dari regressum immediatum, quia nigredo non fit albedo, nisi vt procedit per colores medios: neque calidum fit statim frigidum, sed priùs tepidum. Sed hoc nihil est: quia eodem motu vniuoco non interrupto, sed continuo transitur de vno extremo ad aliud; qui transitus est immediatus, & non interruptus; quod autem aliqui gradus formarum compatiantur se inuicem in *fieri*, est ex natura inceptionis, & desitionis earum per motum, non quòd sit aliqua media qualitas per quam transeatur.

Soluitur.

Interpretatio illius axiomatis diuersa. Cæterùm, aliqui volunt intelligi istam propositionem de regressu quoad hunc numero habitum, ab hac numero priuatione: vnde præfatus author, quem hactenus citauimus, statuit hanc distinctionem inter priuatiuè & contrariè opposita, quòd priuatiua oppositio primò conueniat singularibus, & ideò hæc cæcitas in specie expellit visum in specie; quia hæc cæcitas expellit hunc visum, illa cæcitas illum visum, &c. Contraria oppositio conuenit secundùm speciem primò; quia ipsæ formæ secundùm speciem repugnant, & ideò hæc nigredo opponitur huic albedini; quia includit rationem specificam formæ, & non quà hæc nigredo est; & sic tollit omnem albedinem: priuatio autem huius formæ tollit tantùm hanc formam, & non aliam; & sic Philosophus intendit inter opposita priuatiuè, quæ sunt hæc priuatio, & habitus, non dari regressum virtute causæ naturalis.

Impugnatur.

Oppositio cõtraria est primò ex natura specifica, & non inter indiuidua nisi secundariò.

Respondetur tamen, si Philosophus sic intellexit eodem modo, vt iam dictum est; tenere etiam nulla virtute dari posse regressum, in quo errauit, & authoritas eius nulla est; oportet ergo sustinere contrarium ex alio principio.

60 Cæterùm Doctrina illa præmissa est mihi satis obscura; dari oppositionem primam in vllo genere oppositionis inter singularia primò, quia sic oppositio non caderet sub scientia, quæ est primò de aliquo communi, non de singularibus. Deinde, si oppositio priuatiua est inter singularia primò, tot erunt opposita prima, quot singularia; sed singularia, quà singularia, in nullo conueniunt, nisi solùm ratione naturæ: ergo neque oppositio eorum priuatiua in vllo conuenit. Deinde, si priuatiua sunt opposita tantùm in singulari, seu ratione singularitatis, idem dicendum de contradictoriis: sed hoc falsum est; quia ex Philosopho ideò contraria non possunt esse simul, quia contradictoria sic possint esse simul. Hæc ratio falleret secundùm consequens, si contradictio esset primò in singularibus, & non in ratione specifica: quia aliàs positio vnius contrarij in specie, non inferret contradictorium alterius in specie, si contradictio tantùm attenderetur penes indiuidua primò; sed inferret tantùm contradictionem determinatam, & in hoc indiuiduo: v.g. album, & nigrũ sunt simul; non inferret, ergo album, & non album sunt simul; sed tantùm hoc album, & non hoc album per solam consequentiam materialem, & mediatam, & non formalem, aut immediatam; quia hæc contradictio non est inter albedinem in specie, & negationem, sed inter ipsas singularitates albedinis, & negationis: & sic primum principium *Quodlibet est, vel non est*, non distribueret secundùm genera, & species, & omnem gradum entis vniuersaliter, sed tantùm pro indiuiduis. Oppositio autem priuatiua quantùm ad rationem formalem eodem modo opponitur habitui, sicut negatio affirmationi, licèt ex parte materiæ connotet appetitum ad formam in subiecto.

Nullam oppositionem esse primò inter indiuidua.

Oppositio cõtradictoria.

Deinde, priuatio est negatio formæ in subiecto apto nato: ergo respicit habitum sub ea ratione, qua appetitus inclinat ad habitum: sed nullus appetitus inclinat primò ad habitum, seu formam oppositam priuationi in indiuiduo: ergo neque priuatio priuat primò forma in indiuiduo, sed forma in specie; & ideò opponitur formæ in indiuiduo, quia opponitur formæ in specie primò, & per se. Patet consequentia, quia priuat forma sub ea præcisa ratione primò, & per se, quà forma est apta nata inesse primò per se; sed hæc non conuenit ipsi primò, quà hæc forma est, sed quà talis est in specie: ergo, &c. Probatur minor, quia aptitudo subiecti est sua proprietas, quæ inest ex principiis, & essentia subiecti, seu quiditate; sed quiditas subiecti, & principia respiciunt per se indifferenter omnia indiuidua: ergo etiam & proprietates, qualis est illa aptitudo, respiciunt etiam indifferenter omnia indiuidua, & sic inest ratione naturæ aptitudo, sicut & alia quæuis proprietas: ergo ad formam in specie primò, & non in indiuiduo. Probatur hæc consequentia, quia quælibet forma in specie reducit potentiam ad actum per se: v.g. anima rationalis in specie quælibet dat vitam, & constituit potentiam in actu completo, quia alioquin posset compati alia anima rationalis simul in eadem materia, quod est falsum. Præterea, quæuis forma, quà quiditas est in specie, est principium operationis, perfectionis, & constitutionis per se in subiecto: ergo sic est ipsi perfectio naturalis appetibilis, & consequenter apta nata inesse: ergo priuatio, vt est negatio formæ natæ inesse, & ad quam subiectum primò inclinat, opponitur primò formæ sub hac ratione: ergo à primo ad vltimum opponitur ei primò

61 Oppositio priuatiua.

Priuatio primò opponitur forma in specie & secũdùm naturam appetitus subiecti.

Appetitus subiecti est ad formã in specie.

primò secundùm speciem, & non secundùm indiuiduum.

62 Adducitur prætereà idem Aristoteles 6.Ethic. cap.3. *Rectè*, inquit, *hoc solo priuatur Deus ingenita facere, quæ facta sunt*, &c.

Respondet benè Doctor inde non sequi quin rem, quæ præterita est, facere possit denuò præsentem. Hæc sunt loca, quæ magis vrgent aduersarij ex Philosopho, in quibus nullibi Philosophus asserit potentiam actiuam naturæ deperdi per productionem rei, aut productæ corruptionem, quamuis in eo fuerit errore, vt putauerit idem numero non posse produci de nouo postquàm desiit, ex alia tamen causa; quia nempe putauit non posse easdem numero causas tam vniuersales, quàm particulares iterum coniungi in eadem dispositione, & circunstantiis, quæ exigebant hunc numero effectum, & non produci. Vnde sequitur contrarium deduci ex mente Philosophi, nempe virtutem causarum eandem esse, quantùm est ex se; tamen non concurrere posse modo dicto. Ideóque mihi videtur sententia illorum, qui dicunt determinari causas in talibus circumstantiis ad indiuiduum effectus esse conformem Philosopho; sed vt procedit ex principio erroneo, quòd nempe Deus vniformiter agit ad extrà, & necessariò mediante motu cælorum, ac proinde differentiam in effectibus non posse esse à Deo primò, sed ex causis inferioribus concurrentibus, quæ etiam causæ sicut agunt de se necessariò, ita ad differentiam numericam effectus nequeunt determinare ex se, ita vt hoc determinatum indiuiduum magis agant, quàm aliud. Hæc ergo differentia determinationis vnius indiuidui præ alio, saluando hæc principia Philosophi, reducenda est in materiam sic dispositam, & in talibus circunstantiis: sed meritò Theologi reiicientes præfatum errorem de omnipotentia Dei, & modo eius operandi, reiiciunt illam radicem determinationis ex circumstantiis, quia concurrunt ex parte materiæ; ita etiam relinquunt eam semper in eadem potentia passiua, quæ sicut est indifferens, & nunquam de se potens habere actum virtute sua propria, aut aliarum circumstantiarum, quæ non sunt actiuæ ad effectum, ita non faciunt ad determinationem in indiuiduo formæ, licèt faciant ad determinationem eius in specie, si sunt per se conditiones antecedentes actum, & non solùm concomitantes. Sicut ergo actus recipitur virtute causæ efficientis, cuius est reducere potentiã ad actum; ita etiam determinatio formæ in indiuiduo est à virtute eiusdẽ causæ nõ creatæ, vt *suprà* probatum est: ego virtute causæ primæ, quæ sola est in actu respectu huius determinationis; & sicut causæ creatæ dependent à prima in efficiendo, ita nequeunt ad determinatum in exercitio agere, nisi illud sit determinatum à causa prima.

63 *Obiectio à ratione.* Obiicitur prætereà ratio prima, quia ad identitatem numericam effectus requiritur identitas non solùm formæ, sed etiam materiæ; sed in corruptione semper diuiditur materia, ita vt tota non transeat in corruptum, quæ fuit in genito, sed fluit, aut mutatur aliqua pars eius ad aliam formam: ergo idem numero nequit virtute causæ naturalis redire idem quoad materiam.

Responsio. Respondet supponendo, vel insinuando, aliud esse totum per se ex actu, & potentia, & aliud esse totum ex partibus integralibus. Ad totum per se, ex actu & potentia sufficit eandem potentiam, & eundem actum physicè, & metaphysicè concurrere, quod perinde saluatur in proposito, si materia eadem maneat, licèt non omnes eius partes integrales maneant, vt patet in viuente, qui manet idem semper indiuiduum per se compositi ex potentia, & actu, & manet idem totum, quamuis in ratione compositi integralis non maneat idem, quæ compositio aliter sumitur, quàm illa quæ est indiuidui prædicamentalis. Potest ergo manere eadem materia in ordine ad indiuiduum, & compositum primo modo sumptum, quamuis non maneat secundo modo sumptum; & prætereà nihil iuuat hæc ratio, quia perinde repugnat idẽ redire quoad partem, & quoad totum: quia si primum non repugnat, neque etiam secundum: quia Deus & Angelus possunt partes diuisas prioris materiæ vnitas applicare agenti in ordine ad formam eandem, & sic etiam redire potest idem. Deinde, ex materia non semper fluit incorruptio, vt quando solidum ex solido generatur, vel liquidum ex liquido, vt acetum ex vino. Instat prætereà Doctor de igne incluso in vitro clauso, vt vrinali, & conuerso in aërem, & mox ad radium Solis conuertitur aër denuò in ignem. Instantia est commoda etiam de musca, quam refert Lucianus, si moriatur, aut suffocetur, modò non amittat organum aliquod, aut lædatur, & exponatur Soli vehementi, iterum reuiuere, an eadem anima numero? id asserit Lucianus *in sua musca*, asserens animam muscæ esse immortalem, sed errat; diuersam animam esse numero probabilius est, & non eandem redire: sed non refert, poterat enim redire virtute eiusdem causæ naturalis inducentis nouam animam. Aliqui negant experientiam: sed nulla ratio suadet negandam; quia sicut Sol ex putrefactione disposuit ad animam muscæ, ita etiam idem cadauer eius potest restaurare ad simile temperamentum, quod exigeret eductionem animæ ex communi ordine causarum, & influxus.

Ad vnitatẽ indiuidui nõ requiri vt omnis pars materiæ insit.

Indiuiduum integrale diuersũ à prædicamentali.

Non semper materiã fluere.

Exemplum de musca rediuiua.

Obiicitur quòd agens naturale non possit agere nisi per motum, aut mutationem; idem motus nequit redire, quia ad vnitatem motus seu mutationis exigitur continuitas, quæ nequit esse motu cessante. 64 *Obiectio.*

Responsio. Respondet hoc argumentum solutum esse *in quæstione prima huius*, & solutio est, quòd motus dicitur continuus ex eo, quòd partes eius sint vnitæ, non verò ex eo quòd idem cessat adueniente termino: idem ergo esset motus, si rediret secundùm easdẽ partes. Deinde, posset redire effectus per aliam numero productionem diuersam.

Ad confirmationem huius argumenti, quæ est ex permutata proportione hoc modo, sicut productũ ad productionem, ita & hoc productum ad hanc productionem; sed nequit esse productum in genere sine productione in genere: ergo neque hoc productum sine hac productione. 65 *Permutata proportio.*

Respondetur fallere secundùm consequens, neque seruari proportionem: quia inferiora non dicunt vllam proportionem quoad inseparabilitatem ad inuicem, nisi mediantibus suis superioribus, quando tollitur medium, in quo se mutuò respiciunt; tollitur etiam vnio ipsarum, & ordo; sic tollitur hoc medium, quando non comparantur ad inuicem mediantibus superioribus, sed immediatè ex rationibus propriis, in quibus nullam habent ad inuicem connexionem necessariam, & inseparabilem. Ideò Doctor in litera valere dicit hanc

Ad confirmationem respõdetur.

Fallacia consequentis.

hanc formam argumenti quantùm ad contradictionem,& conuersionem,non quantùm ad antecedens,vel consequens: quia nempe in contradictione, & conuersione potest seruari idem medium, secundùm quòd est vnitas proportionis, non ita quando arguitur secundùm consequens. videatur Doctor in litera, & exempla, quæ adducit.

66 *Obiectio ex negatione potentia.* Obiicitur tertiò à ratione: quia non potest redire idem nisi ad ipsum sit eadem potentia; sed hæc non manet: quia vel esset noua,vel antiqua; non antiqua, quia illa corrumpitur aduentu formæ; non noua, quia diuersa priuatio succedit formæ ab illa, quæ fuit ante formam: ergo alia potentia. Deinde, quia ad præteritum non est potentia: forma corrupta est præterita: ergo, &c.

Responsio. Respondetur à Doctore in litera,potentiam receptiuam manere semper eandem, & hanc sufficere ad hoc vt actus redeat, quamuis respectus ille,quem dicit receptiuum ad actum,non manet & hoc non referi. Deinde,si sumatur potentia,vt est opposita actui,non manet pro instanti,quo est actus;quia vt opponitur actui,includit priuationem actus, quæ simul cum actu nequit esse. Sed cessante actu in materia, redit eadem priuatio,in specie saltem; quod sufficit vt forma dicatur esse in potentia,& reducibilis iterum. Et si argumentum concluderet, sequeretur quòd neque diuina virtute posset redire forma, quia virtus diuina supponit formam esse in potentia, vt eam possit reducere ad actum oppositum.Euasio autem aliorum ad hoc impugnata est in corpore in præcedentibus, probando Doctoris conclusionem, & impugnando responsiones aliorum.

Manere potentiam receptiuã post actum.

67 *Obiectio.* Vltima obiectio esse potest, quòd idem in numero redire sit miraculum, & supra naturam, idcóque resurrectio est supernaturalis, vt *suprà* Dionysius cum aliis Patribus.Deinde,si idem numero virtute naturali redire potest,vnde constat non sic contingere de facto, quando redit idem secundùm speciem, vt calor, aut ignis?

Responsio prima ex dictis. Respondetur idem numero redire propter ordinem iam statutum à causa prima, esse miraculum, loquendo de primò productis, quæ nullam habent connexionem cum alio priore, & non de respectiuis aliquibus, aut de omni posteriori naturaliter, quod redit ex suppositione prioris, vt proprietas Physica supposita reditione subiecti redit.

Quòd verò alia, quæ immediatè producuntur per virtutem causarum naturalium, non redeant secundùm ordinem statutum, non est ex impossibilitate intrinseca fundata in causis, ex defectu virtutis, aut fundata in ipso effectu respectiuè ad causas ab intrinseco, sed ex impedimento ordinis statuti per causam primam, & determinationis factæ.

68 *Responsio secunda Doctoris.* Doctor autem *responsione ad vltimum* soluit argumentum,sequendo principia Philosophi, causam in re ipsa, & ex parte effectus reddens, cur idem non reducatur ob impedimentum ex parte passi, aut ex parte agentis, propter quod accidentia inseparabilia illius effectus nequeunt statim reduci: non sic oportet semper talia esse impedimenta. Hæc etiam doctrina & responsio in ea fundata vera est: nam aliquando idem in specie nequit reduci ob illa impedimenta, vt in viuente apparet, & in mixtis, in quibus non datur immediatus regressus virtute causæ naturalis, neque ad idem in numero quod præfuit, neque ad idem in specie. In aliis verò, in quibus datur idem regressus quoad speciem, non sunt talia impedimenta ab intrinseco, sed tantùm ex determinatione causæ primæ, vt dictum est. Illa ergo extrema verba Doctoris: *Non sic oportet semper esse talia impedimenta*, &c. ex parte scilicet agentis & passi, intelligenda sunt modo explicato, nempe in quibusdam esse impedimenta præfata, quibus stantibus nequit dari regressus immediatus virtute causæ naturalis; & sic, illis stantibus, repugnat effectum redire eundem numero ex defectu potentiæ naturalis, & immediatæ. In aliis autem non dari talia impedimenta ab intrinseco, & sic non repugnat ab intrinseco redire eundem effectum, sed tantùm ab intrinseco, & lege vniuersali.

Progressus & medium in viuentibus ad speciem.

Hinc cessat obiectio Lusitani contra eandem responsionem *n.* 20. In primis non rectè assequitur mentem Doctoris, quasi illam rationem ex impedimentis desumptam voluerit vniuersalem esse, quod extremis eius verbis non cohæret: in quibus declarat non subsistere semper, & in omnibus illa impedimenta: sed quando subsistant haberi causam ex parte causarum cur idem in numero effectus redire non possit; quando verò non sunt impedimenta, hanc impossibilitatem non esse ab intrinseco. 69 *Obiectio contra eandem responsionem.*

Dices: ergo redit idem effectus naturaliter. *Replica.*

Respondetur negando consequentiam; quia aliud est effectum posse redire, quantùm est ex virtute causarum non deficiente;& aliud quòd in euentu redeat,Deo non concurrente ad eius productionem secundam: nam certum est plura dici possibilia,& in se,& respectiuè ad causas, quæ tamen nunquam in *esse* ponentur, non ex casu aliquo, sed vt cadunt sub prouidentia Dei, qua determinauit illos effectus non producendos. *Soluitur.*

Dices: ergo violentatur natura causarum hoc modo. 70 *Replica.*

Respondetur negando consequentiam, quia causa producendo non perficitur, sed communicat perfectionem, quam si non communicaret, non esset in statu violento, quamuis aliquid ad agendum requisitum ei deficeret. Deinde, nulla causa ordinatur ad producendum hunc effectum magis quàm alium eiusdem perfectionis. Si hunc producat, exerit virtutem in quantum concessa est ad perfectionem naturæ, & sic neque quoad se, neque quoad vniuersum, neque quoad alias causas patitur violentiam. Deinde non dicit ordinem ad causandum, nisi prout dispositio in re posita, & cætera concurrentia exigunt, & quæ ordinantur ad diuersum in numero effectum. *Responsio.*

Ex quibus patet ad aliud, quod obiicit ex inclinatione naturæ ad agendum:admittimus enim hanc inclinationem, quæ sufficienter reducitur in actum, siue idem, siue diuersum in numero effectum producat. Patet ad aliud, quo dicit Deum concurrere lege vniuersali cum natura, secundùm exigentiam causarum. 71 *Replica.*

Respondetur id verum esse, sed causas non inclinare magis in effectum vnum numero quàm in effectum similem. *Solutio.*

Dices. Frustrà daretur in natura talis potentia, si nunquam reduceretur ad actum. *Replica.*

Respondetur hanc potentiam reduci in actum non solùm per productionem alterius similis, eo modo *Solutio.*

modo, quo omnipotentia Dei reducitur in actum, quamuis non respectu omnis possibilis, vel sicut ipsa potentia causæ naturalis in specie exercetur sufficienter respectiuè ad hos effectus; quos de facto producit) sed etiam illa potentia fuit reducta ad actum per priorem productionem rei corruptæ, cui per accidens est, siue producat illum post *esse* interruptum eius, aut antequam habuit vllum *esse*; quia eadem virtus, quæ requiritur ad vnum, sufficit ad alterum.

SCHOLIVM.

Posse naturam absolutè reproducere corpus mixtum, ex dictis in tertia sententia, id tamen non posse eo modo, quo fiet in resurrectione vniuersali; quia subitò reparabuntur corpora humana de cineribus, vel aliis, in quibus fuerunt resoluta, quod agentibus naturalibus est impossibile.

19 h DE secundo articulo principali, absolutè possibile est naturæ reducere corpus mixtum idem supposita tertia opinione *in præcedenti articulo*; sed non est possibile reducere idem eodem modo quo reducetur. Prima conclusio probatur, quia si tertia opinio *in præcedenti arciculo* sit vera, quandocunque materia tota eadem approximatur agenti eidem sine impedimentis, potest idem reduci: nec tantùm eidem agenti numero, sed eidem secundùm speciem: quia identitas secundùm speciem in agente æquiualet identitati numerali. Probatio, si in isto instanti hic ignis ex illo ligno generat ignem hunc, & si in eodem instanti ille alius ignis esset approximatus eidem ligno, generaret eundem ignem; sed possibile est totam materiam, ex qua formabatur corpus istud, aliàs in generatione naturali, esse iterum sub forma Cap. 22. seminis, & menstrui in alia matrice, sicut probatur per dictum Gregor. *Moral.* 4. & ponitur *lib.* 2. *distinct.* 20. *quæst.* 2. ergo tunc in alia matrice formaretur idem corpus mixtum.

20 *Tota natura nō potest reparare corpus humanum eo modo, quo reparabitur in resurrectione.*

Secunda conclusio est mihi certior, quia ista dependet ex quibusdam, si opinio tertia dicta sit vera. Illam secundam probo, quia tota natura actiua est alligata cuidam ordini formarum in transmutatione, ita quòd tota natura non posset immediatè post acetum inducere vinum: solus autem Deus in agendo non limitatur ad illum ordinem, & maximè ille est ordo necessarius respectu agentis naturalis, quando proceditur ab imperfecto ad perfectum: quia illud non potest pluribus, sed paucioribus modis produci. Nunc autem mixtum istud est perfectum inter illa corruptibilia, & ideò ad ipsum determinatur magnus ordo in formis præuius secundùm ordinem naturalem, vtpote seminis, sanguinis, & carnis, &c. Nunc autem tales formæ non præcedent illam formationem corporis eo modo, quo tunc reparabitur: quia subitò reparabitur de cineribus, vel pulueribus, vel aliis, in quibus fuerat priùs resolutum: ergo tota natura creata non poterit reparare illud corpus eo modo, quo tunc reparabitur.

COMMENTARIVS.

72 *Prima conclusio.* h DE *secundo articulo principali*, &c. Hîc statuit duas conclusiones. Prima est supposita veritate tertiæ opinionis præmissæ, quam probabilem magis præ reliquis censet, *posse naturam reducere corpus mixtum idem numero.* *Secunda conclusio.* Secunda conclusio est, *non esse possibile natura reducere idem eodem modo, quo reducetur virtute diuina.* Probat primam conclusionem data tertia illa sententia, quam hactenus probauimus, vt magis verisimilem. Probatio sumitur ex identitate materiæ applicatæ eidem agenti in numero, aut æquiualenti; si est eiusdem virtutis in specie; & in eo casu, quo sic tota materia applicaretur potest sequi idem effectus numero, qui præfuit: quia eadem forma seruata, & eadem materia nequit esse diuersum compositum. Hoc argumentum supponit concursum Dei ad eundem effectum: quo *Supponi concursum Dei ad veritatē primæ conclusionis.* supposito tollitur omne impedimentum tam ab extrinseco, quàm etiam ab intrinseco, stante potentia in causis proximis, & applicatis. Deinde, dicit ad probationem secundi membri, nempe sufficere vt agens sit æquiualens secundùm virtutem, quòd ignis productus ab hoc igne posset produci ab alio eiusdem perfectionis, si applicaretur primo. Patet hoc ex communi sententia, quæ admittit virtutem causarum vniuocarum, & æquiualentium esse indifferentem ex se ad omnes effectus in specie, ita vt quidquid per vnum producitur, produci posse per alterum. Hinc aliqui reducunt determinationem effectus quoad indiuiduum, esse à causa prima. Alij à circumstantiis, ita vt non ad virtutem causæ creatæ præcisè sumptæ reduci possit; quia indifferens est, & quidquid sit, an in quauis dispositione possit in quemcunque suum effectum indifferenter, ex se saltem, id in concesso est, nullum indiuiduum producere de facto, quin ab alia eius virtutis perfectionis, & dispositionis, in iisdem circumstantiis, & concursu aliorum produci posset.

Ratio huius à priori est conuenientia in specie, & perfectione, & reliquis hîc & nunc ad actionem requisitis: neque ergo ex ratione specifica dicit ordinem determinatum ad vnum indiuiduum magis, quàm alia, concurrentibus iisdem 73 *Indifferentia causæ ad singula indiuidua.*

dem, similibus, & paribus: neque ex indiuidualitate etiam habet dicere similem ordinem, quia ex ipsa indiuidualitate non est virtus actiua eius, sed ex natura specifica; neque etiam ex fine virtutis, qui est speciei propagatio, respicit indiuiduum determinatum, sed naturam, quæ est terminus formalis productionis; neque etiam ipsa indiuidualitas eius in *esse* entis videtur includere aliquem gradum entis, ex quo exigeret vnum indiuiduum magis quàm aliud; quia nulli magis assimilatur: natura autem, vt causat vniuocè, tendit in assimilationem passi; quod si iam est assimilatum, cessat actio & finis actionis; *nihil enim agit in sibi simile, vel æquale.* Data etiam aliqua communicatione entitatiua inter indiuidua eiusdem speciei, cùm hæc non possit esse identitas, ita nequit esse præcisè vnius, aut duorum indiuiduorum, quin possit esse plurium; potest ergo & aliud indiuiduum causæ similis esse in ordine ad hoc indiuiduum effectus, & sic consequenter quidquid producitur ab vna, potest ab alia æquiualente produci, vel denuò à se ipsa. Quòd si dicas tunc necessariò fore diuersas numero actiones.

Respondetur vel posse esse eandem in ratione actus productiui, & vt specificatur à termino, licèt diuersa sit, vt respicit diuersas causas; & hanc diuersitatem nihil referre *suprà* probauimus.

74 Adducit in confirmationem, seu probationem eiusdem doctrinæ Gregorium *lib. 4. Moralium, cap. 22.* quem plures alij in hoc sequuntur, vt suo loco aliàs vidimus: dicit autem Gregorius si status innocentiæ perseuerasset, fore, vt soli electi procrearentur, & nullus reprobus; sed tunc data hypothesi, plures electi, qui secundùm statum præsentem gignuntur à reprobis, tunc essent ex aliis parentibus electis: ergo indiuiduum effectus, qui est ab vna causa, potest esse ab alia æquiualente. Ad propositum ergo sicut tunc in alia materia formaretur idem corpus mixtum, quod nunc, & secundùm statum præsentem formatur in diuersa, ita posset fieri de facto, vt seruato ordine agendi naturæ, procedendo de imperfecto ad perfectum seruatis dispositionibus, & mutationibus intermediis idem mixtum ex eadem materia, Deo scilicet applicante causas, & concurrente, reproduceretur, & eadem anima infunderetur, quæ aliàs fuit.

75 His positis quoad primam conclusionem, dicit secundam esse certiorem, quàm sit prima, quæ dependet à veritate tantùm probabili tertiæ sententiæ præmissæ: nam si idem potest redire virtute naturæ, non est repugnantia, quin etiam corpus mixtum sic possit redire, seruato debito ordine.

Probat ergo secundam, nempe *impossibile esse naturæ vniuersæ reducere corpus mixtum eo ordine, quo reducitur corpus humanum in resurrectione virtute diuina.* Probatio consistit in hoc, quòd natura procedens de imperfecto ad perfectum alligata est ordini formarum in transmutatione, quem nequit transcendere; Deus autem non alligatur, neque limitatur in agendo: ideò potest in instanti formare mixtum, non sic causa creata, aut natura; quia illud mixtum, vt corpus humanum, nequit aliter aut pluribus modis procedere naturaliter à natura. Magnus ergo ordo in formis præcedit ad formationem corporis humani, vt seminis, sanguinis, carnis, secundùm quem procedit natura; vnde sequitur totam naturam non posse reparare illud corpus, vt fiet in resurrectione ex cineribus, vel aliis, in quibus erat resolutum, & hoc in instanti vt *infrà* videbimus. Circa hanc conclusionem nihil occurrit hîc disserendum, nisi si quis quærat vnde iste ordo necessarius sit in natura? *Natura vt agit, alligatur ordini formarum.*

76 Ad quod respondetur ab intrinseco oriri tam ex dispositione materiæ conuertibilis in aliud, quàm etiam ex natura plurium causarum concurrentium cum subordinatione, vel eiusdem causæ cum ordine agentis: ex parte materiæ, quia non quælibet est immediatè conuertibilis in quodcunque naturaliter; sed aliquando in formam determinatam iuxta naturam dispositionis, se tenentis ex parte materiæ, & prout subest causis, quæ hîc & nunc applicantur. Ex parte plurium causarum subordinatarum est etiam ille ordo, quatenus vna præsupponit necessariò actionem, & effectum alterius, vt patet in conuersione alimenti, & formatione fœtus; nam ad effectum nutritionis supponitur actio stomachi, qua primùm conuertitur alimentum in chylum, & transmittitur ad hepar, per quod conuertitur in sanguinem, deinde distribuitur per meatus, vt possit conuerti in substantiam viuentis; in quo ordine supponitur actio causæ prioris ad posteriorem, tanquam efficientis immediati, & disponentis materiam *circa quam* agentis posterioris, & eam ipsi applicantis; quam aliter nequit habere applicatam. Eodem modo contingit etiam in formatione fœtus naturali. Eadem etiam causa agens ad diuersas formas aliquando agit cum subordinatione propter ordinem inter formas quoad se, vel propter ordinem ipsius in agendo, quatenus nequit attingere effectum, seu posteriorem, nisi priùs agat ad immediatum.

Quomodo fundatur ordo agendi ad formas subordinatas in causa secunda. *Ordo ex parte materiæ.* *Ordo ex parte causarũ.* *Ordo ex parte eiusdem causæ.*

SCHOLIVM.

Animam corpori reparato, nec à se, nec ab alia creatura, posse vniri. Docet formam & efficientem non coincidere. Vide Doct. de coincidentia causarum vniuersaliter 2. Physic. quæst. 7.

i DE tertio articulo dicitur, quòd reparato illo corpore à quocunque, videtur quòd à natura possit anima reuniri illi corpori: quia illa forma est dispositio, quæ est necessitas animæ rationalis: in natura ergo est dispositio necessitans ad animationem: sed ad totalem dispositionem sequitur necessariò illud, ad quod disponit. 21 *Hen. quodl. 11. qu. 14. Vide Varr. q. 4. huius materia.*

Sed contrà, patet quòd illa anima non potest ab aliqua creatura alia à se reuniri corpori: sed nec à seipso tanquam à principio effectiuo illius vnitionis. Probatio vtriusque

Causa æquiuoca est perfectior suo effectu. vtriusque, causa æquiuoca est simpliciter nobilior effectu: & probatur auctoritate August. 83.q.q.2. *Omne quod fit, et, à quo fit, par esse non potest, alioquin iustitia, quæ sua vnicuique tribuere debet, de rebus auferatur necesse est.* Intelligit autem de causa æquiuoca, quia iustitia in causa vniuoca requirit æqualitatem: sed in æquiuoca eminentiam. Idem vult Auicenna 6.*Metaph.cap.*3. Idem vult Augustinus *super Gen.*12. quòd agens est præstantius passo: quæ propositio (vt aliàs dictum est) dependet ex illa, *agens est simpliciter perfectius suo effectu formali*: sed homo est simpliciter perfectior anima sua, sicut totum parte, & quacunque alia substantia corporea. Patet ergo, quòd nec anima, nec aliqua substãtia corporea alia ab homine, potest esse causa effectiua hominis.

Causa efficiẽs & formalis non coincidunt. De quo Doct. 2. Phys.q 7. Præterea 2. *Physic.* Forma & efficiens non coincidunt in idem numero: ergo anima, quæ est causa formalis hominis, non est causa effectiua eiusdem. Præterea, non minùs naturalis fuit prima vnio facta in generatione, quàm illa facta in resurrectione: sed anima non potuit esse causa effectiua illius vnionis, sed solus Deus creans, & infundens: ergo, &c.

22 k Concedo conclusionem, quòd si soli virtuti actiuæ diuinæ subest prima productio hominis, soli eidem suberit productio secunda: ista autem productio est in animatione corporis organici.

l Ad illud in oppositum dico, quòd in tota natura nihil est in susceptiuo, quod sit dispositio necessitans ad formam: quia cum qualibet tali stat potentia contradictionis, cùm ista necessariò concomitetur susceptiuum, quod est præcisè susceptiuum: talis enim repugnat necessitati.

Sed illud verbum vsitatum de dispositione, quæ est necessitans; debet sic intelligi, quòd dispositio non sit ratio necessitatis, sed quòd ipsa posita, agens necessariò inducat formam, ad quam est dispositio; vel necessitate simpliciter, sicut quando est merè naturale, vel necessitate secundùm *quid*, vt quando agens est voluntarium, & disposuit sic agere: & hoc vltimo modo forma corporeitatis est dispositio necessitans ad animam; non quòd ex ista, vel virtute eius sequatur animatio: sed quia ipsa posita, agens necessitate conditionata suæ dispositionis inducit formam, ad quam est.

Forma corporeitatis quomodo est dispositio necessitans ad animã?

m Ad argumenta principalia. Ad primum dico, quòd non est aliqua potentia passiua creata, cui non respondeat potentia actiua in natura, ne ponatur passiua frustrà; sed diuersimodè ponitur illa actiua in natura secundùm Philosophos, & Theologos. Strictè enim accipiendo naturam actiuam pro natura creata, quia Aristoteles ponit intellectum immediatè induci à Deo, vt tactum est *quæst.*1. *istius dist.* non cuilibet potentiæ passiuæ correspondet propria actiua in natura: sed accipiendo naturam pro agente naturali necessitate, sic Philosophus diceret esse potentiam actiuam in natura, quia primam causam agentem naturali necessitate in istud passum. Sed Theologi negant etiam in natura esse potentiam actiuam isto modo: quia primum dicunt agere in istud, non naturali necessitate, sed liberè: & tunc secundùm eos, cùm dicitur, *correspondet aliqua actiua in natura*, natura debet ibi accipi communiter ad totum ens. Nec etiam ipsi ponunt magis frustrà aliquid in *esse*, quàm Philosophus: quia æquè potest potentia passiua reduci ad actum, si reducatur non ab agente creato, sed increato, nec naturaliter actiuo, sed liberè: sicut si ab agente alio modo poneretur reduci.

23 *Ad arg.*1. *Quomodo potẽtia passiua respondet actiua in natura? De quo 1. d 5 q 2 ad 3. pro secunda opinione.*

n Ad aliud, consequentia non valet, potest in processum resolutiuum: ergo & in illum processum compositiuum, qui fuit in componendo. Patet instantia: possum enim diuidere solidum, nec tamen partes diuisas possum iterum continuare.

Facilius est destruere quàm extruere.

Ad tertium, vno modo negatur eandem materiam totaliter in se, & in partibus posse approximari verè alicui agenti propter diuisionem partium materiæ, quæ fit in corruptione. Alio modo negatur materiam eandem posse manere, vel redire: tamen istud argumentum tangit illud generale, de quo tractatur in primo articulo solutionis, & est pro tertia opinione, quæ non est ibi simpliciter reprobata.

Tertia opinio pro hac parte & quoad hoc exemplum, tenetur à Doct. n.12.

COMMENTARIVS.

77 *An anima se possit vnire corpori?* i DE *tertio articulo dicitur*, &c. Statuit primò sententiam Henrici *quodlibet.*11.*q.*14. asserentis animam corpori virtute naturali posse vniri, si est dispositum & organizatum; quia habet iam dispositionem necessitantem ad formam. Hanc sententiam defendit Richardus *hac dist. art.*3. *quæst.* 2. vt probabilem, soluens argumenta in contrarium. Dicunt ergo hanc vnionem posse fieri ab ipsa anima, se intimè exhibente corpori disposito per informationem eius: quam sententiam Suarez *in* 3.*part.*2.*tom. disp.*44. *sect.*5.

Sententia affirmatiua.

sect.5.in fin. censet probabilem,& eam tribuit nostro Doctori, §. *Tertius dicendi modus*, quasi eam in hoc articulo tenuerit; sed non aduertit conclusionem ab eo positam esse negatiuam

Conclusio negatiua. Conclusio ergo Doctoris est quòd *nullius agentis naturalis alterius ab ipsa anima, neque per ipsam animam possit fieri hæc vnio, sed à solo Deo*: quamuis autem Doctor *in praced. art.* docuerit, supposita veritate tertiæ sententiæ superiùs præmissæ, posse redire eundem hominem, quantùm ad corpus naturaliter, & Deum vt authorem naturæ posse infundere eandem animam; tamen non admittit vnionem animæ cum corpore attingi virtute causæ naturalis secundæ, ne quidem in ipsa prima hominis generatione, vt patet *infrà* §. *Concedo conclusionem*,&c. Quantùm autem ad conclusionem iam præmissam, videtur communis sententia eam sequi,& probatur benè à Doctore. *Anima rationalis à solo Deo est vnibilis.*

78 *Probatio.* Primò, quia causa æquiuoca est simpliciter nobilior suo effectu; intelligi de causa æquiuoca totali: quod probat authoritate Augustini lib.83. qq. quæst.2. *Omne quod fit, ei à quo fit, par esse non potest; alioquin iustitia, quæ sua cuique tribuere debet; de rebus auferatur necesse est*,&c. *hominem ergo Deus cùm fecit, quanquam optimè fecerit, non tamen id fecit, quod erat ipse*,&c. Rectè ergo probat Augustinus hominem non esse Deum, neque ipsi parem, quia Deus fecit hominem,& iustitia prout in rebus reperitur, vt sunt conditæ secundùm pondus, aut modum & mensuram debitam, exigit vt effectus causæ æquiuocæ non sit illi par, quia hæc æqualitas requiritur in causa vniuoca; eminentia verò,& excessus in causa æquiuoca, vt benè interpretatur Doctor. Vnde ratio à priori huius veritatis habetur, quia nulla causa potest includere in se eminenter aliquam formam, quæ in suo *esse* formali excedit perfectionem formæ, qua sic includens constituitur formaliter in suo *esse*: nam sic includere eminenter dicit excessum perfectionis in essendo ipsius includentis supra *esse* formale inclusi, vt patet vniuersaliter, etiã in primo ente sic includente creaturas; proinde inclusum sic in alio eminenter dicit in suo *esse* formali quantùm ad perfectionem, rationem posterioris ad includens: cùm ergo causa totalis æquiuoca sic includat suũ effectum, sequitur effectum in suo *esse* formali deficere à perfectione suæ causæ,& formæ, per quam constituitur: ergo nequit ipse esse par, aut communicare in eadem forma vniuocè, aliàs secundùm perfectionem esset omnino prius, & posterius, quod repugnat. Hoc ipsum confirmat Doctor ex Auicenna,& Augustino, quatenus dicit agens esse perfectius passo: quod intelligit Doctor nõ solùm de passo, vt præcisè consideratur in potentia passiua ad formã, quia de hoc non est aliqua difficultas, cùm agens sit in actu respectu eius ad quod passum est in mera potentia passiua; sed intelligitur etiam respectiuè ad formam, quam in passo producit agens æquiuocum, de quo agitur. *August.* *Perfectio eminentialis quomodo attenditur.*

79 His positis quantùm ad probationem Maioris, subsumit hominem esse perfectiorem sua anima, quia totum est perfectius sua parte; hominem prætereà esse perfectiorem quacunque alia substantia corporea: ergo neque anima; neque alia substantia corporea est causa hominis effectiua.

Vis rationis. Vis rationis in hoc consistit; quia à quocunque est vnio partium ad inuicem, ab eodem est compositum resultans effectiuè; hoc nequit esse ab anima, quæ inferior est perfectione: nequit etiam esse ab aliqua substantia corporea: ergo,&c.

Dices animam esse perfectiorem vnione, quæ nihil est compositi: ergo ratio non probat. *Responsio.*

Contrà. A quocunque est vnio; ab eodem effectiuè est informatio formæ, & receptio materiæ, & communicatio vtriusque tanquam componentis, vt ex ipsis causatur totum: communicatio, inquam, qua toti insunt: quia aliter non extenditur virtus causæ effectiuæ ad totum, quà totum est præcisè; nam quòd efficiens producat formam in *esse*, non inde est causa totius; quia etiam est causa totius, quà totum est ex materia, quam non causat efficiens, sed quia sua actione vnitiua eius ad formam, eam communicat toti; & perinde esset causa totius, etiamsi præexisteret forma, modò ipsam virtute sua actiua communicaret materiæ causaliter: ergo rectè sequitur, si anima, aut aliud causaret vnionem, quòd causaret compositum,& sic aliquid se ipso perfectius causaret: ad nihil enim extenditur causalitas causæ intrinsecæ, ad quod non se extendit etiam causa efficiens, cùm vnum genus causarum in creatis non causet sine concursu reliquarum: ergo totum resultans in eo casu esset effectus efficientis; non alterius, quàm vnientis formam ad materiam: ergo, &c. *Impugnatur.* *Quod causat vnionẽ causat totum.*

Probat secundò, quia forma & efficiens in generatione compositi substantialis non coincidunt ex 2. *Phys.* sed forma est anima: ergo nequit esse efficiens: sed hoc non est verum, vt patet ex ratione præcedenti, si ipsam vniat formaliter corpori, aut vnire possit: ergo,&c. Quòd autem forma, & efficiens non coincidant respectu eiusdem effectus, patet; quia causarum genera sunt impermixta,& diuersa. Prætereà ex diuerso modo causandi causarum intrinsecarum, & extrinsecarum: quia extrinsecæ, qualis est efficiens, non insunt effectui, sed attingunt virtute tantùm effectum; intrinsecæ verò insunt effectui. 80 *Secunda probatio.* *Causa formalis & efficiens nõ coincidunt.*

Tertiò probat, quia non minùs naturalis fuit prima vnio facta in anima in prima generatione hominis, quàm secunda facta in resurrectione; sed illa fuit à Deo infundente animam, & non ab ipsa anima: ergo & hæc. Sumit autem *naturale* vt est differentia potentiæ passiuæ.

k *Concedo conclusionem*, &c. Hîc dicit quòd si soli virtuti actiuæ diuinæ subest prima productio hominis, eidem etiam subest secunda productio, quæ consistit in animatione corporis organici. Hîc sumit productionem hominis, vt est ab agente per illam actionem, quæ vnit animam corpori, quia est quæ proximè attingit totum,& non alia præcedens, si est. Quòd autem dicat, si prima productio hominis subest actioni diuinæ tantùm, intelligit præcisè de vnione, seu vnitione animæ, & potissimùm excludendo sententiam, quam impugnat, in quantùm docet vnitionem esse ab ipsa anima; quia nullum aliud agens in secunda productione applicatur, ex quo esse possit vnitio, nisi sola anima. Quòd si vnitio fiat ab anima ipsa in productione prima hominis, aut fieri posset virtute sua naturali, non esset inconueniens vt ab ea fieret in secunda productione hominis; negat tamen *suprà* fieri hanc vnitionem ab ipsa anima ex rationibus præmissis. 81 *Conclusio Doctoris animam vniri à solo Deo.* *Declaratur.*

Aliam rationem præmissæ conclusionis proponit pater Ægid. Lusit. *tom.3.q.5.ar.5.§.1.num.6. & 7.* nempe ideò non posse aliquam causam naturalem agere ad vnionem animæ in resurrectione, quia nequit aliqua causa agere ad corruptum, neque consequenter ad productionem hominis mortui, 82 *Alia ratio conclusionis affertur.*

mortui, vt *suprà* aliàs tenuit iuxta principia, quæ soluta sunt *in* 1.*art.huius quæst.*& impugnata *ibid.* in prima tamen productione hominis videtur admittere generantem attingere vnionem animæ ad corpus, quamuis non omnino claré id afferat. Doctor etiam hîc non definit hanc quæstionem, an scilicet vnio animæ ad corpus fiat à generante: nam in conclusione præmissa loquitur de secunda vnione. Tertia verò ratio est exclusiua respectu animæ; quatenus ab ea nequeat fieri: nisi in addito illo *sed solus Deus creans*, *& infundens*, &c. comprehendatur, verba autem sequentia suspendunt resolutionem.

83 *Generãs non attingit vnionẽ animæ rationalis.*

Dicendum secundùm principia Doctoris, generantem non attingere vnionem animæ rationalis ad corpus, imò neque animæ brutalis, quæ educitur de potentia materiæ à solo Deo, & non à cælo, aut alia causa vniuersali, aut particulari; quia perfectio cõueniens animæ bruti perfecti, est excedẽs formam cæli; generans autẽ non est coniunctus materiæ, aut corpori organizato, neque necessariò tum est, quando corpus est perfectè organizatum; vnde actio productiua animæ nequit ipsi tribui, aut corpori cælesti; sed soli Deo, qui sicut educit animam de potentia subiecti, ita etiam educendo solus vnit. Videatur de hoc fusiùs Doctor *in* 2.*d.*18.

Idem asseritur de anima bruti ex alia ratione.

Cur vnio animæ rationalis non attingatur à generante vniuoco.

A fortiori hæc ratio currit quoad animam rationalem, quæ est forma spiritualis creata à Deo, & non subiecta actioni generantis: quod speciale in ipsa est: actio autem causæ materialis totalis, & vniuocæ necessariò supponit subiectum extensum, & applicatum. Prima conditio defuit animæ rationali. Secunda etiam eidem defuit, quia non est applicata per modum subiecti agenti generanti, vt inest corpori, in quod idem agens agit, prout ipsi hæc actio generatiua competit, & in quantùm etiam anima est vnita corpori; aliàs non apparet ratio, vnde ad ipsam extendi posset actio generantis, & organizantis corpus. Deinde, non videtur posse agere agens creatum primò ad vnionem animæ, aut alterius formæ substantialis, nisi per actionem eductiuam eius à materia, quæ nequit in proposito ei conuenire. Accedit vltimò quòd talis sit vnio animæ ad corpus, & singulas eius partes, quæ sit tota in toto, & in singulis partibus, vt difficile sit conceptu quomodo talis vnio, licèt connaturalis sit animæ, possit ei inesse virtute agentis creati: sed hæc quæstio ad alium locum spectat, quò eam remittimus.

84 *Fundamentum Henrici.*

l *Ad illud in oppositum*, &c. Respondet ad fundamentum Henrici, quod est hoc; nempe in natura esse virtutem producendi corpus organizatum cum sua dispositione necessitante ad animam: ergo necessariò sequitur anima, non aliter sequeretur ex vi dispositionis, nisi disponens vniret animam rationalem: cùm anima sit forma independens à subiecto: ergo dispositio ad eam necessitans in hoc exerit virtutem, vt eam vniat.

Responsio ad idem.

Respondet benè Doctor primò, destruens illam intelligentiam, quam præfert argumentum dispositionis necessitantis, quæ insit materiæ antecedenter ad formam, quæ necessitat ad formam ex ratione sua, & connexione ad ipsam formam. Hanc intelligentiam impugnat Doctor, & optimè, quia cùm omnis dispositio sit antecedens formam (aliàs non esset dispositio ad formam) sequitur dispositionem compati cum potentia contradictionis materiæ ad formam, quæ inseparabilis est à materia donec aduenerit forma, cuius priuatio supponitur: ergo ex parte materiæ non inducitur illa necessitas per illam dispositionem vt priorem; quia materia pro omni instanti ante formam est sub priuatione, neque datur ab ea recessus, nisi ad ipsam formam.

Quid sit dispositio necessitans.

Explicatur non esse necessitantem ex se, sed necessitatẽ oriri ab intrinseco agentis.

Intelligi ergo debet dispositionem dici necessitantem, ex eo quòd agens supposita dispositione in eo gradu, necessitatur ab intrinseco, vt producat formam in materiam sic dispositam, vel simpliciter, si est agens naturale, vel secundùm *quid*, si est agens liberum, & sic disposuit, aut intendit agere. Deus autem, qui est causa productiua animæ, supponit formam corporis, & organizationem in ordine ad animam, non tanquam hæc necessariò inferat productionem animæ, sed tantùm quia Deus sic disposuit eam producere ea supposita, & ad finem animationis coagit ad organizationem.

Dispositio ad rationalẽ nõ esse necessitãs hoc modo.

m *Ad argumenta principalia*, &c. Respondet ad argumenta liminaria quæstionis. Primum fuit, quòd in natura sit potentia passiua naturalis ad resurrectionem; sed omni tali correspondet sua actiua naturalis: ergo, &c. Respondet omni potentiæ passiuæ in natura correspondere actiuam, ne illa frustrà poneretur: sed hanc actiuam neque Theologus, neque Philosophus statueret in natura respectu potentiæ passiuæ, vt natura sumitur præcisè pro serie entium inferiorum, vt excludit primam causam; hoc enim negaret in pluribus Philosophus, quin etiam in ipsa productione animæ, quam constituebat à solo Deo esse; diceret tamen hanc actiuam naturalem, prout *naturalis* dicit differentiam agentis necessarij, esse in natura, vt comprehendit primam causam; in quo errauit; neque hic error conducit ad saluandum potentiam non esse frustrà in natura; quia potentia diceretur frustrà in quantùm non posset reduci ad actum: sed ad actum perinde reducitur per agens primum, siue necessariò, siue liberè agat.

85 *Ad argumẽta principalia.*

Ad primum.

Omni passiua correspondet actiua.

Illa non est semper in agente inferiori.

Quæ potentia dicitur frustranea?

n *Ad aliud, consequentia non valet*, &c. Secundum argumentum fuit in eo, quòd duplex sit processus in natura, alter compositiuus, alter resolutiuus; & in vtrumque æquè potest natura; sed potest corrumpere, aut resoluere hominem in sua componentia: ergo & componere resolutum.

86 *Ad secundum.*

Processus resolutiuus, & compositiuus in natura.

Respondet Doctor non valere consequentiam: quia possum diuidere solidum, non possum iterum componere. Ratio ergo falsa assumitur, nempe naturam æquè posse in vtrumque processum; ignis potest resoluere lignum; non tamen potest componere, aut producere lignum.

Responsio.

Natura non æquè potest in vtrumque processum.

Tertium argumentum est ex corruptione, & transmutatione ignis in aërem, & aëris iterum in ignem, in qua manet eadem materia sub vtraque forma: ergo potest secundus ignis esse idem cum primo, &c. Remittit responsionem ad dicta *in* 1. *artic.* iuxta varia placita Doctorum; sed negatur consequentia; quia non sufficit materiam esse eandem, & causam particularem etiam eandem esse, nisi accedat determinatio primi agentis in ordine ad idem numero reducendum, quod aliàs defuit.

Ad tertium.

Responsio.

Requiri determinationem primi agentis vt idem numero redeat.

QVÆSTIO



QVÆSTIO IV.

Vtrùm resurrectio sit naturalis?

D.Thom. *quodlib.4.art.5. & opusc.9.cap.81.* Richard. *hic art.3.quæst.1.* Capreol. *quæst.11.* Palud. *quæst.2. & 3.* Bassol. *quæst.4.* Sotus *dist.44.* Durand. *hic quæst.3.* Henr. *quodlib.7.quæst.16.* Ægid. *Theor.1.* Suar. *tom.2.in 3.p.disp.44.s.6.* Vide Scot. *7.Met.q.12.ad 2.mot.princ.& 9.Met.quæst.12. & in Theor.§.* Actio naturalis potest subesse, *& 2.Phys.quæst.4.*

o QVARTO quæro, Vtrùm resurrectio sit naturalis? Quòd sic, secundùm Damascenum lib.3.cap.14. *Quod commune est omnibus in eadem specie, naturale est;* resurrectio est huiusmodi: ergo, &c. 1 *Arg. 1.*

Præterea, motus est naturalis, qui terminatur ad quietem naturalem, quia naturaliter mouetur mobile ad illud, in quo naturaliter quiescit: & pari ratione mutatio est naturalis, quæ terminatur naturaliter ad formam naturaliter perficientem mutabile; sed resurrectio est huiusmodi, quia perfectibile naturaliter perficietur illa forma reunita: ergo, &c. *Arg. 2.*

Oppositum Dionysius *de diu. nom. cap.16.* dicit de resurrectione, ipsam visam esse supra naturam: ergo non est naturalis. Præterea ad cognoscendum effectus naturales potest pertingi per rationem naturalem: non sic ad resurrectionem, *ex 2.quæst.huius dist.* ergo, &c. *Rat. opp.*

Præterea, quod naturale est, euenit vt in pluribus, non tantùm suppositis, sed etiam temporibus: quia euenit quoties causa eius, quæ naturalis est, non est impedita: est autem impedita in paucioribus: sed resurrectio tantùm semel euenit: ergo, &c.

COMMENTARIVS.

1 o QVartò quæro, &c. Hæc quæstio continet duos articulos; in primò explicatur quid sit *naturale* per comparationem ad singula, quibus secundùm diuersas acceptiones opponitur *supernaturale.* In secundo resoluit quæstionem.

SCHOLIVM.

Explicat optimè rationem naturalis, violenti *&* supernaturalis; *& quomodo* naturale *sumitur tripliciter; & rursus dupliciter in ordine ad agens, vt scilicet opponitur* supernaturali, *&* libero: *& dupliciter in ordine ad passum, vt opponitur* violento, *&* neutrali. *Ad quæst. resoluit resurrectionem esse naturalem, vt opponitur* violento, *non vt opponitur* supernaturali: *loquendo de resurrectione actiua, est supernaturalis, & libera. De his Doct.quæst.1. prolog. à num.20.*

p INtelligendum est hoc, quòd *naturale* æquiuocè accipitur: quod apparet ex hoc, quia diuersis opponitur: & illa est vna doctrina cognoscendi multiplex, *1.Topic.cap.12.* Opponitur enim *naturale* vno modo *supernaturali*; alio modo *libero*, vel *voluntario*; tertio modo, *violento.* Naturalitas enim aliquando pertinet ad principium actiuum, & tunc opponuntur sibi *liberum* vno modo, & alio modo *supernaturale.* Nam agens naturale, vel naturaliter dicitur, quod opponitur *libero*, quia agit necessitate naturali: sed *voluntarium*, vel *liberum*, quod seipsum determinat ad agendum: & illo modo loquitur Philosophus *2. Physic.* diuidens naturam contra agens à proposito: & *9. Metaphysic. cap. 2. & 4.* de potentiis actiuis irrationalibus, & actiuis rationalibus, siue liberis. 2 *Naturale tripliciter sumitur.*

Alio modo ex parte principij actiui *naturale* dicitur, quod habet naturalem ordinem actiui ad passum: & *supernaturale*, quod excedit omnem talem ordinem naturalem: & illo modo quodcunque agens causatum dicitur naturale, & solum agens increatum dicitur supernaturale.

Ex parte autem passi opponitur *naturale* vno modo *violento*, prout naturaliter dicitur moueri, vel pati, quod patitur secundùm propriam inclinationem passi: violenter verò, quod patitur contra inclinationem passi.

Et ex hoc sequitur, quòd *naturale* & *violentum*, non sunt opposita contraria immediata, 3 *Datur potentia neutra.*

mediata, imò est inter ea medium, quando scilicet passum neutro modo se habet, neque inclinatur ad illud, quod recipit, neque ad oppositum: sicut superficies ad albedinem, vel nigredinem, vel ad medium. Sequitur etiam, quòd non potest esse violentia in primo passo, scilicet materia prima: quia non inclinatur contra aliquid, cuius est absolutè receptiuum, & hæc distinctio illorum oppositorum & medij accipitur in passo, vt comparatur ad formam, ad quam transmutatur: vt autem passum comparatur ad agens, à quo recipit formam, dicitur naturaliter moueri, quando mouetur ab agente naturaliter sibi correspondente: supernaturaliter autem moueri, quando ab agente supra totum ordinem agentis naturaliter proportionato isti.

Materia prima non mouetur violenter.

Sic ergo habemus *naturale* dupliciter, vt pertinet ad actiuum: quia vt distinguitur contra *liberum*, & *supernaturale*, & *naturale*, vel *naturaliter* dupliciter, vt pertinet ad passum: quia vt distinguitur contra *neutraliter*, & contra *violentum*.

4 Sed contra distinctionem duorum vltimorum membrorum arguitur, quia secundùm Philosophum 3. Ethicor. *Violentum est, cuius principium est extrà, non conferente vim passo:* ergo in definitione *violenti* ponitur principium motiuum, & per consequens *violentum* essentialiter, non tantùm accipitur ex comparatione passi ad formam, sed ad agens.

Cap. 3. Quod violentum.

Respondeo, & ad quotcunque tales instantias, per hanc propositionem; *Illud est per se causa, quo posito, & circunscripto alio vel variato, sequitur effectus:* nunc autem, licèt forma, contra quam inclinatur receptiuum, non inducatur nisi per agens per se violentans passum: tamen per se ratio *violenti* est ex habitudine passi ad formam: quia passo, & forma manentibus in sua ratione, puta quòd forma sit receptibilis, tamen contra inclinationem passi quomodocunque variatur agens, passum violenter recipit. Hoc etiam apparet, quia non tantùm in *induci*, sed etiam in *permanere*, dicitur quòd aliqua forma violenter permanet in passo, & diu, aliqua autem naturaliter; ita quòd circumscribendo agens, quod scilicet non habet actionem post inductionem formæ, ibi est naturalitas, vel violentia præcisè comparando formam ad receptiuum.

Violētia & naturalitas est comparādo formā ad passum præcisè.

Concedo ergo quòd in descriptione *violenti*, ponitur agens tanquam extrinsecum: sed non tanquam per se complens, nec tanquam per se constituens rationem *violenti:* sed tantummodò completur per illud, *passo vim non conferente:* & tamen modò maneret *violentum* post omnem actionem agentis, sicut si lapis posset quiescere sursum sine continua actione detinentis: additur tamen *principium* in descriptione *violenti*, tanquam causa extrinseca.

5 Consimiliter, licèt passum recipiat aliquam formam aliquo modo supernaturalem, & in hoc posset supernaturalitas dicere modum habitudinis passi ad formam: tamen nunquam dicitur supernaturale, nisi quia recipit eam à tali agente: cuius probatio est, quia si formam naturaliter sui perfectiuam reciperet à tali agente, adhuc reciperet eam supernaturaliter; non quidem propter habitudinem ad formam, quia sic naturaliter recipit: sed propter habitudinem ad agens, à quo recipit.

Ad propositum resurrectio significat passionem, cui correspondet pro actione resuscitatio: ergo in quæstione, an resurrectio sit naturalis, non accipitur *naturalitas*, nisi prout pertinet ad passionem: sed in quæstione, an resuscitatio actiua sit naturalis, accipietur *naturale*, vt pertinet ad actionem & ad causam actiuam.

Resurrectio est naturalis, & supernaturalis, diuerso sensu.

Primo ergo modo dico, quòd erit naturalis, vt *naturale* opponitur *violento:* sed non naturalis, vt *naturale* opponitur *supernaturali*, sed erit supernaturalis. Et ratio vtriusque membri patet ex dictis *in 1. artic.* Ratio primi, quia passum inclinatur naturaliter ad formam, quam recipit. Ratio secundi, quia non recipit ab agente naturalem ordinem habente ad istud agendum, sed supra totum istud.

Si verò quæratur de resuscitatione actiua an erit naturalis? Respondendum est, quòd vtroque modo, quo *naturalis* pertinet ad actionem, illa erit non naturalis: quia & ab agente liberè non naturali necessitate, & ab agente supra totum ordinem causarum creatarum, quæ dicuntur habere ordinem naturalem agendi in passo.

Ad arg. 1. r Ad Argumenta. Ad primum, auctoritas Damasceni intelligenda est de eo, quod est commune omnibus in specie à principio intrinseco, vel à causa naturali: non sic hîc, & patet quòd sic intelligit, quia propositionem sic intellectam applicat ad operationem duplicem de Christo, qui est in omnibus in specie humana, à causa intrinseca, vel saltem naturali.

Ad 2. Ad secundum, probat tantummodò quòd resurrectio sit naturalis, vt *naturale* opponitur

ponitur *violento.* Tamen quod tangitur ibi de mutatione, habet dubium, an resurrectio sit mutatio, & dicetur in sequenti quæstione.

COMMENTARIVS.

2 p INtelligendum est hoc,&c. Fundamentum huius quæstionis sumitur ex appetitu animæ ad materiam, qui est ipsi naturalis. Deinde, ex appetitu etiam naturali beatitudinis, ex immortalitate animæ, ex prouidentia Dei, qua statuit præmium, & pœnam operibus, & aliis rationibus naturalibus, & congruentiis, quibus Sancti Patres probant possibilitatem resurrectionis contra Philosophos.

Fundamentum quæstionis.

Antequam ergo resoluat Doctor quæstionem, hîc distinguit terminum *naturale*, qui multiplex est in significando, & æquiuocus, vt pluribus seu diuersis opponitur, vt est *supernaturale*, *liberum*, & *violentum*. Aliquando est differentia actiui, aliquando passiui. *Naturale*, vt dicitur de principio actiuo, aliquando opponitur *libero*, seu *voluntario*, & sic agens naturale est, quod ab intrinseco determinatur ad actionem, & distinguitur ab agente à proposito, quod mediante cognitione determinatur, vt patet 2. *Physicor.* & 9. *Metaph.* Secundo modo dicitur agens naturale, vt dicit differentiam ordinis ad passum, tanquam actiui connaturalis dicentis ordinem naturalem ad passum, vt illud transmutet de potentia ad actum; & sic omne agens creatum dicitur naturale eo modo, & sensu, quo natura distinguitur ab Authore naturæ: dicere enim ordinem ad passum, non consistit in eo præcisè, quòd agens includat in sua potentia actiua formam, ad quam subiectum, aut passum est in potentia; sed vltra hoc dicit necessarium ordinem, & dependentiam ad passum, sine quo nequit exerere virtutem actiuam, aut vllo modo est potens ad actionem, aut effectum; quæ differentia est communis omni agenti creato, siue naturalis ordinis, siue supernaturalis sit, iuxta aliam significationem horum terminorum, quam mox exponemus. Vide quæ dicta sunt *dist.* 1. *huius quæst.* 1. *Supernaturale* per oppositum dicitur solùm de Deo agente increato, qui excedit omnem talem ordinem, & agere potest independenter à materia, & sine ordine ad ipsam per creationem ex nihilo.

Naturale multipliciter dicitur, & æquiuocè.

Est differentia actiui, & quomodo sumitur.

Distinguitur contra primã causam.

Supernaturale per oppositum solus Deus.

3 Alio modo etiam potest hæc differentia sumi ex vniuersalitate virtutis, & limitatione in agendo; quia agens creatum ita dicit ordinem ad determinatum passum, vt non possit in quodcunque passum, neque in quamcunque formam, sed limitatè ad aliquod, aut aliqua: & sic cœlum, & astra etiam dicunt ordinem ad materiam, seu passum, quia neque alia transmutare possunt nisi sublunaria, neque in his etiam reducere quamcunque potentiam materiæ ad actum, prout *suprà* dictum est de potentia ad animas perfectas. Per oppositum agens increatum est illimitatum, & respicit vniuersaliter omnem potentialitatem passi, vel materiæ, & secundùm vniuersalitatem formarum, & secundùm modum potentialitatis, qua potest reduci ad actum, siue producendo formam primò, siue eam corruptam reducendo, siue concurrendo cum aliis agentibus inferioris ordinis, siue se solo educendo formam; siue etiam creando sine dependentia à materia.

Naturale pro limitato agẽte.

Supernaturale pro illimitato.

4 Alio modo dicitur *naturale* ex parte passi, quatenus naturali appetitu inclinatur ad formam, secundùm quam patitur, seu ad eam transmutatur. Per oppositum dicitur *violentum* ex eo, quòd repugnet formæ, quam recipit, licèt eius productio sit secundùm inclinationem agentis. Inter vtrumque datur medium, vt quando passum neutro modo se habet ad formam; vt quia neque ei repugnat, neque eam appetit, neque oppositam. Hæc potentia ad talem formam dicitur in nostra Schola, neutra. Controuersiam huius puncti remittimus ad suum locum, quia non spectat ad institutum: *naturaliter* ergo hoc modo sumitur, vt distinguitur contra *violentum*, & *neutrum*: & sumitur præcisè in ordine ad formam.

Naturale vt est differentia passi in ordine ad formã.

Opponitur violento.

Inter vtrumque dari medium.

5 Alio modo dicitur *naturaliter* ex parte passi, prout respicit agens, quando mouetur ab agente naturaliter sibi correspondente, & proportionato secundùm ordinem naturalem causarum, & dispositionem. E contra per oppositum huius dicitur *supernaturale*, prout mouetur ab agente supra totum ordinem agentis naturalis proportionati materiæ, vt est mobilis secundùm statum naturæ, & prouidentiæ naturalis; in ordine etiam ad finem naturalem præfixum, & debitum naturæ præcisè. Quando mouetur ad agente, non sic proportionato, & secundùm aliam prouidentiam in ordine supernaturali dicitur moueri supernaturaliter, quantumlibet forma, ad quam mouetur, esset secundùm inclinationem eius. Contra vtrumque hoc membrum obiicit Doctor, & soluit in litera. Controuertitur circa hoc punctum, in quo consistat supernaturalitas hoc modo sumpta: & an possit compati cum appetitu, & inclinatione naturali ad formam, quæ sic supernaturaliter producitur, & an potiùs dici debeat potentia obedientialis illa respectu formæ, quàm naturalis, sed de hoc *infrà* agemus commodiori loco agentes de hoc appetitu animæ ad beatitudinem.

Naturale, vt est differentia passi in ordine ad agens.

Opponitur supernaturali.

6 q *Ad propositum resurrectio*, &c. Hîc ex dictis statuit secundum articulum; & resoluit quæstionem. Dicit quòd resurrectio dicat passionem, resuscitatio verò actionem correspondentem. Vnde quæstio, vt respicit resurrectionem, determinat *naturale*, & *supernaturale*, vt est differentia passionis, vt verò respicit resuscitationem, denotat eadem, vt inueniuntur in actione, & respectiuè ad agens.

Resolutio quæstionis.

Resurrectio & resuscitatio quomodo differunt.

Prima conclusio est, Resurrectionem naturalem esse, vt *naturale* opponitur *violento*: quia inclinatur corpus ad animam, & anima ad corpus. Esse supernaturalem, vt est ab agente supra totam seriem agentis naturalis proportionati. Si verò quæratur de resuscitatione actiua, dicit non esse naturalem secundùm primam differentiam, quà opponitur *libero*, sed supernaturalem quà est supra totum ordinem agentis creati; quod nequit attingere hunc effectum; & secundùm hanc actionem, qua fit de facto, & modum quo resuscitatur homo. Vtraque conclusio est communis, & patet ex rationibus tribus quas præmisit Doctor ad oppositum, quarum prima est authoritas Dionysij. Secunda verò ex eo quòd ratione naturali non possit attingi veritas resurrectionis in euentu futuræ. Tertia quia effectus causæ naturalis euenit vt in pluribus si non

Naturalis est resurrectio vt opponitur illud violento

Resuscitatio non est naturalis.

Vtraque conclusio probatur.

Primo.

Secundo.

Tertio.

non est impedita, & sæpiùs: non enim semper est impedita: ergo resurrectio quæ tantùm semel fiet, non est naturalis causæ effectus. Patet conclusio etiam ex dictis suprà quæstione secunda & tertia. Nulla enim virtus in natura est efficax ad reducendum materiam eandem, & eam colligendam, neque formandi corpus humanum, nisi per generationem vniuocam, & decisionem seminis per propagationem.

Causa naturalis non est semper impedita.

Quòd si obiicias contra hæc appetitum naturalem animæ ad corpus, & rationes naturales, quibus Patres conantur probare futuram resurrectionem, maximè illam ex prouidentia Dei respectu bonorum, & malorum. Ad has rationes responsum est *quæst.2.* probando hanc veritatem non demonstrari quantùm ad factum.

Occurritur obiectionibus.

r *Ad argumenta. Ad primum,*&c. Primum fuit authoritas Damasceni dicentis, *quod commune est omnibus in eadem specie, naturale est,* &c. 7

Ad primum

Respondet intelligi de communi à principio intrinseco; vnde ipse ex eo principio probat duplicem esse operationem in Christo.

Explicatur Damascenus.

Ad secundum ex naturalitate motus, & inclinatione passi ad formam. Respondet tantùm probare resurrectionem esse naturalem, vt est differentia subiecti, & inclinationis ad formam, & distinguitur à *violento.* An verò sit mutatio, resoluit *quæst. sequenti.*

Ad secundū responsio.



QVÆSTIO V.

Vtrùm resurrectio futura sit in instanti?

Alens. 3.*part.quæst.*32.*m.*5.*art.*1.D.Thom.*hic quæst.*2.*art.*2. D.Bonau. *art.*1. *quæst.*3. Richard. *art.*5.*q.*1. *&* 2. Durand. *quæst.*3.*&* 4. Argent.*quæst.*1.*art.*4. Suarez *tom.*2. 3.*part.d.*50.*sect.*9. Vide Scot. 8.*Met. quæst.*3. *&* 9.*Met.quæst.*11. *&* 4.*Physic. quæst.*12. vbi Aretin.

1 a QVARTÒ quæro, Vtrùm resurrectio sit in instanti? Quòd non 1. ad
Arg. 1. Thess. 4.*Mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi: deinde nos qui viuimus,* &c. ergo illi qui inuenientur mortui in aduentu Christi, primò resurgent, & deinde illi, alij rapti in obuiam morientur, & posteà resurgent: ergo non simul erit resurrectio istorum, & illorum: non ergo in instanti.

Arg. 2. Prætereà Augustinus 20. de Ciuitat. Dei, cap. 20. *Tam ineffabili velocitate rediturum antiquissimorum cadauerum puluerem in membra sine fine victura, ipse Apostolus apertissimè dicit. Velox* & *tardum* secundùm Philosophum 4.Physicor.tempore determinantur. & eodem cap.20. *ad immortalitatem per mortem mira celeritate transibunt.* *Text. com. 96.*

2
Arg. 3. Prætereà, in resurrectione aliquid, quod præfuit, corrumpetur: quia materia illa, quæ recipiet formam nouam, præfuit sub alia forma corrumpenda: illud corrumpendum habebit *esse* finitum: omne autem vndique finitum positiuum habet ad minus duos terminos positiuos: ergo illud *esse* illius præcedentis habebit duos terminos positiuos, & per consequens est dare vltimum instans *esse* illius præcedentis: ergo si resurrectio erit immediatè post *esse* illius, & in instanti erit instans immediatum instanti, quod est contra Philosophum. 5. *&* 6. *Physic.* *Text. 29.*

Text. 2. & inde.
Arg. 4. Prætereà, corpus tunc corrumpendum habebit *esse* permanens; permanens autem non habet *esse* in tempore, nisi quia in instanti: ergo si immediatè præcedat *esse* corporis resuscitandi, sequitur quòd præcedat in instanti immediato illi *esse*: & tunc vt priùs, corpus resuscitandum non poterit habere *esse* immediatum in instanti.

Ratio ad opp. Oppositum 1. Cor. 15. *In momento, in ictu oculi, in nouissima tuba.* Quam auctoritatem Augustinus adducit *de Ciuit.* vbi priùs pro probatione resurrectionis subitò fiendæ. Prætereà, generatio est in instanti: ergo & resurrectio. Prætereà, Magister in litera dicit, quòd in instanti erit resurrectio.

COMMENTARIVS.

1 a QVintò quæro, Vtrùm resurrectio sit in instanti, &c. In hac quæstione tangit modum resurrectionis, quo fit. Diuiditur in tres articulos. In primo agitur de ministerio Angelorum. In secundo de formatione corporis. In tertio de animatione corporis; & deinde subiicit duo dubia, eáque resoluit, & respondet ad argumenta principalia.

Ordo, & diuisio quæstionis.

SCHOLIVM.

Collectio partium corporum, seu cinerum fiet per Angelos, & non in instanti, sed in tempore. Prima pars ex Matth. 24. 1. Thess. 4. docent Chrysost. hom. 8. in Ioan. August. in Enchir. 88. & 3. Trinit. 4. Alens. 4. part. quæst. 134. m. 1. Henriq. citans multos. l. de vlt. fine, cap. 21. Controuersia est an deferent partes dispersas, vel cineres ad vallem

Iosaphat,

Iosaphat, vel an singuli surgent de suis monumentis: de quo infrà num. 12. & ibi in Schol. Secunda pars patet, quia Angelus non potest mouere corpus in instanti, ex 2. dist. 8. quæst. vnic.

b RESpondeo, cùm *resurrectio* secundùm Damascenum, vt dictum est, *sit iterata surrectio eius quod cecidit*; cecidit autem primò totus homo per separationem intellectiuæ à corpore, & secundariò cecidit illud corpus mixtum per corruptionem in aliud, vel alia: & conuersus sit ordo generationis & corruptionis, ac per hoc oporteat priùs in ordine naturæ corpus reparari, quàm animam reuniri: illam autem reparationem corporis præcedit collectio partium materiæ, quæ dispersæ erant per resolutionem corporis in diuersa, statim, vel cum mora. Primò oportet videre de isto præambulo resurrectionis, quod est collectio partium corporis. Secundò de inductione formæ corporis in materiam illam. Tertiò de vnione animæ ad corpus illud. 3 *Priùs restaurãdum, corpus quã anima vnienda in resurrectione.*

c De primo dico, quòd fiet ministerio Angelorum, & ideo in tempore. Antecedens patet ex dicto Saluatoris Matth. 24. *Mittet filius hominis Angelos suos cum tuba, & voce magna: & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à summis cælorum, vsque ad terminos eorum:* quod est dictu, quocunque dispersæ fuerint partes materiæ corporis in elementa, siue in ignem, siue in terram, à summis cœlorum vsque ad terminos eorum, siue in quodcunque corpus medium, aqueum, aëreum, vel imperfectè mixtum à quatuor ventis; omnes materiæ partes recolligentur, & reunientur. Consequentia apparet per hoc quod dictum est *in 2. lib. dist. 8. quæst. vnica*, quòd Angelus non potest mouere corpus in instanti. *Cineres colligẽtur per Angelos, & in tempore in resurrectione.*

COMMENTARIVS.

2 *Resurrectionis definitio.* b RESpondeo, cùm *resurrectio sit*, &c. Hæc est definitio resurrectionis, vt sit *iterata surrectio eius, quod cecidit*. Ita Damascenus, & multi alij Patres; cecidit autem primò compositum per resolutionem, corpus posteà per corruptionem, & conuersionem in alia, & hic est ordo corruptionis, cui opponitur ordo generationis, qui incipit à formatione corporis; mox progreditur ad cõpositionem totius per animationem. *Collectio cinerum.* Ideò primò hîc agit Doctor de collectione cinerum, seu materiæ, eam describens, *ex Matth. 24.* *De voce, & tuba.* vt fit *cum tuba, & voce magna, Ioan. 5.* dicitur *Vox filij hominis: Veniet hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem eius*, &c. 1. ad Thess. 4. *Quoniam ipse Dominus in voce, & in iussu Archangeli, & in tuba Dei*, &c. 1. ad Cor. 15. *In nouissima tuba: canet enim tuba*, &c. Sophon. 1. *Iuxta est dies Domini, dies tuba, & clangoris.* *Eadem sunt vox & tuba.* Has voces esse diuersas aliqui docent, communiùs tamen Interpretes sumunt pro eadem voce; fore autem *Erunt sensibiles.* sensibiles docent Hieronym. *epist. 61. ad Pammachium.* Chrysost. *homil. 38. in Ioannem.* Gregor. *lib. 17. Moral. cap. 21.* & terror illius diei id insinuat, & proprietas Scripturæ, & emphasis illorum verborum Pauli *In nouissima tuba: (canet enim tuba) & mortui resurgent:* Item, Maiestas Iudicis, & authoritas, quod consonum est etiam promulgationi legis in monte Synai, in qua canebat tuba, & ostensioni potestatis Filij Dei vniuersalis, quæ tunc per iudicium manifestabitur. Aliqui existimant ex ore Christi promendam, alij solo eius imperio per Archangelum tanquam præconem. De hoc nihil certi constat, sicut etiam incertum est, an vna erit vox, an multiplex, & cum subordinatione. Vt ergo transeamus ad conclusionem, ita Doctor.

3 *Collectio cinerum per Angelos.* c *De primo modo dico, quòd fiet ministerio Angelorum*, &c. Hæc patet ex verbis Matthæi citatis à Doctore, *& congregabant electos eius à quatuor ventis, à summis cælorum, vsque ad terminos eorum*, &c. quæ benè explicat in textu. Conclusio est communis omnium Theologorum; Dubitant aliqui an collectio cinerum tantùm fiet per Angelos bonos, de quibus agitur; an etiam collecturi sunt cineres reproborum, vel hoc ministerium remittetur dæmonibus. *Dubitatio.* Sotus *in præsenti dist. art. 4. quæst. 1.* id sentit, & probabilem docet Suarez, sicut & separationem bonorum à malis: de qua *Matth. 13.* fieri per bonos ad dexteram, malorum verò fore per dæmones ad sinistram. Contrarium tamen iudicat probabilius. Hanc partem etiam iudico magis esse de sententia Doctoris, qui discretionem ministerij non exprimit; & magis conuenire formæ extremi iudicij, in quo iudicandi sunt omnes etiam dæmones per iudicem, finali definitione, & detrudendi in carcerem paratum; nulla ergo indigentia, neque congruitas erit ministerij dæmonum in hoc iudicio, qui adesse tantùm debent, vt recipiant sententiam damnationis, & non vt ministri Iudicis. *Nullum erit ministerium dæmonum in die iudicij.* Deinde, hæc collectio cinerum damnatorum ex omnibus aliis, in quæ resoluta sunt, nequit fieri sine communicatione doni supernaturalis reuelationis, quia nequeunt dæmones naturali lumine, neque Angeli cognoscere illos cineres præ reliquis; hoc autem donum non congruit tum conferre dæmoni, quando iam recepturus est terminum, & finalem sententiam. *Collectio cinerum exigit reuelationẽ.* Accedit quòd hæc collectio tantùm tribuatur à Scriptura Angelis: *Mittet filius hominis Angelos suos cum tuba, & voce magna*, &c. quamuis ergo ibi fiat mentio electorum, intelligitur vel pars pro toto, vel certè electorum, quia ipsorum tantùm est resurrectio propriè dicta ad vitam, reproborum erit ad mortem sempiternam & damnationem 2. Machab. 7. *Tibi enim resurrectio ad vitam non erit*, &c.

4 *Hæc collectio erit in motu locali.* Secunda conclusio Doctoris est, hanc collectionem fore cum motu locali: est recepta communiter, & eam probat Doctor, quia vt patet *ex 2. distinct. 8. quæst. vnica:* Angelus nequit mouere corpus in instanti: vnde cùm hæc collectio ministerio Angelorum, & propriæ virtuti *Nequit Angelus mouere corpus in instanti.*

Non sunt asserenda miracula sine necessitate. tuti remittenda est, non est quòd noua, & non necessaria miracula fingamus, aut assistentiam extraordinariam Dei; quia naturæ effectus id non exigit, neque Scriptura aliquam circumstantiam exprimit, ex qua posset colligi.

SCHOLIVM.

Formationem corporum futuram in instanti, quia fiet à solo Deo, & forma corporeitatis in instanti produci petit, nec est hîc assignare vllam rationem successionis, ex iis quas tangit Comment. 4. Physic. cap. de Vacuo. De quo latè Doctor. 2. dist. 2. q. 9. fin. mouet dubium, an inde sequatur fieri motum localem in instanti, & respondet affirmatiuè, imò regulariter in generatione id contingit. Quòd ait formam substantialem sine repugnantia posse successiuè induci à multis, impugnatur: sed idem tenent etiam de fieri *Angeli, Sotus 6. Physicor. quæst. 3. con. 6. Tolet. quæst. 4. con. 4. Plaza, quæst. vlt. Pereira. lib. 14. cap. 9. prop. 3. Doctor loquitur de forma extensa tantùm, alij etiam de forma inextensa.*

4 *Forma corporeitatis à Deo in instãti reunitur. Henr. quodlib. 4. q. 15. Com. 71. ad finem. in 2. dist. 2. q. 7. solut. 4. arg. principale.*

d DE secundò dico, quòd illa formatio corporis erit in instanti, quia fiet immediatè virtute diuina: nam Angelus non poterit illam formam substantialem inducere in materiam: virtus autem diuina etsi possit successiuè agere, & successiuè inducere formam, sicut virtus creata, & forma substantialis posset successiuè induci, quod aliqui negant: tamen magis congruit, quòd illa virtus formam inducibilem in instanti inducat in instanti: quia nunquam est successio necessaria, nisi propter aliquem defectum agentis. Nam omnes illæ causæ tactæ à Commentatore 4. *Physic. cap. de Vacuo* mobilis ad motorem, & mobilis ad medium, & medij ad motorem, reducuntur finaliter, sicut aliàs tetigi, ad imperfectionem virtutis agentis; propter quam imperfectionem potest sibi mobile resistere non absolutè, sed vt respicit terminos, & medium per quod transferendum est à termino in terminum: nunc autem illa virtus nullam potest habere imperfectionem; hæc autem forma inducibilis est in instanti, patet, quia potest perficere in instanti.

5 e Sed hîc est dubium, quia tunc sequitur quòd motus localis erit in instanti. Probatio, quia corpus illud formatum erit densius, vel rarius pulueribus illis, ex quibus formatur; & siue sic, siue sic, vel maiorem locum occupabit, quàm illud, ex quo generatur: vel minorem, & sic est motus localis non tantùm ipsius, sed aëris circunstantis. Secundò, quia illud corpus erit alterius figuræ, quàm illud ex quo formatur: ergo occupabit locum suæ figuræ proportionaliter correspondentem, & ita vt priùs.

An possit dari motus localis in instanti. Concedo conclusionem istorum argumentorum, quòd accipiendo generaliter motum localem (prout quando generatum succedit corrupto occupans maiorem vel minorem locum, quam corruptum, dicitur aliqua loci mutatio, quia maioris, vel minoris loci occupatio licèt non ab eodem corpore in actu) sic in instanti est loci mutatio: nec solum sic, sed aër circunstans statim pellitur, si corpus est maius, vel sequitur, si corpus est minus: & quidem in primo instanti, quando scilicet pellitur; concedo; quòd in instanti pellitur, & hoc à virtute diuina immediatè, quia illa immediatè ponit corpus maius vbi fuit minus.

6 f Nunc autem quod effectiuè mouet localiter vnum corpus, effectiuè expellit aliud corpus, & non ipsum corpus motum effectiuè expellit aliud: sicut nec calor in ligno expellit effectiuè frigus à ligno, sed ipsum calidum, quod effectiuè causat calorem in ligno, effectiuè expellit frigus ab eo: possibile tamen est virtuti diuinæ ponere istud corpus maius in *vbi*, & conseruare ibi corpus, quod prius, & tunc duo corpora simul: sed tunc esset nouum miraculum vltra subitam positionem corporis maioris hîc. Si autem simul cum hac positione corporis hîc expellat aliud, non est nisi vnum miraculum. Quando autem corpus genitũ est minus corpore corrupto, aliud est: tunc enim vel Deus immediatè mouebit omnem aërem circunstantem; vt contingat minoris corporis superficiẽ: vel potest non mouere, quia hoc non est necesse simpliciter, ad hoc quòd corpus minus sit hîc: quia potest Deus dimittere naturam sibi: & cùm natura non possit mouere aërem in instanti, vt applicetur lateribus illius corporis minoris, erit ibi vacuum ad tempus, quousque scilicet natura possit aërem circunstantem contiguare corpori illi. Ex quo patet, ponendo, quòd Deus subitò faciat corpus minus (quod non includit contradictionem) & dimittat aërem circunstantem

stantem

stantem sibi, & actionem naturæ, vacuum erit per tempus: non ergo vacuum esse in vniuerso includit contradictionem: immò si natura faceret in instanti minus ex maiore, videretur posse concludi vacuum esse per tempus sine diuino miraculo.

COMMENTARIVS.

5 *Conclusio communis.* D*E secundo dico*, &c. Statuit hanc formationem fieri in instanti: quæ est conclusio communis. Probat, quia fiet immediatè virtute diuina: nam Angelus non poterit illam formam substantialem inducere in materia: *Formatio corporis fiet in instanti.* licèt autem Deus successiuè possit agere, & forma substantialis etiam successiuè induci, magis tamen congruit, vt forma illa, quæ potest in instanti induci, sic etiam inducatur à Deo, quàm vt in tempore inducatur, *Congruentia.* tùm quia virtuti infinitæ nulla est proportionata resistentia; tum quia successio in motu oritur ex imperfectione, & remissa virtute agentis creati, vt benè probat in litera, reducendo causas successionis assignatas à Commentatore ad remissionem virtutis, *Successio in motu vnde oriatur.* quæ nequit aliter quàm successiuè subiicere sibi resistentiam mobilis, aut medij, sicut Deus. Quamuis autem Deus posset liberè agere successiuè; tamen id contingit, quando se accommodat agentibus inferioribus, & subest motiuum aliquod suæ prouidentiæ; quod in proposito nullum videtur, quia agit solus, & modo supernaturali; & agendo in instanti magis declaratur eius potenia, & alioquin actionem instantaneam, illa verba Pauli insinuant *in ictu oculi*, &c. Item in aliis actionibus supernaturalibus ita magis contingit, vt in productione gratiæ, in formatione corporis Christi, & similibus.

6 *An sola actione diuina fiet formatio corporis.* Circa hæc occurrunt dubia. Primum est, An immediatè virtute diuina fiet hæc formatio corporum; ita fieri dicit Doctor. Quod intelligi potest duobus modis. Primo, vt excludatur omnis causa principalis, seu ex virtute innata agentis ad hanc formationem; & hoc admittunt communiter Doctores *in hac distinctione*. Secundo modo, vt etiam excludat omnem actionem instrumentalem: qua in re aliqui tribuunt Angelis actionem instrumentalem respectu huius formationis, & potissimùm Archangelo canente tuba; *Quorumdam sententia.* non quòd propria virtute Angeli, aut Archangelus attingat illam formationem, sed vt instrumentum Dei: ita Ægidius Lusitanus *tom.3. lib.1. quæst.5. art.4.* §.3. Contrarium docet Abulensis *in Matthæum 25. quæst.622.* & Suarez *disput.50. tom.2. in 3. part. sect.4. conclus.3.* Imò videtur communis Theologorum, qui sine limitatione hanc formationem tribuunt soli Deo, excludendo concursum puræ creaturæ: & hanc esse Doctoris constat ex verbis præmissis: quia nulla est ratio, vnde attribuamus hunc concursum instrumentalem Physicum Archangeli, aut aliorum Angelorum. *Angeli non concurrunt instrumentaliter ad formationem corporum.*

7 *Probatio.* Probatur, quia tam Patres, quàm Scriptura hunc effectum Deo specialiter tribuunt, & possibilitatem eius in diuinam sapientiam, & omnipotentiam refundunt, & argumentum à prima hominis creatione, & formatione corporis Adam rectè applicari potest, nam ex nullo speciali mysterio videtur Angelis conuenire actio instrumentalis respectu secundæ formationis, magis quàm respectu primæ; sed in prima non fuerunt cooperatores, nam is est error Philonis: qui illa verba intelligit respectiuè ad Angelos *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, &c. dicta fuisse, cooperantes ad illam plasmationem: quem errorem desumpsit ex Platone *in Timæo*, vt docet Augustinus *lib.12. de ciuitat. Dei, cap.24.* eúmque damnat communis doctrina Patrum, & sententia, contra Cerinthum, Basilidem, & Manichæos. Ambrosius *lib.6. Hexameron. cap. 7.* Basil. *homil. 9. Hexameron.* Chrysost. *homil.12. in Gen.* Cyrillus Alexandr. *lib.1. contra Iulianum.* August. *suprà & de Gen. ad literam, cap.15. & lib.16. de ciuitat. cap.6.* & patet ex contextu: quia illa; *ad imaginem & similitudinem nostram*, &c. nullo modo possunt referri ad Angelos, quorum imago, aut similitudo non est homo. Sed neque ex modo loquendi Scripturæ, neque ex natura actionis magis excluduntur Angeli à prima hominis formatione, quàm à secunda; neque Patres aliter loquuntur de vtraque, vt procedunt ex potentia & sapientia Creatoris: ergo idem iudicium ferendum erit quoad vtramque, & Angelos ad naturam concurrere. *Error Philonis circa plasmationem primi parentis.* *Fuit Platonis.* *Damnatur à Patribus.*

Secundò, vt Suarez, & omnes concedunt, 8
virtute naturali Angelus nequit hunc concursum habere, neque per eleuationem habet; quia liberè hoc fingitur, & sine fundamento. Confirmatur: quia non est ratio, quin eodem modo dicantur ad ipsam resurrectionem, & vnionem animæ, sicut ad corpus etiam concurrere vt instrumentum eleuatum, quia perinde hoc est possibile, si primum est possibile, & eadem libertate asseritur vtrúmque: quin imò hic concursus instrumentalis potest in omnibus penè mysteriis intermitti, quibus aliquo modo interuenit ministerium aliquod Angelorum; quamuis Scripturæ tales effectus soli Deo tribuant; quia interpretari eodem fundamento licet, Scripturam intendere causam principalem, & non excludere instrumentalem eleuatam, & ita diceretur ad formationem corporis Christi in vtero Virginis concurrisse Gabrielem instrumentaliter, quod dici nequit, quia Scriptura in proprietate intelligenda est; & quando aliquid refert in Deum tacendo vniuersim reliquas causas, intelligi debet cum exclusione reliquarum, nisi aliàs ex materia subiecta, & in aliis locis Scriptura oppositum teneat. Nullibi autem legitur in Scriptura Angelos agere ad formationem corporis humani, aut ad resurrectionem aliter, quàm colligendo electos à quatuor ventis, per collectionem illam cinerum, aut conuocando ipsos ad iudicium, modò in diuersis, & non vno in loco resurgent; aliam ergo efficaciam non possumus eis adscribere. *Secunda probatio.* *Confirmatur.*

Tertiò, non potest intelligi quomodo etiam 9
hæc instrumentalis illis competit; quia vel per potentiam obedientialem, quam aliqui statuunt, vel per subordinationem ad Deum, vel per communicationé actionis, & principij actionis. Hæc omnia obscura sunt, & superflua, imò incongrua præsenti mysterio, & secundùm nullum vsum diuinæ prouidentiæ, cuius aliquod motiuum *Tertia ratio.* *Fundamentū sententiæ oppositæ liberū, & obscurū.*

tiuum appareret in ipso opere, aut circunstantiis, ex quibus colligeretur ita factum esse, quidquid sit de possibilitate: non debemus autem veritatibus certis, & indubitatis fidei, aut etiam rationis naturalis immiscere aliqua incerta, & quæ sine fundamento liberè asseruntur in facto, quia id plurimùm obscurat fidem mysteriorum in ipso euentu, ea reducendo in causas incertas, vel etiam impossibiles, vt plures iudicant esse hanc eleuationem instrumentorum prædictis modis.

Fidei aut rationi certa nō sunt immiscēda incerta.

Præthereà, primus modus potentiæ obedientialis concurrentis in Angelis ad hunc effectum, vel principiantis, non videtur fundatus, tum quia potentia illa in rebus non datur eo modo, quo asseritur; tum etiam quia data illa in rebus, non est maior ratio, cur Angeli dicerentur assumi mediante potentia illa, quàm aliæ quæcunque creaturæ applicatæ, vt tuba illa sensibilis, & clangor, imò & cælum, & astra, in quibus maior proportio ad formationem corporis humani, & virtus naturalis remota organizandi inest; & idem de elementis: ministerium autem colligendi cineres, & canendi tuba, & conuocandi mortuos, & intimandi imperium Dei, non exigit vsum talis potentiæ obedientialis in Angelo, neque vlla ratione multiplicanda sunt miracula superfluè; quia Deus nihil frustrà agit, aut otiosè: ministerium ergo, quod Angelis conuenit in hoc opere, vt dixi, non requirit vsum potentiæ obedientialis respectiuè ad formationem corporis, & organizationem eius substantialem, aut accidentalem per nouam formam inductam. Hinc etiam patet eleuationem per alios modos præmissos superfluè asseri.

Impugnātur modi, quibus ille concursus sustineri posset.

Non esse multiplicanda miracula.

10 Quod magis est, in nostra Schola iudicatur impossibilis illa eleuatio; quia neque instrumentum propriè dictum attingit intrinsecè actionem causæ principalis, vt fusiùs *in dist.* 1. *& 2. huius* disseruimus: & quamuis admittamus creaturas esse aliquando instrumenta Physica Dei, seu causas secundas, intelligimus eo sensu dici tales, quo plenè subsunt Deo in omnem vsum suæ entitatis, & actiuitatis ad quodcunque, quod aliàs ab intrinseco ipsis non repugnat. Repugnare autem dicimus in terminis actionem esse ab aliquo vt principio, nisi supponatur in eo virtus innata, aut certè communicata; sicut repugnat concipere causam efficientem sine principio efficiendi: & licèt hæc non vrgeant alios, qui in extremo oppositæ sunt assertionis, viderint tamen quibus fundamentis asseruntur à nostro Doctore, & soluant per aliquid notius ipsa conclusione, & saluando conceptum causæ, & principia generalia. Interim ad propositum, Angelo non competit talis actio, nisi communicetur principium agendi, quod necessariò erit in aliqua potentia actiua Angeli, quæ eleuetur ad effectum hunc organizationis substantialis, non erit in potentia motiua; quia hæc non est capax alicuius principij, per quod eleuari posset, nisi respectiuè ad lationem, seu motum localem, & applicationem actiuorum passiuis, quia non transcendit suum obiectum, & sic repugnat communicare intellectui aliquod principium agendi, per quod intellectus eleuetur ad aliquam actionem, quæ non sit intellectio. Ad lationem autem, & applicationem actiuorum passiuis non indiget Angelus tali virtute eleuante, & per applicationem actiuorum non esset causa Physica effectus sequentis, sed tantùm artificialis, seu à proposito: neque enim Agricola producit fructus, neque medicus sanitatem, neque dans cibum & potum esurienti producit carnem, & sanguinem Physicè, vt benè probat Augustinus *lib. 9. de Genes. ad literam cap.* 15.

Non conuenire Angelis vt instrumentis.

Creaturæ quomodo dicūtur instrumenta Dei.

Quod principium actionis organizandi non possit cōmunicari Angelo.

Non esse in potentia motiua.

Quòd si dicatur principium eleuans communicari voluntati, aut intellectui Angelico, nequit esse primò nisi ad intellectionem, & aliquem actum vitalem immanentem, neque esse principium actionis transeuntis in materiam extra suppositum; vel demus esse, nequit tale principium transcendere naturam accidentis, quia nihil substantiale potest communicari Angelo intrinsecè. Sed tam organizatio corporis, quàm etiam animatio, qua producitur compositum physicè, nequit esse ab Angelo, mediante intellectu, aut voluntate, qualicunque eleuatione supposita, quæ compatibilis est ipsis, vt probatum est *distinct.* 1. *huius*; nequit etiam esse ab accidente illo communicato, & supernaturali: quia in omni sententia nequit accidens agere ad substantiam, nisi in virtute substantiæ, cuius esse potest: sed nulli substantiæ hoc accidens est connaturale, cuius virtutem participaret, aut cuius dici posset virtus propria: ergo nequit agere in virtute substantiæ ad productionem corporis substantialis, aut hominis. Nequit etiam in virtute voluntatis, aut intellectus, aut substantiæ Angeli agere ad eundem effectum ex eadem ratione; quia neque ex natura sua ad talem effectum ordinantur, neque ex natura talis principij: debet ergò primùm probari possibilitas talis principij, aut actionis, antequam inuehatur in hoc mysterium. 11

Non est in intellectu, aut voluntate.

Deinde, probari euentus, seu ita fore. Nam quòd Deus agat aliquando mediantibus instrumentis sensibilibus in ordine ad effectus supernaturales, vt Sacramentis ad gratiam, tactu reliquiarum, vnctionum, & eiusmodi ad effectum sanitatis, aut alia miracula; non inde sequitur quòd ita in omnibus contingat, neque asseri potest, nisi in effectu ita videatur, aut ex reuelatione Scripturæ, & documentis conformibus ostendatur, quæ in proposito desunt: ac proinde non debet resurrectio ad alias causas Physicas, etiam instrumentales, referri, nisi in eas præcisè, quas exprimit Scriptura, aut Patres, qui nihil nobis exponunt de hac concurrentia Angelorum; sed magis loquentes præcisè referunt eam in Dei omnipotentiam, quæ creauit omnia ex nihilo, & potest restaurare eadem in numero, quæ cæciderunt.

Accedit vlteriùs in sententia, quæ non admittit aliquod agens creatum agere in distans, difficulter subsistere posse illam sententiam Patris Ægidij, qua tribuit hanc actionem instrumentariam Physicam soli Archangelo; nam secundùm probabiliorem sententiam hæc resurrectio fiet in diuersis mundi plagis, vbi iacebunt ipsi cineres, in quibus nequit esse simul Archangelus nisi per replicationem, & nouum miraculum, quod non debet ex patrocinio quæstionis incertæ de facili fingi. Diceret tamen præfatus author resurrectionem in vno loco fore, de 12

Inconueniens ex sententia probabili.

de quo *infrà* differemus, *in responsione ad secundum dubium.*

13 Aliud dubium est circa illud, quod dicit Doctor formam substantialem posse successiuè induci; hîc non differit Doctor illam quæstionem: an scilicet aliquod indiuisibile, vt Angelus, vel anima rationalis, posset in tempore, & successiuè produci, quia hæc quæstio magis spectat ad sequentem paragraphum; sed agit de productione formæ substantialis habentis plures partes integrales, & quæ consequenter diuisibilis est per quantitatem, & diuisibilis vt est in subiecto diuisibili, non tota in qualibet eius parte, sed pars in parte. In sequenti paragrapho docet Doctor, non posse esse successionem in productione formæ, nisi quatenus ipsa habet partes diuersas, vel subiectum habeat diuersas partes, quarum vna priùs altera recipit formam. In proposito ergo applicando hanc doctrinam, aduertendum est, aliter contingere hanc successionem in productione formæ substantialis, aliter verò in productione qualitatis intensibilis: v.g. quia successio in forma substantiali materiali nequit esse respectiuè ad eandem partem subiecti: quia quælibet pars eius constituit subiectum sibi proportionatum in actu simpliciter, ita vt nequeat esse in potentia ad alias partes eiusdem formæ, aut simul recipere alias, neque partes eiusdem formæ dicere ordinem ad idem indiuisibile subiectum, quia in substantiis non datur intensio, neque magis, & minùs, sicut in qualitatibus.

Aliud dubiū. An forma substantialis successiuè induci possit. Quomodo cōtingat successio in forma substantiali, quomodo in qualitate. Prima differentia.

14 Est & alia differentia, quia in productione qualitatis secundùm intensionem, successio est secundùm motum continuum; non ita semper in productione successiua formæ substantialis secundùm partes diuersas sui, in diuersis partibus subiecti, sed successio est tantùm discreta, ita vt singulæ partes formæ producantur semper in instanti, & sic successiuè secundùm instantia discreta temporis, non verò in ipso tempore intermedio, licèt disponatur subiectum per alterationem illo tempore intermedio, & prout partes subiecti successiuè disponuntur in tempore, ita etiam in instanti extrinseco cuiusque motus producitur pars formæ in illa parte disposita subiecti: v.g. alimentum non alteratur primò totum secundùm omnes suas partes, sed successiuè secundùm aliquas magis applicatas, vel minùs resistentes, in quibus fit priùs conuersio substantialis, quàm in aliis. Sic etiam lignum non totum æquè primò conuertitur in ignem; sed paulatim & successiuè, sicut disponitur: ita igitur vt priùs inducatur in partibus subtilioribus, & magis applicatis, minúsque resistentibus; mox verò in aliis remotioribus, & magis solidis: totum autem hoc refunditur in limitatam virtutem agentis, & resistentiam proportionatam subiecti, & diuisibilitatem tam formæ, quàm subiecti secundùm partes; sic etiam Deus posset ex libertate sua inducere formam corporeitatis, vt ossis, carnis, &c. successiuè disponendo materiam secundùm partes, & informando eductione formæ secundùm partes, ita tamen vt licèt forma integra sic successiuè reciperet *esse*; tamen nulla eius pars produceretur in tempore, sed omnes in instantibus diuersis, & discretis: nulla enim pars formæ substantialis potest recipere *esse* nisi tota simul; quia est ens permanens, & non successiuum. Ex quibus patet intentum Doctoris, & eum non intendere illam difficultatem, quam alij tangunt: an scilicet indiuisibile possit produci in tempore; quæ difficultas magis spectat ad sequentem articulum.

Secunda differentia.

e *Sed hîc est dubium*, &c. Superiùs definiuit hanc informationem, seu formationem corporis fieri in instanti per conuersionem cinerum, aut materiæ, sub quacunque fuerit forma, in corpus organicum. Contra hanc conclusionem mouet præsens dubium: quia inde sequeretur dari posse motum localem etiam in instanti. Probat sequelam ex improportione materiæ conuertibilis, & corporis, in quod conuertitur secundùm raritatem & densitatem, & consequenter in ordine ad locum maiorem, aut minorem, iuxta modum extensionis maioris per raritatem, aut contractionis ad locum minorem, per densitatem. Non solùm ergo erit motus in ipso corpore, aut materia eius in ordine ad locum maiorem, aut minorem, sed etiam aëris circumstantis, & cedentis, si corpus formatum occupet maiorem locum, ne duo corpora sint in eodem loco simul, vel si minorem locum, erit motus in aëre succedente, ne detur vacuum. 15

Dubium tertium. An interueniat motus localis in hac formatione ex affectione materia raræ, aut densæ.

Secundò probat idem ex mutatione figuræ, quæ alia est in corpore organico diuersa ab ea, quæ fuit in materia conuersa, vt cinerum. Sed secundùm diuersitatem figuræ est diuersitas extensionis, & situs in ordine ad locum: ergo diuersus locus. 16

Alia ratio ex mutatione figuræ.

Concedit tandem conclusionem istarum rationum, nempe regulariter (vt aduertit Scholiastes) dari motum localem latè sumptum, quando corrupto succedit corpus genitum maius, aut minus. Intelligit per motum localem latè sumptum mutationem loci, siue fiat in instanti, siue fiat successiuè in tempore; hîc autem dicit fieri in eo casu in instanti, & loquitur de loco communicante; quantùm est ex parte geniti; quantùm autem est ex parte aëris succedentis, erit locus non communicans. Vocat hanc mutationem motum latè sumptum, secundùm differentiam motus traditam à Philosopho 5. *Physicorum, text.* 9. vt est de subiecto in subiectum, & inter terminos positiuos; vt distinguitur ab ea mutatione, quæ est inter contradictoria, aut priuatiua: v.g. inter lumen, & tenebras. De hac differentia motus vide Doctorem *suprà distinct.* 10. *huius quæst.* 1. & 2.

Conclusio affirmatiua de motu latè sumpto & consequente. Motus latè sumptus quid sit. Differentia eius à mutatione.

His ergo positis, quantùm ad intellectionem terminorum, difficultas est an possit dari motus localis in instanti; quam decidit Doctor affirmatiuè *in* 2. *dist.* 2. *quæst.* 9. & *in praced. text.* supponit. Fundamentum autem huius petendum est ex doctrina præmissa, in qua assignatur causa successionis in motu, & reducitur ad imperfectam virtutem agentis creati, & respectiuè ad resistentia mobilis, & spatij ad motorem, seu spatij ad mobile, & huius ad motorem. In motu autem duo considerantur, nempe realitas motus, quæ consistit in productione termini *ad quem*, & successio, quæ est ordo partium cum negatione coëxistendi 17

An dari possit motus localis in instanti. Causa successionis in motu. Duo in motu consideranda. Realitas eius. Successio.

coëxistendi ipsarum. De motu primo modo sumpto intelligitur conclusio Doctoris, non verò de motu secundo modo accepto; quia motum, vt includit successionem, repugnat fieri in instanti.

Causa præmissæ successionis probatur. Quòd verò successio in motu sit originaliter ex imperfectione virtutis in causa effectiua, vt comparatur ad resistentiam extrinseci, vel etiam ad distantiam passi, vel certè ex libertate eius in agendo, non autem ex essentiali ratione motus, in quantùm est actus productiuus formæ, probatur breuiter: quia vbi fortior est virtus in agente, minor est successio in motu, *ex 6. Physicorum*: quia *Secunda ratio.* maior virtus mouet in minus, seu minori tempore, & quantum excedit, seu applicatur virtus secundùm gradum excessus, motus est velocior, & minori tempore perficitur: ergo successio in motu est ex imperfecta virtute, tanquàm ex radice: vbi ergo virtus excedit improportionabiliter omnem resistentiam passi, potest in instanti omnem realitatem motus ponere, vt patet in virtute Dei, quæ est infinita.

18 *Mutatio instantanea non patitur impedimẽtum, aut resisten tiam, & ideò est instantanea.* Secundò, ideò in aliis mutationibus, quæ fiunt in instanti, producitur terminus, v.g. lumen, quia nulla est resistentia ex parte passi, proceditur enim de priuatione ad formam, non de contrario ad contrarium. Vnde aqua producit frigus in seipsa in instanti, quo generatur, vel certè in eodem instanti producitur frigus aquæ, siue emanet à forma ipsa, siue fiat in generante, *Exemplum commodum.* (de quo iam non interest vtro modo fiat;) eadem aqua quando calefit non potest seipsam in instanti reducere ad frigiditatem ob resistentiam contrarij; sed tantùm successiuè: ergo tota causa successionis est ex parte passi resistentia termini incompossibilis; sed resistentia ex parte passi non statuit impedimentum actionis, aut productionis, nisi quatenus in agente non datur virtus completa, qua posset simul totam illam resistentiam superare; ergo tandem ad defectum virtutis in agente reducitur tota hæc successio. Patet consequentia, quia nisi esset resistentia illa positiua, agens produceret in instanti formam, & totam simul, vt patet inductiuè in reliquis, & in exemplo allato.

19 *Tertia ratio.* *Successio non est ex termino ad quem præcisè sumpto.* Tertiò, nequit successio conuenire motui ex ratione termini *ad quem*; nam licèt ad motum requiratur diuisibilitas graduum in termino, secundùm quos successiuè potest induci; tamen per accidens est, v. g. albedini, & omni alteri formæ permanenti, vt successiuè inducatur, quia potest in instanti induci, vt patet ex dictis; neque produci successiuè, aut instantaneè variant formam in *facto esse*, quoad se, aut modum aliquem essendi, quem habet in subiecto. Patet etiam eundem calorem in specie produci per motum, & aliquando instantaneè in diuersis subiectis, vt in igne instantaneè, in aqua successiuè, quæ differentia non oritur ex natura formæ, sed causarum: nam vt Philosophus 5. Physicorum, text.31. *Omnis dealbatio omni dealbationi idem secundùm speciem erit, & omnis denigratio denigrationi*, &c. Quod perinde de calefactione dici debet: ergo non variatur calor in specie, neque etiam in numero, siue creetur à Deo, siue educatur instantaneè, siue successiuè; quia sic produci non repugnat calori, etiam in indiuiduo, nec magis variatur, siue supponat in subiecto formam contrariam, aut aliquo modo repugnantem, siue solam negationem, vel certè nihil, vt quando in eodem instanti cum subiecto est, vt calor ignis, quem non præcessit duratione negatio in subiecto. Vnde sequitur quòd productio caloris successiua non exigatur per se ex natura termini, sed tantùm causarum.

Hæc autem successio ex parte causæ materialis, quia subiectum est, & dicit potentiam subiectandi caloris in *fieri*, & *facto esse* non oritur per se, & in quantùm concurrit, neque ex aliquo quod concurrit vt principium, aut ratio causandi ex parte subiecti, sed ex forma contraria, aut repugnante, quæ non est causa, aut ratio causandi, ex parte subiecti, vt comparatur ad calorem: ergo subiectum vt concurrit ad calorem in *fieri* non tribuit, in quantùm causa per se, eius successionem, sed oritur per accidens ex repugnantia formæ, quam habet, & in quantùm eam habet; quod accidentarium est vt comparatur ad productionem, aut sustentationem caloris in *fieri*. 20 *Non oriri successionem ex subiecto quà tale est.*

Sequitur ergo tertiò successionem oriri ex causa effectiua tantùm, & ex imperfecta eius virtute, quæ nequit vincere impedimentum, & resistentiam, quæ obiicitur ex parte mobilis. Vnde sequitur successionem in motu non habere causam per se, & positiuam, sed tantùm per accidens, & defectiuam, vt in sequenti ratione probabitur; ac proinde hanc differentiam esse accidentalem actus productiui, non verò essentialem, quà actus productiuus est. *Oritur ex causa effectiua.*

Quartò probatur, Successio in motu est negatio coëxistentiæ partium; sed hæc non oritur ex causa positiua in ente, sed concomitatur tantùm, quia virtus causarum est respectiuè ad ens, & non ad negationem, quæ neque per se intenditur à natura: ergo illa negatio vt in motu, est ex causis, in quantùm deficiunt. Probatur consequentia, quia vt fundatur in virtute causæ efficientis, vel ad eam reducitur, denotat priuationem actiuitatis maioris, vel illius excessus in virtute actiua, quo posito, & applicato, tolleretur successio in motu, vel ex parte, vel in toto, iuxta gradum excessus: vt autem reducitur ad resistentiam, quæ est passi, similiter reducitur ad negationem, qua excluditur actio, vel in toto, vel in parte, iuxta modum resistentiæ. 21 *Quarta ratio.* *Successio non habet causã positiuam, sed priuatiuam.*

Confirmatur, productio aliquando est successiua ex defectu applicationis: vel quia agens ex libertate non applicat totam virtutem, sed remissè agit, & successiuè in ordine ad formam, quam potest totam simul producere: vel certè ex eo quòd passum sit distans: neque consequenter potest in illud distans tam perfectè, quàm si esset applicatum: vt v. g. corpus luminosum successiuè applicatum perfectiùs illuminat etiam successiuè passum, quod sub priori distantia non potuit tam perfectè illuminare: ergo successio sicut in his competit ex defectu applicationis causæ efficientis, ita etiam semper ex defectu virtutis, aut applicationis prouenit, 22 *Confirmatur.*

prouenit, non ex differentia essentiali actus productiui: ex quibus patet principium Doctoris præmissum.

23 *Obiectio.* Obiicies, successionem esse de essentia motus, quia motus est de genere continuorum, 3. *Physicorum, text.*1.

Responsio. Respondetur intelligi hoc regulariter, & vt fit à causa naturali, non tamen semper, vt posteà videbimus; neque etiam tollit continuitatem, quòd productio tota simul fiat; & sic intelligitur etiam motus esse in fluxu, naturaliter loquendo, & regulariter, & vt in plurimùm; quia vt fit à causa naturali, ita contingit; non tamen semper, vt posteà videbimus, eadem forma producitur à causis naturalibus successiuè.

24 *Explicatur difficultas primaria.* Supposita ergo hac veritate, nempe successionem esse ex imperfectione virtutis in motore, vel applicationis defectu: superest explicanda difficultas præmissa, quomodo in generatione, & corruptione interueniat motus localis in instanti, siue ipsius corporis, siue aëris circumstantis, & quomodo, vel ex qua radice id proueniat virtute naturali? Hanc difficultatem auget quòd ex principio præmisso, quamdiu manet resistentia in mobili, & spatio, & virtus limitata in causa mouente, maneat causa motus. *Vrgetur difficultas contra motum localem instantaneum.* In proposito autem ita manet, vt resistentia etiam spatij aliàs pleni, ergo nequit fieri occupatio loci: nisi in tempore. Deinde ab extremo ad extremum spatij occupati nequit esse transitus sine medio, aut non transeundo medium. Sed hic transitus virtute causæ secundæ nequit fieri nisi successiuè: ergo, &c. Deinde vrget ratio Philosophi 6. *Physicorum*, quo probat non dari motum in instanti, quia virtus fortior mouet in minori mensura, aut tempore: ergo sequeretur quòd posset mouere in minori mensura quàm sit instans. Deinde, si posset fieri motus in instanti localis, virtute causæ naturalis, sequeretur quòd posset idem corpus simul poni in pluribus locis per causam naturalem. Sequela probatur: quia simul esset in extremis, & in medio; in quolibet autem extremo habet locum adæquatum, aliàs non posset esse in extremis, aut quiescere, neque datetur mutatio, aut motus subiecti secundùm extrema tanquàm inter terminos oppositos. Item, medium inter extrema est locus adæquatus mobilis, aut aliàs non posset fieri motus per medium cum distantia mobilis ab extremis; quia si medium communicaret extremis, iam nulla esset distantia, aut transitus, sed extrema sibi immediatè succederent: ergo sequitur si fiat motus in instanti per medium, mobile fieri simul in pluribus locis adæquatis virtute naturali.

25 *Sustinetur conclusio.* Dico tamen resolutionem Doctoris esse veram, non solùm motum localem latè sumptum fieri virtute diuina posse, vt contingit in resurrectione; sed etiam contingere virtute causæ naturalis, quando aliquid densum conuertitur in rarum, per conuersionem substantialem, aut è contrà.

Ad intellectionem huius supponimus illam sententiá, quæ est communior antiquorum, nempe quantitatem, & reliqua accidentia subiectari in toto, & nullum accidens manere in genito, quod fuit in corrupto, vt etiam docet Doctor *in* 2. *distinct.* 3. *quæst.* 4. Ad primum pro opinione, quod aliàs etiam sæpè supponit, & sequitur ex Philosopho, 7. *Metaphys.* vbi definit accidens in ordine ad substantiam completam, tanquam subiectum.

Probatur iam conclusio; quantitas & qualitas sequuntur formam substantialem; & subiectantur in toto: ergo in eo instanti, quo forma substantialis recipit *esse*, etiam qualitas, & quantitas connaturalis ipsi insunt, quia sunt dispositiones naturaliter coniunctæ, & consequentes in toto. 26 *Probatur motum localem fieri in instanti.* Sed pro omni instanti, quo concipitur quantitas terminata in *esse*, concipitur habere extensionem, seu effectum formalem connaturalem: ergo constituere in loco secundùm mensuram, & modum extensionis, sicut & ipsa forma substantialis, & totum, quod generatur, concipitur esse in loco proportionato: ergo in instanti intrinseco, quo recipit *esse*, constituitur in tali loco. *Dispositio connaturalis formæ est in eadem duratione cum forma.* Probatur consequentia, quia repugnat ei recipere *esse*, in quolibet loco, sed in illo tantùm, in quo determinatè emanat à virtute generantis, & repugnat agenti agere ad generationem eius, nisi secundùm determinatam distantiam; neque ex se vindicat esse in tali loco determinato, sed ab agente in quantùm succedit corrupto in eadem materia per virtutem generantis: *Corpus in instanti generationis habet locum proportionatum.* sed perinde etiam repugnat, vt sit in loco, nisi secundùm modum connaturalem, & debitum suæ quantitati, iuxta naturam extensionis, quæ debetur subiecto tanquam proprietas Physica inseparabilis naturaliter: ergo si exigat maiorem locum, illum habet in instanti generationis completæ; si minorem, eodem modo locum minorem: ergo materia sub corrupto nunc est in minori, nunc in maiori loco communicante, & hoc in instanti iuxta exigentiam corporis in quo est, & extensionis debitæ; aliàs non saluaretur generatio naturalis, neque modus essendi in loco connaturalis genito. Hinc sequitur ex alio principio, quo vacuum abhorret natura, aërem circumstantem etiam repelli, aut succedere in instanti. Idem argumentum fieri potest ex natura figuræ diuersæ in genito, & corrupto, vt *suprà* argumentatur Doctor.

Dices illud principium non esse verum, 27 nempe quantitatem subiectari in composito, sed in materia, & per alterationem præuiam corruptioni induci extensionem, & figuram connaturalem formæ geniti in tempore. *Responsio.*

Contrà, sufficit ad propositum nostrum hanc conclusionem Doctoris tam veram esse, quàm sit probabilis sententia, quam supponimus, quam hîc ex proposito non disserimus. *Impugnatur.*

Contra responsionem sic argumentor, supponendo corruptum exigere etiam proprias dimensiones, & figuram, hæc necessariò manent, quamdiu forma substantialis corrupti manet, & repugnant in gradu, & modo dimensionibus & figuræ, iis quas sibi determinat forma succedens: ergo nequeunt in eo gradu, in quo est repugnantia inter vtramque formam induci in materiam, quamdiu forma corrumpta inest: ergo nequeunt antecedere formam geniti, aliàs proprietas Physica in eo gradu, quo est proprietas formæ consequentis, esset separabilis ab ipsa, & communicabilis alteri subiecto, & proprietas per oppositum conueniens formæ corruptæ *Dimensiones & figura corrupti manent simul à forma.*

corruptæ esset separabilis ab ipsa manente forma corrupta.

28. *Secunda probatio.* Secundò probatur conclusio, data etiam sententia opposita, nempe quantitatem inesse materiæ. Hoc dato in accretione viuentis, eatenus fieret augmentatio, quatenus materia noua cum propria sua quantitate vniretur viuenti, & reciperet formam eius, & quidquid sit, an aliter contingere posset, an contingat augmentum per productionem ipsius quantitatis nouæ in eadem materia; saltem necessariò sequitur ex coniunctione materiæ nouæ coniungi in eodem instanti nouam quantitatem, & extensionem viuenti; sed hæc coniunctio, qua materia fit sub forma viuentis, fit in instanti: ergo & quantitas inseparabilis, & extensio debita fit etiam in instanti: ergo & occupatur maior locus, & situs in instanti, quod sufficit ad intentum.

Ex augmentatione viuentis.

29 *Tertia ratio ex vltimo mutato esse motus.* Tertiò in omni motu datur vltimum *mutatum esse*, per quod aliter se habet subiectum; & quamuis hoc extrinsecum sit motui, non tamen est extrinsecum subiecto, vt est in potentia ad terminum completum, & vt subest motori transmutanti. Quod probatur primò ex definitione motus: quia est *actus entis in potentia secundùm quòd in potentia*, id est, relinquens subiectum in potentia ad terminum: ergo quandiu mouetur, nunquam est in actu completo. Deinde, pro quocunque tempore, quo est motus, quæro, an subiectum sit in termino, vel non? Non primum, quia sic esset in termino, & quiesceret, & moueretur simul, quod repugnat.

Si dicas secundum, peto an distantia eius à termino sit diuisibilis, & pertranseatur per motum? si sic, quæro similiter de quolibet instanti signato, an sit in termino, vel non? & sic in infinitum, ita vt quandiu sit sub motu, nunquam possit esse in termino: oportet ergo, vt constituatur mobile in termino, seu actu completo admittere aliquem gradum formæ vltimum produci per mutationem instantaneam, & totum simul, & non successiuè, per quem gradum aliter se habet subiectum nunc, quàm priùs; quia priùs vt erat sub motu, erat in potentia, nunc autem non est in potentia, neque in fluxu, aut motu, sed quiescit ille gradus formæ, perinde in motu locali constituendus est, ac in quolibet alio: ergo secundùm eum fit occupatio loci in instanti: ac proinde id non repugnat. Vide Doctorem *in 2. dist. 2. quæst. 9. §. Ad secundam probationem*, &c. *circa medium.*

30 *Ad primam rationem dubitandi.* Ad rationem dubitandi. Ad primam respondetur, ad saluandam generationem naturalem necessariò dici illam quantitatem connaturalem formæ substantiali produci per mutationem, seu emanationem ab ipsa forma, non per motum: negatur ergo ibi inueniri resistentiam, quia quantitas tota primò producitur, & non supponit aliam in subiecto, cui repugnaret, & sicut totum effectum extensionis primò communicat subiecto, & non successiuè per partes, ita exigit locum proportionatum primo: motus autem aëris circumstantis fit etiam in instanti à causa impediente vacuum, siue aër succedat, siue repellatur: sicut ergo virtute naturali fit generatio vnius ex alio; ita etiam consequentia ad generationem: resistentia autem, quæ est ex parte mobilis ad motorem oritur ex distantia partium mobilis, quæ extra se mutuò inueniuntur extensæ, ac proinde secundùm vnam priùs debet pertransire spatium, quàm secundùm alteram, & cum mutatione loci prioris, à quo receditur: sed hîc non est mutatio prioris loci, sed extensio ad maiorem, aut contractio ad minorem, quæ secundùm omnes partes primò ad omnes differentias situs fit, & in instanti: generatio enim necessariò in loco fit, *ex 5. Physicorum.* Tollitur etiam resistentia in instanti, quæ est ex parte spatij, & quando occupatur maior locus, fit in instanti naturaliter, ne detur penetratio corporum. Principium autem illud, non dari motum in instanti, verum est, sed intelligitur naturaliter, & respectiuè ad motum localem, qui est inter terminos oppositos per recessum ab vno, & accessum ad alium, transeundo per spatium, non autem ad mutationem generatiuam, & locum consequentem, & conuenientem quantitati consequenti.

Ad saluandã generationẽ exigitur vt quantitas eodem instanti cum forma fiat.

Quomodo fiat occupato loci maioris in instanti.

Ad secundum, respondetur non fieri hîc transitum per medium, sed sicut contingit in vltimo *mutato esse* extrinseco motus, occupari primò locum vltimum in instanti; ita etiam in instanti generationis occupari locum proportionatum primò & non successiuè. 31 *Ad secũdum non fieri trãsitum per medium.*

Ad aliud ex Philosopho. Respondetur propositionem illam veram esse: supponere tamen respectiuè ad mensuram diuisibilem, in qua tam agens remissum, quàm fortius agere debet, vt comparatio subsistat. Consequentia autem falsa est, vt applicatur motui instantaneo, seu qui fit in instanti; quia comparatio secundùm magis & minùs nequit verificari respectiuè ad instans indiuisibile. Videatur Doctor *in 2. d. 5. quæst. 2. ad 1. contra opinionem & quæst. 11. ad primum.* *Ad tertium. Explicatur Philosophus.*

Ad vltimum. Respondetur motum localem sumi dupliciter. Primò, vt includit præsentiam quamlibet, quam recipit mobile per spatium, in quo mouetur, & qua posita cessat à motu. Alio modo sumitur pro vltimo termino intento, seu vltimo loco, cui succedit quies. Motum localem primo modo quoad omnem suam realitatem, conseruando loca intermedia, non communicantia, nequit facere causa creata, sed solus Deus, qui potest primò mouere mobile ad plura loca adæquata, & non communicantia, & mouere ab vno loco in alium, non deperdito priori: potest tamen causa creata mouere secundariò ad locum vltimo modo sumptum; & in instanti, vt contingit in generatione. Plura circa naturam motus, & virtutem causæ creatæ ad motum localem resoluit Doctor, *in 2. dist. 2. quæst. 9. & sequentibus*, quæ ibi legi possunt. 32 *Ad vltimũ.*

Motus localis dupliciter sumitur quoad realitatem.

f *Nunc autem quod effectiuè*, &c. Hîc dicit primò; quòd corpus motum expellat aliud à loco formaliter, & non effectiuè, sicut calor expellit frigus formaliter, & non effectiuè: mouens autem corpus, effectiuè expellit aliud. Aliqui tenent calorem effectiuè expellere frigus, & idem dicerent in proposito: sed hanc controuersiam aliàs tractauimus. Secundò, dicit posse Deum duo corpora constituere penetratiuè in eodem loco, & sic contingere posse in resuscitatione corporis; sed tunc fierent plura miracula; nam præter instantaneã restaurationem, & positionẽ corporis maioris in 33 *Corpus motũ expellit aliud formaliter, non effectiuè.*

Deum posse duo corpora penetratiuè statuere in eodem loco.

in hoc loco, daretur aliud miraculum penetrationis. Quòd si corpus erit minus, non sequitur penetratio, sed aliud; nempe Deum in instanti mouere corpus circumstans, vt aërem, quo contingat superficiem corporis minoris, ne detur vacuum; vel certè permittere naturam sibi, quæ nequit mouere in instanti aërem, & dari vacuum, quod non implicat contradictionem; nempe si cesset actio diuina impedientis vacuum: & tandem subdit: *non ergo vacuum esse in vniuerso, includit contradictionem: imò si natura faceret in instanti minus ex maiore, videretur posse concludi vacuum esse per tempus sine diuino miraculo*, &c. Intelligit, aut sumit naturam, vt non comprehendit authorem naturæ, & dispositionem eius: quia vnio, quæ est inter partes naturæ, est ex dispositione authoris naturæ, & non ex virtute causarum inferiorum. Sic ergo non repugnaret dari vacuum in natura, in quantum hæc repugnantia reduceretur in causas inferiores, etiam sine miraculo; repugnaret autem si referatur ad stabilem Dei dispositionem.

Dari posset vacuum spectata sola virtute causarum naturalium.

Vnio vniuersi est ex actione diuina.

34 Aliud quod sequitur; nempe si non repugnaret naturæ facere corpus minus ex maiore, aut contrà, videtur importare dubiam resolutionem contra prædicta superiùs, quibus videtur asserere ita contingere; vacuũ enim in natura non admitterent Philosophi possibile esse, vt patet 4. *Physicorum*, neque Theologi admitterent sine miraculo; sed omnis actio, ex qua sequitur miraculum, est impossibilis naturæ ex propriis viribus: ergo causare minus corpus ex maiori, aut è contra in instanti, perinde ipsi repugnat.

Aliter Philosophi, aliter Theologi agũt de vacuo.

Respõdetur, supposita dispositione primi agentis, vacuum in natura non posse dari; hæc tamen repugnantia oritur non ex efficacia causarum naturalium, sed ex potentia primi motoris, à quo est vnio inter membra vniuersi, qua fiunt contigua. Ex parte tamen naturæ, si sibi ipsi permitteretur, non est vlla repugnantia: vnde si posset facere ex maiori corpore minus, vt dicit Doctor, non repugnaret naturæ viribus fieri vacuum per generationem instantaneam; quòd autem de facto non sequatur vacuum, quia succedit aër circumstans, est ex authore naturæ conseruantis vnionem vniuersi, & mouentis aërem circunstantem in instanti, vt succedat corpori. Vnde cùm dicimus superiùs ex minori fieri maius, aut è contra, supponimus etiam concursum primi agentis necessarium ad saluandam generationem substantialem, & corruptionem iuxta exigentiam speciei; neque in hac interuenit motus propriè dictus localis quoad extensionem, & locum primò conuenientem genito; sed ipsa generatio quantitatis prima, vt emanat à forma substantiali, & limitatur ad locum, est quæ dat primò illam præsentiam quanto producto, Deo saluante cætera, quæ necessaria sunt ad conseruandam vnionem vniuersi, & impediendum vacuum; & sic repellente corpus circunstans in instanti, aut attrahente, ne vel detur vacuum, aut penetratio corporum: neque ex parte producti asserimus motum localem propriè dictum; quia non est recessus ab extremo ad extremum per medium, (hoc enim virtute causæ secundæ nequit fieri in instanti) sed tantùm est per se mutatio de priuatione ad formam, & effectum connaturalem eius in subiecto: motus autem localis est de subiecto in subiectum, & de loco in locum oppositum secundùm distantiam: talem dicimus sola diuina virtute fieri posse in instanti, & non contingere virtute naturæ, licèt ad conuersionem illam, quæ fit in instanti, sequatur motus corporis extrinseci virtute diuina ad impediendum vacuum, aut certè ad saluandum generationem sine penetratione corporum.

Soluitur dubium præmissum circa textum.

Requiritur concursus primi agentis ad impediendum vacuũ.

Ad saluandam generationem & vnionẽ partium vniuersi, necessarius est motus in instanti.

SCHOLIVM.

Hìc docet primò quòd animatio necessariò fiet in instanti; tum quia forma non habet partes, tum etiam quia successio non potest esse ex parte receptiui, quia datur aliquod primò animabile, cuius nulla pars ante alias animari potest, non videtur loqui de potentia absoluta, quia hæc ratio procedit de forma corporeitatis, de qua oppositum dixit. num. 4. Secundò ait animationem fieri simul cum formatione corporis, quia hæc est dispositio necessitans. Tertiò ait animationem non esse mutationem, quia corpus non habuit eius priuationem. Quartò ait ibi esse passionem, & explicat quomodo.

g DE tertio dico, quòd animatio non est tantùm in instanti propter rationem dictam *in 2. artic.* quia scilicet est à solo Deo immediatè, cuius virtuti actiuæ nihil resistit: sed necesse est eam esse in instanti, quia non posset esse successio in receptione formæ, nisi vel propter partes formæ inducendæ: vel propter partes corporis, quarum vna priùs recipit formam, quàm alia: sed neutrum potest poni in animatione. Non primum, quia illa anima in vnico gradu, in quo creatur, reunietur, ita quòd licèt pars aliqua corporis posset esse perfectior alia: tamen hoc nihil ad propositum ad successiuam vnionem ipsius animæ. Nec secundum potest dari, saltem de primo animabili: aliquid enim est proportionatum animabili primo, ita quòd nihil eius potest animari, nisi totum simul animetur; licèt fortè de multis partibus corporis, quæ non sunt simpliciter necessariæ ad animationem; vt sunt manus, pes, & cæteræ partes, vna possit priùs animari, quàm alia; sed loquimur de prima animatione. 7

Animatio necessariò in instanti.

Vide Scot. 2.d.2.q.9. num. 30. & 31.

h Dico etiam secundò, quòd in eodem instanti, in quo corpus formatur, animatur: 8

Animatio fici eodẽ instanti cum formatione corporũ in resurrectione, sed non eadem mutatione.

matur: quia ex quo forma ista est dispositio necessitans ad animam, non absolutè, sed ex necessitate agentis; non simpliciter, sed ex dispositione sua, statim forma corporis inducta, inducitur ab ipso forma, quæ est anima, & non ex necessitate materiæ.

Et si quæras, nunquid eadem mutatione inducitur forma corporis, & anima? Dico quòd non, imò inductio formæ corporis est per mutationem: inductio autem animæ non est cum aliqua mutatione, quæ sit ad animam, vel animationem, vt ad terminum. Primum apparet, quia susceptiuum formæ corporeitatis transit à priuatione ad formam: & secundum apparet per idem, quia susceptiuum animæ, vel animationis non est materia prima, sed corpus: illud autem non habebit priuationem ipsius animæ, à qua transeat ad formam: quia nec simul habebit eam cum anima, quia tunc priuatio, & forma essent simul: nec priùs habebit eam, quàm formam, quia non priùs tempore erat corpus, quàm anima: nunquam autem est mutatio, nisi quando susceptiuum termini *ad quem* alicuius inductionis præcedit duratione ipsum terminum *ad quem*, & tunc est sub priuatione termini.

Animatio in resurrectione an mutatio.

9 i Si arguas: ergo non est ibi animatio actio, nec animatio passio: quia actio non est sine passione, nec passio sine mutatione: & mutatio negatur ibi: ergo tam actio, quàm passio: quod videtur inconueniens. Respondeo, sicut dictum est *suprà dist.* 13. *quæst.* 1. Passio dicit respectum passi ad agens extrinsecùs aduenientem: hoc est, non necessariò consequentem extrema posita: talis autem potest esse, etsi passum nunquam præcedat duratione formam, quam recipit, quia quantumcunque simul secum habeat formam, potest tamen eam recipere ab alio; & tunc breuiter in inductione formæ coæuæ ipsi passo, benè est passio sine mutatione.

Passio potest esse coæua passo sine mutatione.

Exemplum huius secundùm Augustini 2. *Confess.* quodam modo prioritatis creatur materia prius quàm forma: in illo priori materia non habet respectum ad Deum, nisi producti ad producens, & ille respectus non est extrinsecus adueniens, imò necessariò consequens naturam fundamenti, *ex* 1. *dist.* 2. *q.* 4. & 5. in secundo instanti naturæ recipit formam à Deo: & ille respectus non est eius vt producti, vt ad Deum producentem, sed est eius vt informati ad Deum vt informantem, siue vt imprimentem formam: & ille secundus respectus extrinsecus aduenit materiæ, quia posset perpetuò materia manere Deo conseruante, sine illo respectu receptionis à Deo. Forma ergo illa simul duratione concreata est in materia: sed posteriùs natura inducitur, vel imprimitur in materiam passione de genere passionis: sed sine omni mutatione, quia nunquam materia à priuatione formæ illius, transit ad formam, nec breuiter aliter se habet secundùm eam: quia aliter & aliter præsupponunt entitatem.

Explicat quid passio, & respectus extrinsecus.

Ex hoc sequitur corollarium, quòd dicendo actionem & passionem abstrahi à motu, & mutatione, non oportet dicere, quòd remaneat in eis sola ratio relationis, imò verè remanet ratio actionis, & passionis, absque quacunque ratione motus, vel mutationis.

COMMENTARIVS.

35 g DE tertio dico, &c. Resoluit tertium articulum de animatione, dicens fieri in instanti. Ad probationem huius duas rationes subiicit: prima est, quia hæc animatio fit à solo Deo immediatè, cuius virtuti actiuæ nihil resistit, &c. Hæc ratio ita intelligenda est; vt nulla alia causa effectiuè attingat resurrectionem, seu animationem, nisi solus Deus. Si intelligatur de efficientia causæ principalis physicæ, omnes admittunt hanc probationem; si verò de instrumentaria Physica, plures docent Christi humanitatem concurrere actione instrumentaria Physica ad resurrectionem; quæ actio conuenit humanitati eius tanquam instrumento coniuncto diuinitatis. Hæc sententia est satis frequens in schola D. Thomæ, quam sequitur Suarez *tom.* 2. *in* 3. *part. disput.* 50. *sect.* 4. *conclus.* 4. Ægidius *tom.* 3. *de beatitud. quæst.* 5. *art.* 5. §. 4. Sotus *in hac dist. q.* 1. *art.* 4. & alij.

Animatio corporis suscitati fiet in instanti.

Ratio prima.

An humanitas Christi vt instrumẽtum Physicũ causet resurrectionem? Sententia affirmans.

36 Dico Christum concurrere ad resurrectionem. Probatur Ioann. 5. *Sicut Pater suscitat filios, & viuificat, sic & Filius, quos vult, viuificat*, &c. *nec enim Pater iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio.* Item cap. 6. *Hæc est voluntas eius, qui misit me Patris, vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed suscitem illud in nouissimo die.* & infrà: *Vt omne quod dedit mihi non perdam.* Item: *Nemo potest venire, nisi Pater, qui misit me, traxerit illum, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* cap. 11. *Ego sum resurrectio, & vita*, &c. ad Rom. 14. *In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit, vt & viuorum, & mortuorum dominetur*, &c. 1. ad Thessal. 4. *Deus eos, qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo*, &c. Hæc veritas est fidei, quam tenent omnes Patres, & Doctores, atque Interpretes in illa verba.

Prima conclus. Christus concurrit ad resurrectionem.

Dico secundò resurrectionem nostram fore per Christum, non solùm quà Deus est, sed etiam quà homo; & sic intelligit Cyprian. illum locum Ioannis, *Sicut Pater suscitat mortuos, & viuificat*, &c. *lib.* 2. *contra Iudæos, cap.* 28. & *lib.* 3. *c.* 33. August. 1. *de Trinit. c.* 13. *tract.* 21. *in Ioann. lib.* 50. *homil. hom.* 22. Cyrillus *lib.* 2. *in Ioan. cap.* 140. Beda in 37

Secunda conclusio. Resurrectio est à Christo etiam quà homo est.

in eadem verba. Hæc etiam veritas est certa, & confessa apud omnes.

38 *Tertia conclusio. Ad hunc effectum non esse necessariā actionem instrumentariā physicam. Probatio.*

Dico tertiò, ad hanc veritatem sustinendam non esse necessariam actionem illam instrumentariam Physicam humanitatis Christi: quia magis obscurat mysterium, & nulla necessitate ponitur, aut sufficienti ratione de facto interuenturam probatur, quidquid sit de eius possibilitate, quam plures negarent, & nos etiam putamus esse satis difficilis probationis, vt de his instrumentis in materia Sacramentorum fusiùs tractauimus *d.1.& 2.huius Quarti.* Tractatur etiam hæc quæstio per se in materia de Incarnatione; vbi agitur de potestate, & concursu humanitatis Christi ad opera miraculorum.

39 *Secunda ratio ex Patribus.*

Probatur hæc conclusio ex Patribus, qui & duas operationes in Christo, & duas voluntates definiunt; naturas quidem impermixtas, & proprias operationes inconfusas, in vna tamen persona Christi indiuisa. Hippolytus *ad Psalm. 2.* ostensionem humanitatis refert in opera humilia, quæ fecit, diuinitatis verò in miracula, quæ patrauit, discernens per hoc inter naturas, & proprias cuiusque operationes. Tertullianus *in Apologetico, cap.21.* Mortuos suscitare:& miracula edere, tribuit diuinitati vt propria; humilia pati humanitati, vtraque vni Christo: & lib. de Carne Christi, cap.5. *Quæ*, inquit, *proprietas conditionum diuinæ, & humanæ, æqua vtique naturæ veritate cuiusque dispuncta est, eadem fide Spiritus & carnis: virtutes spiritum Dei, passiones carnem hominis probauerunt*, &c. Caius Papa epistola ad Felicem Episcopum. *Licèt ergo in vno Domino nostro Iesu Christo, vero Dei, atque hominis filio, Verbi & carnis vna persona sit, quæ inseparabiliter atque indiuisè communes habeat actiones: intelligendæ tamen sunt ipsorum qualitates, & sinceræ fidei contemplatione cernendum est, ad quæ prouehatur humilitas carnis, & ad quæ inclinatur altitudo Deitatis: quid sit quod caro sine Verbo non agit, quid Verbum sine carne non efficit*, &c. Et postquàm per varia exēpla vtriusque operationes discreuit, subdit: *Quamuis itaque ab illo initio, quo in vtero Virginis Verbum caro factum est, nihil vnquam inter vtramque formam diuisionis extiterit, & per omnia incrementa corporea vnius personæ fuerint totius temporis actiones: & ipsa tamen (vt ita dicam) quæ inseparabiliter facta sunt, nulla permixtione confundimus, sed quid cuiusque formæ sit, ex operum qualitate sentimus*, &c. Ergo ita fuerunt iuxta hanc definitionem Pontificis indiuisæ naturæ in eodem supposito, vt tamen operationes earum, quæ enumerantur, fuerint impermixtæ, vt neque illæ, quæ propriæ dicuntur diuinitatis, possint tribui humanitati, neque diuinitati, quæ fuerunt humanitatis. Miracula autem tribuit Pontifex diuinitati, passiones, & reliqua humana humanitati, ita vt ex qualitate & natura operum veritas naturæ, à qua procedebant, significaretur.

Hippolyt.

Tertull.

Caius Papa.

40 Chrysost.

Chrysost.hom.de Cruce: *Christum cùm audieris, non solummodò Deū putes, sed Deum, & hominem crede: scio namque esuriisse Christum, & scio Christum de quinque panibus, & duobus piscibus, satiasse quinq; millia hominum, &c. scio Christū sitiisse: scio Christum super aquas ambulasse: scio Christum mortuum, & scio Christum mortuos suscitasse, &c. & quædam quidem refero Deitati, quædam verò assigno humanitati*, &c. nempe miracula, vt resuscitare mortuos, Deitati, sitim, & eiusmodi, humanitati. Quod optimè declarat hom. 11. in Marcum. *Quidquid magnum*, inquit (supple in Christo) *est, refer ad Filium Dei; quidquid paruum est, refer ad filium hominis*, &c. Cyrillus Ierosolymitan Catech.4. *Mortuus est verè vt homo: vt Deus autem mortuum quatriduanum excitauit*, &c. Sophron. epistola ad Honorium eodem modo mysterium declarat, & Synodus sexta *act. 17.* & Constant. 4. Imperator secundùm hanc definitionem statuit edicto ad populos Orientis, differens de vnitate suppositi, & discretione naturarum, proprietatum, & operationum, quæ eidem supposito conueniunt: *Passibilis quidem*, inquit, *carne, impassibilis Deitate: neque enim alteri* (supple supposito, aut personæ) *miracula, & alteri passiones sequestramus: sed vni, eidémque Domino nostro Iesu Christo vtrarúmque indicia deputamus, secundùm aliud quidem miracula operari, secundùm aliud verò pati*, &c. Rectè ergo ex his deducitur conclusio Doctoris, quòd à solo Deo immediatè, & Physicè procedat resurrectio, seu animatio corporis in resurrectione vltima.

Idem. Cyr. Hierosl. Sophron. Synodus sexta. Constant.4.

Dices miracula quidem conuenire soli diuinitati, tanquam causæ principali, & inde non sequi quin conueniant humanitati tanquam instrumento physico. 41 *Responsio.*

Contrà. Patres colligunt veritatem physicam naturarum in Christo, seruatis cuiusque proprietatibus sine confusione, & cum discretione operationum, & impermixtione; ex quibus operationibus, quæ discretæ, & impermixtæ sunt, colligunt veritatem ipsarum naturarum adunatarum in eodem supposito, sine ipsarum permixtione, sicut ex effectu Physico colligitur à posteriori causa eius: ergo cùm suscitare mortuos, & alia miracula tribuunt soli Deitati hoc modo, seu Christo mediante Deitate sola tanquam proprias operationes; ex quibus significatur vera Deitas inesse Christo. Propositio illa dogmatica & absoluta, cum exclusione posita à Patribus, ita intelligenda est, vt excludatur etiam concursus humanitatis Physicus. Probatur consequentia, quia alias ideò admittunt aduersarij, seu astruunt concursum instrumentalem physicum humanitatis, vt hæc opera tribuantur humanitati, quia id ad perfectionem eius facit: sed hoc dato, non saluaretur operationes esse impermixtas, vt procedunt à naturis, seu principiis *quo* operandi, quia operationes esse impermixtas respectiuè ad naturas, à quibus procedunt, est ipsas ita prouenire ab hac, vel illa sine alterius concursu; dato namque opposito operationes naturarum essent permixtæ, quia non seorsim referrentur ad naturas, sed simul ad vtramque, sicut effectus communis permixtè refertur ad causas concurrentes, licèt in diuerso genere, aut modo ab ipsis causatur: *ea tamen ipsa*, inquit Caius Papa (*vt ita dicam*) *quæ inseparabiliter facta sunt* (nempe sine diuisione ab eodem communi supposito) *nulla permixtione confundimus, sed quod cuiusque formæ sit, ex operum qualitate sentimus*, &c.

Impugnatur. Discursus Patrū eiusque scopus. Non saluari operationes esse impermixtas, si humanitas Physicè agat modo prætenso. Effectus permixtè refertur ad causas, quibus fit.

42 Sic negant aliqui Patres operationes proprias naturarum esse confusas, aut permixtas, sicut ipsæ naturæ, à quibus procedunt, adunatæ licèt supposito, inter se tamen sunt impermixtæ, & inconfusæ, & inconuersæ. Cuius contrarium docebant hæretici, vt Acephali, & Monothelitæ, qui prædicabant vnam in Christo naturam, vnam voluntatem, vnam actionem, & operationem; vt patet ex Euagrio, Leontio, Damasceno, Euthymio, & aliis. Hic error damnatus est per Ecclesiam sæpiùs, quæ docet duas

Heretici dānati.

duas naturas impermixtas, duas voluntates, & duas operationes etiam impermixtas naturarum in Christo, prout ex præmissis patet: ergo in rigore verborum, & secundùm scopum intentum à Patribus, illæ operationes, de quibus loquuntur Patres, sunt impermixtæ, id est, ita procedunt à naturis impermixtè, vt ad vtramque referri non debeant: quod non posset dici, si procederent opera Deitatis à natura humana, vt instrumento Physico habente influxum Physicum in ipsas; sicut enim saluatur proprietas causæ, ita & concursus. Et quamuis Baptismus: v. g. sit instrumentum gratiæ iustificantis, tamen Tridentinum verè ipsi tribuit gratiam illam, vt causæ, à qua est. *Sess.6.cap.7.*

Effectus propriè tribuitur instrumento.

43 *Antithesis seruāda, quā statuunt Patres.*

Deinde, antithesis, quam constituunt Patres inter ipsas naturas, & operationes, seruanda est secundùm proprietatem; ita vt in iis, in quibus aduersantur membra, non communicent. Dicunt Patres communicare in supposito, non communicare in operationibus, quas enumerant: v. g. humanitati conuenit passio, & humilitas, quæ nequit competere Deo impassibili, vt dicunt Patres, & veritas: per oppositum competit tanquam operatio propria diuinitati suscitare mortuum: ergo vt antithesis rectè seruetur ea proprietate competit Physicè Deitati suscitare mortuum, quomodo humanitati, humiliari, pati opprobria, esse minorem; sed hæc ita conueniunt humanitati, vt non possint referri ad diuinitatem in Christo tanquam ad principium, aut subiectum Physicum; ergo ex mente Patrum idem dicendum de operibus illis, quæ per antithesim tribuuntur diuinitati.

Humilitas & passio nequit ad Deitatē vt subiectū referri.

44 *Patres referunt ad inuicem naturas, & operationes solùm secundùm commutationem idiomatum.* Athanasius.

Deinde, ipsi Patres referunt proprietates naturarum, & operationes ad se inuicem, solùm per communicationem idiomatum ex vnitate in supposito, & secundùm denominationem tantùm: vt Athanasius. s. 4. contra Arrianos. *Ne quis igitur scandalizetur: sed potiùs cognoscat Verbum ipsum impossibile esse, sed tamen ob carnem, quam induit, ista de eo prædicari; quia vt illa propria sunt carnis, & caro illa proprium est corpus Saluatoris,* &c. *non ideò quia homo factus est, desiit esse Deus: neque quia Deus subsistit, abducit se ab eo, quod humanum est, absit: sed potiùs cùm Deus erat, assumpsit carnem, & in carne existens deificat carnem: & quemadmodum in ea interrogationes faciebat, ita quoque & in ea mortuum excitabat, omnibúsque ostendit se, qui mortuos viuificaret, & animam reuocaret, multò faciliùs omnium occulta sibi cognita habere, eique certum esse vbi Lazarus iaceat,* &c. & infrà: *Ista igitur simul & dixit & egit, quia humana erant, vt hanc vocem ederet, transeat à me calix iste,* &c. *& cur me dereliquisti? sed tamen diuinitùs idem ille Solis deliquium induxit, & mortuos excitauit. Rursum, humanitùs inquiens: Nunc anima mea turbata est: illud autem diuinitùs dixit: Potestatem habeo vt ponam animam meam, & potestatem habeo vt sumam illam: nam turbari, carnis proprium est, potestatem autem habere ponendæ, aut sumendæ animæ pro arbitrio, & vbicunque placuerit, non proprium est hominum, sed potentiæ Verbi,*&c. Quibus verbis primò dicit ea, quæ sunt naturæ humanæ, quoad *esse*, vt passiones, & operationes connaturales, dici de Verbo. Deinde, Verbum ipsum per carnem interrogationes quasdam facere, & in carne operationes, quæ sunt propria Verbi, & non carnis: nusquam autem dicit Verbum per carnem illas exercere, sed in carne, vt est excitare mortuos, & alia, quæ *ibidem* enumerat. Eodem modo loquitur Theodoretus *dialog.*3. Anastasius Antiochenus *lib.3.de passione & impassibilitate Christi.* Damasc. *lib.3.fid. Orthod.cap.*4. Si ergo secundùm communicationem idiomatum ratione eiusdem suppositi operationes diuinæ conueniunt naturæ humanæ, sequitur eas non cõuenire eidem vt principio physico. Deinde, cùm Patres dicunt eidem Christo conuenire operari diuina, & humana, secundùm aliam tamen, & aliam naturam, videntur per hunc modum excludere confusionem concursus naturarum, vt optimè Aug.*ser.58.de verbis Dominis.*

Aliud est per carnem, & in carne facere operationes.

Licèt, inquit, *vnam personam in Christo credamus; duas tamen substantias, id est, naturas esse fatemur, diuinitatis scilicet, & humanitatis,* &c. *quæ tamen substantiæ non sunt confusæ, sed vnitæ, atque in vna, eadémque persona inseparabiles, & in sua semper proprietate manentes: quapropter vnicuique substantiæ propria vtique aptanda sunt; id est, infirmitates humanitati, quæ creata est; signa verò, vel mirabilia diuinitati, quæ creauit: in tantùm enim sibimet vnitæ sunt, atque coniunctæ, vt idem, atque idem Christus, Deus & homo, aliquando res aut agat, aut loquatur humanas, aliquando diuinas,* &c. Subiicit exempla, quorum vltimum est, quòd *Lazarum quatriduanum*, inquit, *authoritate diuina iubeat à mortuis reuocari,* &c. Hoc idem docet Leo Papa epistola 10. ad Flauianum cap.4. *Agit vtraque forma cum alterius communione, quod proprium est, Verbo scilicet operante quod Verbi est, & carne exequente quod carnis est. Vnum horum coruscat miraculis, aliud succumbit iniuriis,* &c. Ex quibus colligitur resurrectionem mortuorum esse à solo Deo vt à causa Physica, non autem ab humanitate, vt causa instrumentali Physica. Quod multùm confirmat quod de operatione Theandrica definit Martinus I. *in Concilio Roman. consultat.* 1. *can.* 13. vbi definit non esse vnam, sed duas operationes vnitas. Hieron. in Matt. 14. *Supra quam humana*, inquit, *conditio ferret, ea quæ erant hominum agebat, vt cùm in fluxa & instabili vnda terrenis pedibus incederet, non indurata aqua. Verùm per eximiam diuinitatis potentiam ita comparata, vt minimè diffueret, pedúmque corporeorum grauitati cederet,* &c. Damascenus *lib. Quomodo ad imaginem Dei facti sumus,* &c. *in fine: Quando diuinitas*, inquit, *tactu carnis sanabat infirmum, alia erat propria actio diuinitatis, altera humanitatis, & finis humanæ actionis in manus extensione, & tactu positus erat: diuina autem natura in excitatione puellæ,* &c.

45 Augustinus. Leo Papa. Martinus I. *Operatio Theandrica.* Hieron. Damascen.

Secundò probatur à ratione conclusio Doctoris: Christus eatenus est causa nostræ resurrectionis, quatenus est mediator, & Redemptor, & meruit gratiam, & gloriam, seu beatitudinem, ad quam vt ad finem ordinatur resurrectio, vt quis recipiat prout gessit in corpore retributionem; sed est causa meritoria duntaxat nostræ iustificationis, & gloriæ, & non physica, aut instrumentalis: ergo sic est causa resurrectionis. Maior patet, quia, vt dixi, resurrectio est volita tantùm secundùm ordinem diuinæ iustitiæ ad recipiendam retributionem: ergo eatenus est à Christo vt homine, quatenus ipsa retributio ab ipso est tanquam à causa meritoria. Deinde, ad ordinem diuinæ iustitiæ, & dispensationis non magis spectat vt resurrectio, quæ accessoria est ad opera, & retributionem, esset instrumentaliter à Christo, quàm vt ipsa iustitia, seu gratia, & 46

Secunda probatio à ratione. Christus est causa resurrectionis eo modo, quo & iustificationis.

Non attingit Physicè gratiam & gloriam Christus secūdùm humanitatem.

& gloria ſic eſſet inſtrumentaliter, neque ad perfectionem Chriſti influxus ſaluandam, magis facit vnum, quàm aliud: imò magis faceret ſecundum; quia quò perfectiùs attingeret finem, eò perfectiùs influeret, & quò immediatiùs, etiam eò perfectiùs, quàm ſi media tantùm attingeret, qualis eſt reſurrectio. Quòd verò non ſic phyſicè attingat finem, agendo inſtrumentaliter, probatur ex Tridentino, *ſeſſ.6. cap.7.* in quo enumerantur cauſæ noſtræ iuſtificationis, & ſolus Baptiſmus dicitur cauſa inſtrumentalis, Chriſtus verò finalis, & meritoria: ergo non inſtrumentalis, aut Phyſica.

Trident. — *Cauſa iuſtificationis.*

47 Confirmatur, non eſt inuertendus modus agendi cauſarum, qui ex genere ipſis competit, neque ingerendus alius modus cauſandi, qui ſuperfluus eſt, & non facit ad ordinem, aut naturam cauſarum, quæ applicantur. Sed in propoſito cauſæ reſpectu finis cum omnibus acceſſoriis ſunt morales ex parte meriti, & pacti, & operis, vt ex eo redundat debitum reſurrectionis acceſſoriè ad beatitudinem, gratiam, & opera: ergo non eſt alius modus cauſandi Chriſti reſpectu reſurrectionis, quàm moralis; nam Phyſicus inſtrumentalis non eſſet ex merito, neque Chriſtus, vt ſic influens, ageret vt cauſa per ſe in illo ordine, in quo, & ex quo concurrentibus cæteris fundatur titulus ex debito tantùm morali. Accedit quòd hunc tantùm modum cauſandi Chriſto tribuit Scriptura; & poteſtatem, quam recepit in viuos & mortuos, fuiſſe moralem, & non Phyſicam; ad exercitium autem poteſtatis moralis ſufficit influxus moralis, & non requiritur Phyſicus: ergo, &c.

Confirmatio. — *Ordo cauſarum eſt ſeruandus.* — *Scriptura influxum cauſæ moralis tribuit Chriſto.*

48 Deinde influxus, quem tribuit Scriptura locis præallegatis reſpectiuè ad reſurrectionem, eſt influxus cauſæ principalis, & non inſtrumentariæ: eſſe autem cauſam principalem Phyſicam repugnat humanitati reſpectu reſurrectionis: ergo, &c. Hæc cauſalitas principalis eſt illa cauſæ moralis meritoriæ, & qua recepit poteſtatem in viuos, & mortuos iudiciariam, quà homo eſt: Chriſtus ergo, quà Deus, eſt cauſa principalis Phyſica reſurrectionis; quà autem homo cauſa meritoria principalis, & ex poteſtate ſibi commiſſa, vt patet ex dictis. Congruentiæ autem, quæ adducuntur ad probandam cauſalitatem Phyſicam inſtrumentariam non repugnare humanitati, & conuenire eidem de facto, quoad primum, vt dixi, ſunt valde obſcuræ, & vix ex principiis naturalibus ſubſiſtunt; ſi tamen omnino ſubſiſtunt: nam vt ex primo argumento conſtat, magis colligitur repugnantia, quàm poſſibilitas: & data poſſibilitate, non eſt fundamentum aſſerendi ita de facto contingere. Nam inter Patres, qui magis fauere videntur concurſui Phyſico humanitatis ad opera miraculoſa, ſolus Auguſtinus *lib.22. de Ciuitat.cap.9.* ſubindicat illum modum influxus, ſed mox relinquit ſub incerto, tanquam non neceſſarium ad ſaluandum veritatem Scripturæ, & operum, vt attribuuntur Sanctis. Sic etiam Gregorius *lib.2. dialog. cap.30.* reuocat, vel ad impetrationem, vel ad imperium, & poteſtatem, ſicut Petrus orando ſuſcitauit Thabitam, & increpando Ananiam, & Saphiram tradidit morti: hoc autem imperium procedit ex fide, & poteſtate morali, quam in opera recipiunt Sancti per aſſiſtentiam Dei.

Congruentia adducta pro oppoſito. — *Explicantur Patres.*

49 Alij autem Patres, qui dicunt carnem Chriſti fuiſſe organum, & inſtrumentum Deitatis; fuiſſe viuificatricem; & tactu ſanaſſe languores, vt Damaſcenus *lib. 3. de fide cap. 15. & 19.* Theodoretus *in Dialogo* qui inſcribitur *Immutabilis.* Euſebius *lib. 4. demonſtr. Euangelicarum cap. 14.* Cyrillus Alexandr. *epiſtola 11. Anathiſ. 11. & lib. de fide ad Reginas.* intelligendi ſunt modo, quo ipſi ſe exponunt, nempe in operibus, in quibus actio humanitatis concurrebat cum actione Verbi, quæ dicuntur Theandricæ, ita vt quod naturale erat, tribuatur humanitati, vt tangere, ſputo linire, ambulare; ſupernaturalitas tamen operis tribuatur ſoli Verbo: nam ſic exponunt ipſi Patres, diſcernentes inter vtriúſque operationem, vt patet ex Damaſceno ſuprà citato: & proprietas etiam ſaluatur locutionis, quia virtus diuina Verbi applicabatur mediante tactu humanitatis, tanquam organo, & inſtrumento, licèt ipſum miraculum non attigerit per ſe humanitas aliter quàm applicando virtutem diuinam, cuius propria operatio concomitabatur propriam operationem humanitatis.

Humanitas Chriſti quomodo organum Verbi ſit.

De reſurrectione verò mortuorum, non ita loquuntur Patres, in qua non interuenit tactus humanitatis Chriſti, imò hanc tribuunt Deitati ſoli, tanquam cauſæ Phyſicæ, vt patet ex citatis. Hoc idem tenet Ambroſius *lib. 2. de fide cap.48.* Hilarius *lib.7. de Trinitate.* Chryſoſtomus *homilia 38. in Ioannem.* & quamuis Chriſtus vt homo ſit cauſa reſurrectionis, intelligitur meritoria, & ſubauthoritatiua per poteſtatem datam. Et hæc quoad primam partem illius concluſionis ſufficiant, quatenus dicitur reſurrectionem, ſeu animationem corporis organici eſſe à ſolo Deo Phyſicè, & in inſtanti.

Reſurrectio tribuitur ſoli Deo tanquam cauſæ.

Secunda probatio concluſionis eſt ex impoſſibilitate productionis ſucceſſiuæ in propoſito: quia ad hanc ſucceſſionem, vt ſit poſſibilis, requiritur vel vt forma ſit diuiſibilis in gradus diuerſos; ſicut v. g. albedo intenſa vt octo, vel certè, vt ſubiectum in quo induci poſſit, ſit diuiſibile in partes, quarum vna priùs alia nata ſit recipere formam. Hæc diuiſio ſubiecti poteſt contingere duobus modis: nam ſi ſit homogeneum, v. g. lignum ad introductionem formæ ignis, poteſt conuenire ſucceſſio in forma ignis ſecundùm ſpeciem, vel partes integrantes ipſius formæ, ex diuerſa applicatione ſubiecti ad cauſam, ita vt in parte viciniori apta ſit cauſa efficaciùs agere, quàm in partem remotam, & priùs inducere formam: de ſucceſſione ex hac cauſa non agit Doctor: eam enim inſinuauit in articulo præcedenti in ipſo initio. Alia ergo cauſa ſucceſſionis eſt ex parte ſubiecti heterogenei, qua habet plures partes diuerſæ rationis, & quarum vna eſt nata ab intrinſeco recipere formam ante aliam, ita vt ſit ordo ab intrinſeco inter partes, vt comparantur ad formam. Ita ſe habet corpus organicum; quia ſecundùm aliquas partes eſt natum primò animari, v. g. cor, & caput, & reliquæ in quibus vita principaliter reſidet, ita vt nequeat ineſſe naturaliter aliis ſecundariis, vt in manu, vel pede, niſi priùs inſit primariis partibus. 50

Secunda ratio concluſionis excludit poſſibilitatē ſucceſſionis. — *Ad productionem ſucceſſiuum requiruntur duo.*

Ad propoſitum, excluditur ſucceſſio ab animatione in homine; quia anima rationalis habet indiuiſibilem

indiuisibilem gradum entitatis, ita vt communicari debeat, vel nullo modo. Subiectum primum animabile est etiam indiuisibile, hoc scilicet modo, vt nihil eius animari primò possit, nisi animetur totum: ergo repugnat ex vtroque capite animationem hanc fieri, nisi in instanti.

Animam rationalem induci in instanti. Ratio.

51 Hanc rationem Doctoris negarent Authores, quos citat Scholiastes in scholio præfixo ante articulum secundum; quin etiam admitterent Angelum produci posse in tempore. Sed ratio Doctoris illam sententiam destruit: & sic argumentor: forma indiuisibilis nequit attingi nisi tota, & secundùm indiuisibilem gradum essendi; quia sicut non habet partes, aut gradus diuersos essendi; ita nequit recipere *esse* secundùm partes; sed debet produci tota simul: sed pro omni mensura in qua est eius productio, pro eadem etiam est aliquid in *esse* termini, quod recipit *esse*: quia nequit productio esse, aut concipi sine termino. Ille terminus nequit esse pars formæ: v.g. Angeli: ergo erit tota forma: ergo pro mensura, quo est productio Angeli, est tota simul, & consequenter ipse Angelus in *esse* termini totus inesset: si ergo productio fieret, v.g. in vna tota hora successiuè, necessarium esset vt ante horam non succederet quies, & in qualibet horæ parte esset tota productio, & totum productum, quæ sunt contradictoria manifesta: nam sequeretur quòd esset, & non esset productio per totam horam. Probatur esse ex hypothesi; probatur non esse ex ratione præmissa sic: in prima media hora præcessit productio Angeli, & totalis: ergo & Angelus fuit productus pro prima media hora totus, & consequenter non est in potentia vt primò producatur pro sequenti parte horæ. Et sic argumentum idem currit pro omni signata parte temporis antecedentis. Immeritò aliqui pro hac sententia citant Doctorem, vt patet ex præmissis, quæ omnino improbabilis est; nam si loquamur de prima, & simplici productione Angeli, conuincitur falsitatis ex dictis. Si autem loquamur de productione eius multiplicata, eo modo, quo aliqui tenent præexistens posse reproduci, est etiam improbabilis, & impossibilis, non ex eo præcisè quòd illa sententia sit falsa, sed vlteriùs quia etiam ea data sequeretur quòd si tota hora successiuè, & continuè reproduceretur, quòd infinities reproduceretur, id est, in singulis instantibus, & in singulis partibus horæ.

Angelū aut animam non posse produci nisi in instanti.

Impugnatur.

Sequerentur contradictoria & esse, & non esse pro eadem mensura.

Malè attribuitur sententia opposita Doctori.

52 li *Dico etiam secundò*, &c. Dicit animationem fieri in eodem instanti, in quo formatum est corpus; quia organizatio corporis est dispositio necessitans ad infusionem animæ, quatenus Deus eius creator ita statuit, non ex eo quòd repugnaret corpus organicum conseruari posse absque anima. Deinde, quærit an eadem mutatione inducitur forma corporis, & animæ.

Animatio fit in eodem instanti formationis corporis.

Respondet negatiue, asserens formam corporis induci per veram mutationem, quia præcessit priuatio eius duratione in materia, ac proinde materia aliter se habet; quia de priuatione, quæ infuit, transfertur ad formam, quæ inducitur. Per oppositum huius negat animationem, vt fit in instanti organizationis, esse mutationem, quia non præcessit duratione priuatio formæ, id est, animæ in subiecto proximo, quod est corpus, quia eo instanti, quo nata est inesse priuatio, inducitur forma, & sic non est mutatio materiæ, quia alterum extremum non præcessit in materia: tum etiam, quia ad veram mutationem exigitur subiectum præcessisse duratione; nam aliter se habere nunc quàm antè, supponit ipsam priùs fuisse.

Formatio corporis fit per verā mutationem.

Non ita inductio animæ

Ratio vtriusque.

Præctereà, sicut prius est aliquid esse, quàm causare aliud à se, ita prioritate naturæ, vel rationis saltem consideratur subiectum, vt est in ratione effectus per ordinem ad suas causas priores essendi, antequàm consideretur res quæ est subiectum, per modum subiecti præsuppositi ad posterius, & quasi causæ eius materialis: si illud sit causabile hoc modo, non conuenit ei in priori instanti habere formam, vel priuationem formæ, quia pro illo instanti neutrius est capax, quia nequit esse subiectum, aut comparari ad posterius: pro secundo verò instanti est subiectum, & quidquid priùs aduenerit, illud inest sine mutatione subiecti, vt subiectum est, quia non aliter se habet respectiuè ad opposita: quando autem transfertur de vno in aliud, tunc dicitur propriè mutari, iuxta mentem Philosophorum *in 6. Physicorum.* Vide Doctorem *in 3. dist. 2. quæst. 3. ad 3.* vbi negat ad animationem per animam rationalem dari propriè mutationem. Videatur etiam *in 2. dist. 1. quæst. 4. ad 5.* vbi accommodat mutationem ad creationem *dist. 5. quæst. 2. ad primum pro opinione*, & *in 4. dist. 11. quæst. 3. ad primum.* 53

Prius naturâ subiectū est, quàm subiectat.

Si dicas sufficere vt præcedat priùs natura negatio, & ita contingere in proposito. 54

Obiectio

Respondetur negationem non præcedere etiam priùs natura: quia neque subiectum ex se petit magis negationem, seu priuationem, quàm habitum: imò magis exigit habitum: neque est ordo inter habitum, & priuationem, vt hæc supponatur prioritate naturæ, quia potiùs habitus supponitur ex exigentia causarum, & perfectionis; neque ex causis intrinsecis talis ordo naturæ resultat. Deinde, nequit concipi priuatio conceptu priuationis, nisi vt est negatio in apto nato: ergo si in apto nato pro omni instanti, pro quo concipi potest, concipitur aptitudo, & possibilitas habitus respectiuè ad subiectum, & è contra. Ideò ergo priuatio præsupponitur in aliquibus ante habitum, quia deficit causa potens communicare actum subiecto pro eo instanti, quo est eius capax, & quia causæ in natura vtplurimum procedunt ordine generationis de potentia ad actum, & hoc ex defectu virtutis, aut applicationis; vel etiam quandoque ex subordinato modo agendi: sed in proposito hoc totum deficit, quia in instanti organizationis vnitur anima, & sic non præcessit priuatio eius in subiecto.

Solutio.

Non esse ordinem inter priuationem & habitum.

Quare priuatio antecedit habitum in quibusdā.

i *Si arguas, ergo non est ibi animatio actio*, &c. Contra præmissam resolutionem vrget Doctor, quòd sequeretur animationem non fieri per actionem, quia non est passio ei correspondens ex parte subiecti, cùm subiectum non mutetur, neque aliter se habeat, nisi vt supponitur priuatio formæ, à qua transfertur ad ipsam formam. 55

Obiectio.

Respondet negando antecedens, & eius probationem, quia tam actio, quàm passio saluantur sine mutatione vlla subiecti, loquendo de mutatione propriè dicta, in qua subiectum supponitur duratione

Responsio. Actio, & passio saluantur sine mutatione propriè dicta.

duratione ante formam. Ratio est, quia licèt forma sit coæua subiecto, potest esse ab alio, nempe produci in subiecto à causa efficiente, & subiectum pati secundùm hanc productionem; nihil enim est passio, quàm relatio ad agens connotans receptionem formæ mediante virtute, & actione agentis; quòd verò præcesserit priuatio in subiecto ante formam, non exigit priuationem priorem duratione, neque vt causam, neque vt conditionem: neque similiter vt conditio exigitur à causis formæ, quia ad actionem agentis nihil requiritur nisi subiectum capax formæ per se; hæc autem capacitas in subiecto non includit priuationem formæ necessariò; sed aliquando tantùm per accidens, ex ratione superiùs assignata: nam terminus *à quo* per accidens se habet ad productionem termini *ad quem*, quæ proinde saluari potest, absque eo quòd terminus *à quo* præcedat duratione, aut alia prioritate terminum *ad quem* in subiecto. Actio ergo, & passio vt sunt respectus extrinsecus aduenientes, saluari possunt absque mutatione subiecti.

Ratio huius.

56 Exemplum huius adducit Doctor ex Augustino, qua asserit materiam, quodam modo prioritatis creari à Deo, quàm informetur: prioritas hæc est secundùm viam generationis, quæ procedit de potentia ad actum: in ea proprietate non dicit materia ordinem, aut respectum ad formam, sed solùm respectum ad Deum creantem ipsam, qui est intrinsecus causati ad formam efficientem. In secundo instanti naturæ formæ communicata fuit materiæ, & tunc materia dicit relationem passionis, quæ est extrinsecus adueniens ad Deum, non vt producentem, sed vt informantem, & communicantem formam materiæ. Tunc ergo forma est coæua materiæ secundùm durationem, sed posterior natura, & per passionem materiæ; & actionem agentis sine vlla mutatione; quia materia non transiuit de priuatione ad formam; quia in secundo instanti naturæ recepit formam sibi coæuam.

Exemplum. Materia prior forma.

Hæc prioritas est natura, & non durationis.

57 k *Ex hoc sequitur corollarium*, &c. In hoc corollario definit actionem, & passionem abstrahere à motu, & mutatione; quamuis enim motus, & mutatio nequeat contingere sine actione & passione; tamen actio, & passio possunt contingere sine motu & mutatione in iis formis, quæ sunt coæuæ suo subiecto, eique communicantur virtute agentis extrinsecè. Patet hoc ex iam dictis: quia ad motum, & mutationem exigitur vt subiectum aliter se habeat, & transeat ab vno extremo contradictionis in aliud extremum, secundùm prius & posterius duratione, vt de priuatione ad formam: quia *motus est actus entis in potentia secundùm quòd in potentia*; Potentia autem subiecti propriè dicta connotat priuationem actus, vt inest ante formam, seu terminum *ad quem*; ac proinde successionem inter terminos motus in subiecto secundùm durationem, & sic aliter se habet, vt nunc est sub vno, mox sub altero. Benè ergo contingit motum & mutationem non abstrahere ab actione, & passione; at è contra actionem, & passionem aliquando abstrahere à motu, & mutatione.

Actio, & passio abstrahunt à motu, & mutatione propriè dicta.

Definitio motus.

Subiungit prætereà Doctor, quando actio, & passio abstrahunt hoc modo à motu, & mutatione, non solùm remanere in eis conceptum relationis, sed etiã ipsius actionis, & passionis. Quod sic intelligitur, licèt enim actio & passio in recto dicant conceptum tantùm relationis, tamen connotant etiam in obliquo actionem pro re acta, hoc est, ipsam formam vt transit de *non esse* ad *esse*, mediante virtute agentis, & concursu passi, seu ipsam productionem formæ, quæ subiecto licèt sit coæua; tamen fit in subiecto per virtutem agentis, & veram sui productionem. Sic ergo manet actio & passio, seu abstrahit à motu, & mutatione, non solùm secundùm relationem, quam dicit in recto; sed etiam vt connotat productionem concomitantem formæ, eiúsque receptionem in subiecto, vt patet ex dictis, & *hic*, & *dist.* 13. *suprà*, vbi probatum est dari relationes extrinsecùs aduenientes, & quid sit actio in omnibus suis acceptationibus. 58

Actio, & passio non solùm in esse relationis, sed etiam actionis & passionis conceptu abstrahunt à motu, & mutatione.

SCHOLIVM.

Priùs resurrecturos, qui anteà erunt mortui, deinde qui tunc erunt viui in ipso raptu morituros. Ita August. citatus, & colligit ex Paulo. Richard. hic art. 5. *quæst.* 1. *Durand. quæst.* 4. *Anselm. in* 1. *Thess.* 4. *sed variæ sunt de hoc sentent. de quibus, vide Suarez tom.* 2. *in* 3. *part. disp.* 50. *s.* 9.

1 REstant duo parua dubia. Vnum, an in eodem instanti erit omnium resurrectio? de quo tangit primum argumentum: & aliud, in quo instanti; & si non determinato, vel signato, tamen quo in comparatione ad partes, vel horas diei naturalis? vtpote si in instanti mediæ noctis, vel aliquo alio determinatum respectum habente ad partes diei naturalis? 10

An omnes simul resurgent?

Ad primum Augustinus *super totum illud cap. alleg.* 19. *&* 20. videtur ex intentione determinare quòd resurrectio eorum, qui inuenientur mortui in aduentu Iudicis, præcedet duratione resurrectionem illorum, qui inuenientur viui: sicut illi viui secundùm verba Apostolica priùs rapientur obuiam, & ibi vt probabile est secundùm Augustinum, morientur, & subitò posteà resurgent: & sic posteà resurrectio eorum sequetur resurrectionem illorum, qui erunt mortui. Vnde dicit Augustinus: *Si sanctos, qui reperientur Christo veniente, viuentes, eique obuiam rapientur, crediderimus in eodem raptu de mortalibus corporibus exituros, & ad eadem mox immortalia redituros: nullas in verbis Apostoli patiemur angustias.* Hoc expresse etiam videntur verba Apostoli dicere: *Mortui qui in Christo sunt resurgent primi: deinde nos*, &c. vbi secundùm Augustinum

Apostolus in se, ac etiam in illos, qui secum viuebant, transfigurabat personas illorum, qui inuenientur viui.

COMMENTARIVS.

59 1 Restant duo parua dubia, &c. Hæc dubia mouet Doctor ex occasione primi argumenti, quod est ex verbis Apostoli 1. ad Thessal. 4. *Mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi: deinde, nos qui viuimus*, &c. Primum ergo dubium est an resurrectio omnium fiet simul? Secundum dubium, quo determinato instanti fiet respectiuè ad horas diei naturalis?

An resurrectio fiet omnium simul. Quantum ad primum, variæ sunt expositiones in locum Apostoli citatum; nam alij volunt denotare ordinem dignitatis, & non temporis; alij ordinem temporis, sed inter iustos, vt horum resurrectio sit futura priùs tempore resurrectione malorum; alij statuunt hunc ordinem inter mortuos, & eos qui tum viuunt; alij negant ordinem respectiuè ad resurrectionem denotari, sed respectiuè ad raptum in aëra; alij putant denotari concomitantiam, ita vt particula *Deinde* tantùm valeat, quod *prætereà*, &c. Non fore ordinem temporis in resurrectione, sed simul omnes resurrecturos docet vt probabiliorem Suarez *tom.2. in 3. part. disp.50. sect.9.* Eam tenet Sotus *in hac d.q.2. art.4. concl.2.* Ægidius Lusitanus *tom.3. de beatitudine lib.1.q.6. art.3. num.6.*

Variæ opiniones de ordine resurrectionis.

60 *Conclusio.* Conclusio Doctoris est, mortuos priùs resurrecturos quàm eos, qui tum viuent. Quam sententiam tenet Richardus *in hac dist. art.5.quæst.1.* Durandus *quæst.4. art.2.* sequitur Valentia, *4.part. disp.11. quæst.3. punct.2.* & videtur Paludani *q.4. art.3.ad primum*; vbi asserit viuos tum in ipso raptu morituros, & resurrecturos. Est sententia Augustini *lib.20. de Ciuit. cap.20.* Theodoreti *in Apostolum,* Anselmi, Petri Lombardi: Denotari autem successionem & ordinem temporis in præfato loco docet Chrysostomus, Theophyl. Oecumen. *in locum præmissum*, quamuis in alio sensu loquantur, & sententia, quæ pluribus placuit, & nouissimè Caietano, nempe superuicturos tum non morituros, sed ad statum immortalem immutandos. Designari autem ad literam ordinem temporis ad resurrectionem mortuorum, & viuorum videtur ex sensu plano literæ colligi: nam mortui dicuntur resurgere primi; *deinde nos qui viuimus, qui residui sumus*, nempe ex persecutione Antichristi, *simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aëra.* In hoc raptu morientur secundùm Augustinum, quem sequitur Doctor. Vnde patet ordo temporis designari inter resurrectionem mortuorum, & raptum viuorum simultaneum in aëra, in quo raptu morientur, & resurgent: neque hoc videtur aliquod inconueniens; quod enim aliqui dicunt ex efficacia tubæ, & imperij, mortuos omnes resurrecturos, id admittimus, vt posteà dicetur; sed sensus est accommodatus vt ad mortuos referatur, & non ad viuos pro tum, qui posteà morientur iuxta debitum commune peccati originalis, & statim resurgent in momento. Vox enim illa audientibus tum viuis fiet, vt patet ex iis, quæ de inexspectato aduentu iudicij Scriptura loquitur, vt quòd veniet tanquam fur dies Domini, quòd media nocte, & huiusmodi, & quòd tunc viui vacabunt rebus huius vitæ, non exspectantes aduentum Iudicis repentinum. In quæstione ergo obscura non est quòd planum Scripturæ sensum prætereamus, cùm ad hoc nihil omnino cogat: nam quod alibi dicitur quòd omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, verum est, quamuis ij, qui surrexerunt aliàs simul cum Christo, iuxta illud Mathæi 27. *Multa corpora Sanctorum*, &c: non resurgent denuò, quia iuxta sententiam plurium Doctorum, & Patrum, surrexerunt in carne immortali. De hac quæstione consulendi sunt Expositores in prædicta verba. Eam fusè tractat Ægidius Lusitanus *quæst.4. art.3.*

Mortuos priùs resurrecturos quàm eos qui tum viuent.

Designari illum ordinē.

Dixi superiùs viuos in raptu morituros, quia & ita Augustinus *loco cit.* docet, quamuis aliàs in ea fuit anceps, vt *quæst.3. ad Dulcitium*; quin etiam plures Patres eam sententiam, quæ opposita est, tenuerunt, vt adnotauit Leonardus *in cap. præfatum Augustini.* Pamelius *ad cap.42.Tertulliani de resurrectione carnis*; quam etiam *ibid.* docuit ipse Tertullianus. Placuit Chrysostomo, Theodoreto, Theophylacto, & Oecumenio *in Apostolum*; quin etiam Hieronymus *epistola 152.* citat, Theodorum Heracliensem; placuit & Caietano *loc.cit.* 61

Tenentes tum viuos non fore morituros.

Contraria tamen sententia est magis frequens Patrum, & Doctorum; cui Ecclesiam magis adhærere docet Hieronym. *epistola 152.* pro ea citans Didymum Alexandrinum, Diodorum Tarsensem; eámque docent Cyrillus Ierosolymitanus *catechef.4. de resurrectione.* Fulgentius *de fide ad Petrum cap.3. & cap.29.* & Author de dogmatibus Ecclesiasticis *cap.7. & 8.* estque magis frequens Doctorum, & Expositorum: & meritò præferenda, quia sacræ Scripturæ magis conformis, ad Roman.5. *Per primum hominem mors intrauit in mundum*, &c. *ita & in omnes mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt.* 1. ad Corinth. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur,* &c. ad Hebreos 9. *Statutum est omnibus hominibus semel mori*, &c. & sic de aliis pluribus Scripturæ locis, in quibus ex regula generali mors statuitur tanquam pœna peccati originalis, ex sententia generali; *puluis es, & in puluerem reuerteris*; nulla autem videtur ratio ponendæ exceptionis.

Asseritur morituros.

Dices constare exceptionem iuxta codicum Græcorum lectionem *ex Paulo 1. ad Cor.15.* nam apud aliquos legitur: *non omnes dormiemus, omnes tamen immutabimur,* &c. alij legunt sic: *omnes non dormiemus, sed omnes immutabimur*, &c. quam lectionem sequuntur Patres Græci citati, vt intelligant etiam in ea comprehendi exceptionem. 62

Obiicies

Variæ lectiones.

Contrà. Præferenda est alia lectio, quæ nostræ vulgatæ concordat magis: *Omnes dormiemus, sed non omnes immutabimur*, &c. nostra autem vulgata habet: *Omnes resurgemus*, &c. Triplex lectio prædicta habetur ex Hieronymo *epist.152.* & vltima consonat vulgatæ æquiualenter, & in sententia. Deinde, duplex lectio prior non cohæret scopo, & discursui Apostoli; nam in eo capite probat resurrectionem Christi factam, & aliorum futuram. *Nunc autem Christus resurrexit primitiæ dormientium; quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum.*

Soluitur.

Præferenda lectio vulgata, eique consona.

Patet ex cōtextu

mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Vnusquisque autem in suo ordine primitiæ Christus. Deinde, ij qui sunt Christi, deinde finis, cùm tradiderit regnum Deo, & Patri Infrà prosequens idem ab exemplo probat, *Sicut granum quod seminatur non viuificabitur nisi priùs moriatur, sic*, inquit, *& resurrectio mortuorum seminatur in corruptione, surget in incorruptione*, &c. *Seminatur corpus animale, surget spiritale*, &c. Deinde, sequendo eandem antithesim inter primum & secundum Adam; inter corpus animale, & spiritale, inter corruptionem, & incorruptelam.

63 *Antithesis.* Concludit: *Sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis: qualis terrenus, tales, & terreni; qualis cælestis, tales & cælestes. Igitur sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis*, &c. Imago autem terreni est peccatum, & mors, sicut cælestis imago est iustitia, & vita. Hactenus doctrinam vniuersalem tradidit Apostolus, seruata antithesi, & sine vlla exceptione: mox subiungit: *carnem & sanguinem non possidere posse regnum Dei, neque corruptionem incorruptelam* &c. Quibus verbis denotat, licèt resurrectio sit vniuersalis: tamen non fore in omnibus ad vitam, sed tantùm in iustis, & subdir. *Ecce mysterium vobis dico* (supple resurrectionis) *omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* *Applicatur doctrina Apostoli.* Doctrina vniuersalis tradita hactenus est, quòd moriuntur in Adam; quæ mors non intelligitur solius peccati; sed magis mors corporalis: agit enim Apostolus de resurrectione mortuorum, seu carnis. Deinde, opponit huic morti vitam, quæ est per Christum in resurrectione. Posteà ostendit necessitatem mortis exemplo grani, quod non potest viuificari nisi priùs moriatur. Tum subiungit imaginem terreni hominis, & mortalis, nempe Adami nos portasse omnes, scilicet in morte peccati, & carnis. Denique differentiam subiungit inter resurrecturos, quorum aliqui non possidebunt regnum Dei, vt qui vixerunt secundùm carnem & sanguinem: ideò rectè cohæret prædicta clausula. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* nam omnes morituros & resurrecturos sequitur ex doctrina vniuersali iam præmissa. Non omnes immutari sequitur ex eo, quòd illi tantùm immutabuntur, qui possidebunt regnum Dei. Et in his duobus consistit mysterium resurrectionis: Si autem Apostolus diceret, non omnes dormiemus, non rectè cohæreret fundamento posito, in quo præmisit mortem & causam eius, & necessitatem vniuersalem, quam incurrunt omnes, & sub qua eos comprehendit: quòd ergo *ad Thessal.*4. statuit differentiam inter tum viuos, & mortuos, non eò tendit quasi viui non sint morituri, sed quia mors ipsorum erit repentina, & sine resolutione fortè corporum, & repentina etiam restitutio ad vitam in corporibus gloriosis.

64 *Solutio obiectionis.* Hinc soluitur obiectio facta, seu fundamentum sententiæ oppositæ, sicut & alia loca Scripturæ, quæ dicunt Christum constitutum Iudicem viuorum & mortuorum. *Act.*10. *ad Rom.*4. & in Symbolo. *Inde venturus est iudicare viuos, & mortuos*; intelliguntur enim viui, qui tunc temporis erunt, quamuis morientur ante immutationem, & , vt dixi, iuxta mentem Augustini, Bedæ, Anselmi, in ipso raptu.

Obiicit Suarez *sect.*2. hanc interpretationem esse creditu difficilem: quia illud genus mortis apparet incredibile, sicut & miraculum rapiendi in aëra corpora mortalia non gloriosa, eáque in aëre sustinendi iam mortua, donec resurgant. Deinde, Paulus loquitur de raptu corporum per gloriosam immutationem, per quam connaturale erit ipsis corporibus eleuari: ergo interpretatio illa videtur inutilis, & ficta. *Obiectio.*

Respondetur sufficere in quæstione obscura, vt sit Augustini, & aliorum, quos citauimus. Duo enim hîc spectanda sunt, nempe vt saluetur regula generalis de necessitate mortis in euentu, quoad omnes filios Adam, secundùm quod spectari debet, est explicatio literæ Apostoli secundùm proprietatem, & vt sonat, quia nullum aliud habemus fundamentum huius circunstantiæ de asserendo raptu viuorum, præter illa verba Pauli. Verba Pauli statuunt ordinem inter resurrectionem mortuorum, & raptum viuorum, ita vt illi primùm resurgant, *Mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi*, seu *primùm*, &c. Deinde, nihil loquens de morte viuorum, subdit: *Deinde, nos qui viuimus, qui residui sumus, simul rapiemur cum illis*, &c. vbi verba plano sensu supponunt viuos adhuc viuos rapi: *Qui viuimus, qui residui sumus*, &c. Et ita plures Patres intelligunt cum Augustino adhuc viuos rapi: ergo magis fundatur interpretatio Augustini, quàm illa, quam eligunt alij, nempe ante raptum morituros: hæc enim verba Pauli non comprehendunt, neque insinuant; sed magis contrarium, neque ex alio fundamento colligitur, nisi ex regula generali circa debitum mortis soluendum ante immutationem: quæ regula perinde saluatur etiam si moriantur in ipso raptu, prout dicit Augustinus; imò & magis quadrat rei in seipsa: quia resurrectio iustorum fiet in carne gloriosa cum dotibus, quando corruptile hoc induet incorruptibile. Si ergo fieret in terra, sequeretur quòd non raperentur, scilicet per Angelos tunc viui, de quibus tantùm asseritur, & non de aliis, qui resurgunt. Verbum *rapiemur, qui viuimus, qui residui sumus rapiemur*, &c. nempe ministerio agentis extrinseci. Si autem iusti tunc viui morerentur ante illum raptum, & resurgerent gloriosi, non esset necessarium ministerium Angelorum ad raptum, quia illi ipsi possent ex dote agilitatis, & imperio animæ ascendere aëra simul cum aliis: ergo cùm raptus ille designet passionem, & non actionem ex parte tunc viuorum, meliùs intelligitur eos rapi viuos, vt saluentur verba Pauli, & res substrata, congruè, & in ipso raptu mori, & resuscitari per immutationem gloriosam, quàm iam immutatos rapi, cùm hoc non esset necessarium. 65 *Soluitur.* *Regula generalis de morte est saluanda.*

Ex quibus patet ad rationem obiectam, nempe hanc expositionem magis congruere textui, & narrationi: nam ipse textus docet eos rapiendos, & supponit aliter non posse ascendere; quod designat adhuc eos esse in statu mortali. Raptus autem iste fiet ad separationem iustorum ab improbis, quorum locus est terra, & qui tum resurgent simul cum aliis: ex quibus patet ad obiecta.

Dubitatur an damnati omnes resurgent. Abulensis *in Math.*25. *quæst.*317. aliquos docet negasse resurrectionem iniquorum. *Non resurgent* 66 *An omnes damnati resurgent.*

impij in iudicio. Psalm. 1. *Tibi resurrectio ad vitam non erit.* 2. Machab. 7.

Responsio affirmatiua. Respondetur affirmatiuè. Est fidei ad Rom. 14. *Omnes enim stabimus ante tribunal Christi.* 2. ad Corinth. 5. *Omnes enim manifestari oportet ante tribunal Christi,* &c. Act. 14. *Et hi ipsi exspectant resurrectionem futuram iustorum, & iniquorum,* &c. Ioannis 5. *Omnes qui in monumentis sunt audient vocem filij Dei: & procedent qui bona egerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij,* &c. Eadem veritas patet *Apocal. 20. in symbolo Athanasij in cap. Firmiter de summa Trinitate & fide Catholica.* *Infantes resurgent.* Hæc veritas vniuersalis extenditur ad infantes etiam, qui moriuntur in vteris maternis, quia *sicut in Adamo omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur;* spectat enim ad prouidentiam vniuersalem, vt hi etiam sententiam recipiant Iudicis, & destinentur ad locum congruum, & debitum. Ad illud Psalmi respondetur, non resurrecturos vt sint in concilio iustorum: ita Augustinus, Hieronymus, Hilarius, Ambrosius; *Explicatur Psalm.* non resurgent vt ipsi erigant caput inter iustos. Non resurgent etiam ad vitã, quæ est antonomasticè resurrectio; non resurgent vt iudicent. Ad illud 2. Machab. 7. Respondetur intelligi resurrectionem ad vitam, eámque negari Antiocho, quam expectant iusti.

SCHOLIVM.

Sunt duo dicta in hac litera. Primum, resurrectionem futuram esse hora diurna, & matutina respectu terræ promissionis. Ita D. Thom. D. Bonau. Richard. Durand. Palud. hîc, & Anselm. in Elucidario, vbi dicit, quòd fiet ea hora, qua resurrexit Christus, qui est exemplar nostræ resurrectionis, ideóque ait quòd die Paschatis fiet: quod etiam ait Lactant. l. 7. cap. 19. quando Scriptura innuit, quòd noctu fiet, vult solùm, quòd clam, & hominibus nihil minùs cogitantibus, eueniet. Ita August. l. 83. quæst. 57. & Anselm. in 25. Matth. Secundum, locum resurrectionis esse vallem Iosaphat. Ita Sotus hîc q. 2. art. 5. fin. idque tenentur dicere omnes, qui tenent fieri hora matutina, quia si fieret vbicumque essent pulueres, nulla certa hora, vel parte diei naturalis fieret, nam hora matutina nostra, est vespertina aliquorum, & meridiana aliorum, &c.

11 *De tempore resurrectionis.* m DE secundo dubio videtur prima facie certum esse, quòd quodcunque instans est, omnem habitudinem habet ad partes diei naturalis. Quod enim in vna parte terræ est instans mediæ noctis in horizonte vno, in opposito horizonte est meridies, & sic de singulis instantibus possibilibus assignari in die naturali: ergo resurgent mortui in quacunque hora diei naturalis, sic ad partes comparando. Sed quia non sine causa quæritur de hora resurrectionis, intelligendum est quærentes quærere de hora in comparatione ad illam regionem, vbi erit iudicium resurgentium, siue resurrecturi transferentur, vt iudicentur: transferentur, inquam, vel post resurrectionem completam, vel ante per translationem pulucrum collectorum: *Vide Rich. dis. præs. art. 5. q. 3.* vtrunque enim est possibile Deo, vel vt resuscitentur in diuersis locis, fortè vbi sepeliebantur: vel vt pulueres de singulis locis colligantur ad locum vnum, vbi debent post resurrectionem omnes ad iudicium conuenire, & in illo loco fiat resurrectio omnium. Voco autem pulueres, corpora quæcunque, in quibus est vltimatè facta resolutio; puta si in tantam partem ignis, & in tantam partem aquæ, & in tantam partem terræ: & ista pars ignis sit immediatè iuxta globum lunarem super punctum quemcunque terræ, & alia pars sit directè in extremitate opposita diametraliter in sphæra ignis, & tertia pars sit in infimo, vel medio, vel supremo aquæ, & huiusmodi.

12 Hæc omnia, etsi huiusmodi sint mille millia, intelliguntur cùm dicuntur pulueres vel cineres. Cùm ènim dixit Christus, *à summis cælorum, & à quatuor ventis;* non intellexit ipse pulueres, quos vsitatè accipimus in sepulchris vsque ad tantam distantiam esse dispersos: sed intellexit generaliter in quæcunque tota, vel partes facta sit resolutio, illa colligentur, & ex illis collectis, id est, ex materia in eis, quæ fuit priùs materia corporis corrupti, reparabitur iterum idem corpus.

Iudiciũ fiet in valle Iosaphat. Ille autem locus iudicij generalis probabiliter æstimatur terra promissionis, siue vallis, vel pars Iosaphat determinata ibi: vel tanta pars quanta sufficiet pro reprobis: siquidem electi non erunt in terra, sed rapientur Christo obuiam in aëre, & per consequens respectu ipsius partis terræ intelligenda est hora. Sed quod tunc dicitur *Vide D. Bon. dist. præsenti. p. 2. art. 2.* esse media nocte, accipitur à Matth. 25. & ab Apostol. 1. Thess. 5. *Dies autem Domini, sicut fur, ita in nocte veniet;* quod non videtur intelligendum ad literam, quia etsi Dominus posset se manifestare singulis, tamen magis probabile est ad confusionem reproborum, qui videbuntur, & ab inuicem, & à bonis, vt sint in loco illuminato, & per consequens tunc in loco resurrectionis, & iudicij non erunt tenebræ mediæ noctis:

noctis: ea ergo hora fortè, qua Christus resurrexit, ea in comparatione ad illam regionem, resuscitabuntur mortui, vel ea hora, qua adiudicatus est à Pilato, vel ea, qua expirauit in cruce: siquidem de hoc certum non habemus ex Scriptura: & quodcunque illorum ponatur, exponendum est illud *media nocte* pro incertitudine. *Hoc tenet D. Thom. & Ric.*

COMMENTARIVS.

67 *De resurrectionis hora.* m DE *secundo dubio videtur*, &c. Resolutio huius dubij tangit tempus resurrectionis, & locum. Circa tempus verò resurrectionis fuit vetus error Chiliastarum, quem Cerinthiani, & Marcionistæ sunt secuti, & modò tenent Anabaptistæ, vt scribit Lindanus *de Hær. huius temporis*, Pamelius *in paradoxo* 24. Tertulliani. *Error vetus Millenariorum.*

Quid docuerit vel somniauerit. Hi dixerunt resurrectionem iustorum fore mille annis ante diem iudicij: & Christum in hunc mundum descensurum, & suscitatis iustis in vitam regnaturum cum ipsis in terra, in qua ducent vitam sensualem, & animalem in deliciis, quæ ad cutem & venerem curandam spectant: & renouandũ fore tunc regnum Iudæorum, & adimplendas promissiones factas Patribus, instauranda sacrificia, vt patet ex Eusebio *lib.*3. *Hist. cap.*22. *lib.*7. *cap.*20. Nicephor. *lib.*3. *cap.*14. Hunc errorem secutus est Apollinarius teste Epiphan. *hær.* 77. Irenæo *lib.*5. *cap.*31. qui dixit post persecutionem Antichristi futuram esse hanc iustorum resurrectionem; hic admiscet sensualibus etiam delicias spirituales. Multos Patres in hunc errorem adduxit Papias teste Eusebio *lib.*3. *Histor. cap.*30. Inter alios est Lactantius *lib.*7. *institutionum*, *cap.* 14. 24. *&* 26. qui plura refert de isto sæculo Saturni aureo, & planè fabulosa; quem secutus est Quintus Iulius Hilarion, vt constat ex eius opusculo, seu quod ipsi attribuitur, & extat in Bibliotheca Coloniensi Patrum *tom.*5. vbi hunc errorem in fine docet. Vterque hanc resurrectionem iustorum retulit in annum Christi 470. vel circiter. Eandem sententiam tenuit Iustinus Martyr *in dialogo contra Triphonem*, Tertullian. *lib.*3. *contra Marcionem.* Victorinus *in Apocalypsim.* Gennadius *de Ecclesiastic. dogmatibus*, plures pro ea refert *cap.*55. sicut & *in lib. de Ecclesiasticis Scriptoribus* eam tribuit Tichonio. Tenuit etiam Irenæus *lib.*5. *c.*32. *&* 33. *Papias seduxit plures Patres in hũc errorem.*

Aliqui docēt iustos priùs suscitandos quàm reprobos. Alia ab hac est sententia quorumdam Catholicorum, qui docent iustos in finali resurrectione priùs suscitandos, quàm reprobos. Ita Primasius, Theophylactus, & Oecumenius *in* 1. *ad Thessalon. cap.*4. Caiet. 1. *ad Corinth.* 15.

68 *Plures errores Chiliastarum, seu Millenariorum contra fidem.* Dico primò sententiam priorem inuoluere plures errores contra fidei principia. Primò, quòd post resurrectionem in regno millenario illo non admittant gloriam animæ, aut corporis. Secundò, quòd admisceant turpitudinem voluptatis, quæ longè abest à regno Christi, & iustorum. Deinde, quantùm ad moram illam intermediam diuturni temporis millenarij, repugnat Scripturę, quæ resurrectioñe omnium in nouissimum diem refert, vt patet expresse *Ioan.*6. vbi aliquoties reperitur resuscitatio in nouissimum diem: *Et ego resuscitabo eum in nouissimo die*, &c. & cap.11. *Scio quia resurget in nouissimo die*, &c. & hæc veritas patet ex omnibus locis, ex quibus hactenus probauimus resurrectionem. Iob.19. *Et in nouissimo die de terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum saluatorem meum, &c.* Iob vnus erat ex iustis, tamen supponit se non resurrecturum ante nouissimum diem, neque in carne visurum Deum Saluatorem suum ante illum diem. Patet *Daniel.*12. *Ioan.*5. & 1. *ad Corinth.*15. vbi Apostolus agit de nouissima, & de resurrectione tam iustorum, quàm iniquorum *in ictu oculi*, &c. quibus verbis destruitur mora saltem tam diuturna inter resurrectionem viuorum & mortuorum. Deinde, *loc. cit.* dicit Paulus mortuos resuscitatos qui sunt iusti, immutandos, quantùm ad gloriam corporis, non ita reliquos, & in resurrectione, quod mortale & corruptibile fuit, fieri incorruptibile, & spirituale, *caro & sanguis regnum Dei non possidebunt.* Math.22. *In resurrectione, neque nubent, neque nubentur.* ad Roman. 14. *Regnum Dei non est esca, & potus.* Deinde duos aduentus Christi de cælo agnoscit Ecclesia tantùm; vnum in Natiuitate; alterum ad iudicium, vt patet ex Symbolo fidei. Primus est, *Et incarnatus est de Spiritu Sancto*, &c. *Secundus: Inde venturus est iudicare viuos & mortuos*, &c. & Act. 1. *Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum ascendentem in cælum*, &c. vbi designatur secundus eius aduentus in maiestate ad iudicium. & Act.3. *Quem oportet cælum suscipere vsque ad tempus restitutionis omnium*, &c. Vnde Ecclesia canit: *Secundò vt cùm fulserit, mundúmque horror cinxerit.* *Duo aduētus Christi.* *Symbolum.*

Obiicies promissiones factas Abrahæ, & Patribus hæreditatis terrenæ, & affluentiæ, quæ nondum consummatæ sunt. 69 *Obiectio.*

Respondetur has promissiones sub allegoria datas intelligi debere spiritualiter, & compleri in bonis spiritualibus, non verò terrenis, præter aliquas, quæ literaliter etiam bona quidem terrena comprehendunt, vt concessionem terræ Chanaan, & destructionem primorum incolarum eius, vt Chananæorum, Amorrhæorum, &c. neque hæreditas, quæ promittitur Sanctis in corpore, intelligitur illa huius vitæ, sed gloria corporis, de qua Paulus 1. *ad Cor.*15. & vbicunque agitur de esu, & potu, & huiusmodi affluentiis, intelligitur sub metaphora sensibilium vita beata, quæ promittitur Sanctis in regno, vt Math.18. *Et recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum*, Luc.22. *Vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo.* Apocalypsis. *Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt*, &c. Psal.11. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* & psal.35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* *Promissiones Patrum spiritualiter intelligendæ.*

Obiicies secundò *Apocalypsis* 20. quod est potissimum fundamentum huius erroris, ibi dicitur, quòd Angelus descendens de cælo habens clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua ligauit Sathanam, Draconem antiquum, & misit eum in abyssum, & clausit, & signauit super illum, vt non seducat ampliùs gentes, donec consummentur mille anni, & post hæc oportet illum solui modico tempore. *Et vidi sedes, & sedentes super eas, & iudicium datum est illis, & animas decollatorum propter testimonium Iesu, & propter verbũ Dei, & qui non adorarunt bestiam, &c.* 70 *Obiectio.*

& vixerunt, & regnauerunt cum Christo mille annis. Cater. mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni. Hac est Resurrectio prima; in his secunda mors non habet potestatem: sed erunt sacerdotes Dei, & Christi, & regnabunt cum illo mille annis; & cùm consummati fuerint mille anni, soluetur Satanas de carcere suo, & exibit, & seducet gentes, qua sunt super quatuor angulos terra Gog, & Magog, & congregabit eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris, &c. Hunc locum quasi literalem obiiciunt Chiliastæ, & multi (teste Eusebio *lib.* 7. *cap.* 19.) propter hunc locum reiiciebant ex Canone librum Apocalypsis, dicentes confictum fuisse à Cerintho.

72 *Responsio.* Sed respondetur & hanc esse veram Scripturam, & locum hunc non intelligi de regno millenario temporali in carne, prout error contrarius fingebat: quia si series ipsius capitis spectetur in verbis vltimis describitur persecutio Antichristi secutura, & destructio regni eius, & posteà iudicium extremum secuturum. Et *vidi thronum magnum, & sedentem super eum*, &c. & *vidi mortuos, magnos, & pusillos stantes in conspectu throni*, &c. & *libri aperti sunt*, &c. & *dedit mare mortuos suos, qui in eo erant*, &c. Quibus verbis denotatur resurrectio mortuorum, tam iustorum quàm iniustorum. In hoc prælio Antichristi multi iusti occumbent, quia fiet contra Sanctos, vt patet *cap.* 11. Vnde colligitur omnes iustos non regnaturos cum Christo in terra ante Antichristum resuscitatos in carne, qui sic deberent esse immortales deinceps, quod non cohæret cum Scriptura, quia & in tempore Antichristi fore electos viuos in carne mortali constat, tum *ex cap.* 11. tum ex verbis Christi. *Matth.* 24. vbi loquens de tempore Antichristi, & consummatione sæculi: *Et nisi breuiati*, inquit, *fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro; sed propter electos breuiabuntur dies illi*, &c.

73 Præterea, patet etiam victuros plures reprobos in tempore & regno Antichristi, quos seducet Diabolus ex quatuor angulis terræ. Quod patet ex hoc loco, quod non quadrat illi errori. *Regnũ Christi spirituale.* Oportet ergo regnum Christi & electorum intelligi spirituale, vt Patres & expositores intelligunt. An autem sit gratiæ, & resurrectionis à peccato, an etiam gloriæ simul in animabus beatis. An præterea tranquillitas Ecclesiæ, & propagatio fidei, variant Doctores, & quodlibet horum, & omnia simul, comprehendi potest sub regno Christi, non verò affluentia terrena; regnum autem Diaboli potissimùm intelligitur idololatria, quæ destructa est conuersa Roma ad fidem Christi; vnde deinceps Satanas fuit ligatus, vt seducere non potuerit gentes ea libertate, & potentia, qua ante aduentum Christi seducebat; Angelus autem ligans Diabolum, & habens clauem abyssi rectè intelligi potest Christus, qui chirographum peccati destruxit, & redemit nos in sanguine suo.

Dico secundò omnium mortuorum resurrectionem fieri simul, eorum scilicet, qui ante tubam mortui sunt, nam de tum viuentibus diximus *suprà* quid fiet. Hæc est communior, & eam supponit Doctor hîc: & videtur colligi magis ex Scriptura, quæ nullum discrimen statuit inter mortuos resurgentes, aut ordinem, & vox ipsa tubæ perinde vocat omnes mortuos. Videantur loca superiùs citata. 74 *Resurrectio mortuorũ erit simul.*

Dico tertiò eodem instanti etiam tam iustos, quàm impios resurrecturos. Patet ex præcedenti. Dubium autem est quomodo sumi debeat hoc instans. Respondet Doctor debere sumi respectiuè ad plagam, in qua exercebitur ipsum iudicium: nam comparando resurrectionem ad diuersas plagas, & partes horizontis, sicut in vna parte, quando est media nox, in parte opposita est meridies, & sic variantur horæ diei naturalis iuxta diuersum Solis aspectum: oportet determinatam horam, in qua simul fiat resurrectio, sumere respectiuè ad certam causam; non aliam verò magis congruenter, quàm ad illam, in qua fiet ipsum iudicium. 75 *Iusti & impij simul resurgent. Hora resurrectionis sumitur respectiuè ad plagam, in qua fiet iudicium.*

Futuram autem resurrectionem media nocte tenent plures Patres, vt Lactantius *lib.* 7. *cap.* 19. Ambrosius *lib.* 8. *in Lucam in illa cap.* 17. *In illa nocte erunt duo*, &c. Hieronym. & apud eum Diodorus *epist.* 152. Idem docet in illa *Matth.* 25. *Media nocte clamor factus est*, &c. Chrysostom. *homil.* 79. *in Matth.* August. 83. *qq. quæst.* 57. Cassiodorus *in Psalm.* 118. In illa: *Media nocte surgebam.* Hanc probabilem asserit Magister *in hac dist.* Alij docent resurrectionem fore in aurora. Discrepantia oritur in eo, quòd resurrectio nostra videtur futura illa hora, qua Christus resurrexit. Aliqui Patres statuunt resurrectionem Christi statim post mediam noctem, aliqui in aurora; sed quoad horam resurrectionis incertum est iudicium. Hanc autem secundam sententiam tenent frequentiùs Scholastici, & Doctor *infrà*, §. *Ille autem locus*, vbi dicit verba illa apud Matth. *Media nocte*, &c. non esse intelligenda ad literam: cuius congruam rationem *ibidem* exponit. Dicit ergo ea hora, qua Christus resurrexit, vel qua iudicatus est à Pilato, vel qua expirauit in cruce, fore resurrectionem: tamen hoc totum esse sub incerto. 76 *Futurã media nocte aliqui tenẽt. Alij docent fore in aurora.*

De loco autem resurrectionis comprehendit duas sententias; quarum vna est, fore resurrectionem singulorum, vbi sepulti iacent, quæ est sententia Richardi *hîc art.* 5. *quæst.* 3. eámque vt probabiliorem sequitur Suarez. Altera sententia est pulueres in vnum locum iudicij primùm congregandos & resuscitandos ibidem, qui locus iuxta communem sententiam Scholasticorum *in hac dist.* & Doctoris, est vallis Iosaphat. Hæc sententia est etiam frequentior. Vtrumque Deo possibile est, incertum autem quid determinatè eueniet, an vno, scilicet, vel altero modo fiet resuscitatio corporum. 77 *Locus resurrectionis.*

SCHOLIVM.

Ad primum, innuit probabile esse aliquos, eos scilicet qui tempore resurrectionis viuent, non morituros: quod tenent Chrysost. hom. 41. *in* 1. *ad Corinth. & homil.* 7. *in* 1. *ad Thessal. Theodor. Oecum. & Theophyl. in* 1. *Corinth.* 15. *Tertull. l. de resurrect. carnis cap.* 41. *&* 42. *Ambros. in* 1. *Cor.* 15. *August.* 2. *de peccat. mer.* 23. *Epiphan. l.* 2. *hær.* 64. *Erasmus,*

Erasmus, Caiet. & Faber, in 1.Cor.15. Assor.tom.1.l.4.cap.32. quæst.2. ait esse probabilem. & D.Thom.1.2.q.81. art.3. tantùm ait oppositum esse probabilius. Si hos vidissent Sot.hîc q.2.a.4.& Catherin.in 1.Cor.15.non auderent ita grauiter hanc partẽ censurare. Ad tertium,resoluit de desitione & inceptione permanentis:de quo vide eum 2.d.2.q.1.& clariùs q.4.vbi vult permanentia mensurari æuo,eorum tamen desitioni coëxistit instans temporis,& iuxta hoc,quando est verũ,non sunt pulueres,verũ erit,est corpus reparatum.

n AD argumenta. Ad primum de Apostolo, concedo quòd non erit idem instans resurrectionis omnium, quia in instanti resurrectionis priùs mortuorum, adhuc aliqui viuent, & viuent vita mortali: & probabile est quòd soluent mortem sicut Christus,& Mater eius, & resurgent: ergo posteriùs quàm alij, qui iam sunt resuscitati. 13 *Non simul omnes resurgent.*

o Ad aliud, quod dicit Augustinus de velocitate, potest referri ad collectionem puluerum, non ad alia duo sequentia: & concessum est, quòd illa collectio fiet in tempore: sed alia duo in instanti & in eodem instanti. *Ad 2.*

Tertium, & quartum tangunt difficultatem magnam apud philosophantes de vltimo instanti *esse* rei permanentis: sed si dicatur, sicut dictum est *lib.2.dist.2.quæst.1.* quodcunque manens in *esse* suo, mensuratur æuo, nulla est difficultas, quia æuum idem mensurat corpus præcedens, & dum manet deficiente illo corpore, desinit æuum eius: & tunc est dare vltimum in *esse* illius permanentis; verum est, & idem est illud vltimum, & primum, & idem mensurat totum *esse*, sustinendo indiuisibilitatem æui. Cùm ergo arguitur de *esse* finito quod habebit duos terminos, negandum est, quia non est continuum, sed indiuisibile. *Ad 3. & 4. melius. q.4.*

Et si dicas, saltem immediatè ante *esse* illius resuscitandi, est *esse* illius corrumpendi; quæro in quo, vel cum quo ipsius temporis? Non cum tempore, quia tunc illud tempus non esset finitum propriis terminis: ergo cum instanti temporis: ergo non succedet immediatè instans temporis. Respondeo, esse immediatè præcedens resurrectionem ipsam, est esse in instanti æui, quod quidem æuum potest coëxistere tempori, sicut & *nunc*.

Et cùm quæris de coëxistente sibi in tempore, vt immediatè præcedit resurrectionem. Dico quòd coëxistens sibi est tempus, & non instans: & ita illi, qui loquuntur de permanentibus, vt si haberent *esse* in tempore, deberent dicere, quòd nunquam vltimò habent *esse*, sed habent *esse* in toto tempore, & in vltimo illius habent *non esse*, quia generandum habet *esse*: tamen tempus illud finitum habet proprios terminos, quia instans mensurans *esse* generandi, est terminus temporis mensurantis *esse* ipsius corrumpendi. 14 *De inceptione & desitione permanentium.*

Et si dicas, illud *esse* est quoddam finitum: ergo illud *esse* habebit proprios terminos; non sequitur, proprios, in quibus ipsum saluetur: nec correspondet sibi habere proprios terminos, nisi ratione temporis mensurantis, & illius proprij termini sunt duo instantia, siue mensurent illud *esse*, siue aliud.

Per hoc ad aliud, cùm dicitur quòd permanens non habet *esse* in tempore, id est, cum tempore, nisi quia in instanti; hæc falsa est, tenendo primam viam de *mensurari æuo*. Tenendo autem aliam, oportet dicere, quòd cum toto tempore est, vt illud est immediatum ad instans, sicut continuum ad suum terminum: & hanc immediationem non habet, vt est in alio instanti: & tunc oportet negare istam: *permanens non habet* esse *in tempore, nisi quia in instanti.* Verum quidem est, quòd potest esse in instanti; sed tamen potest habere *esse* in tempore, videlicet *esse* duratiuum: & secundùm istud *esse*, & non illud instantaneum est immediatum ad *esse* instantaneum sequens. Sed prima responsio videretur facilior, & rationabilior, quia permanens, & si maneat cum tempore, videtur habere *esse* in se æquè indiuisibile. *De quo 2. d.2.q.1.& q.4.*

COMMENTARIVS.

78 *Ad primum principale.* n AD *argumenta. Ad primum*, &c. Respondet ad primum iuxta ea, quæ *suprà responsione ad primum dubium propositum* resoluit cum Augustino; vbi difficultatem hanc tractauimus, nempe dari ordinem aliquem in ipsa resurrectione inter tum viuos, & qui anteà mortui sunt.

o *Ad secundum.* Hoc argumentum petit illam difficultatem, an resurrectio fiet in tempore, vel in instanti. Dupliciter autem capitur resurrectio. Primum, vt comprehendit dispositionem antecedentem, vt collectionem cinerum. Secundò verò, vt comprehendit efformationem corporis,& animationem. Collectionem cinerum fieri per *Ad secundũ. Collectio cinerum fiet in tempore. Formatio corporis, & animatio in instanti.*

per motum, & in tempore determinatur *artic.* 1. *huius quæstionis:* reliqua verò duo fieri actione solùm diuina, & in instanti, declaratur *artic.* 2. & 3. Ex quibus patet ad argumentum: nam sicut organizatio fiet in instanti, ita etiam eodem instanti desinet forma, quæ fuit in materia, sit pulueris, sit alia. Animatio etiam eodem instanti generationis corporis fit: vnde sequitur neque hîc interuenire motum propriè dictum, neque instans succedere instanti, sed vno, eodémque instanti indiuisibili corrumpi formam præexistentem; induci formam corporis, quæcunque illa sit, & animari ipsum corpus: collectio tamen cinerum fit in tempore antecedenti per motum.

79 *Tertium.* Cæterùm hæc difficultas vrgetur ampliùs *in argumento* 3. & *q. principali.* Tertium autem est: compositum, quod fuit per formam quæ præcedit, aut præcedet organizationem, habebit *esse* finitum, id est, terminatum duobus terminis secundùm durationem, nempe essendi, quo incepit, & continuatur, & consequenter dari potest vltimum instans sui *esse*, iuxta regulas inceptionis, & desitionis entis permanentis; ergo si resurrectio erit immediatè post *esse* illius, & in instanti erit instans immediatum instanti contra Philosophum: quia ens permanens, quale est compositum, quod corrumpitur, desinit in instanti intrinseco, sicut & incipit etiam in instanti intrinseco sui *esse:* Resurrectio verò, quæ est productio permanentis, similiter incipit in instanti intrinseco, & immediatè sequenti, quia corruptio vnius est productio alterius, cùm materia non sit forma: ergo, &c.

Quartum. Quartum est tale: corpus permanens non habet *esse* in tempore, nisi quia habet *esse* in instanti: ergo si corruptio corporis præcedentis est in instanti, & sequatur immediatè *esse* corporis resuscitandi, sequitur hoc produci in tempore, & non in instanti, quia quod immediatè sequitur ad instans, est tempus.

80 *Solutio. Instans corruptionis est intrinsecum productionis.* Ad hæc solutio data sufficienter respondet: quia instans corruptionis corporis prioris, vt cinerum, est idem instans organizationis, & animationis: instans autem idem, vt comparatur ad *esse* corrupti, est extrinsecum eius, & intrinsecum vt comparatur ad *esse* geniti succedentis; neque in hoc est alia difficultas, quàm illa, quæ est in inceptione, & desitione formarum substantialium, & incompossibilium in eadem materia; nam instans generationem intrinsecè mensurat, & corruptionem extrinsecè, ne admittatur simùl duratione vtrámque formam incompossibilem esse materiæ. Sicut ergo illud instans se habet ad *esse* formarum, ita etiam ad *esse* compositorum per illas, & succedentium sibi per productionem vnius, & corruptionem alterius: nam sicut corruptio tendit ad *non esse*, sic etiam instans corruptionis nequit comparari ad *esse* rei corruptæ, tanquam mensura intrinseca; & vice versa sicut generatio tendit ad *esse*, éstque simul duratione cum termino, debet instans hoc computari tanquam mensura intrinseca essendi geniti. Hinc ergo in eodem instanti non est vlla successio, aut diuisibilitas, quæ spectant ad continuum, & diuisibile; instans autem indiuisibile est, & in eo concomitanter se habent *esse* geniti, & *non esse* corrupti, sicut & ipsa generatio & corruptio, quæ sunt simul cum termino *ad quem*, & succedunt *esse* corrupti, aut existentiæ eius prout præcessit in duratione antecedenti.

Argumenta autem præmissa supponunt instans generationis pertinere ad durationem intrinsecam corporis corrupti, quod non est verum: terminus enim *à quo*, & *ad quem* non spectant ad eandem durationem intrinsecam; ita *esse* corrupti, qui est terminus *à quo* corruptionis, non spectat ad durationem intrinsecam corruptionis, & non essendi, quod inducit. Hæc doctrina fiet clarior ex iis, quæ subiungit Doctor in responsione ad illa eadem argumenta.

Respondet ergo Doctor ex dictis *in* 2. *dist.* 2. *quæst.* 1. vbi fusiùs de hac materia tractat, licèt problematicè iuxta extremas sententias, quas *ibidem* optimè differit, licèt magis inclinet in eam, quæ dicit omne permanens mensurari æuo indiuisibili: nam ratio successionis in duratione, vel in *esse* rei est successio in ipso *esse*: quatenus esset aliud & aliud *esse* rei, vt contingit in successiuis, quæ existunt secundùm partes succedentes sibi inuicem, & desinentes, vt motus & tempus; vel certè quatenus ipsum permanens secundùm se totum & simul succederet sibi in posteriori duratione, ita vt licèt sit totum simul in *esse*, tamen pro diuersis partibus durationis reciperet semper *esse* nouum, & totum simul, & sic secundùm vnum *esse* succederet sibi vt præcessit secundùm aliud *esse*. Alio modo sustinetur diuisibilitas, & successio in duratione permanentis, quatenus idem *esse* semper manet inuariatum; sed requirit tamen nouam & nouam actionem, per quam continuaretur in *esse*, sicut conseruatio in hac via distinguitur à prima productione, & continuatio, seu conseruatio in alia mensura à continuatione, & conseruatione in priori, & differenti mensura. Licèt hanc sententiam iudicet Doctor probabilem in præterito loco, tamen magis inclinatur in eam, quæ negat omnem successionem, & variationem tam in *esse*, quàm etiam in actione, ponendo vtrumque indiuisibile; & sicut idem est *esse*, ita eadem etiam actione, qua producitur, conseruari: quia nouitas in actione infert nouitatem in effectu, sicut ipsa actio nequit concipi nisi ad effectum. 81 *Duplex sententia de duratione permanentis.* *Eligitur sententia, quæ negat successionem in duratione permanentis.*

Hoc ergo dato, quòd æuum sit indiuisibile vtroque modo, & quodlibet permanens mensuretur æuo. Respondet ad argumenta. Primò ad tertium, quòd idem æuum mensuret corpus in *esse*, & *conseruari*; seu in *produci*, & permanentia, seu duratione sui *esse*, quod æuum desinit desinente ipso corpore, & sic idem est æuum, per quod inceptio, & vltimum *esse* corporis mensuratur, sine vlla sui variatione; & per hoc quòd succedat *non esse* corporis, habet duratio eius terminum extrinsecum diuersum, licèt intrinsecum, quod mensurat eius *esse*, sit omnino idem: cùm ergo arguitur quòd *esse* ipsius finitum, & terminatum duobus terminis, supple intrinsecis, negatur: quia habere sic terminos suæ extensionis conuenit quantitati continuæ, & non indiuisibili, quale est æuum modo citato. 82 *Responsio ad tertium.*

Dices, saltem ante *esse* illius resuscitandi est immediatè *esse* illius corrumpendi: quæro cum quo, vel in quo ipsius temporis? Non cum tempore, quia sic illud tempus non esset finitum, seu terminatum suis terminis inceptionis, & desitionis: ergo esset cum instanti, & non cum tempore. 83 *Obiectio.*

Respondet

Solutio. Respondet Doctor *esse* corrumpendi præcedens resurrectionem, esse in instanti æui, quod æuum potest coëxistere tempori, sicut ipsum *nunc*, seu instans totum & indiuisibiliter coëxistit tempori: illa ergo mensura, seu duratio coëxistens sibi ante resurrectionem seu resuscitationem, est ipsum tempus, & non instans.

Responsio iuxta aliam sententiam. Subiungit præterea Doctor, quid dicendum sit iuxta illam sententiam, quæ statuit permanens existere in tempore, vel de eo ita loquitur quasi in tempore existeret, sicut commodiùs tradunt Philosophi regulas inceptionis, & desitionis rerum respectiuè ad tempus, & terminos eius vt instans; *deberent*, inquit, *dicere, quòd nunquam vltimò habent esse*, id est, quòd nunquam habeant vltimum *esse*, id est, vltimum instans sui *esse*: sed quòd vltimum *esse* ipsorum est in tempore, cui succedit *non esse* in instanti terminatiuo illius temporis: quod instans est illud corruptionis *esse*, & generationis alterius succedentis; *sed habent esse in toto tempore antecedente.* Quòd instans terminatiuum, in quo habent *non esse* per corruptionem, probat, quia illud instans est, in quo genitum recipit primum sui *esse*, seu est intrinsecum *esse* geniti, quod incompatibile est cum *esse* corrupti. Hæc est doctrina quam *suprà* præmisimus *in prima responsione* iuxta vulgarem modum explicandi desitionem permanentium, & inceptionem.

84 Cæterùm, inquit, tempus illud antecedens, in quo existit corpus quod corrumpitur, habere suos terminos: *quia instans illud vltimum mensurans esse generandi*, & in quo verum est dicere: nunc est generãdum, & ante hoc immediatè non fuit terminus illius temporis antecedentis, licèt non sit verùm in ipso esse corpus corruptum, & sit illius durationi in *esse* extrinsecum, corruptionis verò intrinsecum, sicut & tempori, vt abstrahit à genito, & corrupto.

Et si dicas illud *esse* corrupti est finitũ, ergo debet habere duos terminos inceptionis & desitionis. *Obiectio.*

Respondet Doctor negando consequentiam, *Responsio.* si intelligatur debere habere illos terminos tanquam intrinsecos suæ durationi in *esse*, & in quibus saluari possit ipsum *esse*: quia licèt primum instans inceptionis sit ipsi intrinsecum, in quo generatur: tamen vltimum instans, in quo corrumpitur, non est suo *esse* intrinsecum, sed extrinsecum existentiæ, & intrinsecum non existentiæ: neque *esse* eius competit habere terminos, nisi ratione temporis, cuius illa sunt instantia tanquam termini, siue sint intrinseca duratio corporis, siue alterius succedentis. *Instans corruptionis non est intrinsecũ durationis, sed extrinsecum.*

Per hæc respondet ad quartum argumentum 85 iuxta vtrumque modum præmissum: nam tenendo quòd permanens existit in æuo, tanquam mensura, habet coëxistere tempori per hoc quòd sit in æuo, quod potest coëxistere tempori: negatur per hoc assumptum, quia existit in instanti: hoc enim habet quia existit in æuo, & æuum in instanti.

Respondet secundò, tenendo aliam viam, dicitque quòd permanens est in toto tempore, vt *Responsio secunda.* illud est immediatum ad instans, sicut continuum ad suum terminum. Et sic negatur etiam idem assumptum, quia licèt sit, aut esse possit in instanti permanens: tamen potest etiam esse in tempore; neque ideò est in tempore, quia est in instanti; licèt ergo non possit incipere in tempore, potest habere *esse* duratiuum in tempore. Priorem responsionem præfert Doctor, vt faciliorem, & magis rationabilem. Hæc ex occasione præsenti de hac difficultate sufficiant, quæ tractatur 7. & 8. *Phys.* Videatur Doctor *loc. sup. cit.* *Permanens habere esse tam in tempore, quàm in instanti.*



DISTINCTIO



DISTINCTIO XLIV.

An in eadem ſtatura, & ætate omnes reſurrecturi ſunt?

A



OLENT autem nonnulli percunctari, & quærere, an in eadem ætate & ſtatura corporis omnes reſurrecturi ſint? Quidam putauerunt omnes reſurrecturos ſecundùm menſuram ætatis & ſtaturæ Chriſti: ideò, quia Apoſtolus ait, Donec occurramus omnes in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Sed his verbis non eadem reſurgentibus aſſignatur ſtatura, ſed ætas. [Omnes enim in eadem ætate reſurgent, in qua Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit, cuiuſcumque ætatis mortui fuerint.] *Virum* autem poſuit, non vt diſtingueret ſexum, ſed vt ſignificaret perfectionem virium, quam tunc habebunt: ſed non omnes eandem ſtaturam corporis obtinebunt. Vnde Auguſtinus: [Non ait in menſuram corporis vel ſtaturæ, ſed ætatis: quia vnuſquiſque ſuam recipiet menſuram corporis, quam vel habuit in iuuentute, etiam ſi ſenex obiit, vel fuerat habiturus, ſi antè eſt defunctus. Ætas verò erit illa, ad quam peruenit Chriſtus, ſcilicet iuuenilis, vt circa 30. annos. Triginta enim duorum annorum & trium menſium erat ætas Chriſti, in qua mortuus eſt, & reſurrexit. Non eſt autem fas dicere quòd in Reſurrectione accedat corpori magnitudo, quam nec habuit hîc, nec erat habiturum diu viuendo: nec maiora corpora redigenda ſunt ad modum Dominici corporis. Periret enim multum de illis corporibus, cùm nec periturus ſit capillus, vt ait Dominus, *Capillus de capite veſtro non peribit.*]

Epheſ. 4. 6. Haymo in gloſſ. ſuper illud Eph. 4. Donec omnes occur. Lib. de Ciuit. Dei 22. cap. 15. Luc. 12. b.

Quòd reſurget quicquid fuit de ſubſtantia, & natura corporis, & in eadem parte corporis.

B [NON enim perit Deo terrena materies, de qua mortaliũ creatur caro: ſed in quemlibet puluerem, cinerémve ſoluatur, in quoſlibet halitus, auráſque diffugiat, & in quamcunque aliorum corporum ſubſtantiam, vel in ipſa elementa vertatur, in quorumcunque etiam animalium, vel hominum cibum, carnémque mutetur, illi animæ in puncto temporis redibit, quæ illam carnem primitùs, vt homo fieret, creſceret, viueret, animauit. Ipſa ergo terrena materies, quæ diſcedente anima fit cadauer, non ita reſurrectione reparabitur, vt ea quæ dilabuntur, & in alias, atque alias aliarum rerum ſpecies formáſque vertuntur: quamuis ad corpus redeant, vnde dilapſa ſunt: ad eaſdem quoque corporis partes, vbi fuerunt, redire neceſſe ſit. Alioquin ſi capillus capitis redit, quem tam crebra tonſura detraxit: ſi vnguibus, quos toties dempſit exectio immoderata & indecens, cogitantibus, & ideò reſurrectionem carnis, non credentibus occurrit informitas. Sed quemadmodum ſi ſtatua cuiuſlibet ſolubilis metalli igne liqueſceret, vel contereretur in puluerem, vel confunderetur in maſſam: & eam vellet artifex rurſum ex illius materia, & quantitate reparare, nihil intereſſet ad eius integritatem, quæ particula materiæ, cui membro ſtatuæ redderetur, dum

Auguſt. in Ench. c. 88. Hug. lib. 2. de ſacr. p. 7. cap. 13. Aug. ibid. cap. 89. Congrua ſimilitudo per exemplũ ſtatuæ.

dum tamen totum ex quo constituta fuerat, restituta resumeret. Ita Deus mirabiliter atque ineffabiliter artifex, de toto, quo caro nostra extiterat, eam mirabili celeritate restituet: nec aliquid attinebit ad eius redintegrationem, vtrùm capilli ad capillos redeant, & vngues ad vngues: an quicquid eorum perierat, mutetur in carnem, & in partes alias corporis reuocetur: cur antè artificis prouidentia, ne quid indecens fiat. Indecorum quippe aliquid ibi non erit: sed quicquid ibi futurum est, hoc decebit, quia nec futurum est, si non decebit.] *Ibid. Aug. cap.90.*

Quòd Sancti sine omni deformitate resurgent.

HOc autem in corporibus Sanctorum intelligendum est, de quibus consequenter adiungit. [Resurgent ergo Sanctorum corpora sine vllo vitio, sine vlla deformitate, sicut sine vlla corruptione, onere, difficultate: in quibus tanta facilitas, quanta felicitas erit: propter quod & spiritualia dicta sunt, cùm proculdubio corpora sint futura, non spiritus.] Ex his apparet quòd vna erit ætas omnium resurgentium, scilicet iuuenilis: statura verò diuersa, scilicet quam quisque habuerat in iuuenili ætate, vel erat habiturus, si antè esset defunctus. Nec de substantia, de qua hominis caro creatur, aliquid peribit: sed omnium particularum antè dispersarum collectione, reintegrabitur naturalis substantia corporis. Sanctorum quoque corpora sine omni vitio fulgida sicut Sol resurgent, præcisis cunctis deformitatibus, quas hîc habuerunt. C *August. in eod.cap.91. 1.Cor.15. Matt.13.f.*

Si mali tunc habeant quas hîc habuerunt deformitates.

DE reprobis autem quæri solet, an cum deformitatibus hîc habitis resurgant? Hoc autem Augustinus non asserit, sed dubium reliquit, ita inquiens. [Quicumque ab illa perditionis massa, quæ per Adam facta est, non liberantur per Christum, resurgent quidem etiam ipsi, vnusquisque cum sua carne: sed vt cum diabolo, eiúsque Angelis puniantur. Vtrùm verò ipsi cum vitiis & deformitatibus suorum corporum resurgant, quæcumque in eis gestarunt inquirendo laborare quid opus est? Non enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo, vel pulchritudo, quorum erit certa & sempiterna damnatio.] Ecce non definit, an tunc habeant deformitates, quas hîc habuerunt, reproborum corpora. D *In Ench. cap.91. Matt.25.*

Quòd non consumuntur corpora, quæ tunc ardebunt.

SI verò quæritur de corporibus malorum, quomodo in igne ardeant, & non consumantur? Augustinus variis exemplis astruit, & sempiternis ignibus ea ardere, & non consumi illa combustione: sicut animus, cuius præsentia corpus viuit, & dolorem pati potest, mori autem non potest. [Hoc enim erit tunc in corporibus damnatorum, quod nunc esse scimus in animis omnium.] E *De Ciuit. Dei, lib.21. c.1.2.& 3.*

Si Dæmones corporali igne cremantur?

QVÆRI etiam solet, an Dæmones corporali igne ardeant? Ad quod Augustinus respondens ait, [Cur non dicamus (quamuis miris, veris tamen F *De Ciuit. Dei lib.21. cap.10.*

tamen modis) etiam ſpiritus incorporeos poſſe pœna corporalis ignis affligi, ſi ſpiritus hominum etiam incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris: & tunc poterunt corporum ſuorum vinculis inſo-
Apoc.19. lubiliter alligari? Gehenna illa, quæ ſtagnum ignis & ſulphuris dicta eſt, corporeus ignis erit: & cruciabit damnatorum corpora, vel hominum, vel
Mat.25.d. dæmonum: ſed ſolida hominum, aërea dæmonum. Vnus enim vtriſque
De Ciuit. Dei.lib.20. cap.16. ignis erit, vt Veritas ait.] De quo igne, ſi quæritur, qualis, vel vbi ſit, Auguſtinus ſic reſpondet: Ignis æternus cuiuſmodi ſit, & in qua mundi, vel rerum parte futurus ſit, hominem ſcire arbitror neminem, niſi fortè cui Spiritus diuinus oſtendit.]

Si animæ ſine corporibus ſentiunt ignem corporalem?

G CVM autem conſtet animas igne materiali in corporibus cruciandas, quæri ſolet, an interim ante reſurrectionem corporum animæ de-
Dialog. 4. cap.29. functorum reproborum materiali igne crementur? De hoc Iulianus Toletanæ Eccleſiæ Epiſcopus, Gregorij dicta ſecutus, ita ſcripſit, [Si viuentis hominis incorporeus ſpiritus tenetur in corpore: cur non poſt mortem
Ibid. paulò poſt. etiam corporeo igne teneatur? Teneri autem per ignem ſpiritum dicimus, vt in tormento ignis videndo atque ſentiendo puniatur. Quòd autem non ſolùm videndo, ſed etiam experiendo anima ignis tormentum patiatur ex Euangelio colligitur, vbi veritatis voce diues mortuus dicitur in inferno ſepultus: cuius anima, quòd in igne teneatur, inſinuat, cùm Abraham de-
Luc.16.f. precatur, dicens, Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam,
Ibid. Iulia. lib. 2. prognoſt. de Futuro ſeculo, c.16.& 17. vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Dum ergo peccatorem diuitem damnatum in ignibus veritas perhibet, quis ſapiens reproborum animas teneri ignibus neget?] Præcipuè, cùm humanam animam
Sup. Gen. lib.12.c.33. corporis ſimilitudinem habere doceat Auguſtinus, ita inquiens, [Profiteri animam habere poſſe ſimilitudinē corporis, & corporalium omnino membrorum quiſquis renuit, poteſt negare animam eſſe quæ in ſomnis videt, vel ambulare ſe, vel ſedere, vel huc atque illuc greſſu, vel etiam volatu ferri, hoc ſine quadam ſimilitudine corporis non fit. Proinde ſi hanc ſimilitudinem etiam apud inferos gerit, non corporalem: ſed corpori ſimilem: ita etiam in locis videtur eſſe non corporalibus, ſed corporalium ſimilibus, ſiue in
Iulian. hæc recitat, ibi. c.15.& sūt Caſſ. lib. de 10.coll. Patrum, coll.1. videlicet Abbatis Moyſi, c.14. requie, ſiue in doloribus.] In Caſſiani etiam voluminibus legitur, [quòd non ſint otioſæ, neque nihil ſentiant, cùm diues ille in inferno ſe flamma cruciari clamet.] Vnde probatur animas defunctorum non ſolùm ſuis ſenſibus non priuari, ſed nec iſtis affectibus, ſcilicet, ſpe, triſtitia, gaudio, ac metu carere: & ex his, quæ ſibi in illo generali examine reſeruantur, eas quædam iam incipere prægustare.

De abortiuis fœtibus, & monſtroſis.

H ILLVD etiam inueſtigare oportet, ſi abortiui fœtus & monſtra reſurgent,
In Ench. c.85. Attende. & qualia? De quo Auguſtinus ita ait, [Occurrit de abortiuis fœtibus quæſtio, qui iam nati ſunt in vteris matrum, ſed non ita vt iam poſſint renaſci. Si enim reſurrecturos eos dixerimus, de his qui iam formati ſunt, tolerari poteſt vtcumque quod dicitur, informes verò quis non procliuiùs
Ibid.c.86. perire arbitretur, ſicut ſemina, quæ concepta non fuerunt. Scrupuloſè quidem

dem inter Doctores quæri ac disputari potest, quando incipit homo in vtero viuere, an sit quædam vita occulta, quæ nondum motibus viuentis appareat? Negare enim vixisse puerperia, quæ ideò membratim exsecantur, vt eiiciantur ex vteris prægnantium, ne matres etiam, si mortua ibi relinquantur, occidant: impudentia nimia videtur. Ex quo autem incipit homo viuere, ex illo vtique iam mori potest; mortuus verò vbicumque illi potuit mors euenire, quomodo ad resurrectionem non pertineat, reperire nequeo. Neque enim & monstra quæ nascuntur & viuunt, quantumlibet citò moriantur, aut resurrectura negabuntur, aut ita resurrectura credenda sunt: sed potiùs correcta eorum emendatáque natura. Absit enim vt illum bimembrem: quem nuper natum in oriente fratres fidelissimi, qui eum viderunt, retulerunt, & S. Hieronym. scriptum reliquit, vt vnum hominem duplicem, ac non potiùs duos: quod futurum erat, si gemini nascerentur, resurrecturos existimemus. Ita & cætera, quæ nimia deformitate monstra dicuntur, ad humanæ naturæ figuram resurrectione reuocabuntur.] *De mōstris. ibid. c. 87. De bimembri.*



Qvæstio I.

Vtrùm in quolibet homine resurget totum, quod fuit de veritate humanæ naturæ in eo?

D.Thom. *in addit. quæst.* 80 *art.* 2. *& hîc quæst.* 1. *art.* 2. D.Bonau. *art.* 1. *quæst.* 1. *&* 2. Richard. 1. *quæst.* 4. *& per totum.* Durand. *quæst.* 3. Suarez 3. *p. tom.* 2. *disp.* 53. *sect.* 1. 2. *&* 3. Vide Scot. 9. *Metaph. quæst.* 14. *&* 1. *Phys. quæst.* 10. *&* 5. *Phys. quæst.* 3. vbi Aretin.



Circa istam [a] distinctionem quadragesimam quartam, quæro primò: Vtrùm in quolibet homine resurget totum, quod fuit de veritate humanæ naturæ in eo? Quòd non, Genes. secundo, *Tulit Deus vnam de costis Adæ, & ædificauit eam in mulierem:* ergo vel Eua non resurget, quia non illud, quod fuit in ea de veritate humanæ naturæ ex costa: vel Adam non resurget cum toto eo, quod fuit in ipso de veritate naturæ, quia non cum costa. 1 *Mag. A. B. C. D. Arg. 1.*

Prætereà, idem non resurget in diuersis: sed quod fuit de veritate carnis in vno, potest esse nutrimentum alteri, & per consequens conuerti in veritatem naturæ alterius, & ita successiuè esse de veritate naturæ in duobus: ergo in altero non resurget quidquid in ipso fuit de veritate naturæ humanæ. *Arg. 2.*

Præterea, ex eadem maiore sumendo sub ipsa istam minorem; illud, quod fuit semen in vno, per multas transmutationes potest fieri semen in alio, & per consequens in genito ab illo & genito ab isto idem erit de veritate naturæ in vtrisque. *Arg. 3.*

Præterea, non oportet, quòd in quolibet resurgat quicquid fuit de veritate naturæ humanæ in eo, nisi vt redeat simpliciter idem numero quod cecidit, sed pari ratione oporteret idem dicere de singulis membris, vel partibus organicis, & tunc in qualibet parte oporteret resurgere illud, quod fuit de veritate cuiuslibet partis, quod est contra Aug. in Ench. & ponitur in litera, *non ita reparabitur, vt ad easdem corporis partes, vbi fuerint, redire necesse sit: alioquin si capillus redit, quem tam crebra tonsura detraxit,* &c. Et subdit, *Quemadmodum si statua metalli liquesceret, & eam vellet artifex rursum ex materia reparare, nihil interesset ad eius integritatem, quæ particula materiæ, cui membro statuæ redderetur, dum tamen tota restituta resurgeret. Ita Deus mirabiliter de toto, quo caro nostra extiterat, eam mirabili celeritate restituet: nec aliquid attinebit ad eius integrationem, vtrùm capilli ad capillos redeant aut in partes alias reuocentur, curante artificis prouidentia, ne quid indecens fiat.* 2 *Arg. 4.* *Cap. 88.*

Oppositum vult Aug. ibidem in Ench. *quòd caro restaurabitur de toto, quo caro nostra extiterat.* Idem etiam dicit. 22. de Ciuit. Dei. cap. 15. & Luc. 21. *Capillus de capite vestro non peribit.* *Ratio ad opp.*

COMMENTARIVS.

IN hac distinctione duo declarat. Primum est de veritate corporis resuscitati, & eius partibus, in quibus subsistit. Secundum verò de cruciatu ignis infernalis, eiúsque operatione.

a *Circa istam distinctionem quadragesimamquartam*, &c. Hæc quæstio duos articulos continet: primus resoluit quid sit necessarium ad identitatem corporis organici, & eiusdem indiuidui. Secundus articulus resoluit quomodo idem corpus numero resurgat, & ex quibus resurgat. 1 *Ordo & diuisio quæstionis.*

S C H O L I V M.

Sententia Magistri id tantùm quòd accipitur à parentibus esse de veritate naturæ humanæ, & nihil alimenti conuerti in illud, sed in se multiplicari, sicut panes in Euangelio, refutatur efficaciter quatuor rationibus.

3 b CIrca istam quæstionem, ex quo homo componitur ex corpore & anima, & anima semper manet eadem, oportet videre de corpore organico, quomodo redit idem: quia verò corpus illud componitur ex multis partibus organicis, & heterogeneis, quæ distinctio partium requiritur propter multitudinem operationum, quarum anima est principium propter sui perfectionem; oportet videre de identitate partium heterogenearum. Et quia partes illæ heterogeneæ componuntur ex partibus homogeneis, oportet videre identitatem in homogeneis. Primò ergo qualiter pars homogenea, puta caro in continua nutritione maneat eadem, & non eadem: secundò, quomodo redeat eadem, quæ fuit primò in corpore mortali.

Magist. in 2. dist. 30. c. Quibus res, &c.

c De modo nutritionis est vna opinio, quæ dicit quòd nihil de nutrimento transit in veritatem humanæ naturæ: sed tantùm illud est de veritate humanæ naturæ, quod contrahitur à parentibus. Illud autem in se multiplicatur, vt fiat augmentatio. Exemplum de multiplicatione panum Euangelicorum: quod autem generatur ex nutrimento, quasi fomentum adhæret calori naturali, ne extinguatur, sicut oleum adhæret lychno: & ita requiritur nutrimentum, quamuis non conuertatur in veritatem humanæ naturæ.

Vegetatiua hominis cōuertit alimentum in suam substantiam.

Contra hoc primò, quia non minùs perfecta est vegetatiua in homine, quàm in bruto: ergo non minùs potest in hanc operationem vegetatiuæ, quæ est nutrire, eo modo, quo nutrire est conuertere substantiam alimenti in substantiam alendi, quia sic est in bruto: ergo per vegetatiuam in homine potest fieri talis conuersio. Et confirmatur: ita enim generatur homo imperfectæ quantitatis sicut bruta, & ita fit in eo deperditio continua partium sicut ibi: ergo ita oportet esse augmentationem & restaurationem deperditi hîc sicut ibi: ibi autem est per hoc, quòd terminus augmentationis est aliquid de *esse* ipsius substantiæ nutriendi, & augmentandi.

4 Prætereà, secundùm istam viã non possemus ponere augmentationem possibilem in homine nisi per miraculum, sicut patet de illa multiplicatione panum: quare ergo magis deficeret natura illa, quàm natura bouis, quoad hoc, quod est acquirere quantitatem perfectam post imperfectam.

Prætereà, secundùm illam viam sequeretur quòd in homine esset aliqua caro simpliciter incorruptibilis per totam vitam suam, vel si corrumperetur, nunquam posset restaurari, quia non nisi per nutrimentum, quod negatur. Vtrumque est inconueniens. Primum, quia illa pars incorruptibilis esset alterius speciei à cæteris partibus carnis corruptibilibus. Secundum, quia semper minus esset in homine de veritate carnis humanæ.

Prætereà, partes carnis, quæ generantur de nutrimento, sunt verè animatæ, etiam anima intellectiua: ergo sunt verè de substantia viuentis tali vita. Antecedens, licèt videatur manifestum, tamen probari potest: quia quælibet est animata anima sensitiua, quia in qualibet potest exerceri aliqua operatio sensitiuæ, vt tactus: quælibet etiam est animata anima vegetatiua, quia quælibet debitæ quantitatis potest aliquam actionem vegetatiuæ habere: sensitiua autem, & vegetatiua in homine eadem anima est cum intellectiua, *ex 2. lib. dist. 1. q. 6. & dist. 11. art. 2. q. 1.*

COMMENTARIVS.

2 b Circa istam quæstionem, &c. Hîc supponit quod certum est nempe ad vnitatem & identitatem eiusdem hominis, necessariam esse vnitatem earumdem partium, ex quibus componebatur. Omissa itaque opinione, quam impugnauit quæstione prima præcedentis distinctionis, quæ asserit totum *esse* hominis consistere in anima: supponit hîc etiam quòd præter animam requiratur alia compars hominis, vt corpus. Præterea de identitate animæ eiusdem rationalis nulla est controuersia, quia & ipsi hæretici, qui negabant eandem carnem resurgere, admittebant resurrecturos homines cum eadem anima, vt rectè August. *sermon.*2. *de consolatione mortuorum*, *cap.*1. neque difficultas huius mysterij vnquam fuit de anima quoad eos, qui eam admittebant immortalem, sed de reparatione eiusdem corporis deperditi, seu quod tantùm cecidit, vt Patres docent.

Quid requiritur ad vnitatem hominis.

Difficultas præsentis quæstionis versatur circa restaurationem hominis eiusdem, quà constat materia, seu corpore; corpus autem variis partibus heterogeneis ad obeundas diuersas functiones animæ necessariis, & heterogeneæ variis partibus etiam homogeneis constant. De identitate ergo harum partium disserit Doctor cum aliis, vt ea probata veniat confirmata veritas mysterij, & agit primò de parte homogenea, nempe carne, quatenus maneat eadem, & non eadem: & deinde quomodo restauratur in resurrectione.

De reparatione corporis. *De identitate partium corporis.* *De partibus homogeneis.*

3 c *De modo nutritionis*, &c. Hîc refert opinionem, quam docet Magister *in* 2. *distinct.*30. Hugo de Sancto Victore *de Sacramentis part.* 6, *cap.vlt.* Hæc sententia in eo consistit, vt nihil aliud sit de veritate naturæ humanæ in quoquam, quàm illud, seu carnem illam, de qua est sermo, quam recepit in prima sui generatione à parentibus: hanc vocant præfati authores primigeneam, seu natiuam, vt distinguitur à carne nutrimento acquisita. Præterea, Magister dicit primigeneam non solùm, quia à proximis parentibus recipitur; sed quia existimat eam fuisse actu in primis parentibus, in quibus complantata fuit natura humana, & ita singulos Adami filios recipere singulas particulas carnis Adami, tanquam verum semen decisas, in modica quantitate, & transire sic ad posteros, seu singulos proprium, quod actualiter fuit in Adamo collectiuè cum carne propria aliorum, an per modum vnius, aut diuersarum partium, non refert ad præsens, quamuis magis videntur asserere fuisse per modum vnius, diuisibilis tamen in posteros. Aliqui putant hanc sententiam præfatos authores recepisse ab Alexandro Aphrodiseo, qui, vt refert Auerroës 1.*de Gener. text.* 38. asserebat carnem, quam primò quisque recipiebat in generatione sui à parentibus, semper manere informatam anima rationali; quia putabat semper manere debere vnionem animæ ad illam tanquam ad primæuam materiam, quam informauit, & hoc necessarium esse ad functiones animæ perficiendas.

Nutritio quomodo fit. Sententia Magistri. *Caro primigenea à parentibus recepta.* *Sententia Aphrodis.*

4 Sed hæc est diuersa sententia à priori, & ex alio fundamento asserta: putauit enim Aphrodiseus animam rationalem esse mortalem, vt quæstione prima præcedentis distinctionis vidimus, & hominem verè generari ex semine, quod est superfluum alimenti in parentibus, vt deseruiat generationi; ipsúmque semen decidi, & non particulam aliquam carnis, vt Magister docet. Deinde supposito quòd asseruerit animam educi de potentia primæuæ materiæ, seu carnis, ab eáque dependere, putauit sicut non datur migratio accidentium de subiecto in subiectum, aut formarum dependentium; ita etiam ad *esse*, & operationes animæ conseruandas, necessarium fuisse vt eadem materia, ex qua educebatur, maneret, quandiu ipsa anima manet. Hoc mihi videtur magis rationabile fundamentum ad quod assertio eius posset reduci; quamuis etiam hoc ipsum falsum est, supposito quòd anima esset mortalis, seu extensa; quia secundùm aliquas partes integrantes posset defluere tam anima, quàm eius materia.

Sententia Aphrodisei diuersa à Priori.

Alia ergo fuit intentio Magistri, maximè vt propriâ saluaret infectionem tam peccati, quàm concupiscentiæ in filiis Adami, si, eadem ipsa caro eius cum sua qualitate morbida, & infecta ex Adamo ad posteros descenderet, eadem, inquam, ipsa in numero, & vt saluaret verba Augustini *super Genes. ad liter. lib.*10. *cap.*19. vbi asserit nos omnes fuisse in Adamo secundùm rationem seminalem, & secundùm corpulentam substantiam: quæ verba malè applicantur ad propositum, quia locutio Augustini intelligitur quoad continentiam virtualem, qualis est seminalis, & qua fuit primus parens Adamus, non verò quoad communicationem eiusdem carnis, aut continentiam actualem eius. 5

Intentio Magistri diuersa. *August.*

Hinc ergo vlteriùs præfati Authores docent; quòd sola illa caro est de veritate, & substantia viuentis hominis, & multiplicatam in singulis facere augmentationem, & permanere absque vllo partium fluxu, aut refluxu, seu adiectione nouæ, eo modo quo panes fuerunt à Christo multiplicati. Quod verò acquiritur per nutritionem quasi fomentum, adhæret calori naturali, ne extinguatur sicut oleum lychno in lucerna; non autem conuertitur in substantiam aliti, seu in veritatem humanæ naturæ. Hinc ad propositum deducunt non resurgere homines nisi in carne illa primogenea.

Declaratur sententia Magistri. *Non resurgere hominem nisi in carne primigenea.*

Hæc sententia meritò reiicitur communiter ab omnibus Theologis, Philosophis, & Medicis; à Doctore verò *in præsenti articulo*, & reliquis Theologis *in hac distinctione*, *&* *in* 1. *distinct.*30. D. Thom. *ibid. &* 1. *part. quæst.*119. *art.*1. vbi eius Commentatores, *&* *Quodlibet.* 8. *quæst.*5. Albert. *in Summa* 2. *part. in quæst. de potentiis vegetatiuis.* Alens. 2.*part quæst.*8.*m.*2.*art.*1. Henric. *Quodlib.* 2. *quæst.*10. & *Quodlib.* 4. *quæst.*26. Tenet Auerroës *loc.cit.* Aristoteles 1. *de Generat. cap.*5. *in* 2. *de anima cap.*4. 6

Contraria sententia communis.

Eam sic impugnat Doctor primò; non magis efficax est vegetatiua in bruto, quàm in homine, neque in hoc minùs perfecta: ergo non minùs potest in hanc operationem vegetatiua in homine, conuertendo alimentum in substantiam aliti, sed sic conuertit in bruto: ergo in homine.

Impugnatur. *Ex operatione vegetatiua.*

Dices in bruto quidem verum esse, non tamen in homine; ideo negatur maior cum consequentia. 7

Responsio.

Contrà. Vegetatiua in homine conuertit alimentum: ergo in carnem, in quam natum est conuerti: ergo illa caro est animata, & animabilis. Patet antecedens, quia proximè disposita ad recipiendam

Impugnatur. *Conuersio alimenti fit in carne.*

recipiendam hanc formam. Secundò, quia viget sensus in homine viuente, vt experientia constat. Deinde, quia neque alimentum, neque caro nutrimentalis aliter potest conseruare humidum radicale, vt ipsi vocant, seu carnem primigeneam; nisi vt conuertitur actione caloris naturalis in ipsam; aliter enim alimentum non conseruat, nisi per sui conuersionem; neque oleum lychnum, nisi vt conuertitur in flammã, & ignem.

Aliter non conseruaret carnem natiuam.

8 Dices, vt remouens prohibens conseruare, quatenus scilicet calor naturalis ageret in humidum radicale, seu in materiam primigeneam, quam sic ipsi vocant, & malè.

Responsio.

Contrà. Calor naturalis agit per modum causæ naturalis in subiectum, magis applicatum: sed non magis applicatur ei caro nutrimentalis, quàm primigenea: ergo applicatio carnis nutrimentalis, aut alimenti, non impedit quin agat in primigeneam, si est subiectum capax, vt est, & sic applicatum sicut nutrimentum, aut caro nutrimentalis. Ergo licèt distrahatur actio eius per applicationem huius, ita vt non sit adeò intensa in carnem primigeneam: tamen non ita distrahitur, quin etiam in eandem agat ad corruptionem eius, & consequenter defluat sensim virtute caloris naturalis, ac proinde hic modus seu vsus nutrimenti in homine non attingit finem intentum.

Impugnatur.

Calor naturalis agit in carnem primigeneam.

9 Deinde, calor naturalis datur viuenti ad conseruationem naturæ, eiúsque perfectionem: ergo non tantùm tendit ad corruptionem, sed etiam ad generationem alicuius, quod spectat ad substantiam veram viuentis; sed nisi conuertat alimentum in substantiam viuentis, non apparet quomodo facit ad conseruationem naturæ, aut perfectionem eius: ergo, &c. Probatur subsumptum, quia actio corruptiua eius sufficienter terminatur ad alimentum remotum, & proximum, vt est nutrimentum, vt sanguis, tanquam ad subiectum, in quod agat per corruptionem, & sic impediretur eius operatio corruptiua in humidum radicale, seu carnem primigeneam: ergo non est necessarium, neque ex intentione naturæ viuentis, vt illud alimentum conuertat in carnem; sed in aliam materiam, quæ statim fluat: tum quia sic minùs aggrauaret viuentem per materiam superfluam, quæ ad nihil deseruit, neque ad functiones vitæ, cùm non sit animata, aut animabilis talis caro in homine, & sine tali carne maneret nutrimentum applicatum in locis actioni idoneis, sicut sanguis: v.g. in venis, prout primum per generationem ita recipit sanguinem cum aliis humoribus.

Calor naturalis non est ad solam corruptionem.

Natura non admittit superfluum.

10 Tum etiam quia est contra intentionẽ naturæ, non solùm admittere superfluum; sed etiam aliquid imperfectum, & sine vltima sua perfectione ei debita; debita autem perfectio carnis est vt proximè animetur, quia ad hunc effectum ordinatur, & eundem effectũ habet in bruto; quia caro nutrimentalis, per aduersarios, est de substantia eorum animata: ergo vel caro hominis, & bruti sunt æquiuocæ, vel certè eandẽ perfectionẽ habere debent ex intentione naturæ, nisi dixeris hominẽ & brutum non conuenire in ratione viuentis sensitiui, quod absurdum est. Rectè ergo Doctor probat ex eo quòd vegetatiua in homine non sit minùs perfecta quàm in bruto, quòd etiam nutritio hominis non sit imperfectior, quàm illa, quæ est in bruto; nam sicut idem est modus propagationis vtriúsque quoad carnem, per decisionem seminis, ita etiam & nutritionis: sicut enim asserit Magister naturam humanam complantatam esse in primis parentibus, sic etiam verum est loquendo de propagatione naturali, naturam brutorum in specie fuisse complantatam in iis, quæ Deus primò creauit, & à quibus reliqua in specie indiuidua emanarunt iuxta seriem suam in propagationem corporis. Non est proinde maior ratio (quantùm ad originem, seclusis iis, quæ propria sunt homini quoad legem & peccatum) vnde dicatur caro hominis fuisse in Adamo actualiter, quàm quòd caro bouis fuerit in primo boue creato: status enim legis, iustitiæ, & peccati, non variant modum naturalem propagandi per generationem carnis in nobis, sed supponunt.

Neque imperfectum sine suo vltimo complemento, & perfectione.

Caro est subiectum in potentia ad animam.

Idem modus propagandi carnẽ in bruto, & homine requirit eundem modum nutritionis.

Confirmat Doctor eandem rationem. Ita generatur homo imperfectæ quantitatis sicut brutum, & ita fit in eo deperditio continua partium, sicut in bruto: ergo ita debet esse in eo augmentatio & restauratio deperditi, sicut in bruto: sed in bruto ita hæc contingũt, vt etiam terminus augmentationis, & nutritionis sit aliquid de substantia viuentis, & caro animata: ergo etiam in homine idem contingit. 11

Confirmatio ex eadẽ proportione & similitudine.

Hæc ratio patet experientia, & etiam ex dictis, & ampliùs probatur: quia in natura non desunt vires, & efficacia reducendi effectum ad perfectionem illi connaturalem, sicut in aliis viuentibus; ita etiam in homine à fortiori, in quo magis saluatur, & perfectiùs species animalis, alioquin si hæc deessent, natura deficeret in necessariis: sed homo generatur infans naturaliter loquendo, neque aliter natura potest hominem generare, tum ex incapacitate vteri materni, vt rectè Augustinus *lib. 1. de peccatorum meritis, & remissione cap. 37. & 38.* quin etiam sic in statu innocentiæ ex eadem causa, vt *ibidem* refert, nasceretur proles, quidquid sit, an miraculo, & diuina virtute excresceret natus in robustum statum, de quo idem inquirit *ibid.* Naturaliter tamen id certum est, non posse sic crescere; quia natura sicut in generatione procedit de potentia ad actum per intermedias mutationes seminis, donec formetur corpus organicum, & animetur, sic etiam nequit viuens natum reducere ad perfectum statum, in quo anima omnes suas functiones vitales exercere possit, nisi per varias mutationes, procedendo similiter de potentia ad actum via generationis.

Natura reducit effectũ ad perfectionem ei cõnaturalem.

Homo natus infans in statu imperfecto.

August.

Processus naturæ de potẽtia ad actũ.

Quæ ratio est per se nota, & patet experientia in reliquis viuentibus: ergo perinde homo potest virtute naturæ reduci ad statum perfectum, in quo possit omnes functiones animæ exercere, & corpus consequenter aptare, & membra in ea dispositione, quæ ad hunc effectum est requisita: hoc autem nequit nisi per viam nutritionis, & augmentationis, sicut perinde contingit in cæteris viuentibus, quæ hoc modo reducit ad perfectum statum: sed nisi terminus augmentationis & nutritionis esset de substantia hominis, non posset hac via reducere hominem ad robur membrorum, ad exercendum actus potentiæ loco motiuæ, neque aliorum sensuum, ex quibus dependet operatio perfectissima hominis: ergo sequitur quòd nutritio hominis, & augmentatio tendant in substantiam viuentis, vt in cæteris contingit. Subsumptum probatur: quia anima nequit operari per membra, & organa corporis non animata, neque consequenter terminus nutritionis seruiret ad 12

Reducitur homo ad statum naturæ debitum per viam nutritionis, & augmẽtationis.

ad operationes animæ nisi reciperet animam per quam operatio vitalis communicatur tanquam à principio vitæ coniuncto: nequit enim anima operari per membrum aridum; non alia ratione nisi quia non est animatum: ergo etiam neque per carnem nutrimentalem, seu per terminum nutritionis, & augmentationis, nisi ipsi anima communicetur. Vnde neque anima per humores operatur vitaliter: ergo sicut per nutritionem & augmentationem membrorum, & organorum acquiritur vsus operationum vitalium in ipsis, sequitur quòd terminus nutritionis, & augmentationis sit animatus, & non solùm se habeat vt aliquid extrinsecum, & appositum, ad id solùm deseruiens, vt conseruet humidum radicale, seu ne caro primigenea corrumpatur per virtutem caloris naturalis: quia hoc non deseruit ad saluandas operationes vitales in sola carne primigenea: si illa sola est animata: imò, magis grauaret, & impediret illas operationes.

Operationes vitales non fiūt nisi per subiectum.

13 Secundò argumentatur Doctor, quòd secundùm sententiam præmissam non posset saluari augmentationem esse possibilem in homine nisi per miraculum, sicut patet de illa multiplicatione panum, & sic natura deficeret in homine magis quàm in boue, quantùm ad hoc quod est acquirere quantitatem perfectam post imperfectam. Consequentia Doctoris est euidens. Antecedens probatur, quia repugnat ex paruo fieri magnum, nisi vel addendo nouam materiam, vel rarefactionem, vel certè per sui replicationem in diuerso situ, vel denique accessu nouæ quantitatis diuina virtute, & miraculo: sed in augmentatione hominis naturali, sine ratione asseritur miraculum, quando nulla suffragatur authoritas, aut reuelatio, aut ratio consentanea: neque Christus, vt vtamur exemplo allato, multiplicauit sic panes, quasi solius quantitatis additione: sed etiam substantiam, quæ deseruit nutritioni, & alimento, & non sola quantitas.

Secunda ratio.

Quòd augmentatio hominis non fieret naturaliter.

Christus multiplicauit panes quoad substantiam.

15 Omisso ergo miraculo, hîc agimus tantùm de augmentatione naturali hominis, & per causas naturales. Si ergo dicatur primum, nempe augmentationem fieri per additionem materiæ nouæ, sequitur ex natura huius materiam informari anima; quia augmentatio fit per intùs susceptionem, & mediante nutritione, & ad eandem in specie materiam dispositam vltimatè ad suceptionem animæ, nequit dici fieri per rarefactionem, quia & dubium est si in rarefactione producatur noua quantitas, vt nos cum Doctore asseruimus *suprà distinct. 12. quæst. 4.* Alij verò negant, sed quidquid sit, certùm est quòd in proposito non succedat, quia caro viri est magis compacta quàm infantis, & magis densa aut solida. Deinde, nequit ostendi causa à qua prouenirer talis rarefactio: nequit enim prouenire à calore naturali, quod inseparabiliter adhæret carni primigeneæ, & si virtute eius rarefieret, sic minùs essent idonea functionibus vitalibus corpus, & organa. Tertium etiam dici nequit, quia neque natura potest multiplicare idem secundùm diuersa loca simul, neque sic multiplicatum potest dici augeri: quia augmentum fit per additionem diuersæ entitatis; idem enim nequit diuidi à seipso, aut ad seipsum numerari tanquam diuersum; & omnino res est non solùm obscura, sed non intelligibilis: ergo augmentum hominis, quod fit per naturam, debet fieri sicut contingit in aliis viuentibus: nam oppositus modus augmentationis per naturam non est aliàs auditus.

Augmentum non fieri per rarefactionē.

Non fit per replicationē in pluribus locis.

Tertiò argumentatur Doctor, & optimè. Secundùm illam sententiam sequeretur quòd in homine esset aliqua caro simpliciter incorruptibilis per totam vitam: vel si corrumperetur, nunquam posset restaurari, per virtutem scilicet causarum naturalium: quia nequit restaurari nisi per nutrimentum; hoc autem negatur, quia caro ex nutrimento nequit animari, sicut caro primigenea. Sed vtrumque horum est inconueniens. Primum quidem: quia caro illa incorruptibilis esset alterius speciei à cæteris partibus carnis corruptibilis. Secundum etiam esset inconueniens: quia semper minus esset in homine de veritate carnis humanæ. Sequela quoad vtrumque membrum rectè sequitur per viam contradictionis. Sed prima sequela est falsa, quia sequeretur quòd caro primigenea esset diuersæ speciei à carne nutrimentali; hoc autem est inconueniens. Antecedens patet, quia illa quæ nata est animari, & cui repugnat animari, sunt diuersæ rationis physicæ & specificæ, quia ideò vna animatur, & non alia, quia vna ex sua forma constitutiua ordinatur ad animam, vt per eam reducatur de potentia ad actum; alia verò per oppositum dicens hanc repugnantiam, eam habet ex forma constitutiua, non verò ex aliquo alio impedimento. 16

Tertia ratio ab inconuenienti.

Caro primigenea esset incorruptibila.

Esset alterius speciei.

Nequit dici corruptibilis ex inconuenienti.

Diuersitas speciei probatur.

Quòd si dicatur ex defectu dispositionis requisitæ id ei competere. 17

Responsio.

Contrà: quia non habet vlla accidentia physica repugnantia dispositioni requisitæ ad animationem, nisi ea accidentia, quæ sunt connaturalia suæ formæ; ex quibus rectè colligitur differentia formæ substantialis, ad quam sic sequuntur, vt connaturalia ab alia forma, cui repugnant talia accidentia, vt instari potest in aliis, quorum differentia ex accidentibus, & operationibus contrariis, & connaturalibus colligitur.

Impugnatio.

Differentia colligitur ex accidentibus & operatione.

Responderi posset non ideò carnem nutrimentalem non posse animari, quia est diuersæ speciei, sed quia anima habet subiectum adæquatum in carne primigenea, vltra quod nequit extendi ad aliud subiectum, sicut in vno corpore existens nequit vniri alteri, quamuis seorsim posset alterum informare.

Responsio.

Contrà. Sequitur hoc inconueniens, quòd caro nutrimentalis apta ex natura sua informari anima, semper maneat imperfecta, & in potentia sine actu; hoc autem est contra perfectionem naturæ, vt aliquid causet, quod nunquam potest habere complementum suæ perfectionis, aut actum competentem, ad quem per se dicit potentiam.

Impugnatio.

Sequeretur potentia sine actu.

Si dicas intentionem, & finem naturæ per se intentum saluari in homine per hoc, quòd caro nutrimentalis deseruiat conseruationi carnis primigeneæ. 18

Responsio.

Contrà; hoc superiùs impugnatum est in primo argumento, quia ad eam conseruationem non requiritur vt nutrimentum conuertatur in carnem, quia hoc superfluum esset. Deinde, si caro nutrimentalis animatur, perinde deseruit ad hunc effectum conseruationis primigeneæ, dicendo quòd sola nutrimentalis sit in fluxu, & non primigenea, quia illa vt impurior magis subiecta est corruptioni, & deinde sic magis saluatur perfectio naturæ, quæ non admittit

Impugnatio.

admittit potentiam per se, quæ non potest reduci ad actum.

Deinde, contra responsionem præmissam vrget, quòd anima licèt habeat subiectum adæquatum in vno corpore, tamen non ita habet in carne primigenea, quin maiorem informare possit, & ipso facto informet per augmentationem, vt probat argumentum secundum præcedens. Sed quidquid sit de hoc, in quo ipsa controuersia versatur, saltem id verum est aliquos nasci in carne primigenea minori statura, & paucioris materiæ, quorum anima posset informare maiorem materiam, si adesset: ergo non ita adæquatè per quamcunque materiam primigeneam exhauritur actus informatiuus, seu potentia animæ ad informandum extensiuè, quin maiorem informare posset. Sed hoc dato, si caro nutrimentalis sit eiusdem speciei cum primigenea, sequitur eam informari posse: ergo ratio data ex adæquato subiecto non subsistit, nisi teneatur caro primigenea non eiusdem esse speciei.

Caro primigenea in quibusdam non exhaurit actualitatem animæ.

19 Dices ergo eam esse diuersæ speciei.

Responsio.

Contrà. Hæc differentia gratis fingitur, quia neque ex accidentibus, neque ex operationibus discerni possunt primigenea, & nutrimentalis caro; neque aliunde suppetit fundamentum huius differentiæ specificæ colligendæ.

Impugnatio.

Dices colligi ex diuersitate causarum; quia caro primigenea deciditur à parentibus; nutrimentalis verò est virtute nutritiuæ, & caloris naturalis.

Responsio.

Contrà. Eadem nutritiua conuertit alimentum, quæ est materia remota vtriúsque in carnem, & superfluum alimenti in semen in ordine ad generationem; hoc ipsum semen vt deseruit generationi, necessariò debet conuerti in sanguinem & carnem virtute vegetatiuæ, vt nos putamus, vel certè, vt alij, virtute ipsius seminis, seu aliquarum partium dissimilarium eius, vt est subordinatum potentiæ generatiuæ decidentis semen tanquam virtus eius communicata; quidquid horum dicatur non refert quoad propositum; quia conuersio est in idem, scilicet in sanguinem & carnem ad formandum ex eo corpus humanum. Quòd autem proueniat hæc conuersio virtute mediata vegetatiuæ, vt fit in aggeneratione, seu nutritione, vel certè mediatè, quatenus prima conuersio fit in semen, & ex semine circulatur conuersio in sanguinem, & carnem, & reliqua ad organizationem corporis requisita, non variat virtutem causæ, aut operationem eius vltimatam, neque consequenter naturam specificam effectus, vt carnis & sanguinis: ergo hinc colligitur ex causis, inquam diuersitas specifica carnis.

Impugnatio.

Quòd primigenea nō differat specie à nutrimentali.

20 Probatur consequentia, non magis colligi deberet ex mutatione mediata seminis in carnem per virtutem eiusdem, aut diuersæ causæ, differentia carnis primigeneæ, à carne nutrimentali, quia hæc causatur immediatè à vegetatiua, siue mediante conuersione eius in semen, quæ fit intermedia; non magis, inquam, colligitur ex hoc differentia specifica primigeneæ à nutrimentali, quàm ex generatione æquiuoca, & vniuoca, quæ fit virtute diuersarum causarum; differentia inter ranas, v.g. quarum vna propagatur decisione seminis, & altera ex putrefactione generatur æquiuocè: sed inter has nulla est differentia specifica; ergo neque etiam inter carnem primigeneam, & nutrimentalem colligitur talis differentia, tanquam ex diuersitate causarum. Deinde, quando reparatur corpus corruptum per virtutem diuinā in resurrectione, est diuersitas causæ, & modi reparandi à causis primò generantibus idem corpus, & modo quo producitur virtute naturæ; manet tamen idem effectus non solùm in specie, sed etiam in numero. Ex quibus sequitur intentum, nempe differentiæ specificæ inter primigeneam, & nutrimentalem non inueniri fundamentum sufficiens, ac proinde tam generationem, quàm aggenerationem, seu nutritionem terminari ad eundem in specie effectum, nempe carnem, quæ animatur.

Generatio æquiuoca non variat speciem.

Non colligitur ex prauersitate causarum. *missa differentia ex diuersitate causarum.*

21 Secundum membrum disiuncti illius rationis Doctoris præmissa est; *Si corrumperetur caro primigenea quod nunquam posset restaurari*, &c. Hoc autem esset inconueniens, quod sic probat: quia sic semper minus esset in homine de veritate carnis humanæ. Confirmatur, quia sequeretur hominem minùs habilem semper fieri ad operationes, & actiones vitales, ad quas requiritur materia proportionata, in quibus tales functiones exerceat anima; sed caro primigenea ex suppositione, quòd illa sola viuat, est materia necessaria talibus functionibus, sicut etiam ad constitutionem totius primam, tanquam materia proportionata: ergo si hæc defluat, & nunquam possit restaurari sequitur hominem deteriorari semper ex fluxu materiæ necessariæ, & minùs habilem esse ad functiones vitales, ad quas requiritur materia proportionata. Hoc autem est contra rationem, & experientiam manifestam, quâ cognoscimus in viro perfectiores functiones vitales in omni genere, quàm in infante. Carnem autem illam non restaurari, supponit sententia aduersa: quia nequit restaurari vt materia, in qua exercentur tales functiones, per carnem succedentem, quæ animatur, sicut animata fuit prior caro, quæ fluxit; sed nulla succedit præter nutrimentalem, quæ non animatur in sententia opposita: sequitur ergo inconueniens.

Secundum membrum disiuncti in hoc argumēto probatur.

Fluxu carnis primigeneæ redderetur homo inhabilis ad functiones vitæ si illa sola sit materia.

22 Quarta ratio Doctoris est à posteriori, probans carnem nutrimentalem esse animatam, etiam anima rationali: ergo est de substantia viuentis. Antecedens patet; quia quælibet est animata anima sensitiua, quia exercet actus aliquos sensitiuæ, v.g. tactum; est similiter animata anima vegetatiua, quia quælibet etiam exercet actus vegetatiuæ, quia quælibet nutritur, mouetur, &c. Sed in homine sensitiua, vegetatiua, & rationalis sunt vna forma realiter: ergo quidquid est animatum vnâ, est animatum etiam aliis animabus. Hæc ratio nequit reduci ad manifestoria principia: quia viget tactus, & sensus in qualibet parte carnis, vt experientia constat vigere: sequitur ergo intentum: nulla enim aliâ ratione à posteriori probatur ipsam carnem primigeneam animari, quàm per experientiam operationum vitalium.

Quarta ratio.

Carnem nutrimentalem esse animatā.

Ratio à posteriori, & experientia functionum.

Dices fortè non vigere sensum in carne nutritiua, sed in primigenea, quamuis ob vicinitatem non discernatur subiectum tactus.

Responsio.

Contrà, caro nutrimentalis vel ita intermiscetur primigeneæ, vt loco non distent, & sic datur penetratio corporum naturaliter; vel tantùm est iuxtaposita, & sic facilis est experientia, qua in vna dignoscitur sensus, in alia non: sed non discernitur talis discontinuitas in sensu, quia per omnes partes carnis diffunditur: ergo sequitur omnes

Impugnatur.

Ex sensu tactus.

omnes etiam animari: quia mixtio priori modo ita rarefaciens carnem primigeneam, si negatur penetratio vt diffundatur per omnes partes, in quibus viget tactus, & commisceatur nutrimentali, sicut liquor liquori, impediret operationes vitales, quæ requirunt soliditatem, & densitatem materiæ, sine quibus non fieret actus, v.g. actus motus progressiui, & huiusmodi. Ex his rationibus rectè reiicitur sententia Magistri, cõtra quam etiam faciunt rationes sequentis paragraphi.

23 *Occurritur obiectioni.* *Sedes animæ.* Contra prædictam rationem non licet instare ex opinione antiquorum Philosophorum, qui dicebant animam vindicare sibi certam partem corporis, in qua residet tanquam in propria sede, ex qua reliquas corporis partes regeret; quorum aliqui eam statuebant in cerebro, alij in corde, aut alibi; quin etiam ipse Aristoteles *de iuuentute & senectute cap.* 1. significat animam in certa parte corporis esse, & *lib. de motu animal. cap.* 7. ait non oportere animam esse in singulis partibus corporis; sed satis esse, si insit in aliqua eius parte, quæ sit principium corporis, & iuxta hoc Doctor ipse *suprà distinct. præced. quæst.* 5. §. *De tertio dico*, &c. discernit inter partes primò animabiles, & alias, quæ non sunt tales. Hanc partem præcipuam statuit Philosophus ipsum cor. *lib.* 2. *de part. animal. cap.* 1. *& lib.* 3. *cap.* 4. Hinc etiam Albertus Magnus *lib.* 2. *de anima tract.* 1. *cap.* 7. asserit animam secundùm essentiam residere in corde, secundùm facultates, & potentias in aliis membris, vocátque cor organum essentiæ, alia membra esse organa facultatum, seu potentiarum animæ.

24 *Reiicitur sẽtentia allata.* Hæc, inquam, doctrina perinde est contra sententiam, quam impugnamus, quæ admittit animam esse in carne primigenea, & membris corporis geniti. Deinde, sententia præmissa est falsa, & contra communem Theologorum Peripateticorum, & Medicorum, & contra ipsum Philosophum, *lib.* 2. *de anima text.* 4. *&* 6. definit animam esse actum corporis organici, & non alicuius certi membri, vt rectè notauit D.Thom. *lib.* 2. *contra Gentes cap.* 72. Deinde, Philosophus idem probat *text.* 20. *& deinceps, & lib.* 1. *de anima text.* 9. *&* 90. Ex professo probat contra Platonem, vnam esse in toto corpore diffusam, & non tres animas, vt Plato aiebat, quarum vna esset in cerebro, alia in corde, alia verò in iecore. *Animam per totum corpus diffundi.* Probatur autem veritas ex eo quòd totum corpus est viuens quoad singulas suas partes, & non quoad vnam tantùm, & quòd omnes partes nutriantur, vegetentur, augeantur, & multæ etiam habeant sensum tactus; quæ operationes nequeunt exerceri nisi à principio vitæ coniuncto, & consequenter animato. *Probatio ex operationibus.* Verum autem est, vt benè Doctor loco iam allegato, dari aliquas partes primò animabiles, & sine quibus nequit anima inesse corpori, aut aliis eius partibus; neque has partes animari posse, nisi vt continuantur prioribus, & sicut in illis principaliter anima inest tanquam primis, ita etiam functiones vitales etiam ab illis partibus inchoantur, & diffunduntur in reliquas, quæ quoad exercitium vitæ ab illis dependent; ita vt illis impeditis etiam sopiatur operatio vitalis in his. *Partes primò animabiles.* Tales partes sunt cor, in quo formantur spiritus vitales, quorum vsus necessarius est ad conseruationem vitæ, & opera vitalia. Sic etiam cerebrum quoad operationes sensitiuas se habet. Hæc est sententia Peripateticorum, quam intendit etiam Philosophus locis præallegatis in oppositum. *Sentẽtia Peripatetica.* Videatur Cursus Conimbricensis *lib.* 2. *de anima cap.* 1. *art.* 2. *q.* 9. qui varias antiquorum sententias, aut magis deliria in hoc puncto enumerat: sicut ergo ratio illa Doctoris rectè illos vrget, ita etiam & sententia Magistri eadem efficacia impugnat.

SCHOLIVM.

Sententia Henrici; nutrimentum conuerti in id quod est de veritate naturæ, sed non recipere vllam formam nouam secundùm totum, nec secundùm partem, suadetur tripliciter, sed tripliciter & efficaciter refutatur: Primò, aliàs forma carnis foret indiuisibilis. Secundò, pars materiæ foret sine forma. Tertiò, non tantùm materia fluit, sed etiam forma.

d ALiter dicitur, quòd caro primò formata inducta à parentibus, est de veritate humanæ naturæ; nutrimentum verò posteà transit in istud, quod est de veritate; sed hoc modo, quia conuertitur in præëxistens non recipiendo nouam formam, neque secundùm totum; neque secundùm partem: sed tantummodò per hoc, quòd deficiente ibi forma nutrimenti, succedit in illa materia forma carnis præëxistens. 5 *Henric. quodlib.* 2. *quæst.* 9. Istud declaratur per exemplum, quia sic est de anima intellectiua, quòd de nouo perficit materiam quæ fuit sub forma alimenti: nec tamen ipsa in se est noua secundùm totum, nec secundùm partem. Declaratur etiam per auctoritatem, quia primò de Generatione c. de augmento. *Caro secundùm speciem augetur, non caro secundùm materiam: & caro secundùm speciem manet, caro autem secundùm materiam fluit, & refluit.* *Text. cõ.* 9. Sed si induceretur noua forma carnis in nutritione, & pari ratione desineret in deperditione pars formæ carnis quæ præfuit, non solùm materia carnis flueret, & reflueret, sed etiam forma, quod videtur esse contra eum.

Tertiò per rationem, quia si in nutritione materia nutrimenti reciperet aliam formam carnis, quæ non præfuit; ergo cum reliqua carne præëxistente non faceret vnum, nisi quoddam contiguum, vel continuum cum illa: & tunc nutritio

esset quædam iuxtapositio carnis nouæ ad carnem præëxistentem: quod negat Philosophus vbi priùs. Sequitur etiam, quòd non quælibet pars nutriti esset nutrita, vel aucti aucta: quia non illa pars, cui iuxtaponitur caro noua.

6 *Refutatur Henric.* Contrà istam opinionem, forma, quæ nullo modo est extensa ex parte sui: nec aliter quàm priùs, perficit materiam alio & alio modo extensam, respicit eam indiuisibiliter, hoc est, quòd ipsa non secundùm partes, perficit partes materiæ: forma autem carnis non respicit hoc modo materiam indiuisibiliter, quia tunc esset simplex, sicut anima intellectiua, quod non conceditur: ergo cùm materiam alio modo extensam, quia multò maiorem quàm antè perficiat, oportet quòd illa sit aliter extensa. Et tunc cùm partes eius priores maneant, oportet quòd aliqua pars formæ sit noua, alioquin non esset extensior nunc quàm priùs. Maior probatur, quia forma quæ vt extensa per accidens respicit materiam extensam, ipsa alio modo extensa respicit materiam alio modo extensam: quia secundùm Aristot. in Prædicamentis, quanta est superficies, tanta est albedo. Et apparet per rationem, quia pars eius est in parte, & ita maior in maiori.

Forma carnis esset indiuisibilis si non informaret materiam nutrimenti vt in se extensior.

Cap. de quantitate. Prætereà, conceditur quòd post nutritionem plures sunt partes materiæ in toto quàm priùs: aut ergo pars noua materiæ est in toto sine forma, quod est inconueniens: aut est ibi sub forma noua, & est propositum: aut sub forma præëxistenti, & tunc vel illa desinet perficere partem materiæ quam priùs perficit, & tunc migrabit eadem pars formalis à parte materiæ ad aliam partem; quod est inconueniens: aut illa pars formæ prior eadem perficiet simul partem materiæ nouam, & tunc sequitur quòd simul perficiet duo perfectibilia; quorum vtrumque est sibi adæquatum.

Prætereà, caro ista nata est fluere, quia non est incorruptibilis: sed non tantùm fluit materia, sed etiam forma: quia forma illa non potest manere eadem nisi maneat informans materiam, quam priùs, loquendo de eadem parte formæ: quia dependet naturaliter à perfectibili, quod perficit: ergo oportet compositum fluere, & per consequens compositum redire per nutritionem.

COMMENTARIVS.

25 *Sententia Henrici.* d Aliter dicitur, &c. Hæc est sententia Henrici *Quodlib.* 2. *quæst.* 10. qui negat carnem fluere secundùm formam, sed materiam nouam adiici, quæ informatur forma præëxistente carnis, & hæc succedit formæ præëxistenti nutrimenti, quæ corrupta est, manente materia sub forma præëxistente carnis, quæ pereunte materia, in qua fuit primùm, per corruptionem eius, manet in materia de nouo adiecta. Rationem huius subdit ex Philosopho 1. *de Generat. cap. de Augmento*. Deinde, quia sequeretur quòd caro secundùm formam noua non vniretur præëxistenti, sed esset iuxta posita. Deinde, sequeretur quòd non quælibet pars nutriti, & aucti esset nutrita & aucta. Sumit prætereà exemplum ab anima rationali in homine, quæ vnitur materiæ nouæ adiectæ sine vlla in se nouitate, quantùm ad entitatem, &c.

Eius fundamenta.

Eadem sententia fuit aliorum. Hæc sententia fuit antiquior; eam sequitur Albertus *tract.* 1. *de nutritione cap.* 3. Philop. 1. *de Generat. cap.* 5. Pomponatius *in lib. de aug.* & quidam alij Philosophi: quin etiam Durandus *in* 2. *distinct.* 30. *quæst.* 4. & plures alij. Dicunt ergo plures partes materiæ addi, & plures resolui, non tamen formæ, sed illa pars formæ, quæ fuit in materia deperdita adhæret materiæ nouæ additæ. Quòd si diceretur in homine solo contingere ex suppositione quòd non sit in eo alia forma quàm anima rationalis, consequenter dictum videtur, & differendum tum esset carnem constitui per aliam formam diuersam: sed in aliis animalibus, in quibus forma est corruptibilis, hæc ratio non tenet.

e *Contra istam opinionem*, &c. Primò impugnat Henricum, qui admittit carnem constitui per formam propriam corporeitatis, seu carnis: de qua difficultate actum est *distinct.* 11. *huius quæst.* 3. Dato ergo quòd forma carnis sit diuersa, prout admittit præfatus author, & supponitur à Doctore tanquam probatum præfato loco, sic currit ratio: quæcunque forma ex parte sui non est extensa, neque aliter perficit materiam alio modo extensam, quàm priùs perficiebat, respicit materiam indiuisibiliter, id est, sine sui extensione in materia, ita vt sit tota in tota materia, & tota in qualibet parte materiæ, sed forma carnis non respicit hoc modo materiam indiuisibiliter; quia tunc esset simplex, sicut anima rationalis, quod non conceditur, vt non concedit etiam Henricus: ergo cùm materiam maioris extensionis, quàm fuit prior eius extensio, perficiat, sequitur quòd ipsa forma sit aliter extensa, quàm fuerit priùs; sed cùm priores partes formæ permaneant in nutrito, cui additur noua materia, oportet quòd aliqua pars formæ sit etiam addita de nouo, & non sola materia noua: aliàs non saluaretur coëxtensio eius in materia, & secundùm Philosophum, tanta est albedo, quanta est superficies; ergo eadem ratione tanta est forma carnis in materia, tamque extensa, quàm sit ipsa materia extensa: quia pars eius est in parte materiæ, & maior pars in maiori parte materiæ. 26 *Impugnatur Henricus.*

Quomodo forma respiciat materiã indiuisibiliter.

Forma carnis coëxtenditur materia.

Si dicas quòd eadem pars formæ, quæ fuit in parte materiæ defluente sit in noua parte materiæ nouæ, quæ succedit, vel quòd ipsa formæ pars eadem sit in noua parte materiæ nouæ, quæ additur, & simul in materia priori, quando non defluit. *Responsio.*

Hæc

Hæc responsio impugnabitur in ratione sequenti, ac etiam in tertia.

27 *Confirmatio.* Interim confirmatur ratio Doctoris, & probatur eius maior: quidquid recipitur in aliquo, per modum recipientis recipitur, loquendo de receptione, ad quam ipsum subiectum concurrit, & qua, forma recepta ex eius potentia educitur (hoc enim principium ad tales formas tantùm extenditur) sed repugnat materiam concurrere naturaliter ad formam, vel hanc educi de potentia materiæ virtute causæ naturalis, nisi vt materia concurrit secundùm modum naturalem essendi materiæ; hic autem est modus diuisibilis, & extensus: ergo repugnat materiam indiuisibiliter concurrere, & non secundùm partes, & diuisibiliter; quia materia non est subiectum proportionatum actioni causæ naturalis, vt talis est, respectu materiæ transmutandæ, & formæ educendæ, nisi vt diuisibilis est secundùm modum connaturalem essendi; tum quia agens quantum, & extensum nequit agere actione transeunte, nisi diuisibiliter, & extenso modo, quia forma eius constitutiua, quæ est principium *quo* agendi, non est simplex, & indiuisibilis, sed diuisa in partes; neque habet aliud *esse*, quàm illud quod coalescit ex diuersis partibus, neque consequenter habere potest actionem, nisi vt procedit diuisibiliter simul ab omnibus partibus, in quibus est virtus formæ dispersa, aut diuisa; quia virtus formæ perinde est diuisa, sicut & *esse* eius. Hinc etiam in materia rara sæpè forma est minùs apta ad actionem ob dispersam virtutem secundùm maiorem extensionem: v.g. ignis in stupa, qui in materia densa vehementiùs vrit ob rationem contrariam, & collectionem virtutis.

Quod recipitur in alio, per modum recipientis recipitur.

Concursus materiæ vt est extensa.

Agens quantum, & extensum nequit agere nisi in subiectum extensum.

Ratio huius.

28 Eodem modo neque materia extensa habet aliquod *esse* indiuisibile, secundùm quod primò concurrit ad formam, & actionem productiuam eius, seu eductiuam: sed totum *esse* eius est diuisibile in partes extensas: ergo, vt sustentat formam, & actionem agentis, concurrit diuisibiliter, & secundùm partes applicatas, vel totas, vel aliquas, prout etiam hæ sunt extensæ, & subduntur virtuti agentis creati: ergo forma sic educta, vt refunditur tam in concursum subiecti, quàm in virtutem, & actionem agentis, debet esse coëxtensa materiæ, & non indiuisibilis. Sed si aliqua eius pars posset indiuisibiliter informare partes materiæ maiores & extensas, eadem ratione tota forma posset totam materiam sic indiuisibiliter informare; quia est eiusdem rationis, & componitur ex partibus homogeneis, vt supponimus ex instituto præsentis difficultatis, quoad formam carnis, de qua agitur. Rectè ergo infertur ita se habere in eo casu assertionis Henrici, sicut se habet anima rationalis, neque aliter dependere, aut educi de potentia materiæ, quàm anima, quæ creatur: quod falsum est: quia & virtute agentis naturalis, vt omnes supponunt, educitur de potentia materiæ, quæ virtus ad extensam materiam, & existentem modo sibi connaturali limitatur, ita vt eam aliter transmutare nequeat.

29 *Scopus prioris rationis.* Hæc ergo ratio Doctoris eò tendit, vt probet non posse materiam alio modo extendi, quin etiam extendatur forma carnis. Et hæc ratio est suppositum quoddam, seu principium generale, quod facit ad euidentiam sequentis rationis, in qua in specie impugnatur modus ille extensionis quem tradit Henricus, & quicunque alius, dato quòd nutritio non sit ad formam nouam, vt mox apparebit. Elidit præterea instantiam, seu exemplum illud, quod adducitur de anima rationali, vt occupat nouum subiectum sine sui nouitate.

Interim hæc ipsa ratio applicari potest contra negantes plures formas in viuentibus: quidquid enim sit de nutritione hominis, negando aliam formam quàm sit anima rationalis indiuisibilis & inextensa, quæ potest informare materiam nouam, sine nouitate in entitate animæ: tamen in brutis currit ratio, in quibus etsi non esset alia forma quàm animæ brutalis; quia hæc tamen educitur de potentia materiæ, vt nunc supponitur, perinde nequit informare materiam aliter extensam, sine noua extensione in ipsa anima, vt præmissa conuincit ratio.

Applicatur idem argumentum contra alios.

30 *Secũda ratio.* Secundò improbat Doctor eandem sententiam. Conceditur post nutritionem plures esse partes materiæ in toto, quàm priùs fuerunt. Aut ergo pars materiæ est in toto sine forma, & hoc est inconueniens; aut informatur parte formæ præëxistentis, & vel tunc desinet illa pars formæ informare materiam, in qua priùs fuit, & tunc migrabit de materia in materiam, quod etiam est inconueniens; aut certè simul perficiet & veterem in qua fuit, & nouam quæ accedit, & sequitur eam perficere simul duas materias, quarum altera est subiectum adæquatum.

Forma præëxistens actuaret duas materias, vel aliqua harum esset informis.

Confirmatur, nequit dici primum, nempe materiam manere nudam sine omni forma, quod est placitum omnium Philosophorum; tum quia esset potentia nuda sine forma, quod est imperfectionis: tum quia præter intentum naturæ, quæ tendit ad actum, & perfectionem; tum quia esset contra modum naturalem agendi causarum naturalium: quia non intendunt corruptionem nisi per accidens, & quatenus sua actione ordinantur ad assimilandum sibi passum, vel formali, vel virtuali similitudine, & ex inductione formæ incompatibilis desinat forma præëxistens in materia. Tum denique quia ex hoc sequeretur priorem formam alimenti non posse destrui in materia virtute agentis naturalis, quia forma alimenti non desinit virtute causæ corrumpentis, à qua aliàs non dependet in sui conseruatione, nisi per corruptionem, quæ solùm contingit, quà virtus corrumpentis inducit in materiam formam substantialem incompatibilem, aut certè dispositionem necessitantem ad eandem formam, quæ proinde concomitatur: ergo nequit relinquere materiam nudam sine omni forma.

Confirmatur.

Non esset materia nuda.

Natura nequit corrumpere formam substãtialem nisi producẽdo incompatibilem.

31 *Forma materialis nequit migrare de subiecto in subiectum.* Secundum inconueniens etiam probatur quoad primam partem; si dicatur forma migrare, probatur: quia perinde repugnat formæ migrare, quæ dependet à subiecto, ac accidenti migrare de subiecto in subiectum, quia ideo repugnat accidenti naturaliter migrare à suo subiecto, quia dependet à subiecto; sed forma materialis similiter dependet à subiecto: ergo nequit migrare. Deinde, nequit forma materialis virtute agentis naturalis vniri subiecto ex cuius potentia non educitur, sed forma præëxistens nequit educi de subiecto virtute agentis naturalis; quia eductio de subiecto est actio, qua ipsa forma producitur in subiecto; ad formam autem præëxistentem non datur actio productiua: ergo neque eductiua noua eiusdem de subiecto nouo.

Natura nequit vnire formam materialem subiecto nisi educendo.

Deinde,

Nequit corrũpere vnionẽ materialis forma non corrumpendo ipsam.

Deinde, nullũ agens potest corrumpere vnionem formæ ad prius subiectũ, nõ corrupta ipsa forma, quæ dependet à subiecto, præter agẽs quod potest conseruare formam extra subiectum; sed hoc nequit agens creatum: ergo, &c. Maior patet; quia agens sic corrumpens vnionem non corrupta forma, debet in sua virtute includere concursum subiecti; hoc autem solum agens increatum includit: ergo. Deinde, vnio illa de potentia ordinaria manet quamdiu manent extrema eius, éstque necessaria ad conseruationem formæ materialis, quæ naturaliter nequit separari à subiecto sine corruptione. Deinde, intelligi nequit quomodo agens naturale ageret per se primò ad destructionem vnionis, nisi vt agit ad destructionem formæ, primò producendo in subiecto formam incompatibilem, qua posita, cessat actio agentis naturalis, & motus.

32 *Daretur motus localis in instanti.*

Deinde, ex sententia opposita sequeretur quòd daretur motus localis in instanti, si vna pars formæ migraret ad aliud subiectum diuersum secundùm extensionem. Probatur sequela, quia terminus nutritionis recipit *esse* in instanti; sed nequit vna pars formæ migrare de parte in partem sine mutatione loci: ergo contingeret in instanti. Prætereà, in augmento additur maior materia, quàm sit illa, quæ defluit, aliàs non fieret augmentum, vt quando ex virgulto crescit arbor, ex infante homo, &c. Similiter, quando decrescit, plus materiæ defluit, quàm additur, ob defectum caloris naturalis; dicere autem quòd eadem forma nunc extendatur ad maius subiectum, nunc contrahatur, est ridiculum; & præterea est constituere eam independentem à subiecto. Deinde, hæ mutationes sunt discretæ, & non fiunt simul, quia priùs defluit materia, & relinquitur porus, quàm restauretur per conuersionem alimenti: ergo illa pars formæ, quæ fuit in materia defluente, erit sine subiecto, donec adueniat noua materia, vel certè in alia parte materiæ informatæ, replicabitur donec materia noua superuenerit, & tunc migrabit, quæ planè sunt sine fundamento asserta: nam dum caro fluit, relinquens post se porum, succedit sanguis, qui in instanti non conuertitur, vbi ergo degit forma in priori materia fluente?

Tertium inconueniens probatur ex eo quòd forma nequit habere duo subiecta adæquata, quod aliàs probatum est; & quidquid sit an diuinitus posset contrarium fieri, saltem naturaliter vna forma dependens à materia habet in ea totam suam dependentiam terminatam: ergo nequit esse in potentia, vt ampliùs ad eam dependeat. Non ita forma, quæ nõ est dependens à materia, vt anima rationalis, quæ potest partes nouas additas eidem suæ materiæ informare de nouo; quia aliud est conferre posse perfectionem, & actum sine dependentia, & aliud recipere perfectionem, aut *esse* cum dependentia; illud conuenit animæ rationali, hoc verò formis materialibus, quæ nequeunt informare subiectum, nisi illud in quo tota earum dependentia terminatur in actu. 33

Forma nequit habere duo subiecta adæquata.

Instantia de anima rationali excluditur.

Tertia ratio Doctoris contra eandem sententiam: quia caro nata est fluere, non enim est incorruptibilis: sed non tantùm fluit materia, sed etiam forma: quia dependet à materia, quam perficit: ergo oportet compositum fluere, & compositum redire per nutritionem, id est, carnem antiquam fluere secundùm materiam, & formam; & carnem nouam redire secundùm materiam, & formam. Hæc ratio satis confirmata manet ex dictis, quidquid enim est generabile, est corruptibile, & in compositis materialibus nequit fluere materia, nisi etiã corrumpatur forma, quæ à materia dependet, vt dictum est.

Tertia ratio. Formam carnis fluere.

SCHOLIVM.

Prima conclusio, in nutritione formam substantialem induci in materiam. Secunda conclusio, formam carnis, quæ inducitur in nutrimentum, esse nouam, vt ostensum est contra secundam sententiam. Tertia conclusio, pars adueniens per nutritionem, est similis & dissimilis præëxistenti, & explicatur quomodo impurior est caro habita per nutritionem, quàm per generationem. Quarta conclusio, partem secundùm speciem (de qua Arist. 1. Gener. cap. 15.) dici, eam, quæ habet sufficientem virtutem & extensionem, vt habeat propriam actionem, quod latè explicat; cui explicationi consentit D. Bonauent. 2. dist. 30. art. 3. quæst. 2. Ægid. hîc quæst. 13. Sed ab aliis variè explicatur quid Arist. voluit per partes formales, seu secundùm speciem, quæ manent in nutrito, & per partes secundùm materiam, quæ non manent. De quo D. Thom. 1. part. quæst. 119. art. 1. Marsil. 1. de Gener. quæst. 13. Conimbric. ibid. cap. 5. quæst. 12. art. 1. Doctor dupliciter & clarè id explicat num. 11. & 12. Vide eum 2. dist. 2. quæst. 9. num. 15. vbi fusè, tripliciter exponit hunc locum Aristot. de parte secundùm formam, & parte secundùm materiam.

7 *Conclus. 1. Nutritio rectè dicitur aggeneratio, vel ingeneratio*

g QVantum ergo ad istum articulum sit hæc prima conclusio, quòd in nutritione est aliqua generatio, extendendo generationem ad omnem inductionem formæ substantialis in materiam post priuationem: quia sicut argutum est, materia alimenti non manet sub forma alimenti, nec sub aliqua alia, quam sub forma nutriti: & illam recipit post nutritionem: ergo, &c. Expositio istius conclusionis, non enim dicitur generatio simpliciter, quia non est generatio per se entis, prout

prout illud dicitur per se esse, quod non est pars alicuius: sed potest dici aggeneratio, quia generatio alicuius, quod per generationem fit idem alicui præëxistenti, cui aggeneratur: vel potest dici ingeneratio, quia generatio partis in toto, cuius non fuit pars.

Secunda conclusio, quòd in illa generatione tali quali, forma carnis, quæ inducitur in materiam nutrimenti, noua est: quia, vt est argutum contra præcedentem opinionem, præëxistens non posset de nouo perficere illam materiam, quia non competit, nisi formæ omnino inextensæ, sicut exemplificatur ibi de intellectiua: quælibet enim extensa per accidens habet partem aliam in alia, & alia parte materiæ: & ita si noua materia perficitur, non perficitur per aliquam partem, quæ priùs perfecit aliam materiam. Declaratio istius est per fluxum partis genitæ in nutritione, quia quando illa fluit, sicut materia partis illius desinit esse aliquid totius carnis, ita & forma, quæ perficit illam materiam, desinit esse: quia non potest manere sine illa materia, nec migrare. *Concl. 2.*

8 Tertia conclusio, pars adueniens per nutritionem, est aliquo modo similis parti præexistenti, quæ infuit per generationem, & aliquo modo dissimilis: similis in forma specifica non tantùm intellectiua, sed corporeitatis, quæ præsupponitur: dissimilis in hoc, quia quantò agens merè naturale, magis continuat actionem in contrarium, tantò magis debilitatur eius virtus. Quod probatur, quia omne tale agens repatitur in agendo: & ita quia agit in contrarium, patitur ab ipso (quam actionem vocat Philosophus corruptiuam) ergo caro primò habita ex generatione, quantò magis agit in nutrimentum, vt contrarium, tantò magis debilitatur virtus eius, & ex hoc dicitur impurior caro: ergo illa post aliquod tempus, in quo continuè sic agit in contrarium, est impurior quàm in principio: & per consequens cùm genitum non possit esse perfectius generante, sequitur quòd caro genita ab illa carne posteriori quantò posteriùs generatur, tantò regulariter erit impurior, quia ab impuriori genita. *Conclus. 3. Quomodò pars adueniēs per nutritionē similis & dissimilis præëxistēti.*

Ista conclusio confirmatur per exemplum Philosophi 1. *de Gener.* quantò vinum magis egit in aquam mixtam sibi, tantò est impurius, in tantùm vt tandem propter impuritatem quasi totum fiat aqua. Hæc conclusio includit aliam, quòd non tantùm posterior genita est impurior priori: sed eadem manens in toto, posterius est impurior seipsa prius: & hæc est ratio impuritatis in carne posteriùs genita. Hæc conclusio non asserit formam carnis non recipere magis & minùs; si tamen illud poneretur, ista impuritas esset propter remissionem formæ substantialis: potest tamen poni præcisè propter imperfectionem qualitatum naturalium consequentium formam, quæ sunt principium alterandi nutrimentum, quod quantò imperfectiùs alteratur, tantò ex eo caro impurior generabitur. *Text. 41. Impuritas formæ carnis in quo consistat.*

9 Quarta conclusio, de distinctione carnis secundùm speciem, & carnis secundùm materiam, apparet ex tertia: quia vnaquæque pars carnis habet certam periodum in toto, & tanto maiorem, quanto purior: tanto minorem, quanto impurior: tamdiu enim potest esse suum conseruare in toto, quamdiu potest per qualitates suas resistere corrumpenti. Hæc autem periodus maior est in parte priùs genita, quàm posteriùs, & in priori parte periodi quæcumque eadem pars est efficacior ad agendum quàm in posteriori. Et intelligenda est illa differentia cæteris paribus, hoc est, si pars carnis genita fuerit ex tali nutrimento, quod fuit natum conuerti in carnem æquè puram, sicut ex quo genita est illa caro. Siquidem alteratione proportionata posita ex vno alimento, nata est caro purior generari quàm ex alio. *Conclus. 4. Periodus sumitur prò duratione partis.*

Ex istis ad quartam conclusionem, forma dat *esse*, & *agere*: ergo pars secundùm formam potest dici quamdiu habet *esse* secundùm formam, vel quamdiu habet *agere* secundùm formam: & secundum infert primum, licèt non è contra: citiùs enim deficit alicui actio propter imperfectionem, quàm *esse*, & siue sic, siue sic, pars secundùm formam non est tantùm pars formæ: sed includit materiam & formam. Primo autem modo quæcumque pars dum manet in toto, dicitur pars secundùm formam, à principio scilicet periodi suæ vsque ad finem, quia scilicet tamdiu habet esse. Secundo modo non dicitur pro omni parte periodi pars secundùm formam: sed pro illa, pro qua habet virtutem ita efficacem, quòd potest sibi competere actio secundùm formam. Non dico sibi tantummodò, vt concurrenti ad actionem totius, neç sibi simpliciter separatæ à toto: sed sibi in toto virtus inest ad propriam actionem, quam vt ibi existens, posset habere, licèt non consideretur præcisè, vt concurrens ad actionem totius, & illa efficacia virtutis requirit determinatam virtutem intensiuam *Pars secundùm formā dicitur dupliciter, secūdùm esse agere eius.*

ſiuam &extenſiuam : quia non quæcumque modica pars in toto poſſet illo modo habere actionem propriam : ſed tantummodò concurrere ad actionem totius, vt dicit Philoſophus *in lib. de ſenſu*, de actione centeſimæ milleſimæ partis milij in ſenſum.

c.7. vt quidam diuidunt.

Requiritur ergo aliqua determinata quantitas extenſiua ad illam efficaciam agendi in toto. Requiritur etiam quantitas intenſiua virtutis, (quia vt dictum eſt) poſt remiſſionem virtutum actiuarum, in tantum vt magis cedant contrariis, quàm vincant, non poteſt illud agere propria actione: ergo hoc ſecundo modo pars ſecundùm ſpeciem eſt tantæ quantitatis naturalis, & tantæ virtutis actiuæ, quòd ſibi poſſit competere propria actio, non quidem vt ſuppoſito extra totum: ſed ſic propria, quòd non tantùm concurrat ad actionem totius.

Pars ſecundùm ſpeciē quid ſecundùm Ariſt.

Primo modo parti ſecundùm ſpeciem non opponitur propriè pars ſecundùm materiam, niſi ſicut homini viuo opponitur homo mortuus: & ſic eadem pars dicitur pars ſecundùm ſpeciem, dum manet in toto, & pars ſecundùm materiam, quando fluit: ſicut idem dicitur primò homo viuus, & poſteà mortuus. Secundo modo alia eſt pars ſecundùm ſpeciem, alia ſecundùm materiam, etiam partibus manentibus in toto: quia aliqua modica pars, cui non poteſt competere propria actio, etiam ſi ſit in principio ſuæ periodi, eſt pars ſecundùm materiam: pars autem quantitatis ſufficientis ad agendum eſt pars ſecundùm ſpeciem, & hoc ſi habeat virtutem efficacem ad agendum, quæ requirit quantitatem virtualem. Et per oppoſitum pars ſecundùm materiam, quæ non habet talem efficaciam virtutis, quantamcumque quantitatem extenſiuam habeat.

Pars eadem quomodo dicitur ſecūdùm ſpeciem & ſecūdùm materiam. De quo Scot. 2. diſt. 2. q. 9. n. 13.

COMMENTARIVS.

34 *Prima concluſio communis. In nutritione fieri generationem.*

QVantùm ergo ad iſtum articulum, &c. Subiicit quatuor concluſiones, quibus explicat hanc veritatem.

Prima concluſio. In nutritione eſt aliqua generatio. Hæc concluſio eſt communis, quam tenet Philoſophus *1. de Generatione. & 2. de Anima. cap.* 4. D. Thomas *p. 1. q.* 119. Plerique Theologi locis *ſuprà* citatis. Cæterùm intelligit Doctor de generatione latè ſumpta, quatenus eſt inductio formæ ſubſtantialis in materiam poſt priuationem, & ita in propoſito in materiam alimenti inducitur forma aliti, corrupta forma alimenti, & manente materia ſub forma aliti. Non tamen hæc eſt generatio ſimpliciter, quia non eſt totius, aut per ſe entis, quod non eſt pars alterius; Sed dicitur generatio partis, ſeu aggeneratio, qua productum fit idem priori exiſtenti, tanquam pars eius minùs principalis: neque intenta per ſe à natura propter ſe, ſed propter eam, cui inſeritur ad reſtaurationem, & conſeruationem eius, quæ pars, vt comparatur ad totum præëxiſtens, & partes eius principales, dicitur ſecundùm *quid*, ſeu ſecundaria eius; quia tam exigua eſt, vt vix annumeretur toti cui continuatur; quamuis ſi conſideretur totum, quod additur vſque ad periodum augmenti, aut toto etiam decurſu vitæ, excedat in quantitate materiam totius primigeneam. Poteſt hæc generatio dici, vt benè Doctor, ingeneratio: quia illius partis in toto eſt generatio, & vt in toto recipit *eſſe*, non verò ſeorſim.

Nutritio non generatio ſimpliciter.

Ratio huius.

35 *Secunda concluſio. In nutritione forma carnis eſt noua.*

Secunda concluſio: in illa generatione non ſolùm materia eſt noua, ſed etiam forma carnis noua eſt, & producta per nutritionem. Hæc concluſio eſt contra priorem ſententiam ſecundo loco poſitam. Doctorem ſequuntur Capreolus *in 2. diſt. 15. q. 1. art. 3.* Baſſolis *d. 30. art. 3.* & reliqui noſtræ ſcholæ tam ibi, quàm *in præſenti diſtinct.* Albertus de Saxonia *1. de Generat. quæſt. 10.* Marſilius *quæſt. 12.* Tolet. *quæſt. 9.* Conimbricenſes *quæſt. 12.* Eſt Auguſt. *lib. de vera Religione, cap. 40. de Geneſ. ad literam lib. 2.* Damaſceni *cap. 7. Phyſicæ.* Nyſſeni, *lib. de opificio hominis, cap. 2.* Nemeſ. *cap. 23. de natura hominis.* Lactantij *de opificio Dei, cap. 11.* Probatur concluſio argumentis *ſuprà* allatis contra Henricum. Concluſionem hanc admittit prima ſententia Magiſtri, quamuis neget carnem nutrimentalem eſſe animatam. Quantùm ad carnem brutorum, concluſio eſt communis aliorum, præter citatos, neque refert ſiue conſtituatur caro propria forma diuerſa, ſiue per animam viuentem tantùm; quia hæc educitur de potentia materiæ, ab eáque dependet, ſicut cæteræ formæ materiales; ac proinde rationes Doctoris perinde militant contra Henricum, & alios negantes diuerſas formas in viuentibus.

In nutritione tamen hominis quoad eos, qui negant pluralitatem formarum, ſiue particularium, ſiue totalium in homine, & tribuentium omnem conſtitutionem ſoli animæ, quæ creatur, & non producitur de nouo, etiam ſecundùm partem. Aliter dicendum eſt, nempe materiam ſolam addi, & vniri de nouo animæ præëxiſtenti, aut animam ipſi. Probatio concluſionis idonea exigeret hîc oſtendi in homine carnem per propriam formam conſtitui, & ſubſtantialiter conſtitutæ aduenire animam, tanquam formam ſubiecto præſuppoſito. Hanc controuerſiam aliàs *ſuprà* tractauimus *loco citato, diſtinct. 11. huius.* Non eſt ergo quòd eadem huc reuocemus; ſed ſupponimus tanquam deductam. 36

Controuerſia de forma carnis in homine.

Carnem in homine forma diuerſa ab anima cōſtitui.

Confirmatur autem ratione Theologica, ſupponendo eandem in ſpecie eſſe carnem, quæ generatur, & per nutritionem aggeneratur, quæ non eſt diuerſa à carne propagata à parentibus: ſi ergo hæc ſubſiſtit in propria forma, & diuerſa ab anima rationali, idem erit de carne nutrimentali. Hoc ſuppoſitum iam probatum

Confirmatio ex ratione Theologica.

probatum eſt contra Magiſtrum *in hoc articulo* §. *circa iſtam quaſtionem.*

37 *Probatio ex ſententia Patrum, eiuſque ſuppoſitione quam includit.*

Argumentor ergo ad ſcopum concluſionis contra negantes propriam formam carnis in homine, & diuerſam ab anima rationali. Cauſa proxima peccati originalis contrahendi eſt caro peccati propagata ex primo parente, in qua naſcitur infans, & concipitur, vt communiter omnes Theologi, tam qui cauſam hanc in morbidam infectionem, ſeu qualitatem infectam carnis refundunt, vt Henricus, & alij, quàm qui in ipſam carnem propagatam naturaliter eam reducunt, quatenus eſt ex primo parente per viam concupiſcentiæ. Videatur Auguſt. *lib.*1. *de Geneſ. ad literam*, *cap.*19. *&* 20. *& lib.*2. *contra Iulianum*, *& lib.*5. *cap.*9. *epiſt.*89. *quaſt.* 3. *& lib.*1. *de peccatorum meritis & remiſſ. cap.*9. *& lib.*2.*c.*27. *&* 28. *lib.*1. *de nupt. & concupiſcentia cap.*4. Fulgent. *de fide ad Petrum cap.*2. Anſelmus *de concept. virginali cap.*11. *vſque ad* 17. Magiſter eandem veritatem confirmat *in* 2. *diſt.*31. aſſerens carnem corruptam propagari ex corrupta carne parentum, & animam ex contactu carnis, ſeu vnionem ad carnem maculari, & contrahere peccatum, idem probans ex Ambroſio & Auguſtino; hîc autem per commoda exempla idem probat *lib.*1. *contra Iulianum cap.*3. *& lib.*1. *de nuptiis & concupiſcentia cap.*19. *lib.* 3. *de peccatorum meritis & remiſſione cap.*8. *&* 9. Supponunt ergo Patres carnem ita propagari à parentibus ſub propria forma carnis, & idem de corpore, ex quorum tactu anima contrahit peccatum originale; & diſtinguunt in formatione hominis id, quod eſt à parentibus, & quod à ſolo Deo, nempe carnem, & corpus eſſe ex parentibus, & virtute eorum ſeminatum, & productum, animam verò eſſe à ſolo Deo creatam, & mundam, donec contactu carnis maculatur per vnionem ſui ad carnem.

Modus & cauſa contrahendi peccatum originale ex contactu carnis.

Auguſt.

Parentes ſeminant carnem peccati.

38 Ergo ſupponunt etiam carnem non intrinſecè in *eſſe* carnis per animam rationalem, ſed eam ſupponi tanquam ſubiectum, ex cuius contactu maculatur anima, tanquam ex cauſa intrinſeca & propria contrahendi peccati. Hoc idem ſupponebant alij Patres, quos inſinuat Magiſter ſub initio diſtinctionis, aſſeruiſſe ipſam animam eſſe ex traduce, & non ſolam carnem, & ſicut caro infecta prolis ſeminatur ab infecta parentum, ita etiam animam infectam infantis ſeminari ex anima infecta parentum: ergo ex vtrorúmque ſententia caro per propriam formam conſtituitur, & non per animam rationalem. Probatur conſequentia: quia caro eſt ſubiectum concupiſcentiæ; vel ei obnoxia, in qua ex Scriptura regnat, & cui attribuitur tanquam radici; ex qua in animam redundat, vt etiam Patres affirmant: licèt enim concupiſcentia conueniat animæ, vt eſt in carne, quantùm ad operationem, tamen non eſt ex inclinatione propria animæ, ſed ex inclinatione peccati, & carnis vt propagantur à parentibus; ſed anima nequit dici propagari à parentibus, ſicut ſeminatur peccatum, & concupiſcentia: quia anima à Deo ſolo eſt, vt Patres creationem eius admittentes affirmant, & eam condiuidunt à carne, vt hæc eſt cauſa peccati: ſed nequit conuenire carni talis affectio, vt condiſtinguitur ab anima, ſi per eam conſtituitur: neque caro nomen, aut eſſentiam carnis habet, niſi vt conſtituitur primariò ſua forma intrinſeca: ergo illa forma non eſt anima. Probatur conſequentia; quia inde ſequeretur quòd anima ſupponeretur tota ad *eſſe* carnis, & inquantùm conſtitueret carnem ſibi ipſi communicaret primariò peccatum, & pœnam eius. Sequeretur etiam quòd caro non ſeminaretur, aut propagaretur à parentibus, qua diſtinguitur ab anima, quæ eſt à Deo.

Idem ſupponunt qui aſſerebant animam eſſe ex traduce.

Concupiſcentia ex carne.

Dices carnem ſeminari à parentibus ratione materiæ deciſæ in ſemine. 39 *Reſponſio.*

Contrà. Ratione materiæ nequit ipſi conuenire eſſentia, aut applicatio carnis, neque eſſe radicem concupiſcentiæ: ergo ſi hæc conueniunt carni, quà caro eſt, ſequitur ipſam carnem, quà talis eſt ex propria forma; eſſe ex parentibus, & non conſtitui per animam, quæ dicitur inſici ex contactu carnis ſic propagatæ de carne peccati; quia in hoc aſſignant cauſam proximam peccati, qua ab anima contrahitur, non vt eſt à Deo tota per creationem; ſed vt vnitur carni, vel ei infunditur, quod intendunt Patres per contactum, qui propriè eſt reſpectiuè ad rem contactam, vt in ſe priùs exiſtentem. Quidquid enim conuenit animæ per effectum formalem intrinſecum, non dicitur ei conuenire per contactum alterius: ergo ſi conſtituat carnem formaliter intrinſecè, non rectè, neque propriè diceretur à Patribus ex contactu carnis peccati infici, qui per hoc dant cauſam extrinſecam ſuæ entitati, per quam inficitur, & conſequenter ſupponunt eam conſtitui per formam propriam, & diuerſam, & ſic propagari à parentibus, vt in ſuo *eſſe* diſtinguitur ab anima poſteriùs adueniente per creationem, & vnionem ſui ad carnem præexiſtẽtem, qui eſt ſenſus planus & proprius Patrum.

Impugnatio.

Anima creatur & ſupponit carnem.

40 *Tertia concluſio.*

Tertia concluſio. Pars adueniens per nutritionem ſimilis eſt in ſpecie carni præexiſtenti, diſſimilis in puritate. Probat hanc concluſionem ex eo quòd calor naturalis, qui eſt principium alterandi, & conuertendi nutrimentum reparatur à nutrimento, & debilitetur virtus quoad qualitates naturales, quæ ſunt principiandi & alterandi in carne, & conuertendi alimentum. Exemplum ſubiicit ex Philoſopho 1. *de Generat. text.*41. v. g. vinum quantò magis agit in aquam ſibi mixtam, tantò fit impurius. Ita in propoſito, quantò magis alitum agit per virtutem nutritiuam in alimentum, tantò magis etiam virtus actiua eius debilitatur, & caro ſequens fit impurior, quia admixtis humoribus redundat; qui in perfectam & puram carnem ex debilitate agentis non conuertuntur.

Caro nutrimentalis ſimilis in ſpecie præexiſtẽti, diſſimilis in puritate.

Ratio huius.

Hinc infert non ſolùm carnem poſteriùs genitam eſſe impuriorem, ſed etiam reddi carnem, cui admiſcetur, impuriorem quàm priùs fuerit, non ex eo quòd forma ſubſtantialis admittat magis, & minus, ſed ex eo quòd eius qualitates conſequentes naturales ſic admittant magis, & minus, & remittantur ex actione contrarij, vt minùs perfectè poſſint alterare alimentum, & hoc conſequenter minùs perfectè decoquatur, aut conueſtatur in ſubſtantiam aliti. *Illatio.*

Si dicas, quomodo caro reddi poſſit impurior ſi eſt perfecta ſecundùm eandem ſpeciem, in qua eſt caro, cui aduenit. *Obiectio.*

Reſpondetur, licèt ſit in eadem ſpecie, poſſe in indiuiduo vnam eſſe alia imperfectiorem. Deinde, iuxta iam dicta dicitur etiam impurior ex admixtione humorum, qui licèt non tranſeant in ſubſtantiam viuentis; tamen admiſcentur carni, quæ tranſit in eandem ſubſtantiam, &

Soluitur.

Cauſa impuritatis in carne nutrimentali.

& disponunt eam ad faciliorem corruptionem, & sui fluxum.

41 *Partes formales, & materiales carnis.* Quarta conclusio Doctoris est, distingui partes carnis immateriales, & formales, seu in partes secundùm speciem, & in partes secundùm materiam. Hanc distinctionem tradit Philosophus 1. *de Generat. cap.5.* asserens in nutritione manere idem secundùm partes formales, non autem secundùm materiales. Quænam autem dici debeant partes formales, & quæ materiales, non eodem modo ab omnibus explicatur. Albertus Magnus *tract.3. de Generat. cap.8.* partes formales appellat organa, vt oculum, manum, &c. in quibus magis elucet pulchritudo formæ: materiales verò non organicas, vt carnem, &c. Marsilius *in 1. de Generat. quæst.13.* Albertus à Saxonia *quæst.12.* partes materiales putant appellari porosas, in quibus fit nutritio; formales verò partes solidas, & non porosas. D. Thomas *lib.4. contra Gentes cap.81.* & Ferrariensis *ibid.* Conimbricenses 1. *de Generat. cap.5. quæst.12. art.1. & 2.* & alij intelligunt partes formales dici partes integrantes secundùm communem rationem speciei; materiales verò easdem partes secundùm conditiones indiuiduantes: nam sæpè Philosophus vtitur nomine *forma* pro specie, nomine verò *materia* pro indiuiduo, vt 1. *de Cælo cap.9. text.92.* Auerroës *in cap.5.* asserit formales sumi pro iis, quæ forma constant, materiales dici ratione materiæ, quæ semper fluit, forma verò semper manet. Alij iuxta sententias præmissas superiùs dicerent partes formales dici carnem primigeneam, quæ semper manet, vel certè ipsam formam iuxta sententiam Henrici, & aliorum. Materiales verò dici carnem nutrimentalem iuxta sententiam Magistri, & Alexandri Aphrodisei apud Auerroëm 1. *de Generat. cap.5.* vel certè ipsam materiam quæ semper fluit manente forma.

Varia sententia circa præmissas.

42 *Vnde sumenda distinctio præmissa.* Cæterùm, cùm hæc differentia denotetur à Philosopho respectiuè ad fluxum, & permanentiam partium, oportet distinctionem in his verificari. Supponit ergo Doctor formæ duo conuenire, nempe dare *esse*, & *agere*. Secundùm infert primum, non è contra; quia citiùs deficit alicui actio propter imperfectionem, quàm *esse*: in ordine ergo ad alterum horum debet distinctio verificari, & siue vno, siue altero modo sumatur pars secundùm formam, intelligitur pars, vt includit tam formam, quàm materiam. Et hoc patet ex dictis, quia quod habet *esse* in toto, vt componit totum integraliter, debet constare materia, & forma: nam compositio essentialis attenditur tantùm secundùm potentiam, & actum, seu materiam, & formam, quarum neutra subtrahi potest manente toto. Oportet ergo compositionem totius, vt consideratur hîc secundùm partes permanentes, quæ dicuntur formales, & fluentes, quæ dicuntur materiales attendi in ordine ad compositum integrale, vt est permanens, & ex diuersis partibus, quarum quælibet sua propria materia, & forma constat, & vt his constituta integrat totum: ergo pars formalis, & stabilis in toto, vt distinguitur à materiali fluente, debet constare materia, & forma. Per idem patet de materiali parte debere aliquando, & ante fluxum fuisse ex materia & forma propria, & secundùm vtrámque fluere, & desinere esse in toto actu, vel aptitudine, qua nata est fluere præ aliis.

Forma competit esse & agere.

Duplex totum.

Essentiale,

& integrale.

Sumendo ergo partem formalem, qua habet *esse* in toto, & vt sumitur in prima acceptione, illa est formalis quæ habet *esse* in toto, & quamdiu habet *esse* in toto vsque ad periodum sui fluxus. Per oppositum huius pars materialis est illa, quæ actu decidit, & fluit. Hanc etiam explicationem vtriusque partis sequitur sanctus Bonauentura *in 2. distinct.30. quæst.2. art.3.* Ægidius *Quodlibeto 4. quæst.13. & in 2. distinct.30.* eámque tuetur nostra Schola, & satis congruè distinctionem prædictam quantùm ad scopum Philosophi explicat: & probatur, quia illa pars concurrit ad compositionem totius, quamdiu manet, éstque actu pars totius, & sufficienter distinguitur à parte, quæ aliquando fuit totius & desiuit: ergo est pars formalis, & permanens, quamdiu in eo statu est. 43

Pars formalis vt sumitur secũdùm esse.

Secundo modo explicando partem formalem non solùm quantùm ad *esse* in toto, sed etiam ad agere, rectè etiam intelligitur distinctio præmissa, quia sicut agere appropriatur formæ, ita etiam pars formalis rectè dicitur illa, cui competit actio in toto, & virtus agendi, vt distinguitur à parte materiali, quæ in hoc assimilatur materiæ, cuius nulla est actio. Pars ergo formalis hoc modo sumpta, est illa, cui ex sua forma, perfectione, & virtute eius competit actio in toto, non quòd ipsa se sola sit ratio agendi toti, eo modo quo forma est principium agendi composito, aut possit etiam habere actionem propriam, vt separata à toto: sed quòd habeat virtutem sufficientem quantùm ad extensionem, & intensionem, per quam possit habere actionem propriam in toto: quia non quæcunque modica pars habet actionem se ipsa, sed concurrit in toto ad actionem totius, id est, non quodcunque minimum naturale illius partis, quæ ex propria virtute habet actionem propriam, potest dici habere actionem sibi conuenientem; sed vt concurrit cum parte principali, quam componit, & quæ vocatur formalis, ad actionem ipsius, qua est in ipsa, vt pars in toto.

Pars formalis vt sumitur secũdùm actionem.

Quænam est pars formalis in ordine ad actionem.

Est quæ habet actionem propriam in toto.

Exemplum subiicit ex Philosopho *de Sensu & Sensato* de actione millesimæ centesimæ partis milij in sensum, quam negat Philosophus, dicens quòd passiones naturales non sunt diuisibiles in infinitum, quia aliàs sensus in infinitum cresceret, cùm ad minorem, & minorem partem sensibilis requireretur acutior sensus, & sic in infinitum, si sensibile, quod est diuisibile in infinitum, etiam sic esset diuisibile in *esse* sensibilis, ita vt possit secundùm quamcunque sui partem mouere sensum ad sensationem. Vnde ipse diuidit partes sensibiles in eas, quæ sunt partes in virtute, & non quoad actionem, & eas quæ sunt partes quoad actionem, qua sensum actu mouent. Illæ dicuntur partes quoad virtutem, vel in virtute, quia licèt seipsis, & separatim in toto, vel extra totum non habeant actionem, tamen in toto, quod componunt, possunt concurrere ad actionem totius: totum enim sicut requirit determinatam quantitatem ad agendum, quæ quantitas coalescit ex partibus vnitis, & requiritur determinatæ magnitudinis ad agendum; ita actio conuenit toti primò in illa determinata quantitate, ita vt minor non sufficeret; & sicut ipsum non est aliud quàm suæ partes, ita actio competit ipsi, vt est ex partibus, non quòd singulæ habeant actionem propriam, aut agant 44

Exemplum de obiecto sẽsibili.

Diuisio obiecti sensibilis ex Philosopho in suas partes quoad sensationem.

Actio supponit determinatam quantitatem in principio actionis.

agant sine concursu alterius; sed vt concurrunt cæteræ ad vnam communem actionem, quæ primò est totius, vt ex ipsis coalescit in *esse*, & quoad quantitatem requisitam.

45 *Applicatio præmissæ doctrinæ.*

Ita ergo in proposito pars materialis carnis in hac acceptione est illa, quæ non habet actionem nisi tantùm in virtute, vt componit totum, cui primò competit actio, ad quam requiritur determinata magnitudo, quæ est totius primò, vt coalescit ex partibus. Per oppositum huius, pars formalis est illa, cui competit actio propria, & habet determinatam quantitatem, & virtutem sufficientem ad actionem, quæ est virtus eius intensiua quoad qualitates naturales requisitas ad agendum simul cum quantitate determinata; quæ actio non competit ipsi vt supposito; quia non conuenit ei vt separata est à toto in *esse*, sed conuenit ei, vt est in toto, licèt ita sit propria eius, vt sua virtute eam attingat, non vt concurrens ad *esse* totius, aut actionem totius, sicut contingit in parte materiali.

Pars formalis est illa, cui cõpetit actio.

Duplex modus accipiendi partẽ formalem, & materialem.

Dixi ergo superiùs partem materialem esse illam, quæ fluit actu, vel aptitudine, vt comprehendam vtrámque acceptionem partis materialis: nam pars materialis primo modo sumpta, vt benè Doctor, §. *Primo modo parti*, &c. est illa, quæ actu fluit, aut fluxit, & comparatur ad formalem oppositam, sicut homo mortuus ad hominem viuum. Pars materialis secundo modo sumpta licèt det *esse* toti, & maneat in ipso; tamen non dat agere, quod proprium est formæ; ideóque magis sequitur naturam materiæ, & denominationem, quàm formæ: hanc dixi aptitudine fluere, quia licèt insit, non habet virtutem, qua seipsam restauret in toto, vel in parte, neque qua resistat actioni corrumpentis, & ideò aptitudine fluit magis, quàm illa pars quæ dicitur formalis habens quantitatem tam extensiuam magnitudinis, quàm intensiuam virtutis, vnde potest ex se restaurare, & resistere corrumpenti. Ex quibus, & litera Doctoris habetur congrua expositio huius distinctionis, quæ vniuersaliùs accipienda est, quàm vt ab aliis explicatur: hîc enim agitur de subiecto nutritionis in quantùm manet, & fluit secundùm partes, vt ostendatur necessitas nutritionis, & modus, quo per eam suppletur deperditum, & quomodo totum integrale manet, & quomodo fluat secundùm diuersas partes.

46 *Reiicitur expositio Alberti.*

Hinc excluditur expositio Alberti, quia non sumitur hîc forma, vt est terminus qualitatis, vel spectat ad pulchritudinem, & temperamentum colorum, vel vt est figura & terminus quantitatis: neque consequenter pars formalis secundùm illam denominationem, sed sumitur in ordine ad acceptionem formæ; vel qua dat *esse* toti, vel agere: iuxta vtrúmque autem modum præmissum rectè hoc explicatur in ordine ad scopum Philosophi, qui agit de toto, vt idem manet, & fluit secundùm diuersas partes. Vnde licèt pars formalis in illa acceptione Alberti assignari possit, tamen pars materialis non rectè assignatur per ordinem ad fluxum; nam & ipsa organa partim fluunt, partim manent, quia nutriuntur; & augentur: pars autem materialis vt opponitur formæ, qua est terminus qualitatis, non potest fluere manente forma vniformiter, quæ consistit in respectu, & proportione, quæ nequeunt saluari eadem sine suo fundamento.

Secundus modus explicandi licèt posset in re ipsa coincidere cum expositione Doctoris, vt partes porosæ sint magis subiectæ fluxui, quàm partes solidæ: tamen nulla est pars, quæ non sit subiecta etiam virtuti corrumpentis, & quæ non fluat, & quæ non nutriatur: quia est subiectum caloris naturalis, & habet meatus, vt venas, & arterias, seu fibras, per quas conuehitur, distribuitur; & applicatur sanguis per modum alimenti conuertibilis: ergo in ordine ad fluxum perinde etiam se habent partes solidæ sicut porosæ, licèt non æqualiter. 47 *Secunda explicatio aliorum reiicitur, seu explicatur.*

Tertius modus explicandi, vel conincidit cum eo, quem Doctor assignat, vel certè non rectè fundatur ad scopum præsentis distinctionis: quia licèt admittamus partes materiales, seu materiam sæpè à Philosopho sumi pro conditionibus indiuiduantibus, vt etiam aliàs sæpè admittit noster Doctor, vt comparatur materia ad formam totius, & speciem: tamen in proposito non sic intelligitur, nisi aliquo modo accommodatè; quia Philosophus intendit manere idem indiuiduum totius, & non manere, & considerat ipsum, quà est totum integrale, non quà essentiale: oportet ergo vt maneant partes eius indiuiduales, ex quibus componitur indiuiduum, & non maneant, qua scilicet consideratur vt stabile est, & fluens, & consequenter manere indiuiduum in *esse* indiuidui, & non manere quoad omnes partes, quæ integrant indiuiduum: nam quòd maneat quoad communem rationem speciei, nihil facit ad propositum: quia sic etiam maneret, licèt totum conuerteretur in aliud indiuiduum eiusdem speciei, non maneret tamen physicè, vt idem subiectum fluxus, & nutritionis, seu permanentiæ, sub qua ratione de ipso agit Philosophus. Si autem intelligatur illa expositio hoc modo vt indiuiduum consideratur secundùm has partes in specie, quatenus vna succedit alteri eiusdem speciei, & quatenus aliqua etiam pars manet eiusdem speciei, & ipsum idem indiuiduum non solùm secundùm speciem manere idem quoad omnes partes, sed etiam in *esse* indiuidui quoad æquiualentiam, non discordat. Quamuis etiam partes fluant secundum speciem, & indiuidualitatem, quia fluunt secundùm formam, & materiam, vt *suprà* probatum est; neque potest saluari vt fluat secundùm indiuiduum partis, quin etiam fluat secundùm speciem, vt in parte saluatur: hoc ergo modo manet secundùm *esse* indiuidui, & speciei, & non manet: sed magis propriè dicitur manere, & non manere secundùm diuersas partes, & eas, in quibus manet, esse formales: in quibus fluit esse materiales; vt Doctor exponit, cui rectè quadrat illa expositio Auerrois. 48 *Tertius modus explicandi illas partes reiicitur.*

Accommodatur dictis.

Obiiciunt Conimbricenses ex D. Thoma, quòd indiuiduum fluat secundùm omnes partes, quas continet, siue organicas, siue non organicas: ergo cùm Philosophus asserat indiuiduum manere quoad partes formales, non verò quoad materiales, debet aliter intelligi quoad aliquas, quæ semper manent. 49 *Obiectio.*

Respondetur debere intelligi quoad partes quæ manent, & quamdiu manent; nam pars formalis & materialis non intelligitur absolutè, sed respectiuè quoad fluxum, & non fluxum; nulla enim pars est indiuidui, vt est subiectum nutritionis; quin fluat, & quoad speciem, vt dictum est, & quoad materiam & formam; vel fluere possit *Responsio.*

possit in termino suæ periodi, quando eneruatur virtus eius, & actio ad subsistendum in toto; quia omnes sunt corruptibiles, & nequit pars fluere, quin etiam essentia, vt in ipsa est, fluat; quoniam Philosophus agit hîc de indiuiduo, vt est subiectum nutritionis, & componitur ex partibus integrantibus, quarum quædam fluit, aliæ restaurantur, & manent, nequit ipse intelligi de compositione essentiali, vt est metaphysica, & non facit ad motum, aut mutationem; neque consequenter de compositione ex essentia secundùm communem rationem essentiæ, & ex indiuiduo.

Scopus Philosophi est agere de indiuiduo in ordine ad fluxum partium.

50 Obiiciunt secundò Philosophum ibi non solùm agere de viuentibus, sed etiam de inanimatis, in quibus inueniuntur partes formales, & materiales.

Obiectio 2.

Respondetur Philosophum ex proposito agere de viuentibus, vt sunt obiectum nutritionis, & augmentationis, quamuis per accommodationem transferat doctrinam ad non viuentia secundùm quandam analogiam partium formalium, & materialium, in quibus formales sunt, quæ manent, materiales verò quæ atteruntur, aut corrumpuntur in parua quantitate; quamuis tam corruptio quàm generatio succedens non ab intrinseca virtute proueniat, sed per causas extrinsecas. Alij modi dicendi *sup.* impugnantur.

Responsio.

SCHOLIVM.

Ad secundum, explicat dupliciter quomodo partes secundùm speciem manent, & augentur, partes secundùm materiam, non. Ad tertium, explicat modum, quo fit nutritio, & quòd non nutriantur singulæ partes, sed tantùm partes secundùm speciem: de quibus agunt, Marsil. suprà, Iandunus 8. Physicor. quæst. 7. Sotus 5. Physicor. quæst. 3. Gregor. 1. distinct. 17. quæst. 2. art. 1. Conimbric. 1. de Gener. cap. 5. quæst. 15. qui tractant an in singulis poris aliquid alimenti recipiatur, & an quælibet partes augeantur. De ordine concoctionum, & viis, per quas defertur alimentum ad partes nutriendas à ventriculo, & iecore, ijdem Conimbric. tractant ibi quæst. 3. sed hoc Anatomistarum & Medicorum, magis est, quàm Theologorum.

11 *Ad arg. pro opin. Henr. adducta, n. 5.*

PEr hoc ad fundamenta præcedentis opinionis. Exemplum de intellectiua est ad oppositum: quia illa modo inextensibili, & inextensibiliter respicit materiam: & ideò nullam partem nouam habet per hoc, quòd perficit nouam partem materiæ; sed oppositum sequitur de illa forma extensibili in materia. Auctoritas Philosophi, & de carne secundùm speciem, & secundùm materiam, soluta est in quarta conclusione, quia non intelligit quòd pars secundùm materiam fluat, & refluat, id est, materia tantùm, & pars secundùm formam maneat, id est, forma secundùm se totam: sed tam pars secundùm materiam, quàm pars secundùm formam est pars integralis totius, & est verè compositum ex materia & forma. Vnde vocat carnem secundùm materiam, & carnem secundùm speciem, compositum ex materia & forma: non autem materiam carnis & speciem carnis: quæ autem pars composita ex materia & forma carnis sit caro secundùm speciem, & quæ secundùm materiam, dictum est *in 4. conclusione*, & quomodo caro secundum materiam fluit, patet secundùm primum modum, distinguendo carnem in carnem secundùm speciem, & carnem secundùm materiam: iuxta secundum autem modum, pars secundùm materiam fluit, id est, est in proxima dispositione ad fluendum, & hoc loquendo de parte secundùm materiam, propter defectum quantitatis virtutis.

Quid caro secundùm materiã, & caro secundùm speciẽ apud Phil.

Quomodo pars secundùm materiã fluat, & pars secundùm formã maneat in nutritione.

Loquendo autem de parte secundùm materiam propter defectum quantitatis mobilis, non est intelligenda illa differentia de fluxu & non fluxu: sed illa pars secundùm speciem augetur: pars secundùm materiam non augetur: quia (vt statim dicetur) minima vel aliqua non notabiliter magna in toto non augetur: sed aliqua determinatæ quantitatis, quæ sufficit ad partem secundùm speciem, augetur. Pars ergo secundùm speciem non fluit secundùm primum intellectum, quia manet in toto: nec iuxta secundum intellectum, quia habet virtutem conseruandi se in toto, nec secundum tertium intellectum, quia habet quantitatem sufficientem, vt aliqua pars ad sui conseruationem sibi aggeneretur: & per oppositum pars secundùm materiam tripliciter intellecta, tripliciter fluit.

12 *In solutione sequen.*

13 Ad tertium dico, quòd & in nutritione, & in augmentatione est quædam iuxtapositio, & tamen ipsi nutrito, vel aucto (& hoc siue toti, siue parti) non fit tantùm iuxtapositio: vbi intelligendum, pone aliquam partem tantæ quantitatis & virtutis, vt non tantùm coagat toti, sed possit in toto existens habere propriam actionem, dicatur *A*, habet ista modicas partes, esto 10. quarum quælibet (quia fortè requiruntur

requiruntur plures in vno, quàm in alio, vtpote in planta sufficit vna, in bruto duæ, in homine tres, vel plures, non curo) habet æqualem virtutem intensiuè, dicantur *B*, *C*, &c. Si nutrimentum fuerit per quotcunque sequestrationes, vel depurationes ad hoc deductum, vt iam sit sub forma proxima formæ nutriendi, siue hoc fuerit antequàm localiter mittatur ad partes nutriendas, siue postquàm missum fuerit per virtutem regitiuam totius, & hoc per quasdam vias subtiles deseruientes tali missioni, cuiusmodi sunt venæ in corporibus animalium, & alia huiusmodi correspondentia in plantis; iam istud sub forma cambij, vel glutini, vel roris approximatum parti nutriendæ, & receptum in poris quibusdam dimissis ex fluxu quarumdam partium secundùm materiam, quæ præfuerunt ibi, & nunc ex fluxu suo reliquerunt poros repletos aliquo humore subtiliori, & ita totum carens densitate in partibus requisita ad *benè esse* eius, ibi existens, conuertitur in ipsum nutriendum: & sicut ante conuersionem iuxtaponebatur contiguè partibus nutriendi, ita post conuersionem iuxtaponitur continuè aliquibus partibus manentibus. *Quomodò fiat nutritio.*

Esto ergo, *A*, est tanquam pars, cui conueniat nutriri & augeri, in poris intra ipsum *A*, recipiuntur passim partes nutrimenti, & ipsi existentes aggenerantur partibus *B*, *C*, & cæteris præëxistentibus illis iuxtaponuntur: sed non toti, quia sunt aliquid intra ipsum totum, licèt vna pars de nouo genita sit aliquid intra aliam partem illius partis nutritæ; esto quòd illa sit minima, cui conueniat propriè nutriri, vel augeri, sic, quòd quælibet pars eius sit nutrita, vel aucta. Et istud est necessarium ponere, scilicet aliquam partem notabilis quantitatis minimam sic auctam: quia si quælibet pars in toto quantuncunque modica augeretur propriè, necesse esset quòd auctum semper augeretur in duplo, vel saltem in notabili quantitate maiori, quàm priùs: quod est manifestè falsum. 14 *An quælibet pars aucti vel nutriti augeatur.*

Sic ergo apparet ad rationem illam, quomodo in nutritione est iuxtapositio alicuius: quia partibus minimis, quæ propriè non nutriuntur; sed non est iuxtapositio illi, quod propriè nutritur, cuius scilicet alia pars fluxit, & posteà alia pars noua restauratur: sed illi fit quædam ingeneratio, id est, intrinseca generatio partis nouæ loco partis antiquæ, quæ fluxit. Sed ex istis adhuc non habetur de modo augmentationis: quia illa aggeneratio, quæ fit in nutritione, est momentanea: augmentatio autem non est in instanti, cùm sit motus. Illa etiam potest fieri sine augmentatione, vt manifestum est secundùm Philosophum *1 de Generatione*. Nec oportet hîc addere modum augmentationis, quia non quærimus hîc de nutritione, nisi vt habeamus quomodo in nutritione manent partes homogeneæ eædem, vel non eædem. *De augmentatione vide supr. distinct. 12. quæst. 4. Tex. 41. & circiter.*

COMMENTARIVS.

51 *Ad fundamenta Henrici.* PEr *hoc ad fundamentum*, &c. Respondet ad fundamenta Henrici.

Obiectio. Obiicit ergo Henricus, seu instat per exemplum animæ rationalis, quæ sine nouitate entitatiua sui perficit materiam, quæ de nouo additur, ergo idem dicendum est de forma carnis præëxistentis, eam informare nouam materiam sine sui nouitate: si hoc contingere posset euacuaretur superfluitas: ergo, &c.

Responsio. Respondet ad hanc instantiam prima ratio Doctoris contra eundem *suprà*, & negatur consequentia, cuius falsitas & ibi, & in aliis rationibus sequentibus ostenditur.

Secunda obiectio. Secundò obiicit auctoritatem Philosophi iam explicatam.

Responsio. Respondetur non sumi carnem secundùm speciem aut partem formalem in eo sensu à Philosopho, vt patet ex dictis.

52 *Tertia obiectio.* Obiicit tertiò. Quòd si materia nutrimenti reciperet nouam formam, non faceret vnum cum carne præëxistente, vnum scilicet continuatione, sed tantùm esset contigua, & sic nutritio esset iuxtapositio carnis nouæ ad præëxistentem: quod negat Philosophus. Sequeretur prætereà, quòd quælibet pars nutriti non esset nutrita.

Ad hoc optimè respondet Doctor in litera, ostendens modum, quo viuentia nutriuntur. Summarium doctrinæ est, pars formalis in toto existens iuxta secundùm modum *suprà* expositum, habens virtutem, & quantitatem sufficientem, constat pluribus minimis, quia componitur ex partibus homogeneis eiusdem rationis & diuisibilibus secundùm quantitatem in infinitum; quælibet enim pars carnis est caro secundùm nomen & rationem carnis: quamuis hîc Doctor non agat de partibus communicantibus, seu proportionalibus, sed de partibus non communicantibus: v.g. diuidendo partem formalem in decem partes æqualis perfectionis intensiuè. *Responsio.* *Qualibet pars formalis constat aliis partibus.*

Hoc supposito dicit nutrimentum esse depuratum, & coctum, scilicet in stomacho; deinde in hepate, vt iam dispositum est nutrimentum ad recipiendam formam carnis, *siue hoc contingat ante transmissionem eius per meatus, siue non*, inquit, *non curo*. Verius est non fieri in vltima dispositione donec transmittatur, & applicetur ad causam, quæ proximè inducit formam carnis, quia vltima dispositio est in eodem instanti cum forma consequente, ad quam disponit transmissio sanguinis, seu alimenti per venas ad locum idoneum conuersionis fit in tempore per motum localem, neque alioquin alimentum, vt distans, & non approximatum, est capax conuersionis 53 *Modus quo fit nutritio & conuersio alimenti.* *Non fit in vltima dispositione antequã trãsmittatur.*

ſionis in carnem : oportet ergo vt alimentum priùs fiat contiguum ; tranſmiſſum ergo alimentum ſub forma conueniente ad proximam conuerſionem ; ſiue dicatur forma cambij , glutinis, aut roris, recipitur in poris relictis ex fluxu partium viuentis,& quæ ex fluxu reliquerunt poros repletos humore ſubtili , ne detur vacuum , vel vt alij volunt, nullo humore aliquando,ſed lateribus pori coniunctis : in poris ergo receptum alimentum , & expulſo , & fluente humore , ſi qui fuit, virtute facultatis rectricis totius, & expultricis , conuertitur alimentum in carnem , quæ vacuitatem illam, ſeu porum replet , & ſicut ante conuerſionẽ iuxtaponebatur contiguè ad partes nutriendas per ipſum alimentum , ita etiam poſt nutritionem iuxtaponitur caro , in quam cõuertitur aliquibus partibus nutritæ carnis per continuationem , ita vt non permiſceatur omnibus partibus , & ſingulis præëxiſtentis carnis : quia ſuccedit parti,quæ fluxit, & porum vacuum replet ; quamuis ergo augeat partẽ illam formalem tanquam pars eius ſuccedens illi, quæ fluxit , & ea parte , qua fluxit ; tamen non auget alias omnes partes eiuſdem , ſupple totius , quæ appellatur pars formalis : ſed cæteris eius partibus contiguis continuatur , ſicut aliàs continuabatur pars , quæ fluxit. Non requiritur autem vt quælibet pars minima partis auctæ augeatur,quia ſic creſceret in maiori quantitate,quàm ipſi ex vi nutritionis præſentis conueniat : quia nutritio ex fine intrinſeco ſuo ordinatur ad reſtaurandam partem viuentis ea parte, qua fluxit: reſtauratio autem reſpicit ſupplementum eius quod deperditum eſt, & non ordinatur ad partes, quæ manſerunt ſub propria forma ; ergo tantùm ſuccedit nutritio parti deperditæ, & fluenti , quamuis aliis prioribus continuetur ; poteſt autem eſſe nutritio amplior , vel minor , ſed in ea parte tantùm, quæ reſtauratur.

Priùs recipitur in poris, quàm cõuertatur in carnem.

Iuxtaponitur caro noua per continuationem ad priorem.

Succedit parti fluxæ tantùm.

Ex quo patet ad argumentum ; quia licèt caro ſuccedens inſit toti , id eſt, illi parti formali, quæ alicuius ſui paſſa eſt detrimentum , & fluxum ; non tamen ineſt aliis partibus eius minimis , & perſiſtentibus ſub propria forma; ſed eis continuatur : erit enim ibi iuxtapoſitio per continuationem , vt iuxtapoſitio excludit permixtionem ad totum per ſingulas eius partes , quaſi ſic admiſceretur caro noua : ſicut liquor admiſcetur liquori , quod eſt falſum. 54

Iuxtapoſitio carnis nutrimentalis vt excludit permixtionem.

Ad argumentum itaque in forma. Diſtinguo conſequens : non faceret vnum cum carne , cui aduenit, vt pars tanquam toti quod conſtituit, niſi per modum contigui , aut continui, negatur conſequentia:non faceret cum reliquis eius partibus niſi per modum contigui , aut continui, concedo conſequentiam ; facit enim vnum cum illis per modum contigui:& negatur aſſumptum, ſicut & Philoſophum dicere contrarium , ſi ſumatur contiguum modo explicato , vt excludit permixtionem, & non continuationem.

Reſponſio in forma.

Ad alteram ſequelam, concedo eam modo explicato , nempe partem totalem ea ex parte , qua fluxit , nutriri , & augeri , non verò quoad alias partes,quæ non fluxerũt;fit ergo aggeneratio,ſeu ingeneratio nouæ carnis reſpectiuè ad partem , quæ nutritur,& cuius pars fluxit ; reſpectiuè verò ad reliquas partes eius iuxtaponitur continuè, ſeu per modum continui, & non admiſcetur,neque ingeneratur. Deinde , ſubiungit Doctor hîc non agi de motu augmentationis , quia hic eſt extraneus nutritioni, prout ordinatur ad reſtaurationem deperditi , & quomodo in ipſo nutrito manent aliquæ partes, quomodo fluant aliquæ.

Nutritio ſit partis totalis quoad deperditum.

Prædicta intelliguntur de nutritione præcisè.

S C H O L I V M.

Aſſerit primò , quòd homo non reſurget cum omni illo , quod aliquando fuit de veritate naturæ eius , quia eſſet nimis magnus , vel indebitè denſus. Ait ſecundò , hominem reſurrecturum ea quantitate , quam attigiſſet trigeſimo anno , ſemotis impedimentis. Ita communis , & tenet Auguſt.22.Ciuit.15.16.& 20.Anſel. D.Thom.Sedul.in ad Epheſ.4. Hugo Vict.tr.de reſurrect. cap.15. ſed Aug.ait poſſe dici ſingulos reſurrecturos ea ætate, qua obierunt. Vide eum in Enchir. cap.90. Tertiò docet, nos reſurrecturos cum carne, quam à parentibus accepimus,aliiſque partibus purioribus,iuxta exigentiam debitæ quantitatis. Hoc ſaltem certum eſt, & commune cum D.Thom.hîc quæſt.1.art.1. quod.1. Capreol. contra Paludanum, reſurrecturum hominem cum eadem materia , & forma , & D.Thom. quæſt. 3. vult eandem materiam ſingularum partium reſpectiuè redituram : ſed Auguſt.22. Ciuit.10.& in Ench.89. negat hoc eſſe neceſſarium ; idémque ſentit Anſelm. in Elucidario , & ad Epheſ.4. Scotus hîc in fin. Gabr.hîc quæſt.1. art.2. Suar.2.tom.in 3.part.diſp.44.ſect.2.

15 [h] DE ſecundo principali,ſuppoſito quòd ad veritatem naturæ huius hominis pertineant , non tantùm partes eſſentiales , ſcilicet materia & forma , ſed etiam partes integrales ; non tantùm partes heterogeneæ, ſed homogeneæ,ex quibus componuntur heterogeneæ, & breuiter quicquid fuit verè aliquando animatum anima intellectiua , vel per ſe aliquid huiuſmodi animati, dico primò [i] concluſionem hanc : *Non quicquid fuit in Petro pro tota vita eius de veritate naturæ eius , reſurgit in eo.* Probatur breuiter , quia ex quo tales partes multæ fluxerunt in vita eius , & aliæ multæ redierunt ex præcedenti articulo,ſi omnes illæ redirent in eo , vel eſſet corpus eius immoderatæ denſitatis, vel immoderatæ quantitatis.

[k] Secunda

k Secunda conclusio est videre, quæ partes resurgent, vt sit debitæ densitatis, & debitæ magnitudinis: & hoc tantæ, quantæ futurus esset in fine triginta annorum, si vixisset: quia tantæ quantitatis ponitur quodlibet reformandum in resurrectione; l quod intelligo, si non fuisset orbatio in isto impediens eum pertingere ad debitam quantitatem infrà 30. annos, quæ contingeret in isto natura non orbata. *Resurget quis in ea quantitate, quã haberet si ad triginta annos viueret.*

m Hîc duplex est via: hoc enim verum est, quòd regulariter pars prior in corpore hominis viuentis purior est ex præcedenti articulo; *regulariter* dico, quia ex impedimento accidentali, vel ex parte continentis, vel ex parte conuenientis, vel nociui adhibiti, potest aliud accidere.

Hoc autem est probabile, quòd corpus illud reparabitur ex partibus purioribus, quæ aliquando fuerunt partes huius corporis: ergo habebit totum illud, quod contractum est ex parentibus, quia hoc fuit purissimum, & de aliis genitis ex nutrimento semper prioribus vsque ad quantitatem sufficientem toti corpori. 16

Alia via, nutritio non est per se necessaria, nisi ad restaurationem deperditi; augmentatio autem est per se necessaria, vt genitum attingat ad debitam quantitatem naturæ suæ. In quacunque ergo nutritione vsque ad terminum augmentationis aliquid præcisè conuertitur propter nutritionem, scilicet vt restauretur illud, quod fluxit: aliquid autem propter augmentationem, scilicet vt acquiratur quantitas debita, etiamsi nihil fluxisset: & primum quidem non est de principali intentione naturæ: simpliciter enim natura magis conseruaret ad *esse* totius partem, quæ fluxit, si posset conseruare, quàm loco eius aliquam imperfectiorem restauraret: sed secundum est de principali intentione naturæ, volentis attingere quantitatem perfectam, ita quòd secundum intentum est propter perfectionem acquirendam: primum autem quasi occasionatum propter vitandam imperfectionem. *Augmentatio est de principali intento naturæ: restauratio nõ ita.*

Huic additur ista probabilis, quòd vsque ad quantitatem debitam, illæ erunt partes in corpore resuscitando, quas natura magis ex intentione fecit esse partes illius corporis; sed huiusmodi sunt illæ, quæ adueniunt vt augeant, non autem illæ, quæ adueniunt, vt restaurent: ergo resurget corpus ex illo, quod primò tractum est à parentibus, & ex aliis partibus generatis ex nutrimento propter augmentationem debitam corporis vsque ad quantitatem sufficientem illi corpori.

Illæ duæ viæ in hoc consonant, quòd quidquid tractum est à parentibus resurget, quia secundùm primam viam illud est purissimum inter omnes partes corporis: secundùm aliam viam illud est maximè de intentione naturæ in isto supposito. Sed discordant quantùm ad partes genitas ex nutrimento; quia prima ponit huic adiungi partes, quæ fuerunt puriores in illo corpore secundùm totum fluxum vitæ eius. Alia ponit huic adiungi partes, quæ magis ex intentione naturæ fuerunt de veritate huius corporis. Non autem eædem sunt puriores in toto fluxu temporis, & magis de intentione naturæ partes huius: quia semper priùs genitæ regulariter erant puriores, siue magis, siue minùs intentæ: semper autem, siue priùs, siue posteriùs, illæ, quæ vltra restaurationem necessariam deperditi fuerunt genitæ, fuerunt magis de intentione naturæ. 17

n Si obiicias contra vtramque viam, quomodo ergo resuscitatus habebit eandem carnem, quam habuit hîc viuus? Dico quòd non habebit præcisè eandem, quam habuit in aliquo instanti; vel in aliquo tempore vitæ suæ. Sed nec habebit totam illam, quam habuit in aliquo tempore, præter illam, quam contraxit à parentibus; illam quidem totam habebit, & alias partes, quas successiuè habuit, nunc istam, nunc illam: & sic est magis idem corpus resuscitatum corpori habito in hac vita, quàm si esset idem, quod iste habuit in aliquo instanti determinato, vel tempore vitæ suæ: quia si esset idem illi pro tali instanti, esset magis aliud à corpore suo pro alio instanti. *Resuscitatus quomodo habebit eãdem carnem.*

COMMENTARIVS.

55 h DE *secundo principali*, &c. Hic aggredit in secundo hoc articulo explicare quomodo resurget idem homo, & secundùm quas partes.

Supponit ergo ad veritatem naturæ humanæ pertinere non tantùm partes essentiales, vt materiam & formam, sed etiam partes integrales, non tantùm heterogeneas, sed etiam homogeneas, & vniuersim quidquid fuit animatum anima intellectiua. Hæc doctrina supponit ad veram resurrectionem eiusdem numero requiri, vt idem resurgat in iisdem partibus, vel aliquibus, quæ fuerunt de veritate suæ naturæ dum vixerit, neque aliter resurrectio esset eiusdem quod cecidit; cuius oppositum Patres & fides docet, & ex Scripturis *suprà* citatis satis manifestè constat, & ex Symbolis fidei: oportet ergo vt resurgat quoad idem corpus in eadem materia numero. *Homo resurget quoad partes quæ fuerunt animata.*

Hinc reiicitur sententia Durandi, quia negat *in hac distinct. quæst.* 1. necessarium esse vt eadem 56 *Reijcitur sententia Durandi.*

dem numero materia resurgat: ex falso principio, quo putat materiam non habere ex se vnitatem, aut diuersitatem numericam; sed hæc ipsi præcisè conuenire per formam, à qua tantùm habet actualitatem, ad quam vnitas & diuersitas numerica sequuntur. Suarez etiam in *secundo tomo ad 3. part.* licèt asserat resurrectionem perfectam requirere eandem materiam resurgere; tamen imperfectam posse concipi & fieri sine identitate materiæ numerica; vt si animæ Petri daretur corpus nouum, id est, in diuersa materia, fore vt esset idem numero ratione animæ, qui resurgeret, & non idem esset quoad materiam.

Sententia Suarez.

57 In primis contra Durandum facit illud Iob. 19. *Et in carne mea videbo Deum Saluatorem meum*, &c. & quod præcedit, *circundabor pelle mea. Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem*, 1. ad Corinth. 15. *Seminatur corpus animale, surget spirituale*, &c. ibidem. *Interfecti mei resurgent, expergiscimini, & laudate qui habitatis in puluere.* Isaiæ 26. *Aperiam sepulchra vestra, & educam vos de sepulchris vestris.* Ezechielis 37. Hæc & similia huc spectantia intendunt resurrectionem fore in eodem corpore, & carne ex eadem materia. Quò etiam tendit illa collectio electorum ex quatuor ventis per Angelos, de qua Christus in Euangelio: nam intelligitur ratione materiæ; nam puluis qui colligetur, non fuit electorum, sed tantùm ratione materiæ. Nicænum I. *in cap. de resurrectione.* Toletanum IV. & XI. *in confessione fidei.* Lateranen. *in cap. Firmiter.* Symbolum Apostolorum, Constantinopolitanum, & Athanasij, & vniuersim Patres & Doctores, qui dicunt resurrectionem esse eius quod cecidit, nempe coporis in eadem materia.

Dogma fidei est resurgere idem quod cecidit.

58 Vel ex hoc ipso fundamentum illud petitum ex Philosophia à Durando ostenditur omnino falsum, & non cohærere huic veritati fidei: nam sicut resolutio, & resurrectio conueniunt corpori vt ab anima distinguitur, & hæ mutationes secundùm veram Philosophiam nequeunt conuenire ratione animæ rationalis, sed subiecti singularis: sequitur & corpus, & materiam non participare existentiam, aut indiuidualitatem ab anima, & quidquid sit de illa quæstione, An corpus constituatur anima, saltem diuersum numero est in ratione partis materiæ eius ab anima. Plura etiam suppetunt ex Philosophia, quæ destruunt fundamentum Durandi, quod leuissimum est: vt quòd non esset idem numero subiectum in genito, & corrupto, si vnitas hæc à formis sumatur, quæ diuersæ sunt: quòd non seruetur oppositio, seu incompossibilitas inter formas: quæ necessariò requirit subiectum singulare præëxistens: quòd forma similiter non educatur de potentia materiæ præëxistentis, neque in eadem conseruetur: nam ad hoc requiritur singularitas, & existentia materiæ, & plura alia huius generis obuia, & contra communia principia Philosophiæ.

Alia inconuenientia cõtra eumdem Durandum ex principiis naturalibus.

59 Quod verò asserit Suarez, quasi possibile sit, nempe eandem animam, quæ fuit Petri, communicari posse materiæ, quæ fuit Pauli: tamen non saluaretur in hoc vera resurrectio eiusdem, quia, vt Patres asserunt, resurrectio est eiusdem quod cecidit; cecidit autem ratione materiæ, & corporis, non verò animæ: & licèt totum desiit, illud tamen desiit ex causa corruptionis in materia, & ex materia, non verò in anima, aut ex anima, resurrectio primariò competit toti, vt terminus est, & subiectum, primariò ratione materiæ, magis quàm animæ, licèt *esse* habeat principaliùs ab anima, & sicut ad *esse* totius concurrunt tam materia, quàm forma, nequit idem totum fieri, aut idem indiuiduum ex diuersis materiis: quia ad differentiam sufficit quæcunque diuersitas in partibus essentialibus: ad vnitatem non sufficit quæcunque identitas: ideóque illud indiuiduum, quod fieret ex anima Petri, & corpore Pauli, non propriè appellaretur resurrectionis subiectum, sed nouæ productionis tam subiectum, quàm terminus, quia verè aliàs nunquam fuit, aut desiit. Hæc difficultas potiùs est nominis, quàm rei. Fundamentum Durandi est falsum, & impugnatum ex præmissis, tam hîc, quàm etiam in prima quæstione distinctionis præcedentis, nam materia habet ex se actualitatem propriam, & indiuidualitatem.

Contra sententiã Suarez.

Resurrectio est eius quod cecidit.

Vnitas numerica requirit identitatem partium.

Sequitur ex dictis cum eadem anima rationali & simul cum aliis formis substantialibus, quæ fuerunt de veritate naturæ, resurgere idem numero. Quantùm ad animam rationalem nulla est controuersia; quia nullus hoc negauit, qui asseruit immortalitatem animæ & resurrectionem carnis. Quantùm ad alias formas idem patet ex dictis: sola controuersia est si dentur in viuente; quæ controuersia suo loco agitatur, & eam disserui in præmissis *dist. 11. quæst. 3.* Eadem ratio est de reliquis partibus animatis, easdem resurgere; quia licèt ad identitatem compositi essentialis non requirantur aliquæ: tamen requiruntur ad identitatem compositi integralis, & idem resurget in vnitate tam vnius, quàm alterius, & de composito integrali frequentiùs agunt Scripturæ, & Patres. Ex quibus patet suppositum præmissum Doctoris. 60

i *Dico primò conclusionem hanc*, &c. Hæc conclusio est communis omnium contra Magistrum, & alios, qui tenent carnem primigeneam tantùm esse de veritate humanæ naturæ, & illam solam resuscitandam. Probatum est contrarium superiùs, nempe carnem nutrimentalem etiam esse de substantia viuentis. Exclusa ergo hæc sententia, & tenendo carnem nutrimentalem esse de substantia viuentis: optimè probatur conclusio per rationem subiunctam Doctoris, & communiter receptam; quia si omnes partes, quæ fuerunt aliquando de substantia viuentis, resurgerent, vel corpus eius esset immoderatæ densitatis, nempe si illæ partes intra se mutuò per condensationem comprimerentur: vel certè esset immoderatæ quantitatis, si explicarentur, aut extenderentur ex se mutuò per extensionem illam, quam singulæ habuerunt, dum in viuente fuerunt per iuxtapositionem, quam suprà Doctor explicauit in fine præcedentis articuli: vtrumque esset improportionatum in corpore humano, &c. nimia enim densitas non esset idonea functionibus vitalibus, quæ exigunt debitum temperamentum sicut in qualitatibus, ita etiam debitam proportionem in quantitate, quæ in viuentibus determinata est ad certam extensionem, & gradum: ac proinde nimia illa densitas excederet debitam proportionem connaturalem tali subiecto. Si esset prætereà extensio excessiua, redderetur subiectum improportionatum animæ, & functionibus, 61

Conclusio communis cõtra Magistrum.

Non resurgere omnes partes quæ fuerunt de substantia viuentis.

Ratio huius

Nimia densitas, aut excessiua extẽsio improportionata sunt in corpore humano.

nibus, quæ in quantitate superfluè extensa nequeunt haberi.

62 *Secunda conclusio.* k *Secunda conclusio est videre*, &c. Sub hac secunda conclusione comprehendit duos modos dicendi probabiles, qui decernunt in particulari quæ partes resurgent. Et supponit primò homines resurrecturos cum quantitate debita & proportionata iuxta exigentiam, & temperamentum complexionis cuiúsque, & staturæ debitæ: quia verò temperamentum hominis aliud & aliud est, iuxta diuersum ætatis gradum, sumendum est iuxta illam ætatem, in qua ipsum temperamentum magis viget in sua perfectione, & recedit ab extremis contrariis in medio consistens & iusta proportione. Hæc ætas est iuuentus consummata, media inter puerilem & senectam, quando magis floret, & perfectius est robur corporis, ob exactam temperiem, & recedit à copia humoris & caloris, quibus subiecta est ætas iuuenilis, & ab extremo siccitatis & frigoris, quibus languescit senectus. Hæc est sententia Magistri in hac distinctione, & communis Theologorum, & Augustini 22. *de ciuitate, cap.* 15. Chrysologi *serm.* 82. Anselmi, & Sedulij *in* 1. *ad Ephes.* 4. Hugo idem tenet *de resurrectione cap.* 15.

Temperamentum in quo resurgēt mortui, & statura.

Erit statura consummata iuuentutis.

63 *Resurgent in statura cōnaturali an. 30. ætatis.* Hanc ætatem dicit Doctor esse in fine, aut periodo triginta annorum, vt communiùs traditur, & docent præfati Doctores, & Patres; ita vt non anteà, seu infra trigesimum annum, seu quantitatem, quam haberet, aut habuit infra talem annum: iuuentus enim deducitur à quibusdam à 25. ætatis vsque ad 35. quando verò attigit 30. est perfecta ætas, licet etiam vigorem suum retineat, vsque ad 35. regulariter: quia etiam iuxta variam & diuersam temperiem, ac constitutionem potest in quibusdam aliud contingere ex causis tam intrinsecis, quàm extrinsecis, & secundùm rationem & victus, & climatis, ex quibus accelerari, aut tardari potest. Fundamentum huius sententiæ communis est illud Apostoli ad Ephesios 4. *Ad mensuram ætatis plenitudinis Christi*, &c. tum quia in ea ætate & perfectione primi parentes fuerunt creati, tum quia Christus ita surrexit, in ea scilicet quantitate, in qua fuit mortuus, & ad exemplar Christi omnia sunt reformanda. Ideò dixi illam staturam ad mensuram annorum triginta ita accipiendam, vt infra illam non sit futura resurrectio; quamuis contingere posset etiam vltra illam infra periodum iuuentutis.

Fundamentum ex Apostolo.

64 Aliqui proinde iuxta varias ætates hominum aliter iuuentutem definiunt contigisse, vt iis, qui ante diluuium vixerunt longissima ætate, in quibus Pererius *lib.* 4. *in Genesim, quæst.* 3. asserit iuuenilem ætatem contigisse circa annum sexagesimum, & resurrecturos in statura, quam habuerunt circa septuagesimum: quem sequitur Ægidius Lusitanus *tom.* 3. *lib.* 3. *de beatitud. quæst.* 1. *art.* 4. §. 2. qui protrahit iuuentutem illius status à sexagesimo vsque ad centesimum annum, quamque ex mensura ætatis, & constitutione complexionis definiendam esse coniicit. Sed neque in hoc scrupulosè est inhærendum, neque sententia communis leui fundamento deserenda: quia si ex longitudine ætatis sumi deberet proportio iuxta mensuram, quam in nobis experimur, & distributionem ætatis, certè non deberet iuuentus in illis, qui vixerunt vltra annos octingentos incipere ante centesimum, aut ducentesimum annum. Deinde, quia tum fuit perfectior constitutio corporum, & virtus naturalis, & virtus purior, non est ratio cur dicatur iuuentutem non fuisse acceleratam in illis, sicut in nobis, quamuis longiori periodo fuerit protrahenda. Deinde, Sanctus Hieronymus *epistola* 27. *ad Eustochium* dicit non esse surrecturos in virum perfectum in mensura ætatis plenitudinis Christi, &c. in qua Adam conditum fuisse, Iudæi, inquit, autumant; quod ipse idem probat, & sequitur Marius Victorinus. Hieron.

Periodus iuuentutis in iis, qui vixerunt ante diluuium, decernitur aliter.

Negatur illa sententia.

Deinde, debuit proportionari ætati Christi Domini, &c. &, vt dixi, in tanto vigore complexionis & alimenti, illa ætas triginta annorum erat abundè sufficiens ad acquirendam magnitudinem requisitam corporis, & optimam dispositionem sensuum, & organorum ad vsum scientiæ, & prudentiæ. Dicendum ergo magis est tum fuisse protractam vitam ex multis causis, quàm tardatam eius perfectionem, & maturitatem in iis, in quibus fuit perfectior constitutio, & viuacior sensus. Dicamus ergo infra trigesimum annum, & mensuram illi ætati conuenientem non fore resurrectionem; an autem vltrà protendatur? verisimile est reformationem fore ad mensuram ætatis plenitudinis Christi. An illa autem plenitudo sumenda sit ab anno trigesimo eius, in quo cœpit docere, an verò ab anno trigesimo tertio, dubium est. Videntur præfati authores citati & Patres sumere hanc plenitudinem ab anno trigesimo, in quo manifestatus est per doctrinam, & prædicationem. 65

Quomodo sit sumenda plenitudo ætatis Christi?

l *Quod intelligo, si non fuisset orbatio*, &c. Hîc subiungit Doctor exceptionem, nempe ex impedimento, aut orbatione aliqua persona non pertingeret, aut non esset peruentura ad debitam staturam suæ complexioni congruam, aliàs si non esset impedita, tunc mensuram eius fore per reformationem corporis illam, quam aliàs habitura esset, secluso impedimento. 66 *Quid de orbatis & impeditis.*

Ex hoc sequitur primò non omnes in æquali statura esse resuscitandos; sed quemlibet in ea, quam exigit eius constitutio non impedita, & iuxta exigentiam indiuidui, & temperamentum eius proprium, & non impeditum. Hæc est sententia communis Magistri, & cæterorum. Vnde illud Apostoli intelligunt, quantùm ad plenitudinem & mensuram ætatis Christi, & iuuentutis: non verò quantùm ad æqualitatem in statura, & magnitudine, quia in his erit aliquorum minor, aliquorum maior, iuxta debitum, & exigentiam indiuidui. *Non erit æqualis omnibus statura.*

Quòd si dicas animam perfectiorem magis aptam esse ad informandam extensiorem materiam: ergo maior quantitas ipsi debetur. 67 *Obiectio.*

Respondetur negando antecedens: quia perfectio animæ attenditur intensiuè, & non extensiuè, & materia, & subiectum eius debet considerari secundùm perfectionem idoneam operationibus, quod est temperamentum perfectius cum sufficienti proportione tam quantitatis, quàm qualitatum. Vnde ex maiori quantitate corporis non sumitur perfectio animæ: sed ex prædicta proportione, vt patet in anima Christi perfectissima, quæ tamen non est sortita corpus giganteum, quale fuit anteriorum hominum in prima ætate. Vnde, quamuis anima exigat quantitatem idoneam corporis, eámque determinet; id contingit secundùm requisitam proportionem ad *esse*, & *operari*, tam per se, quàm *Solutio.*

Perfectio statura vnde sumenda.

quàm per qualitates, & iuxta magnitudinem connaturalem suæ perfectioni.

68 Sequitur secundò omnem imperfectionem corporum reformandam esse, siue sit in excessu, siue in priuatione. Vnde Augustinus 22. de ciuitat. 19. *Vbi autem*, inquit, *non est partium congruentia, aut ideò quid offendit, quia parum est: aut ideò, quia nimium: proinde nulla erit deformitas, quam facit incongruentia partium, vbi & quæ parua sunt corriguntur, & quod minus est quàm decet, vnde creator nouit, inde supplebit, & quod plus est quàm decet materia, seruata integritate, detrahetur*, &c. Potest excessus contingere in quantitate monstruosa, qualem plures existimant fuisse giganteam. Cæterùm id ita determinandum est vt sicut viuentia determinant sibi terminum magnitudinis, quæcunque quantitas est intra talem terminum, non est excessiua quoad speciem, potest autem excessiua esse, quoad indiuiduum. Tunc excessiua est quoad indiuiduum, si acquiritur vitio, & non per virtutem naturalem augmentatiuam via nutritionis, sed ex causis accidentalibus, vt contingit in iis, qui ex vitio naturæ, aut certè victus excrescunt, seu potiùs tument in superfluam molem, qua aggrauatur corpus, & impediuntur functiones naturales, & vires corporis, & hæc detrahetur in resurrectione.

Reformabitur imperfectio corporũ.
Augult.
Excessus superfluus molis.

69 Alia est quantitas, licèt sit excessiua respectiuè ad staturam ordinariam in aliis, si tamen acquiratur via augmenti naturalis, erit debita tali constitutioni, & hæc non est reformanda: quia tali indiuiduo, & temperamento debita est; quia etiam pro diuersis ætatibus mundi, etiam variatur quantitas secundùm naturam speciei, & qui posteriores sunt ex detrimento causarum, sunt minoris ordinariè staturæ, vt patet etiam ex Cypriano aduersus Demetrianum. Augufst. 15. *de ciuitat. cap.* 9. ex Plinio *lib.* 7. *Histor. naturalis, cap.* 16. & ratio est in promptu, quia vires naturæ sensim deficiunt, & alimentum, ex quibus fit accretio corrumpuntur.

Excessus non superfluus manet.
Vnde oriatur excessus aut decremẽtum in statura.

70 Idem dicendum etiam quoad orbos, & eos, qui mortui sunt in minori statura, & infantes: quia hi reformandi sunt in debitam staturam, quæ inesset aliàs nisi impediretur. Dubitatur inter Doctores, quomodo reformatio prædicta fiet? An multiplicatione materiæ secundùm situm, an additione nouæ? Primum tenet Magister ex fundamento aliàs impugnato: est communis Patrum & Doctorum. Possibilem esse hunc modum per multiplicationem, aut rarefactionem materiæ, docent alij, qui existimant Euam ex costa sic fuisse formatam, & panes à Christo multiplicatos, vt Magister *suprà* citatus *& dist.* 18. & Hugo Altisiodor, *lib.* 4. *summæ quæst. de veritate humanæ naturæ.* Durandus *in* 2. *distinct.* 18. Henricus *quæst.* 2. *q.* 9. Richardus *in* 2. *distinct.* 18. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 6. Gabriel *quæst. vnic. art.* 3. *dub.* 1. Conimbricenses *de gener. lib.* 1. *cap.* 18. *art.* 2. tenentes problematicè posse vtrámque sententiam defendi, aut negatiuam, aut affirmatiuam.

Quomodo fiet reformatio supplẽs debitã quãtitatẽ.
Duplex modus possibilis.
Primus per replicationẽ seu rarefactionem.

Alij tenent hoc impossibile esse, vt D. Thom. *in* 2. *distin.* 18. *&* 1. *part. quæst.* 92. *art.* 3. vbi Caiet. Ariminensis *in eadem distinct. quæst. vnic.* Capreolus *distinct.* 19. Bassolis & Mayrones *in dist.* 18. & alij ..... qui tenent idem corpus poni in diuersis locis simul, vt noster Doctor, admitterent consequenter posse à Deo multiplicari materiam per replicationem partium eius in diuerso situ, & prætereà per rarefactionem, aut adiectionem nouæ quantitatis fieri maiorem.

Alia sententia negatiua.
Quid magis conueniẽs Doctori.

In proposito autem non idem contingit; sed reformatio fit per additionem nouæ materiæ, quæ est sententia Augustini in Enchiridio c. 85. *Infantibus implendum esse quod formæ deerit: naturam non esse fraudandam eo, quod dies allaturi erant*, &c. & cap. 89. & de ciuitat. lib. 22. cap. 19. 71

Reformatio fiet per additionem nouæ materiæ.
August.

Idem dicendum de orbis, resurrecturos integros corpore, & membris, vt communiter Patres, & Doctores affirmant. Clemens Roman. *lib.* 5. *constit. cap.* 6. Tertullianus *de resurrect. c.* 57. *&* 63. Hieronym. *epist.* 27. *cap.* 11. *&* 12. *epistol.* 61. *cap.* 11. August. *suprà, Enchirid. cap.* 87. *& duobus sequentibus. lib.* 22. *de ciuitat. cap.* 12. 18. *&* 20. Anselm. *loco cit.* Omnes Theologi *in hac distinct.* Patet ex verbis cit. ad Ephes. 4. *Donec occurramus in virum perfectum*, &c. Quæ perfectio erit cum integritate debita membrorum. Deinde, quia hæc integritas spectat ad perfectionem illius status, in quo reformatur corruptibile ad incorruptionem, & delebitur imperfectio ex natura & peccato, quin etiam omnia reformabuntur. Item, spectant ad perfectam imitationem exemplaris Christi. Prætereà, quæcunque imperfectio talis non esset in statu innocentiæ: ergo à fortiori non erit in statu gloriæ, in quo corpora induent immortalitatem. Deinde, quæcunque imperfectio talis est radicaliter ex peccato tanquam pœna: deleto autem peccato non remanebit aliqua eius pœna. Maior patet: quia corruptibilitas naturæ, ex qua talis defectus redundat, est ex peccato, sicut & mors: nam in statu innocentiæ nascerentur homines perfecti, & impassibiles quantùm ad corruptionem: & mortem, & infirmitates. Ac tandem corpus defectuosum non esset aptum perfectioni animæ in eo statu, & sicut Dei perfecta sunt opera; ita & resurrectio, quæ est à solo Deo supernaturaliter, non patietur aliquem defectum ex causis secundariis, quarum nullus erit concursus ad resurrectionem. Eadem veritas patet ex præmissis: quia etiam natura perfectè reformabitur in singulis indiuiduis quoad excessum & defectum in quantitate: ergo in membris.

Communis sententia.
Probatio.

Hinc sequitur resurrecturos omnes cum iis, quæ sunt de decore, & ornatu naturæ, & cum capillis, vnguibus: quæ est sententia communis Patrum, & Doctorum, *in hac distinct.* Aug. *suprà*, & Hieronymi *in caput.* 10. *Matth.* Patet Luc. 21. *Capillus de capite vestro non peribit*, & Math. 10. *capilli capitis vestri omnes numerati sunt*, &c. Accedit, quòd capilli & vngues sunt animati iuxta sententiam Medicorum, & Doctoris *dist.* 3. *huius q.* 1. D. Thom. *in hac dist. q.* 1. *art.* 4. *q.* 3. Vniuersaliter idem dicendum est de omnibus aliis, quæ ad perfectionem absolutam naturæ faciunt in omni suo statu. Vnde Doctor *supr. concl.* 1. dicit omnes partes redire, quæ fuerunt animatæ, tam heterogeneæ, quàm homogeneæ, & *breuiter*, inquit, *quidquid fuit verè aliquando animatum anima intellectiua, vel per se aliquid huius animati*, &c. Dixi quidquid est de perfectione absoluta naturæ, siue ad *esse*, siue ad operationem, siue ad decorem, & perfectionem, non autem quidquid est de perfectione naturæ in statu vitæ corruptibilis, vt v.g. semen quod est de superfluo in ordine ad generationem: quia in statu gloriæ nulla erit generatio, neque nubent, neque nubentur. 72

Resurgent omnes cũ iis, quæ spectant ad decorem, & ornatum.
Capilli & vngues animati sunt.
Et omnia quæ spectant ad absolutã perfectionem naturæ.

Vide

Vide Ægidium Lusitanum *quæst.7. art.1. & seqq.* & Suarem *tom.1.in 3.part.disp.15. sect.6.& tom.2. disp.47.sect.3.*& reliquos Doctores hîc.

73 *Manebit differentia sexus in resurrectione.* Resurrectio etiam erit in differentia sexus, in qua fuit viuens. Tertullianus *lib. de resurrectione cap.60. & 61.* Hieronym. *epistola 27. cap. 11. & epist.6. cap.11.* August. 22. *de ciuitat. cap.17.* Chrysostomus *homil.71. in Matthaum.* Beda *in Luc.* 20. & omnes Theologi *hîc.* Hanc veritatem fusiùs probant authores, & speciatim Ægidius Lusitanus *q.6.art.3.§.4.* *Errores in hac materia.* Fuerunt enim aliqui errores antiqui circa hanc veritatem; nam aliqui negabant sexus in resurrectione;alij admittebant solùm virilem: sed verba Christi, *Neque nubent, neque nubentur*, contrariam veritatem insinuant: & vterque sexus spectat ad perfectionem, & integritatem naturæ, & ad consummationem virtutis, & virij.

De iis fœminis quæ mutăt sexum. Si aliquis curiosus interroget de iis, qui mutarunt sexum, in quo determinatè fuerunt, vt illæ fœminæ, quæ transierunt in viros?

Respondetur resurrecturos, vel in sexu principaliori, vt viri, vel certè in sexu, quem ex natura primùm receperunt; quia illa mutatio est merè accidentaria. Sic dicit Richardus Hermaphroditas resurrecturos in sexu viri,qui est principalior. Sic etiam dici posset de illis fœminis transformatis in viros:vel aliud contrarium sustineri. Aliquæ locutiones Patrum, qui obscurè loquuntur in hoc puncto,intelleigdæ sunt,quando negant fore sexum, aut differentiam in resurrectione, nempe ad vsum concupiscentiæ,& generationis, aut nuptiarum.

74 *Duplex via, qua restauratur corpus ad debitam staturam.* [m] *Hîc duplex est via*,&c.Supposita vtraque conclusione, quæ docet quæ partes restituentur, & non omnes restituendas esse:hîc subiicit duplicem opinionem, vtrámque probabilem. Vtraque autem conuenit in hoc, quòd caro primigenea restituetur in integrum; differunt autem in hoc, *Prima opinio.* quòd prima opinio asserat supplendam esse carnem primigeneam, vel augendam ex partibus carnis nutrimentalis, quæ fuerunt puriores & primò aggeneratæ, vsque ad debitam quantitatem: quia nempe caro purior, & perfectior, & partes perfectiores assumendæ sunt ad integritatem corporis. *Secunda opinio.* Secunda via docet illas partes,quæ additæ sunt ad augmentum, magis esse de intentione naturæ, quàm illas, quæ tantùm per accidens intendit natura ad restaurandum deperditum per nutritionem, quà nutritio est: ideóque partes ad augmentum adiectæ resumentur, tanquam magis ex intentione primaria naturæ spectantes ad veritatem naturæ. *Vtraque probabilis.* Vtrámque tenet Doctor tanquam probabilem.

Obiectio. [n] *Et si obiicias*, inquit, *quomodo habeat eandem carnem, quam habuit hîc viuus.*

Soluitur. Respondet, & benè, quòd non habebit eandem carnem, quam habuit pro quolibet instanti *Non totam reddi carnē.* suæ vitæ, aut pro aliquo determinato tempore, sed primigeneam, & aliam, quam aliquando habuit, non tamen totam, quam in toto fluxu habuit.

75 *Tertia & quarta opinio.* His opinionibus addi potest tertia, & quarta: nam aliqui docent resurrectionem fore in carne quam quisque habuit mortuus, fuerit primigenea, néne, imò non resurrecturos aliquos cum carne primigenea. Hanc sequitur Ægidius Lusitanus *loc. cit. quæst.3. art. 7.* & magis ex professo *art.9.* *Quarta opinio.* Quarta sententia asserit resurrecturos cum tota carne, quam in vita tam primigenea, quàm nutrimentali habuerunt. Ita quosdam tenuisse docet Abulensis *in cap. 22. Matth. quæst.*244. & videtur sententia Augustini,*lib.22.de ciuit.cap.15. 19.20.& 21.* nam videtur negare aliquid corporis humani perire ex illo potissimum loco Euangelij citato, vbi dicuntur capilli non perituri.

Dico primò, primigeneam carnem restituendam: hæc est communis Theologorum, Magistri, & Hugonis de Sancto Victore *locis cit.suprà*; Doctoris *hic*, D.Thom. *quæst.1. art.2. quæst.3.* D. Bonauenturæ *in 2.dist.30.art.3.quæst.1.*& Richardi *in 4. dist.44. art.1. quæst.4.* qui dicunt hanc carnem esse de principali intento naturæ;quibuscum consentit Doctor hîc, & alij eandem conclusionem,vt communem tenent in hac materia. 76 *Prima conclusio. Primigenea est restituenda.* Probatur, quia illa caro est purior, & magis de intentione naturæ, & primariò connaturalis speciei, & formæ, & consequenter magis de substantia indiuidui; neque certum est si tota fluat: ergo illa debet restitui. *Probatio. Quia primariò ex intentione naturæ.* Patet consequentia,quia in illa magis saluatur proprietas, & vnitas eiusdem indiuidui; resurrectio enim est restauratio eius quod cecidit: ergo erit eius quod primariò fuit de substantia, & proprietate indiuidui. Antecedens primum probatur quoad primam partem, nempe quòd sit purior: quia recepta ex prima generatione, & virtute causarum, reliqua autem caro virtute caloris naturalis indiuidui, qui nequit agere ad perfectius, quàm sit substantia, quæ est ratio agendi, quia perfectio effectus redundat ex causa. *Illa est purior.* Deinde, quia in infantia plura sunt impedimenta, ex quibus puritas in carne nutrimentali impeditur, nempe calor excedens, & humiditas, ex quibus plus alimenti defluit, quàm conuertitur in substantiam, & illud ipsum est subiectum fluxui ex nimio humore. *Impedimentum infantia.* Deinde, virtus caloris naturalis remittitur in progressu ætatis ex frequenti actione,ideóque non est adeò efficax in omni sua actione ad conuersionem, sicut causæ naturales generationis, quæ plures concurrunt, & perfectiores ad effectum generationis, quàm sit causa agens ad nutritionem. *Calor naturalis non excedit perfectionem causarum generantium.*

Probatur idem antecedens quoad secundam partem, nempe illam esse magis de intentione naturæ:quia natura non agit ad nutritionem nisi per accidens, quatenus intendit conseruationem primò producti, & restaurationem eius, ideóque cessat actio nutritiua in statu gloriæ, vbi nihil deperdetur, aut fluet: ergo magis intendit natura conseruare carnem primigeneam,quàm nutrimētalem;vnde si posset aliàs conseruare illam, non ageret ad nutritionem. 77 *Primigenea magis ex intentione naturæ.* Probatur consequentia;quia eo ipso,quo peruenit indiuiduum ad magnitudinem sibi debitam, cessat motus naturæ ad augmentationem, quam ipsa intendit ad perfectionem indiuidui primò producti, & non propter se: ergo etiam cùm intendat nutritionem ad conseruationem eiusdem magis intendit ipsum indiuiduum quoad *esse* substantiale primò receptum, quàm nutritionem; quidquid est propter aliud intentum intenditur minùs quàm aliud primum intenditur:sic etiam ipsa generatio,quæ intenditur ad multiplicationem speciei, & conseruationem, cessabit in statu gloriæ, quando finis ille iam completè acquiritur. Sic etiam natura intendit conseruationem alicuius propter *esse*, quod in prima sui productione recepit. *Finis magis intenditur à natura, quàm mediū.*

Antecedens idem probatur quoad tertiam partem, nempe carnem primigeneam magis esse connaturalem speciei & formæ, & magis etiam participare 78

participare

participare speciem ex intentione, naturæ qua pertinet principaliter ad integritatem indiuidui.

Intentio naturæ sequitur intentionem causarum. Probatur, quia illud est primariò intentum à natura, quod ex dispositione & efficacia causarum naturalium, & cæterorum concurrentium determinatè producitur, & quo producto cessat motus in finem; sed caro primigenea est talis: *Caro primigenea primò intēta à causis.* ergo illa magis etiam est connaturalis speciei, & formæ. Probatur consequentia, quia species *Species sequitur intentionem causarū.* sequitur inclinationem causarum, & virtutem, cùm nequeat aliter existere, quàm virtute causarum, & in determinato indiuiduo, ad quod causæ illæ ordinantur, & forma etiam sequens sub- *Idem de forma.* iectum ex dispositione causarum necessitante illud primariò, & per se respicit, ad quod dispositio connaturalis, & necessitas inclinat, sed hæc omnia concurrunt respectiuè ad carnem primigeneam: ergo illa est magis connaturalis indiuiduo, speciei, & formæ.

79 *Prima confirmatio ex depēdentia cōnaturali indiuidui producti.* Confirmatur, indiuiduum productum in ratione effectus, & ex ordine debito causarum dicit semper dependentiam aut formalem, aut fundamentalem ad causas, ex quibus recipit *esse*: sed hic ordo præcisè intelligitur respectiuè ad primò productum, & quatenus est ex causis: ergo seruato hoc ordine indiuiduum magis exigit carnem primigeneam, quàm nutrimentalem. *Seruari in gloria ordinem patris, & filij.* Sed in gloria seruabitur hic ordo, vt denominatio, & respectus inter patrem & filium non cessabit: ergo debet restitui illud, in quo primariò fundatur talis respectus: nòn autem funda- *Ille fundatur per se in carne primigenea.* tur in carne nutrimentali nisi valde remotè, & impropriè, quia illa non est ex parentibus, nisi secundùm æquiualentiam, vel inquantum successit primigeneæ; vel inquantùm virtute caloris naturalis primigeneæ, & recepti à parentibus partim est producta: ergo in resurrectione debet primariò restitui primigenea ad hunc ordinem saluandum.

80 *Secunda confirmatio.* Confirmatur secundò ex Apostolo, qui dicit seminari mortale corpus, & resurgere immortale; sed corpus secundùm carnem primigeneam *Corpus seminatur in carne primigenea.* fuit primariò seminatum; ergo secundùm illam etiam primariò resurget. Probatur minor, quia Christus, vt secundus Adam, restaurabit pri- *Caro primigenea in primo parente corrupta restaurabitur per Christū.* mariò, quod in primo Adam fuit corruptum primariò, & seminatum: sed caro primigenea est illa, quæ propriè ex Adamo est tracta, & ex qua tanquam proxima causa communicatur peccatum originale, & concupiscentia, & mors, quæ sunt eius pœnæ, & per quam, vel in qua filius Adam propriè nascitur, & dicitur, illæ autem pœnæ, vt concupiscentia, & mors, sicut dicūt ordinem ad debitum peccati, & ipsum peccatum, quod præcessit, ita etiam necessariò dicunt ordinem ad indiuiduum in ea carne, in qua nascitur subiectum peccato, & in qua primò debitum mortis, & concupiscentiæ incurrit tanquam ex causa: hæc autem merè per accidens conueniunt indiuiduo ex carne nutrimentali, & non aliter nisi vt dicit ordinem ad primigeneam: ergo primigenea vt patet ex dictis, & secundùm intentionem naturæ, & causarum: & *Ordo diuinæ prædestinationis.* secundùm dispositionem diuinam prædestinationis, per quam primò seminatur, quod mortale est, quàm quod spirituale, ex his, inquam, sequitur carnem primigeneam primò spectare ad proprietatem indiuidui, & esse connaturalem speciei & formæ, & etiam ex dispositione diuinæ prouidentiæ, & restaurationem deperditi faciendam per Christum, illam magis esse restaurandam, & sanandam, in qua primò seminatur caro peccati, concupiscentia, & debitum mortis, vt vera restauratio in restituendo seruet proportionem cum eo, quod primariò est lapsum. Si ergo Christus primariò venit ad reparationem peccati originalis, & vt saluaret filium Adam, quà propriè eius filius est, vt sal- *Christus venit vt restauraret lapsum quoad corpus, & animam.* uaret, inquam, quoad corpus, quod traxit ex Adam, & quoad peccatum ex eo contractum in anima, ita etiam cùm hæc omnia saluentur præcisè respectiuè ad corpus, & carnem primò seminatam, non verò ad carnem nutrimentalem, quæ vt talis est, non seminatur in peccato, neque per viam concupiscentiæ maris, & fœminæ; sed merè naturaliter, & accessoriè, ad restaurandam *Caro primigenea subiecta primariò morti, & aliis pœnis.* priorem: ita, inquam, debet corpus illud, quod primariò seminatur in corruptione, peccato, concupiscentia, & mortis debito, & quod ex causis, & modo, quo seminatur, est præcisum subiectum horum, debet inquam restitui, & sanari per resurrectionem, quæ restaurat deperditum ea proprietate, qua deperditum est, & seruata reciproca intentione, & ordine opposito ad lapsum.

Confirmatur tertiò. Ideo omnes communiter 81 Theologi cum Augustino *lib.22.de ciuitat.cap.20.* *Tertia confirmatio.* quando eadem materia successiuè fit in diuersis de veritate naturæ, vt si quis carne alterius vescatur, concedunt, inquam, eam reddendam priori, in quo fuit, potiori iure, quia per accidens est, quòd ei fluxerit, & ex intentione naturæ illi primò fuit propria: sed eadem ratione seruato ordine in ipso indiuiduo, caro primigenea fuit eius propria & primariò ex intentione naturæ & causarum, ex quibus recepit *esse*: caro verò nutrimentalis fuit eius accessoriè tantùm, & per accidens, vt succedit per modum restaurationis prioris, quæ decidit: ergo restitui debet potiùs ei caro primigenea, quàm nutrimentalis.

Ex his patet ad fundamentum Lusitani, qui 82 hanc sententiam communem reiicit *q. 3. art.7.* *Reiicitur sētentia Ægidij cum suis fundamentis.* *§.2.* fundamentum enim communis sententiæ reiicit ex eo quòd caro nutrimentalis non minùs est de intentione naturæ, quàm primigenea, neque minùs participat speciem, quia fit de substantia viuentis.

Responsio ad primum. Respondetur quantùm ad primum esse falsum, vt probatum est ex dictis; quantùm ad secundum non valet consequentia, fit de veritate substantiæ, & animatur: ergo perinde participat spe- *Caro primigenea magis spectat ad speciē quàm nutrimentalis.* ciem, & formam: quia aliud est participare per se speciem, & formam, aliud est participare per accidens, quantùm vtrumque ad perfectionem finis ordinatur ex intentione naturæ, & causarum: nam caro impurior etiam participat formaliter naturam speciei, & formæ; tamen non par- *Aliter natura intendit primigeneā, aliter nutrimentalēm.* ticipat primariò, & secundùm intentionem naturæ, quæ respicit quod perfectius est, & ad illud magis inclinatur, & intendit ipsum præ reliquis. sicut autem in ipsa nutritione intendit conseruationem indiuidui, quoad *esse*, & operationes, sic etiam magis intendit carnem puriorem, licèt ipsa impura animetur. Eodem modo in proposito, vt ostendimus, caro primigenea intenditur primariò à natura, & licèt intendat etiam carnem nutrimentalem; eam tamen intendit secundariò, & per accidens, ex vi primæ intentionis, qua intendit primariò *esse*, & conseruari, & restaurari, & non aliter intendit natura nutritionem: ideò caro primigenea ex intentione naturæ primariò spectat

spectat ad speciem, eámque participat. Sic etiam natura intendit primariò sæpè effectum perfectiorem, & quando nequit illum attingere, intendit secundariò quod potest. Intendit præterea effectum, quem nequit immediatè attingere, ideóque via generationis, & alterationis procedit per motus intermedios: quia nequit aliter peruenire ad finem; hos autem motus intermedios intendit tantùm secundariò, & per accidens, vt contingit in ipsa generatione viuentis. Rectè ergo dicunt communiter Doctores, comparando nutritionem ad carnem primigeneam, inquantùm natura intendit vtramque, quòd nutritio tantùm secundariò intenditur, & per accidens à natura, vt primariò intendit conseruationem primigeneæ.

83 Secundò dico nos non resurrecturos præcisè in carne, quam quis habet, dum moritur, sed in carne primigenea, quæ suppletur altero ex duobus modis, quos admittit Doctor in sequentibus. Hæc sequitur ex dictis, éstque communis. Eam impugnat Ægidius *loc.cit.art.9.* ex communibus formulis Patrum, & Scripturæ, quæ dicunt mortuos resurgere; ergo in illa carne in qua mortui sunt, & quæ iacuit in sepulchro. Toletan. 11. *Resurgemus in illa carne, qua viuimus, consistimus, & morimur.* Deinde, quia Paulus dicit quòd corpus in corruptione seminatum resurget in corruptionem: seminatum scilicet per corruptionem in morte, vbi Patres, & expositores. Vnde Gregorius asserit nefas esse aliam carnem resurgere, quàm sit mortua. Christus & Beata Virgo resurrexerunt in carne, qua mortui sunt. Sic etiam resurgent ij, qui in die iudicij morientur, de quibus *suprà* egimus. Deinde, dicuntur mortui suscitari ex sepulchris, & pulueres à patribus, vt patet ex multis Patribus: & non aliud corpus resurget, quàm quod moriendo seminatur. Deinde, quia ideò reliquiæ, & ossa Sanctorum ab Ecclesia coluntur: quia in resurrectione sunt immortalitate donandæ. Vltimò, quia reliquæ sententiæ non cohærent Philosophiæ. Hæc ille.

Secunda conclusio.

Obiectio Lusitani.

Ex formulis Patrum, qui dicunt resurrecturos in carne, qua morimur.

84 Respondetur vnica responsione ad Patres, & Scripturam, ne diutiùs huic materiæ inhæreamus; responsio autem est obuia, & ex vera sententia, quæ non facit ad scopum præsentis difficultatis, nisi merè verbaliter.

Intendunt ergo Patres partim contra hæreticos, qui negabant eandem carnem numero resurgere, sed aliam in specie eandem, vt Methodius, & Epiphanius, docuisse Origenem ferunt; vel etiam in specie diuersam, vt docuit Eutychius Constantinopolitanus apud Gregorium *lib.14. moral. cap.29.* ad cuius errorem *loc.cit.* alludit Gregor. *cap.33.* sicut & ad errorem aliorum, qui negabant resurrectionem fore in eadem carne. Partim etiam Patres impugnant tam hæreticos antiquos, quàm Philosophos, qui negabant resurrectionem, vel absolutè, vt Philosophi, quia putabant nihil corruptum posse restaurari; vel vt hæretici negabant resurrectionem, quia iam factam putabant, vt Hymenæus, & Philetus 2. *ad Timotheum* 2. vel tantùm fore in anima, & non in carne, vt Marcion, Hierax, Carpocrates. Contra hos differunt Patres asserentes in eadem carne, quæ mortua est, nos resurrecturos, non in alia. Et huc spectat etiam Scriptura de resuscitatione corporum, & puluerum ex sepulchris, quod est etiam verissimum:

Intentio Patrum contra hæreticos & Philosophos.

Horum errores.

ergo non resurget caro primigenea, aut alia quæ fluxit in omnibus, negatur consequentia: nam illa locutio Patrum de resurrectione carnis eiusdem, quæ mortua est, extenditur etiam ad primigeneam, & aliam, quæ desiit: quia illa verè mortua est in sensu Patrum, quia per mortem intelligunt corruptionem, siue totalem carnis, & supremam, siue continuam; *nam quotidianus defectus corruptionis*, inquit Gregorius, *est quædam prolixitas mortis.* Patres ergo sub appellatione carnis mortuæ comprehendunt totum, quod desinit, & quod restauratur. Deinde, quòd dicantur resuscitari mortui ex sepulchris, & pulueres colligi, & animari in resurrectione, nihil obest, quia neque caro primigenea sola restaurabitur, sed etiam alia requisita ad supplementum; & sicut dicitur Petrus filius Ioannis mori, quamuis ex suppositione contrariæ opinionis, nihil carnis, quam recepit à Ioanne manet, ita etiam rectè dicitur Petrus mortuus resuscitari, quamuis primigenea, quæ fluxit, adiiciatur, & superflua abscindantur, licèt aliquando fuerint de naturæ veritate.

Explicantur Patres.

Ad exemplum de Christo & Beatissima Virgine, ostendat in his carnem primigeneam nullam mansisse, & tunc aliquid erit; quin imò satis probabile est totam carnem primigeneam in reliquis non fluere, & quia purior est, & magis resistens corruptioni præ carne nutrimentali, quæ habet admixtam corruptionem, ex qua faciliùs fluit, quamuis etiam aliquæ partes carnis primigeneæ fluant, aliàs non indigerent restauratione: sed quia in carne primigenea anima rationalis, vt dat *esse*, fuit primariò vnita; probabile etiam est eandem vnionem conseruari ex parte, maximè in partibus solidis, & magis necessariis ad functiones vitæ, quoad potiorem partem, quam includunt: & quidquid de hoc sit, exemplum non conuincit, quia in Christo, & Beatissima Virgine ob perfectionem temperamenti dico remansisse carnem primigeneam quoad præcipuam sui partem, vt parum eius fluxerit, in quibus nutritio magis ad augmentationem, quàm ad restaurationem fuit ordinata: nam si in prima ætate mundi, ob perfectionem constitutionis, & temperamenti, iuuentus ad longiorem periodum, & ætas protrahebatur, à fortiore in Virgine, & Filio idem asserendum est, quoad perfectionem temperamenti, quamuis per hoc non negem etiam aliquid eius carnis fluxisse, & eos naturaliter indiguisse nutritione. 85

Ad exemplũ de Christo & beata Virgine.

Carnem primigeneam ex toto non fluere integram.

In Christo & Virgine parũ eius fluxit.

Ad aliud quod obiicit de cultu reliquiarum. 86

Respondetur Ecclesiam prætendere aliud motiuum cultus, nempe quia Sancti quoad animam sunt in cælo, & fruuntur Deo, tanquam amici eius, & in memoriam operum mirabilium, quæ in prædictis reliquiis Deus per ipsos patrauit, & beneficiorum receptorum: vnde non ad statum futurum Sanctorum per glorificationem corporis respicit Ecclesia, sed ad præsentem, & præteritum, vt patet ex processu canonizationis, qui præmittitur ante cultum ipsum: status enim futurus est communis omnibus electis, neque Ecclesia solet ad sepulchrum infantis baptizati adhibere cultum, quamuis de eius salute non dubitet, aut gloria futura corporis. Ad vltimum patet esse falsum ex probatione primæ cõclusionis.

Responsio ad illud quod obiicit de cultu reliquiarum.

Cultus Ecclesiæ in Sanctos ad statũ præsentem & præteritum respicit.

Dico quartò cum carne primigenea restitui, vel nutrimentalem puriorem, vel certè carnem, per quam 87

Quarta conclusio.

Probabilis quoad vtrũque modum præmissum. quam recepit augmentum requisitum ad eam staturam, quam requirit ætas perfecta, in qua resurget. Vtraque harum est probabilis: & solùm differentia est, quæ caro magis spectet ad intentionem naturæ. *Sententia D. Thomæ. Puriorẽ nutrimentalem spectare ad veritatẽ naturæ magis, quàm augmentantẽ.* S.Thomas docet carnem illam, quæ per nutrimentum acquiritur, & est purior, spectare ad intentionem naturæ magis: quæ sententia est probabilis, si spectetur intentio primaria naturæ, qua vult *esse* rei magis quàm perfectionem, quæ est per augmentum: nam perfectio ipsa ad *esse* ordinatur tanquam ad finem: licèt ergo natura primariò intendat *esse*, & augmentum: tamen comparando vtramque intentionem, illa est potior, quæ est respectu *esse*, quàm illa, quæ est augmenti. Verùm comparando nutritionem ad augmentum ex fine proximo, & secundario naturæ, quatenus præcisè est restauratio deperditi, & propter aliud à se intenta secundariò, tunc augmentum magis est de primaria intentione naturæ, quàm nutritio, & sic alia opinio intelligitur. *Alia sententia docẽs augmentatiuã magis intendi.* Quid autem contingat, est incertum, vtraque sententia est probabilis, nempe carnem primigeneam, & nutrimentalem puriorem ad debitum mensuræ restitui, vel certè carnem augmentatiuam cum primigenea: nam sicut resurrectio est restauratio deperditi, & illius primariò quod est de intentione naturæ; ita differendum erit de addito, quatenus ex intentione naturæ spectat primariò ad veritatem naturæ deperditæ.

88 Quarta opinio reiicitur à Doctore in prima conclusione, & communiter à Scholasticis in hac distinctione ob rationem assignatam; sustineri tamen dicitur ab Augustino *lib.22. de ciuitate, locis citatis* & potissimùm *c.19.* ex illo Lucæ cap.21. *Capillus de capite vestro non peribit.* & pro ea citatur, sed eam non tenet Augustinus; nam sicut dicit, tantùm seruata partium congruentia restitui, & superflua, expresse dicit, & *quæ non decent, materia seruata integritate detrahetur,* &c. Plura autem ex his fuerunt animata. Intendit ergo Augustinus tantùm hominem resurgere integrè sine superfluitate, aut defectu, cum debita membrorum cohærentia; superfluum autem in multis esset, vt tota materia resurgeret, quæ si simul esset, excederet debitam proportionem, & congruentiam membrorum. *Quarta sententia, quæ dicitur Augustini.* *Explicatur Augustin.*

Quòd si quis contrarium vellet defendere ex eadem authoritate: posset dici materiam quoad substantiam, quæ fuit de veritate naturæ humanæ, totam redire cum quantitate proportionata staturæ. *Sustinetur sententia prout sonat.*

89 Et si dicas hoc esse miraculum nouum, quod non debet sine necessitate asseri. *Obiectio.*

Responderi potest, sufficere Augustinum solum pro millibus, maximè cùm reducat hanc sententiam ad illud Lucæ. *capillus de capite vestro,*&c. Deinde responderi potest, non fore miraculum diuersum, quia caro tã primigenea, quàm accessoria, vt purificatur, & reformatur in statu gloriæ, fortè non exigit aliam quantitatem diuersam, ab ea, quæ debetur staturæ; neque proinde sequetur inconueniens, quod adducunt Scholastici, nempe de nimia densitate, aut excessiua mole corporis gloriosi, quod per purificationem carnis redditur idoneum quantitati debitæ subiectum, & minorem exigit, quàm fuerit illa, quæ fuit successiuè in corpore mortali: ergo vel vno, vel altero modo intelligitur Augustinus. *Caro purificata & reformata non exiget tantam quantitatem quantam mixta requirit.*

SCHOLIVM.

Ad primum, ponit duas sententias de costa Adæ, an fuerit ei superflua, necne, & fuisse superfluam putat magis verisimile. Ita Alens.2.part.quæst.58.m.4. D.Thom. 1.part. quæst 92. art.3. D. Bonau.2. dist.18. art.1.q.2. Richard. art.1. q.2. Tost. in Gen. quæst.358. & seq. Oppositum tenent Catharin. in Gen. & Perer. ibi. l.4. ad secundùm, partem, quæ fuit de veritate naturæ in pluribus, eius esse in quo purior fuit, & magis de veritate naturæ, v. g. si fuit vnius in generatione, & alterius in nutritione, primo debetur; si verò æqualiter fuisset in vtroque, ei qui priùs habuit, deberetur. D. Thom. hîc, quæst.1. art.2. quæst.4. & August.

18 *Ad arg.1. Idem dicit Rich. dist. præsent. ar. 1.q.4.* AD argumenta. Ad primum dico, quòd illa costa non fuit de veritate naturæ in Adam: quia præter illam habuit costas sufficientes, secundùm quod competunt homini communiter: illa autem fuit sibi data tanquam superflua quoad suppositum, sed necessaria quoad intentionem naturæ: sicut in masculo est semen, non tanquam aliquid naturæ illius suppositi, sed propter generationem alterius suppositi est in illo tanquam in vase (vnde non est animatum anima istius) ita fuit de illa costa. Vel si omnino fingatur, quòd illa fuit costa simpliciter sibi necessaria, sicut pars integralis; Respondeo, sequitur, *repleuit carnem pro ea*, id est, loco eius aliam costam formauit. Primum verius credo. Sed dato secundo, non resurget in Adam costa translata, sed alia.

Ad 2. Cuius erit in resurrectione quod fuit in duobus? In Enchir. c.85.& 22. ciu.22. 23. Ad aliud, credo quòd nunquam fuit, nec erit vsque ad finem mundi aliquid æquè de veritate humanæ naturæ in duobus suppositis. Et ideò resurget præcisè in vno, in quo magis fuit de veritate; magis, inquam, vel quia in ipso purius, vel quia magis de intentione naturæ, pars eius. Si autem omnino contendatur, quòd simpliciter, & æqualiter fuit de veritate naturæ vtriusque; Dico quòd resurget in illo, in quo priùs fuit animata, & hoc dicit August. & ponitur in litera: *Redditur illi animæ, quæ illam*

illam primitùs, vt homo fieret, animauit: & istud est rationabile, quia post primam animationem facta est illa caro illius hominis, & per consequens, etsi posteà quasi vsurpetur ab alio, non amittitur illa prima habitudo eius ad hanc * materiam. * *al.* animam.

Si autem illi, in quo fuit secundò de veritate naturæ, sufficiant ad quantitatem debitam partes aliæ, quæ fuerunt corporis sui in successione vitæ suæ per nutritionem, ex illis reparabitur corpus debitæ quantitatis: quia istæ fuerunt animatæ ista anima, & essentialiorem ordinem habuerunt ad illam animam, præter illud, quod in alio resurget: quia ad aliam animam habuit essentialiorem habitudinem, quàm ad istam. Si verò præter illud, quod in alio resurget, partes nutrimentales, quas ille successiuè habuit, non sufficiant ad debitam quantitatem corporis illius, supplebit, vnde voluerit, Omnipotens.

Ad aliud, si possibile esset, quod præcisè idem esset semen in duobus, & per consequens idem esset primo de veritate naturæ in duobus suppositis (quod tamen nunquam credo fuisse, nec fore) illud resurget in primo. 19 *Ad* 3.

Ad aliud dico, quòd non est similis ratio de toto, & de parte; quia primò intenditur restauratio eiusdem totius in resurrectionem: non ergo partis, maximè de illa parte, quæ non est principalis, sine cuius identitate totum potest esse idem. Sed si arguas de parte principali, cuius vnitas requiritur ad vnitatem totius; Dico similiter de illa, sicut dixi de toto, quia partes homogeneæ sufficientes ad quantitatem eius debitam, resurgent in illa parte organica: & hoc illæ, quæ priùs fuerunt de veritate naturæ illius partis, (priùs, inquam, duratione) si fuerunt æqualiter de veritate alterius, & quantùm ad puritatem, & quantùm ad intentionem naturæ. Si autem in aliquo alio principaliùs altero illorum modorum, in alio resurgent. *Ad* 4.

COMMENTARIVS.

90 *Ad argumẽta principalia. Ad primum.*

AD *argumenta*, &c. *Ad primum*, &c. Primum fuit, vel quòd Eua, quæ fuit de Costa Adæ formata, non resurget in eadem carne, vel quòd Adam non resurget secundùm totum, quod fuit de veritate naturæ humanæ in ipso.

Responsio. An costa, ex qua formata fuit Eua, fuerit superflua.

Respondetur primò illam costam fuisse superfluam quantùm ad suppositum, licèt non quoad speciem, & intentionem authoris naturæ, qui eam concessit ad formationem alterius suppositi, vt mulieris: sicut neque semen est superfluum quantùm ad intentionem naturæ, & finem generationis, licèt sit superfluum quantùm ad *esse* suppositi, in quo est tanquam in vase, & non tanquam pars animata. Hanc responsionem probant authores citati à Scholiaste: sed vrget Caietanus, qui solus inter omnes, super *cap. Genes.* 2. negat formationem Euæ ex costa, & reducit Scripturam ad sensum mysticum. Argumentum eius potissimum est, quòd sequeretur Adam fuisse monstruosum, si illa costa fuit superflua, vel mancum, si fuit ab eo dempta, & non restituta.

Sententia Caietani singularis.

Responsio. Non fuisse monstruosum Adam.

Respondetur ex doctrina tradita, non fuisse monstruosum; quia quod superfluit hoc modo vt neque ad speciem, neque ad indiuiduum spectet ex fine naturæ, est monstruosum; non ita fuit costa illa, quæ fuit seminarium naturæ, inquantùm Deus author eius determinauit modum propagandæ naturæ ex vno homine, & formare mulierem ex illa costa, necessariam ad generationem.

Secunda responsio Doctoris. Si non fuit supernumeraria costa, alia restituta est.

Respondet secundò Doctor, dato quòd illa costa non fuerit superflua quoad indiuiduum, sed necessaria quoad veritatem, & integritatem naturæ. Tunc dicendum ex illis verbis *& repleuit carnem pro ea*, &c. fuisse restitutam aliam costam; nam hæc etiam nomine carnis replentis rectè intelligitur, sicut etiam in prioribus, vbi dicit textus tulisse costam, intelligitur etiam tulisse carnem adhærentem. Hanc responsionem sequitur Catherinus *in* 2. *Gen* & in eam inclinat Pereira in eundem locum. Vtraque solutio constat, & soluit argumentum, quamuis prior, vt communior, magis placeat Doctori. De reliquo sententiam Caietani impugnant omnes interpretes, & Scholastici, quæ magis spectat ad secundum librum *d.* 18. quàm ad præsens.

91 *Secundum principale. Olim obijciebatur à Gentilibus.*

Ad aliud credo, &c. Respondet ad secundum, quod fuit: idem non resurgit in diuersis; sed idem potest esse de veritate naturæ in diuersis successiuè, vt si quis vescatur carne humana. Hoc argumentum etiam olim obiiciebatur contra resurrectionem, vt patet ex Iustino *in quæstionibus Græcanicis, quæst.* 14. Athenagora *in tract. de resurrectione*. Idem tractat August. *lib.* 22. *de Ciuitate cap.* 20. Athenagoras negat suppositum, nempe carnem humanam esse aptam nutritioni. Magister etiam, & alij, qui negant carnem nutrimentalem animari, negarent primigeneam posse transire in substantiam alterius per nutritionem. Experientia constat contrarium vtriusque responsionis.

Responsio quorundam reijcitur.

92 *Responsio. Non fore eandem carnem æquali modo de veritate naturæ in duobus.*

Respondet Doctor primò, negando quòd aliquid perinde esse possit de veritate naturæ humanæ in duobus æquali modo, & gradu: quia scilicet, vel erit primigenea in vno in altero verò materia erit sub forma carnis nutrimentalis; vel certè magis spectabit ad intentionem naturæ in vno, quàm in altero. Et hoc quidem spectat ad prouidentiam Dei suauem, qua disponitur materia hominis in ordine ad resurrectionem cum identitate eiusdem resurgentis quoad eandem materiam, seruata hominis identitate, & resurrectione; quod insinuare videtur Iustinus *loco citato*, & sequitur etiam Lusitanus *quæst.* 3. *art.* 10. éstque communior. Iustinus. Lusitan.

Respondet consequenter Doctor, eam materiam resurgere in eo, in quo magis fuit de veritate naturæ, vel quia primigenea, vel purior, vel magis secundùm intentioné naturæ ad eam spectabat. Quòd si verò fuit æquè de veritate naturæ in ambobus, in illo resurget, in quo fuit priùs.

Hæc eſt ſententia Auguſtini, & communis, quamuis aliqui putant priùs fuiſſe carnem in vno quàm in altero, non dari ipſi titulum.

93 Partem fuiſſe vnius primum dat ei titulum.

Reſpondetur tamen hoc eſſe falſum: quia ſicut fundatur titulus ratione totius, ita etiam ratione partis. Vnde ſicut corpus idem adaptatur per reſurrectionem, quamuis alias corruptum, ita & eædem partes, quæ in priori, in quo fuerunt, iam debitum reſurrectionis in eodem habuerunt, quo ſtante ex lege alteri nequeunt adaptari. Non amittit ergo decidens habitudinem neque ad priorem animam, neque ad materiam, vt ei debeatur reſurrectio, quæ nequit conſiſtere cum debito in ſolidum reſpectiuè ad alium. Si ergo ſecundus, qui eam poſſedit, habuit alias partes ſufficientes, ex illis reparabitur, quòd ſi verò non habuerit aliud per Omnipotentem ſuppleatur prout voluerit.

Ad tertium: quòd ſi idem ſemen eſſet materia duorum ex eo genitorum ſucceſſiuè, ad quem ſpectaret. Et quartum, quod eſt, ſicut ad reſurrectionē totius requiritur vt idē reſurgat quantùm ad ea, quæ fuerunt de veritate naturæ eius, ſic etiam requiri, vt eædem partes eius reſurgāt, & conſequenter identitate, vt conſtabant ſuis partibus ſingulæ, quod eſt contra Auguſtinū citatū. 94 *Ad 3 & 4.*

Ad hæc duo reſpondet eadem doctrina, ſicut pertinent ad eandem difficultatem. *Reſponſio ex dictis.*



QVÆSTIO II.

Vtrùm ignis infernalis cruciet malignos ſpiritus?

D.Thom. *in addit. quæſt.97. art.1. & 4.diſt.50.quæſt.2.art.3.* D.Bonauent. *hic 2.part.3.quæſt.2.* Richard. *art.2.quæſt.6. & 9.* Dur.*quæſt.*10. Gabr.*quæſt.3.art.*2. Vaſq.1.*p.diſp.*243. Vide Scot. *in Theor.* §. Omne agens eſt præſtantius.

1 *Mag.F.G.H.* *Arg. 1. cap.29.* [a] CIRCA iſtam ſecundam partem huius diſtinctionis, quæro primò: Vtrùm ignis infernalis cruciet malignos ſpiritus? Quòd non, Auguſt. 12.*ſuper Gen.* arguit ex intentione ſic: *agens eſt præſtantius patiente; corpus autem non eſt præſtantius ſpiritu, ſed è conuerſo: ergo nullum corpus agit in ſpiritum.*

Arg.2. Præterea, ſecundùm ipſum ibidem, non ſunt corporalia, ſed corporalibus ſimilia, quibus animæ exutæ afficiuntur: ergo non afficiuntur pœna corporea.

Arg.3. Text.43. & 44. Idem 7. Phyſ. t.8. & 9. & alibi. Præterea, 1. *de Generat.* corpus non agit, niſi per contactum; corpus autem non poteſt tangere ſpiritum, quia illa tangunt ſe, quorum vltima ſunt ſimul: ſpiritus non habet vltimum. Et confirmatur iſtud per Philoſophum 7.*Phyſi.* vbi vult, quòd agens, & patiens oportet eſſe ſimul, & nihil horum medium; ſpiritus autem non poteſt eſſe ſimul cum corpore, quia reſpectu corporis quaſi non eſt in loco.

Arg.4. Text. 51. & circiter. Præterea, 1.*de Generatione*, agens intendit ſibi aſſimilare paſſum; ſed corpus non poteſt ſibi aſſimilare ſpiritum, quia tunc ſpiritus eſſet capax alicuius formæ, in qua aſſimilaretur corpori.

2 *Ratio opp.* Oppoſitum Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius.* Præterea, Greg. 4. Dialog. cap.30. *Si Diabolus, eiúſque Angeli, cùm ſint incorporei, corporeo ſunt igne cruciandi: quid mirum ſi animæ antequàm recipiant corpora, poſſint corporea ſentire tormenta?* Præterea, Aug.21. de ciu. Dei. c.10. *Cur non dicamus quamuis miris, veris tamen modis ſpiritus incorporeos poſſe pœna corporalis ignis affligi?* & iſtud probat ibi per hoc, quòd ſpiritus hominum incorporei poſſunt, vel poterunt corporum ſuorum vinculis inſolubiliter alligari.

COMMENTARIVS.

[a] *Circa iſtam ſecundam partem*, &c. In hac quæſtione poſt argumenta liminaria impugnat duas ſententias. Primam tanquam non reddentem ſufficientem rationem veritatis. Secundam verò tanquam falſam. Deinde, ſubiicit primò, quomodo ignis per alligationem cruciet ſpiritus. Secundò, quomodo per apprehenſionem. Deinde reſpondet ad argumenta principalia.

SCHOLIVM.

Sententia D.Thom. & Ægid. spiritum torqueri igne, quatenus eum apprehendit sibi disconuenientem. Hanc refutat Doctor ratione & auctoritate. Secunda sententia est Henrici. per habitum supernaturalem spiritum subdi corporali agenti vt puniatur. Hanc reiicit triplici ratione.

b HIc dicitur quòd spiritus cruciatur igne, inquantùm eum apprehendit sub ratione disconuenientis. Et confirmatur per Gregor. Dial.4.cap. *Eo patitur, quo videt, & quia cremari se respicit, cruciatur.* Ad possibilitatem huius est Auicen. 9. *Metaph.* vbi exemplificat de somnio, quòd aliquis magis cruciatur ex somnio ex tali apprehensione phantastica alicuius disconuenientis, quàm affligeretur quandoque in vigilia ex præsentia eiusdem. 3

Contra hoc, aut vera apprehensione apprehendit ignem, vt disconuenientem sibi, aut falsa. Si vera, oporteret ponere modum illius disconuenientiæ, qui non apparet possibilis: quia tanquam contrarium realiter corruptiuum nullo modo potest esse disconueniens, nec à ratione, nec à voluntate: quia obiectum, vt obiectum, est conueniens potentiæ. Si falsa, sequitur primò, quòd non ab igne, sed à sua falsa æstimatione cruciatur, quod est inconueniens: quia sicut nullus falsa opinione est beatus, ita nullus est falsa opinione miser. Secundò, si illa falsa æstimatio est à Deo, Deus erit immediata causa deceptionis: si autem ab ipso Angelo, non videtur probabile, quia secundùm Dionysium de diuin. nom. *Naturalia sunt in eis splendidissima*: ergo possunt naturaliter apprehendere, quòd ignis non est eis disconueniens. *D.Th. præsenti dist. q.1. Ægid. quodl. 2. q. 9. quodl. 4. q.15. Cap. 7. ad fin. Refutatur opinio D. Thom.*

Præterea, Gregorius vbi suprà: *Anima non solùm videndo, sed etiam experiendo, incendium patitur.*

c Aliter dicitur, quòd spiritui datur quidam habitus supernaturalis propter demeritum peccati, & per illum habitum subiicitur corporali agenti, vt possit ab eo pati. 4 *Henric. quodlib. 8. q.3.*

Contra hoc, aut ille habitus est forma corporalis, aut spiritualis. Si corporalis, ita potest Deus dare illum habitum Angelo, vt inhæreat, sicut quòd Angelus sit albus, vel lapis sapiens: quia æqualis est repugnantia vtrobique suscipientis ad susceptum. Si spiritualis, ergo non per illum magis est passum proportionatum corpori vt agenti, quàm priùs. *Non posse spiritũ subdi corpori vt puniatur per habitũ supernaturalem.*

Præterea, habitus non est quo simpliciter possumus, sed quo aliqualiter possumus: ergo in quo non est potentia simpliciter ad agere, vel pati, in eo non est potentia ad sic agere, vel pati; sed in natura illa non est sufficienter potentia ad pati, nec ille habitus potest dare posse, quia non est potentia.

Præterea, illa pœna reciperetur immediatè in illo habitu tanquam in proximo receptiuo: imò nec mediatè in ipsa natura Angeli, si repugnat illi naturæ: & si detur primum, sequitur quòd ille habitus separatus ab Angelo posset puniri eadem pœna. Si secundum, sequitur quòd nullo modo Angelus punitur, sed tantùm ille habitus.

COMMENTARIVS.

2 b HIc dicitur quòd spiritus, &c. Suppositio huius quæstionis est dari infernum in aliquo loco determinato, tanquàm carcerem damnatorum, qui in eo cruciantur igne, qui infernalis dicitur, & hunc ignem esse sensibilem; de hoc aliquid dicemus *infrà distinct.48.quæst.2.ad.4. & distinct.50. q.1.art.1.*

Interim supponendo hanc veritatem, controuersiam de modo, quo ignis cruciat spiritus, tangit hîc Doctor, quæ est quæstio satis obscura; de qua Hugo de S. Victore. lib.2. de Sacramentis p.16.cap.3. *Quomodo* inquit, *animæ sine corporibus à rebus corporalibus pati possunt? ecce dicamus, nescimus quomodo hoc fieri possit, nunquid ideò verum non est, quia nescimus quomodo est?* & infrà p.9.cap.11. *Ne mireris, opus Dei est hoc opus, mirum est, sed non ideo falsum, quia mirum est,* &c. *verum est; nec tamen sit mirum, quia opus Dei est. Non mirum si mirabilis mirabilia operetur,* &c. Obscuritas autem huius rei in eo consistit, vt saluetur proprietas Scripturæ, & Patrum, qui dicunt Dæmones, & animas separatas cruciari, & comburi in igne sensibili. Ex altera parte quomodo ignis sensibilis, & materialis sibi subigat Spiritus quoad actionem sensibilem, cùm subiectum non sit capax talis actionis, aut effectus, corruptibilis materialis, qualis debet esse quicunque ille, qui per ignem relinquitur, aut immittitur. Hinc Theologi distinguunt duplicem actionem in hoc igne; aliam intentionalem, aliam realem, & physicam. Intentionalis est ab igne

De modo quo ignis infernalis cruciat spiritus. Hugo.

Ratio difficulta.n.

Duplex actio ignis.

igne per modum obiecti, vt causat tristitiam: realis verò consistit in aliqua physica qualitate, aut forma, quæ producitur in ipsam substantiam Spiritus: actio autem intentionalis, vt est causa pœnæ, duplex assignatur, nempe apprehensio ignis, vt obiecti disconuenientis, & alligatio ad ignem virtute diuina, & in pœnam scelerum. De actione verò reali, quæ ab aliquibus ponitur, infrà tractabitur suo ordine.

3 *Sententia vera sed non probata.* Quoad actionem ergo intentionalem, prima sententia est, Dæmones torqueri ab igne, inquantùm illum apprehendunt sub ratione disconuenientis. Hæc sententia non reijcitur à Doctore, sed exigit eius probationem, seu declarationem, quomodo sit apprehensio ignis, vt disconuenientis: & an apprehensio sit vera, vel erronea. Si vera, ostendi debere, quomodo ignis sit disconueniens: Si falsa, tunc sequitur ab igne non inferri passionem, sed ab opinione falsa. Quin imò sicut in Dæmonibus manent naturalia integra, non videtur quomodo necessitentur ad illum conceptum erroneum: non à Deo, quia non potest esse causa deceptionis; non ex natura sui intellectus, qui cognoscit ignem non esse iis disconueniens in *esse* obiecti, aut nociui. Præterea, quia *non solùm anima*, vt ait Gregorius, *videndo, sed etiam experiendo incendium patitur*, &c. Particulares modos explicandi hanc sententiam inferiùs explicabimus in corpore. *Gregor.*

4 *Sententia Henrici.* c *Aliter dicitur*, &c. Hæc est sententia Henrici *Quodlibeto* 8. *quæst.*34. in qua varios modos Doctorum recenset, & reiicit. Tandem ipse resoluit pati spiritum ab igne, qua calidus est, supernaturaliter vt instrumento Dei, non quòd statuat aliquam eleuationem in igne, aut mutationem actionis, sed quòd eodem modo, & actione, & virtute naturali caloris agat in spiritúm, sicut in corpus sensibiliter; ex parte tamen passi dicit à Deo supernaturaliter dari aliquem habitum spiritui, per quem sit passum proportionatum, & recipere possit ab igne formam, & ardorem. Hunc modum videtur Sotus amplecti, *distinct.* 50. *quæst.*1. *art.* 2. dicit enim Dæmones, & animas affligi ab igne, vt instrumento diuinæ iustitiæ, eadem tristitia, quam concipit anima, vt vnita corpori ex dolore carnis, vt per ignem comburitur.

Ignem physicè & sensibiliter cruciare Dæmones vt instrumentũ Dei.

Dari habitũ in spiritu, quo reddatur capax cruciatus.

5 *Impugnatur.* Hanc sententiam impugnat Doctor, ea in parte, qua asseritur ab Henrico: quia ille habitus esset corporalis, vel spiritualis: si corporalis, ita repugnat sicut albedo, Angelo, vel sapientia lapidi, quorum repugnantia ad subiectum est talis, vt nulla virtute possint inesse. Si est spiritualis, non reddit subiectum in *esse* passi magis proportionatum, quàm aliàs ex se fuit proportionatum. Confirmatur, quia ille habitus, vt intelligitur in *esse* formæ, tam repugnat Angelo, quàm ipse calor, cùm necessariò debeat esse forma materialis; quia nequit agenti materiali spiritus esse subiectum proportionatum, quoad actionem Physicam, & materialem: ergo vt reddatur proportionatum, necessariò acquirit aliquod *esse* materiale per talem habitum & extensum. Hoc autem perinde repugnat Angelo, quàm subiectare immediatè ipsum calorem.

Ille habitus non est materialis, neque spiritualis.

Agens materiale nequit agere in spiritum.

6 *Habitus prædictus ad quã classem spectare potest.* Deinde, *esse* illud materiale vel esset per aliquam quantitatem, vel certè per qualitatem, vel per vnionem, aut adhæsionem extrinsecam sine vnione entitatiua. Non erit quantitas, quia repugnat Angelum extendi per se, aut per accidens, cùm sit indiuisibilis, & sine partibus: extensio autem supponit partes entitatiuas in subiecto, & requiritur talis extensio ex parte subiecti, vt sit capax actionis, & formæ ab agente materiali. Non est qualitas materialis, quia hæc per accidens tantùm est extensa ratione quantitatis præsuppositæ in eodem subiecto; sed in Angelo nulla est talis: ergo etiam qualitas illa licèt materialis sit aptitudine, id est, nata extendi, si recipiatur in extenso; tamen vt recipitur in Angelo, recipitur indiuisibiliter sine vlla extensione: ergo nequit disponere Angelum, vt subiectum actionis, ab agente materiali, quod necessariò supponit subiectum extensum, ac proinde per illam qualitatem nihil saluatur in subiecto, per quod fiat capax caloris, vt producitur à causa naturali, & secundùm modum naturalem agendi ex parte causæ.

Non est quãtitas.

Non est qualitas.

Deinde, non erit in Angelo per vnionem ille habitus, quia cùm sit forma materialis, nequit sic inesse magis quàm alia, quæ ex genere repugnat Angelo. Si per adhæsionem, quæritur de eius subiecto, quod nullum est: & sic ipse calor posset per adhæsionem inesse, non tamen virtute causæ naturalis, cui repugnat formam extra subiectum producere. Deinde, si per adhæsionem extrinsecam tantùm inesset, quæritur an sit subiectum caloris? si sic, caro non est formaliter in Angelo, vt subiecto, sicut neque ipse habitus: ergo ignis actio in Angelum non saluatur. 7 *Non est vnio.*

Deinde, demus calorem inesse Angelo, nequit ipsi esse forma disconueniens Physicè, quoad substantiam Angeli, quæ non patitur nisi ab aliquo, quod repugnat sibi, aut qualitatibus eius Physicè: ideò enim calor ab igne causat dolorem in animali, quia corrumpit dispositiones connaturales, & conseruatiuas sui *esse*, & consequenter ipsam substantiam in parte destruit, vel in toto. Sed sicut *esse* Angeli est indiuisibile, spirituale, substantiale, & simplex, non admittens compositionem, & à solo Deo dependens, non habet dispositionem vllam à qua conseruetur, vel cui repugnaret calor: ergo calor non posset ei repugnare ad dolorem, quamuis esset intrinsecus. Quòd si ageret etiam ad corruptionem illius habitus, nihil inferret, quia sic magis esset connaturalis Angelo quàm repugnans; quia ille habitus vel est repugnans eidem, vel certè non est qualitas perficiens. 8 *Calor non est forma discõueniens Angelo.*

Angelus à solo Deo dependet quoad esse.

Secunda ratio Doctoris contra eandem sententiam, est, quòd habitus non sit potentia, neque dat posse simpliciter, sed aliqualiter, siue consideretur vt actiuus, aut passiuus, id est, vt complens potentiam, vel actiuam, vel certè passiuam: ergo supponit potentiam: sed nulla est talis potentia passiua in Angelo ad pati ab agente corporeo: ergo eam non recipit ab illo habitu, vt constituitur in genere habitus, prout distinguitur à potentia. 9 *Secunda probatio.*

Habitus ille non supponit potentiam in Angelo.

Tertia ratio, quia illa pœna reciperetur in ipso habitu, non verò in Angelo, supposito quòd Angelus non sit eius capax, & consequenter neque etiam illius pœnæ, seu caloris producti etiam mediatè: ergo sequeretur quòd ille habitus, vt separatus ab Angelo, posset etiam puniri illa pœna, intelligit puniri latè pro repugnante forma. Hæc ratio patet ex confirmatione primi argumenti: quia si mediante illo habitu reciperetur, sequitur quòd ipse habitus esset primum 10 *Tertia probatio.*

Ab inconuenienti, quia pœna illa cõueniret habitui separato.

primum & immediatum eius subiectum, & non Angelus? neque Angelus esset mediatum subiectum: quia supponitur quòd nullam habeat ex se capacitatem ad talem formam, neque per habitum redditur capax, quia calor ille est extensus, vt producitur à causa materiali: ergo nulli inhæret nisi subiecto per se, vel per accidens extenso: vtroque modo repugnat Angelum extendi, cùm non habeat partes: ergo, &c.

11 *Impugnatur sententia Soti.* Ex his etiam impugnatur sententia Soti: quia dato quòd ignis, vt instrumentum Dei, posset agere calorem sensibilem in Spiritum, vel certè passionem connaturalem doloris conuenientis, ex tali actione; dato, inquam, quòd non esset repugnantia ex parte causæ instrumentalis actiuæ, est repugnantia ex parte passi, quam Deus nequit supplere; ideò enim potest causam efficientem sic eleuare, quia vel non repugnat ipsi recipere à Deo virtutem, aut motum vt ipsi subordinatur, vel certè est in ipsa virtus quædam inchoata, quam Deus supplere potest, eo modo quo à variis hæc virtus instrumentalis explicatur vno aut alio modo: sed Deus nequit vti causa materiali vt recipiat formam ipsi repugnantem absolutè; quia concursus eius est per suam entitatem formaliter se communicando, non aliud causando in alio: entitas autem formalis repugnans ex positiua ratione sua, & essentiali, nequit mutari, sicut neque essentia manens eadem essentia: ergo cùm Angelo ex sua natura & essentia repugnet subiectare formam materialem, ita etiam repugnat recipere dolorem sensibilem ab igne, etiam vt instrumentum Dei esse posset, respectu subiecti, cui aliàs forma non repugnaret. Ergo etiam repugnat vt Angelus recipiat ab igne illam tristitiam, quæ sequitur præcisè ex dolore sensibili, quà sensibilis est, & per modum obiecti sensibilis. Probatur consequentia, quia vt tristitia est in voluntate, & distinguitur à dolore, qui est carnis, per realem eius immutationem à calore, illa tristitia est de dolore, vt obiecto, vel certè consequens passio ad dolorem, inquantùm afficit sensum; sed dolor sensibilis nequit sic applicari Angelo, vel per modum obiecti, vel certè per modum afflictiui, quia eius est incapax: ergo nequit ignis, agendo etiam vt instrumentum Dei, mediante dolore sensibili, & suo calore causare tristitiam in Angelo talem, qualem astruit Sotus, nempe eam, quæ nata est sequi ad dolorem sensibilem, vel ad ignem, vt causat talem dolorem.

Repugnat passio sensibilis Angelo, & materialis.

Deus nequit vti causa materiali vt recipiat formam absolutè ipsi repugnantem.

Angelus nequit recipere tristitiam ex dolore sensibili & materiali.

12 *Confirmatur. Calor excedens quomodo disconueniens animæ coniunctæ, & non Angelo.* Confirmatur, calor excedens est disconueniens animæ coniunctæ, quia lædit carnem, & destruit temperamentum organi connaturale, disponendo ad corruptionem eius; sed in Angelo nequit habere vllum talem effectum, vt probatum est contra Henricum: ergo nequit ignis in eo causare talem tristitiam, qualem causat in voluntate animæ coniunctæ, quia lædit sensum, & appetitui sensitiuo repugnat, quia inclinatur in suum delectabile, & consequenter causat tristitiam in voluntate ob sympathiam, qua condescendit appetitui. Idem dicendum de anima etiam separata, quia hæc non habet annexum sensum, aut potentias organicas, ex quibus natus dolor causaret tristitiam in voluntate: & patet etiam experientia; quia membrum aridum, in quo non est sensus vllus, quamuis adhæreat corpori, & vratur ab igne, non inde sequitur dolor in appetitu, aut tristitia in voluntate animæ coniunctæ: ergo minùs hic effectus causari potest actione ignis in anima separata, cui nulla actio caloris, neque ipse calor est disconueniens, sicut neque Angelo.

Alio modo tenetur ignem actione reali torquere Dæmones, & spiritus, immittendo illis, quà est instrumentum Dei, qualitatem realem supernaturalem, quæ maculat spiritus, ex qua macula, vel fœdatione concipiunt tristitiam eo modo, quo anima coniuncta conciperet tristitiam ex aliqua qualitate, quæ fœdaret corporis pulchritudinem, quamuis non læderet sensum. Hæc sententia est Suaris de Angelis *lib.8. c. 15. responsione* 4. quam sequitur Malon. *in 2. dist.6. disp.50. sect.2. concl.3. ad 3.* Pesantius *1. part. quæst.64. art.4. disp.5.* Probabilem tenet Zumel. *ibid.* Fundamentum aliquod ex antiquis Theologis non habet hæc sententia: nam licèt aliqui dixerint ignem, vt instrumentum Dei imprimere qualitatem suam in Dæmones, intelligunt illam qualitatem caloris sensibilis, cuius opinionis mentionem facit Albertus *in hac dist. art.37.* & Durandus ad eam alludere videtur *quæst. 11.* neuter autem eam approbat, sed ex discursu impugnando fertur in hanc sententiam, non quasi ab aliquo tum insinuatam. Fundamenta huius sententiæ non sunt alia, quàm quòd reliquæ opiniones Doctorum non rectè satisfaciunt difficultati, & quia hæc magis seruat proprietatem Scripturæ, & Patrum, qua dicitur ignis infernalis cruciare, & comburere spiritus. Tertiò, quia nulla est repugnantia in hac sententia, quia materiale, vt est instrumentum Dei, potest eleuari ad producendum qualitatem spiritualem, & supernaturalem, vt aqua ad producendam gratiam in Baptismo; ex altera parte, licèt spiritus non sit capax qualitatis materialis, potest recipere supernaturalem & spiritualem, quæ ipsi aliquo modo repugnet, ita vt ex illa concipiat tristitiam. Declaratur à prædicto authore per oppositionem positiuam, & contrariam ad gratiam sanctificantem, vt est in essentia animæ pulchritudo eius, ita illam qualitatem opponi gratiæ per modum deformitatis positiuæ contrariæ, quæ substantiam spiritualem turpem reddat: & quamuis fortasse illa deformitas non opponatur physicè rigorosè, saltem moraliter opponi potest. 13

Sentētia Suaris & aliorū.

Dari qualitatem supernaturalem spiritualem fœdantē Angelū, ex qua oritur tristitia.

Hæc sententia recedit ab opinione antiquorum.

Fundamentum huius sententiæ.

Seruat proprietatē Scripturæ & Patrum.

Non est repugnantia.

Opponitur contraria ad gratiam sanctificantem.

Hanc sententiam optimè impugnat Durandus *loc.cit. quæst.11. & ex eo* Vasquez *1.part. disp.243. cap.5.* Fauet ratio Doctoris prima contra Henricum, eam aliter applicando, vt præfati authores applicant. Summa impugnationis in hoc consistit, quia talis eleuatio non est possibilis ex parte principij. Deinde, quia ex parte etiam termini vix assignari potest fundamentum disconuenientiæ illius qualitatis, quia nequit esse dolorifera, aut afflictiua, nisi vt corrumpit aliquid connaturale Angelo: sed hoc capi non potest, quia vel esset corruptio substantiæ Angeli, & hoc nemo dicit; vel esset corruptio alicuius accidentis connaturalis Angelo: & hoc non, quia nullum apparet tale, à quo dependeret substantia Angeli in *esse*, aut operatione: quia talis qualitas deberet recipi in substantia Angeli: sed hæc non dependet ab vlla tali in *esse*: quia incorruptibilis est; neque etiam Angelus habet operationem propriam mediante tali qualitate; quia solùm agit mediantibus potentiis, & non substantia: ergo nulla alia qualitas in ipsius substantia fingi potest, quæ sit actiua: ergo nequit 14

Impugnatur prædicta sententia.

Est inefficax ad effectum prætensum.

Non corrumpit aliquid in Angelo.

quit imaginari quomodo illa qualitas supernaturalis sit ipsi contraria, aut consequenter dolorifera.

15 Dices tollere ipsius pulchritudinem.

Responsio. Contrà. Hæc pulchritudo Angeli vel est supernaturalis, aut certè naturalis; supernaturalis *Impugnatio.* nequit esse: quia dona supernaturalia adempta sunt per peccatum; naturalia verò manserunt integra ex Dionysio: ergo, &c.

Responsio. Dices dicere repugnantiam ad gratiam positiuè, & contrariè.

Impugnatio. Contrà. Hoc dici nequit, quia si diceret repugnantiam ad gratiam positiuè, non posset à *Non opponi gratia.* Deo solo produci, sicut neque peccatum; quia esset eiusdem malitiæ cum peccato: nam dato quòd gratia sit participatio diuini *esse*, & ex na- *Solum peccatum dicit oppositionem ad peccatum.* tura rei constituat gratum, vt in schola D. Thomæ frequentiùs tenetur, nihil repugnat positiuè, & contrariè gratiæ, nisi quòd ex se formaliter dicit oppositionem ad illud prædicatum, in quo formaliter ratio gratiæ constituitur: sed nulla creatura potest dicere positiuè repugnantiam talem, nisi peccatum quod ab intrinseco est malum: ergo nequit fundari talis oppositio in aliqua qualitate physica, & à solo Deo producta; neque consequenter potest esse aliqua talis secundùm suum *esse* physicum intrinsecè mala, *Esset intrinsecè mala, & consequenter non esset à Deo.* magis quàm substantia intrinsecè mala, quam constituebant Manichæi: nam omnis ratio siue à fide, siue etiam à natura deducta, quæ probat non dari substantiam, aut aliud genus entis malum intrinsecè, vt procedit à Deo, & habet rationem entis physicè, sic etiam concludit idem de qualitate physica. Quidquid ergo ab intrinseco dicit oppositionem physicam ad gratiam, necessariò est malum: nam hac ratione dicit priuationem gratiæ, in qua priuatione malitia peccati habitualis formaliter consistit iuxta senten- *Habitus erroneus aut vitiosus non est à Deo solo authore.* tiam D. Thomæ: sicut ergo peccatum nequit à Deo esse, sic neque illa qualitas, si dicit repugnantiam ad gratiam: quia neque admitteret Suarez habitum vitiosum, aut erroneum à solo Deo posse produci, ex eo quòd determinatè disponat ad malum; quamuis subiiciatur libertati eius inclinatio; sed qualitas per se contraria gratiæ formaliter, & non sola inclinatione, aut virtualiter est mala, & independens à voluntate: ergo minùs potest à Deo solo produci.

16 Si dicas illam qualitatem non opponi gratiæ, *Responsio.* quà gratia est, sed pulchritudini, vt est per gratiam, aut ornatui.

Impugnatur. Contrà. Hæc solutio est satis libera, & obscu- *Pulchritudo quæ est per gratiam.* ra: quia pulchritudo, quæ est per gratiam, non concipitur diuersa ab effectu suo formali primario, vel certè ab aliquo virtuali, inquantùm communicatur diuersa perfectio ex radice gratiæ, ad ipsam consequens, vt est reformatio imaginis, & ordinatio potentiarum per habitus virtutum: sed si priori modo opponatur gratiæ illa qualitas deformans Dæmonem, perinde est ac opponi ipsi gratiæ: quia oppositio formarum contraria est ratione effectuum formalium in *Pulchritudo virtutũ conuenit primò potentiis.* eodem subiecto. Secundum dici nequit, quia ex habitu virtutum non redundat aliqua pulchritudo physica, aut moralis propriè in substantiam Angeli, aut animæ, vt diuersificatur in *esse* subiecti, ab ipsis potentiis: ergo oppositio nequit quoad hoc saluari. Deinde, quidquid charitati opponitur, quæ est primaria inter alias virtutes, opponitur etiam gratiæ, à qua est inseparabilis: ergo perinde repugnat gratiæ: nam quod repugnat posteriori per se repugnat etiam priori. Aliam pulchritudinem Angeli, neque ex reuelatione, neque à ratione naturali colligere possumus, neque asseri debet aliunde, nisi liberè velimus statuere, quod non est expediens in materia doctrinali, & maximè fidei, quæ obscurari non debet per libera, & non probata asserta.

Secundò, Sancti Patres difficultatem huius mysterij maximè in hoc statuunt, quòd intelligi 17 *Secunda ratio. Punctũ difficultatis præsentis ex sententia Patrũ.* nequeat, quomodo ignis materialis agere possit physicè ad combustionem propriè dictam spiritus immortalis, & incorruptibilis: ergo magis interpretandi sunt secundùm illam proprietatem combustionis, quæ in aliis corporibus nota est, & sub cuius metaphora, aut similitudine, si saluari potest, aut proportione, in præsenti materia disseritur, quàm recurrere ad aliquem super- *Illa qualitas non esset cõbustio.* naturalem modum, qui neque combustio propriè dici potest, neque apprehendi seruata proportione ad rei ipsius proprietatem. Vnde deducitur talis similitudo:

Quidquid agit ignis, vt eleuatur specialiter ex *Ignis vt sic eleuatus non combureret.* potentia obedientiali sibi, & reliquis entibus communi, non agit per modum ignis, sed instrumenti eleuati, neque consequenter agit per modum comburentis, quamuis aliqua tristitia ratione effectus supernaturalis prætensi concipiatur ab Angelo, quæ tristitia non concipitur de ipso igne, quà comburens esset; sed præcisè ob qualitatem illam supernaturalem, quæ si inesset, vel à solo Deo, vel à causa quacunque creata, vt instrumento Dei eleuato, perinde pœnaret, & contristaret Angelum: ergo hic modus dicendi non saluat proprietatem Scripturæ, combustionis & cruciatus per ignem, quà ignis est, aut actionem realem, & connaturalem ignis comburentis, quam prætendunt Scripturæ, & Patres.

Consequenter magis obscurat mysterium, 18 quàm declaret, inuoluendo maiores difficultates *Obscurat mysterium.* contra principia, ex quibus ipsi Patres difficultatem mysterij pensant, vt Gregorius dicens *ani-* *Gregor.* *mam non solum videndo, sed etiam experiendo incendium pati*, &c. Item libro eodem 4. Dialogorum cap. 30. *Si Diabolus*, inquit, *eiúsque Angeli sunt incorporei, corporeo sunt igne cruciandi: quid mirum si animæ antequam recipiant corpora, possent corporea sentire tormenta.* Item August. *August.* lib. 21. de Ciuitat. cap. 10. *Cur non dicamus quamuis miris, veris tamen modis, spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi*, &c. Vnde sequitur saluando hanc combustionem, & pœnam in sola tristitia ex igne, non esse recurrendum ad alium modum, ex quo sequeretur tristitiam non causari ab igne immediatè, & quà ignis est; quia sic minùs propriè saluatur intentum.

Tertiò, vt optimè Vasquez. Illa qualitas su- 19 *Tertia ratio.* pernaturalis quoad substantiam nequit dici de- *Illa qualitas supernaturalis potiùs erit pulchritudo.* formitas subiecti, sed potiùs ad pulchritudinem eius facere: quia & illa entitas supernaturalis est, & à Deo infusa, à quo nihil natura sua malum in hoc genere entis supernaturalis videtur posse procedere, alioquin non esset locus probandi genus entis supernaturalis in substantia excedere ens naturale in perfectione: quomodo ergo essentialis aliqua turpitudo imaginari posset in *Ipsa in se qualitas esset turpitudo.* genere entis supernaturalis? Essentialem dixi turpitudinem, quia talis deberet esse illa qualitas, quæ

quæ non destrueret aliquam naturalem pulchritudinem Angeli, vt conceditur, sed ipsa in se qualitas esset eius turpitudo formalis adhærens, ex qua conciperet tristitiam: in genere autem qualitatis supernaturalis ab intrinseco repugnat concipere aliquam essentialiter malam, imperfectam in specie, & positiuè, aut turpem: nam in ipsis naturalibus turpitudinem, & malum referimus in causas naturales, & non in Deum, qui est causa indeficiens. Hinc respondetur ad fundamentum oppositæ sententiæ, illam qualitatem & repugnare ex parte termini, & repugnare ex parte principij, non solùm ea ratione, qua putamus instrumenta eleuari non posse ad eiusmodi effectus supernaturales modo, quo asseritur: sed etiam specialiter repugnare talem qualitatem posse procedere, vel à Deo solo, vel per instrumentum eleuatum agenti: quia repugnat perfectioni diuinæ, siue dicatur physicè turpitudo ex essentia formæ, siue etiam moraliter, vt dicit Suarez; quia hæc turpitudo moralis debet aliquo modo concipi respectiuè ad regulam aliquam, & ordinem, aut proportionem iustam, cui repugnat.

Soluitur fundamentum oppositum.

Quòd si quis dicat qualitatem illam non esse essentialiter turpitudinem, sed ita apprehendi in opinione Angeli, redit argumentum Doctoris, quo vel ipse Suarez impugnat alios; nempe tunc non ex vi qualitatis turpari Angelum in *esse*, sed ex erronea apprehensione, seu opinione: hoc autem dicendo perinde est statuere illam qualitatem, vel quodcunque aliud: v.g. ipsum ignem applicatum inquantùm ex opinione erronea apprehenderetur disconueniens: & tunc cruciatus non esset ex causa reali, sed ex causa apparente, & non subsistente in re ipsa.

20 Accedit vltimò quòd hæc turpitudo Angeli, inquantum esset causa pœnæ particularis, & sensus, posset saluari meliùs in ipso peccato habituali manente per modum maculæ, & odij, & eiusmodi; quia licèt peccatum mortale ex communi ratione priuat demeritoriè gloriâ, & quoad hoc sit pœnæ damni causa; tamen in specie hac, vel in illa est macula animæ, & Angeli, & turpitudo eorum, quæ sub speciali ratione considerata esset causa tristitiæ particularis in genere maculæ, & turpitudinis, ac deordinationis. Non esset ergo fingenda qualitas diuersa ad hunc effectum, quamuis etiam non rectè diceretur tunc cruciatum causari ab igne, aut alia causa extrinseca, per modum cruciantis: tamen ob maculam, & turpitudinem, non videtur sufficiens ratio excogitandi qualitatem prætensam, vt patet: quia in genere maculæ moralis, nulla maior adhiberi potest, quàm sit ipsum peccatum: physica autem macula nequit saluari, vt patet ex dictis.

Vltima ratio.

SCHOLIVM.

Posita definitione doloris, & eius differentia à tristitia, & ostenso quod est eius & sensationum subiectum, definit tristitiam, & in spiritu ostendit non esse ex falsa apprehensione, sed ex vera existentia obiecti noliti: hoc autem obiectum in proposito est ignis. Primò, vt detinens, secundò, vt obiectiuè immutans spiritum. Explicat quomodo spiritus nolens detinetur in igne à Deo effectiuè, & ab igne formaliter, vnde prouenit eius tristitia, cuius immediata causa est ipsa ignis detinentia nolita.

d AD quæstionem dico, quòd secundùm Augustinum 14. de Ciuitat. Dei cap. 15. *Dolor carnis tantummodò est offensio animæ ex carne, & quædam ab eius passione dissensio, sicut animæ dolor, qui nuncupatur tristitia, est ab his rebus quæ nobis nolentibus accidunt.* Ex hoc apparet, quòd dolor est passio consequens apprehensionem sensitiuam, & in appetitu sensitiuo, Tristitia autem est propriè in appetitu intellectiuo, aut in voluntate, & consequens apprehensionem euentus alicuius obiecti noliti. 5

Quid dolor & tristitia, & quomodo differunt? de quo 3. dist. 15.

Primum, scilicet dolorem propriè dictum, non oportet quærere in spiritibus, siue Angelis, siue animabus separatis, nisi fingatur, quòd in spiritu separato sit appetitus sensitiuus, & pari ratione sensus: & tunc etiam possit inesse sibi passio, tam secundùm appetitum illum, quàm secundùm sensum, quod trufaticum est secundùm Aristotelem 1. de Anima. *Nihil aliud est dicere animam tristari, vel gaudere, quàm texere, vel ædificare*: quod vtique verum est prout sunt passiones appetitus sensitiui: quia illæ sunt passiones totius coniuncti, sicut & sentire, ad quod consequitur passio. Est ergo totius coniuncti ex libro de Sensu, & de Somno.

Text. c. 64.

Nec tamen nego in anima separata esse illam perfectionem, quæ est completiua in ratione potentiæ sensitiuæ: nam illa non est aliud ab ipsa essentia animæ intellectiuæ, tenendo, quod tenui 2. *lib. dist.* 16. quod principia operandi ex parte animæ non sunt accidentia animæ. Sed illa perfectio, quæ est in anima, imò est realiter ipsa natura animæ, non est potentia visiua, vel auditiua, nisi partialiter: sed propria potentia visiua est quoddam essentialiter includens illam perfectionem animæ, & aliam perfectionem corporis mixti, correspondentem isti ad operationem communem: & eodem 6

Anima non est potentia visiua adæquatè.

eodem modo ipsa sensatio est primò totius coniuncti ex istis duobus, ita quòd proximum susceptiuum, & ratio suscipiendi non est in anima, vel aliquid, quod præcisè est in anima, nec forma mixtionis in organo: sed forma totius compositi ex corpore mixto, & anima, & talis perfectio est proxima ratio recipiendi sensationem: & ideò illa forma totalis est potentia sensitiua, nec vna pars eius, scilicet forma mixti, nec alia, scilicet forma animæ intellectiuæ: ergo de dolore, vt distinguitur à tristitia, non oportet quærere causam, nec in spiritu separato, nec in anima separata, quia non potest esse ibi.

Subiectum sensationis est compositum ex anima & organo.

7 De tristitia videamus. Dico quòd cùm sit in voluntate ex apprehensione existentiæ obiecti disconuenientis secundùm rationem, vel oportet quærere obiectum, quod statim ostendatur vt disconueniens per rationem, & tamen positum: vel si non potest statim ostendi vt disconueniens, nisi à ratione errante, quia non esset disconueniens Michaëli, & non videtur rationabile, quòd illa afflictio sequatur apprehensionem erroneam, oportet inuenire ibi obiectum disconueniens secundùm rationem, & nolitum, & tamen positum.

Tristitia ex quo oriatur.

e Dico autem quòd ignis ille est obiectum sic disconueniens, & hoc dupliciter. Primò, vt detinens spiritum diffinitiuè: secundò vt immutans obiectiuè.

Ignis dupliciter disconueniens spiritibus.

f De primo, nullum corpus, vt locans est locato disconueniens, nisi quia aliud corpus est sibi conueniens: spiritus autem, sicut cum nullo corpore habet naturalem conuenientiam, quia tunc illud esset naturale saluatiuum eius: ita ad nullum corpus habet naturalem disconuenientiam, propter quam detineri ibi sit naturæ suæ disconueniens. Vnde si Michaël cuicunque corpori esset ex præcepto diuino coniunctus localiter diffinitiuè etiam perpetuò, & hoc apprehenderet, nullo modo apprehenderet vt disconueniens, nec vt materiam tristitiæ: ergo ad habendum tristitiam de igne detinente, oportet vt inueniatur primò ratio noliti.

Sic Angelus malus habet nolle detineri perpetuò ab igne, & specialiter sub ista ratione ex sententia diuina, vel voluntate diuina illic effectiuè detinente: & ad istud *nolle* inclinat affectio commodi, secundùm quam appetit liberum vsum potentiæ; vt sicut natura sua est indifferens ad quodcunque corpus, sic posset se facere præsentem cuicunque corpori. Promouet autem superbia, propter quam appetit vti propria potestate: consummat inuidia, propter quam nunquam vellet determinatè esse propter sententiam, vel actionem diuinam. Istud *nolle* præcedit detentio, & apprehensio detentionis: isto autem *nolle*, licèt inordinatè posito in voluntate eius, sequitur apprehensio certa de euentu istius noliti: & ex hoc tertio, vel quinto, computando ista duo, quæ præcedunt *nolle*, sequitur tristitia.

Quomodo Angelus detinetur ab igne ita vt inde tristetur.

8 Si quæras, nunquid illam tristitiam effectiuè causat ignis detinens? Respondeo, ignis non detinet spiritum effectiuè; quia quod non locat aliquid effectiuè, nec impedit ipsum amoueri ab hoc loco, non detinet ipsum: hæc domus quidem non detinet me effectiuè quantùm ad primum, quia non locat me effectiuè: tamen impedit me moueri ad alium locum: & ideò potest dici quodammodò effectiuè me detinere, sicut prohibens aliam detentionem formalem: vnde locus formaliter me continet, & locat, non autem effectiuè.

Sed neutro modo potest aliquis locus corporalis detinere Angelum: ergo tantummodo ille ignis formaliter detinet, ita quòd nulla est detentio ignis pertinens ad genus Actionis, sed tantummodò respectus extrinsecus adueniens reducibilis ad genus *Vbi*: detinens autem actiuè, siue primo modo, quia determinans actiuè ad locum illum: siue secundo modo, quia prohibens ab illo loco ad alium locum; Deus est immediatè: quia contra voluntatem Angeli non habentis saltem Angelum superiorem, non posset fieri sic detentio, nisi à Deo immediatè.

Locus corporalis nec effectiuè, nec formaliter detinet spiritũ necessariò.

9 Sed vlteriùs Angelus non tantùm odit detentionem actiuam Dei, & suam passiuam à Deo: sed odit detentionem formalem perpetuam ab illo igne, nec tantùm apprehendit illam detentionem actiuam, vel passiuam vt positam, vel continuandam: sed illam detentionem formalem: & per consequens de illa detentione formali tristatur. Obiectum autem tristabile propriè causa est ipsius tristitiæ: quia non voluntas immediatè, tunc enim esset in potestate eius immediatè tristari, vel non tristari: quod non est verum, posita nolitione, & apprehensione noliti, ita quòd detentio illa formalis, vel ignis ille detinens formaliter effectiuè contristat, & sic vltrà, cùm tristari sit formaliter cruciari eo modo, quo possibile est spiritum cruciari, sequitur quòd ignis, vt formaliter detinens spiritum, effectiuè cruciat: & secundùm illum modum potest

Quæ causa immediata tristitiæ. Vide D. Thom. vbi suprà, & Ric. hoc dicentes.

potest saluari dictum illud quo modo ignis est instrumentum Dei cruciando ; quia principalius odit detentionem actiuam Dei, & suam passionem à Deo, quàm detentionem illam formalem ignis : quia secundam non odit, nisi in ordine ad primam : & ita quod affligit obiectiuè : in secundo, affligit in virtute primi, & ita instrumentaliter. Nec sequitur, ignis non detinet effectiuè, sed tantùm formaliter : ergo non affligit effectiuè : quia ipsum, vt detinens formaliter, est obiectum nolitum, & apprehensum vt positum ; & ideò effectiuè infert tristitiam.

Ignis formaliter detinens quomodo effectiuè cruciet.

Si dicas, hoc est non tantùm quia nolitum, sed quia obiectum est secundùm se disconueniens: quia spiritui conuenit libertas, ac indifferentia ad quemcunque locum corporalem : ergo antecedens est falsum, vt dictum est suprà de Michaële, si apprehenderet se perpetuò determinari ad certum locum vnum à sententia diuina, non tristaretur : quia etsi in eo sit libertas, vel indifferentia ad loca, non tamen ad illa, vt in actu tanquam perfectio naturalis: quia sicut nec vnus locus, ita nec indifferentia ad quæcunque loca naturaliter perficit Angelum : & ideò determinatio ad vnum non est contra naturalem inclinationem Angeli.

Determinatio ad vnum locū non est contra inclinationem naturalē Angeli.

Exemplum illius modi tristandi potest esse in hominibus desiderantibus mori, quibus tristis est vita. Hoc modo odiunt animam in corpore suo esse vsque ad instans mortis naturalis, propter aliquod odibile concomitans vitam mortalem : & secundò apprehendunt istud nolitum fore : & ideò tertiò sequitur tristitia de detentione animæ in corpore, seu de corpore, vt detinente animam : non quòd corpus detineat effectiuè animam, sed quomodocunque, vt susceptiuum formæ, & vt sic detinet, est obiectum nolitum, & vt sic apprehensum effectiuè contristat : & istud haberi potest à Gregor. Dialog.4. *Si viuentis hominis spiritus incorporeus tenetur in corpore, cur non post mortem incorporeus spiritus corporeo igne tenetur?* & August.21. de Ciuit. Dei cap.10. *Si spiritus hominum profectò incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari.*

COMMENTARIVS.

21 *Hunc cruciatum fieri per actionem intentionalē.*

[d] AD *quæstionem dico*, &c. Ob difficultates agitatas contra sententias iam impugnatas, quæ saluant ignem cruciare Dæmones per actionem realem, & immissionem physicam, vt actio realis distinguitur ab intentionali, quæ fit mediante cognitione, ideò communiter antiqui Scholastici docuerunt hunc cruciatum fieri per actionem intentionalem, ita vt non patiantur spiritus ab igne per actionem realem. Addunt præterea pati ab igne per alligationem, & detentionem in igne. Doctor *hic*, D. Thom. *quæst. 3. art. 2. quæstiunc. 3. & 1.part. quæst.64. art.4. ad 5. contra Gentes lib.4. cap. 9. de veritat. quæst.26. art. 1. Quodlib.2. art.3. Quodlib.3. art.2.* D. Bonauentura *in hac distinct. 2. part.d. art. 3. quæst. 1.* Durandus *quæst. vlt.* Paludan. *quæst. 7.* Richard. *art. 2. quæst. 3.* Gabr. *quæst. 3. art. 2.* Mayoran *q. 8.* & reliqui præter citatos in 2.opinione, & 3. iam impugnatis. Ita autem intelligitur hæc pœna, vt ex allegatione oriatur tristitia, vel ex ipso igne tanquam obiecto, cui subditur Angelus, & anima violentè, & contra voluntatem ipsorum.

Sententia cōmunis.

Definitur dolor.

Vt autem hunc modum cruciatus explicet Doctor adducit definitionem doloris ex Augustino *lib. 14. de Ciuitat. cap. 15. Dolor*, inquit, *carnis tantummodò est offensio animæ ex carne, & quædam ab eius passione dissensio, sicut animæ dolor qui nuncupatur tristitia, est ab his rebus, quæ nobis nolentibus acciderunt*, &c. Ex qua definitione colligit quòd dolor sit in appetitu sensitiuo, tristitia in appetitu rationali, vterque autem prouenit ex apprehensione disconuenientis. Secundò dicit, quòd nequeat dolor inueniri in Angelo, & anima separata, scilicet dolor propriè dictus, vt est passio sensus, & appetitus sensitiui ; quia vbi deficit causa, deficit etiam effectus : in Angelo autem, & anima separata non est sensus, neque appetitus naturalis, ex quibus sequitur dolor : ergo neque subiectum, neque causa doloris : quia dolor fit in organo proximè, quod ex anima, & corpore componitur : tale autem non est in anima separata, aut etiam in Angelo. quamuis autem in anima separata, vt benè aduertit, sit illa perfectio completiua, & constitutiua potētiæ sensitiuæ, tamen illa nihil aliud est quàm ipsa substantia animæ rationalis, quæ se sola nequit constituere potentiam sensitiuam, quæ est organica, & materialis composita ex mixto, & anima.

Tristitia quid sit.

Causa vtriusque apprehensio disconuenientis.

Dolor propriè dictus non est in anima separata aut Angelo.

In anima nō est potentia sensitiua.

22 *Tristitiæ causa.*

Tertiò dicit, quòd tristitia in voluntate sit ex apprehensione obiecti disconuenientis secundùm rationem, & existentis : oportet ergo vt concurrat obiectum ex se disconueniens, & non ex apprehensione erronea, quæ in proposito communiter excluditur à Theologis. Illud ergo obiectum debet esse nolitum, & positum in *esse*, vt inferat passionem voluntati Dæmonis, quam non infert Michaëli ; quia non est ipsi disconueniens, scilicet secundùm naturam, sicut neque Dæmoni ; sed erit disconueniens secundùm dispositionem diuersam voluntatis, qua est nolitum à Dæmone, & contra appetitum explicitum, aut etiam innatum eius ; sed magis explicitum, quàm innatum, licèt sit contra innatum, inquantùm voluntas eius ex se inclinatur ad libertatem, & reliquas perfectiones, quæ impediuntur, magis tamen ex voluntate elicita Angeli, & inordinata hæc tristitia oritur.

Eius obiectū debet esse nolitum.

Oritur ex voluntate explicita completè.

23 *Conclusio principalis.*

[e] *Dico autem quòd ignis ille*, &c. Hæc conclusio respondet quæstioni, docet autem quòd ignis ille sit obiectum disconueniens dupliciter. Primò, vt detinet spiritum definitiuè. Secundò, vt immutans

immutans obiectiuè. Quoad priorem partem conclusio est communis antiquorum, & probatur ex Scriptura: *Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius*, &c. Math.25. idem patet Math.3. de paleis comburendis, quæ denotant reprobos. 2. ad Thessalon. 1. Apocalyps. 14. 2 Petri 2. Deus *Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit*, &c.

24 *Quomodo ignis est disconueniens Diabolo.* [f] *De primo nullum corpus*, &c. Ostendit quomodo illa detentio, & ignis posset esse disconueniens Diabolo, aut nolitum, & ex quo motiuo. Dixit enim priùs necessariò inueniri debere in igne rationem disconuenientis, & noliti, ad hoc vt eius apprehensio cruciet. Dicit primò non esse disconueniens naturaliter, quia ideò locus est disconueniens naturaliter: quia aliquod corpus determinatum est conueniens, nempe vt conseruatiuus locati, vel ad quod locatum ipsum dicit inclinationem, vt lapis ad centrum: hoc modo nullus locus corporeus est conueniens Angelo; aut per oppositum disconueniens, quia nullam perfectionem à tali recipit, aut conseruationem. Vnde si Angelus beatus, vt Michaël, ex præcepto diuino esset ligatus certo loco, non ideò apprehenderet locum vt sibi disconuenientem, neque ideò conciperet tristitiam: ergo vt habeatur tristitia de igne retinente, oportet vt habeatur de eo ratio aliqua noliti.

Non est disconueniens naturaliter.

Disconuenientia loci naturalis.

Locus materialis non est disconueniens Angelo.

25 *Vnde est ignis nolitus.* Hanc autem rationem noliti reducit primò ad sententiam diuinam, ex qua in vindictam peccati detinetur Angelus in igne tanquam in carcere, qui eidem est destinatus & paratus, & ad hunc effectum carcerandi creatus. Sicut ergo noluit subesse Deo, quoad legem, & præceptum, sic etiam non vult subesse quoad pœnam, & vindictam peccati. Sicut etiam secundùm affectum commodi, & amoris proprij inclinatur ad vsum liberum sui, & suæ potentiæ loco motiuæ, ita habet nolitionem detentionis prædictæ. Hanc nolitionem promouet etiam eius superbia, qua nolit subesse Deo, & vbi propria potestate independenter consummat inuidia, propter quam detrectet diuinum imperium, & sententiam, & vindicationem. Addi potest etiam sicut complacet, obstinatur, & obcæcatur in peccato, non vult eius pœnam. Detentio ergo illa præcedit apprehensionem, apprehensionem verò sequitur nolitio, detentione posita in euentu certo, & ex his tanquam causis sequitur tristitia voluntatis. Ex quibus optimè declaratur quomodo tali voluntati Dæmonis sic dispositæ illa detentio sit disconueniens.

Ex nolitione subiectionis quoad pœnã.

Nolitio detẽtionis sui in igne.

Odiũ, & inuidia ac superbia.

Pertinacia & complacẽtia in peccato.

Sequela dictorum.

26 *Ignis non detinet Dæmonem effectiuè.* Deinde subiungit Doctor ignem non detinere Dæmonem effectiuè, siue aliquid producendo in ipso, per quod subdatur, vel impediendo ne alium locum posset occupare: hæc enim Angeli violentia nequit fieri virtute alterius causæ, quàm primæ, saltem illius Angeli, qui non habet superiorem Angelum, scilicet in potestate, virtute, & gradu perfectionis naturalis: nam aliquos ex omnibus ordinibus cecidisse communiter supponitur, & retinuisse perfectionem naturalem omnes, docet Dionysius. Hierarchiam etiam quandam dominationis inter Dæmones seruari constat ex illo Math. 12. 13. & Marci 3. *In Beelzebub principe Dæmoniorum eiicit dæmonia*, &c. Vbi significatur traditione obseruata, & retenta in Synagoga aliquis principatus inter Dæmones; quod docet D.Thomas 1.*part.q.*109. *art.*2.

Deus detinet effectiuè in igne.

Hierarchia inter Dæmones.

27 *Odit detẽtionem tam effectiuam sui, quàm formalem.* Adiicit præterea Doctor *num.*9. Dæmonem odio habere non solùm sui detentionem actiuam, vt est à Deo; sed etiam detentionem formalem ab igne, ex qua etiam tristatur, quod est consequens ad detentionem actiuam; nam hæc eatenus affligit, quatenus violentè ligat Dæmonem certo loco, contra appetitum elicitum suæ voluntatis: ergo contra eundem appetitum est detentio, non tantùm actiua, sed etiam vt coniungitur termino, & reducitur ad actum, quo alligatur formaliter Dæmon repugnans, licèt detentio formalis sit ideò disconueniens, quia coniungitur actiuæ; eámque sequitur vt terminus; primariò ergo concipitur tristitia de ipsa actiua, vt est à Deo; secundariò verò de passiua, & formali, vt ad eam sequitur, & in ordine ad actiuam, qua cogitur Dæmon: in hac ergo detentione formali inuenitur etiam ratio obiecti tristabilis, non absolutè, sed in ordine ad actiuam. Obiectum autem tristabile est causa tristitiæ, & non ipsa voluntas: quia iuxta principia Doctoris, passiones non sunt actus vitales, neque procedunt à voluntate etiam, vt per modum naturæ operatur, prout alij volunt. Hanc difficultatem in sequentibus tangemus suo loco.

In formali inuenitur ratio tristabilis.

28 *Ignis cruciat effectiuè.* Interim subiungit quòd ignis effectiuè causet tristitiam in Dæmone, qua detinet ipsum formaliter vt locus: quia hoc ipsi est pœnosum, & repugnans, & tristans voluntatem eius: & sic saluatur illud, quod dicitur, ignem, vt instrumentum Dei, cruciare spiritum, &c. quia alius cruciatus in spiritu non datur, nisi tristitia. Tristitia autem ab igne procedit principaliùs à Deo, vt effectiuè ligante spiritum igni, & sic ignis in virtute illius tanquam instrumenti cruciat. Nec valet consequentia. Ignis non detinet effectiuè; ergo non cruciat effectiuè; quia cruciat vt obiectum nolitum, & vt præsens apprehensum: detinet verò formaliter in virtute Dei ligantis, seu alligantis spiritum igni. Deinde, soluit obiectionem, quam superiùs declarauit. Vis solutionis in eo est, quòd ignis vt locus determinatus non cruciat Dæmonem, quia ipsi non est disconueniens, aut nociuus; sed ignis vt nolitus, & prout ad eum alligatur diuina virtute Dæmon. Subdit deinde exemplum, quod declarat detentionem formalem esse obiectum nolitum, & crucians, quod exemplum desumit ex doctrina Gregorij, & Augustini, quorum verba subiicit. Exemplum ergo est de eo, qui desiderat mori, & cui tristis est vita præsens, vt fit in Sanctis, qui desiderant solui, & esse cum Christo; vel non videre mala, quæ experiuntur; vel etiam in aliis, qui præferunt mortem languori, & infirmitati, aut aliis afflictionibus, quas patiuntur: hi nolunt vitam prolongare, aut animam in corpore perseuerare, & apprehendentes contrarium tristantur de detentione animæ in corpore, seu vnione eius ad corpus, in qua vita præsens consistit. Eodem modo spiritus detentus actiuè in igne per virtutem Dei, odio habet non solùm actiuam detentionem, sed etiam ipsam passiuam, & formalem detentionem, qua posita, & apprehensa, in re cruciantur, tanquam per obiectum disconueniens.

Quomodo detentio formalis cruciet, declaratur per exempla.

Hæc est resolutio Doctoris quoad primũ membrum conclusionis positæ: & breuiter reducitur ad

Summarium doctrinæ præmissæ.

ad hoc, nempe ignem in ratione loci naturalis non esse spiritui disconuenientem, quia neque perfectionem, neque imperfectionem habet à loco corporeo, à quo non dependet, neque perficitur: ignem tamen vt effectiuè in eo ligatur à Deo, contra appetitum explicitum, & vt passiuè etiam sic continet spiritum, esse obiectum vtroque modo disconueniens, ex amore proprio, & propriæ libertatis ademptæ, ex odio diuinæ iustitiæ, & vindicationis peccati, ex affectu superbiæ, quæ tumet, ex affectu inuidiæ, & huiusmodi, quò summè inclinatur appetitu elicito in contrarium; & sic torqueri igne per tristitiam, quam causat, vt subest diuinæ potentiæ, & iustitiæ, tanquam instrumentum Dei, vlciscentis peccatum, & vt concipitur à Dæmone, tanquam obiectum in re positum & nolitum, at repugnans suo appetitui elicito, & inordinato.

30 *Probatio conclusionis à priori.* *Vniformis tendentia creaturæ rationalis in suũ terminum.* *Eodem modo seruata proportione attenditur beatitudo, & miseria.*

Antequam autem vlteriùs procedamus, probatur conclusio communis tanquam magis consentanea rationi, & proprietati Scripturæ, & locutionibus Patrum. Probatur autem hac ratione primò, & quasi à priori, creatura rationalis seruata proportione oppositionis inter beatitudinem, & miseriam, vt sunt termini extremi sui status, ad quos deuenit, vel diuina misericordia, aut iustitia, mediantibus operibus bonis, aut malis, vniformiter tendit in vtrumque terminum, & vniformiter beatur, vel fit misera; sed beatitudo eius formalis, & perfectio consequens, in quibus satiatur, & fit in termino beata, attenditur præcisè in ordine ad affectus, & actus inquantùm adhæret bono per fruitionem, & delectationem consequentem: ergo miseria eius consistit similiter in actibus, & affectibus, seu tristitia, vt adhæret malo disconuenienti secundùm inclinationem eius: ergo cruciatus & pœna eius formalis consistit in tristitia formaliter, ex quibuscunque causis oriatur; & sicut impossibile est eam beari, nisi vt adhæret bono, & fini, in quo quiescit; ita impossibile est eam cruciari formaliter nisi ex malo adhærente per dissensionem & tristitiam ex ea dissensione causatam. Propositio hæc vniuersalis est, & ab omnibus conceditur, quia reliqui modi, quos *suprà* præmisimus, reducunt discursum ad hanc pœnam, tanquam ad cruciatum formalem. Patet ex oppositione boni, & mali vt comparantur ad rationem vt contraria in *esse* obiecti, & vt comparatur vicissim creatura rationalis ad ipsa per assensum, & dissensum contrarios per modum fugæ, & prosecutionis: bonum autem & malum dicuntur ex conuenientia & disconuenientia non absolutè, sed respectiuè ad appetitum rationalem innatum, vel elicitum; si conueniat, erit bonum in aliquo suo genere; si repugnet, erit malum: ergo quocunque modo ignis cruciat spiritus, siue per immissionem alicuius qualitatis materialis, aut spiritualis, siue vt obiectum disconueniens apprehensum, nolitum, & positum in re ipsa, eatenus præcisè cruciat, quatenus est causa tristitiæ, in qua ipse formalis cruciatus consistit, vt patet ex dictis, & omnes concedunt.

Oppositio boni & mali.

31 *Pœna damni ex priuatione boni noliti.*

Et prætereà probatur, quia pœna damni, quæ oritur ex priuatione boni voliti, consistit in tristitia formaliter, qua causatur ex priuatione, aut subtractione boni desiderati: ergo similiter pœna sensus consistit in tristitia ex applicatione mali disconuenientis apprehensi, & noliti, & per hoc repugnantis voluntati, vt fertur in commodum, & fugit incommodum: ergo omnis tristitia causatur in appetitu rationali, vel à solo obiecto disconueniente, vel circa obiectum tale, quà obiectum est: ab obiecto, inquam, solo, si sit causa totalis, vel circa obiectum, si tristitia sit actus elicitus. Probatur consequentia ex definitione præmissa Augustini. Probatur etiam ex natura potentiæ, quia nequit comparari voluntas in genere appetitus, nisi ad obiectum, vt obiectum, & apprehensum vt tale, & propositum ab intellectu: quia de non apprehensis, aut cognitis nullus potest esse assensus, aut dissensus voluntatis, nulla delectatio, aut tristitia vt per se notum est, & sicut delectatio aut tristitia est ita præcisè conueniens appetitui, vt impossibile sit aliquid delectari, aut pati tristitiam nisi secundùm appetitum, ita etiam repugnat aliquid causare in creaturis has affectiones, nisi vt comparatur ad appetitum per modum obiecti tristabilis, aut delectabilis mediante apprehensione.

Comparatiò volũtatis ad obiectum. *Passio nequit causari nisi de obiecto, quà obiectũ est.*

Confirmatio. Confirmatur, quia dolor, vt est affectio appetitus sensitiui, non aliter causatur nisi ab obiecto apprehenso, & repugnante appetitui sensitiuo, qua fertur in delectabile, & fugit totum quod offendit. Vnde quantumcunque per impressionem agentis extrinseci fluat caro, & discerpatur, nisi apprehendatur per sensum tactus, nullus causatur dolor, vt patet in iis, in quibus torpet sensus tactus, qui nullum dolorem sentiunt ex offensione carnis, aut corruptione: ergo similiter, & à fortiori in spiritu incorruptibili nulla causatur tristitia ab vlla causa creata, vel etiam increata, nisi per modum obiecti si causetur à creatura, vel in ordine ad obiectum apprehensum disconueniens, si à solo Deo causetur, quia perinde de actibus, & effectibus philosophandum est.

Dolor causatur mediante apprehẽsione obiecti.

His suppositis sequitur intentum, nempe ignem per immissionem, si ageret in spiritum, non magis propriè cruciare ipsum, quàm vt cruciat ipsum per modum obiecti disconuenientis: saluando autem vtrimque proprietatem cruciatus per ignem, magis tenenda est via communis, quæ saluat etiam principia naturalia, & magis nota. Sequela probatur, quia ignis agens per immissionem qualitatis physicæ (omissis rationibus aliis, quas *suprà* præmisimus) etiam in corpus viuum, vt patet ex dictis sub hac ratione, non agit vt obiectum disconueniens, vt proxima causa doloris, sed vt apprehenditur per modum disconuenientis appetitui sensitiuo. Vnde in causa illusionis, qua sic etiam apparenter ex errore conciperetur, eundem dolorem causaret in appetitu, quamuis realiter nihil ageret, vt patet in iis, quibus sensus perturbatur, aut etiam in somnio: ergo actio eius physica realis extranea est huic affectui, si saluetur apprehensio tam vehemens eius vt offendentis, siue agat, siue non agat, & tantùm seruit ad saluandam apprehensionis veritatem, non autem ad causandum dolorem, qui perinde sequitur ex vera, vel apparenti apprehensione. Patet consequentia ex confirmatione iam præmissa. 32

Probatio conclusionis in specie ex præmissis. *Sententia cõmunis magis propriè saluat cruciatum.* *Obiectum vt apprehensum causat cruciatum.*

Sed vt agit in spiritum etiam physicè, minùs potest causare in eo tristitiam sub hac ratione, qua physicè agit, imò nullam causabit, nisi apprehendatur 33

Vt physicè agens non

causat cruciatum nisi per modũ obiecti apprehensi.

prehendatur per modum obiecti disconuenientis: ergo præcisè per modum obiecti causat tristitiam, & non per modum causæ physicè agentis. Sed potest æquè propriè esse obiectum disconueniens, vt communis sententia tenet, quamuis non agat physicè: ergo etiam perinde æquè propriè cruciabit, & causabit tristitiam in voluntate Angeli, aut animæ damnatæ. Subsumptum probatur, quia vt agens physicè nequit esse disconueniens nisi vt repugnat appetitui inordinato, & elicito spiritus, quia tam substantia, quàm naturalia manent ipsi integra, neque ad corruptionem horum agit, aut agere potest ignis, neque ad productionem alicuius repugnantis, vt probatum est *suprà*: sed ignis, vt ei diuina virtute alligatur Angelus, potest eodem modo esse repugnans, & disconueniens appetitui elicito eius, & esse nolitus, vt benè declarauit Doctor, ex cuius litera tota hæc ratio desumitur: ergo æquè propriè cruciat, quinimò immediatiùs, & vt instrumentum diuinæ vltionis, & consequenter æquè propriè saluantur omnia, quæ vel Patres, vel Scriptura de hoc cruciatu ferunt, quia nequit in alio consistere, quàm in tristitia causata ab igne per modum obiecti repugnantis, ex motiuis explicatis à Doctore *suprà*, & peruersitate voluntatis Angeli damnati, & refugientis ignem, vt applicatur per modum carceris, & vltionis.

Disconuenientia obiecti præcisè sumitur, vt repugnat appetitui elicito.

Ex his facilis est responsio ad ea, quæ obiicit Suarez contra communem sententiam.

34 Obiectio Suarij.

Obiicit quæ dicunt Patres & Scriptura de pœna & cruciatu ignis.

Responsio.

Respondetur pœnam & cruciatum illum consistere in tristitia, quæ ab igne causatur, non verò in aliqua materiali actione, quæ impertinens est ad hanc pœnam, quæ sola potest esse in Angelo, & anima.

Obiectio secunda.

Obiicit secundò ignem esse extrinsecum: ergo nequit causare dolorem in Angelo. Probatur consequentia, quia debet esse passio in Angelo per qualitatem immissam, & adhærentem ipsi, sicut dolor sensibilis causatur in carne, vt qualitatem doloriferam in se recipit, & sicut ignis non efficit dolorem in corpore immediatè, sed causam doloris, ita etiam debet in Angelo considerari, vt causans causam doloris per aliam qualitatem immissam Angelo.

Respondetur.

Respondetur negando consequentiam: ad cuius probationem respondetur in Angelo esse passionem, quia violentè detinetur in igne: esse etiam passionem in voluntate eius, & veram tristitiam ab igne sic detinente, causari in eo, quamuis nihil physicè illi imprimat, neque hoc requiri, quia sufficit vt sit obiectum nolitum apprehensum, & positum, cui repugnat sua voluntas modo dicto: neque ad causandam tristitiam in voluntate requiritur vt obiectum causans tristitiam inhæreat personæ, sed sufficit vt sit nolitum, & apprehensum, ac in re ipsa positum: nam & carceratus de suo carcere tristatur, & de eo quem præcisè experitur, & tristamur de incommodo aliorum, & nostro, etiam in rebus externis: quantò magis Angelus tristatur de subiectione sui, & vltione, & adempta libertate. Sufficit ergo vt obiectum, quà nolitum est, apprehendatur esse ad causandum tristitiam, siue re ipsa sit intrinsecum, siue extrinsecum. Instantia desumpta ex dolore sensibili est materialis, neque facit ad propositum: quia dolor sensibilis etiam causatur ab obiecto per modum obiecti apprehensi: per accidens autem est, vt causetur per qualitatem immissam, & adhærentem carni, quia nempe aliter non facit ad corruptionem temperamenti, neque est obiectum disconueniens: quia in tantùm est disconueniens, inquantùm corrumpit temperamentum debitum organi, & hoc contingit per productionem qualitatis contrariæ. Quòd si aliter contingat ex illusione, aut somnio, sequitur etiam dolor in appetitu, licèt non producatur aliqua qualitas inhærens.

Non requiri causam tristitiæ esse intrinsecum.

Vnde requiritur qualitas inhærens ad dolorem carnis.

Obiicit tertiò, quòd ex hac sententia non saluatur cruciatus, vt est ab igne effectiuè, neque consequenter ignem torquere Angelum, aut animam, sed Deum punire Angelum in igne per illam detentionem, quia nulla est actio ab igne per illum modum detentionis, & afflictio ipsa ex duobus nascitur, scilicet ex priuatione loci superioris, & ex tali detentione in centro terræ. Quibus suppositis, quòd ibi sit ignis potiùs quàm terra, vel aliud corpus, non auget pœnam: quia respectu spiritus est omnino quid indifferens, nullóque speciali bono priuatur per ignem, & nullo malo afficitur. Neque est quòd dicatur quòd per apprehensionem ignis affligatur, quia sic tantùm esset pœna in opinione, & non ex natura causæ. 35

Tertia obiectio.

Responsio.

Respondetur negando antecedens; ad cuius probationem respondetur Deum punire Angelum per illam detentionem actiuam, & ampliùs puniri per ignem per detentionem passiuam respectiuè ad actiuam; quia est obiectum disconueniens, & nolitum ab Angelo: quamuis ergo non per actionem physicam sic cruciet, cruciat per intentionalem, vt est obiectum disconueniens Angelo per voluntatem auersantem ipsum ignem, & detentionem in eo.

Ad illud quod dicitur priuationem loci superioris, vt cæli, & detentionem in centro terræ esse causas afflictionis, ad quas se habet indifferenter ignis, qui non auget pœnam, magis quàm si aliud corpus ibi esset. 36

Respondetur priuationem loci superioris spectare magis ad pœnam damni, quàm sensus: detentionem in centro terræ concurrere quidem ad pœnam Angeli, sed à fortiori magis concurrit ignis, qui est locus immediatus, in quo detinetur. Si ergo detentio in centro auget pœnam, ita & in igne. Negatur ergo ignem indifferenter se habere, quia in ipso euentu Angelus est destinatus, & alligatus igni in pœnam: & quamuis saluaretur pœna Angeli per alligationem ad aliud corpus: tamen de facto alligatur igni, ex quo in euentu affligitur: quia pœna eius in eo determinatur, non in alio corpore, idcóque repugnantia voluntatis Angeli, ex qua obiectum fit nolitum, & disconueniens determinatè, respicit illud, quod in euentu certo apprehenditur in re ipsa, non verò quod possibile est, sicut, v. g. infirmus affligitur per eam infirmitatem, quam in euentu patitur, non verò ex apprehensione infirmitatis possibilis, quæ nec in se, neque in causis est determinata.

Ignis carcer immediatus.

Cruciatus est ab illo disconueniẽte quod in euctu applicatur.

Vrget vlteriùs quòd ignis nequeat effectiuè ligare Angelum: ergo neque effectiuè affligere.

Obiectio quarta.

Respondetur negando consequentiam, vt patet ex litera Doctoris.

Soluitur.

Obiicit quintò parabolam, aut historiam diuitis, qui in flamma cruciabatur. 37

Obiectio quinta.

Respondetur,

Responsio. Respondetur, omissis variis expositionibus, ibi explicari historiam sub inducta parabola; nam linguam, digitum, clamorem, aquam, spectare ad parabolam constat ex communi sententia, & veritate fidei, qua hæc excluduntur ab anima spirituali, & separata. Vnde verba illa, *Quia crucior in hac flamma*, &c. intelligenda sunt de cruciatu appositè, nempe de spirituali per tristitiam, & non sunt intelligenda de materiali per veram combustionem sensibilem, quod necessariò concedere debet aduersarius, qui talem negat in spiritu, & anima separata; nam si verba illa in rigore cruciatus sensibilis intelligenda essent, parum conduceret ad proprietatem dicere quòd ignis producendo qualitatem spiritualem, & supernaturalem in spiritu cruciaret; quia hoc nihil facit ad propositum, nisi inquantùm causaret tristitiam in anima; quæ tristitia perinde secundùm intentionem, & extensionem pœnæ debitæ peccatis ab igne modo dicto causatur. Et in vniuersum quidquid obiicit siue ex Scriptura, siue ex Patribus, perinde impugnat propriam sententiam, sicut & nostram. Nam quòd imprimat ignis qualitatem spiritualem & supernaturalem, non facit ad pœnam, nisi vt illam pœnam causat per modum obiecti disconuenientis, & contristantis: ad eiusmodi autem effectum nihil facit quòd causa eius sit intrinseca, vel extrinseca: sed attenditur disconuenientia obiecti vt comparatur ad voluntatem auersantem iuxta dispositionem præsentem, & gradum eius, quà fertur in oppositum per noluntatem talis obiecti positi: ergo ad saluandam proprietatem cruciatus per ignem, vel oportet asserere illum esse sensibilē, & materialem, quod negatur; vel certè sufficit vt saluetur causa efficax respectiuè ad voluntatem repugnantem tristitiæ; nam non ex eo quòd sit intrinseca, est disconueniens; sed ex eo quòd sit nolita & apprehensa, vt in re ipsa posita.

Explicatur parabola diuitis cruciati in flamma.

Torquetur difficultas in opponentem.

38 *Gregor.* Obiicit sextò, Patres, vt Gregorium 4. dialog. cap. 29. *Si Diabolus, eiúsque Angeli, cùm sint incorporei, corporeo sunt igne cruciandi, quid mirum si animæ, antequam recipiant corpora, possint sentire tormenta?* Item cap. 32. *Quod videlicet omnipotens Deus faciens ostendit, quid eius anima in occulto pertulit*, &c. & infrà, *vt ex hac consideratione colligamus quid anima viuens, & sentiens pro reatu suo patiatur.* Cypr. lib. ad Demetriad. in fin. *Manet postmodum carcer æternus, & iugis flamma, & pœna perpetua*, &c. Deinde alij Patres adeo exaggerant hanc pœnam ignis, vocando illam cruciatum, torturam, & cremationem, vt incredibile sit de sola detentione fuisse locutos. Vnde Malon, & Angles, qui oppositum tenent, dicunt aliàs in tanta exaggeratione, si sola fuisset detentio, falsum supposuisse, vt ipsa fraude nos terrerent, & idem de Scriptura, quod dicere est nefas, & hæreticum.

Cyprian.

Responsio. *Gregor.* Respondetur Gregorium præmissis verbis docere alligationem ad ignem, quam statuunt Theologi. Vnde verba eius sequentia faciunt ad scopum conclusionis: *Teneri autem*, inquit, *spiritum per ignem dicimus, vt in tormento ignis videndo, atque sentiendo puniatur: ignem namque eo ipso patitur, quod videt: & quia cremari se aspicit, cremat: sicque fit vt res corporea incorpoream exurat, dum ex igne visibili ardor ac dolor inuisibilis trahitur, vt per ignem corporeum mens incorporea flamma crucietur: quamuis colligere ex dictis Euangelicis possumus, quia incendium anima non solùm videndo, sed etiam experiendo patitur*, &c. Ardor & dolor inuisibilis est tristitia, quam patitur spiritus ab igne, eo ipso quòd ignem videat, & alligationem sui in igne experiatur. Hæc eadem tristitia est illa incorporea flamma, qua mens eius cruciatur. Vnde Isidorus lib. 3. Sentent. c. 37. *Duplex damnatorum pœna est in gehenna, quorum & mentem vrit tristitia, & corpus flamma*, &c. Incendium ergo mentis est tristitia. *Isidor.*

Item Hugo de S. Victore in 2. ad Thessalon. q. 4. *Quomodo*, inquit, *talis pœna rem spiritualem contingat?* Et respondet fieri posse, vt per eas pœnas puniantur, à quibus non continguntur, vt qui horrorem magnum ex aliquo visu, vel imaginato contrahit, & si ab illo non contingatur. Hanc rationem & exemplum confirmat August. *lib. 12. de Gen. ad literam c. 32.* Atque ratio ipsa à minori ad maius rectè concludit: nam sicut ex opinione obiecti apparentis, seu apprehensione causatur tristitia, à fortiori illa causatur ex apprehensione vera eius, & realiter applicati, neque ad paritatē modi puniendi, & doloris prædicta exempla adducantur à Patribus, potissimùm Augustino; sed ad expressionem quandam ex eo quòd experimur in nobis, aut aliis, & per analogiam quasi à minori ad maius; vt declaretur pœna esse spiritualis, & non materialis. Vnde idem August. *lib. 12. de Gen. ad literam c. 32.* postquàm dixit *in somnis magni interest, vtrum in latis, aut in tristibus simus*, &c. infrà subiungit: *Dubitandum*, inquit, *non est, quòd expressiora sint illa, quæ inferna dicuntur, atque ob hoc vehementiùs sentiantur*, &c. Sunt nempe expressiora, quia per veram applicationem disconuenientis redundant, & per apprehensionem ignis in certo euentu applicati. 39 *Hugo.* *August.*

Exempla adducta denotāt similitudinem analogicam.

Ad declarationem etiam huius cruciatus, qui à communi statuitur spiritualis tristitia, faciunt Patres, qui asserunt ignem infernalem, vel esse spiritualem, vel alterius rationis ab eo, quo ad vsus humanos seruitur: non in eo enim solùm differentia subsistit, quòd ignis infernalis fomento careat, & sit perpetuus; sed etiam quia adurit carnem sine consumptione corporis, & mentem per tristitiam, qui est effectus spiritualis, & non materialis, à quo ignis etiam spiritualis dici potest. *Aliorū Patrum sententia ad propositum applicatur.*

Accedit prætereà tertio loco sententia eorum pro qua citatur Ambros. *lib. 7. in Lucam c. 14.* eiúsque mentionem facit Hieron. *in Isaiæ vltimum*, explicans illa: *Vermis eorum non morietur*, &c. quidquid autem sit de veritate huius sententiæ, aut potiùs de vera eius interpretatione ex mente asserentium; eò tendit, vt pœnam, & incendium spirituale esse constituat, & non materiale, atque adeò in actione intentionali saluari. Vnde Gregorius lib. 9. Moral. c. 39. aliàs 48. in illa: *Vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*, rectè distinguit inter vtramque pœnam: *Damnatus quisque*, inquit, *dum foris flamma succenditur, intus cæcitatis igne deuoratur, atque in dolore positus interiùs, exteriúsque confunditur*, &c. Proprietas ergo scripturæ, & locutionis Patrum seruatur in hac pœna, prout communis sententia Theologorum eam explicat, & prout ipsi Patres per accommodationem pœnæ, & incendij materialis declarant, & prout materiæ competit: nam pœnam esse ab igne per actionem intentionalē modo explicato saluat proprietatem causæ, & effectus, prout subiectæ materiæ cōpetit. Et sicut verè dicitur hoc modo causari pœna dāni, ita & sensus; licèt enim diuersæ sint causæ; idē tamen modus est causandi per repugnantiam voluntatis, & positionem obiecti disconuenientis. 40 *Alia sententia de verme fuit ad propositum.* *Gregor.* *Patrum sententia explicātur ex materia subiecta, eiúsque natura.*

41 *Vehementior est pœna hoc modo explicata.* Imò quod ampliùs est, vehementior est pœna hoc modo declarata, quàm si esset sensibilis, vel

vel quasi sensibilis ex repugnantia physica ignis ad spiritum, in quo produceret aliquid sibi physicè disconueniens. Bern. lib. 5. de considerat. c. 10. *Quid*, inquit, *tam pœnale, quàm semper velle, quod nunquam erit, & semper nolle, quod nunquam non erit*, &c. Hoc autem verissimum esse patet ex doctrina *suprà* allata, & ampliùs declaratur: quia quo appetitus est perfectior, & ad perfectiorem formam, eò magis repugnat eius oppositum, & magis violentat: v. g. magis repugnat homini quod ei opponitur quoad appetitum rationalem, quàm quod repugnat quoad appetitum sensibilem. Vnde priuatio rationis, & vsus libertatis eius magis est ei repugnans, quàm alicuius operationis sensus, non aliam ob causam, nisi ob excessum perfectionis quoad inclinationem rationis, & formæ sic conuenientis, super perfectione, & inclinatione quoad sensum. Considerando ergo spiritum quoad inclinationem, & potentias rationales, quibus ordinatur ad beatitudinem in communi, aut ad beatitudinem in particulari per fruitionem summi boni, & vltimi finis in reipsa, hæc est eius inclinatio perfectissima respectiuè ad actum secundum: ergo quod ipsi repugnet, vt ordinatur ad finem, magis affligit, quàm quod ei repugnat secundùm aliam quamcunque inclinationem, quæ non est ad *esse* proprium, sed ad perfectionem aliquam particularem: v. g. pulchritudinis naturalis, quocunque modo concipiatur: ergo tristitia concepta ex obiecto repugnanti secundùm appetitum elicitum voluntatis, & intellectus, magis affligit, inquantùm priuat forma conuenienti per hanc inclinationem, quàm tristitia concepta ex deformitate vlla naturali physica, si talis detur physicè repugnans, salua substantia, & *esse* incorruptibili eius. Probatur consequentia, quia & ipsum peccatum magis deturpat, & est obiectum magis affligens, quàm illa qualitas physicè deturpans: sed hic excessus turpitudinis peccati redundat ex deordinatione spiritus quoad inclinationem rectæ rationis, ex qua inest ipsum peccatum: ergo potior est inclinatio hæc in spiritibus, quàm naturalis illa ad propriam naturalem pulchritudinem, aut certè ad fugam formæ deturpantis physicè, & non moraliter. Vnde & Patres vehementiorem esse pœnam vermis ex conscientia peccati asserunt, quàm sit pœna ignis, vt videre licet apud Gregorium, & Bernardum locis citatis, Ambrosium, & alios.

Bernard.

Magis est disconueniens quod magis repugnat, & perfectiori inclinationi.

Pœna damni vehemẽtior, quàm sensus.

42 Deinde, idem patet ex vtriusque pœnæ collatione: quia forma illa physicè deturpans potest compati de potentia absoluta cum beatitudine, & gratia, aliàs certè non posset inesse virtute ignis à Deo supernaturaliter, si repugnaret gratiæ: sed non potest compati pœna sensus cum beatitudine in Angelis, non solùm quà pœna est, seu ordinatio peccati, sed etiam quà tormentum est: quia visio & fruitio summi boni trahit secum delectationem consummatam, quæ repugnat omni pœnæ sensus, seu tristitiæ in voluntate: ergo in ratione tormenti maior est tristitia in voluntate, qua hæc inclinatur in finem suum, quàm sit tristitia in voluntate ex quacunque alia inclinatione extranea ad formam illam deturpantem, quæ etiam pœnalis non est, vt *suprà* probauimus, nisi vt causat tristitiam. Patet consequentia, magis repugnat voluntati quidquid primò opponitur propriæ inclinationi, vt fertur in suum finem, & primò, & per se, quàm quod ipsi opponitur secundariò vt fertur in finem, & obiectum potentiæ inferioris, quia hæc oppositio est ex sympathia tantùm; v. g. ad sensum in nobis. Vnde anima magis etiam tristatur, & vehementiùs per obiectum repugnans primò, & per se ipsi animæ, quàm tristatur in Inferno ex sensu carnis: ideóque pœna damni, & vermis est vehementior, quàm pœna sensus. Rectè ergo Bernardus ex hac inclinatione, quæ potior est in creatura spirituali, colligit vehementiam, & excessum pœnæ: *Quid tam pœnale, quàm semper velle quod nunquam erit; & semper nolle quod nunquam non erit*, &c. Quòd si etiam consideremus amorem proprium sui, & complacentiam in peccato ex parte Angeli damnati, & ex affectu commodi, nihil ipsi magis repugnat, quàm quod primò opponitur his affectibus, inquantùm repugnat voluntati, eius primò, & secundùm inclinationem potentiæ intrinsecam ad hunc finem præstitutum; quia si Dæmon complacet in ipso peccato, quo magis deturpatur, certè magis vellet pati deformitatem illam naturalem, & physicam, quàm priuationem libertatis, & euentus praui desiderij, quo semper vult quod nunquam erit, & semper non vult quod semper erit.

Posset illa qualitas deformãs compati cũ beatitudine, non ita pœna sensus.

Peccatum est maior turpitudo quàm qualitas illa prætensa.

43 Ex dictis, & solutione iam data patet ad saluandum proprietatem Scripturæ, aut Patrum, ad vehementiam pœnæ, & causas ejus proprias, non esse exquirendum aliud, quàm quod communis sententia Scholasticorum tenet. Vnde vanissima est illa censura, quam Suarez ex aliis adducit, & fundatur magis in imaginatione sensûs, quàm in vera ratione: sufficit ad veram tristitiam causandam per ignem, vt sit obiectum disconueniens voluntati in re positum, & apprehensum; quæ repugnantia saluatur in actione intentionali modo dicto, & per ordinem ad repugnantiam. Spiritus secundùm inclinationem voluntatis; neque alius modus causalitatis physicè, vt excogitatur, quidpiam confert, cuius pœnalitas vltimò reducitur ab ipsis assertoribus ad eandem actionem intentionalem. Alia quædam obiicit præfatus author, & alij, quæ *infrà* soluit Doctor, vt est illud de pœnæ excessu, & inæqualitate iuxta mensuram delicti.

Reiicitur censura.

Ad alia respondetur infrà.

SCHOLIVM.

Ostendit quomodo intellectus Angeli perpetuò determinatur ab igne obiectiuè, & quomodo hoc nolitum causat tristitiam, quod eodem ferè modo intelligitur, ac detinentia ignis localis, de qua dictum est; differunt tamen in aliquibus, quæ benè explicat Doctor, qui conuenit in hac quæst. cum D. Thom. 1. part. quæst. 64. a. 4. & clariùs 4. contra Gent. c. 90. D. Bon. hîc part. 2. art. 3. quæst. 2. Dur. quæst. vlt. Palud. quæst. 7. Maior q. 6. Gabr. q. 3. a. 2. Vasq. 1. p. d. 243. c. 6. differt tamen à D. Thom. quòd non putat ignem

vlla

vllo modo physicè detinere spiritum localiter. D.Thom. putat quòd sic instrumentaliter, contra quod faciunt omnia, quibus impugnatur efficientia physica Sacramentorum, de quo suprà dist.1. quæst.5.

g DE secundo modo, scilicet qualiter, vt obiectum immutans contristat, consimiliter quoad aliquid dicendum est. Primò, intellectus Angeli determinatur perpetuò ad intensè considerandum ignem in ratione obiecti. Secundò, apprehendit istam determinationem ad talem considerationem. Tertiò h odit: & sicut priùs, istud odium oritur ex affectione commodi, ex qua vult quodcunque obiectũ prout sibi delectabile fuerit, considerare nunc hoc, & nunc illud: promouetur ex superbia, ex qua vult vti intellectiua sua, secundùm imperium voluntatis propriæ: & consummatur ex inuidia, propter quam odit determinari à Deo ad aliquam considerationem vnicam. Quartò, sequitur apprehensio, non tantùm nuda istius considerationis, sicut in secundo: sed apprehensio certa de euentu istius considerationis intensæ, & perpetuæ. Quintò, ex hoc sequitur tristitia. 11

Quomodo immutatur malus Angelus perpetuò ab igne.

i Quoad aliquid autem est dissimile hîc, & in præcedenti, quoad primum, quia ignis hîc habet rationem agentis effectiuè detinentis intellectum Angeli in intensa consideratione sui, & non ex imperio voluntatis Angeli. 12

Et si quæras quomodo illa possit competere igni, cùm nullum corpus possit intelligentiam spiritus ita efficaciter mouere, vt non magis subsit intelligentia voluntati ipsius spiritus quantùm ad determinationem actus considerandi, scilicet hoc, vel illud, sicut Augustinus dicit, quòd voluntas auertit, & conuertit intelligentiam, nunc ad hoc, nunc ad aliud: oportet dicere quòd istud non conuenit igni virtute propria: quia tota virtute actiua ignis posita, Angelus sibi dimissus, posset ignem, vel aliud corpus indifferenter considerare pro imperio voluntatis suæ.

Ideo oportet dicere, quòd illa detentio in consideratione ignis intensa & perpetua, & contra voluntatem Angeli, sit effectiuè à Deo principaliter, & ab igne, vt actiuè, sed minùs principaliter. Et potest poni exemplum, sicut intellectus agens, & phantasma se habent ad mouendum intellectum possibilem in nobis: sic in proposito Deus habet similem modum intellectui agenti, & ignis phantasmati; & esset omnino simile, si in nobis intellectus agẽs esset formaliter volens, & possibilis similiter: & agens per voluntatem suam determinaret aliquod certum phantasma ad mouendum efficacissimè intellectum possibilem contra voluntatem eius. Nec obstat quòd principale agens, & instrumentum non sunt in eodem supposito hîc, sicut ibi intellectus agens, & phantasma, quia ordo agentium illorum non requirit identitatem suppositi.

Non detinetur Angelus obiectiuè ab igne, nisi virtute diuina principaliter.

In tertio etiam est differentia hîc, & priùs: quia multò magis odit Angelus perpetuam detentionem intelligentiæ suæ in intensa consideratione ignis, quàm detentionem formalem sui localiter definitiuè ab igne, quia in opposito primi, scilicet libero vsu intelligentiæ suæ pro imperio voluntatis circa quodcumque obiectum, multò magis consistit perfectio eius, & multò magis desideratur, quàm in libero vsu potestatis suæ motiuæ quantùm ad *vbi* definitiuè. Illa autem detentio in consideratione intensissima ignis impedit primam libertatem: quia per hoc impeditur intellectus eius perfectè considerare alia considerabilia. Sed detensio definitiua ab igne non impedit nisi secundum, scilicet liberum vsum potentiæ motiuæ, vt non possit se facere præsentem cuicunque corpori. 13

Ex hoc sequitur differentia in quinto, quòd multò maior erit tristitia ex illa secunda causa quàm ex præcedente, quia vbi est maior nolitio, & æquè certa apprehensio de euentu, sequitur maior tristitia. Est etiam differentia in isto, & præcedenti quo ad hoc aliqualiter, quòd magis potest dici ignis effectiuè affligere spiritum isto modo, quàm modo præcedenti, quia ibi tantummodo affligit effectiuè, quia vt obiectum nolitum apprehensum causat tristitiam: hîc autem effectiuè causat primam apprehensionem, ad quam determinatur intellectus; quæ est nolita, & ita hæc habet quasi duplicem actionem: in priori non nisi simplicem, sed sicut in priori non ponebatur disconuenientia ignis ex natura rei, sed tantummodo * nolitio detinentiæ: ita & hæc disconuenientia non est ignis, vt obiecti considerati, sed finaliter, quia nolitum est illud obiectum sic considerari, tamen est maior inclinatio ad nolle sic, quàm in modo priori.

Quæ tristitia maior in Angelo. Ignis magis torquet spiritum obiectiuè quã detinendo localiter.

al. nolitũ.

k Contra vtrunque modum sunt instantiæ. Contra primum, quia omnes detinet æqualiter: 14

æqualiter: ergo omnes cruciabuntur æqualiter. Consequens est contra Augustinum 21. de Ciuit. c. 10. *Nequaquam negandum est ipsum æternum ignem aliis leuiorem, aliis futurum esse grauiorem; siue ipsius ardor pro pœna digna cuiuscunque varietur, siue æqualiter ipse ardeat, sed non æquali molestiâ sentiatur.* Ex qua etiam auctoritate videtur haberi, quòd ardor cruciabit eos, & non tantùm detentio.

Contra secundum,[l] quia si non nisi intelligibiliter imprimit talem impressionem, sequitur delectatio: quia illa est conueniens potentiæ intellectiuæ. Probatur etiam, quia delectaret Michaëlem.

[m] Contra vtrumque simul, quia si non nolit, vel non odiat sic detineri, vel ab obiecto sic immutari, non tristabitur, ac per hoc cùm in potestate eius sit non nolle, in potestate eius erit non cruciari. Præterea, æquè posset affligi in lapide, vel Sole, vel cælo Empyreo, si detineretur definitiuè ab illis, & mutaretur ab illis obiectiuè.

15 Ad primum; detentio formalis, quæ est secundùm definitionem formalem, æqualis est: sed *nolle* non est æquale: imò intensiùs in his qui magis peccauerunt, & ideo maior tristitia.

Ad aliud, prima impressio, quæ est ad intellectionem ignis, delectabilis esset ex seipsa intellectui: sed in quinto instanti post nolitionem, id est, apprehensionem euentus noliti, ex illa apprehensione nolita, & apprehensa, causatur tristitia.

16 Et si dicas, saltem apprehensio, vt in primo instanti posita, causabit delectationem? Respondeo, non potest, quia appetitus ille in eodem instanti habet tristitiam vehementem, & illa excludit omne gaudium, non tantùm contrarium, sed impertinens, ex 7. *Ethicorum.* *cap. 18.*

Si dicas, causa delectationis est prior naturaliter quàm causa tristitiæ: Respondeo, in habentibus tantùm ordinem naturalem, & simultatem realem, efficacius excludit minùs efficax, licèt efficacius sit posterius natura. Nec mirum, quia impediens, siue prohibens, quandoque est posterius naturaliter: agens tamen primum impeditur per contractionem eius. Exemplum in generatiuo vnius, & alteratiuo ad contrarium.

Posterius impedit aliquando actionem prioris.

[n] Ad tertium, non est in potestate eorum illud nolle, vel non nolle, sicut tangitur de continuatione mali actus in eis, cuius causa fortè est actio continua causæ superioris agentis ad aliquid vniforme in eis, propter demeritum præcedens, ad quod vniforme sequatur vniformiter afflictio eorum: & propter hoc non potest aliquis remissiùs nolle quàm modò nolit, quia sicut non est in potestate eius actus, ita nec modus actus: & sicut causa superior vniformiter agit ad *nolle*, propter quod causa inferior non potest difformiter agere ab ipsa: ita vniformiter agit ad intensionem huius *nolle.*

In 2. dist. 7. & infra dist. 46. 49. & 50.

Quare Angelus non potest cessare à tristitia, si depēdet ex nolitione eius libera?

COMMENTARIVS.

44 *Secunda pœna spiritus ex igne, vt obiecto.*

[g] DE *secundo modo*, scilicet, *Qualiter*, &c. Hic declarat secundum membrum conclusionis præmissæ in priori paragrapho, nempe ignem non torquere non solùm quà detinet, sed etiam quà est obiectum immutans intelligentiam Angeli ad continuam, & non intermissam considerationem ignis. In hoc puncto citantur quidam Philosophi, qui totam hanc pœnam referunt ad apparentiam, negantes verum ignem, & pœnas animarum saluant in sola apprehensione, quasi phantastica, & erronea. Citatur Auicenna 9. *Metaphys. cap. vltimo.* Algazael. 5. Physic. *c. 5.* Quidam etiam Patres, quatenus ea, quæ de igne infernali dicuntur, torquent ad sensum metaphoricum. Patres interpretabimur *infrà* suo loco, quando agendum erit de loco pœnarum. Opinionem prædictam Doctor superiùs reiicit, sicut & cæteri Theologi eam damnant.

Opinio quorumdã Philosophorum.

Alij Doctores, qui in conclusione ipsa conueniunt, differunt in modo, quo ignis vt obiectum, causat dolorem in Dæmone: quidam enim dicunt imprimere speciem sui in intellectu Dæmonis, & hoc quidem esse tam naturale intellectui, quàm etiam igni. Ita S. Bonauentura. Ægidius *quodlibeto 2. q. 9. & quodlibeto 4. quæst. 15.* asserit imprimi, & dolorem, quem causat, esse in potentia ipsa intellectiua, sicut dolor sensibilis est in potentia cognitiua; v. g. tactus. Richardus *in hac distinct. art. 1. quæst. 9.* docet ignem, vt instrumentum Dei immutare intellectum ipsi inducendo necessitatem vt semper considerationi ignis inhæreat, neque se possit ad alia obiecta, prout naturæ eius, & voluntati competit, perfectè conuertere: hanc impressionem, seu ligationem reducit Richardus in speciem impressam. Omittendo longiorem discussionem circa naturam huius speciei, & an possit esse à solo obiecto, vel sit à Deo solo; vel etiam concurrat intellectus, & quomodo posset concurrere obiectum materiale ad ipsam (quod magis ad sequentem distinctionem spectat, in qua agitur de cognitione animæ separatæ) Hi Doctores conueniunt in conclusione præmissa, quam tenet Ocham *Quodlibeto 1. quæst. 9.* Gabrielis supplementum *in hac distinct. q. 3. art. 2. conclusione 3.* &c.

Varietas opinionum de modo huius pœna, qua detinetur Dæmon in ignis apprehēsione.

Esse per speciem intelligibilem impressam.

Alia sententia.

Rich.

Doctor autem in litera dicit intellectum immutari per ignem, vt obiectum; non exprimit, an mediante specie, an verò ipse ignis immediatè immutat, vt subest speciali Dei concursui,

Sententia Doctoris.

sui, & prouidentiæ; vtroque modo fieri posse ostendetur. Interim subiungam eius resolutionem, vt iacet.

Determinari intellectum Angeli ad considerandũ intensè ignẽ. Primò dicit intellectum Angeli damnati determinari perpetuò ad considerandum ignem, in ratione obiecti intensè. Per determinationem intelligit necessitatem, quam mox dicit prouenire à Deo in vindictam peccati. Dicit determinari ad intensè considerandum, non verò ad solùm considerandum ignem, quia etiam alia potest Angelus apprehendere, & quò perfectior est eius intellectus, eò plura simul concipere potest: sed apprehensio aliorum neque est ita intensa, neque ita permanens sicut consideratio ignis, ex speciali Dei determinatione. Intelligitur hæc intensa consideratio comparatiuè ad alia obiecta, in quibus Angelus delectari posset sibi permissus, & à quorum perfecta, & sensibili, & intensa consideratione impeditur per fortius mouens ad hanc considerationem ignis in esse obiecti. Si autem comparetur ad considerationem beatitudinis amissæ, & conscientiæ peccati, quò maior in his est pœna, eò intensior consideratio. *Consideratio illa respectiua ad quid est intensa?*

46 *Obiectio.* Sed obiicies Angelum non posse habere tot intensas considerationes: v. g. damni, peccati, ignis, vt carceris, & ignis, vt obiecti diuinæ iustitiæ, & aliorum obiectorum apprehensionem naturalium.

Respondetur, licèt non possimus pro hoc statu cognoscere perfectè perfectionem Angelici intellectus, aut animæ separatæ, non tamen possumus attribuere eis omnem imperfectionem, quam experimur in modo cognoscendi nostro, prout intellectus est ligatus sensibus, à quibus recipit suam cognitionem. Hîc autem inuenire licet causam limitatæ cognitionis, quia nempe sequitur ad motionem determinatam huius, aut illius obiecti, prout applicantur: non applicantur plura simul, aut æquè perfectè, quia dependet hæc applicatio à phantasia, quæ limitatè, & imperfectè mouet mediante phantasmate. Deinde, ipsa consideratio intellectus exigit concomitantem operationem phantasiæ, quacunque ex causa id oriatur; experimur ita esse, & ligatis, aut impeditis sensibus intellectum cessare ab opere, naturaliter loquendo. Hanc causam limitatæ operationis quoad pauciora obiecta non licet transferre ad intellectum separatum, quamuis finitæ etiam sit virtutis, non solùm in actu primo, sed etiam secundo, in quo habet terminum intellectualitatis, vltra quem nequit extendi. *Intellectus pro hoc statu ligatur phãtasia.*

47 *Illæ considerationes esse simul in intellectu separato.* Hoc supposito, dico illas considerationes esse posse simul in intellectu separato, Deo specialiter mouente ad ipsas, & determinante, maximè cùm sit ordo inter ipsas quatenus tendunt sub vna ratione in illa obiecta materialia, nempe sub speciali ratione diuinæ vltionis ob peccatum, vel peccata, quinimò potest dici vno actu considerari hæc obiecta, quæ intantùm sunt disconuenientia, inquantùm inducunt rationem diuinæ iustitiæ vindicatiuæ respectiuè ad peccatum: nam priuatio gloriæ, detentio in igne, vt loco, ligatio intellectus ad intensam eius considerationem, vt habet rationem pœnæ ad idem formale tendunt diuinæ vltionis ob peccatum, & repugnantia voluntatis ab eodem formali specificatur, nempe odio abominationis diuinæ iustitiæ, ex amore inordinato commodi.

In omni prætereà sententia obiectio prædicta difficultatem habet eandem: nam quidquid sit de causa proxima pœnæ, ipsa pœna formalis statuenda est in tristitia, ex hoc, vel illo repugnante, quæ tristitia supponit apprehensionem obiecti disconuenientis, & omnium, ex quibus causatur: nam tam pœna damni, quàm vermis, quàm etiam sensus continuatur in damnatis, & ex singulis peccatis propriæ sunt, & diuersæ pœnæ, saltem sensus, & vermis: debet ergo continuari etiam causa talis pœnæ proxima, quæ consistit in apprehensione obiectorum nolitorum, sine qua non sequeretur tristitia, quæ tantùm redundat ex obiecto apprehenso. *Hæc difficultas cõmunis est.*

Secundò dicit Doctor, *Angelum apprehendere determinationem ad talem considerationem*, &c. non intendit diuersam esse apprehensionem; quia id non requiritur, vt patet ex iam dictis, sed requiri necessariò apprehensionem ipsius necessitatis, ex qua specialis ratio disconuenientiæ resultat in obiecto apprehenso: nam aliàs apprehensio etiam intensa ignis vt obiecti, est perfectio connaturalis Angelo, quæ redditur ei disconueniens inquantùm impedit libertatem considerandi indifferenter alia, aut perfectiora, quæ continentur sub suo obiecto primo, & quæ magis delectant: hæc autem libertas adempta necessariò debet apprehendi, vt causat tristitiam. 48

h *Tertiò*, inquit, *odit*, &c. Odio scilicet abominationis per repugnantiam ad obiectum. Hoc odium causatur ex amore commodi, quo se amat, & velit vti libera facultate in ordine ad quodcunque obiectum delectans: promouetur hoc odium per superbiam, & consummatur per inuidiam, per quam odit determinari à Deo ad illam considerationem, cuius iustitiæ non vellet subesse. 49 *Odium Angeli circa obiectum quod dicitur abominationis.*

Quartò, sequitur apprehensio certa de euentu illius considerationis, & perpetuò duraturæ: quintò tandem ex his sequitur tristitia in voluntate. In his ergo gradatim Doctor optimè explicat hanc pœnam ex causis, & in euentu. Primò, per disconuenientiam obiecti. Secundò, per apprehensionem obiecti, vt disconuenientis. Tertiò, per nolitionem eius. Quartò, per positionem obiecti noliti. Quintò, sequitur ipsa passio impressa, quæ habet rationem pœnæ.

Probatur hæc conclusio: in primis talis necessitas nulli potest esse dubium, quin sit contra naturalem, & elicitam inclinationem Angeli, eiúsque perfectionem; quia sicut ligari loco determinato contra vsum liberum potentiæ motiuæ, & in pœnam peccati est ipsi disconueniens iuxta communem, quin etiam iuxta fidem; quia alioquin non destinaret Deus infernum, & ignem vt pœnam determinatam, nisi in iis esset ratio disconuenientiæ; ita etiam ligari Angelum ad certam cognitionem obiecti, in quo non consistit eius finis, & adimere libertatem considerandi alia, est contra eius perfectionem, & inclinationem: ergo est ipsi disconueniens, & pœnale, & maximè contra eius appetitum elicitum. Probatur minor, maximè consideratur perfectio Angeli, & animæ separatæ penes voluntatem, & intellectum, secundùm quos ordinatur ad suum finem naturalem, per cognitionem & amorem. Ergo repugnat talis necessitas eius inclinationi naturali in finem. Probatur consequentia, quia inclinatio naturalis Angeli, siue 50 *Probatio conclusionis.* *Ista ligatio est contra appetitum Angeli.* *Repugnat inclinationi naturali.*

quoad intellectum per speculationem veritatis, siue quoad voluntatem per amorem boni, vt sic maximè, & vltimatè perficitur respectiuè ad obiecta abstrahentia à materia, & veritates vniuersales, non verò in ordine ad hoc obiectum materiale determinatum: ignis ergo necessitans ad considerationem intensam ignis, per quam impeditur à motu in finem suum primarium, est contra eius inclinationem naturalem perfectissimam: ergo obiectum disconueniens, & vt positum, & apprehensum causat tristitiam.

51 *Responsio.* Dices intellectionem & speciem ignis esse connaturalem Angelo: ergo non est ipsi obiectum disconueniens.

Impugnatio. Contrà: licèt talis consideratio non sit absolutè disconueniens in se: tamen vt impedit perpetuò alias considerationes perfectiorum, & æqualium, est disconueniens, vt impedit, inquam, non ex libertate elicientis, sed ex virtute propria, vt subest causæ suæ extrinsecæ determinanti, & inhæret sine sui intermissione, constituens necessariò intellectum in actuali, & intensa tendentia in obiectum, & præualet sic necessitando aliis intellectionibus, eorúmque motiuis.

Confir. Confirmatur, si homo in via necessitaretur ad similem considerationem vehementem vnius obiecti materialis, plurimùm derogaret inclinationi eius secundùm intellectum, & voluntatem, quamuis alioquin illud materiale esset sub obiecto primo contentum. *Exemplo.* Vnde, qui plurimùm inhærent, vel ex praua dispositione sensus, vel ex libertate, & consuetudine alicui tali, minùs perfectè vtuntur intellectu ad finem naturalem, & secundùm inclinationem debitam rationis: ergo similiter Angelus, & anima separata, vt subiiciuntur necessitate illata à prima causa tali considerationi, etiam impediuntur à prosecutione perfecta finis, ad quem ex naturæ suæ appetitu ordinantur, & talis consideratio est ipsis disconueniens vt apprehensa, & posita in euentu certo.

52 *Confir. 2.* Confirmatur secundò, quia si perfectio potentiæ in actu secundo redundat ex obiecto, cui inhæret, vel adhærere potest, & quo potentia magis ordinatur ad obiectum perfectius, & vniuersalius, eò magis est nata perfici, & inde colligitur eius perfectio, vt sensus interni vltra externum, & intellectus supra sensum, & voluntatis super appetitu, & habitus, & actus super reliquis inferioris obiecti; sequitur quòd consideratio vnius obiecti imperfecti, ad quam necessitaretur hoc modo, sit contra eius inclinationem, vt tendit in suum obiectum primum, tam secundùm vniuersalitatem, quàm secundùm perfectionem primam, quod videtur omninò euidens: quia suspenditur ab actu secundo, ad quem primò tendit, & in quo eius perfectio excedens versatur. Ex quibus patet huius pœnæ possibilitas. *Perfectio potentiæ ab obiecto.*

53 *2. Probatio. Hanc pœnã in euentu esse Dæmonũ.* *Gregor.* Secundò probatur eius euentus, & de facto ita in reipsa contingere. Gregorius lib. 9. Moralium cap. 39. in illa: *Vbi nullus ordo,* &c. *Damnatus quisque,* inquit, *dum foris flamma succenditur, intus cæcitatis igne deuoratur, atque in dolore positus, interiùs, exteriúsque confunditur,* &c. *ordo in supplicio non erit, quia in eorum morte atrociùs ipsa confusio mente sæuit,* &c. Hæc confusio mentis in damnato oritur ex flamma secundùm Gregorium. Item lib. 4. Reg. cap. 29. dicit *videndo, & experiendo ignem torqueri.* si ergo videndo torquetur, & pœna sit perpetua, sequitur per ignem semper in ratione obiecti torqueri, & semper videri, & considerari, & experiri: experientia hæc diuersa à pœna visionis est per detentionem; videre autem per considerationem non intermissam ignis, quæ etiam perinde torquet secundùm Gregorium pœna diuersa, qui vtramque pœnam, & modum punitionis ab igne emanantem asserit.

Isidorus *lib. 1. de summo bono cap. 3.* postquàm dixit duplicem esse pœnam inferni, alteram in mente, quam vrit tristitia; alteram in corpore, quod vrit flamma: & vtramque pœnam refert in ignem; agit enim de pœna sensus, & subdit; *Ignem gehennæ ad aliquid lumen habere, & ad aliquid non habere, hoc est, habere lumen ad damnationem, vt videant impij, vt doleant, & non habere lumen ad consolationem, ne videant, vnde gaudeant,* &c. Quin etiam huc referri possunt reliqui Patres, & communis schola, qui constituunt pœnam sensus consistere in perpetuis flammis, & incendio inferni, ac proinde sicut intensus sensus pœnarum nunquam intermittitur, ita etiam neque intensa consideratio ignis. Pœna autem ignis communis est omnibus damnatis, qui paratus est Diabolo & Angelis eius. & vt dicit Gregorius lib. 9. Moral. cap. 50. aliàs 39. & 40. *Quamuis Angelorum atque hominum longè sit materia dissimilis: vna tamen pœna implicat, quos vnus in crimine reatus ligat,* &c. & cap. 48. aliàs 39. vehementiam illius considerationis exaggerat. *Hic,* inquit, *flamma, quæ succenditur, non illuminat: illic,* &c. *ignis, qui cruciat, obscurat: hic metus amittitur, cùm tolerari iam cœperit quod timebatur: illic & dolor dilaniat, & pauor angustat,* &c. *illic ignis, & ad consolationem non lucet, & tamen vt magis torqueat, ad aliquid lucet,* &c. *Isidorus.* *Pœna sensus perpetua & non intermissa.* *Ideò consideratio perpetua.*

Tertiò tandem probatur conclusio ratione; quia si pœna est perpetua (loquor de pœna sensus, & non intermissa ex Dei prouidentia, & vltimatè consistit in tristitia, quæ oritur ex apprehensione obiecti disconuenientis applicati) sequitur necessariò intellectum nunquam cessare ab apprehensione obiecti illius disconuenientis, & causæ inferentis cruciatum, quem vtrúmque apprehendat intensè. Et sicut nunquam cessat pœna damni, quæ consistit in apprehensione damni, ex conscientia peccati, ex quibus oritur tristitia de damno, & vermis conscientiæ rodens, neque intensa etiam horum consideratio vnquam cessat; eodem modo neque cessat consideratio intensa ignis, quę non permittit ad delectabilia commodi intellectum respicere. Consideratio hæc ignis, vt detinentis spiritum tam quoad locum, quàm quoad intellectum, cruciat in euentu sensum Angeli, & animæ damnatæ; quoniam ipsa pœna vitalis est, & perpetua, ad quam necessariò exigitur cognitio necessaria, sicut ad omnem pœnam etiam doloris sensibilis. Vnde dicit Bernardus, *lib. 5. de considerat. cap.* 10. agens de pœna vermis: *Hic est vermis, qui non moritur, memoria præteritorum semel iniectus, vel innatus per peccatum; hæsit firmiter, nequaquam auellendus,* &c. Hæc memoria est consideratio peccatorum semper permanens, & pœnans, ita similiter de reliquis pœnis dicendum est semper manere considerationem fixam, & non intermissam earum, & simul causarum, ex quibus oriuntur; vnde nequit talis consideratio Angelo esse indifferens, aut libera, aliàs eam omittendo pœna prout tum cessaret, quod est contra dispositionem diuinæ iustitiæ, quo destinatus est in ignem æternum; 54 *3. Probatio Pœna est continua & causa pœna.* *Bernard.*

æternum: æternum enim non patitur intermiſſionem, aut diſcretionem: ergo eſt neceſſaria, ac proinde non ſubiecta poteſtati, aut naturæ Angeli ſibi præmiſſæ, quod eſt intentum.

55 *Sententia cõtraria Suarij.* Concluſio & ſententia præmiſſa impugnatur ab aliis, potiſſimùm à Suare, *lib.8. de pœnis Angelorum cap.13. n.13. & ſequentibus*; primò, quia *Obiectio.* naturalia permanſerunt integra in Dæmone ex Dionyſio; & Patres dicunt eos eſſe in intelligendo velociſſimos, & ad decipiendum acutiſſimos, *Naturalia manere integra in Dæmone.* & habere magnam rerum memoriam, & experientiam, per quam non ſolùm præterita recordantur, & præſentia intuentur, ſed & futura coniectant, ex quibus conſtat eos habere liberam facultatem conſiderandi omnia, non obſtante intenſa pœna, & conſideratione ignis: ergo hæc non impedit.

Reſponſio. Reſpondetur, naturalia manſiſſe integra Dæ- *Dion.* monibus, vt dixit Dionyſius, *de diuinis nomin. cap.4. in 4.p.* quia *quæ per naturam ſunt incorruptibilia*, inquit, *per peccatum non corrumpuntur*, &c. *Aug.* quod perinde admittit Auguſtinus, *lib.2. de Geneſi ad literam cap.17. & lib. de diuinat. Dæmonum*, & Iſidorus *in lib.1. de Sentent. cap.10.* & Beda *lib. variarum qq. q.9.* & ſæpè admittit Doctor, vt *in hac ipſa quæſtione*, contra primam opinionem aſſerit: manent autem naturalia quoad actum primum integra, non verò quoad actum ſecundum ex cæcitate, & obſtinatione inducta per peccatum; nam vſus eorum ſemper eſt ad malum practicè loquendo: quia finis eſt peruerſus. Vnde Ignatius epiſtola 8. ad Philip. *Sapiens eſt ad malè faciendum, bonum verò quid ſit, ignorat, ignorantia oppletus eſt propter voluntariam dementiam*, &c. *quo enim modo non eſt huiuſmodi, qui nec ante pedes, & pro patulo poſitam rationem videt*, &c. Fulgentius *de fide ad Petrum cap.3.* aſſerit Dæmones amiſiſſe bonam voluntatem, quam nunquam recuperare poſſunt: ideóque peruerſa ſemper machinantur: vbi autem finis eſt peruerſus, ibi etiam eſt error in practicis.

Naturalia manere integra quoad actũ primũ, non verò quoad ſecundum.
Ignatius.
Cæcitas Dæmonum.
Fulgent.
Eorum obſtinatio.

56 *Dionyſius.* Dionyſius præthereà loco citato dicit: *Mali verò dicuntur* (ſupple Dæmones) *quòd circa naturalem operationem infirmentur: auerſio itaque eſt illis malum, quòd exciderint, potitíque non ſint naturalibus bonis, imperfectióque, & imbecillitas, & fuga, & prolapſio virtutis conſeruantis eis inditam perfectionem*, &c. Accedit ad hoc quòd Patres dicant Dæmonem amiſiſſe poteſtatem præter ſolam nocendi hominibus, eóſque tentandi. Vlteriùs etiam pœna tam ſenſus, quàm damni, quam vehementer refugiunt, & non poſſunt quæ intellectum & voluntatem eorum tenet in viua cogitatione, & cruciatu.

Imperfectio Dæmonum.

56 *Cauſa imperfectionis in conſideratione.* Ex his negatur conſequentia illata, nam infirmitas eorum circa naturalem operationem, de qua Dionyſius, & oppletio ignorantiæ, de qua Ignatius: oritur tam ex peruerſitate voluntatis repugnantis Deo, & ſtudio intenſo nocendi hominibus, eóſque ſubuertendi; tum denique ex pœna, & eius perpetua conſideratione, & quamuis ligamen hoc intellectus eius non tollat omnem vſum intellectus ad alia cognoſcenda, tollit tamen vſum eius ad ea cognoſcenda, prout ei delectabilia ſunt, vt ait Doctor, & poſſint in euentu ex iis voluptatem capere, prædominante pœna, & eius conſideratione non intermiſſa, atque intenſa, quod eſt dicere impedire practicè eius cognitionem in ordine ad finem naturalem, in quo aliquo modo quieſcere, & beari naturaliter poſſet, non ſolùm qui talis eſt in *eſſe* honeſtatis; ſed etiam qui talis eſt in *eſſe* naturæ, & commodi, quod effectat voluntas quà concupiſcibilis eſt potentia: nam vt habet Angelus, ſummam triſtitiam in voluntate, ad quam ſemper ligatur ex intenſa conſideratione diſconuenientis, ita etiam reddit eam incapacem, & impeditam ad delectationem, non ſolùm de eodem obiecto, ſed etiam de quocunque alio impertinenti, & incomparabili in ratione delectabilis ad oppoſitum triſtans, & fortiùs mouens, per quod abſorbetur voluntas, vt patet 7. *Ethic. cap.14.* à ſenſu contrario, vbi dicitur quòd voluptas excedens tollit dolorem, & ipſa experientia, vt quando quis angitur vehementi dolore, quæ aliàs delectabilia erant apprehenſa, non cauſant delectationem, & ſemper rapitur eius cogitatio in malũ nociuum, vt valdè impediatur circa reliqua.

Tollitur conſideratio aliorum practica à Dæmone.
Impedimentum eius cõſiderationis.

57 *1. Obiectio à ratione.* Ex hac reſponſione patet ad argumentum à ratione, quod idem author opponit, nempe quòd intellectus Dæmonis, licèt aliquo modo impediatur per illam conſiderationem ignis: tamen non exhauritur ſic, quin ſufficientem virtutem habeat cogitandi de aliis: ergo hoc impedimentum non eſt tanti momenti, vt inferat tantam pœnam, licèt inferat aliquam, niſi aliàs ex ratione rei apprehenſæ oritur talis pœna.

Reſponſio. Reſpondetur repugnare perfectioni Angeli naturali, vt nequeat practicè, ſeu delectabiliter, vti liberè ſuo intellectu in ordine ad finem naturalem, quem appetit eius voluntas, & quòd ita intenſè rapiatur eius conſideratio perpetuò, non ſolùm in conſiderationem obiecti, per quod fit miſer, & affligitur, ſed etiam vt impeditur à proſecutione ſui finis naturalis per voluntatem & intellectum. Vnde hæc intenſa conſideratio, & applicat nociuum diſconueniens, & excludit bonum conueniens, & ex vtraque cauſa redditur amara: ſicut enim in Dæmone conſideratio beatitudinis amiſſæ ſupernaturalis cauſat triſtitiam ob damnum incurſum, ita etiam priuatio beatitudinis naturalis, & concupiſcibilis cauſat in eo triſtitiam: hæc autem priuatio incurritur ex conſideratione illa intenſa de qua loquimur.

Applicatio intellectus Angeli tollit proſecutionẽ finis naturalis.
Priuatio beatitudinis naturalis eſt pœna.

58 *Comparatio vtriuſque pœnæ per ignem.* *Quoad aliquid autem eſt diſſimile ſui*, &c. Comparat vtramque pœnam tam ex detentione in igne: vt loco, quàm ex detentione intellectus in igne; vt obiecto, ad inuicem quoad differentiam: conueniunt enim in eo quòd ſint circa idem diſconueniens. Prima differentia eſt, quòd ignis vt obiectum effectiuè detineat intellectum in ſui conſideratione eo modo quo obiectum motiuum comparatur ad potentiam intellectiuam tanquam mouens ad mobile, & tanquã actiuum ad paſſiuum. Hæc ergo detentio non eſt ex determinatione, & imperio voluntatis Angeli, ſed ex cauſa extrinſeca, partialiter quidem ex obiecto, & minùs principaliter; quia licèt obiectum concurrat ad intellectionem, tamen non neceſſitat intellectum Angeli ſibi relictum, quin ex imperio voluntatis poſſet ſe ad aliud conuertere, & deſiſtere etiam à cognitione huius, aut illius obiecti: Hæc ergo neceſſitas eſt à cauſa prima intenſè determinante intellectum Angeli ad illam conſiderationem ignis vt obiecti, ſicut etiam ſtatuit pœnam ex illa fore perpetuam, & quanquam talis etiam ſit neceſſitas ad conſiderationem ignis, vt tenet Angelum in loco; tamen in hoc eſt diſparitas quòd ignis non teneat effectiuè, ſed formaliter; effectiuè verò concurrat ad detentionem intellectus, quà obiectum eſt, & neceſſitas

Ignis vt obiectum effectiuè detinet intellectum damnati.
Neceſſitas cõſiderãdi ignẽ principaliter eſt à Deo.

necessitas ex suppositione diuinæ determinationis, & concursus specialis, supponit hic obiectum materiale posse immediatè concurrere ad cognitionem sui, quod maximè verum est de intuitiua, qualis est illa visio perpetua ignis, vt obiecti. Controuersiam huius difficultatis hîc omitto breuitatis gratiâ, supponendo quòd obiectum materiale, quando perfectè est applicatum in se, concurrere possit ad omne illud, ad quod concurrit species eius in virtute ipsius obiecti: quia materialitas non obstat, vt patet in exemplo de phantasmate, neque subordinatio potentiarum sensitiuarum ad intellectum, quæ non reperitur in Angelo. Deinde, quia hoc necessarium est in ordine ad cognitionem intuitiuam præsentis, quà præsens est, qualis est in proposito; & sicut Angelus, & anima separata potest abstrahere speciem ab obiecto materiali, ipso obiecto immediatè concurrente, ita etiam concurrente eodem possunt intueri materiale præsens, vt *infrà* ostendetur suo loco.

Obiectū materiale mouet immediatè intellectum separatum.

59 *Differentia vtriusque quoad nolūtatem.*

Deinde secundò, statuit differentiam, quantùm ad nolle, seu odium vtriusque, in hoc, quòd detentio intellectus in hoc obiecto perpetua, sit magis intensa, quàm detentio secundùm potentiam loco motiuam. Ratio huius est superiùs deducta in probatione conclusionis: quia nempe maior est perfectio Angeli, quæ conuenit secundùm intellectum, quàm illa, quæ conuenit secundùm potentiam loco motiuam, & prior magis appetitur, ideò eius impedimentum vehementiùs fugitur, & odio habetur.

Perfectior inclinatio secundùm intellectum, quàm potentiam loco motiuam.

Tertiò statuit differentiam in ipsa pœna, seu tristitia, quòd illa sit intensior de priori, quàm de secundò, v.g. ob impedimentum cognitiuæ, quàm loco motiuæ. Ratio est, quia quò intensiùs aliquid fugitur, eò magis intensè, vt præsens apprehensum, causat tristitiam.

Pœna ex priori detentione vehementior.

k *Contra vtrumque modum sunt instantiæ*, &c.

60 *Obiectio, quia sic pœna sensus esset æqualis in damnatis.*

Obiicit contra vtramque partem conclusionis: Primò, quòd sequeretur pœnam sensus esse æqualem in damnatis spiritibus, quod est contra fidem, & Augustinum in litera citatum, & omnes Patres. Antecedens probatur, quia æqualiter omnes detinet ignis.

Responsio aliorum.

Respondent quidam, detentionem in igne fore inæqualem, vel quoad angustiam loci, vel quoad situm, vt profundiùs quidam præ aliis, & viliori loco, & maiori flamma ambiantur: sed licèt hoc etiam sit verum, non sufficit ad integram & proximam causam. Alij dicunt cogi Dæmones iuxta inæqualia demerita apprehendere intensiùs ignem, quæ apprehensio sit ipsis causa maioris tristitiæ; sed neque hoc etiam dat causam integram; quia apprehensio intensa ignis vt causet tristitiam, exigit ignem apprehendi vt disconuenientem, vel ex natura rei, vel certè ex fuga: & displicentia voluntatis.

Aliorum responsio.

61 *Responsio Doctoris.*

Respondet ergo Doctor quòd detentio formalis, quæ est secundùm locum, sit in omnibus æqualis. Dicit formalem detentionē, non materialem; quia probabile est, inæqualia fore in pœna loca, iuxta inæqualitatem peccatorum; nam sicut diuersæ mansiones Beatis distribuuntur in cælo, iuxta illud Ioannis 14. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*, &c. ita etiam distribui videntur loca pœnarum: quod etiam indicare videtur Gregorius, *lib.9. Moralium, cap.*47. aliàs 39. quamuis verba eius ad ipsam formalem pœnam referri possunt; de qua constat esse inæqualem iuxta mensuram delicti. Dicit ergo Doctor detentionem formalem inæqualem esse quoad necessariam vnionem, & adhæsionem ignis, quod verum est, quia ex imperio Dei, & prouidentia æquè insolubilis est in omnibus; sed *nolle* non est æquale in omnibus, seu odium ignis, & detentionis, imò intensius erit in his, qui magis peccauerunt, & ideò maior tristitia. Declaratur responsio ex præmissis: quia tristitia oritur ex iis, quæ nobis nolentibus accidunt, iuxta definitionem Augustini *suprà* præmissam *in responsione ad quæstionem*; Ignis autem redditur disconueniens Angelo, non ex natura physica vtriúsque, sed ex repugnantia, & odio voluntatis, qua illa detentio est ipsi nolita; quia verò hæc pœna infligitur ob peccata, & iuxta mensuram eorum, in quibus complacet Angelus damnatus, refugiens pœnam & diuinam vltionem ex superbia & inuidia, & hæc pœna ex alia parte respicit singula peccata eius, in quibus obstinatus est, & complacuit, & complacet; ideò nolitio pœnæ sequens mensuram voluntatis, & prosecutionis, quam habuit in peccatis intensiuè, & extensiuè, commensuratur quoad gradum, & extensionem prosecutioni, ex qua redundat, quia quantum inhæret voluntas vni oppositorum, tantum recedit à contrario; & in quantùm amat vnum, intantùm odit contrarium, quia fuga mali oritur ex inclinatione ad bonum contrarium; ideóque quæ indifferentia sunt in ordine ad voluntatem, in iis neque inhæret per amorem, neque consequenter refugit contrarium per fugam, & odium positiuum. Ex hoc ergo gradu nolitionis, & apprehēsione consequente obiecti iam positi in certo euentu sequitur tristitia in eodem gradu, & inæqualiter iuxta inæqualitatem nolitionis, & apprehensionis, quæ sunt causæ eius proximæ iuxta ea, quæ *hîc* dicta sunt, & *in distinct.* 14. *quæst.* 2. *& dist.* 16. *quæst.* 1.

Detentio formalis æqualis sed non materialis.

Odium ignis nō erit æquale.

Declaratio.

Diuersitas odij vnde oritur.

l Obiicit contra secundam partem conclusionis, quòd ignis vt obiectum causans intelligibiliter istam impressionem continuæ detensionis intellectus in sui consideratione, causaret potiùs delectationem, quàm tristitiam, quia est obiectum connaturale intellectui, & sic Angelus beatus etiam delectaretur, vt Michaël. 62

2. Obiectio.

Responsio ad hanc obiectionem transposita fuit in impressione Antuerpiensi, & aliis, ideò in suum locum transferenda videbatur.

Respondet Doctor iuxta ordinem causationis *suprà* præmissum, quòd illa esset ex natura intellectus, absolutè loquendo, delectabilis, sed ob nolitionem eius, & apprehensionem euentus positi, causat tristitiam. Hæc responsio ita intelligenda est, vt nolitio etiam supponat disconuenientiam illius intellectionis, non absolutè, sed vt impedit intellectum indifferenter alia considerare, & necessitatur ad ipsam perpetuò, quæ necessitas, vt apprehenditur, est nolita.

Responsio.

Declaratur responsio.

Et si dicas, &c. Replicat saltem in primo instanti, quo fit apprehensio ignis, delectabit.

Replica.

Respondet negando assumptum: quia appetitus ille in eodem instanti habet tristitiam vehementem, & illa excludit omne gaudium, non tantùm contrarium, sed impertinens, 7. *Eth. c.* 14. Hæc tristitia in primo instanti potest intelligi de pœna damni, & vermis, & etiam pœna detentionis in igne, & eius consideratio, vt perpetua, & non intermissa, quia ipsa detentio est causa tristitiæ, vt apprehensa; cui etiam ligatur intellectus

Soluitur.

tellectus secundùm considerationem, vt ad semper præsentem, aliàs pœna ipsa intermitteretur; vt ergo apprehendit ignem, vt carcerem, habet tristitiam, & vt apprehendit vlteriùs ignem, & perpetuò considerandum, tanquam sui intellectus detentionem, habet repugnantiam, & tristitiam, & vnico actu vtraque detentio apprehendi potest, licèt Doctor claritatis gratia in ordine ad diuersas pœnas distinguat vtrumque. Sequens replica, & responsio patet ex litera; asserit ordinem naturæ esse inter vtramque pœnam; simultatem verò realem.

64 *Tristitiam damnatorum non compati aliquod gaudium.* *Contraria sẽtentia.* Quod verò asserit tristitiam Angelorum & damnatorum non compati secum aliquod gaudium: docet etiam Ocham *in 2.q.19.ad.7.* Gabriel. *in 2.d.7.q.1.art.3.dub.1.* Vasquez *1.part.quæst.64. art.3. disp.242. cap.3.* vbi Bannes, Ripa, Zumel, Pisantius, Medina. D.Thom.tamen prædicto articulo contrarium insinuat, sicut & Alensis *2.p. quæst.100. in 4.* aliàs *5. art.1. & 2.* licèt gaudium non sit verum, sed apparens, & plenum amaritudine, & spectans potiùs ad miseriam, vt docet August.*lib.2. de Gen.contra Manichæos cap.17.* Idem docet Gregorius *in 1. distinct. 1. quæst. 2. art.1. ad 3.& 5.* Defendit Suarez. *lib. 8. de Angelis cap.15.* quamuis asserat hoc gaudium cessaturum adempta potestate homines tentandi, ex quorum damno hoc gaudium inest, & ex odio in Deum. Patet ex Scriptura, vbi sæpiùs dicitur inimicus gaudere, & exultare ex ruina nostra, Psalm.37. *Nequando supergaudeant mihi inimici mei*, &c. Patet ratione, quia habent odium Dei, & ardens desiderium nocendi homini viatori, & timorem incarcerationis finalis in gehenna, vt posteà dicetur in sequentibus: ergo completo hoc desiderio, possunt gaudere aliquo modo accidentaliter, quia appetunt offensam Dei, & ruinam nostram ex inuidia.

65 *Prima sententia præfertur.* Dico tamen sequendam esse primam sententiam, cuius rationem assignat Gabriel, ex parte diuini concursus non concessi à Deo quoad delectationem in statu damnationis, qui est extremæ miseriæ. *Extrema miseria est incapax delectationis.* Planior est illa à causa intrinseca, quam tradit Doctor, & post eum Ocham; quia nempe voluntate sic affecta extrema miseria, & tristitia redditur incapax delectationis; quia sicut in nullo minuitur eius pœna, sic etiam nullum delectabile, circa quod afficitur Dæmon, est ipsi motiuum proportionatum in ea dispositione ad causandum in ea delectationem: & sicut beatitudo formalis euacuat omnem tristitiam, ita miseria formalis & finalis excludit omne gaudium.

66 *Quòd nullũ sit gaudium in Dæmone de complacẽtia in se, aut peccato.* Probatur, quia causæ illæ, ex quibus dicitur causari illa delectatio, vt ardor nocendi, & odium Dei, non sunt magis efficaces ad causandum gaudium illud accidentale, quàm sui complacentia, & complacentia etiam in peccato ad causandum gaudium substantiale de fine præstituto, cui adhæret Dæmon propter se, & ex cuius radice oritur illud odium abominationis in Deum vindicantem, & inuidia in genus humanum: nam quò fortius est motiuum, & magis per se intenditur, eò magis natum est causare delectationem, & gaudium in seipso præsens: sed neque de seipso, aut de peccato habet gaudium, quamuis obstinatè adhæreat: quia pœna damni, sensus, & vermis obstant, & absorbent voluntatem, & iuxta dispositionem eius magis eligeret non esse, quàm subiici pœnæ ex his redundanti, iuxta illud: *Melius fuisset illi, si natus non fuisset homo ille*, &c. & prout Patres *Pœna excludit dictum gaudium.* exaggerant hanc pœnam, videtur excludere gaudium de eodem obiecto: ergo minùs potest esse gaudium de aliquo accidentali, quod ex motiuo eiusdem obiecti desideratur.

Confirmatur, non magis nata sunt illa motiua ex natura rei inducere gaudium in Dæmone, quàm memoria peccati, & offensæ contra Deum commissæ, inducere tristitiam in Beato: sed ex illa memoria, & displicentia peccati commissi, Beatus non tristatur, quia ex fruitione summè delectatur: ergo etiam neque Dæmon habet gaudium ex maleficio, quamuis illud velit. Probatur consequentia à paritate, quia siue gaudium sit actus elicitus voluntatis, & similiter delectatio, actus, inquam, necessarius, siue passio impressa ex obiecto disconuenienti in ratione applicato, perinde se habent hinc inde causæ necessariæ vtriúsque. Quòd si dicatur Deum suspendere concursum ad dolorem, & tristitiam in Beato, eo modo dici potest in proposito: quòd si in Beato summa delectatio ex natura rei ita subigit voluntatem, vt reddat eam incapacem tristitiæ vllius, licèt causa aliàs sufficiens applicetur, vt apprehensio peccati, & nolitio eius ex perfecta charitate in termino, quæ quantò perfectiùs operatur, tantò magis inclinat ad nolitionem diuinæ offensæ præteritæ; quinimò ipsa voluntas, si necessitatur ad finem vltimum clarè visum, per modum naturæ elicit hanc nolitionem, vt eleuatur per gratiam, & fruitionem: ergo non sequitur ex causis aliàs sufficientibus, nisi appetitus sit indifferens, & non impedita per causas fortiùs mouentes, & formam contrariam in summo gradu impressam. Probatur consequentia, quia eodem modo hîc philosophandum est, sicut in cæteris causis necessariis, & agentibus circa subiectum: v. g. aqua quantumlibet ex forma sua sit nata producere, & conseruare in seipsa frigus; tamen si virtute agentis prædominantis recipiat calorem in gradu intenso, & eadem causa semper maneat applicata ad conseruationem eiusdem caloris, nunquam potest aqua prodire in actum secundum, licèt habeat virtutem aliàs sufficientem, si auferatur impedimentum. Eodem modo, etiamsi voluntas per modum naturæ dicatur habere virtutem producendi in seipsa passionem concurrente obiecto, quamdiu determinatur per fortius mouens, & prædominans ipsi in ea dispositione, nequit agere ad contrarium. Quòd si verò passio illa sit ab ipso obiecto totaliter, vt nos putamus, supposita nolitione, aut volitione prærequisitis, iuxta naturam, & qualitatem passionis, idem contingit quod in causis per se contrariis applicatis eidem subiecto, quarum altera alteri excessiuè prædominatur.

67 *Confirmatio à simili.* *Tristitia in Beato nequit esse.* *Summa delectatio excludit tristitiã.* *Ex causa applicata non sequitur effectus in subiecto impedito.* *Exemplum.* *Applicatio.*

Confirmatur secundò, quia in ordine ad passionem perinde se habet appetitus rationalis, & sensitiuus quantùm ad modum agendi, & inclinationem: sed in appetitu sensitiuo dolor vehemens, & valde excessiuus ita prædominatur, vt non possit delectari, non solùm de opposito, sed nec de alio obiecto, quod aliàs esset delectabile, si appetitus non fuisset impeditus: ergo idem dicendum de appetitu rationali. *Confirmatio secunda.* *Dolor vehemẽs excludit delectationẽ.*

Dices cum Gregorio, impediri phantasiam ne apprehendat delectabile, quando appetitus summè tristatur: non ita contingit in Dæmone, cuius intellectus non impeditur à cognitione requisita. 68 *Responsio.*

Contrà est experientia, & ratio: quia moto sensu *Impugnatur.*

sensu externo ad proprium actum, mouetur phantasia ad operandum circa idem obiectum præsens: in phantasia autem sufficit apprehensio obiecti delectabilis ad causandum delectationem. Deinde videmus sæpissimè in magnis afflictionibus, & vehementi tristitia homines per artem, & imperium voluntatis ex consideratione aliorum obiectorum quærere leuamen, & solatium, qui inde nullam sensibilem voluptatem capere possunt, succumbente appetitu passioni contrariæ vehementi. Deinde, idem ipsum obiectum perfectè apprehensum, nunc est conueniens appetitui, nunc disconueniens ex diuersa dispositione appetitus, & nunc causat tristitiam, nunc etiam delectationem: ergo potissima ratio harum passionum est ex inclinatione appetitus petenda, sine qua nequit disconuenientia, aut conuenientia obiecti subsistere, & non ex sola natura obiecti apprehensi, quod in actu secundo ad inclinandum appetitum non conducit, nisi ipse appetitus sit inclinatus, & non repugnans: repugnat autem quando absorbetur per contrarium affectum in gradu intenso. Deinde etiam obiectum, prout terminat operationem vnius sensus, & appetitus conformis, potest esse delectabile, & conueniens, secundùm operationem autem alterius, & appetitum conformem disconueniens: in hoc autem casu rectè apprehenditur sub vtraque ratione, vt ignis per visum, & tactum: sed si causatur dolor vehemens ex immutatione tactus, & corruptione temperamenti, elidit omnem delectationem ex visu possibilem: ergo nō ex eo quòd impediatur phantasia ab apprehensione obiecti præsentis delectabilis, tollitur delectatio; sed ex eo quòd tristitia vehemens tollat efficaciam obiecti, quà delectabile est, ita vt in appetitum nequeat.

Obiectū aliquando conueniens, aliquando disconueniens.

Idem obiectū potest esse cōueniens, & disconueniēs secundùm diuersam rationem.

69 Deinde, quando duo dolores simul eundem occupant, vehementior alterum obscurat, ita vt non sentiatur, & stupeat sensus in solo vehementiori: à fortiori hoc sequitur in contrariis affectibus, vt vnus ex toto, si vehemens sit, tollat alterum. Quod probatur etiam ratione, quia aliqua potentia animæ vehementer operāte circa aliquod obiectum, reliquæ minùs perfectè operantur, imò quandoque nihil circa obiecta præsentia, quia mediante vehementi operatione potētiæ, determinatè tota virtus animæ applicatur, & distrahitur circa illam operationem, vt non valeat simul perficere aliàs functiones mediātibus cæteris, minùs autem oppositā operationē, si quæ est possibilis: hoc autem à fortiori dicendum de eadem potentia, vt operatur vehementer, & secundùm vltimum suæ inclinationis circa aliquod obiectum, minùs posse operari circa alia. Sed non minùs passio aliqua vehemens subigit appetitum, etiam rationalem; ergo quando est summa, & vehemens, reddit impeditum ad passionem contrariam, vt nullo gradu inesse possit, aut obiectum quantumlibet præsens inclinare voluntatem ad ipsam.

Vnus dolor alterū obscurat.

Distractio animæ circa alia, vt operatur vehementer circa vnum.

70 Secundò probatur cōclusio suppositis iam dictis, & oppositione tristitiæ damnatorū ad omne gaudium, non solùm ex impedimento voluntatis, & determinatione vltimata eius per talem tristitiam, sed etiam ex natura ipsarum formarum; sicut fruitio summi boni ita explet voluntatē, quia est sūmi boni, & vltimi finis in re ipsa, qui includit omnem rationē boni, ad quod inclinatur voluntas perfectiori modo, quàm inuenitur in proprio genere participatum: ita etiam delectatio per tentionem summi boni ita explet voluntatem quoad inclinationē ad omne bonum, cui adhæret in ratione commodi, & delectabilis (hoc est, ipsi æquiualet in gradu, & modo) quia est sūma possibilis voluntati in specie; eodem etiam modo per oppositum dicendum est de miseria vltima damnatorū in ratione tristitiæ, & pœnæ, quæ est summa; sed repugnat delectationē & tristitiam inesse voluntati simul de eodem obiecto: ergo repugnat similiter ex oppositione formali ipsarū, tristitiam summam, quæ æquiualet omni alteri in gradu, & modo, inesse cum vllo gaudio. Patet consequentia, quia illa tristitia eminenter in se excludit omnem tristitiam: ergo perinde opponitur omni gaudio, tam intensiuè, quàm extensiuè.

Secunda probatio ex oppositione delectationis ad tristitiam.

Tertiò, vt fides docet, par est pœna animarum damnatarum, & Dæmonum; sed in illis non apparet causa alicuius delectationis, & gaudij, neque ipsa consequenter delectatio, & gaudium etiam accidentale: ergo neque in Dæmonibus, qui ex maleficio lucrari non debent, quamuis ex certo diuinæ prouidentiæ cursu vagari in hoc aëre permittantur ad vindictam malorum, & exercitationem bonorum.

Tertia ratio. Par est pœna animarū, & Dæmonum.

Ex his patet ad fundamenta oppositæ sententiæ, quæ opponit Suarez. Scriptura intelligitur de exultatione improperationis, & denotat complacentiam, & voluntatem nocendi completam in exercitio, & effectu, non verò gaudium, quamuis aliàs notum esset hoc sequi, nisi obstaret tristitia summa: non sequitur autem illa consequentia: est sufficiens causa applicata: ergo effectus gaudij, nisi quando subiectum est indifferens ad formam, & tollitur impedimentum, quod non excedit virtutem causæ: in proposito id non contingit, vt patet ex dictis. Scriptura ergo exprimit prauam voluntatem Dæmonum completam per effectus, qui aliàs nati sunt sequi, licèt non sequantur de facto; & loquitur accommodatè ad captum nostrum: sicut etiam passiones hasce tribuit Deo, non quòd in ipso sint, sed quòd si esset capax illarum, inesse possint, quantùm est ex parte obiecti, vt operum nostrorum, in quibus placet, vel complacet. Ita etiam Dæmones ex praua voluntate completa dicuntur exultare, ad significationem eius, licèt non sequatur gaudium, & exultatio per modum passionis. 71

Soluitur fundamentū oppositæ sententiæ.

Exultatio Dæmonū est complacētia, & improperij, nō gaudij.

His non obstantibus posset reconciliari vtraque sententia, dicendo quòd nulla sit voluptas in Dæmone, quæ minuat eius tristitiam, & hanc excludi per primam sententiam. Secunda autem consentit quoad hoc, quamuis admittat ex sententia Augustini gaudium aliquod secundùm *quid*, & accidentale, non substantiale. Vel dici potest in concupiscibili nullum habere gaudium, in irascibili verò ex affectu vindictæ habere aliquod ex successu, quod tamen non lenit dolorem, qui est in concupiscibili. De vtroque affectu voluntatis videatur Doctor *in 3. d. 36.* videatur etiam de causis doloris *ibidem dist. 15. & in hoc 4. dist. 14. quæst. 2.* 72

Recōciliatur vtraque sententia.

Contra [m] *vtrumque simul*, &c. Obiicit tertiò contra vtrúmque modum: quia tristitia est ex disconuenientia vtriúsque detentionis, quia nolitā est; sed posset ex libertate sua non nolle: ergo non tristari. Prætereà æquè affligi posset, si ligaretur alteri corpori, vtroque modo: v. g. lapidi, &c. 73

Obiectio contra resoluta ex libertate Dæmonis.

Respondetur, *non esse in potestate Angeli damnati nolle, vel non nolle* (supple detentionem sui ad

Responsio.

ad ignem, vt locum, & obiectum) *sicut tangitur de continuatione mali actus, aut voluntatis prauæ in eis, cuius causa fortè est actus continuus causa superioris agentis ad aliquid vniforme in eis, propter demeritum præcedens, ad quod vniforme sequitur vniformiter afflictio earum, & propter hoc non potest aliquis remissius agere nolle, quàm modo nolit, quia sicut actus non est in potestate, ita neque intentio actus; & causa superiori vniformiter agente, nequit inferior agere difformiter*, &c.

Mouentur difficultates contra dictā solutionem. Quid sit causa obstinationis in damnatis. Hæc responsio inuoluit duas difficultates, quarum prima est de exemplo allato, nempe de causa obstinationis in peccato in Angelis, an sit necessitas ex propria voluntate; an verò determinatio causæ primæ, supposito tamen peccato, & an sit necessitas physica, & ineuitabilis, an verò electionis propriæ, & moralis, Deo subtrahente auxilia necessaria ad bonam voluntatem, & gratiam. De hac difficultate agit Doctor locis citatis in margine.

74 *Secunda difficultas.* Secunda difficultas est, quomodo nolitio illa ignis vtroque modo considerati, sit necessaria Angelo, an moraliter, an physicè?

Explicatur difficultas quoad scopū præsentis materiæ. Omisso exemplo allato de indurationis causa, siue intrinseca, siue extrinseca in locum proprium, in quo ex instituto tractatur, supponendo etiam quod est fidei, nempe Dæmonem, & damnatos esse induratos in mala voluntate, & peccato tam habituali, quàm actuali, declaratur responsio quoad id, quod ex instituto differitur de nolitione illa, ex qua oritur proximè tristitia. *Notabile.* Aduertendum itaque, sicut intentio finis necessariò infert electionem medij, quod vnicum tantùm est in re ipsa, & cognitione intendentis finem, ita etiam amorem vehementem, *Amor vehemens necessariò infert fugam contrarij.* & efficacem vnius obiecti inferre nolitionem alterius contrarij, & odium positiuum, si in re ipsa practicè applicetur in ratione motiui vehementis sollicitantis voluntatem. *Ratio.* Ratio huius est, quia voluntas inhærens intensè per amorem vltimatè determinatur ad finem, quantùm determinabilis est ex virtute propria, quæ eius determinatio positiua, & vltimata per volitionem finis etiam trahit secum fugam contrarij vltimatè: hæc autem consistit in positiuo actu, quia licèt in alia dispositione voluntas posset habere fugam contrarij, per suspensionem actus, idque ex motiuo finis, cui virtualiter, aut habitualiter adhæret; *Hæc necessitas est determinationis formalis.* tamen quando est in vltimata determinatione circa finem intentum, & intensè quoad omnes vires, specificationem, & exercitium, nequit in eo gradu determinato non necessitari formaliter ex vi talis prosecutionis ad fugam, vt in re ipsa applicatur, & distrahit à prosecutione finis: hæc ergo fuga est nolitio positiua contrarij, quod apprehenditur applicatum, & vt distrahens voluntatem à fine, in quo vltimatè quiescit per determinationem contrariam, & vltimam sui: vltimam dico, id est, plenam, & quantum potest voluntas se applicare, vel adhærere per conatum, tunc enim necessitatur ad tollendum, & remouendum contrarium quantum potest, & consequenter per positiuam repugnantiam, & non solùm per suspensionem actus prosequentis contrarium: *Quomodo intensio necessitat ad electionē medij necessarij.* nam sicut intensio efficax necessitat ad electionem modo dicto, quia per eam, vt quidam volunt, ipsa voluntas est determinata virtualiter ad electionem medij, vel vt ego existimo formaliter, licèt medium respiciat materialiter, quia intentio est finis explicitè vt in re ponendi, quæ nequit abstrahere à medio necessario, & cognito, & ex vi talis determinationis formalis sequitur electio ipsa medij, & applicatio, & remotio impedimentorum; ita etiam quando voluntas adhæret intensè obiecto per vltimatam sui determinationem necessitatur ad odium contrarij, si applicatur practicè, id est, vt distrahens voluntatem, & vt opponitur obiecto, cui adhæret; vnde aliqui dicunt ipsam volitionem explicatam obiecti esse nolitionem explicitam contrarij, saltem est virtualis nolitio eius, & ex sua ratione necessitans voluntatem ad nolitionem contrarij, si applicetur practicè, & vt mouens vehementer.

75 *Applicatio prædictorum. Volūtas Dæmonis determinatur ad se amandum inordinatè.* Ad propositum, voluntas Dæmonis à Deo derelicta, complacens in se ipsa per superbiam, obstinata in peccato, & sequens inordinatè, & toto affectu commodum; & enitens contra Deum per superbiam, & inuidiam est hoc modo determinata per amorem sui, & commodi, & consequenter necessitatur ex vi talis determinationis, etiam physicè in ea dispositione posita, vt positiuè repugnet iustitiæ diuinæ ordinanti peccatum per condignam pœnam, & liganti tam potentiam loco motiuam, quàm intellectiuam perpetuò ad ignem, quibus perfectè apprehensis, vt in re positis, *Necessitatur physicè ad fugam pœnæ contrariæ.* necessitatur ad nolitionem æquè intensam ignis, quàm sit complacentia eius in commodo, & peccato, & consequenter etiam tristatur. Vnde Bernardus *suprà* citatus; *Quid*, inquit, *tam pœnale, quàm semper velle quod nunquam erit, & semper nolle quod nunquam non erit*, &c. *Bernard.* Quæ locutio est causalis, quia velle quod nunquam erit, est causa tristitiæ boni subtracti, & nolle quod nunquam non erit, est causa tristitiæ de malo applicato. *Quomodo Deus vniformiter agit ad tristitiam, & nolitionem eius.* Quod autem asserit Doctor reducens hanc determinationem in Deum, vniformiter agentem, verum est, quia & vniformiter agit per concursum necessarium creaturæ ad vsum libertatis, & vniformiter agit permissiuè ad illam dispositionem voluntatis peruersæ in Dæmone, & vniformiter etiam cum derelinquit in sua cæcitate, & obstinatione, & positiuè ex suppositione peccati agit ad ligationem perpetuam eius, etiam ad præmissam, & non intermissam apprehensionem eius, qua posita, ex communi, nolitio ignis est necessaria, quod verum est, saltem ex suppositione prauæ voluntatis, & semper continuatæ. Ex quibus responsio præmissa patet.

76 *Obiectio ex pœna animarum in Purgatorio.* Obiicies, tamen animæ Purgatorij non habent prauam voluntatem, & sunt conformes diuinæ dispositioni, & voluntati: ergo detentio earum in purgatorio igne non potest esse causa tam grauis pœnæ, quàm describunt Patres esse illam Purgatorij. Probatur consequentia, quia Michaël, aut Angelus beatus, sic detentus non haberet dolorem de igne, ob similem conformitatem eius cum diuina voluntate, & vt admittit ipse Doctor detentio illa ex natura rei non causat pœnam physicè: ergo nullam in prædictis animabus, stante fundamento præmisso.

Responsio. Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam, quamuis enim in sanctis

Causa tristitiæ in animabus Purgatorij. animabus non inueniatur praua voluntas, sed perfecta conformitas ad dispositionem Dei; tamen in eis inuenitur sufficiens causa tristitiæ, & nolitionis pœnæ patienter toleratæ. Primò est in eis pœna damni suo modo, scilicet temporalis, & ardens desiderium hæreditatis, ex cuius dilatione tristantur. Inuenitur prætereà amor perfectus Dei, & odium vitæ præteritæ, & peccatorum commissorum in offensam Dei: odium prætereà pœnæ, non quà à Deo iustè infertur, sed quà debetur ex peccatis, eámque meruerint; nolitio autem pœnæ ex hoc motiuo est efficax, & sufficiens causa pœnæ, licèt ordinata sit ex affectu in diuinam iustitiam, cui se subiiciunt tolerando patienter pœnam. Est prætereà apprehensio illa ignis temporalis applicati. *Exemplum de filio & seruo incarceratis.* Vnde ligatio, & carcer ob delictum, sicut aliter est causa tristitiæ in filio, quia offendit patrem; aliter verò in seruo, quia affectat commodum, in vtroque tamen est efficax causa tristitiæ, licèt ex diuerso motiuo, ita in proposito contingit.

77 Ad probationem consequentiæ respondetur, in Beato nullam causaret tristitiam ligatio ad ignem, per modum detinentis in loco; quia neque physicè, neque moraliter eidem esset disconueniens, quia non posset esse in pœnam. Quòd si *Repugnat pœna Beato pro statu præsenti beatitudinis.* esset in pœnam, dico tunc posse causare tristitiam aliquam compatibilem cum suo statu, aliàs non posset esse pœna iuxta omnium sententiam, nisi esset causa alicuius tristitiæ in effectu, sine qua nequit esse pœna in Beato: esset ergo in eo tristitia, & non esset. Primùm quidem esset, quia esset pœna, quæ sine tristitia saluari nequit in spiritu: non esset, quia repugnaret beatitudini, vt nunc se habet, & summæ delectationi consequenti. Aliud est de animabus Purgatorij, quæ nondum peruenerunt ad beatitudinem. *Retorquetur argumentum in alios.* Hoc argumentum vrgeri potest in quacunque sententia, etiam eorum qui dicunt qualitatem aliquam, quæ sit deformitas, ab igne produci, quæ nequit saluari in animabus sanctis, si repugnaret gratiæ. Neque etiam in Beato, dato ergo quòd Deus ligaret sic Beatum igni, coeperando ad eiusmodi effectum, quid diceretur nisi quod iam responsum est?

Ad aliam partem obiectionis tertiæ responsum est *suprà*, & perinde vrget omnium sententiam: 78 quia mediante illo corpore, cui alligaretur Angelus, Deus posset etiam qualitatem deformitatis instrumentaliter producere, vel aliam, quæcunque ponatur fieri per eleuationem instrumenti.

Obiicies vlteriùs nondum Dæmones pati alligationem ad ignem, quia quicquid sit, an aliqui sint in Inferno, saltem plures sunt in aëre caliginoso præsenti, vt patet ex Patribus, & experientia, ex fine diuinæ prouidentiæ habentes libertatem, inquantùm Deus permittit, nocendi hominibus, & tentandi. *Obiectio. Ex eo quòd Dæmones nòdum sunt alligati igne.* Hanc rationem sicut & præcedentem vrget Suarez adducens illud Luc. 8. de legione Dæmonum rogante Christum ne in abyssum mitterentur, id est, Infernum, quo timebant mitti, & huc etiam spectant illa Matth. 8. *Venisti huc ante tempus torquere nos*, &c.

Responsio. Respondetur in omni sententia hoc argumentum vrgere: quia siue physica actione, siue intentionali agat ignis in Dæmonem ad pœnam *In omni sententia obiectio nõ tenet.* sensus, agit vt applicatus, & adhærens: neque aliter de eo loquitur Scriptura, aut Patres, certúmque est eum subesse pœnæ damni, & sensus substantiali, quamuis nondum aliqui receperint pœnam vltimæ incarcerationis in Inferno ex causis supradictis, & dispositis à diuina prouidentia. *Solutio eius.* Aliqui ergo dicunt eos circumferre etiam ignem pœnantem: alij respondent apprehensionem eius tam vehementem iis inesse, ac si esset præsens in euentu; quia in causis suis est præsens, & in determinatione diuina, quod sufficit ad legationem ex parte intellectus sic apprehendentis, & nolitionem eius pœnalem modo dicto. Quòd autem abhorreant Infernum, ex odio ademptæ libertatis nocendi hominibus contingere potest, & vagandi per mundum, quod non tollit quin vno, vel altero modo crucientur per ignem.

SCHOLIVM.

Ad primum explicat benè illud, agens est præstantius passo, *intelligi de agente æquiuoco, vel saltem non intelligi de instrumentali, vel partiali. Ad secundum, non requiri contactum mathematicum, sed virtualem, vt corpus agat, nec requiri indistantiam agentis ad passum. De quo* 1.*d*.37.*&* 2.*d*.9.*q*.2.*num*.16. *Ad tertium explicat quomodo corpus agens in spiritum possit dici assimilare sibi passum.*

17 *Ad arg.* 1. n AD argumenta. Ad primum, illa propositio Augustini pendet ex ista, quòd agens est præstantius termino formali actionis, & terminus formalis actionis est præstantior suo receptiuo.

Agens est præstãtius passo. Explicatur. Secunda autem istarum non est vera, nisi inquantùm hoc est actus, & illud potentia, & sic concedendum est agens, inquantùm in actu formali, vel virtuali, esse præstantius passo, inquantùm est in potentia ad illud. Vnde illa propositio, *agens est præstantius passo*, vera est quantùm ad hoc, quòd patiens recipit ab agente: & quantùm ad hoc non potest se facere in actu per se, sicut secundùm id fit in actu per agens, sed ex hoc non sequitur quòd sit præstantius absolutè natura illius, quod est susceptiuum: sicut nec de termino formali respectu eiusdem.

Sed quia Augustinus intendit concludere per illud argumentum, quòd corpus non agit in spiritum, potest dici quòd maior sua est vera de agente æquiuoco, & totali, seu principali: aliter non, & sic conclusio est vera: & concessum est quòd ignis non est agens principale in spiritum, siue in illa detentione, quia in illa non agit, sed

sed formaliter definitiuè continet: siue in immutatione, quia ibi non agit; nisi vt instrumentum Dei, sicut phantasma se habet ad intellectum agentem. In causando autem tristitiam hoc modo, vel illo, non est principale agens: sed ipsa voluntas nolens illud obiectum, magis enim ex hoc; quòd obiectum est nolitum, sequitur tristitia quàm ex ratione obiecti in se, vel ipsa apprehensio euentus obiecti noliti: quia obiectum non tantùm nolitum, sed vt nolitum apprehensum esse, vel fore contristat. *Magis sequitur tristitia ex nolitione obiecti mali, quā ex ipso obiecto.*

Ad aliud ° Augustini, potest exponi ibi de his, quibus spiritus afficiuntur immediatè, quia illa sunt similia corporibus, quia passiones aliquo modo causatæ à corporibus; non autem de illis quibus afficiuntur spiritus mediatè, quia ista sunt corporalia, vel quod idem est, exponatur de afficiente formaliter, non effectiuè. *Ad 2.*

P Ad aliud, hoc vniuersaliter est verum, quòd oportet agens esse præsens patienti, saltem secundùm virtutem actiuam, & ex hoc sequitur, vbi præsentia proportionata non potest haberi, nisi per contactum, requiritur contactus: vbi autem verior potest haberi, illa multò magis sufficit ad actionem: sed multò verior potest esse præsentia spiritus ad corpus per coëxistentiam, quàm sit illa per contactum. *Ad 3.*

Aliter potest dici, quòd requiritur contactus virtualis; non mathematicus: contactus autem virtualis est, quòd aliquid in isto possit esse terminus virtutis in illo: quod nihil est aliud, quàm illud habere virtutem causatiuam alicuius in illo, & isto modo Deus, si non esset citra orbem Lunæ, præsens esset centro terræ, sicut dictum est *in lib. 1. dist. 37.* *Quid sit contactus virtualis. Idem in 1. dist. 37. & in 2. d. 9.*

q Ad aliud, potest dici quòd causa æquiuoca æquiuocè assimilat secundùm aliquid, quod habet in se, non formaliter, sed virtualiter, & hoc modo obiectum, quod est nolibile habet in se tristitiam, & secundùm illam assimilat. Alio modo potest dici quòd illa propositio est vera de agente principali non instrumentali: Deus autem est hic agens principale, & sibi assimilat passum, quia intelligit, & vult afflictionem illius, & secundùm hoc intellectum, & volitum, assimilat sibi passum. *Ad 4. Agens assimilat sibi passum. Explicatur.*

COMMENTARIVS.

79 *Ad primum. Quòd corpus non agit in spiritum.*

n AD *argumenta. Ad primum*, &c. Hoc argumentum desumptum est ex Augustino *lib. 12. super Genes. ad lit. cap. 29.* vis eius in hoc consistit, quòd corpus non est præstantius spiritu: ergo nullum corpus agit in spiritum.

Responsio. Ratio præmissi. Respondet illam propositionem, seu consequentiam Augustini fundari in eo, quòd agens sit perfectius termino formali actionis, & terminus ipse formalis præstantior suo receptiuo. Explicat secundam propositionem de excessu termini formalis super suo receptiuo, nempe excessum prouenire ex differentia actus & potentiæ, quia hæc imperfectionem includit potentiæ passiuæ, quæ se nequit reducere ad actum; actus verò actualitatem, & *esse*, per quod potentia fit sub perfectione, & completa, quæ aliàs fuit sub negatione perfectionis, & consequenter alicuius *esse*, ad quod ordinatur ex sua inclinatione. Concedendum ergò est quòd agens sub hac limitatione; vt est in actu formali per suam formam productiuam, si est vniuocum, vel in actu virtuali, est præstantius passo, vt hoc consideratur non absolutè, sed limitatè, inquantùm passum est, & in potentia merè passiua, modo iam priùs expresso: nam potentia passiua; inquantùm passiua, est semper sub negatione alicuius, & *esse* conuenientis, nempe formæ, & sic dicit illam negationem actus, quem in sua virtute includit agens, & secundùm quem est in actu, & non in potentia. Propositio ergò Augustini intelligenda est de agente æquiuoco, & totali, seu principali, quia neutro modo agit corpus in spiritum, quia non vt vniuocum; quia aliàs sequeretur spiritum recipere formam materialem, quà materialis est in *esse*: non vt agens etiam totale æquiuocum, quia sic sequeretur excessus perfectionis in *esse*, & virtute corporis supra spiritum: quia vt plurimùm agens totale æquiuocum est perfectius suo passo: quod magis in proposito declaratur: quia si ignis sua efficacia naturali detineret spiritum, sequeretur defectus in potentia naturali motiua eius, quam ignis sua efficacia ligaret. Si autem ignis subderet intellectum eius quoad actum tanquam causa totalis eius, sequeretur in sua perfectione aliàs naturali, dependere ab igne tanquam causa totali concomitante illam, quod est idem inconueniens. Neutrum autem horum sequitur ex præmissis conclusionibus: quia ignis formaliter tantùm detinet, & non effectiuè: & ignis vt obiectum minùs principaliter agit ad intellectionem sui, neque ex virtute etiam sua necessitat intellectum Angeli ad perpetuam sui considerationem, sed virtute diuina specialiter applicata. Ratio Augustini intelligitur in priori sensu, non in secundo: quia & ipse admittit concursum obiecti requiri ad memoriam, & intelligentiam, & communiter admittitur saltem phantasma agere in intellectum, ad productionem speciei intelligibilis, vt minùs tamen principale.

Prouenit ex natura potentiæ, & actus. Agens perfectius passo inquantum est passum. Intelligitur Augustinus de agente æquiuoco, & totali, seu principali.

80 *Ad secundũ. Soluitur & explicatur August.*

o *Ad aliud Augustini*, &c. Negat *ibidem* Augustinus esse corporalia, sed corporalibus similia, quibus animæ exutæ afficiuntur. Respondet Doctor intelligi de iis, quibus immediatè afficiuntur, id est, quæ insunt animæ separatæ; vt species, & cognitiones corporalium, non verò de iis, quæ immediatè, & extrinsecùs se habent, vt ignis, qui detinet spiritus.

81 *Ad tertium.*

p *Ad aliud*, &c. Hoc est tertium, quod obiicit ex Philosopho. Primò, quòd corpus non agit nisi per contactum. Deinde, quòd agens, & patiens oportet esse simul, nullo interueniente medio; neutrum horum competit corpori respectu

Responsio. ſpectu ſpiritus: ergo, &c. Reſpondet habere contactum coëxiſtentiæ eo modo, quo Angelus coëxiſtit loco. Deinde, non requiri contactum mathematicum inter agens & patiens, id eſt, ille contactus, per quem vltima contingentium ſe ſunt contigua, & ſimul ſecundùm locum; ſed ſufficere contactum virtutis, id eſt, paſſum eſſe intra ſphæram agentis, & ab eo poſſe moueri, quibus inſinuat dari actionem in diſtans, quod aliàs ex profeſſo tractauit.

q *Ad aliud*, &c. Hoc eſt quartum argumentum ex fine naturæ, & agentis, qui eſt aſſimilare ſibi paſſum. *Ad quartũ.*

Reſpondet agens etiam æquiuocum aſſimilare ſibi paſſum in virtute, & ſic ignis aſſimilat ſibi intellectum Angeli. *Reſponſio.*



QVÆSTIO III.

Vtrùm homines damnati poſt iudicium cruciabuntur illo igne infernali?

D. Thom. *in addit. quæſt.* 97. *art.* 2. D. Bonau. *hìc art.* 3. *quæſt.* 1. Richard. *art.* 2. *quæſt.* 6. 7. Argent. *quæſt.* 1. *art.* 3. Durand. *quæſt.* 10. Gerſon. *ſerm. de omnibus Sanctis.* Soto *diſt.* 50. *quæſt.* 44. Abulenſ. *in Matt.* 25. *quæſt.* 640. Henriq. *lib. vlt. cap.* 25. Coccius latè *lib.* 10. *art.* 8. Bellarm. *lib.* 7. *de Purg. à cap.* 10.

1 *Arg.* 1. *Cap.* 9.  ECVNDÒ quæro [a], Vtrùm homines damnati poſt iudicium cruciabuntur illo igne infernali? Quòd non, 6. Topicorum: *Omnis paſſio facta magis abijcit à ſubſtantia:* ergo ſi continuè cruciarentur ab illo igne, magis ac magis deperderetur eorum ſubſtantia, & per conſequens tandem omnino conſumerentur, quod eſt contra illud Iob 20. *Luet omnia quæcunque ipſe fecit, nec tamen conſumetur*, & contra illud Apocal. *Deſiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.* *Cap.* 9.

Arg. 2. Præterea, aut patientur ab illo igne realiter immutante, aut tantùm intentionaliter: non realiter, propter duo: primò, quia ceſſante primo motu reali, non videtur aliquis motus realis poſſibilis, cùm poſterior dependeat à priori; ſed poſt iudicium ceſſabit primus motus, ergo. Secundò, quia tunc realiter corrumperetur corpus illud: quia vnum contrarium eſt realiter corruptiuum alterius, ſed ſi tantùm erit intentionalis, non erit afflictiuus, quia illa paſſione pateretur ſenſus Beati ibi præſentis ab igne: ergo nulla paſſione patientur.

Rat. opp. Oppoſitum Matth. 25. Iudex dicit hominibus damnandis: *Ite maledicti in ignem æternum.*

COMMENTARIVS.

1 *Ordo & diuiſio quæſt.* [a] SEcundò quæro, &c. Hæc quæſtio eſt in ordine tertia; tamen quia ſpectat ad pœnam damnatorum hominum ſecundùm corpus poſt iudicium, dicitur ſecunda in ordine ad priorem, in qua tractauit de pœna ſpirituum. Continet tres partes, quaſi articulos. Primus exponit vtramque immutationem poſſibilem fieri in corpus tam realem, quàm intentionalem, & vtramque poſſe ſeparari reſpectiuè ad diuerſa. Secundus articulus determinat ſolam intentionalem ſufficere ad pœnam corporalem, ſine reali immutatione. Tertius verò incertum ſtatuit, quid in re ipſa contingat: An ſcilicet non ſolùm intentionaliter, ſed etiam realiter ignis agat in corpora damnatorum.

SCHOLIVM.

Hæc littera habet aliquot dicta. Primum, Poſſibile eſt poſt iudicium ignem agere realiter & intentionaliter in humana corpora. *Secundum*, Poteſt altera harum actionum eſſe ſine altera, & de facto eſt. *Tertium*, Sola intentionalis eſt dolorifica, ſola realis non. *Quartum*, Dolor eſt paſſio cauſata in appetitu ab obiecto diſconuenientis ſenſatò. *De quo* 3. *diſt.* 15. *quod de facto ignis cruciabit homines damnandos, quocumque modo id fiat, habetur ex Matth.* 25. *Luc.* 16. *Apoc.* 20. *Marc.* 9. *fin. & docent Patres omnes, Cypr. l. ad Demetrianum. Lact. lib,* 7. *diuin. inſtit. cap* 21. *Hieron. in* 30. *Iſa. Auguſt. ſerm.* 181. *de tempore, &* 21. *Ciuit.* 2. *Gregor.* 9. *mor.* 46 *aliàs* 38. *Coccius ſuprà citat multos alios Græcos & Latinos.*

2 [b] AD quæſtionem, patet quòd ignis præſens corruptibili animato anima ſenſitiua, poteſt habere in illud duplicem actionem, ſcilicet realem, quæ eſt vniuoca, & intentionalem, quæ reſpectu illius eſt æquiuoca: quia ſpecies ſenſibilis non

non simpliciter est eiusdem speciei cum ipso obiecto. Ad propositum ergo dico, quòd post iudicium cùm corpus hominis sit per se corruptibile, ignis præsens poterit habere in illo vtramque actionem; quia non repugnant: & est ibi tam susceptiuum, quàm causa actiua vtriusque: nisi dicas realem tunc impediri propter defectum motus cæli, sed de hoc *dist.* 48. Potest etiam tunc vna esse sine alia, loquendo de possibili absolutè, quia neutra dependet essentialiter ab altera. Vnde & modò sunt separabiles, si aliquid sit susceptiuum formæ realiter, & non intentionaliter, & aliud è conuerso; sed tunc non poterit vna non inesse, nisi propter aliquod impedimentum, & hoc, vel quia Deus non coagit igni ad illam actionem; vel quia aliquod agens creatum impedit vnam actionem, & non aliam.

c Secundò dico, quòd sola intentionalis sufficit ad causandum dolorem: sola autem realis sine intentionali non sufficeret ad hoc. Secunda pars est manifesta, quia licèt lignum calefiat quantumcumque excessiuè, tamen non dolet. Prima probatur, quia excellens sensibile, vt excellens sensibile, natum est inferre dolorem: quia est disconueniens inquantùm tale: & tamen inquantùm excellens sensibile non immutat, nisi intentionaliter. Licèt enim alia immutatio realis concomitetur, qua dissoluitur organum à media proportione, in qua consistit: tamen si sine illa actione esset obiectum disconueniens sensatum, sequeretur dolor. 3 *Vide Henr. quodlib.* 2. *q.* 8. *&* 9.

Hoc etiam probatur, quia aliquando vbi est modica, vel nulla immutatio realis, est magnus dolor propter immutationem intentionalem: sicut si manus fuerit excessiuè frigefacta ex contactu niuis, vel glaciei; si statim approximetur igni, est ibi vehemens dolor ab illo obiecto immutante: & tamen modica, vel nulla actio realis à calido in manu propter excellentiam contrarij, scilicet frigoris in ipso passo.

Modus autem est iste: dolor sicut & delectatio sensitiua, est passio causata in appetitu sensitiuo ab obiecto apprehenso per sensum: sicut ergo aliquod obiectum inquantùm obiectum, hoc est intentionaliter motiuum, est conueniens: ita causat posita sensatione delectationem in appetitu sensitiuo. Vnde non est facile in omni delectatione, sáltem visus & auditus, fingere immutationem aliquam realem ad salutem ipsius suppositi. Eodem modo licèt immutationem intentionalem obiecti disconuenientis concomitetur alia immutatio realis disconueniens naturæ (quod fortè non est verum in visu, & auditu) sequitur dolor causatus ab illo obiecto sensato, vt sensato in appetitu sensitiuo. *Dolor & delectatio sunt passiones, & quomodo causantur. Sco.* 3. *d.* 15.

COMMENTARIVS.

2 *Suppositum commune.* b AD *quæstionem patet*, &c. In hac quæstione supponitur veritas fidei, nempe ignem inferni agere ad cruciatum carnis damnatorum hominum, quæ patet ex Scriptura sæpiùs allegata. Est communis Patrum & Doctorum, quos omnes abundè citat Coccius *lib.* 10. *de quatuor nouissimis, art.* 8. patet ex locis citatis in scholio.

Hoc supposito dicit quòd ignis præsens corruptibili animato possit habere tam realem actionem, quæ est vniuoca, producendo sibi simile. v.g. calorem realem, & etiam agere ad immutationem sensus per actionem intentionalem: statuit conclusionem hanc.

Vtraque actio potest cõpetere igni in corpore dãnati. *Ad propositum ergo dico, cùm corpus hominis sit per se corruptibile post iudicium, ignis præsens potest habere in illo vtramque actionem*, &c. Intelligit corpus corruptibile non secundùm resolutionem in materiam, & separationem formæ: sed corruptibile quoad passionem, & subiectum agenti naturali, in quo differt à corpore glorioso; quod habet dotem impassibilitatis hoc modo. Probat conclusionem, quia vtraque actio non repugnat, & passiuum est susceptiuum termini vtriusque; ergo, &c. Insinuat quandam responsionem ex dependentia motuum agentium inferiorum ad motum cœli, qui post iudicium cessabit. Hanc examinandam remittit *in d.* 48. *inferiùs*. *Probatio ex potẽtia actiua, & passiua applicatis.*

Dices corpus illud esse incorruptibile, ergo incapax actionis realis corrumpentis. *Responsio.*

Contrà. Saltem erit capax actionis in eo gradu in quo non est corruptiua; quia nullum est impedimentum ex parte corporis, quod incorruptibile tantùm est ex actione agentis extrinseci conseruantis animam in corpore, & eius vnionem; non verò ex aliquâ positiua forma per quã redderetur corpus incapax termini actionis. *Impugnatio.*

c *Secundò dico quòd sola intentionalis sufficit ad causandum dolorem*, &c. Hæc est secunda conclusio huius articuli. Probatur, quia sensibile excellens natum est inferre dolorem sensui, quia sensibile comparatur ad sensum vt conueniens, vel disconueniens ex natura obiecti, & inclinatione ipsa, & temperamento mediæ proportionis in sensu: ex conuenienti autem, & disconuenienti nata est sequi tristitia, aut delectatio: sed sensibile excellens agit vt obiectum, & solùm intentionaliter: ergo vt agit hoc modo infert dolorem. Aliqui negant sensibile causare dolorem, nisi vt actione reali agit ad immutationem organi realem, corrumpendo eius mixtionem. *Secunda conclusio. Probatio cõclusionis. Sensibile excedens natũ est inferre dolorem sensui. Responsio.*

Contrà Doctor, *licèt*, inquit, *alia immutatio realis concomitetur, qua dissoluitur organum à media proportione, in qua consistit: tamen si sine illa actione esset obiectum disconueniens, sequeretur dolor.* Probat experientia eorum, qui manum ex glacie rigentem admouent igni, sentiunt dolorem vehementem, quamuis modica sit actio ignis in eo casu, ob resistentiam contrarij. *Impugnatio. Actio realis a'iquãdo cõcomitatur intentionalẽ lædentem.*

Probat à contrario, quia delectatio causatur ab obiecto inconueniente mediante visu, & auditu; quamuis obiectum non agat realiter aliquam formam, quæ sit ad conseruationem suppositi, neque in ea distantia potest agere, vt si sit remotum: ergo similiter obiectum aliquod disconueniens appetitui per solam actionem intentionalem causabit dolorem, quamuis nulla alia actio naturalis eius sequatur; vel si hæc concomitetur intantùm est dolorifica, inquantùm percipitur ab aliqua potentia cognitiua, & nō aliter.

4 *Confirm. A simili in voluntate.* Confirmatur, in voluntate aliquod obiectum causat tristitiam, quod non agit actione reali, sed intentionali, vt per se notum est, & patet ex superioribus: ergo etiam idem dicendum est quoad appetitum. Patet consequentia: quia vniformiter se habent quoad hæc. Deinde, aliquando voluptas sequitur in appetitu, quando alioquin concomitatur actio realis obiecti agentis ad aliquam destructionem naturalis qualitatis in viuente, & salutis, & è contra dolor in appetitu, quando concomitatur actio realis inferens salutem supposito: ergo vniuersaliter dolor obiecto sensibili causatur, quà intentionaliter agit, & non quà realis actio concomitatur. Et patet, quia vt habet proportionem motiui ad potentiam, natum est causare delectationem, aut contrariam, quia per modum obiecti apprehensi, non ita se habet vt infert actionem realem, sed per modum agentis: ergo, &c. *Aliquādo est voluptas ex appetitu licèt comitetur actio comitās læsiua realis.*

SCHOLIVM.

Probabilius esse post iudicium ignem tantùm intentionaliter agere in corpora damnata, quia plura ponerentur miracula, si etiam realiter ageret in ea. Præterea Scriptura docet damnatos à contrariis pati, quod non stat si realiter patiantur.

4 *Post iudicium ignis aget tantū intentionaliter in dānatorū corpora.* d TErtiò dico, quòd probabilius videtur post iudicium ponere solam immutationem intentionalem: quia etsi possit vtraque tunc poni, ex primo articulo: tamen realis non faceret aliquem dolorem sine intentionali, nec etiam cum intentionali: sed sola immutatio intentionalis faceret dolorem: ergo cùm pluralitas non sit ponenda sine necessitate, & non ponitur ibi passio ignis, nisi propter afflictionem illorum ab igne, sufficit ponere solam intentionalem, ita quòd alia posita videtur superfluere, quia nihil faceret ad hunc finem.

Miracula non sunt multiplicāda sine necessitate. Præthereà, congruum est ponere circa damnatos, ita pauca miracula, sicut possibile est, cùm non sit verisimile quòd Deus velit circa eos tunc multiplicare miracula vltra illud, quod requiritur ad punitionem eorum iustam: sed ponendo actionem realem, & cum hoc (vt necesse est) intentionalem, videtur quòd oportet ponere circa eos plura miracula quàm ponendo solam intentionalem: ergo, &c. Probo minorem, licèt quæcunque via habeat ponere quòd tunc non corrumpuntur à causa intrinseca: & hoc, vel per conseruationem diuinam miraculosam, vel non miraculosam, sed iustam, quia correspondentem statui finali, in quo iam illi sunt: tamen si ponatur actio realis, ibi est aliqua causa corruptiua extrinseca; & miraculum videtur, si illud non corrumpit, cum causa, quæ potest inducere aliquid incompossibile alicui, possit ipsum corrumpere: ille autem ignis potest inducere calorem omnino incompossibilem qualitati mixti requisitæ ad vitam. Si ergo illum non inducat in summo, & tamen agat realiter, miraculum est: sicut fuit in camino, vbi ignis non habuit omnem actionem, quam ex natura sua habere potuisset. Si iterum inducat calorem in illo gradu, miraculum est quòd ille gradus stat cum vita.

5 Si dicas, eodem modo ex alia parte oportet ponere miraculum, ne corrumpatur ab extrinseco: nam naturaliter immutatio illa intentionalis excessiua causat dolorem excessiuum; vnde & dolor excessiuus occidit, sicut apparet de Antiocho 1. *Machab.* quinimò etiam timor excellens, de quo minùs videtur, quandoque est causa mortis: Respondeo, nullus dolor simpliciter repugnat qualitati mixti simpliciter requisitæ ad vitam: quod patet satis, quia intentio causatiua doloris magis videretur repugnare: sed illa non repugnat, sicut nec vnum contrarium in esse reali, & aliud in esse intentionali. *1. Mach. 6. Cōtraria in esse reali, & intentionali non repugnant.*

Apparet etiam per August. 21. Ciuit. cap. 3. *Non ideò mori poterunt illa corpora, quia dolebunt.* Et subdit: *Cur corpora quæ animabus dolorem possunt inferre, mortem verò inferre non possunt, nisi quia non est consequens, vt mortem faciat, quod dolorem facit?* Non est ergo necessarium futuræ mortis argumentum dolor: & ratio sua paulò antè posita, stat in hoc: animæ est dolere, non corporis, etiam quando ei dolendi causa est à corpore: si ergo à *dolere* argumentum sumeretur ad mortem, magis ad animam pertinet mori, ad quam magis pertinet dolere. Adhuc ante illud innuit rationem aliam quasi talem: *Cuius rationis est dolorem facere mortis argumentum, cùm vitæ potiùs sit indicium: certum est enim viuere omne quod dolet:* quasi arguit, si dolere necessariò infert viuere, non necessariò infert mori.

Dico

Dico tamen quòd quandoque, imò hîc, vt in pluribus ad dolorem excessiuum sequitur mors: quia sequitur improportio illius qualitatis naturalis requisitæ ad vitam, & modum ponere, requireret declarare quomodo virtus phantastica & appetitus possunt habere actionem in qualitates naturales: sed quomodocunque hoc sit, non est ibi formalis repugnantia cuiuscunque sensationis, vel doloris ad quemcunque gradum qualitatis naturalis requisitæ ad vitam: ergo non erit tantum miraculum dolorem quemcunque esse sine morte, sicut qualitatem realem simpliciter contrariam qualitati mixti esse cum vita: ibi enim esset quasi repugnantia formalis inter qualitatem inductam à contrario, & qualitatem requisitam ad vitam: vel si secunda non opponeretur, esset miraculum vitam esse sine illa qualitate mixta. Sed hîc non requiritur aliquod miraculum, nisi quòd dolor suspendatur ab effectu suo, vt in pluribus, scilicet ne ad ipsam sequatur distemperatio mixtionis repugnans vitæ: ipsum autem quoad talem effectum suspendi, non oportet ponere nouum miraculum; sed reduci ad idem, ad quod reducitur suspensio actionis contrariorum ad intrà, ne corrumpant, videlicet vt propter statum finalem, ad quem reducti sunt, Deus suspendat causas ab effectibus, vt in pluribus, qui si sequerentur, destrueretur illud compositum. 6

Minus miraculum est viuere cum excessiuo dolore, quã cum qualitate contraria qualitati viuentis.

Prætereà tertiò Scriptura videtur dicere eundem damnatum pati à contrariis, iuxta illud Iob: *Ab aquis niuium transibunt ad calorem nimium.* *Cap. 24.*

Et licèt saluaretur iuxta illam superficiem literæ, alternatio in istis afflictionibus: tamen non posset probabiliter saluari, quòd simul pateretur in summo, & realiter à contrariis. Potest autem saluari quòd simul patiatur, & in summo intentionaliter ab eis: quia species contrariorum etiam in summo non sunt contrariæ: ergo illa via de intentionali, sine reali immutatione, potest plura saluare pertinentia ad eorum afflictionem, quàm alia.

Potest aliquid pati intentionaliter, & in summo à contrariis.

COMMENTARIVS.

5 *Tertia cõclusio.*

Probabilius esse per solam intentionalẽ ignem agere in corpus dãnati.

d Tertiò dico, &c. Statuit tertiam conclusionem, nempe probabilius esse per actionem intentionalem solam, ignem post iudicium punire corpora damnatorum. Hanc conclusionem tenet D. Thom. *lib.* 4. *contra Gen. c.* 89. vbi Ferrariensis, *& quodlibeto* 8. *quæst.* 8. *art.* 18. *ad* 1. Sotus *dist.* 50. *quæst. vn. art.* 3.

Probatio. Tollenda est superfluitas. Pœna carnis habetur per solam intentionalem.

Probatur à Doctore, quia tollenda est superfluitas cùm finis per necessaria attingi commodè possit: sed omnis afflictio carnis, aut ex carne solùm habetur per intentionalem actionem, quia afflictio quæ oritur ex actione reali, non percipitur nisi per actionem intentionalem, inquantùm mouet aliquem sensum per modum obiecti: ergo potest stare talis dolor sine reali immutatione sensus, cum sola intentionali.

Non esse multiplicanda miracula sine necessitate.

Secundò probat, quia miracula non sunt multiplicanda sine necessitate; sed si pœna ignis esset per actionem realem, ita multiplicarentur: quia vel essent simul contrariæ formæ, quod videtur implicare; vel certè maneret forma vnita subiecto, sine qualitate naturali requisita ad vitam conseruandam, vel certè ignis agendo in summo, nihil induceret repugnans qualitati mixti, quod perinde repugnat, & tollit dolorem per immutationem realem carnis.

6 *Obiectio.*

Dices etiam miraculum admitti, si sola intentionalis statuatur: quia vehemens dolor inducit in hac vita mortem.

Responsio.

Respondet quòd nullus dolor per se repugnat qualitati mixti formaliter contrariæ, quia sic non opponitur forma intentionalis, & realis. Quod probat etiam ex Augustino in litera. Et quamuis in vita mortali dolor excessiuus inducit mortem ob virtutem phantasiæ, & appetitus, & commotionem vehementem humorum, & spirituum, ex qua sequitur distemperatio qualitatum naturalium mixti requisitarum ad vitam: tamen cùm hic effectus proueniat à dolore remotè, & effectiuè tantùm, minus miraculum erit suspensio eius diuina virtute, ex conditione illius status finalis, & ordine iustitiæ vindicatiuæ peccati æternaliter, quàm illud miraculum, per quod oppositio contraria inter formas physicas suspenderetur à suo effectu formali, & absoluto intrinseco.

Vnde sequitur mors ex dolore vehementi.

7 *Tertia probatio.* *Ex alteratione pœna contraria.*

Tertiò probat ex varietate pœnæ contrariæ, & non interruptæ. Iob. 14. *Ab aquis niuium transibunt ad calorem nimium*, &c. Licèt autem saluari posset hæc pœna per alternationem eius, tenendo fieri per immutationem realem, hoc non congruit illi statui, in quo quælibet pœna est perpetua, & non intermissa: ergo alternationem non recipit. Ex alia autem parte nequit probabiliter saluari, quòd simul patiatur à contrariis in summo, & realiter: ergo illa via de intentionali ratione magis saluat statum illum sine multiplicatione miraculorum, quàm si afflictio fiat per immutationem realem sensus.

8 *Quarta ratio.*

Non esse minorem pœnã animæ separatæ quàm coniunctæ.

Quartò tandem probatur hæc conclusio; non minor est pœna animæ damnatæ absque corpore, quàm in ipso corpore, & par est pœna Dæmonum, & hominum, iuxta Gregorium *suprà* citatum *in quæst. præced.* Sed saluatur pœna sensus in his, & animabus separatis per solam actionem intentionalem: ergo etiam pœna animæ in corpore ex dolore carnis potest sic commodè saluari. Maior probatur, quia animæ damnatæ recipiunt mensuram plagarum iuxta qualitatem delicti, tam quoad pœnam sensus, quàm damni: ergo non est magis intensa eorum pœna in corpore, quàm extra corpus, neque magis etiam extensa. Probatur consequentia, quia licèt animæ debeatur pœna sensibilis ex carne, cuius sensum secuta est in corpore, tamen pœna illa non est suspensa, quantùm ad rationem formalem pœnæ in anima per veram tristitiam, vt ordinatur

dinatur peccatum eius: quamuis causa pœnæ proxima, quà sensibilis est, non sit præsens applicata; tamen in apprehensione certa de euentu rei est applicata, & anima perinde habet eandem tristitiam extra corpus, & intra corpus, quamuis vt vnitur corpori, eadem pœna immutabilis in se, & secundùm sententiam datam sit ex causa in re posita, quæ antè fuit ex causa in apprehensione certi euentus, tanquam ex motiuo sufficiente; neque pœna illa redditur vehementior ex læsione sensus, siue reali, siue intentionali, quàm anteà fuerit, quia illud non est fortius mouēs in re ipsa positum, quàm fuerit in sola apprehensione applicatum, aliàs non redderetur condignè, & ad mensuram pœna peccato in anima separata, antequam restitueretur corpori. Pœna etiam animæ, vt vnitur corpori, redundat in ipsum corpus, quod natum est pati ex passione animæ, eadémque pœna eadem manens maiorem habet causam sufficientem ex læsione sensibili corporis, quia idem dolor ex pluribus causis inesse potest, quamuis maneat idem ex diuinæ iustitiæ termino posito. Et quoniam pœna, vel dolor non competunt corpori nisi ratione animæ, inquantùm per eam animatur, sufficit tam ad corporis, quàm ad animæ cruciatum saluare illam actionem, & modum agendi, per quem pœna ipsa sufficienter subsistit in vtroque; nec ponendus est alius, qui statui incorruptibilitatis videtur repugnare per conseruationem contrariorum in eodem subiecto, & in summo gradu: sufficit ergo immutatio sensibilis, & intentionalis, neque requiritur alia realis, quæ intantùm est causa doloris sensibilis, inquantùm per modum obiecti apprehenditur, vt disconueniens sensui, & appetui.

9 *Obiectio.* Obiicies cum Durando, quòd licèt sufficiat in aliis sensibus immutatio intentionalis sine reali: tamen in sensu tactus non ita sufficit, quia requirit mutationem realem.

Respondetur cum Doctore *suprà*, licèt realis concomitetur vtplurimùm in præsenti statu ex applicatione causæ vtriusque, & passi receptibilis, tamen dolorem causari per intentionalem, & non realem, nisi vt transit in intentionalem. Deinde, exemplum à Doctore *suprà* positum ostendit hæc separari posse, quinimò aliquando realis sine intentionali causatur in ea parte, qua stupet sensus ad actum, licèt sit animatus, & sæpè fluit per actionem agentis corrumpentis, sine eo quòd sentiatur, aut inferat dolorem.

Aliam obiectionem soluit Doctor *infrà* §. *sequenti.*

SCHOLIVM.

Non posse improbari, si dicatur quòd ignis agit realiter in corpora damnata, & ponit triplicem modum id explicandi. Arguit tripliciter contra id quod dictum est, actionem intentionalem solam esse dolorificam, & soluit perspicuè.

7 *Non improbari quòd ignis agat realiter in corpora damnata.* e QVartò dico, quòd nec est omnino certa ratio ad negandum ibi immutationem realem: quia ex quo potest poni, vt habetur in primo articulo, & licèt non sit necessaria ad dolorem, sicut habetur in secundo articulo, tamen quæcunque arguuntur in tertio articulo, si ascribantur miraculo, non possunt improbari. Posset enim Deus vel coagere igni ad inducendum calorem realem in corpus: non tamen qui esset formaliter repugnans quantitati illius mixtionis; vel complexionis, & tunc posset poni miraculum in hoc, quòd non coagit in totum effectum, in quem agit ignis. Posset etiam Deus coagere igni ad illum summum calorem incompossibilem, & tunc destrueretur illa mixtio proportionata, nec tamen destrueretur vita, Deo miraculosè conseruante eam. Quòd si ponatur calorem induci in summo, & tamen æqualitatem illam mixti stare in eodem, videtur quòd formaliter repugnantia sit, sicut si medium, & extremum simul fierent in eodem. Et an hoc sit possibile Deo non hîc, sed alibi: tamen non est ita notum, sicut alterum duorum prædictorum.

An contraria simul esse possint in summo, vt dubium relinquit.

8 *Arguit actionē intētionalem non esse dolorificam.* f Sic ergo dico, quòd patientur passione afflictiua ab igne, & ideò necessariò passione intentionali: non necessariò autem ad afflictionem passione reali: sed si illa concomitetur, quia causa naturalis approximata susceptiuo, oportet incorruptionem illius corporis ab extrinseco saluari aliquo prædictorum modorum.

g Contra secundum articulum instatur per hoc, quòd sensus Beati sentirent omnem differentiam sensibilem: ergo si esset Beatus in illo igne, intentionaliter immutaretur ab illo, sicut damnatus, & tamen non pateretur passione afflictiua: ergo illa non est per solam passionem, intentionalem. Præterea, omnis operatio est delectabilis potentiæ operanti, quia perfectio eius: ergo sensatio quæcunque, quæ concomitatur actionem intentionalem, erit delectabilis: non ergo dolorosa. Præterea, appetitus sensitiuus non est nisi propter naturam: ergo nihil est sibi disconueniens, nisi quia disconueniens naturæ.

Ad primum, vel sensui Beati nullum sensibile esset excellens, quia sensus ille ita

ita erit perfectus, quod non poterit aliquod sensibile propter excessum esse illi improportionatum: & tunc sequeretur quòd etiamsi immutaretur intentionaliter ab illo igne: non tamen dolorosè, quia non à disconueniente. Vel aliter, cùm dolor non causetur (vt dictum est) in ipso sensu, sed in appetitu sensitiuo; & appetitus sensitiuus Beati est totaliter quietatus, vel completè satiatus delectatione sensibili: & delectatio excellens excludit tristitiam quamcunque 7. *Ethic.* in illo appetitu Beati nullus dolor causari posset. Esset ergo concedendum, si illud sensibile esset excellens sensui eius, quòd dolor causaretur in appetitu eius, nisi quia à causa efficaciori inest illi appetitui, quòd excludit omnem dolorem.

Beatus non immutaretur dolorosè ab igne Inferni.

Cap. 18.

Ad secundùm, operatio non proportionata non est delectabilis: talis est sensatio obiecti excellentis: nec mirum, quia operatio non est delectabilis, nisi quia circa obiectum delectabile: istud autem obiectum est disconueniens, ideò contristans, vel dolorificans. Ad tertium, verum est quòd natura facit aliquid esse disconueniens appetitui sensitiuo, quia illud, vel concomitans illud, communiter est corruptiuum naturæ: tamen esto quòd tale aliquando non concomitetur, semper manet disconuenientia prima. Ita in proposito, licèt non sit hæc immoderata calefactio concomitans speciem excellentis calidi: tamen manet disconuenientia calidi, vt speciem imprimentis ad appetitum sensitiuum. 9

Sensatio obiecti excellentis, quare non delectabilis?

Appetitus non est nisi propter naturam.

h Ad argumenta principalia. Ad primum, illa auctoritas 6. *Topic.* videtur improbare actionem realem ignis, non autem intentionalem; quia de illa non intelligitur dictum Philosophi; sed si realis ponatur, oportet dicere quòd propositio est vera quantùm est ex parte causæ naturalis dimissæ sibi in agendo: quia tunc per continuationem fit magis, & magis abiectio conuenientis à substantia, cui illud est conueniens: sed in proposito non dimittitur causa naturalis sibi. Vel aliter, magis abiicit à substantia dispositiuè, quando sequitur illud, ad quod est dispositio: sed hic non sic magis abiicit de substantia hoc modo, quia non potest in effectum illius dispositionis, quæ scilicet secundùm se esset dispositio causis naturalibus sibi dimissis. 10

Exponitur.

Ad arg. 1.

Ad aliud, patet quæ actio, intentionalis scilicet, vel realis, sit ibi ponenda necessariò, & quæ posset ibi poni; & ad obiectiones contrà ex articulo secundo, & tertio.

Ad 2.

COMMENTARIVS.

10 e QVartò dico quòd nec est omnino certa ratio ad negandum ibi immutationem realem, &c. Hæc est quarta conclusio huius quæstionis, in qua Doctor est problematicus, licèt sententiam D. Thomæ vt probabiliorem sequatur. Ignem autem Inferni agere etiam actione reali in corpus damnati tenet S. Bonauentura, *hic art.* 3. *quæst.* 1. Richardus vt magis probabilem sequitur, *art.* 3. *quæst.* 6. & 7. Eam assertiuè tuetur Durandus *quæst.* 10. neque impugnari sufficienter posse affirmat Doctor, quia ex primo articulo, corpus illud, licèt impassibile sit quoad corruptionem, passibile tamen est quoad immutationem sui realem, & causa sufficiens, & efficax passionis realis applicata; quòd autem inde non destruatur, diuino miraculo est adscribendum, quod tamen ex ordinaria dispositione illius status est consectaneum; sicut plura alia vt institutioni Eucharistiæ consectanea sunt plura, quæ aliàs essent miracula. Posset ergo triplici modo saluari actio realis ignis in corpus, vt producendo calorem, qui non esset quantitati requisitæ mixtionis ad vitam saluandam contraria, & sic non coageret Deus ad totum effectum ignis, nempe ad resolutionem ignis temperamenti mixtionis quoad illum gradum, à quo dependet *esse* corporis viuentis. Vel posset Deus coagere ad destructionem etiam temperamenti quoad totum, non coagendo ad destructionem substantialem mixti, & sic saluaretur vita. Vel denique tertio modo inducere calorem in summo, conseruando simul mediam proportionem, & temperamentum mixti. Hunc modum non approbat, quia sic formaliter essent repugnantia in eodem, nempe medium, quod est ipsum temperamentum, consistens in debita proportione, & extremum, quod videtur repugnare. Videatur Sanctus Bonauentura, qui pluribus exemplis hanc conclusionem probat.

Quarta conclusio. Rem hàc esse incertam.

Asserentes actioné realem.

Triplex modus, quo saluari potest dicta actio.

11 f *Sic ergo dico*, &c. Resoluit tandem ex dictis, passuros damnatos passione afflictiua ab igne, & sic necessariò actione intentionali. Et ad hanc passionem necessariam, non est necessaria actio realis concomitans ad hunc finem, quæ si datur, erit ex approximatione causæ efficacis ad passum. Non negat quin ex actione reali sequatur passio in sensu, & dolor, sed intendit quòd non quà realis est, inferat passionem intentionalem, sed quà agit intentionaliter, aut percipitur sensu aliquo passio realis, quà est obiectum disconueniens sensui. Quòd si autem passio realis concomitetur intentionalem, incorruptio corporis damnati debet saluari miraculosè modo dicto. Primus modus minorem habet difficultatem. Secundus modus est possibilis Deo, conseruare nempe formam in subiecto absque omni quod essentialiter non requiritur ad effectum eius formalem. Tertius autem modus videtur impossibilis.

Resolutio dictorum.

12 g *Contra secundum articulum*, &c. Obiicit tres difficultates contra tertiam conclusionem quæ est tertij articuli. Prima est, quòd sensus Beati sentiat omnem differentiam obiecti sui, etiam excellentem sine dolore: ergo dolor non est ex intentionali passione. Secundò, quia omnis

Obiectio contra tertiam conclusionem.

omnis operatio est delectabilis potentiæ operanti: ergo & sensatio concomitans, seu affectio. Tertiò, quia appetitus sensitiuus est propter naturam: ergo nihil est sibi disconueniens, nisi quia disconueniens naturæ, &c.

Ad primam. Sensibile excellens nō improportionatum Beato, neque doloriferum.

Ad primum, respondet dupliciter. Primò negando aliquod sensibile esse disconueniens sensui Beati, quia fit impassibile per dotem. Secundò respondet, dato opposito quòd impediretur dolor in appetitu ob delectationem, quam habet, redditur quoque incapax doloris.

Ad secūdum operatio improportionata est nociua.

Ad secundum, negat antecedens: quia operatio improportionata sensui non est delectabilis.

Ad tertium. Disconueniētia obiecti quando oritur à natura.

Ad tertium, quòd ipsa natura aliquando facit obiectum esse disconueniens appetitui ob læsionem naturæ per realem passionem: tamen hæc non est causa adæquata passionis: quia etiam si separaretur passio realis, manente actione intentionali, adhuc esset obiectum disconueniens, & dolorem inferret.

13

Ad argumēta principalia.

h *Ad argumenta principalia, &c. Ad primum, &c.*

Primum.

Primum fuit ex illo Topicorum 6. *Omnis passio facta magis abijcit substantia*, &c. ergo si continuè cruciantur ab illo igne magis, & magis abiicitur substantia, ac tandem corrumpitur tota.

Responsio. Intelligitur Philosophus de reali. Vel de effectu adæquato.

Respondet rationem Philosophi magis concludere de actione reali, & non intentionali, quia in illa fit corruptio, non autem in hac.

Vel secundò dicendum, quòd vera est propositio intellecta de causa naturali sibi dimissa quoad integrum effectum; sed non quando impeditur à causa superiori. Vel tertiò denique, abiicit de substantia dispositiuè, quando potest sequi forma, ad quam disponit substantialis, non autem quando nequit illam inducere; sicut de facto contingit; quia nulla causa potest inducere dispositionem necessitantem ad formam in eo gradu, quo repugnat formæ præmissæ, nisi forma ad quam disponit nata sit sequi. Solutionem tertij argumenti remittit ad iam dicta: quia actio realis ignis potest esse etiam cessante motu primi mobilis, neque illa actio est corruptiua corporis Deo illud conseruante.

Vel tertiò intelligitur dispositiuè quando nata est sequi forma.



DISTINCTIO



DISTINCTIO XLV.

De diuersis animarum receptaculis.

A PRÆTEREA sciendum est, quòd omnes animæ (vt ait Augustinus) [cùm de hoc sæculo exierint, diuersas habent receptiones: bonæ habent gaudium, malæ verò tormenta. Sed cùm facta fuerit resurrectio, & bonorum gaudium amplius erit, & malorum tormenta grauiora, quando cum corpore torquebuntur.] Ex his ostenditur quòd maius erit gaudium Sanctorum in resurrectione, & pòst, quàm fuerit antè: & quòd diuersa receptacula habebunt animæ Sanctorum. De quibus idem Augustinus ait: [Tempus quod inter hominis mortem & vltimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet, sicut vnaquæque digna est vel requie, vel ærumna, pro eo quod sortita est in carne, dum viueret.] *Super Ioãnẽ tr.49.& in gl. super illud 1. Thess.4.* Deinde nos *in Enchir.c.109. & in lib.de 8. dulc. 9. quæst.q.2.*

De suffragiis defunctorum.

B [NEQVE negandum est, vt ait Augustinus, defunctorum animas pietate suorum viuentium releuari, cùm pro illis sacrificium Mediatori offertur, vel eleemosynæ fiunt in Ecclesia. Sed hæc eis tantùm prosunt, qui cùm viuerent, hæc sibi vt postea possent prodesse, meruerunt. Est enim quidam viuendi modus, nec tam bonus, vt non requirat ista post mortem: nec tam malus, vt ei non prosint ista quicquam. Est verò talis in bono, vt ista non requirat, & est rursus talis in malo, vt nec his valeat, cùm hæc vita transierit, adiuuari. Quocirca hîc omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam quispiam grauari, vel releuari. Nemo autem speret quod hîc neglexit cùm obierit apud Deum promereri. Non ergo ista quæ pro defunctis commendandis frequentat Ecclesia, illi Apostolicæ sunt aduersa sententiæ, qua dictum est: *Omnes stabimus ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque secundùm ea quæ per corpus gessit, scilicet bona, vel mala:* quia etiam hoc meritum sibi quisque cùm in corpore viueret, comparauit, vt possint ei ista prodesse; non enim omnibus prosunt. Et quare non? nisi propter differentiam vitæ, quam quisque gessit in corpore. Cùm ergo sacrificia, siue Altaris, siue quarumcumque aliarum eleemosynarum pro baptizatis omnibus offeruntur: pro valde bonis, gratiarum actiones sunt, pro non valde malis, sunt propitiationes; sed pro valde malis, etsi nulla sunt adiumenta mortuorum, tamen qualescumque viuorum consolationes sunt. Quibus verò prosunt, vel ad hoc prosunt, vt sit plena remissio, vel certè vt tolerabilior sit ipsa damnatio. Orationibus ergo sanctæ Ecclesiæ, & sacrificio salutari, & eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus offeruntur, non est dubium mortuos adiuuari: vt cum eis misericordiùs agatur à Domino quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim à Patribus traditum tota obseruat Ecclesia, vt pro eis qui in communione corporis, & sanguinis Domini defuncti sunt, cùm ad

In Enchir. vbi suprà cap.110.& habe. 13. q.12.cap. Tempus. Quibus prosint orationes & eleemosynæ, & sacrificium, & huiusmodi Rom.14.b.

Aug. in sermone de verbis Apost.ser.32. & in gloss. super illud 1.Thes.4.c.

Nolumus vos. Gal. 5. ad ipsum sacrificium loco suo commemorentur, oretur: ac pro illis quoque id offerri commemoretur. Non est ergo ambigendum ista prodesse defunctis: sed talibus, qui ita vixerunt ante mortem, vt possint eis hæc vtilia esse post mortem. Nam qui sine fide operante per dilectionem, eiúsque Sacramentis, de corpore exierunt, frustrà illis à suis huiusmodi pietatis officia impenduntur: cuius, dum hîc essent, pignore caruerunt, non misericordiam sibi thesaurizantes, sed iram. Rom. 2.a. Non ergo mortuis noua merita comparantur, cùm pro eis aliquid boni operantur sui: sed eorum meritis præcedentibus consequentia istam redduntur. Nam istam quisque finiens vitam, nisi quod in ea meruerit, non poterit habere post eam.] Ecce quibus, & qualiter prosunt illa, quæ pro defunctis frequentat Ecclesia. Mediocriter malis suffragantur ad pœnæ mitigationem. Mediocriter bonis, ad plenam absolutionem: qui non habent tantæ perfectionis merita, vt non indigeát iuuari per pauperes, quorum est regnum cœlorum, quos sibi fecerunt amicos de mammona iniquitatis. Quorum tanta est perfectio, vt his adiutoriis non indigeant, quales sunt Apostoli & Martyres. Vt enim ait Augustinus [Iniuria est pro Martyre orare in Ecclesia, cuius nos debemus orationibus commendari, pro aliis autem defunctis oratur.]

De officiis sepulturæ.

Matt. 5. a. Luc. 16. c. De verbis Apost. ser. 17. Ibid. & de Ciuit. Dei. lib. 1. c. 12. & 13. & in lib. de Cura pro mort. gerēda. cap. 2. Luc. 16. f. g. August. in ser. de verb. Apost. ser. 32. & lib. 1. de Cura pro mor. ger. cap. 3. Tob. 2. & 12. Gen. 23. a. & 25. a. & 35. b. & 50.

DE pompis verò exequiarum idem Augustinus ita dicit, [Pompa funebris, agmina exequiarum, sumptuosa diligentia sepulturæ, viuorum sunt qualiacumque solatia, non adiutoria mortuorum. Quia si aliquid prodest impio sepultura preciosa, oberit pio vilis, vel nulla. Præclaras exequias in conspectu hominum purpurato illi diuiti exhibuit turba famulorum: sed multò clariores in conspectu Domini, vlceroso illi pauperi ministerium exhibuit Angelorum, qui eum extulerunt, non in marmoreum tumulum, sed in Abrahæ gremium. Sit tamen cura mortuos sepeliendi, & sepulchra construendi, quia hæc in Scripturis sanctis inter bona opera deputata sunt: nec solùm in corporibus Patriarcharum, aliorúmque Sanctorum, sed etiam in ipsius Domini corpore qui ista fecerunt, laudati sunt. Impleant igitur homines erga suos officia postremi muneris, & sui humani lenimenta mœroris. Verùm illa quæ adiuuant spiritus defunctorum, scilicet oblationes, orationes, multò obseruantiùs procurent.] C

De duobus æquè bonis, quorum alter plura post mortem habet auxilia.

SOLET moueri quæstio de duobus, vno diuite, altero paupere, pariter, sed mediocriter bonis, qui prædictis suffragiis indigent, & meruerunt pariter post mortem iuuari: pro altero verò, id est, pro diuite, speciales & communes fiunt orationes, multæque eleemosynarum largitiones: pro paupere verò non fiunt, nisi communes largitiones & orationes. Quæritur ergo, an tantum iuuetur pauper paucioribus subsidiis, quantū diues amplioribus? Si non pariter iuuatur, non ei redditur secundùm merita. Meruit enim pariter iuuari, quia pariter boni extiterunt. Si verò tantum suffragij consequitur pauper quantum diues, quid contulerunt diuiti illa specialiter pro eo facta? Responsio. Sanè dici potest, non ei magis valuisse generalia & specialia, quàm pauperi sola generalia suffragia. Et tamen profuerunt diuiti specialia, non quidem D

quidem ad aliud, vel maius aliquid, sed ad idem ad quod generalia, vt ex pluribus & diuersis causis vnum perciperetur emolumentum. Potest tamen dici aliter illa plura subsidia contulisse diuiti celeriorem absolutionem, non pleniorem. *Secunda, melior.*

Quibus suffragiis iuuabuntur mediocriter boni, qui in fine inuenientur.

E SED iterum quæritur de aliquo mediocriter bono, qui talibus indigens suffragiis, in ipso consummationis sæculi articulo cum reliquis migrabit, si saluus fuerit: pro eo non offertur vlteriùs sacrificium, vel oratio, vel eleemosyna, nec habebat tantæ perfectionis merita, quæ his suffragiis non egerent. Numquid ergo saluabitur? Existimo eum quasi per ignem transeuntem, saluari meritis, & intercessionibus cælestis Ecclesiæ, quæ pro fidelibus semper intercedit voto, & merito, donec impleatur Christus. *1. Cor. 13. c.*


Quomodo Sancti glorificati audiunt preces supplicantium: & quomodo intercedunt pro nobis ad Dominum?

F SED fortè quæris, Numquid preces supplicantium Sancti audiunt, & vota postulantium in eorum notitiam perueniunt? Non est incredibile, animas Sanctorum, quæ in abscondito faciei Dei veri luminis illustratione lætantur, in ipsius contemplatione ea quæ foris aguntur intelligere, quantum vel illis ad gaudium, vel nobis ad auxilium pertinet. Sicut enim Angelis, ita & Sanctis, qui Deo assistunt, petitiones nostræ innotescunt in verbo Dei, quod contemplantur. Vnde & dicuntur Angeli orationes & vota nostra offerre Deo: non quia eum doceant, sed quia eius voluntatem super eis consulunt. Vnde Augustinus [Angelis, qui sunt apud Deum, innotescunt petitiones nostræ, vt quodammodo eas offerant Deo, & de his consulant: & quod Deo iubente implendum esse cognouerint, hoc nobis euidenter, vel latenter reportent. Vnde & Angelus hominibus ait, Cùm oraretis, orationem vestram obtuli Deo. Ad omnia quidem scienda sufficit Deo sua perfectio: habet tamen nuncios, id est, Angelos, non qui ei quæ nescit annuncient, (non enim sunt vlla quæ nesciat;) sed bonum eorum est de operibus suis eius consulere veritatem: & hoc est quod ei dicuntur nonnulla nunciare, non vt ipse ab eis discat, sed vt ab eo ipsi per verbum eius sine corporali sono nuncient, etiam quod voluerit, ab eo missi, ad quos voluerit, totum ab illo per illud verbum eius audientes, id est, in eius veritate inuenientes, quid sibi faciendum, quid, quibus, & quando nunciandum sit. Nam & nos orantes eum non eum docemus: quia nouit (vt ait Verbum eius) pater vester quid vobis necessarium sit, priusquam petatis ab eo. Nec ista ex parte cognouit: sed futura omnia temporalia, atque in eis etiam quid, & quando ab illo petituri fueramus: & quos, & de quibus rebus, vel exauditurus, vel non exauditurus esset, sine initio antè præsciuit. Non ergo dicitur Angelus orationes nostras offerre Deo, quasi Deus tunc nouerit quid velimus, & quo indigeamus, quæ omnia antequam fiant, sicut & postquam facta sunt, nouit: sed quia necesse habet rationalis creatura temporales causas ad æternam veritatem referre, siue petendo quid erga se fiat, siue consulendo quid faciat.]

Hug. de Sacr. lib. 2. part. 16. cap. vlt. *Tob. 12. c.* *Lib. de orã-do Deo ad Probam c. 9. tom. 2.* *Tob. 12. c.* *Aug. li. 15. de Trinit. cap. 13.* *Matt. 6. d.* *Aug. in lib. de gratia noui Test. ad Honoratũ, c. 29. & super illud Phil. 4. Petitiones vestræ innotescãt:*

Quod dictum est de Angelis attribuit sanctis animabus.

G SI autem Angeli à Deo per Verbum eius discunt petitiones nostras, & quid de his implendum sit, & quid non: cur non credamus & animas Sanctorum Dei faciem contemplantium, in eius veritate intelligere preces hominum, & quæ implendæ sint, vel non? Inde est quòd Deus dicitur exaudire preces quorundam, non solùm quando effectui mancipat, sed etiam quando innotescit curiæ Angelorum & sanctarum animarum, quid inde futurum sit, vel non: & quod cognoscunt in Dei voluntate esse, volunt & ipsi. Adeò enim supernæ voluntati addicti sunt, vt nihil præter eius voluntatem queant velle. Intercedunt ergo ad Deum pro nobis Sancti: & merito, dum illorum merita suffragantur nobis: & affectu, dum vota nostra cupiunt impleri: quod tamen non faciunt, nisi in voluntate Dei implenda didicerint. Oramus ergo vt intercedant pro nobis, id est, vt merita eorum nobis suffragentur, & vt ipsi velint bonum nostrum, quia eis volentibus Deus vult, & ita fiet. Ex præmissis constat quòd cum quibusdam misericordiùs agit Deus, quàm eorum peccata meruerint, scilicet cum mediocriter malis, qui suffragiis Ecclesiæ iuuantur.



QVÆSTIO I.

Vtrùm anima separata posßit intelligere quiditates sibi ante separationem habitualiter notas?

Henricus *quodl.5.q.14.* D.Thom. *1.part.quæst.89.art.5.& hic quæst.2.art.1.* Abul. *in 25.Matth.quæst.580.* Occam *4.quæst.2.art.1.* Bellarm. *lib.2.de Purgat.cap.9.* Conimbr. *tract.de Anima separata. disp.3.art.3.* Gotfrid. *Quodlib.quæst.9.*

CIRCA istam [a] distinctionem quadragesimam quintam, quæro quatuor. 1
Primò, Vtrùm anima separata possit intelligere quiditates, sibi ante separationem habitualiter notas? Quòd non, 3. de Anima. *Phantasmata se habent ad intellectum, sicut sensibilia ad sensum:* sed sensus non potest aliquam sensationem habere, nisi moueatur à sensibili: ergo nec intellectus aliquam intellectionem, nisi moueatur à phantasmate: sed tunc non mouebitur à phantasmate. *Arg. 1. Text. 39.*

Arg. 2. Text. 66. Prætereà, 1. de Anima: *Intellectus corrumpitur quodam interiori corrupto:* illud interius non potest esse, nisi organum phantasiæ: illud autem corrumpitur in morte: ergo & intellectus.

Arg. 3. Text. 20. Præterea, nullus intellectus intelligit, nisi intellectus possibilis, quia agens non intelligit: sed possibilis non manet post mortem, quia 3. de Anima, *intellectus pasßiuus corrumpitur:* possibilis est passiuus: ergo, &c.

Ratio opp. Oppositum 3. de Anima. *Anima est locus specierum, non tota, sed intellectus.* Loci autem est saluare locatum: ergo intellectus saluat species; ergo, &c. Prætereà, Boëtius *Prosa 5.* 5. Consolationum, *Receptum est in recipiente per modum recipientis:* anima recipiens species intelligibiles, est incorruptibilis: ergo recipit eas incorruptibiliter. Præterea, Auicenna 6. Naturalium, 1. parte, cap. 6. *Anima separata clariùs videbit veritatem quàm coniuncta.* & concordat cum illo Sap. 9. *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam.*

COMMENTARIVS.

1 [a] CIrca *istam distinctionem*, &c. In hac distinctione agit Magister de suffragiis defunctorum; & officio sepulturæ. Item de oratione ad Sanctos, & quomodo oratio illa fiat nota ipsis Sanctis. Hanc secundam partem tangit Doctor, præmittens tres quæstiones, quibus resoluit virtutem naturalem intellectus separatæ animæ in ordine ad cognitionem. Prima est de intellectione quiditatum, quarum species habuit in via, quando vnita fuit materiæ. Secunda est, an possit in eo statu aliquid naturaliter cognoscere de *Partitio huius distinctionis.*

nouo

nouo, quod priùs non cognouit? Tertia est, an possit recordari præteritorum? Quarta tandem est, quomodo Beati norunt orationes fidelium, & an pro ipsis vicissim orent?

In hac quæstione primò supponit dari species intelligibiles, ex qua suppositione resoluit easdem permanere in anima separata, & mediantibus illis habere actum conformem. Deinde mouet quædã dubia, & resoluit, ac tandem respondet ad argumenta principalia, seu liminaria quæstionis. *Suppositio, & ordo quæstionis.*

SCHOLIVM.

Supponit dari speciem intelligibilem, vt probauit latè 1. dist. 3. quæst. 6. à n. 5. eámque manere post actum, vt ibi probauit num. 27. De quo 2. dist. 3. quæst. 10. n. 18. Ex his probat animam separatam per species retentas posse intelligere quiditates.

2 [b] HIc est vna opinio de intellectione animæ separatæ, quòd ipsa intelligit per species sibi influxas à Deo, sed eius pertractatio magis est propria in seq. quæst. De specie ergo non influxa, siue per modum naturalem acquisita, videtur esse opinio Auicennæ *6. naturalium, part. 6. cap. 5.* quòd ipsa non manet sine actu intelligendi. Ad hoc adducitur etiam August. 2. Trinit. cap. 3. *quòd cessante actu cogitandi nihil manet in intelligentia: sed postquam conuersa est ad memoriam, recipit ab ea.* Hæc sonant quòd nulla species intelligibilis remaneat in intellectu habitualiter, cessante actu. *Opinio D. Thom. 1. p. q. 89. art. 5. & 50. d. 4. q. 1.*

Alia opinio est, quòd in intellectu nulla est species intelligibilis, sed tantùm phantasma in virtute phantastica. Circa hoc diffusè habitus est tractatus *dist. 3. primi q. 6. & dist. 3. secundi, quæst. 10.* vnde ex probatis supponatur primò, quòd species intelligibilis sit ponenda. Secundò, quòd ipsa remaneat in intellectu cessante omni actu intelligendi: nec tantùm remaneat, vt raptim transiens, sed vt habitus quoad rationem permanentiæ: an autem sit habitus, tactum est, ibi *in secundo lib.* Loquendo enim de habitu vsitatè, prout est aliqua qualitas inclinans ad faciliter considerandum, species, non est habitus, sed præcedit eum, imò præcedit actum, à quo generatur ille habitus propriè dictus. Qualiter autem August. & Auicenna exponendi sunt, patet ibi; quia Augustinus non loquitur nisi de acie sensitiua, quam vocat aciem cogitationis, quæ non manebit in anima separata. Auicenna autem videtur ponere duplicem modum intelligendi ab inferiori, & superiori, vt tactum est ibi: & ab inferiori quidem notitiam permansiuam, à superiori non. *Hen. quodli. 4 q. 7. & 8. Gotfrid. quodl. 9. quæst. 9. dist. 3. q. 10. Species intelligibilis quomodo dicitur habitus.*

3 [c] Ex his suppositis habemus istam conclusionem, quòd in intellectu secundùm se manet species intelligibilis post actum intelligendi. Ex hoc arguo sic: In intellectu, vt est subiectum speciei intelligibilis, non est per se requisitum, nec necessariò, coniunctio eius ad corpus; ergo per non coniungi ad corpus, non se habet aliter in recipiendo speciem intelligibilem. Consequentia patet, quia subiectum non aliter se habet in recipiendo accidens propter variationem eius, quod non est ratio recipiendi illud, nec aliquo modo necessarium in recipiendo: ipsa autem anima secundùm se, & inquantùm perficit corpus, est subiectum totale speciei, quia aliter Angelus non posset esse subiectum talium specierum. Antecedens probo, quia species ista est forma simplex immaterialis, vel spiritualis, ad minùs in hoc quòd est inextensa, & inextensibilis. Vnde dicit Commentator quòd transfertur obiectum de ordine in ordinem, quando de phantasmate transfertur per intellectum agentem, ad ordinem intellectus possibilis. Quod non intelligo nisi de ordine materialis, & extensibilis, ad ordinem immaterialem, & inextensibilem: sed nihil simpliciter immaterialiter recipitur in intellectu, inquantùm coniunctus est simpliciter corpori: quia si inquantùm sic, vel ergo in toto primo, vel illa coniunctio erit aliqua ratio recipiendi, siue sic, siue sic receptum, non erit omnino immateriale isto modo. *Anima est subiectum specierũ separata, sicut vnita eodẽ modo. 3. de Anima 18 prope finem. Quomodo obiectum transfertur de ordine in ordinem.*

4 [d] Ex hoc habeo, quòd species intelligibilis eodem modo potest informare intellectum separatum, sicut coniunctum: & tunc vltrà cùm species intelligibilis coniuncta intellectui agenti, & possibili, eodem modo constituat rationem memoriæ perfectæ, eo modo quo aliàs dictum est de memoria intellectiua, quòd continet obiectum intelligibile, & intellectum gignitiuum; sequitur quòd in intellectu separato poterit esse memoria eiusdem rationis, quæ fuit in coniuncto; & vltra cùm memoria æquè perfecta sit æquè parens perfecti actus in intelligentia, & verbi perfecti per Augustinum 13. *de Trinit. per totum*; sequitur, quòd in intellectu separato poterit esse æquè talis gignitio, sicut intellectui coniuncto: ergo anima separata per speciem intelligibilem retentam cuiuscunque, cuius priùs poterit habere actualem intellectionem. *In 2. d. 1. & & alibi sæpè.*

Text. c. 12. & inde. Huic consonat intentio Philosophi, qui vult primo de Anima, quòd *si non potest habere operationem separata, nec esse.* Ponit etiam scientiam propriè in intellectu 3. de
Text. c. 37. Anima, dicens, quòd *Sicut anima per sensus, est sensibilis, ita per scientiam, est scibilis.* Scientia autem ex parte sua nata est incorruptibiliter manere, & per consequens ex parte subiecti, cùm subiectum sit incorruptibile: habens autem ipsam, est in poten-
Text. 8. tia accidentali ad considerandum, ex eodem 3. & 8. *Physic.* Igitur anima separata est
Text. 32. in potentia accidentali ad intelligendum obiecta priùs habitualiter sibi nota: ergo potest ex se exire in actum.

c. 7. ad fin. Huic etiam consonat illud Hieronymi, in prologo Bibliæ; *Discamus in terris, quorum nobis scientia remanebit in cælis.* Valde enim indignum esset tantùm laborare circa scientiam, & virtutes, si desinerent esse in morte, & valdè irrationabile est quòd maneant, quin eorum actus possint haberi.

COMMENTARIVS.

2 *Sententia D. Thomæ.* [b] *Hic est vna opinio*, &c. Hîc subiicit opinionem D. Thomæ, quæ magis spectat ad sequentem quæstionem. Aliam insinuat, quæ negat species intelligibiles, quam docet *Alij negant species intelligibiles.* Henricus *quodlibeto* 5. *quæst.* 14. Ocham *in* 2. *quæst.* 17. & 18. Gabr. *distinct.* 34. *quæst.* 2. 3. & 4. Durandus *quæst.* 6. Hæc sententia impugnatur *in* 1. *distinct.* 3. *quæst.* 6. & *in* 2. *distinct.* 3. *quæst.* 9. & 10. *in* 3. *dist.* 14. *quæst.* 3. Consule commentarium, maximè in 1. Eam reiicit communis Peripateticorum, & Scholasticorum, quam in proprium locum remittimus cum Doctore, breuitatis gratiâ.

Conclusio communior, manere species in anima separata. [c] *Ex his suppositis*, &c. Statuit conclusionem, quòd nempe in intellectu animæ separatæ maneant species intelligibiles acquisitæ, quam etiam tradit D. Thomas 1. *part. quæst.* 89. *art.* 5. & communior. Probat Doctor, quia ad subiectandum speciem intelligibilem in intellectu, non est necessarium vt sit coniunctus corpori: *Probatio. Ad subiectandum speciem intelligibilẽ, non est necessaria coniunctio animæ ad corpus.* ergo ex separatione à corpore non aliter se habet ad speciem, vt formam, & consequenter manet in eo species. Consequentia patet, quia subiectum non se habet aliter ad formam propter variationem eius, quod non est ratio receptiui, nec aliquo modo necessarium ad eius receptionem: sed anima recipit præcisè inquantùm est forma corporis, & vt distincta à corpore, & prout habet *esse* proprium, quod non communicat corpori secundùm dependentiam ab ipso, sicut Angelus recipit speciem intelligibilem: ergo, &c.

3 *Obiectum fit intelligibile actu per speciem.* Probat primum antecedens, quia species illa est simplex, & immaterialis, & non extensa. Vnde Commentator dicit 3. *de Anima*, quòd obiectum transfertur de ordine in ordinem, quando de phantasmate transfertur ad ordinem intellectualem per speciem, seu fit intelligibilis actu; quod intelligitur quoad immaterialitatem: nihil autem immateriale recipitur in intellectu, inquantùm coniunctus est simpliciter corpori, quia reciperetur in toto primò, sicut species sensibiles in organo, & sensatio, vel certè esset corpus ratio recipiendi, & siue sic, siue sic esset materiale.

Requiri concursũ obiecti in se, vel sua specie vniuersaliter ad intellectionẽ. Confirmatur, & declaratur hæc ratio: quia supponendo dari speciem propriam intellectui, per quam constituitur memoria sufficiens in actu primo, quod nunc supponitur: quia etiam vniuersaliter in omni intellectu, requiritur obiectum ad actum intelligendi, vel in se ipso, vel certè in sua specie, quod vniuersaliter supponitur de cognitiua in genere: hoc, inquam, supposito, & dato quòd in phantasia sit propria species, per quam operatur sopitis sensibus exterioribus, & hæc species permanenter transeunte obiecto maneat; à fortiori tribuitur intellectui similis species, vt etiam experientia constat habere actum circa obiectum absens, & non existens, quæ species est propria eius forma, sicut in reliquis sensibus se habet species particularis cuiusque, quæ inhæret ipsi: ergo etiam intellectui inhæret species intelligibilis: quidquid autem inhæret intellectui, quà intellectus est, præcisè abstrahit à corpore, & omni materiali vt subiecto, vel etiam ratione recipiendi: quia aliàs ratio, qua probatur immaterialitas animæ per abstractionem operationum, non esset efficax, si intellectus, quà intellectus, dependeret à corpore tanquam ratione recipiendi formam, quia sic ipsum corpus esset subiectum *quo*, & immediatum, vel certè aliquid immateriale quantùm, animæ, vt est subiectum formæ, communicaret effectum aliquem materialem, sine quo non esset capax formæ, & à quo ipsa forma, tanquam ratione proxima recipiendi dependeret, quod argueret eius materialitatem, maximè cùm sit accidens dependens à subiecto: aut certè constitutum ex corpore & anima, esset primum subiectum formæ: nam & subiectum, & ratio recipiendi formam comparantur ad formam, vt aduenit in ratione formæ, & secundùm dependentiam formalem, & non aliter, quorum alterum si est materiale, sequitur formam absolutè, & in sua entitate esse materialem, aliàs non dependeret à tali. Hæc ergo ratio satis probat speciem illam non dependere ab aliquo materiali, vt subiecto, aut ratione recipiendi ipsam in intellectu. Hæc etiam ratio satis à priori probat speciem esse immaterialem, & spiritualem in esse formæ, & inesse intellectui, quà natus est operari, vt abstrahit à materia. *Si quæretur intellectum esse subiectũ materiale, si aliquid materiale esset ei ratio recipiendi formã.*

Superest tantùm vt probetur speciem illam esse permanentem ex natura sua, & non dependere in sui conseruatione ab aliquo materiali, aut eius influxu, quod supponit Doctor ex communi sententia, & ex aliàs probatis, locis citatis, maximè in primo, & insinuatur probatio ex rationibus sequentis conclusionis ab authoritate Philosophi, & Hieronymi, & in responsione ad secundam & tertiam obiectionem contra hanc, & sequentem conclusionem. 4 *Speciem esse permanentẽ ex natura sua.*

Et probatur breuiter, quod perfectionis est in potentia inferiori tribui debet superiori, si aliàs imperfectio, quam inducit priuatio talis perfectionis, cadit in superiorem potentiam: sed intellectus *Intellectui conuenit hæc perfectio.*

intellectus est suprema in genere cognitiuæ, & excedit phantasiam: hæc autem licèt in receptione speciei dependet à sensu externo, conseruat speciem eo nihil operante; ergo & intellectus: nam conseruare speciem, & esse in potentia proxima accidentali ad operandum est perfectio, imperfectio autem esse in potentia remota: ergo illa perfectio, cuius oppositum est imperfectio, competit intellectui magis quàm phantasiæ.

Esse in potentia proxima ad operandum est perfectionis.

5 Confirmatur, ideò potentiæ insunt animali, vt iis mediis coniungatur suo fini perfectiuo, mediantibus operationibus potentiarum, & hac ratione consequatur propriam perfectionem naturalem per media eidem concessa à natura, & appetitus eius, qui est ad bonum conueniens, expleatur, ideóque data est potentia loco motiua, vt se ad illud absens moueret ab intrinseco ex appetitu eius; sed hæc inclinatio, vt coniungatur suo actui, requirit in phantasia conseruari speciem, & memoriam boni absentis, quando aliàs nequit mouere, vt præsens; quia aliàs non esset sufficienter prouisum à natura animanti, secundùm inclinationem sui appetitus, quia deesset cognitio necessaria & congrua inclinationi sui appetitus. Sed in proposito hæc ratio magis vrget de homine, cuius inclinatio est superior, & ad bonum rationis, & ad inquirendam veritatem non solùm sensibilium, sed abstractorum à materia: ergo à fortiori debet à natura sua habere species, vt media necessaria ad hunc finem, eáque conseruare in intellectu, aliàs deficeret in mediis necessariis ad suum finem assequendum, & perfectionem, ad quam ex inclinatione naturæ suæ, & facultatum ordinatur, & quibus reliquæ facultates sensitiuæ subordinantur.

Confirmatio. Finis potentiarum.

Inclinatio appetitus requirit conseruari species in phantasia.

A fortiori id competit homini secundùm intellectum.

6 Dices, sufficere species conseruatas in phantasia, hoc est, ipsum phantasma.

Responsio.

Contrà, sic sequeretur non dari species intelligibiles, quia sufficeret concursus immediatus phantasmatis cum intellectu ad intellectionem, hoc est contra suppositum, quod in præsens non examinamus, quia supponimus dari species, & eas esse necessarias, & inesse intellectui; iam autem quæritur, an sint permanentes, & non transeuntes sicut actus.

Impugnatio.

Dices, ergo aliter sufficere phantasma manere, & quoties intelligitur intellectum conuertendo se ad phantasma formare speciem intelligibilem, quæ cum actu transit, & toties esse nouam, quoties intelligitur idem, vel aliud obiectum de nouo.

Responsio.

Species sẽper esse nouas, & transeuntes.

7 Contrà. Hæc responsio est magis absurda, vel æquè ac prior: quia sequeretur quòd non esset in potestate hominis intelligere, cùm vult, vel quod vult, neque vti scientia, vel habitibus virtutum, saltem Theologalium, vt præscindamus controuersiam de subiecto reliquarum; imò etiam neque vti habitibus moralium: & probatur consequentia, quia imperium in voluntate non subsistit sine apprehensione præuia obiecti, cùm sit appetitiua, supponens cognitionem intellectus, quia est appetitus rationalis, & non sensitiuus. Hæc apprehensio præuia non est in potestate voluntatis mediatè, aut immediatè, nisi præeunte intellectu. Sed intellectus nequit præire, nisi prout mouetur ab obiecto; ergo talis est motio eius, qualis est dispositio, & operatio phantasiæ, ac proinde nequit ad aliud conuertere; ergo à primo ad vltimum, nequit intelligere nisi hoc obiectum, ad quod determinatè mouet phantasma, & naturaliter iuxta dispositionem phantasiæ, quod est falsum: ergo species habet intellectus permanentes, quibus vti potest ex imperio voluntatis.

Impugnatio. Sic non esset in potestate intellectus intelligere cùm vult.

Imperium supponit cognitionem.

Prætereà, sequeretur si species transirent cum actu, quòd nulla esset memoria præteritorum in intellectu, quod esset maximum inconueniens, tam in ipso intellectu, quàm in voluntate, vt per se constat: quia præter alia incommoda nunquam posset prosequi finem, aut illum proponere voluntati, aut habere prouidentiam vllam ex præteritis, aut regulares actiones humanas, & affectus. Probatur sequela: quia memoria est respectu actus præteriti, vt fuit obiecti, & vt præteriit: sed neque actus intellectus, vt præsens est, vel præteritus, potest habere speciem in phantasmate; ergo eam habet in intellectu, etiam permanenter, aliàs inutilis esset conatus recordandi præterita, v. g. actus bonos, aut malos, tam voluntatis, quàm intellectus, principia vniuersalia, conclusiones, & huiusmodi, quorum nulla est memoria in sensu, qui versatur circa singularia cognita per experientiam sensus externi. Ergo necessariò saluandæ sunt species illorum actuum, & veritatum in intellectu, sed non est maior ratio in his, quàm aliis speciebus; quinimò aliæ species obiectorum simplicium necessariæ sunt, vt hæ species complete habeant suum effectum in intellectu: ergo, &c. 8

Si species essent transeũtes cum actu, tolleretur memoria præteritorũ.

Necessitas reminiscentiæ.

Præterea, quando determinatio intellectus fit primò per voluntatem, operatio intellectus præcedit operationem phantasiæ, & hæc ex subordinatione potentiarum sequitur; ergo in eo casu saluanda est species in intellectu permanens, per quam operatur. Maior probatur, v. g. quando procedit intellectus secundùm regulas, & principia vniuersalia, licèt phantasia ex ratione iam dicta sequatur operando circa singularia; operatio intellectus non incipit à sensu, sed è contra. Vt si phantasia, v.g. operetur intensè ex inclinatione appetitus, aut alia causa circa aliquod obiectum delectabile, quod sit peccatum: intellectus, tunc ex imperio voluntatis applicatus ad considerationem legis, & honestatis, aliorúmque motiuorum, trahit secum phantasiam intermittendo priorem imaginationem. Ergo tunc præit intellectus, & consequenter habet obiectum in *esse* intelligibili sibi præsens permanenter in sua specie: nam complexorum iudicium, & cognitio principiorum perfecta dependet ab extremis cognitis, & consequenter ab extremorum speciebus repræsentantibus. 9

Intellectus applicatus per voluntatem antecedit phãtasiã.

Exemplum.

Cognitio cõplexorũ dependet à cognitione extremorum.

Confirmatur, quia habitus sunt permanenter in intellectu, & iis vtimur quando volumus: ergo & species, sine quibus habitus essent inutiles, cùm respiciant sua obiecta vt proponuntur in specie, & quà aliter nequeunt esse præsentia intellectui: ergo vsus liber habitus supponit vsum etiam liberum speciei, ac proinde informatum intellectum permanenter tali specie.

Confirmatio. Habitus sunt permanentes.

Dices itaque tertiò, quòd species quidem permanenter sunt in intellectu cõiuncto corpori; sed dependet à continuo influxu phantasiæ, & phantasmatis, sicut actus à continuo influxu potentiæ. 10

Responsio. Speciem dependere ab influxu continuo phantasiæ.

Contrà. Hæc euasio est falsa: quia nihil influit phantasia in intellectum, nisi actu phantasiando,

Impugnatio.

Phantasia influit in speciem solùm phantasiando eius obiectū. tasiando, & operando circa obiectum speciei, & ex naturali ordine potentiarum, & motionis obiecti sequitur in intellectu etiam apprehensio eiusdem obiecti, vt experientia etiam constat, & ratione à priori, quia intellectus sequitur motionem obiecti fortiùs mouentis: in eo autem fortiùs mouet obiectum, circa quod est phantasiatio; neque est in potestate intellectus quin illud apprehendat prima impressione: nam vt rectè Augustinus, *non est in potestate nostra quin visis tangamur*; sed non semper phantasia imaginatur obiectum, cuius species est tam in ipsa phantasia, quàm in intellectu. Imò hoc impossibile est ex limitatione potentiæ in operando, per quam necessariò intermittit operationem circa vnum; quando conuertitur ad aliud. *Limitatur potentia ad aliquod obiectum.* Sic etiam neque ipse intellectus exit in apprehensionem circa omnia obiecta, quorum species habet, ex eadem ratione & experientia. *Nequit simul operari circa singula.* Ergo species intellectus non dependet à continuo influxu phantasiæ, sed sua natura est permanens. Ex quibus sequitur intentum, & ratio præmissa Doctoris, nempe speciem inesse intellectui, & permanenter, quà intellectus est, & independens à corpore tanquam subiecto, aut ratione recipiendi, aut etiam ratione efficiendi speciem, aut conseruandi, postquam inhæret intellectui. Ergo eædem species manent habitualiter in anima separata, quas acquisiuit dum fuit coniuncta.

Obiectiones contra hanc conclusionem infrà soluit Doctor.

11 *Secunda conclusio.* [d] *Ex hoc habeo quòd species*, &c. Statuit secundam conclusionem, nempe species remanere non solùm in habitu, sed etiam quoad vsum earum, & animam separatam per tales species intelligere, quia constituit species memoriam perfectam, quæ in actum secundum transire potest, *Species remanere quoad vsum.* qui ab Augustino vocatur intelligentia *lib.* 13. *de Trinit.* vide Doctorem *in* 1. *distinct.* 3. *quæst.* 9. sequitur ergo quòd anima separata per memoriam, id est, intellectum cum specie intelligibili possit habere actum intelligentiæ, vt est separata à corpore. *Anima separata recordatur præteritorum.* Hanc conclusionem probat ex Philosopho & Hieronymo in litera. Patet etiam ex Luc. 16. de epulone, qui recordatus est suorum fratrum; ergo habuit memoriam, & recordationem eorum quæ ipsi in vita contigerant, & de Lazaro. Sap. 5. *dicentes intra se, & pœnitentiam agentes, hi sunt quos habuimus in derisum*, &c. *Luc.* 16. *Sap.* 5. Pœnitentia est præteritorum, sicut & memoria peccatorum commissorum est in electis. Deinde veriùs manet in damnatis memoria peccatorum. Antecedens patet ex dictis superiùs. Ad hos actus necessaria est species: ergo, &c.

Dices, dari speciem infusam à Deo. 12 *Responsio.*

Contra hanc solutionem agetur in sequentibus, quia siue detur, siue non, potest intellectus nullum habens impedimentum agere per species antiquas & retentas. *Impugnatio.*

Dices, non posse, quia illæ dicunt ordinem ad phātasmata, sicut intellectus hominis ad phātasiā. *Responsio.*

Contrà. Quia quòd fuerint desumptæ à phantasmatibus non dicunt ordinem illum repræsentationis ad phantasmata, sed ad obiectum: ergo possunt nunc à fortiori reducere intellectum ad actum secundum, quando minùs est impeditus. *Impugnatio.* Alia responsio non subsistit; quia si vera esset, sequeretur quòd anima separata nullam intellectionem posset habere: hoc autem est contra fidem, & rationem: illud ergo Philosophi: *quando intellectus intelligit, phantasia phantasiatur*, &c. intelligitur non secundùm dependentiam intellectus à phantasia in operando, sed secundùm coniunctionem, & concomitantiam potentiarum in operando, dum anima vnitur corpori. *Explicatur Philosophus.*

SCHOLIVM.

Arguit quadrupliciter, quòd anima separata non intelligat quiditates sibi antea notas, & soluit per optimam doctrinam.

Instantiæ quatuor. [e] Contra hoc videntur aliquæ dubitationes. Primò, quia si multæ species intelligibiles sint conseruatæ in intellectu, aut quælibet mouebit ad intellectionem, vel ad considerandum obiectum repræsentatum per ipsam, vel nulla. Primum est inconueniens, quia non conuenit intelligere multa distincta: ergo relinquitur secundum, quòd nihil continget intelligere.

Præterea intellectio sine phantasmate perfectior est quàm cum phantasmate (cuius probatio est, quia conuenit cum intellectione Dei, & Angelorum, quæ est simpliciter perfectior in genere intellectionum) ergo si intellectus separatus possit intelligere sine phantasmate, haberet intellectionem simpliciter perfectiorem quàm coniunctus; quod est inconueniens.

Præterea, in intellectu coniuncto non sufficit species intelligibilis ad intellectionem sine phantasmate, quia oportet conuerti ad phantasmata, 3. *de Anima*: sed ista species intelligibilis est æquè perfecta in intellectu coniuncto sicut in separato: ergo ipsa sola in separato non sufficiet ad intellectionem, quia nec phantasma poterit tunc haberi: ergo, &c. *Text.* 39.

Præterea, operatio propria totius non potest esse propria operatio partis, quia nec *esse* totale totius poterit esse partis: sed *intelligere* est propria operatio hominis, ex 1. *Ethic.* Et probatur per rationem, quia est aliqua propria operatio istius speciei, & non alia quàm ista: ergo illa non potest esse operatio animæ, quæ est tantùm pars speciei. *Cap.* 9. *De quo* 2. *d.* 42. *q.* 4.

Ad primum, difficultas ista de intellectione multorum, vel vnius obiecti, primò, communis

communis est, tamen in proposito habet difficultatem specialem, quia hîc non potest recurri ad sensus particulares percipientes sensibilia, nec ad phantasmata efficaciùs, vel minùs efficaciter mouentia, sicut de intellectu coniuncto. Si enim sint plura intelligibilia præsentia intellectui, illud cuius species fortiùs imprimitur sensui, & est efficacior in repræsentando, illud in ipso efficaciùs mouet intellectum ad sui considerationem.

6 Dico ergo breuiter ad istud hîc, & per consequens vbique de ista non simultate, quòd obiecta præsentia habitualiter vel sunt æquè motiua intellectus, vel aliquod est efficacius motiuum eius quàm alia. Si primo modo, & cum hoc poneretur æqualis inclinatio intellectus ad quodlibet illorum, nullum illorum priùs intelligeretur quàm aliud: sed hypothesis est impossibilis. Si autem aliquod efficacius motiuum, ablata inclinatione maiori ad vnum obiectum quàm ad aliud, quod est efficacius motiuum; priùs mouebit, & priùs intelligetur. Pensatis ergo hinc & inde virtute motiua, & inclinatione, apparet quòd priùs intelligetur. *A quo determinatur intellectus separatus ad hoc vel illud intelligendũ.*

Ad secundum dico, quòd aliquid potest dici perfectius positiuè, vel permissiuè. Exemplum, animal est perfectius musca permissiuè, quia ratio animalis permittit quòd animal saluetur in homine: musca autem est perfectius positiuè, quia quælibet species aliquam perfectionem ponit vltra genus. Ad propositum, intelligere sine phantasmate est perfectius quàm intelligere cum phantasmate; verum est permissiuè, sed non positiuè, id est, non ponit plus perfectionis; quod probatur, quia agens potest vti instrumento, non positiuè perfectiùs agit, si non vtatur instrumento; tamen actio sine instrumento, possibile est quòd sit perfectior actione, quæ est cum instrumento, ita hîc de phantasmate, quod est vt instrumentum, concedo quòd aliquam conditionem perfectionis habet intellectio sine phantasmate, quam non habet intellectio cum phantasmate: quia similitudinem quandam cum intellectione simpliciter perfecta substantiæ separatæ, sed non sequitur ex hoc, quòd quæcunque talis sit positiuè perfectior quacunque tali. *Perfectius positiuè & permissiuè explicatur.*

7 Ad tertium dico, quòd si species intelligibilis in coniuncto non sufficit sine phantasmate, hoc non est quòd phantasma requiratur ibi tanquam principium aliquod actus intelligendi, sed præcisè requiritur vt principium operationis virtutis phantasticæ: & illa operatio requiritur ad intellectionem propter connexionem potentiarum superiorum & inferiorum in agendo; siquidem superior, non perfectè operatur circa aliquod obiectum, nisi inferiores quæ possunt operari, operentur circa idem. Et hæc est ratio quare distractio potentiarum animæ circa diuersa obiecta impediunt operationes earum.

Est tamen aliqua perfectio, quam phantasma tribuit intellectioni, per hoc, quòd intendit speciem intelligibilem regulariter in qualibet intellectione, sicut declaratum est *lib.* 1. *dist.* 3. sed illa perfectio haberi non potest sine phantasmate: & ideo quoad hoc concedendum esset quòd intellectio separata esset minùs perfecta quàm coniuncta, nisi esset aliquod reformans, quod sufficeret pro æquali perfectione restauranda. Et ex hoc patet quomodo necessaria est conuersio ad phantasmata, non sicut ad principium intelligendi, sed sicut ad illud quo oportet potentiam inferiorem vti, ad hoc quòd superior habeat operationem suam: & hoc propter ordinem potentiarum in agendo, quas ad perfectè agendum oportet concurrere in agendo circa idem obiectum. *Quæst.* 8. *Intellectio animæ separatæ, an perfectior, quã vnita?*

8 Ad quartum, cuiuscunque totius forma non est nata esse per se, eius totius potest esse aliqua operatio propria, quæ non potest esse formæ suæ. Sed per oppositum, cuius forma specifica nata est per se esse, illius totius non potest esse aliqua operatio perfecta, quæ non possit esse formæ vt operantis, quia operatio perfectissima non potest inesse, nisi insit secundùm formam perfectissimam: & non potest esse secundùm formam possibilem per se esse, nisi possit illi per se inesse: quia illud erit per se immediatum receptiuum, & ita si per se est, per se potest recipere. *Quæ forma operatur id, quod eius totum.*

Concedo ergo quòd intellectio est propria operatio totius hominis: sed secundùm formam perfectissimam in eo tanquam secundùm propriam rationem operandi, nec hoc solùm, sed quia hæc forma est separabilis; sic inest secundùm eam quòd potest esse eius, & ideo sic est propria totius quòd potest esse partis. Nego ergo maiorem in proposito. Ad probationem de *esse*, licèt aliqui dicant quòd *esse* totius est *esse* animæ, tamen hoc improbatum est suprà *dist.* 42. *quæst.* 1. Vnde concedo quòd *esse* totius non potest esse *esse* animæ, nec è conuerso, loquendo de *esse* totali, & præciso: *Intellectio quomodo propria totius hominis? D.Th. dist. 44.q.4.*

Esse totius non potest esse partis, bene tamen operatio totius, potest esse partis.

& tamen operatio perfectissima totius istius, quia non potest inesse nisi secundùm animam, & non potest inesse secundùm eam, vt secundùm proximum receptiuum, nisi possit esse eius quando ipsa per se est; sequitur quòd operatio totius potest esse operatio illius; vnde nego consequentiam, *esse* huius non potest esse illius, ergo nec operatio eius, operatio istius. Ad probationem, *operari* præsupponit *esse*; verum est, sed non vt præcisam rationem recipiendi.

Ad arg. 1.

f Ad argumenta principalia. Ad primum, illa auctoritas 3. *de Anima*, debet intelligi quoad acquisitionem intellectionis: & hoc per se & primò. Sed quoad vsum non est intelligendum. Et ratio est, quia intellectus potest vti forma priùs acquisita, licèt illa non habeantur, quæ priùs necessaria erant ad acquirendam illam formam: non sic sensus, loquendo de sensu exteriori, potest vti aliqua forma priùs acquisita: quia non est conseruatiuus speciei priùs receptæ ad posterius operandum. Aliter posset dici, quòd hæc propositio intelligitur pro statu isto: quia intellectionem istam nobis conuenientem per experientiam non nouit Philosophus, nisi pro statu isto, quia nullam aliam experiebatur. 9

Sensus non seruat species.

Ad 2.

Intellectus corrũpitur quodam interiori corrupto. Explicatur.

Ad secundum, intellectus corrumpitur, id est, impeditur quantùm ad operationem, & sic quasi corruptus habetur, quodam interiori corrupto: quia sine operatione phantasiæ non potest in operationem suam: sed ex hoc non sequitur quòd sit in se corruptio, vel corruptibilis, nec quòd illud aliud necessariò requiratur ad actum eius: sed tantummodo quòd requiratur secundùm ordinem potentiarum, qui nunc inuenitur in natura humana in operando circa idem obiectum.

Ad 3.

Intellectus passiuus corrumpitur. Explicatur.

Ad tertium, dico, quòd intellectus passiuus non intelligitur ibi intellectus possibilis: sed aliqua virtus sensitiua, quam aliqui vocant cogitatiuam: & verum est quòd omnis sensitiua corrumpitur, & ideò intellectus passiuus illo modo acceptus: non tamen intellectus passiuus, eo modo, quo dicimus intellectum possibilem esse passiuum.

COMMENTARIVS.

13 *Obiectio quadruplex. Prima obiectio. Species ex se non posse mouere intellectum separatum.*

e CONtra hoc videntur aliqua, &c. Quatuor obiectiones soluit factas cõtra prædictas conclusiones. Prima obiectio est, quia plures species in intellectu nequeunt simul mouere ad cognitiones proportionatas: quia intellectus nequit habere simul tot operationes ob suam limitationem in *esse*, & *operari*. Non mouebunt seorsim vna magis quã alia, quia neque ex parte speciei, neque ex parte intellectus datur ratio sic mouendi. Hæc difficultas non est communis intellectui coniuncto, & separato: quia in coniuncto potest esse determinata mediante sensu externo, & phantasia, quæ potentiæ non insunt animæ separatæ.

Responsio. Species non esse æqualis virtutis, & vnã præ alia mouere.

Respondetur, vel omnia esse æqualia in virtute, quod supponit esse impossibile; quia nempe intellectus in via fortiùs mouetur ab vno obiecto in phantasmate, quàm ab alio, & frequentiùs operatur circa vnum, quàm circa aliud; vnde species vnius intenditur magis, quàm alterius. Data ista indifferentia, quam intendit argumentum, tam ex parte specierum, quàm ipsius intellectus, nullum illorum priùs intelligeretur quàm aliud, quia hæc est indifferentia potentiæ passiuæ, quæ necessariò reducitur in actum per aliud à se: quamuis autem virtus intelligendi sic in intellectu impeditur ex hoc capite, quia cùm nequeat exire in actum adæquatum omnibus speciebus æqualiter mouentibus, & nequeat in tot actus simul ob sui limitationem, & exigat determinari per obiectũ ad actum determinatum; inde fit vt omnibus æqualiter mouentibus, & stante inclinatione æquali intellectus ad singula, non sequitur vllus actus, quia motio illa æqualis est, & respicit terminum, qui non est in potestate intellectus, nempe intelligere simul singula.

Si motio omnium esset æqualis intellectum non mouerent.

14 *Exemplum.*

Exemplum est, si plura agentia contraria applicarentur ad subiectum capax effectus ab alterutro, & æquali inclinatione subiecti, & virtute agentium, & applicatione, nihil producerent, quia agerent ad opposita, quæ simul inesse non possunt, & æqualiter agerent. Aliud exemplum magis accommodatum, si plura agentia applicarentur vniformiter quoad virtutem, & reliqua eidem materiæ primæ, nihil in ea producerẽt, quia materia ex limitatione sua non est capax nisi vnius formæ substãtialis: simul agentia autem applicata primò agerent ad diuersas formas, quæ simul inesse non possunt, & æquè afficaciter agerent, ideóque se mutuò impedirent in actu secundo. Eodem modo in proposito contingeret, quia intellectus limitatus non est capax tot intellectionum, ad quas primò mouetur à speciebus, ideo se mutuò impediunt in actu secundo, modò intellectus sit æqualis inclinationis ad singulas. *Aliud.*

15 *Applicatio. Si differẽs est inclinatio intellectus, determinatur per potiorem.*

Quòd si diuersa sit inclinatio intellectus, tunc sequetur actus conformis inclinationi, quamuis aliàs obiecta æqualiter mouerent. Ratio est, quia ex vi talis inclinationis ab intrinseco determinatur ad actũ: v.g. si intellectus est habituatus circa obiectũ per habitũ, inclinatur ad illud obiectum præ aliis, quia licèt demus species æqualiter se habere; tamen non est æqualis dispositio intellectus respectu omnium, sicut patet in exemplo allato, si materia sit disposita ad vnam formam præ aliis, licèt agentia sint æqualis virtutis, illud agens natum agere ad formam, ad quam inclinatur disposita materia, producet, & præualebit aliis. Idem dico si intellectus ex natura potentiæ sit magis inclinatus ad vnum obiectum, quàm ad aliud, operabitur circa illud, quia quod inclinatio habitus, à fortiori facit ipsa naturalis inclinatio intellectus. Tota hæc responsio procedit præcisè in iis quæ sunt proxima causæ intellectionis, seclusis aliis causis, ex quibus inclinatetur

Probatur.

Inclinatio naturalis potior habituali.

Alia causa extrinseca determinatiua intellectus.

natetur intellectus, vt imperio voluntatis, & aliis causis extrinsecis, quæ mouere possunt intellectum ad actum. Vnde sicut intellectus separatus est subiectus voluntati, ita etiam ex imperio eius potest determinari nunc ad hunc, nunc ad illum actum, & obiectum. Ratio autem prædicta, & responsio sistit in sola natura obiecti, & intellectus, vt hic est mobilis, illud mouens. Agitur etiam de cognitione abstractiua, non de intuitiua, quia intellectus animæ separatæ sicut seipsum, ita & species suas intueri potest, vt in sequenti quæstione dicetur.

16 *Secunda obiectio Ex perfectione intellectus separati.*

Obiicit secundò, Intellectus sine phantasmate perfectior est quàm intellectus coniunctus, & dependens à phantasmate, quia magis conuenit cum intellectu diuino, & Angelico. Ergo si separatus potest intelligere, eius intellectio erit perfectior quàm illa quam habuit dependenter à phantasmate, &c. quod est inconueniens.

Responsio.

Perfectio positiua, & negatiua intellectus.

Respondet, aliquid dici perfectius positiuè, aliquid verò perfectius negatiuè, sic intelligere sine phantasmate est perfectius permissiuè, non positiuè, quod est dicere, quòd intelligere sine phantasmate sit perfectius, quantùm ad modum intelligendi ex parte causæ, nempe intellectus, quia sic intelligendo, magis conuenit cum modo intelligendi Dei, & Angelorum; non tamen est perfectius quantùm ad substantiam effectus, seu intellectionis quoad gradum entitatis & operationis; quod probat, quia agens potens vti instrumento, si agit sine instrumento, perfectiùs agit: tamen possibile est actionem, seu ipsum effectum non esse in se perfectiorem, v.g. Deus potest producere effectum mediante causa secunda tanquam instrumento loquendo de instrumento latè sumpto, & eundem effectum producere potest sine instrumento, idem erit effectus quoad substantiam & gradum: sed diuersus modus producendi, quorum alter in se perfectior est ex genere suo, & excludens dependentiam ad plura: ita in proposito intellectio sine phantasmate tanquam instrumento perfectior est quoad modum intelligendi, qui assimilatur modo intelligendi substantiæ separatæ, licèt non perfectior in substantia effectus, & operationis.

Perfectio cõtingit in modo operandi, qua non est in ipsa operatione.

17 *Causa naturalis non impedita vniformiter agit.*

Hæc responsio rectè soluit difficultatem, quantùm ad vim consequentiæ, & confirmari potest à priori, quia causa naturalis non impedita ad eundem effectum vniformiter agit quantùm ad substantiam, & perfectionem ipsius effectus: sed intellectus coniunctus, agens ad intellectionem per speciem receptam à phantasmate, non impeditur à phantasmate, sed magis promouetur in sua actione, & operatione: ergo idem intellectus vt natus est agere præcisè per talem speciem ad cognitionem abstractiuam obiecti, vniformiter applicari per speciem, vniformiter agit, quoad substantiam effectus, sicut & ipsa species sistendo in præciso lumine naturali, & modo cognoscendi obiectum per talem speciem, & secluso alio modo intelligendi.

Intellectum separatũ, & coniunctum vniformiter agere per eãdem speciem.

18 *Obiectio.*

Dices intellectum separatum ex modo essendi esse magis perfectum, & expeditum ad cognoscendum.

Impugnatur, ex immutatione virtutis eodem modo se habentis.

Contra. Intellectus animæ separatæ quoad modum cognoscendi per speciem receptam à phantasmate, & prout ad illam limitatur virtus potentiæ, non acquirit virtutem perfectiorem, neque species variat modum repræsentationis: ergo perfectio operationis nequit crescere, nisi quatenus virtus intellectus vt coniuncti, esset ligata, vel impedita, ne posset in totum effectum in quem potest separata: sed neque hoc etiam dici potest, quia intellectus vt coniunctus, non impeditur in sua operatione quoad hunc modum cognoscendi per talem speciem, quia est ipsi connaturalis ipsa coniunctio, sicut esse formam corporis: ergo per vnionem ad corpus non impeditur eius operatio connaturalis in corpore. Prætereà, operari etiam dependenter à phantasmate, non impedit eius virtutem, sed magis promouet, vt dictum est, hoc enim non impedit quin cognoscat modo connaturali motioni per obiectum mediante phantasmate, & specie recepta operetur per modum intellectus. Deinde, in corpore glorioso æquè perfectè operabitur per talem speciem, vt coniunctus est phantasmati, quàm operatur separatus: quia coniunctio ad corpus gloriosum non minuit eius perfectionem in operando naturaliter: ergo perinde idem dicendum de eius coniunctione ad corpus mortale, quantum est præcisè ex hoc capite; quia vnio ad corpus mortale est magis connaturalis animæ ab intrinseco spectatis causis merè naturalibus: quia esse mortale, & gloriosum sunt differentiæ corporis secundùm diuersum statum, quorum vnus est ipsi naturalis, alter verò supernaturalis, & ex gratia, & causa extrinseca supernaturali; forma autem naturalis in *esse*, & operatione, magis respicit subiectum secundùm naturalem modum, & ab intrinseco conuenientem, quàm secundùm modum supernaturalem: ergo quoad modum naturalem operandi non impeditur à subiecto connaturali, & consequenter modus operandi dependenter à specie, recepta per phantasmata, non variatur in anima, neque impeditur. Exemplum est de Christo, eiúsque intellectu, vt operabatur in corpore mortali dependenter à phantasmate per cognitionem experimentalem receptam à sensu, quæ eiusdem perfectionis fuit in eo statu, & in statu separationis animæ à corpore in Passione, & triduo mortis, in quo non creuit in illa præterita cognitione, sicut creuit quando recepit dependenter à sensu.

Operatio cõnaturalis animæ non impeditur per vnionem ad corpus.

Exemplũ de coniuncto in corpore glorioso.

Esse mortale, & gloriosum non variat connaturalẽ modũ agẽdi.

Exemplũ de Christo & eius intellectu.

Quòd si quis oppositum huius tueri voluerit, non repugno, quia Doctor soluit argumentum, quantùm ad vim consequentiæ, quam negat sequi ex antecedente per causam intrinsecam, & ex vi solius operationis, seclusis aliis causis, ex quibus potest crescere. Ad cuius declarationem suppono speciem ipsam in se esse similitudinem formalem obiecti, quoad repræsentationem, vt communis tenet schola Philosophorum, quidquid dixerint pauci, vt Suarez, *lib. 2. de Attributis negatiuis cap. 12. & in Met. disp. 6. sect. 9. & disp. 30. sect. 11.* Cuius oppositum colligitur ex Philosopho 1. *de Anima cap. 2 text. 26. & cap. 5. text. 76. & 3. Met. cap. 4. text. 15.* Ex communi veterum asserentium simile non cognosci à simili, nisi fiat simile, *& 3. de Anima cap. 4. text. 8. & 14. cap. 5. text. 18. cap. 7. text. 36. cap 8. text. 37. & 38.* Idem docet *in libro de memoria, & reminiscentia cap. 1.* vbi speciem appellat imaginem, similitudinem, imitationem, simulachrum, picturam: *Scire*, inquit, *oportet affectionem quandam, quæ picturæ similis habeatur per sensum in anima, aut certè in parte corporis eam habente inuri, cuius habitum memoriam esse dicimus*, &c. Idem docuit Democritus apud eundem in libro de

19 *Teneri potest alia via.*

Speciem esse similitudinẽ obiecti.

Negat Suarez.

Affirmatiua communis.

Philosoph.

Alij Philosophi.

de diuinatione per somnium, cap. vnic. *Somnia simulacris & defluxibus accepta referens*, &c. Item Plato, & Auicenna, & D. Thomas 1. *part. q.*84. *art.* 4. & 6. Augustinus 8. de Trinitat. cap. 6. *Finxi in animo imaginem Alexandriæ, atque intuens in ipsam, id est, imaginem, & quasi picturam eius*, &c. lib. 10. de Trinitat. cap. 5. *Quoniam non potest omnia secum introrsum in regionem incorpoream ipsa corpora anima inferre, imagines eorum cùm voluerit, recipit*, &c. lib. 12. de Gen. ad lit. cap. 23. *Certum est esse spiritualem quandam naturam in nobis, vbi corporalium rerum formantur similitudines; siue cùm corpus aliquod sensu corporis tangimus, & continuò formatur eius similitudo in spiritu, memoriaque reconditur, siue cùm absentia corpora iam nota cogitamus, vt ex eis formatur quidam spiritualis aspectus, qua iam erunt in spiritu, & antequam ea cogitamus*, &c. Item 15. cap. 12. & 27. Idem tenet, explicans quid sit verbum, & quomodo ex memoria gignitur. Anselmus in Monologio cap. 31. *Cùm cogito*, inquit, *notum mihi hominem absentem, formatur acies cogitationis meæ in talem imaginem eius: qualem illam per visum oculorum in memoriam attraxi*, &c. Hanc tenet Doctor *quodlibeto* 14. & *in* 1. *distinct.* 3. *quæst.* 7. vbi omnes eius discipuli, & D. Thomas loco citato, & 1. *part. quæst.* 12. *art.* 9. & reliqui Thomistæ. Cursus Conimbricensis *in* 1. *de Interpretat. cap.* 1. *quæst.* 2. *art.* 3. prima sectione meritò eam vocat communem Philosophorum, & Theologorum, quæ probari potest argumento desumpto ex specie visibili, in qua videtur in reflexione anguli, v. g. in speculo: videtur, inquam, formaliter obiectum, quod non posset oculus attingere sine repræsentatione obiectiua formali in specie: ergo idem à paritate contingit in specie intelligibili: quia hoc est etiam perfectionis: nam quò magis assimilatur species obiecto, eò magis accedit ad eius imitationem, & participationem. Quamuis autem talis repræsentatio in specie non requiratur ad omnem intellectionem, sed sufficiat repræsentatio virtualis, v. g. obiecti secundarij, vel eius quod virtualiter includitur in suo primario obiecto, saltem requiritur respectiuè ad obiectum primarium.

August.

Sententia communis.

Probatio à simili.

20 Supposita hac doctrina communi, quòd ad ea quæ in sequentibus quæstionibus tractantur, intelligenda facit, ad propositum recurrendo, anima separata, & intellectus eius, potest speciem in seipsa intueri, quam pro hoc statu cognoscat tantùm à posteriori, & ex operatione, quam experitur circa obiectum absens, intuendo autem speciem, & etiam habitum ad obiectum inclinans, potest mediante specie habere perfectiorem cognitionem, tanquam ratione cognoscendi cognita, quàm fuerit intellectio obiecti in via. Deinde, quia ipse intellectus separatus magis est expeditus ad cognitionem, quàm vt fuit coniunctus in hoc statu. Vndecunque proueniat hoc, siue ex peccato, siue aliunde, poterit etiam perfectiùs operari circa obiectum, ad quod perfectiùs etiam mouet species visa; & præterea minùs distrahitur virtus animæ per operationem aliarum potentiarum sensitiuarum, quibus in eo statu caret.

Sequitur institutum.

Intellectus separatus intuetur speciē vnde perfectius attingit obiectum.

21 Obiicit tertiò, species illa non sufficit ad intellectionem in intellectu cōiuncto pro hoc statu sine conuersione ad phantasmata, vt patet 3. *de Anima text.* 39. & etiam experientia; ergo non sufficit in separato à phantasmate.

Tertia obiectio ex depēdentia à phātasmate.

Respondet phantasma nō requiri in intellectu coniuncto tanquam principium actus intelligendi: quando ergo intellectus coniunctus intelligit quòd imaginatio phantasiatur, prouenit ex coniunctione potentiarum: quia superior in eodem ordine nequit perfectè operari, nisi inferiores in eodem ordine circa idem operentur. Vnde oritur distractio potentiarum circa diuersa obiecta in suis operationibus.

Responsio.

Coniunctio potentiarum.

Addit præterea quòd phantasma remotè tribuat aliquam perfectionem intellectioni, quatenus intendit speciem, ex qua eius intentione oritur perfectio operationis. Hanc perfectionem non habet species animæ separatæ, neque proinde intellectio per ipsam ex hoc capite esset æquè perfecta ac intellectio, quæ mediatè intenditur dicto modo ad phantasma; *nisi esset aliquod reformans*, inquit, *quod sufficeret pro æquali perfectione restauranda*, &c. Quid sit autem hoc *reformans* non exprimit; dici potest concursus Dei supplentis defectum naturæ in statu animæ separatæ, qui est status perfectus intelligendi, qui concursus ex vniuersali prouidentia est debitus animæ in tali statu, sicut etiam alij statuunt species infusas naturaliter deberi Angelo, & animæ separatæ, quas negant desumi posse ab ipsis rebus, saltem materialibus. A fortiori cùm anima sit constituta in actu primo per speciem intelligibilem acquisitam in via; debet suppleri omnis eius dependentia, vt perfectè in actum.

Deus supplet dependentiā animæ separatæ.

Responderi potest aliter, illud restaurans esse ex parte potentiæ, quæ in eo statu perfectiùs operari potest, & intensiùs, cùm non distrahatur ex operatione aliarum potentiarum, quibus erat intellectus coniunctus in hoc statu: nam perfectio operationis potest prouenire ab alterutra causa perfectiùs & intensiùs operante; anima autem coniuncta quò intensiùs operatur secundùm vnam potentiam, eò minùs intensè operatur secundùm aliam; quia *virtus vnita fortior est seipsa dispersa*: vnde oritur remissio operationis in singulis potentiis quando circa diuersa operantur, & quamuis etiam concurrunt circa idem obiectum quælibet in suo ordine, quò vehementiùs vna præ aliis operatur, eò remissior est in aliis operatio, ideóque imaginatio vehemens distrahit intellectum, & voluntatem circa idem, & appetitus vehemens etiam deliberationem iudicij. Idem patet in extasibus, quando contingunt per abstractionem à sensu, & imaginatione, his suppositis intellectum vehementiùs operari, & perfectiùs, quia virtus animæ ad operationem tota colligitur. In anima ergo separata, cùm non sit operatio aliarum potentiarum, nisi solius intellectus & voluntatis, sequitur intensio conatus, perfectior applicatio virium animæ, & intensio in ipsa operatione ex tali applicatione, quæ supplet illam perfectionem, quæ nata esset haberi remotè à phantasmate. 22

Intellectus separatus perfectiùs operatur.

Huius ratio.

Obiicit quartò, Operatio propria totius non potest esse operatio partis propria: sed intellectio est propria operatio hominis 1. *Ethic. c.* 9. quia est operatio propria illius speciei, inquantùm differt ab aliis: sicut ergo operatio sequitur *esse*, & *esse* totius est aliud *esse* ab *esse* partium, ita operatio totius hominis est ita propria eius, vt non possit esse propria partis separatæ à toto. 23

Obiectio quarta.

Operatio totius non est operatio partis.

Respondet, quando forma constituens totum non est nata habere *esse* per se extra totū, verū esse antecedens: quæ responsio sic intelligitur, nempe operationem

Responsio.

operationem illam esse propriam totius in eo sensu, quatenus non possit conuenire formæ eius extra totum, sicut non conuenit illi esse extra totum: tamen licèt sit totius per vltimam denominationem propria, ipsi inest per formam constitutiuam, tanquam per principium *quo* agendi, & recipiendi, non loquendo de operatione strictè & vitali, sed de omni actione immanente, vel transeunte: & sic calefacit ignis per calorem, ignit per formam substantialem. Si verò loquamur de operatione vitali strictè sumpta, aliqua talis conuenit toti primò, v.g. organo, vt constituitur per animam, & corpus, cuius principium elicitiuum, & receptiuum est ipsum totum.

Operatio inest toti per formam.

24 In proposito, forma propria hominis sicut à sensu contraria manet etiam extra totum, & sic etiam potest habere operationem propriam, & perfectissimam, quæ aliàs non competit toti, nisi mediante forma tanquam principio recipiendi, & elicitiuo. Hæc autem operatio animæ rationalis abstrahens à materia, & non dependens à toto, aut etiam ab alia comparte. Exemplum huius est in venerabili Sacramento, in quo albedo separata perinde disgregat visum, sicut quando fuit inhærens substantiæ panis. Quandocunque ergo forma est principium *quo* totale receptiuum, & elicitiuum actionis propriæ totius, siue naturaliter, aut diuinitùs per miraculum ponitur separata, habebit eandem operationem. Quamuis autem *esse* totius, vt hominis non sit *esse* animæ, tamen operatio perfectissima non conuenit ei, nisi per animam, vt est sola ratio recipiendi, & producendi; si autem sola ratio recipiendi & producendi, necessariò ipsi competit talis operatio, vt est separata.

Intellectiо est propria animæ.

Conuenit toti per animam.

[f] *Ad argumenta principalia*, &c. Ad primum & secundum patet ex litera, & ex dictis. Ad tertium quod est ex tertio de Anima text. 20. *Intellectus passiuus corrumpitur*, &c. Explicatio Doctoris est communis interpretum, nempe sumi *intellectum* pro cogitatiua, aut reminiscitiua sensitiua, quæ post mortem corrumpitur. De qua corruptione agit Philosophus *loco citato*. 25

Ad argumenta. *Ad tertium.* *Intellectus aliquando sumitur pro cogitatiua.*

QVÆSTIO II.

Vtrùm anima separata poßit acquirere cognitionem alicuius priùs ignoti?

Alens. 2.*part.quæst*.26.*m*.1. D.Thom. 1.*part. quæst*.89. *art*.1. *ad* 3. *& quæst*.55. *art*.2. D.Bonau. 2. *ad* 3. *art*.2.*quæst*.1. Richard. *art*.6. *quæst*.1. Mayron. *quæst*.4. Capreol. *quæst*.2. Conimbric. *tract.de Anima separ. disp*.3.*art*.5.

1 [a] SECVNDÒ quæro, Vtrùm anima separata possit acquirere cognitionem alicuius priùs ignoti? Quòd non, quia tunc intellectus frustrà vniretur corpori. Probatio consequentiæ, non vnitur propter perfectionem corporis, quia forma non est propter materiam, sed è conuerso. 2. *Physic*. ergo vnitur propter perfectionem sui acquirendam, vt scilicet per vsum sensuum in corpore acquirat scientiam: sed istud esset frustrà, si separata sine vsu sensuum posset eam acquirere. *Arg*. 1. *Text*.14.*&* 13.*idem* 1. *de Anima com*.53.

Prætereà, transitus ab extremo in extremum, non potest esse nisi per medium: res extra est omnino materialiter, in intellectu omnino immaterialiter: ergo oportet quòd transeat per medium, in quo sit aliquo modo materialiter, & aliquo modo immaterialiter: sic autem est in sensu materialiter, quia secundùm conditiones indiuiduales: & immaterialiter: quia secundùm Philosophum 2. de Anima, *Sensus est receptiuus specierum, sine materia*; materia, inquam, tali, qualem requirit forma realiter existens extrà. *Arg*. 2. *Text*.121.

Prætereà, si posset acquirere cognitionem vnius ignoti, pari ratione & cuiuslibet, & ita distantia localis quantacunque, non impediret eius cognitionem; quod videtur esse contra August. in lib. de Cura pro mortuis agenda, vbi vult quòd, *animæ separatæ non nouerunt ea quæ hîc aguntur, nisi eis exprimantur ab Angelis, vel ab animabus ad eas venientibus, quæ illa hîc nouerunt.* *Arg*. 3.

2 Oppositum, natura non est sine propria operatione specifica, & accipitur ex 2. de Cæl. & Mun. & à Damasceno *cap*. 64. anima autem humana est perfectissima forma, & eius propria operatio secundùm intellectum possibilem, est *intelligere*, secundùm agentem *abstrahere*, & secundùm voluntatem, *velle*: ergo nullus modus essendi potest conuenire animæ secundùm naturam suam, in quo non possit in istas operationes. Secundùm autem naturam suam, talis est, quòd potest habere *esse* separatum, & hoc est ex perfectione naturæ suæ. (Vnde, hoc non conuenit aliis formis imperfectis) ergo in illo *esse* potest in illas operationes: sed possibile est eam non acquisiuisse priùs species obiectorum, sicut patet de anima paruuli defuncti: ergo poterit tunc acquirere. *Ratio ad opp.* *Text.c*.17.

COMMEN

COMMENTARIVS.

1 [a] SEcundò *quæro*, &c. In hac quæstione primò disserit pro vtraque parte. Secundò adducit sententiam aliorum cum suis fundamentis. Tertiò impugnat eandem sententiam. Quartò soluit fundamenta eius. Quintò respondet ad quæstionem. Sextò ad argumenta principalia.

Ordo & diuisio.

S C H O L I V M.

Sententia D. Thom. & Henrici, animam separatam non posse acquirere cognitionem vllius ignoti, clarè, fuséque explicatur. De qua actum est 2. dist. 3. quæst. 10. & 11. & ibi efficaciter refutata est.

D. Th. in 4. d. 50. q. 1. vide Henr. quodlib. 10. 12. & 13.

[b] HIc tenetur negatiua, propter rationem secundam in virtute. Arguitur enim, quòd oportet esse quandam conuenientiam inter recipiens & receptum: species autem in sensibus existentes habent conuenientiam cum intellectu, inquantùm sunt sine materia, & cum rebus materialibus inquantùm sunt cum conditionibus materialibus: & ideò conuenienter sensus recipit à rebus materialibus, & intellectus à sensu; non autem intellectus immediatè à rebus materialibus, quia non est ibi talis conuenientia; & ideò ad hoc quòd post separationem à corpore, intelligat, non requiruntur aliquæ formæ, à rebus acceptæ, vel tunc, vel priùs. 3

Quomodo ergo intelliget? Respondeo, per influentiam à substantiis superioribus, Deo videlicet, vel Angelis, & hoc loquendo de naturali influētia, & naturali cognitione eius, quod ostenditur sic: Intellectus noster est medius inter substantias intellectuales, & res corporales (vnde dicitur anima esse creata in horizonte æternitatis, *lib. de causis*: & hoc ideò, quia per intellectum attingit ad substantias intellectuales; inquantùm verò est actus corporis, attingit res corporales) omne autem medium quantò magis appropinquat vni extremo, tantò magis recedit ab alio, & è contra: sed anima rationalis, quæ mediat inter substantias intelligibiles, & res corporales (vt dictum est) dum separatur, quodammodo recedit à rebus corporalibus: igitur tunc accedit ad influxum substantiarum intelligibilium.

Proposit. 2.

Vnde cùm anima nostra in statu viæ maximè ad corpus accedat, vtpote eius actus existens, non habet respectum ad res intellectuales: & ideò non recipit influentiam à superioribus substantiis, vt cognoscat, sed cognoscit per species à sensibus acceptas: & ideò etiam in hac vita, quantò anima magis abstrahitur à corpore, tantò magis à substantiis spiritualibus influxum cognitionis recipit. Et inde est quòd quædam occulta cognoscit in dormiendo, & in excessu mentis. 4

Vnde quando actu erit à corpore separata, erit paratissima ad recipiendum influentiam ab Intelligentiis superioribus, scilicet Deo & Angelis: & sic per huiusmodi influentiam habebit cognitionem maiorem, vel minorem, secundùm modum capacitatis suæ. Et sic Commentator loquitur 3. *de Anima*, quia ponit intellectum possibilem esse substantiam separatam: quamuis in hoc erret, tamen quantùm ad hoc rectè dicit, quòd ex hoc, quòd ponitur substantia separata, habet respectum ad substantias intellectuales superiores eas vt intelligat, sed secundùm alium respectum, quo comparatur ad intellectum nostrum recipiendo species à phantasmatibus, non coniungitur substantiis altioribus.

Com. 5. & inde.

COMMENTARIVS.

2 [b] HIc *tenetur negatiua*, &c. D. Thomas in 1. *p. quæst. 54. art. 4. quæst. 55. art. 2. & quæst. 57. art. 2.* docet Angelum cognoscere alias res à seipso per species congenitas, non verò per species receptas à rebus saltem materialibus, vnde negat intellectum agentem in Angelo, eodem modo, quæstione. 89. art. 2. Ad secundum dicit animam separatam intelligere per species infusas à Deo, & articulo tertio idem docet. Et articulo primo ad tertium, quem præfatis in locis sequuntur plerique eius Commentatores, & Ferrariensis *lib. 2. contra Gentes cap. 96.* Capreolus *in 2. d. 3. quæst. 2.* & alij. Priorem difficultatem de speciebus, & modo cognoscendi intellectus Angelici tractauit Doctor *in 2. d. 3. quæst. 11.* ac proinde hanc difficultatem in illum locum remitto. Hîc autem solùm agemus de eo quod in titulo proponitur. Fundamentum huius sententiæ præcipuum est declaratum à Doctore in litera, sistit enim breuiter in hoc, quòd intellectus humanus sit in media proportione ad Angelicum, & ad cognitionem sensitiuam, & ex hac conuenientia cum vtraque cognitiua, tam in modo essendi, quàm in operatione participarè modum cognoscendi vtriusque: nam vt est forma corporis ipsi vnita, & dependens à corpore prout dependentia saluatur in proposito, sequitur modum operandi sensitiuæ, accipiendo speciem à rebus in phantasmate, quæ mediat inter intellectum, & sensum externum, qui recipit species ab ipsis rebus: vt verò separatur à corpore, sicut habet modum

Sententia & D. Thomæ.

Negat animā, aut Angelū abstrahere species à rebus.

Fundamentū præmissæ sententiæ.

Media proportio intellectus humani inter cognitiuā superiorem & inferiorem.

modum eſſendi ſeparatum à materia, ſic etiam recipit cognitionem eo modo, quo Angelus, per influxum Dei, aut Angelorum, & prout ſecundùm *eſſe* recedit ab vno extremo ad alterum, ita etiam ſequitur modum operandi, & cognoſcendi illius extremi, ad quod accedit; agitur autem hîc de cognitione naturali animæ ſeparatæ, non autem de ſupernaturali.

SCHOLIVM.

Refutat prædictam ſententiam. Primò, quia pluralitas non eſt ponenda ſine neceſſitate; ergo anima ſeparata ſine influentia ſpeciali à Deo, vel ab Angelis, poteſt intelligere. Secundò, aliquando eſſet vilior lapide, quia hic poteſt in operationem ſibi proportionatam. Tertiò, ſeruat ſpecies hîc acquiſitas; ergo non accipit alias eiuſdem obiecti, quia eſſent eiuſdem ſpeciei plura accidentia in eodem ſubiecto, quod eſt contra D.Thom. 3.part.quæſt.35.art.5.

c CONtra iſtam poſitionem, etſi non eſſet alia ratio, niſi ex iſtis duobus principiis: quorum primum eſt, quòd plura non ſunt ponenda ſine neceſſitate, & accipitur à Philoſopho 1.*Phyſic.* & ſecundùm quòd in nulla natura ponendum eſt quod derogat eius dignitati, niſi ſit euidens ex aliquo conuenienti tali naturæ, quod poteſt accipi à Philoſopho 2. de Generatione, *ſemper inquimus naturam deſiderare id quod melius eſt: & ſicut in toto vniuerſo, ita in qualibet parte, magis ponendum eſt id quod melius eſt ſibi, ſi non euidenter appareat ſibi illud non conuenire.* Nunc autem hîc ponitur pluralitas, quia ſpecies tales influxæ à Deo, vel Angelis: & ſine neceſſitate, quia natura illa ſufficienter habet in ſe vnde poſſit attingere ad perfectionem propriam ſine talibus datis infuſis à Deo, vel Angelis. Vnde hoc non videtur niſi quidam recurſus ad Deum, vel Angelos, propter hoc quòd non capitur perfectio illius naturæ in ſe. 5

Text. 50. Idem 8. Phyſ.t.48. Text. 39. itē 8. Phyſ. t.56.

d Hæc etiam opinio vilificat naturam animæ intellectiuæ: ſicut enim ſimpliciter vilior eſt natura, quæ in nullam operationem, vel non niſi in viliorem poteſt: ita proportionaliter eſt illa natura vilior, quæ in operationem ſibi conuenientem, non poteſt, quàm quæ poteſt: anima autem ſeparata, per te, ex intrinſecis ſibi, etiam cum obiectis extrinſecis concurrentibus, non poteſt in illam operationem ſibi conuenientem, niſi Deus, vel Angeli dent ſibi tales ſpecies: lapis autem ex intrinſecis ſibi, ſine influxu tali mendicato, poteſt in operationem ſibi proportionatam, quia deſcendere in centrum, & ibi quieſcere: ergo magis vilificatur anima ſecundùm proportionem ad ſuam nobilitatem ex illa poſitione, quàm natura lapidis.

Natura eſt viliſſima quæ nihil operari poteſt.

e Præterea, ſic opinans tenet alibi, quod duo accidentia eiuſdem ſpeciei non poſſunt ſimul eſſe: illa autem ſpecies lapidis vt obiecti, influxa, eſt eiuſdem ſpeciei cum ſpecie intelligibili acquiſita ab anima hîc in corpore: ergo vel illa influxa non poterit eſſe, vel oportet iſtam hîc acquiſitam non manere: ſed ſecundum eſt falſum, quia cùm proprium ſubiectum ſpeciei illius ſit incorruptibile, & ipſa ſpecies ex ſe poſſit incorruptibiliter manere; ſequitur quòd ipſa manebit: ergo non dabitur ipſi à Deo aliqua ſpecies lapidis: & per conſequens vel nunquam poterit intelligere lapidem, vel poterit intelligere per ſpeciem priorem acceptam à rebus, quod negant. 6

S.Thom.3. part. q.35. art.5.

Si dicas non dari ſpeciem priùs habenti; non videtur rationabile quòd illa ſpecie perfecta, qualis datur alteri non habenti, careat iſta anima: & ſaltem hoc habetur contra opinionem, quòd aliqua intellectio erit tunc per ſpeciem priùs à re acceptam. Si dicas ſpeciem infuſam, & acquiſitam differre ſpecie, ſicut virtutem, acquiſitam, & infuſam, quæ ſimul ſunt; iſtud eſt axioma, de quo *in 3. lib. diſt.26. quæſt.1.* ſed eſto quòd concedatur eis de virtutibus, non ſequitur propoſitum hîc, quia virtus infuſa habebit aliam regulam propriam quàm acquiſita, & ex alietate regulæ poterit poni alia virtus ſpecie: quia virtus in ratione eſſentiali virtutis, dependet à regula cui conformatur: hæc autem non poterit fingi differentia ſpecifica ſpeciei infuſæ, & priùs acquiſitæ: quia non eſt hæc differentia niſi tantummodo principij effectiui, vel modi efficiendi: talis autem non diſtinguit effectus ſpecie, ſecundùm quod innuit Auguſtinus 3. *de Trinit.cap.*10.

Itē diſt. 31. 23. Virtus infuſa & acquiſita ſpecie differūt.

COMMENTARIVS.

3 *Impugnatur sentẽtia præmissa.* Contra istam positionem, &c. Impugnat præmissam sententiam ab inconuenienti. Primò, quia ponitur superfluitas sine necessitate: quia anima separata per principia sua intrinseca cæteris concurrentibus potest attingere suam perfectionem naturalem: ergo frustrà superadditur influxus causæ extrinsecæ non necessarius. *Tollenda superfluitas.* Hæc ratio deducitur infrà, & in particulari, §. *Ad quæstionem*, &c. Quoad præsens probatur in genere: creatura rationalis sicut vindicat perfectissimum gradum essendi inter reliquas, ita etiam perfectissimum finem naturalem, ad quem inclinatur inclinatione potentiæ tam actiuæ, quàm passiuæ, mediante operatione: ergo etiam habet media in ipsa natura, & in potestate sua constituta, per quæ attingere potest illum finem: v. g. cognitionem finis: sed hoc esset falsum, nisi posset à rebus ipsis accipere cognitionem: ergo, &c. Probatur subsumptum: quidquid competit alicui per actionem liberam causæ superioris, quæ suspendi potest, non habet illud in sua potestate libera, & proxima requisita ad vsum, sicut neque ipsam causam habet in sua potestate: sed tales sunt species influxæ à Deo: ergo illæ non sunt in potestate creaturæ rationalis, vt animæ separatæ, quin suspendi possint, ergo etiam neque finis, ad quem inclinatur potest esse perfectè & proximè in sua potestate.

Creatura rationalis vindicat perfectissimũ finẽ naturalem.

Habet media requisita.

4 *Respõsio Capreoli.* Dices illas species fluere ab intellectu sicut potentiæ ab essentia animæ. Hæc responsio est Capreoli loco citato ad secundum argumentum Aureoli: & ab omnibus communiter reiicitur, quia sicut neque anima est eminenter, aut virtualiter alia quæcunque ab ipsa intelligibilia, sic etiam neque potest sola esse radix specierum, per quas res aliæ cognoscantur; vel cur etiam ipsi in corpore idem non conueniat: quia species illæ si fluerent à solo intellectu, non repugnaret eas inesse eidem, etiam in corpore, sicut non repugnat eas à Deo communicari animæ in corpore, atque conseruari: nam eadem ratio formalis compositionis, aut repugnantiæ inuenitur in specie, siue producatur à Deo, siue etiam fluat ab intellectu, hæc enim non variant eius rationem formalem, in qua fundatur repugnantia, aut compatibilitas ad aliud. Quidquid ergo fluit ab intellectu tanquam proprietas, potest ipsi inesse secundùm omnem eius modum essendi, cui non repugnat: non repugnat autem species talis, vt sit à Deo in anima vnita: ergo neque vt fluit ab intellectu. Patet consequentia, quia in anima vnita corpori glorioso erunt tales species, vndecunque causentur, & fuerunt in anima Christi: quidquid ergo sit de vsu talium specierum quoad cognitionem proportionatam, an impediatur per modum cognoscendi intellectus viatoris: non repugnat saltem eas inesse quoad habitum: sicut species receptæ à sensibus manent in dormiente, & amente, quamuis vsus earum non habeatur. Deinde, species illæ, quibus cognoscit anima separata perfectiores sũt in repræsentatione, & perfectius imitantur obiectum, quàm species acquisitæ, ergo si illæ possunt fluere ab intellectu, quibus perfectiùs assimilatur obiecto, magis videtur consequenter dici etiã species, quibus vtitur in corpore fluere ab intellectu.

Impugnatio. Species infusas non fluere ab essentia animæ.

Si fluerent ab anima essent in intellectu viatoris.

Species animæ separatæ perfectiores in repræsẽtatione.

5 Respondent ergo alij, illas species esse connaturales animæ separatæ ex Dei prouidẽtia naturali, qua supplet defectum naturæ: cùm ergo anima separata nequeat abstrahere species à rebus; quia respicit obiecta mediante phantasmate, quæ in eo statu non est coniuncta, ideò spectat ad Dei naturalem prouidentiam illas species producere in intellectu, quibus operari posset. Hæc responsio est magis communis. Impugnatur tamen, & petit principium: quia ratio præmissa intendit sicut conueniunt animæ potentiæ, quibus in finem suum naturalem, & propriam perfectionem inclinatur, ita etiam habere media in ipsis rebus, per quæ potentiæ possunt exire in actum, secluso influxu speciali causæ superioris, aliàs ab intrinseco non haberet vnde posset tendere in suum finem, sicut aliæ res naturales habent, quod est perfectionis, & actualitatis in ipsis. Dicere ergo quòd nequeat anima separata ab intrinseco tendere in finem sufficienter applicatum in re ipsa, est negare in ipsa proximam inclinationem in finem, & perfectionem, cuius oppositum conuenit naturæ inferiori, & minùs per se spectanti ad perfectionem naturæ vniuersalis.

Aliorum responsio.

Species esse connaturales animæ separatæ.

Impugnatio responsionis.

Potentiæ animæ exigunt media in rebus.

6 Sic ergo argumentor: Dei prouidentia naturalis subordinatur prouidentiæ eius supernaturali vt respicit creaturam rationalem v. g. animam; neque secundùm eandem prouidentiam habetur aliqua dispositio specialis circa animam in statu separato, nisi secundùm merita, vel demerita eius in corpore, vt fuit in via, neque alius finis præstitutus præter damnationem, aut gloriam: ergo neque est aliqua specialis dispositio, aut prouidentia diuinæ voluntatis circa finem naturalem animæ, vt ab his abstrahit, nisi illa quæ vniuersalis est, iuxta exigentiam suæ naturæ, & actiuitatis, concurrentibus causis naturalibus cum Dei influxu generali. Sed ex hac prouidentia non sequitur Deum influere species, quæ faciunt ad perfectionem naturalem animæ, nisi ipsa in se habeat virtutem sufficientem operandi applicato obiecto, aut abstrahendi species, neque ex prouidentia supernaturali, qua respicit animam damnati ob demerita, sequitur aliqua dispositio in Deo præter illam, quæ est iustitiæ, quæ dispositio tenderet ad perfectionem aliquam illius animæ circa finem naturalem, per quam in eo quiesceret; ergo secundùm nullam prouidentiam sequitur species eidem infundi à Deo præter illas, quæ ad pœnam, & tormentum eius faciunt.

Prouidentia Dei naturalis quomodo respicit animam.

7 Præterea, si Deus influeret species in animam separatam damnati ad perfectionem eius: sequeretur quòd influeret ipsi species circa quodcunque per se natum naturaliter perficere intellectum iuxta naturam intellectus, & inclinationem naturalem eius ad omne intelligibile ab intellectu naturali separato iuxta naturam intellectus per se, capacitatem, & perfectionem; quia deberet ipsi reddere quodcunque intelligibile in actu, & consequenter species cuiusque influere, ne potentia incompleta maneret in natura, aut defectus naturalis. Ergo dato quòd intellectus damnati excederet in capacitate, & perfectione intellectum alicuius saluandi, sequeretur quòd status naturalis intellectus, & species in illo essent perfectiores, & forsan plures quàm in saluando: sed nemo concedit ita perfici intellectum damnati; ergo non debet asseri

Aliud inconueniens.

asseri in eo infundi species, quæ ad pœnam eius, & executionem diuinæ iustitiæ non cedit.

Responsio. Quòd si dicatur in pœnam eius à Deo non infundi species tales, quæ ad perfectionem naturalem eius essent, non videtur hoc congruum, *Reiicitur.* quia in gratuitis fit priuatio ob demeritum; naturalia autem, & quæ secundùm prouidentiam Dei naturalem inesse debent, videntur salua permanere in iis saltem, quæ ad ipsam pœnam non concurrunt proximè, vt est detentio in igne secundùm apprehensionem, & locum, de quibus aliàs suprà dictum est.

8 Præterea, non videtur intellectui animæ separatæ deberi species per se infusas, secundùm naturalem prouidentiam Dei modo dicto: sed ad summum per accidens infusas tales, quales à phantasia abstraheret, aut certè solus concursus vniuersalis cum speciebus acquisitis in corpore: per accidens, inquam, vt infantibus, qui nullas habuerunt, vel certè aliàs iuxta modum, quo cognoscit intellectus in corpore. Hoc dato, vel dicendum est intellectum animæ separatæ in statu separationis non perfectiùs intelligere, quàm natus sit intelligere in corpore, & sic tollitur fundamentum sententiæ oppositæ, dicentis, in eo statu accedere ad modum cognoscendi Angelorum. Vel certè conuenire intellectui in eo statu cognoscere res in seipsis, & abstrahere species ab ipsis, quod est intentum.

Non deberi species infusas animæ separatæ ex prouidentia naturali.

Probatio sequela. Probatur itaque sequela: quamuis dicamus intellectum separatum, aut animam separatam, secundùm prouidentiam naturalem, qua corpus est corruptibile, & subiectum agentibus contrariis habere conuenienter illum statum separationis, quia est forma incorruptibilis, non dependens à subiecto in *esse*: tamen non est fundamentum, vnde ipsi conueniat in eo statu operatio perfectior, quàm sit illa, quæ conuenit ei in toto, cuius est essentialis forma, nisi aliàs intellectus animæ separatæ natus sit in eo statu concurrente obiecto habere ex se perfectiorem operationem secluso influxu speciali causæ extrinsecæ: ergo vel natus est ex propria inclinatione abstrahere species perfectiores, vt est separatus, vel certè concurrente in se obiecto perfectiùs operari. Probatur antecedens, quia ex prouidentia naturali, & ex natura sua anima ordinatur ad totum, vt det ei *esse*, & *operari* secundùm omnem perfectionem, quam includit, estque per se intenta ab authore naturæ propter totum, non è contrà, totum propter ipsam: ergo ex prouidētia naturali nō debetur ipsi perfectior operatio, quàm sit illa quæ competit toti, ad quod ordinatur tanquam ad finem; quia quæ ordinantur ad finem, eò magis sunt in termino suæ perfectionis quantùm ad *esse*, & *operari*, quo magis coniunguntur fini: sed animæ in toto secundùm aduersarios, non competit alia operatio naturaliter, nisi per species abstractas à sensibus: ergo animæ separatæ non debentur species perfectiores; aut modus cognoscendi perfectior, quàm sit per tales species, & consequenter non debentur species aliæ, quàm sint illæ, quas in toto habuit, vel eædem, & similes in perfectione, neque alia cognitio perfectior vt intuitiua, nisi aliàs ex natura sua eidem conueniat habere similem in toto.

Ex prouidentia naturali anima ordinatur ad totum.

Coniunctum ad finem perfectiùs operatur.

9 Dices, animam separatam participare modum essendi & cognoscendi Angelorum.

Responsio.

Impugnatio. Contrà, non variatur *esse* animæ per separationem eius: quia post separationem est eadem substantia immaterialis, & per se existens, & rationalis, hoc ipsi competit, vt est in toto, & secundùm quod rationalis est, constituit totum, & operatur in toto per intellectionem, & volitionem abstrahentes à materia, & habet species spirituales, quibus vtitur ad intelligendum, & vt separata est, dicit ordinem, & appetitum per modum formæ ad totum, & ad subiectum; secundùm entitatem suam, & modum essendi: quia non exuit rationem formæ, neque perfectiùs existit, quàm vt in toto existit, in quo fuit forma spiritualis, immaterialis, & incorruptibilis.

Esse animæ separatæ non esse perfectius, quàm coniunctæ.

Responsio. Si dicas, in toto habere *esse* in materia, hoc nihil est; quia esse in materia non variat modum essendi eius, quia est in materia non dependens à materia in *esse*, sed per modum formæ spiritualis est in materia communicans perfectionem sine dependentia in suo *esse* à materia. *Impugnatur.*

Dices habere aliquas operationes in materia ab ipsa dependentes, vt operationes sensuum, & alias vitales materiales: 10 *Responsio.*

Impugnatio. Contrà. Hoc etiam nihil obstat; quia intellectio, & volitio eius non dependet à materia, vt in præcedenti quæstione dictum est: habere ergo aliquas operationes in materia, quæ dependent ab ipsa materia, nihil probat, nisi easdem non habere extra materiam, non verò recipere modum essendi diuersum per separationem, ab eo, quem habuit in materia: ergo in *esse* separato, sicut modus eius essendi, quantùm ad existentiam propriam, est idem, ita & modus connaturalis operandi est idem in eo sensu, videlicet, quo ipsi non conueniat aliqua operatio, aut modus operandi ab intrinseco, & natura, nisi qui aliàs eidem in materia competere potest ex natura sua, & propria inclinatione: vnde sequitur ex prouidentia naturali, non deberi eidem species, aut modum cognoscendi, qui aliàs in materia eidem à fortiori non competat, spectata naturali eius inclinatione, quod est dicere, quòd esse in subiecto non repugnat, quin habere possit easdem species, & modum cognoscendi, spectata naturali eius inclinatione, vt respicit suum per se obiectum in sua latitudine, formam enim quæ dicit naturalem appetitum ad subiectum, impediri ab operatione sua perfectissima, aut connaturali per hoc præcisè, quòd compleatur ille appetitus, & informet subiectum, non videtur consonum Philosophiæ, aut rationi: quia quantò magis forma perficitur secundùm appetitum innatum, eò magis perficitur in ordine ad operationem connaturalem, & debitam eius inclinationi naturali, minúsque derogatur eius perfectioni. Ex quibus sequitur animæ vt separatæ, non deberi ex natura sua cognitionem, aut speciem, quæ eidem in toto secundùm eandem inclinationem repugnet, quia ordinatur ad totum, & magis intenditur per se ab authore naturæ *esse*, & perfectio totius, quàm animæ, quæ est eius forma perfectiua.

Modus operandi sequitur modum essendi.

Magis cōnaturalis est anima esse in toto quàm separari.

Non debetur animæ separatæ perfectior cognitio naturalis quàm sit qua est cōiunctæ.

Confirmatio. Confirmatur, anima in corpore glorioso completè habebit omnem modum intelligendi, quem habet anima separata: ergo vnio animæ ad corpus non impedit per se, neque repugnat ex natura sua ad modum cognoscendi connaturalem animæ separatæ. Patet consequentia, quia vel

Anima in corpore glorioso cōpletè habebit omnē modū operādi connaturalem.

vel ideo repugnaret quà ſubiectum , vel quà corpus materiale : ſed vtramque rationem corpus glorioſum retinet , quia & materiale eſt , & habet rationem perfectam ſubiecti , quamuis recipiat incorruptibilitatem , & tunc perfectiùs ſubditur animæ , & in eo etiam vigebunt operationes ſenſuum perfectè , & modus etiam intelligendi per phantaſmata : ergo , &c.

9 *Reſponſio.*

Dices , Corpus mortale repugnare modo intelligendi animæ ſeparatæ connaturali.

Impugnatio. Mortale corpus non derogat animæ quoad naturalem operationem.

Contrà. Corpus Chriſti Domini fuit mortale in quo anima eius habuit modum cognoſcendi perfectiſſimum , qui competit animæ ſeparatæ naturaliter cognoſcendi res in ſeipſis.

Eſt eius ſubiectum connaturale.

Deinde , corpus natura ſua corruptibile eſt ſubiectum connaturale animæ , ſecundùm prouidentiam naturalem, nam glorificatio corporis eſt ex gratia, & prouidentia ſupernaturali: ergo omnis modus cognoſcendi connaturalis animæ non repugnat corpori mortali. Probatur conſequentia , quia forma in *eſſe* , & modo connaturali operandi reſpicit ſubiectum , ſecundùm modum connaturalem eſſendi ſubiecti , ex eius naturalibus tam intrinſecis , quàm extrinſecis. Sed in propoſito illud eſt *eſſe* corruptibile corporis : ergo non repugnat connaturali modo operandi animæ , qui eidem ex natura ſua competit , & conſequenter non repugnat eidem in corpore mortali attingere obiectum ſecundùm omnem modum ſibi connaturalem ex natura potentiæ , & obiecti. Ex quibus patet neque vnionem ad corpus , neque colligationem ad potentias ſenſitiuas , neque conditionem mortalis corporis repugnare animæ , quin in corpore habere poſſit omnem cognitionem , & modum cognoſcendi naturalem ipſi debitam in *eſſe* ſeparato. Ergo acceſſus ille , quem prætendit ſententia contraria ad alterum extremum , nempe ſubſtantiarum ſeparatarum modum exiſtendi , non probat animam ſeparatam alio modo intelligere quàm ipſi conuenire poſſit ex natura potentiæ , vt eſt coniuncta , neque alias ſpecies ei debere ex prouidentia Dei naturali , & poſſe abſtrahere ſpecies à rebus in *eſſe* ſeparato.

Anima reſpicit ſubiectum ſecũdùm modum cõnaturalem eſſendi ſubiecti.

10 *Tertia reſpõſio.*

Tertia reſponſio eſt , animam , vt eſt ſeparata , non poſſe abſtrahere ſpeciem à rebus , aut ab ipſis immediatè moueri ad cognitionem , ideóque indigere vt à cauſa ſuperiori recipiat ſpecies , vt cognoſcat aliquid de nouo , cuius antea non habuit ſpeciem. Ratio eſt , quia nequit recipere ſpeciem , niſi à phantaſmate , quo caret anima ſeparata.

Non poſſe abſtrahere ſpecies in eſſe ſeparato.

Impugnatio.

Contra. Nihil obſtat quin anima recipiat ſpeciem ab intelligibili in actu , v. g. ab Angelo , per modum obiecti , quin cognoſcat etiam ſe ipſam per eſſentiam , & cognoſcat etiam alia entia ſpiritualia ſaltem naturalis ordinis , quià nullum eſt impedimentum ex parte potentiæ , vt admittitur , quia intellectus cognoſcit per ſpecies influxas à Deo talia entia , non eſt impedimentum ex parte obiecti , quin etiam ſui ſpeciem imprimat in intellectu : ergo ex parte vtriuſque non eſt impedimentum. Probatur antecedens quoad ſecundum membrum,quia obiectum eſt actu intelligibile , & immateriale : ergo habet proportionem motiui ad intellectum vt mobilem , non ſecus ac obiectum ſenſibile reſpectu ſenſus habet talem proportionem , & imprimit ſpeciem ſuam tanquam cauſa totalis : ergo etiam in intellectu idem facit obiectum actu intelligibile , & immateriale , quòd non negarent Philoſophi , ſi admitterent intelligentias habere ſpecies , & mutari poſſe ad intellectiones nouas , & accidentales , quæ non eſſent de ſua ſubſtantia : ergo cùm Theologia corrigat hunc errorem , admittendo ſpecies , & intellectiones nouas in ſubſtantia ſeparata creata , conſequenter admittere debet has ſpecies poſſe produci in intellectu per obiectum actu intelligibile ex natura obiecti ; quia ratio , ob quam obiectum materiale non poteſt immediatè producere ſpeciem in intellectu , ceſſat in propoſito , neque vlla alia ratio occurrit in oppoſitum , & ſufficiens cauſa aſſignatur in eo , quòd intellectus non impeditus habeat obiectum intelligibile actu ſibi præſens : quia nullus eſt gradus in intellectione : qui non referri poſſit ad vtrumque : ergo fruſtrà recurritur ad aliam cauſam , & ſuperfluè.

Nihil obſtat quin poſſit recipere ſpeciem ab intelligibili in actu.

Sententia Philoſophorum.

Materiale cur non poſſit imprimere ſpeciem in intellectui.

11 *Reſponſio.*

Si dicas , intellectum Angelicum recipere ſpecies à Deo , & ita dicendum de intellectu ſeparato animæ , eum exigere , vt moueatur à Deo, per ſpecies influxas à ſolo Deo , & non ab obiecto , quia hic eſt modus intelligendi ſubſtantiæ ſeparatæ.

Angelos recepiſſe ſpecies à Deo.

Impugnatio.

Contrà , licèt Angelus , & primus homo receperint ſpecies vniuerſales à Deo, quibus perficerentur in ordine ad operationem iuxta ſtatum , in quo ſunt creati , nè vllum eſſet impedimentum ex defectu cognitionis neceſſariæ ; tamen non inde ſequitur , quin primus homo potuerit recipere ſpecies à rebus , imò etiam idem potuit Angelus , vt ſuo loco differit Doctor: ergo ex anticipatione diuini influxus non ſequitur priuatio potentiæ ad operationem iuxta naturalem inclinationem ſuam ad obiectum actu intelligibile , & præſens.

Hoc non obſtat.

12 *Si ex natura ſua intellectus ſeparatus nõ haberet ſpecies niſi à Deo , non intelligeret per ſpecies ſui receptas.*

Deinde , ſi illa eſſet natura intellectus ſeparati , vt non poſſet intelligere , niſi per ſpecies influxas à Deo , ſequeretur quòd nullo modo intelligeret per ſpecies acquiſitas in via : hoc autem eſt contra communem ; & patet ſequela , quia mobile non eſt natum moueri niſi à ſuo motore , ſi ſolus Deus eſt motor eius adæquatus in eo ſtatu : ſed poteſt intellectus moueri ad intellectionem per ſpecies acquiſitas à rebus materialibus , dum fuit in via , & reſeruatas in ſtatu ſeparationis ; ergo non ligatur ad motionem per ſpecies influxas : ergo etiam poteſt moueri ab obiecto actu intelligibili , vel mediante ſpecie ſua , vel per ſeipſum immediatè ad cognitionem nouam , etiam vt eſt ſeparatus , quia & obiectum eſt actu intelligibile , & continet virtute actum intelligendi , quantum natum eſt dependere , aut eſſe ab obiecto, & intellectus natus eſt dependere , aut eſſe ab obiecto , & intellectus natus eſt moueri ab obiecto. Probatur conſequentia , quia intellectus ſeparatus intelligens per ſpeciem acquiſitam , intelligit virtute obiecti , à quo dependet , & cauſatur illa ſpecies per motionem ordinatam ſenſuum externorum , & phantaſiæ , & in virtute obiecti habet illa ſpecies , vt ſit eius imago naturalis , ab intellectu agente , vt ſit ſpiritualis ; nam hoc eſt eius duntaxat munus : ſed obiectum ſpirituale non eſt minùs natum aſſimilare ſibi intellectum, imò potiùs eſt obiecto materiali quoad hoc : quia eſt perfectius intelligibile , & magis proportionatum potentiæ , & ad quod magis inclinatur

natur potentia; materiale verò est obiectum per se sensibile in actu, intelligibile verò non nisi in potentia, & remotè: ergo sicut magis inclinatur potentia ad obiectum perfectius, & proximè proportionatum, & intelligibile, ita etiam à fortiori magis natus est moueri ab obiecto actu intelligibili: ergo vel mediante seipso, vel certè mediante specie: per speciem quidem ad cognitionem abstrahentem à præsentia, & existentia obiecti, per seipsum ad intuitiuam sui existentis, & præsentis.

Perfectio entis spiritualis in esse obiecti.

13 *In eo includi perfectius rationē motiui.*

Præterea, quantò perfectius includitur in aliquo obiecto ratio primi obiecti potentiæ, & motiui, tantò magis inclinatur in obiectum, tanquam perfectiuum sui, & finem extrinsecum, à quo, mediante operatione, est nata perfici: sed hæc perfectiùs includuntur in ente spirituali: ergo magis natum est perficere & mouere potentiam ad operationem. Confirmatur, quia aliàs sequeretur quòd intellectus creati, & separati nullum esset obiectum motiuum, quod videtur absurdum. Probatur sequela, quia potētia nullum recipiens influxum ab obiecto, neque potens recipere, nequit moueri ab obiecto, aut hoc esse motiuum respectu eius, sed ita se habet intellectus creatus, & separatus, si à solo Deo recipere influxum possit, aut reduci in actum: ergo nullum est obiectum eius motiuum creatum, & naturale; sed tantùm habet terminatiuum, à quo non dependet potentia, neque specificatur.

Confirmatio.

Sequi intellectum separatum non habere aliquod motiuum cōnaturale.

Prætereà, sequeretur intellectum animæ relictum in statu naturali, non posse illuminari ab Angelo, neque vnum Angelum ab alio, & sic tolleretur communicatio inter substantias separatas, & hierarchia naturalis possibilis in statu merè naturali, & quæcunque subordinatio, quod est absurdum. Probatur sequela, quia hæc conseruari non possunt, aut institui, nisi dependenter ab operatione intellectus, aut voluntatis, quæ esset impossibilis, nisi per species à Deo influxas: quin imò his suppositis non esset possibilis illuminatio, aut locutio; & probatur, quia Angelus non potest causare speciem, aut cognitionem in intellectu alterius, aut per modum obiecti, aut per modum causæ superioris efficientis, ex suppositione sententiæ oppositæ: ergo etiam neque mouere intellectum eius ad hanc, vel illam cognitionem rei aliàs ignotæ, vel etiam notæ habitualiter, id est, per speciem: sed aliter nequit fieri illuminatio virtute naturali Angeli illuminantis, neque etiam ab ipso Deo, nisi vt causat speciem, aut operationem, vel ad eam determinat intellectum habituatum specie. Si ergo relinquatur natura spiritualis sibi, etiam per species rerum influxas nequit illuminare intellectum inferiorem, nisi habeat similes species, vel easdem, quibus etiam positis, difficulter explicari, aut capi potest quomodo possit determinare intellectum inferiorem, vt exeat in actum cum tali specie magis quàm cum altera æquè, aut fortiùs mouente.

Tolli hierarchiam naturalē in creatura rationali.

Non posse vnum Angelū illuminare aliū, si sibi relinquatur.

14 *Conclusio Doctorum.*

Hæc difficultas tollitur, dicendo quòd intellectus separatus moueatur ab ipso obiecto mediatè, aut immediatè, & applicato, quod magis congruit naturæ intellectus separati, qui licèt ignotus sit in specie nobis quantùm ad modum operandi, illud statuere debemus, quod magis congruit eius perfectioni, dum aliud in oppositum non occurrat.

Prætereà, probatur intellectū separatum posse recipere speciem ab ente spirituali: quia etiam intellectus coniunctus potest recipere speciem ab actu suo, quem habuit, aliàs non esset in eo recordatio actus præteriti, quæ recordatio fit per speciem relictam per actum. Manet præterea in eo species repræsentans complexa, de quibus habuit scientiam, vt species conclusionis scitæ, per quam immediatè concurrente habitu exit in actum scientificum exercitatus, sine recursu ad principia per discursum: sed non est maior ratio cur hæ species causentur ab his obiectis spiritualibus, quàm ab aliis similes species causentur: ergo non repugnat intellectui separato animæ recipere species ab obiectis aliàs ignotis, & spiritualibus, nisi dicatur aut in Angelis, aut in anima separata non esse memoriam prætoritorum, quod plurimùm derogaret prouidentiæ naturali ipsorum, & motui, quem habere possunt in finem naturalem, circa quem errare possunt, sicut & peccare, si Deus ipsos relinqueret in pura natura, ac proinde exercere cognito, & præterito certius in finem tendere corrigendo errorem admissum, siue ex defectu intellectus proponentis, siue ex vehementi, & inordinata voluntate in eligendo, & obcæcante intellectum, aut rapiente à debita consideratione rei.

Intellectu separatum recipere speciē à suo actu.

Memoriam habet præteritorum.

Errorem circa finem naturalem possint corrigere.

Dato itaque quòd anima separata possit recordari præteritorum, sequitur posse recordari etiam actus præteriti, quem habuit in statu separationis: ergo per speciem relictam per actum, & sic aliquid intelligere de nouo, & per speciem nouam, quam non influit Deus, quia superflueret: quidquid enim natus est actus intellectus causare in intellectu coniuncto, potest causare in intellectu separato: nam perinde tam actus est efficax, quàm species, quæ permanet in statu separationis: hæc autem ex concessis, potest in actum talem in anima separata, in qualem potuit in anima coniuncta, iuxta dicta in quæstione præcedente: & anima separata potest vti habitu, quem habuit in via in ordine ad eosdem actus, & discurrere ex principiis ad conclusionem, cuius assensus causatur per assensum præmissarum; quia hic modus cognoscendi est ipsi etiam connaturalis; ergo etiam potest recipere speciem, quæ manet post actum in memoria, per quam recordatur actus, & obiecti præteriti, neque, vt dictum est, maior habetur ratio cur secundùm prouidentiam Dei naturalem, & efficaciam actus præteriti causetur talis species, quàm etiam à quolibet obiecto spirituali applicato recipiatur species connaturalis ipsi: ergo superfluit species influxu à Deo repræsentans obiectum spirituale præsens. 15

Recordatio inest actus quem habuit coniūctus intellectus & separatus.

Restat probandum animam separatam posse abstrahere species à rebus materialibus sibi præsentibus: quod difficiliùs probatur ob experientiam, quam habemus de colligatione eius ad phantasiam, & propter ea quæ docuit Philosophus ex eius status experientia. Probatur ex eo quòd nihil obstat quin intellectus separatus possit abstrahere has species: non materialitas, quia etiam phantasma est materiale, & extensum, à quo omnes concedunt de facto abstrahi species.

Animam separatam posse abstrahere species à materiali obiecto.

Probatio.

Dices, phantasma esse aliquid intentionale, & in hoc esse magis spirituale, quàm sit res in seipsa. 16

Responsio.

Contrà, hæc spiritualitas in phantasmate, non tollit illam rationem materialitatis, quæ repugnat

Impugnatio.

repugnat intellectui, nempe quantitatem & extensionem, quia hæc æquè conueniunt phantasmati, aut cuilibet speciei sensibili, ac rei ipsi, seu obiecto, vt colori, quem repræsentat, quia est qualitas extensa in subiecto extenso, & materiali, qua ratione negatur speciem sensibilem esse posse in intellectu, quia illa ex natura sua exigit subiectum extensum, cui inhæreat, sicut color cuius est species: ergo perinde participat materialitatem sicut res ipsa, quæ repugnat intellectui.

Phantasma est materiale.

Quid sit esse intentionale.

Declaratur, *esse* intentionale in specie sensibili non est aliud, quàm esse similitudinem naturalem repræsentantem obiectum; inquantùm autem res ipsa, vt comparatur ad sui imaginem naturalem, aut artificialem, dicitur simpliciter ens, imago verò secundùm *quid*, & solùm in repræsentando, ideò comparata ad rem, quam repræsentat, dicitur intentio, & prout nata est repræsentare obiectum in se absolutè, vt species in aëre, vel respectiuè ad aliquam potentiam, vt species in oculo, & in phantasmate; sub hac ratione non repugnat rem materialem esse in intellectu, vt omnes concedunt; speciem verò sensibilem, quà forma materialis est, perinde repugnat eam esse in intellectu, sicut repugnat in eo esse rem ipsam, quam repræsentat; ergo *esse* intentionale obiecti in specie, ratione cuius dicitur intentio aliquo modo spiritualis, est solùm esse imaginis, & repræsentationis ad differentiam rei, quam repræsentat; secundùm differentiam, inquam, veri *esse* rei, ab *esse* in alio, secundùm similitudinem, imitationem, & repræsentationem, hoc autem *esse* spirituale non tollit veram, & propriam formæ materialis rationem, secundùm proprium *esse* à specie sensibili; tale, inquam, *esse* materiale, cui repugnat aut agere, aut causa totalis in spiritum, vel in eo subiectari: ergo inuenitur eadem repugnantia in phantasmate quoad hoc, ac inuenitur in ipsa re, quam repræsentat.

Intentio vt opponitur rei.

Non tollit materialitatem.

17 Sed non obstante hac conditione phantasmatis, intellectus eo concurrente producit speciem; ergo etiam concurrente obiecto poterit, si applicetur, producere speciem eius. Probatur consequentia, nihil obstat ex parte obiecti; quia non materialitas, quæ perinde etiam inuenitur in phantasmate; & quia non obstante materialitate sui, producit speciem intentionalem sensibilem, v.g. in aëre, tanquam causa totalis ipsius, ergo à fortiori poterit producere speciem naturalem sui, tanquam causa partialis in subiecto capaci, cæteris concurrentibus, nempe intellectu agente, per quem illa species redditur forma spiritualis, & proportionata intellectui possibili vt subiecto. Patet consequentia, quia quodcunque agens natum assimilare sibi passum, si applicetur, potest assimilare passum capax: sed obiectum natum est assimilare sibi intellectum, qui est inclinatus ad effectum hunc: ergo, vt applicatur causat assimilationem. Maior vera est, tam in agente reali, quàm intentionali, secluso impedimento. Minor probatur, quia obiectum materiale est per se contentum sub obiecto motiuo intellectus, estque scibile ab intellectu: ergo est natum assimilare sibi intellectum.

Non esse repugnantiam ex parte obiecti materialis.

Est agens natum assimilare passum.

Responsio.

Dices id verum esse quatenus habet *esse* in phantasmate, non verò secundùm *esse* reale eius in se, & extrà, quia sic non comparatur vt motiuum immediatum ad intellectum.

Contrà, ratio huius quæritur, & impugnatur responsio, quia obiectum est per se motiuum intellectus secundùm id, in quo assimilatur obiecto: sed assimilatur obiecto absolutè, vel secundùm *esse* proprium formale obiecti, & secundùm illud *esse*, vt dicit ordinem ad phantasiam, aut aliam potentiam: ergo obiectum est motiuum intellectus secundùm *esse* formale, & absolutum obiecti, non verò secundùm *esse*, quod habet in phantasmate, quatenus hoc denotet aliquid diuersum ab *esse* formali obiecti; sed *esse* formale obiecti perfectè in reipsa competit obiecto: ergo obiectum vt in re ipsa, est motiuum per se sufficiens intellectus.

Impugnatio

Ratio mouendi in obiecto est suum esse formale.

Confirmatur, obiectum secundùm esse formale obiecti est illud, quod concurrit ex parte phantasmatis ad speciem intelligibilem, quia species intelligibilis repræsentat *esse* formale obiecti, & non ipsum phantasma, vt est repræsentans obiectum; ergo ratio formalis mouens intellectum ex parte phantasmatis est ipsum obiectum in suo *esse* formali repræsentato: ergo à fortiori idem *esse* formale obiecti in re ipsa positum, natum est mouere intellectum ad sui speciem, & cognitionem: omnis enim species in virtute obiecti causat, & vt continet ipsum obiectum, aliàs non esset ratio quare phantasma bouis non causaret speciem hominis, hæc ratio supponit sententiam communem, nempe speciem esse repræsentationem formalem obiecti, quod maximè verum est de phantasmate, quæ est species expressa obiecti.

Confirmatio.

Esse formale obiecti in phantasmate est illud quod concurrit ad speciem.

Confirmatur secundò, quia illud est per se formale obiectum motiuum intellectus, quod est formale obiectum sui habitus scientialis, cuius causas, & proprietates, & *esse* formale, & reale inquirit: hæc autem conueniunt obiecto, per se, & non prout habet *esse* in phantasmate; ergo motiuum intellectus formale est ipsum obiectum in se, & secundùm causas, & proprietates eius, non verò *esse* phantasticum, vt denotat speciem repræsentantem, vt alia est ab *esse* formali repræsentato; quin etiam ipsum phantasma, quando verè repræsentat, id est, conformiter repræsentat illud idem *esse* formale, quod habet in re ipsa, aliàs non esset similitudo naturalis obiecti, & conformiter repræsentans: si ergo ipsum obiectum, quà applicatur intellectui secundùm *esse* formale suum in phantasmate, v.g. albedo sub ratione albedinis, mouet intellectum, sequitur posse idem *esse* formale in re ipsa applicatum, mouere intellectum, concurrente agente facultate eius, ad causandum speciem sui. Ex parte verò intellectus nullum est impedimentum, quia sicut *esse* formale obiecti in phantasia, & extra intellectum ipsum, ei sufficienter applicatur, ita etiam nihil obstat, quin idem esse formale in reipsa applicati possit sufficienter intellectui separato ad causandam ad speciem; sicut neque de ratione obiecti est, vt produxit speciem sensibilem in medio, vt ipsum obiectum sit in medio, neque vt causat, vt in phantasia est, vt sit in intellectu realiter, aut intentionaliter.

18

Confirmat. 2.

Obiectum secundùm se mouet intellectum.

Ex parte intellectus non est impedimentum quin moueri possit à materiali obiecto.

19

Dices, hanc esse subordinationem essentialem potentiarum, vt intellectus non possit abstrahere speciem ab obiecto, nisi vt illud præsens in phantasmate.

Responsio ex essentiali subordinatione potentiarum.

Contrà, non est maior subordinatio potentiarum respectiuè ad speciem abstrahendam, quàm quoad

Impugnatio illius subordinationis prætensæ.

quoad ipsam operationem; sed intellectus separatus potest operari per species alias abstractas à phantasmate, sine phantasia: ergo etiam abstrahere speciem ab obiecto immediatè absque phantasmate. Maior probatur eadem experientia, quâ probatur subordinatio in ordine ad speciem. Deinde eatenus dependet intellectus à phantasmate, quatenus dependet ab obiecto sub ratione propria, & formali obiecti, ita vt prior sit dependentia, & ordo intellectus ad obiectum tanquam motiuum suum formale, & secundùm propriam rationem obiecti, quàm ordo eius ad phantasiam, vt applicantem obiectum: ergo si obiectum secundùm propriam rationem applicetur sine phantasia, aut phantasmate poterit mouere; ita autem applicari iam probatum est quoad intellectum separatum; ergo ordo intellectus ad obiectum qui est prior, manet sine ordine ad phantasma, vt applicans, qui est posterior.

Ideo dependet à phantasia intellectus, quia ab obiecto.

Ordo intellectus ad obiectum est prior.

18 Confirmatur, intellectus versatur circa differentiam obiecti quæ non repræsentatur in phantasmate, quia phantasma est obiecti vt singularis secundùm conditiones indiuiduantes; intellectus autem circa vniuersale, & quiditatem obiecti: ergo ordo intellectus ad obiectum non terminatur adæquatè ad illud, vt repræsentatur in phantasmate. Antecedens conceditur communiter, & probatur consequentia; quia licèt prima apprehensio intellectus, & species abstracta versetur circa obiectum sub conditionibus indiuidualibus, & sit conformis obiecto, vt est in phantasmate, v.g. secundùm quod altum, quantum, magnum, paruum, & talis figuræ, loci, temporis determinati; tamen vlteriùs intellectus abstrahit, & segregat, diuidendo rationes illas coniunctas primùm apprehensas, & format species illarum seorsim, quæ repræsentent tam obiectum sub ratione absoluta, quàm etiam reliqua, v.g. albedinem sub ratione absoluta albedinis, & non in ordine ad subiectum; eámque secundùm propriam rationem definit. Ad has species non concurrit phantasma, quia quidquid repræsentat, repræsentat vt in ordine ad alterum, & coniunctum, neque aliter potest concurrere ad eius repræsentationem: deinde intellectus comparans primum apprehensa, abstrahit rationes vniuersales, circa quas phantasia nequit versari, & harum rationum format seorsim species repræsentantes ipsas sub ratione absoluta, quæ deseruiunt scientiæ, quæ est de obiecto vniuersali, & secundùm se formaliter. Hæc species repræsentans obiectum vniuersale, & secundùm suum formale absolutum non est prima species recepta à phantasmate; quia illa eodem modo repræsentat obiectum, quo repræsentat phantasma cum conditionibus indiuidualibus, & coniunctis, non est species in reminiscentia, quia repræsentat obiectum in ordine ad actum præteritum: scientificus autem apprehendit obiectum sub ratione propria v.g. hominem sub ratione hominis sine ordine ad aliquod per accidens coniunctum, siue sit actus præteritus, siue etiam alia vt indiuidua: ergo habet speciem sic repræsentantem rationem communem hominis præcisè: quia nequit apprehendere sine specie, neque species repræsentare aliter quàm est obiecti sub ea ratione, sub qua apprehenditur: illa etiam apprehensio hominis sub ratione absoluta, & præcisa non fit per speciem expressam priorem ipsa apprehensione, vt patet experientia, vt quando profertur *homo*, statim, & primò concipi significatum nominis absolutè, & præcisè circa quod ante prolationem signi, hîc, & nunc nullus fuit conceptus intellectus: ergo à primo ad vltimum, datur species in intellectu, sic præcisè repræsentans talem naturam sub ratione suâ abstracta, & absoluta, vt patet ex omnibus fundamentis, quibus probatur dari speciem.

Intellectus respicit differentiam obiecti, quam respicit phantasma.

Abstractio obiecti per intellectum. Format speciem obiecti talis.

Non concurrit phantasma.

Species repræsentans obiectum seclusis conditionibus indiuiduantibus non est illa primò recepta.

Non est species in reminiscentia.

Sed ad hanc speciem non concurrit immediatè & proximè phantasma, aliàs repræsentatio esset alterius rationis, iuxta modum, quo obiectum repræsentatur à phantasmate, & non obiecti abstracti, & vniuersalis: eadem ratione neque illa repræsentatio fit per speciem primò impressam concurrente phantasmate cum intellectu agente, quia experientiâ constat hanc sequi modum repræsentandi phantasmatis; quia sine differentia ita primò apprehenditur obiectum, prout phantasia illud apprehendit: ergo eius causa erit sola apprehensio abstrahens obiectum sub præcisa ratione obiecti; seu obiectum in illa apprehensione: vnde concluditur intentum, nempe intellectum posse abstrahere speciem ab obiecto suo formali, vt applicatur aliter quàm per phantasma, & consequenter dari species in intellectu, quæ non causantur à phantasmate; ergo ordo intellectus ad obiectum sub ratione formali obiecti motiui, non limitatur ad phantasmata, neque vt causantia omnem speciem intellectus, neque vt applicantia obiectum adæquatè, vt est motiuum intellectus, & consequenter stare potest sine phantasmate, vt rectè probat processus scientificus, & experientia: ergo obiectum formale, quacunque ratione applicatur intellectui, potest mouere intellectum: sed in reipsa applicari potest: ergo sic etiam mouere intellectum separatum, siue ad cognitionem abstractiuam per speciem, siue ad intuitiuam se ipso: vtroque enim modo versatur intellectus circa obiectum materiale ex natura intellectus, & inclinatione eius vniuersali, quæ maximè est expedita in intellectu separato, & intellectu etiam in corpore saltem glorioso. 20

Quomodo causatur talis species.

Fit talis species per obiectum in apprehensione concurrente saltem.

Intellectum moueri ab obiecto aliter applicato quàm in phantasmate.

Confirmatur secundò: non magis limitatur intellectus ad speciem abstrahendam à phantasmate præcisè, quàm ad cognitionem expressam, vt sit per speciem præcisè: quia ex necessitate speciei in ordinem limitatur ad phantasma; ergo magis limitatur ad ipsam speciem in ordine ad cognitionem exprimendam per speciem, aut ad obiectum, vt in specie mouet ad cognitionem: sed intellectus non ita limitatur ad obiectum in specie expressa, quamuis ad omnem cognitionem requirit concursum obiecti, quia ex genere est causa partialis cuiuscumque cognitionis: ergo etiam non limitatur ad obiectum, vt est in phantasmate, qua causatur ab eo in suo genere species. Probatur minor, quia obiectum vt in apprehensione terminorum, seu ipsa apprehensio terminorum vt continet obiectum, causat assensum principij, assensus principiorum similiter causat assensum conclusionis: ergo obiectum est motiuum intellectus formale, quocunque modo ipsi applicetur, siue ad assimilandum intellectum per speciem impressam, siue per expressam. Ex quibus sequitur veritas primæ rationis adductæ à Doctore, nempe intellectum ab intrinseco concurrente obiecto 21

Secunda confirmatio.

Non est maior ordo speciei ad phantasma, quàm cognitionis ad speciem vt causam.

Obiectum mouet in apprehensione terminorum ad assensum.

per se, siue materiali, siue formali spirituali, posse habere cognitionem nouam in *esse* separato, ac proinde superfluere species influxas à Deo, in ordine ad cognitionem naturalem intellectus separati, præsente obiecto cum Dei concursu generali.

22 *Secunda ratio Doctoru.* d *Hæc etiam opinio vilificat naturam*, &c. Hæc est secunda ratio ab inconuenienti, nempe ex sententia opposita, vilificari naturam animæ intellectiuæ: quia sicut vilior est natura, quæ in nullam operationem sibi conuenientem potest, vel si potest, non nisi in viliorem, ita simpliciter vilior est illa natura, quæ in operationem sibi conuenientem non potest, quàm quæ potest; sed anima separata, ex positione opposita, non potest ab intrinseco in operationem sibi conuenientem concurrente obiecto præsente, nisi addantur species influxæ; lapis autem seclusis extrinsecis sibi potest in operationem, seu motum sibi conuenientem, vt descendere in centrum, & ibi quiescere: ergo magis seruata proportione & spectata perfectione animæ separatæ ipsa anima, quàm lapis.

Ex eadem sententia vilificari naturam.

Explicatio & probatio illius rationis. Hæc ratio explicatur, & probatur: sicut esse in pura potentia, & esse in actu formali, aut virtuali ita se habent, vt prior potentia semper includat dependentiam, & imperfectionem, seu carentiam perfectionis debitæ: potentia verò actiua, aut formalis includat perfectionem, & actualitatem oppositam, & potentia actiua perfectionem simpliciter, quæ etiam in Deo formaliter reperitur, ita comparando singula singulis, quidquid est in actu virtuali, dicit in hac parte perfectionem, qua caret illud quod est in pura potentia passiua, & quò magis actiua est completa, eò est perfectior, & actualior. Sicut enim perfectio rei sumitur ab actu, & operatio sequitur *esse*, quò perfectior est operatio, eò perfectior colligitur esse actus, à quo procedit. Bene ergo sequitur illam naturam esse imperfectiorem, quæ est in pura potentia passiua respectu operationis sibi conuenientis, quàm sit illa, quæ potest in talem operationem. Ergo quò perfectior est natura, alicuius, eò magis est in actu respectu propriæ operationis sibi conuenientis & consequenter anima, quæ est perfectissima forma, potest ab intrinseco in suam operationem separata, sicut natura inferior. v. g. lapidis in propriam operationem, & potest cognitiua sensitiua in actum mouente obiecto, quæ est inferioris ordinis: ergo & intellectiua, que est superioris ordinis.

Comparatio potentiæ passiuæ ad formalē & virtualem actū.

Naturā esse imperfectam quæ est ex se in pura potentia passiua.

23 *Responsio Caietani.* Respondet Caietanus 1. *p. quæst.* 89. *art.* 1. non dari medium cognoscendi ex parte intellectus nostri inter conuersionem ad phantasmata & conuersionem ad entia superiora, nempe Intelligentias, & sic est duplex modus operandi eius, conformis duplici modo essendi coniuncto, & separato, quæ est doctrina D. Thomæ. Ad primum addacit rationem, quia natura prouidit de intentionibus sensibilibus, quia obiectum immediatè nequit concurrere cum intellectu. Hæc ratio in priori argumento confutata manet, quia committit non causam, vt causam; quamuis enim intellectus in hoc statu nequeat intelligere, seu apprehendere primò obiectum materiale, nisi vt mouetur à phantasmate, ideò est, quia obiectum aliter non est ipsi applicatum, & ostensum est de facto intellectum abstrahere, & moueri ad cognitionem, & formandam speciem obiecti materialis per ipsum obiectum, vt relucet in alio, quàm in phantasmate. Non ergo ideò natura prouidit de speciebus sensibilibus, vt intellectus intelligat obiectum, & abstrahat speciem ab obiecto: sed quia cognitiua sensitiua nequit aliter ferri in obiectum, si ratio assignanda sit ex parte potentiæ cognitiuæ, quam mouet obiectum. Quòd probatur, quia etiam in brutis, vbi nulla est subordinatio cognitiuæ sensitiuæ ad intellectum, aut intellectionem, neque potest esse, eodem modo prouidit natura, vt fit sensatio obiecti mediante specie intentionali. Ergo idem contingit in homine, quà animal est, & viget sensu, & conuenit cum brutis, quo sensitiua eius habeat actum, ideò requirit sic moueri à sensibili, mediante specie, quamuis nullus esset in eo vsus intellectus, sicut non est in amente, aut infante, in quibus viget sensus, & mouetur hoc modo per obiectum.

Impugnatur.

Non prouidit natura de speciebus sensibilibus ad finē cognitionis.

Finis earum est vt reducatur cognitiua sensitiua ad actū. Exemplū in brutis.

Finis ergo intrinsecus huius prouidentiæ naturalis specierum sensibilium, non est in ordine ad intellectum, sed ex necessitate cognitiuæ sensitiuæ, vt possit exire in actum, vt patet in bruto, in quo cessat ille finis, quem communiter adducit pars contraria.

Si quæras autem quare id ab intrinseco exigat cognitiua sensitiua, non est alia ratio, nisi quia est talis naturæ: nam vt dicit Philosophus, *sensibile supra sensum positum non facit sensationem*; requirit etiam potentia coniunctionem intrinsecam obiecti; & quia id nequit congruere temperamento organi, vt obiectum in *esse* reali coniungantur, ideò requirit coniunctionem eius in sua specie intentionali: nihil enim est coniunctius organo quàm ipsum organum, quod aliàs etiam sensibile est, sed quia non habet speciem sui, seipsum non sentit per modum obiecti. 24

Exponitur verus finis illarum specierum ex parte potentia.

Alia etiam ratio ostendi potest ex parte obiecti, vnde illa prouidentia naturalis exurgat producendæ speciei sensibilis, quia nempe obiectum natum est assimilare sibi subiectum quodcunque capax speciei, ideóque producit species obiectum visibile in medio diaphano, quæ non ordinantur ad vllam cognitionem, & ex quibus nulla visio nata est sequi; ne ergo dicamus naturam aliquid superfluè agere, aut contulisse virtutem, qua nequit reduci ad actum, qui est finis eius intrinsecus, ideò dicendum est hanc virtutem esse connaturalem obiecto, vt possit assimilare sibi subiectum capax intentionaliter, quamuis etiam mediante specie producta in organo moueat potentiam ad sensationem. Vniuersalior ergo est finis naturæ in producendis speciebus intentionalibus, quàm sit cognitio sensitiua, aut intellectiua, quamuis hæ vt particularis finis sub illo vniuersali comprehendumtur.

Exponitur ex parte obiecti.

Obiectū assimilare sibi intentionaliter medium capax.

Hic finis naturæ vniuersalior quàm cognitio.

Ex quibus euacuatur responsio opposita: nam quòd intellectus coniunctus pro hoc saltem statu non possit primò apprehendere obiectum, aut habere eius speciem, nisi dependenter à phantasmate, causa est, quia non habet obiectum sibi applicatum, non verò quod species sensibiles ab intrinseco fine solùm ordinentur ad speciem intelligibilem, aut quòd obiectū debeat hoc modo spiritualisari ad speciem intelligibilem producendam, quæ aliter produci non posset, si obiectum esset applicatum: sed ideò debet spiritualisari, quia necessariò id exigit ipsa cognitiua sensitiua ab intrinseco, siue in bruto, siue in homine: 25

Ratio data reijcitur

Qua ratione dicantur illæ species spirituales.

ne: quia, vt aliàs dictum est, non spiritualisatur quantùm ad *esse* obiecti repræsentatum, quia etiam species intelligibilis est obiecti, quà talis est in sua differentia, & materialis. Non spiritualisatur etiam in specie sensibili, aut phantasmate illa spiritualitate, vt ita dicam, quam exigit intellectus in sua specie; sed hæc spiritualitas fit in specie per solam virtutem innatam ipsius intellectus spiritualisantis speciem obiecti, atque ad hunc tantùm finem ponitur intellectus agens diuersus à possibili.

26 *Differentia inter obiectũ, actu, & potentia intelligibile.* Ex hoc intelligitur differentia illa assignata à Philosopho, inter intelligibile actu, & intelligibile in potentia: quarum prima competit obiecto materiali, secunda verò spirituali: nam materiale ideò ab eo dicitur intelligibile in potentia, quia nequit imprimere se solo sine intellectu concurrente speciem sui intelligibilem ex communicatione materialitatis, ex qua repugnat corpus agere, vt causa totalis in spiritum, quæ perinde tam speciei sensibili cuicunque, quàm obiecto ipsi competit. Dicitur verò esse intelligibile in actu in specie intelligibili, quia in ea potest concurrere proximè ad intellectionem. *Intelligibile in actu.* Per oppositum intelligibile in actu dicitur etiam respectiuè ad ens spirituale, eo modo quo sensibile in actu dicitur de obiecto materiali, quia potest media specie à se solo causata mouere sensum; ita etiam obiectum spirituale potest se solo producere speciem sui in intellectu, quia ab eo remouetur fundamentum repugnantiæ, quod inuenitur in materiali. Potest ergo obiectum materiale esse intelligibile in potentia respectiuè ad intellectum separatum, quæ potest ab eo abstrahere speciem intelligibilem, vt *suprà* probatum manet. *Intelligibile in potentia.* Neque ex eo dicitur intelligibile in potentia, quòd nempe intelligi non posset virtute intellectus & obiecti, nisi per conuersionem ad phantasmata, quamuis sic tantùm pro hoc statu cognitionis abstractiuæ cognoscuntur materialia, prima sui apprehensione. Probatum autem est in statu beatitudinis aliter cognosci posse, quin etiam de facto per speciem intelligibilem, ad quam non influit phantasma, cognoscitur etiam pro hoc statu directè.

27 *Dari mediũ inter duos modos cognoscendi statutos à Caietano.* Duplex ergo ille modus intelligendi, quem adstruit Caietanus, non est adæquatus modus intelligendi, neque huius status, neque status separati, intelligendo per conuersionem sine ad phantasmata, siue ad superiora entia, id est, Deum, aut intelligentias, causationem speciei intelligibilis. Primum patet ex iam probatis; secundum verò patet, quia intellectus separatus animæ, seu ipsa anima, cognoscit se per propriam essentiam; cognoscit etiam per species acquisitas, dum fuit coniuncta: quin etiam ex dictis, abstrahere potest species à re materiali applicata. Potest etiam vel à se, vel ab Angelo abstrahere rationes communes, ex quibus discurrere potest scientificè, & consequenter formare species, quibus vti potest circa Angelum aliàs visum, dum est absens, quoad rationes communes sibi, & aliis, sicut abstrahit species à prima apprehensione obiecti materialis, segregando obiectum à conditionibus indiuiduantibus, & aliis rationibus coniunctis: ac proinde neque ratio naturalis, neque Philosophia ea in parte, qua veris principiis inhæret, requirit deprimere naturalem cognitionem animæ separatæ ad duos illos modos. Tertium, quod addit illa responsio de duplici *esse* animæ, est superiùs impugnatum.

Alia responsio Caietani. Respondet ergo Caietanus ad secundam rationem Doctoris, quæ est præsens, eam refellendo ex doctrina iam tradita. Primò, quòd vilitas naturæ passiuæ sit, si non reducatur per propria actiua in actum; hæc autem respectu intellectus, vt respicit obiectum materiale, sunt præcisè phantasmata illustrata, non verò lapis illustratus: quia hic est in infimo gradu materialitatis, phantasma in summo gradu spiritualitatis. *Vilitas naturæ passiuæ excludit posse reduci ad actũ per proprium actiuum.*

28 *Impugnatur* Contrà, hæc responsio est iam impugnata, neque respondet argumento: sicut perfectionis est in potentia, & natura posse exire in actum sibi conuenientem, ita etiam imperfectionis est non posse exire in actum conuenientem: si ergo *Non soluit difficultatẽ.* cognitiua inferior caret illa imperfectione, ita etiam cognitiua superior, vt versatur circa idem, quod suum per se obiectum habet eandem perfectionem, vel certè vilior est in hoc potentia inferiori & subordinata; ergo intellectus separatus potest ab intrinseco exire in actum concurrente obiecto, aliàs vilificatur vltra potentiam cognitiuam sensibilem. *Perfectio inferioris danda est superiori potẽtiæ.* Vel sic formetur ratio: intellectus vt coniunctus est in imperfectiori statu cognoscendi, & essendi quàm separatus; quia vt separatus, ex sententia opposita, accedit ad extremum perfectionis, ideóque natus est recipere magis influxum à superiori in eo statu: sed coniunctus potest seipso exire in actum intelligendi rei materialis ab intrinseco; ergo à fortiori, vt est separatus, aliàs non acquireret perfectionem operandi ex separatione. *Intellectus coniunctus potest in obiectum materiale; ergo separatus.* Probatur consequentia, obiectum materiale est per se obiectum intellectus separati, sicut & coniuncti, quia inclinatio per se intellectus ad scientiam rei materialis manet in separato, neque ideò respicit illud vt obiectum per se, quia est coniunctus, sed quia intellectus est natus versari circa illud, per operationem abstrahentem à materia, cuius priuatio in intellectu dicit imperfectionem: ergo est perfectionis in intellectu posse ab intrinseco se perficere, seu reducere in actum circa illud obiectum: nam ideò dicimus species hîc acquisitas rei materialis, & habitus scientificos permanere in separato, quia sunt perfectiones connaturales intellectus humani, ad quas in omni suo statu inclinatur; ergo consequenter inclinatur ad cognitionem obiecti materialis, etiam in statu separationis, tanquam proprij, & per se obiecti: sed hoc nequit dici salua opposita sententia: quia quod neque potentia, neque actu est obiectum intelligibile, nullo modo potest esse obiectum per se intellectus, neque consequenter intellectus ab intrinseco inclinatur ad ipsum naturaliter. *Obiectũ materiale est per se obiectum intellectus.* Ergo dicendum est obiectum materiale esse intelligibile in potentia respectu intellectus separati, aut certè tolli inclinationem eius naturalem ad ipsum. *Manet eadẽ inclinatio ad materiale in separato.*

Si dicas esse intelligibile actu per species influxas, & non aliter, aut per species acquisitas in via. 29 *Responsio.*

Impugnatio. Contrà, demus nullas fuisse acquisitas in via, v. g. ab anima pueri, neque ideò tollitur ab ea inclinatio ad obiectum, quòd verò ordo intellectus, seu inclinatio eius ad obiectum, & vtriusque ad inuicem, non respiciat species influxas per se, patet, quia neque in via se sic respiciunt,

Qualis sit ordo intellectus & obiecti?

respiciunt, vt sunt causæ cognitionis, vnde si Deus communicaret alicui speciem, per quam in via cognosceret obiectum, hoc esset merè per accidens. Deinde agimus de obiecto motiuo, & perfectiuo potentiæ ex natura sua; ergo ordo eius ad intellectum debet saluari in aliquo, quod est in virtute obiecti, hoc autem non contingit per species influxas, quæ non repræsentant in virtute obiecti, sed causæ contingentis, & extrinsecè causantis; ergo per eas non saluatur ordo obiecti motiui, & potentiæ, & consequenter si obiectum non sit motiuum naturale potentiæ in statu separationis, non debetur eius cognitio potentiæ, neque influxus specierum. Probatur consequentia, quia illud debetur alicui ex prouidentia naturali, ad quod dicit inclinationem actiuam, aut certè passiuam: sed in statu separationis intellectus non dicit inclinationem actiuam ad causandum speciem obiecti, prout illa opinio dicit; neque dicit etiam passiuam, quia aliàs obiectum esset motiuum eius in eo statu saltem in potentia, quod negatur: ergo ex nulla eius inclinatione debetur ei species influxa talis obiecti.

Non saluatur per species influxas.

Si obiectum non esset motiuum naturale potentiæ separatæ, non deberetur ei eius cognitio, aut species.

30 *Responsio.* Dices, dicere inclinationem ad cognitionem eius, quia est connaturalis perfectio intellectus.

Impugnatio. Contrà, non omnis cognitio naturalis, quæ esset perfectio intellectus, ei debetur, vel communicatur per species influxas, & idem dico de habitibus, qui sunt perfectiones connaturales intellectus, vnde enim id constat fieri, vel vnum magis, quàm aliud. Nulla enim perfectio debetur naturaliter animæ separatæ, nisi illa, quæ ex causis naturalibus ei debetur, & hoc modo non debetur ei cognitio rei materialis, nisi tantùm per phantasmata secundùm opinantes; in statu verò separationis ei debetur cognitio per conuersionem ad superiora, & entia spiritualia tantùm. Neque etiam Deus, vt author naturæ, tenetur dare eam perfectionem, quæ non debetur ex causis naturalibus agentibus, aut disponentibus ad ipsam perfectionem. Melius ergo saluatur perfectio intellectus, & animæ separatæ asserendo hanc cognitionem obiecti materialis deberi animæ, & acquiri ab intrinseco ne vilificetur. Ex quo patet rationem Doctoris quoad hoc non peccare.

Non debetur cognitio animæ separatæ nisi ex causis naturalibus motiuis.

Alia responsio Caietani. Respondet secundò Caietanus naturam tunc dici vilem, si non concurrentibus his, quæ sunt sui generis, non posset in proprium opus, non autem si non posset concurrentibus rebus aliorum generum: anima autem separata est de genere substantiarum separatarum, & esset vilis, si non intelligeret cum illis.

31 *Impugnatur.* Contrà, res esse vnius aut alterius generis, non facit ad propositum de perfectione conueniente rei naturaliter, quæ aliquando, & vt in plurimùm est, per res alterius generis, vt substantiæ per accidens; effectus per causam æquiuocam; causæ particularis per vniuersalem; materiæ per formam: in proposito autem cognitio rei materialis, & species eius conuenit intellectui coniuncto per rem alterius generis, vt per se constat: ergo etiam animæ separatæ quoad idem *esse* suum, eadem perfectio ei conuenit: imò conuenit species ex parte per intellectum agentem, qui manet etiam in anima separata, sicut & inclinatio in intellectu possibili ad obiectum materiale. Deinde in perfecto, & perfectibili, vt patet in exemplis allatis, non attenditur idem genus, sed proportio perfectibilis, & perficientis, aut perfectiui, ad quam non facit res esse eiusdem, aut diuersi generis ad propositum, si in intellectu separato non manet ab intrinseco, ratio perfectibilis, & perfectiui circa obiectum naturale, & operationem naturalem, sicut competit omni potentiæ cognitiuæ præsente obiecto, & ipsi etiam intellectui in via, vt fuit coniunctus, vilior fit se ipsa, & aliis cognitiuis.

Causæ per quas inest perfectio.

Proportio perfectibilis & perfectiui attenditur in perfectione.

Respondet tertiò, quod egere pluribus extrinsecis ad opus suum, non reddit vilius sic egens illo, quod per se causat opus sine extraneis, quando opus agentis est altioris ordinis, talis est intellectio quæ est altioris ordinis, quàm opus lapidis, & aliorum inferiorum. Dato ergo quòd pluribus extrinsecis egeat ad operationem, non ideò fit vilior. 32 *Responsio alia Caietani.*

Contrà, quando concursus plurium arguit in effectu diuersum gradum perfectionis, id verum est, non tamen in singulis causis: nam eleuatio ad actum supernaturalem necessaria arguit perfectionem in actu, non tamen in potentia, sed defectum virtutis, licèt aliàs perfectius sit attingere hoc modo actum, quàm non posse attingere. In proposito posse in obiectum ordinis naturalis, & cognitionem sibi conuenientem, arguit perfectionem, & actualitatem in intellectu in via, & in aliis cognitiuis: ergo etiam in statu separato posse ab intrinseco, in eodem arguit perfectionem, & seruata proportione, defectum actualitatis non posse ab intrinseco in operationem illam imperfectionem, & potentialitatem: nam si in via non posset, in hoc sequeretur imperfectio: ergo idem dicendum in statu separationis. *Impugnatio.*

Concursus plurium causarum quando arguit perfectionem, quando non.

Respondet quartò, quòd conuersio ad superiora est perfectio naturalis; nam talis modus intelligendi debetur naturaliter intellectui separato. 33 *Alia responsio eiusdem.*

Contrà, ex necessitate & impotentia in operationem ordinis naturalis, in quam potuit intellectus coniunctus, arguit imperfectionem virtutis, vt per se constat: dari autem species influxas intellectui separato omnium obiectorum materialium, & hoc ei deberi nullo fundamento asseritur; quòd autem aliquorum præ aliis debeatur species, huius ratio assignanda est. Sed neque in hoc consistit vis argumenti, sed in eo quòd negetur intellectui præsente obiecto virtus ab intrinseco, quà possit in ipsum obiectum, quæ perfectio communicatur ei in via, sicut & cæteris potentiis inferioribus; fundamentum verò illius debiti specierum influxarum desumptum ab obiecto, eiúsque materialitate iam impugnatum est. *Impugnatur.*

c *Prætereà, sic opinans,* &c. Hæc est tertia ratio ad hominem ex principiis D. Thomæ 3. *part. q.* 35. *art.* 5. quia ex sententia, quam tenet, indiuiduari formas per subiectum, & maximè accidentales, negat consequenter duo accidentia solo numero diuersa posse esse in eodem subiecto numero. Hoc supposito, species influxa, & species acquisita eiusdem obiecti in via, sunt solo numero diuersa: quia species influxa non debetur animæ separatæ, nisi vt suppleatur defectus causæ naturalis, nempe obiecti, quod nequit intellectum mouere ex improportione materialitatis ad intellectum vt mobilem in eo statu: sed Deus supplens defectum alicuius causæ non agit ad effectum perfectiorem, quàm sit ille, qui à tali causa aliàs applicata produci potest: ergo species influxa obiecti materialis 34 *Tertia ratio Doctoris.*

Duo accidentia solo numero diuersa non conuenire eidem subiecto.

materialis talis est in specie, qualis fieret ab obiecto materiali, si applicaretur modo sibi connaturali agendi: sed species acquisita manet ex dictis quæstione præcedenti: ergo non datur species influxa naturalis lapidis, & consequenter saltem in hoc casu poterit intellectus separatus habere intellectionem lapidis sine conuersione ad superiora per speciem acquisitam, quod negant, nempe ex fundamento allato, quod dicitur per conuersionem ad superiora tantùm intelligere, quia habet modum essendi separatum, quem sequitur talis modus operandi. vide Caietanum, & D. Thomam loco allegato, qui sustinent modum conuertendi se ad phantasmata in coniuncto, & conuertendi ad superiora in separato, esse adæquatum modum intelligendi animæ rationalis.

Quod species influxa & acquisita eiusdem obiecti non differãt nisi numero

35 Responderet D. Thomas animam intelligere per species per se infusas, quia intelligit eo modo, quo Angeli intelligunt, & sic species influxas differre specie ab acquisitis. Hanc responsionem Doctor impugnat in vltima parte argumenti. Varij autem sunt modi interpretandi D. Thomam, eiúsque sententiam, ideóque huic argumento non plurimùm est insistendum, quamuis vrgeat difficultatem sententiæ oppositæ,

Species influxa imperfectiùs repræsẽtat quàm acquisita.

Quam hac ratione sic vrgeo: Species influxa rei materialis, qua acquiritur eius cognitio, imperfectiùs repræsentat rem materialem, quàm species acquisita, hoc est in actu secundo respectiuè ad intellectum. Doctrina est D. Thomæ loco præfato in corpore, comparantis intellectum humanum, vt distinguitur infimo gradu intellectualis substantiæ, à superiori, rudibus, qui non intelligunt per conceptus abstractos, sed per exempla sensibilia, & materialia, ideóque si animæ vnitæ corpori darentur species influxæ, & vniuersales, non intelligeret perfectè, sed modo confuso & vniuersali. Ad hoc autem quòd perfectam, & propriam cognitionem de rebus habere possit, vnitur corpori, vt à rebus sensibilibus propriam de eis cognitionem accipiat per conuersionem ad phantasmata, vnde colligit, ex excessu huius cognitionis, quantùm ad perfectionem eius, animam vniri corpori propter melius *esse* suum in cognoscendo perfectiùs res, per illam conuersionem ad phantasmata. Vide ibi Caietanum resoluentem species influxas esse quidem perfectiores in se, non tamen per eas perfectiùs animam cognoscere, sed imperfectiùs.

Doctrina D. Thomæ. Anima non perfectè cognoscit per speciem influxam.

Hanc eandem doctrinam tenet Sanctus Thomas *art. 2.* sed expressiùs *art. 3. in corpore*, vbi dicit, Angelos per eiusmodi species recipere perfectam cognitionem rerum naturalium, quia iste modus cognoscendi est naturalis Angelo: animam verò separatam recipere cognitionem rerum naturalium, sed imperfectam, & confusam per speciem influxam. Ratio autem huius est, quia mensura intellectionis desumenda est ab intellectu, non verò à specie.

Finis speciei infusæ.

36 Suppositâ ergo hac doctrinâ, sequitur non dari speciem influxam ei, qui habet acquisitam. Probatur sequela, quia species influxa datur intellectui ex debito naturalis prouidentiæ, vel quia aliter separatus nequit intelligere, nisi per speciem talem proportionatam modo essendi eius; vel ad supplendam imperfectionem, quatenus per illam intellectus posset meliùs cognoscere, aut cognoscere aliquid, quod non posset per speciem acquisitam, quæ cognitio esset ei debita naturaliter. Si primum dicatur, sequitur quòd per speciem acquisitam nihil intelligat in eo statu, aut possit intelligere, contra ea quæ determinata sunt in præcedenti quæstione, & sic species acquisita suspenderetur ab omni actu. Si secundum dicatur, sequitur speciem influxam nihil conferre perfectionis intellectui, & superfluere, ac proinde eam non deberi, supposita specie acquisita. Probatur sequela, quia per speciem acquisitam intellectus cognoscit rés perfectiùs, & sub ratione propria, per aliam verò sub ratione tantùm imperfecta vniuersali, & confusa: sed habenti cognitionem perfectam, & distinctam superfluit cognitio confusa, & imperfecta eiusdem: ergo & medium sic cognoscendi, per quod nullus suppletur defectus, sed potiùs perfectioni additur imperfectio, & existenti in actu cõpleto additur completus, ad quem non est potentia in intellectu: nam intellectio confusa, & distincta eiusdem habent se sicut excedens & excessum: imò, quod magis est, videntur opponi simul in eodem intellectu, sicut scire, & opinari, quia confusa dicit priuationem eius perfectionis, quam habet distincta, neque intellectus potest in idem confusè, & distinctè ferri, sicut neque sciendo, & opinando.

Non dari, quando inest species acquisita.

Sequitur præterea talem speciem non deberi intellectui ad cognitionem naturalem conuenientem. Probatur sequela, nulla species debetur intellectui, quæ est ei improportionata, vel per quam intellectus nequit æquè perfectè intelligere, sicut species repræsentare: sed species illa repræsentaret Angelo quiditatem, & res naturales perfectè & distinctè, intellectui autem animæ solùm imperfectè & confusè: ergo non est proportionata animæ, tanquam medium exeundi in actum sibi conuenientem. Probatur maior (minor est opinantis) quia intellectui debetur species vt connaturalis, per quam reducitur in actum iuxta inclinationem, quam dicit ad obiectum: sed inclinatio eius ad obiectum est per cognitionem distinctam, & sub ratione propria obiecti, non verò confusa & communi, & sic etiam fertur in obiectum per speciem acquisitam, vt supponitur: ergo cognitio ei debita secundùm inclinationem naturalem, est distincta obiecti materialis: ergo & medium huic cognitioni proportionatum ei debetur: tale autem non est illa species, vt dicitur, respectiuè ad intellectum separatum: ergo debetur ei species acquisita, vel virtus eam abstrahendi, quod est intentum. Videtur præterea inuoluere contradictionem, illam quidem ex se deberi intellectui, & ex natura sua esse nobiliorem absolutè, vt dicit Caietanus, & non repræsentare intellectui rem materialem distinctè: neque ratio, aut exempla data in oppositum quidpiam valent; nam intellectualitas animæ non est in eo gradu deficiente, in quo non est nata ferri in obiectum materiale, & naturale sub ratione propria: nam vt coniunctus etiam sic admittitur ferri: ergo si species influxa est nobilior in *esse* speciei, & repræsentantis, ita vt nata sit ex se facere obiectum distinctè præsens, id etiam præstabit respectiuè ad intellectum animæ, qui sic natus est ex propria inclinatione ferri in obiectum. Ideóque alij docentes intellectum animæ non posse abstrahere speciem nouam, dicunt species influxas repræsentare obiecta distinctè respectiuè ad intellectum, & distinctè etiam intelligere, quod magis videtur conforme rationi, & fundamento, quo dicitur animã separatam accedere ad

37 *Non deberi speciem infusam animæ separatæ.*

Non est proportionata animæ.

Cognitio distincta obiecti debetur intellectui.

Contradictio rectè arguitur.

Aliorum responsio magis probabilis.

ad perfectionem substantiarum separatarum. Verum hic accessus non ita intelligi debet, vt tollatur perfectio naturalis intellectus, qua potest species abstrahere à rebus materialibus, & recipere ab entibus spiritualibus, quia nulla ad hoc ratio, aut authoritas cogit, & per oppositum magis dignificanda est natura, & tollenda superfluitas.

SCHOLIVM.

Soluit rationes pro sententia D. Thomæ, & Henrici, adductas n. 3. ostendens manifestè nihil conficere; quia in prima, altera præmissa est falsa, vel est ex quatuor terminis: in secunda, altera præmissa est falsa, vel mutatur sensus medij, & vtrunque explicat optimè.

f Rationes opinionis non concludunt. Prima ad partem negatiuam, vel erit ex quatuor terminis: vel concludet oppositum: vel vna propositio erit falsa. Si enim accipias pro maiore, *oportet esse conuenientiam inter recipiens, & receptum*, & pro minore, *res materialis extra non habet conuenientiam cum intellectu*, quid sequitur? ergo intellectus non recipit rem materialem extrà, nec è conuerso. Si autem concludas, quòd non recipit à re materiali extrà, sunt quatuor termini: quia istud prædicatum non fuit in maiori. Si autem accipias maiorē istam, quam tamen non ponis in scripto, sed primam, *oportet esse conuenientiam inter recipiens, & illud à quo recipit*; Dico, quòd magis propriè diceretur esse proportionem, quàm conuenientiam, quia recipiens habet rationem passi, & illud à quo recipit, rationem agentis: agens autem, & passum, sunt proportionalia, non autem propriè conuenientia, nisi extendendo *conuenientiam* ad proportionem: imò proportio eorum requirit disconuenientiam, quia requirit quòd vnum sit in actu tale, & aliud in potentia tale. 7

Refutat rationes D. Thom. adductas n. 3.

Sic ergo maior ista noua, vel erit falsa, si intelligatur de conuenientia propriè dicta: vel si extendat conuenientiam ad proportionem, concedatur: & tunc minor, *res extra non habet conuenientiam* (isto modo) *cum intellectu*, falsa est. Est enim in actu saltem virtuali, tale, quale formaliter intellectus est in potentia.

Hoc confirmatur primò, quia tu concedis phantasma habere talem conuenientiam ad intellectum: & tamen phantasma est oppositæ conditionis ad illud, quod recipitur in intellectu, in hoc, quòd non repræsentat, nisi obiectum vt hîc, & nunc, quod intelligitur sub ratione vniuersali, abstractum ab istis conditionibus: nec illa alia conuenientia, scilicet quòd phantasma est sine materia extrinseca, facit quòd phantasma sit actiuum. Est enim verè in materia, hoc est, in organo extenso, & tantùm impediret actionem in intellectum immaterialem existere in hac materia extensa, quantum existere in illa materia extensa: sed tantummodo per hoc agit phantasma in intellectum, quia est repræsentatiuum obiecti: ergo hoc æquè potest ipsa res in se, quæ æquè est repræsentatiua sui. Et hoc credo esse verum: quia licèt intellectus possit abstrahere à phantasmate manente sine re; tamen potest immediatè accipere cognitionem à re extrà, & habetur in quodam Commento. 3. de Anima. Confirmatur secundò, quia sequeretur quòd Angelus non posset accipere cognitionem à re, quod improbatum est *in lib. 2. dist. 2. quæst. vlt.* 8

Per quid agit phantasma in intellectu.

Com. 20.

g Secunda ratio quæ est ad conclusionem affirmatiuam de illo influxu, vel peccat secundùm diuersum intellectum medij; vel habet alteram præmissam falsam. Cùm enim accipis in maiori, *medium quantò magis recedit ab vno extremo, tantò magis accedit ad aliud*, si intelligas vniformiter medium accedere, & recedere, concedo: si difformiter, falsa est, vtpotè si est medium in essendo, & recedit ab hoc extremo in essendo, accedit ad aliud in essendo. Similiter si est medium in operando, & recedit ab hoc in operando, accedit ad illud in operando. Sed si est medium in essendo, vel operando, & recedit in essendo ab vno extremo, non propter hoc accedet ad aliud in operando. 9

De hoc 2. d. 3. q. vlt.

Modò minor potest intelligi, vel de medio in essendo: & verum est, quia quodammodo anima coniuncta, habet esse medium inter substantiam separatam, & esse corporeum: & tunc conclude, ergo anima separata quando recedit à corpore in essendo, magis accedit ad substantiam separatam in modo essendi, concedo: sed ex hoc nihil ad *B*, quòd magis accedat in recipiendo influxum eius pertinentem ad operationem: & si ad hoc deduceretur ratio, manifestum est quòd non concludit: tunc enim anima separata magis esset capax talis influentiæ, quàm ipsa coniuncta corpori glorioso: quia coniuncta corpori glorioso magis accedit ad corpus secundùm *esse*, quàm

quàm ipsa separata: immò magis, hoc est, perfectiùs, quàm ipsa coniuncta corpori corruptibili.

10 Si autem accipias in minori, quòd anima separata magis recedit à corpore in operando, quàm coniuncta; falsum est, vt ab obiecto, circa quod operetur: ita enim potest separata cognoscere corpus, sicut coniuncta potuit; & ideò non sequitur quòd magis accedat ad substantiam separatam, vt ad obiectum cognoscibile, vel vt à quo recipiat obiectum cognoscibile.

[h] Quæ autem adducuntur pro confirmatione illius positionis, vnum de somno & extasi, aliud de dicto Commentatoris 3. *de Anima*, videntur figmenta: non enim ideò in somno videntur vera, quia anima recedit à corpore in operando, vt ab obiecto: tunc enim quantò somnus profundior, tantò magis talia viderentur: hoc autem falsum est, quia somnia non accidunt in somno profundissimo, sed in somno tenui: tunc enim epileptici regulariter viderent vera à spiritibus illis. Vnde istud fundamentum videtur esse acceptum ex fictionibus Mahometi, qui dicitur fuisse epilepticus: & ad cooperiendum mendaciter miseriam suam, dixit se oportere cadere; quando Angelus loquebatur sibi, & secundũ illam fictionẽ eius, Auicenna reuerenter loquens de lege sua, fingit in 9. *Met.* tales abstractiones à sensu, vt fiat releuatio ab Angelis.

Non ideò in somno vidētur vera, quia anima recedit à corpore.

Cap. 2. & inde.

Quare idē 6. naturalium p. 5.

11 Nos autem Christiani non dicimus aliquem in somno, vel extasi aliqua videre, nisi sit ibi aliqua causa positiua, vtpotè quòd Deus tunc intellectum immutet, de congruo autem magis tunc disponitur per amotionem impedimenti, quia scilicet non est distractus circa alia obiecta: & vehemens occupatio circa illud obiectum, impedit intensè operari circa istud, imò magis videtur miraculum, quod in somno reueletur veritas, quàm in vigilia in intellectu non nimis intento circa sensibilia: quia naturale est quòd in vigilia homo habeat vsum rationis, in somno autem non.

Quare in extasi res perfectiùs videantur.

Illud secundum de Auerroë, planum est quòd totum est figmentum, & ad propositum, quòd ista substantia separata recipiat à superioribus, & tamen vt coniungitur nobis non recipiat; contradictio est: quia nulla substantia separata posset nobis coniungi, nisi in ratione causæ efficientis, vel mouentis. Actiuum autem aliquod si in essendo recipit aliquid à superiori, & inquantùm est actiuum, est recipiens ab eodem.

COMMENTARIVS.

38 [f] Rationes opinionis non concludunt, &c. Prima ratio, quæ est conuenientia inter recipiens, & receptum, optimè soluitur in litera, cuius resolutio est, intellectum separatum posse habere proportionem recipientis speciem à re extrà, mediante intellectu agente, & speciem receptam, debitam conuenientiam cum intellectu. Ratio ergo est talis, debet esse conuenientia inter recipiens & receptum, seu vt melius; inter mouens & mobile: sed non est talis inter intellectum separatum, & rem materialem extrà: ergo, &c. Negatur minor: quia res extrà est in actu virtuali talis, qualis est intellectus in potentia. Confirmat, quia intellectus coniunctus potest abstrahere speciem à phantasmate, quia repræsentat obiectum materiale: sed obiectum per se est sui repræsentatiuum, id est, motiuum ad sui cognitionem, & materialitas eius non obstat, quia eandem etiam habet phantasma: ergo, &c. Probat etiam ex dictis *in 2. dist. 3. quæst. 11.* in quo probauit id conuenire Angelo, à simili conuenire intellectui animæ.

Ad rationem primam sententiæ opposita.

Inter intellectum separatum, & obiectum materiale est conuenientia.

39 [g] *Secunda ratio, quæ est ad conclusionem*, &c. Hæc ratio fuit de recessu ab vno extremo, & excessu ad alterum, nempe ab *esse* corporis ad *esse* substantiarum separatarum. Respondet Doctor. Si sumantur hi termini, *Medium*, *recedere*, & *accedere*, vniformiter, verum esse; si verò difformiter, falsum: quidquid ergo recedit in essendo ab vno extremo, accedit in essendo ad alterum: & sic quod recedit in operando ab vno, ad alterum, accedit similiter in operando: sed si recedat in essendo ab vno non sequitur accedere ad alterum in operando. Exemplum est, accidens separatum recedit ab *esse* accidentis per inhærentiam, ad *esse* separatum: ergo aliter operatur separatum, quàm coniunctum, non sequitur, quia eodem modo albedo disgregat visum, vt coniuncta, & vt separata: sic ergo anima recedit aliquo modo in essendo à corpore, cuius fuit forma, vt est separata, & sic in modo essendi magis accedit ad substantiam separatam: ergo in operando ita accedit vt recipiat, vel magis sit receptiua influxus ab Intelligentia, quàm vt coniuncta corpori, negatur consequentia, quia aliàs anima coniuncta corpori glorioso non esset æquè capax talis influxus, vt tamen vnita corpori glorioso magis accedit ad *esse* corporis; quia perfectiùs actuat corpus gloriosum, & illud habet magis in sua potestate, quàm corpus mortale. Si autem dicatur recessus ille esse à corpore, tanquam obiecto, negatur: quia sic non recedit à corpore, quin illud possit cognoscere per se naturaliter per cognitionem nouam.

Ad secundā rationem.

Quomodo intelligitur accessus & recessus inter extrema?

Anima accedit ad substantiā separatam.

40 [h] *Quæ autem adducuntur pro confirmatione*, &c. Reiicit confirmationem adductam ex auctoritate Auerroïs, & rectè reducit illas rationes, & auctoritates Commentatoris ad errorem, quo imbutus erat: Deinde asserit reuelationem veram in somno, & extasi non fieri naturaliter, sed à causa extrinseca per miraculum, quod maius est, si fiat in somno, quàm in vigilia, quia in somno quis priuatur vsu rationis, & non in vigilia, in extasi autem qua suspenditur anima à distractione circa sensibilia, tunc magis intendit reuelationi. Cæterùm hîc agimus de cognitione naturali debita animæ, & non de supernaturali.

Ad confirmationem.

Error Auerrois.

Quid dicendum de visionibus.

SCHOLIVM.

Anima separata potest acquirere notitiam rei aliàs ignotæ, tam abstractiuè, quàm intuitiuè, (de hac diuisione scientiæ agit 1.dist.1.quæst.2. & dist.8.quæst.pen. & 2.d.3. quæst.9) Ratio est, quia habet actiuum & passiuum sufficiens ad istud. primum est obiectum, & intellectus agens; secundum intellectus possibilis.

Anima separata potest scire, quod coniuncta nesciuit. In 1. & 2. & quodlib. quæst. 14.

[i] AD quæstionem ergo dico, quòd anima separata potest acquirere cognitionem obiecti priùs ignoti, & hoc tam de cognitione abstractiua, quàm intuitiua. Rationes istorum terminorum aliàs dictæ sunt. Primum probo, quia actiuo sufficienti, & passiuo sufficienti sufficienter approximatis, potest sequi effectus, & si agens sit naturaliter agens, sequitur effectus: nunc autem in anima separata habente lapidem, vel aliud obiectum proportionaliter sibi præsens, concurrunt hæc omnia, agens sufficiens, & passum sufficiens respectu cognitionis abstractiuæ, siue speciei intelligibilis talis obiecti, per quam habetur cognitio abstractiua: ergo, &c. Minor probatur, quia intellectus agens cum obiecto est sufficiens causa actiua speciei intelligibilis, nec minùs cum obiecto extrà, quàm cum phantasmate (de quo isti concedunt, quia, vt dictum est, contra opin. arguendo, nihil est in phantasmate propter quod sufficiat ad causandum speciem intelligibilem, quin eminentiùs sit in re cuius est phantasma) intellectus autem possibilis est sufficienter receptiuus. 12

Per istam rationem probatur secundum, scilicet de cognitione intuitiua: nam causæ illius sufficientes, sunt obiectum in actuali existentia præsens, & intellectus agens, & possibilis: hæc omnia possunt concurrere, & ita vt videtur, probatur quòd necesse est rem ipsam immediatè sufficere ad cognitionem intellectualem habendam de ipsa: quia solùm phantasma non sufficit ad cognitionem intuitiuam obiecti; quia phantasma repræsentat rem existentem, vel non existentem, præsentem, vel non præsentem: & per consequens per ipsum non potest haberi cognitio de re vt existente, & in propria existentia præsente: talis autem cognitio, quæ dicitur intuitiua, potest esse intellectiua; alioquin intellectus non esset certus de aliqua existentia alicuius obiecti.

Phantasma nõ sufficit ad intuitiuam.

De his 2. d.3. q.vlt.

Sed nec ista intuitio intellectiua, vel intellectio intuitiua haberi potest per speciem præsentem, quia illa repræsentat rem indifferenter existentem, vel non existentem; præsentem, vel non præsentem; & per hoc sequitur quòd per solas species influxas à Deo, vel Angelis, non est possibilis intellectui separato vtraque intellectio: quia non secunda: si ergo illa est possibilis, quia & nunc est possibilis, sequitur quòd erit de re in se, non per talem influxum. 13

[k] Distantia etiam immoderata obiecti impedit illam intellectionem obiecti intuitiuam, quia secundùm Augustinum de Cura pro mortuis agenda *Animæ illæ nesciunt quæ hîc aguntur, nisi ab Angelis discant, vel ab aliis animabus de nouo ad eas venientibus; quia illæ quæ hîc nouerunt, possunt illis dicere*; sicut Ioannes Baptista prædixit animabus sanctis in Limbo Christũ esse descensurum, sicut exponit Gregorius illam quæstionem eius in Matth. *Tu es, qui venturus es?* Nunc autem si per species influxas cognoscerent illas conditiones existentiæ rerum, non oporteret talia nuntiari eis à Sanctis ea scientibus, scilicet Angelis, vel animabus, sicut dicunt isti.

Cap. 2.

Ad arg.1.

[l] Ad Argumenta principalia. Ad primum dico quòd non sequitur frustrà animam vniri corpori. Esto enim quòd propter perfectionem animæ fieret ista vnio, vt scilicet acquireret perfectionem suam ex tali vnione, non sequitur quòd frustrà vniatur, si per aliam viam posset eam acquirere: si enim aliquid ordinatur ad finem, non frustrà fit, si alio modo possit finis acquiri: sicut si sanitas possit acquiri per lotionem, & potionem, non frustrà fit lotio, etsi per potionem possit sanitas haberi: ita etsi cognitio possit acquiri per vsum sensuum, & per alium modum ab anima separata, non frustrà fit vnio, ex quo ipsa est conueniens vno modo acquirendi cognitionem. 14

Vnio animæ propter perfectionẽ totius, non è contra.

Aliter, & magis ad rem, quòd vnio animæ ad corpus non est finaliter propter perfectionem corporis, nec solam perfectionem animæ: sed propter perfectionem totius consistentis ex istis partibus, & ideò licèt nulla perfectio possit accrescere huic parti, vel illi, quæ non posset haberi sine tali vnione, tamen non fit frustrà vnio, quia perfectio totius, quæ principaliter intenditur à natura, non posset haberi nisi illo modo.

[m] Ad

15 [m] Ad secundum dico, quòd aliquid est medium vni virtuti, quod non est medium alteri, loquendo de medio necessario: sicut in transferendo corpus de loco ad locum, vbi aliquod est medium necessarium virtuti naturali motiuæ, ita quòd virtus naturalis non potest transferre de *vbi* remoto ad aliud *vbi*, nisi per *vbi* medium: & tamen illud non est medium virtuti diuinæ, quæ potest subitò transferre de quocunque *vbi* ad quodcunque *vbi*. Sic in proposito, imperfectæ virtuti abstractiuæ necessarium medium est inter se sensibile extrà, & purè intelligibile, scilicet *esse* imaginabile: sed virtuti perfectiori abstractiuæ non est istud medium necessarium. Vnde argumentum posset duci ad oppositum, quòd si virtus intellectus separati esset perfectior quàm coniuncti, posset sine tali medio transferre obiectum ab extremo in extremum. *Ad 2.* *Medium vni virtuti potest non esse mediū alteri.*

Alio modo posset dici, quòd sub altero extremo cadit *esse* imaginabile, quia illud est simpliciter *esse* sensibile: illud autem extremum habet sub se diuersa, & in diuersis gradibus: quia aliquo modo in gradu sensibili remotiori ab intelligibili est sensibile extrà, quàm sensibile vt est in imaginabili: nunc autem in gradu aliquo in extremo potest alia virtus agere, & alia minor non potest agere: sed ab alio gradu propinquiori. Ita hìc, licèt virtus abstractiua intellectus nostri coniuncti non possit agere à sensibili abstrahendo intelligibile, nisi ab hoc gradu infimo sensibili, scilicet ab imaginabili: tamen illa virtus superior, vel efficacior, potest abstrahere à gradu magis distante, puta à sensibili extrà.

16 [n] Ad tertium, conceditur quòd cuiuslibet, cæteris paribus, potest acquiri notitia. Et cùm dicis de distantia locali, quòd non impediat: Respondeo, non sequitur, quia requiritur determinata præsentia obiecti ad potentiam: istam autem determinatam præsentiam impedit improportionata distantia: nec mirum, quia ad minus obiectum quod est aliquo modo hìc actiuum, non potest agere in passum, quantumcunque distans: & per consequens concedo quòd non potest respectu obiecti quantumcunque localiter distincti, notitia causari in intellectu separato, sicut nec in coniuncto. *Ad 3.* *Improportionata distantia impedit intellectionem.*

Si contra hoc obiiciatur, quia secundùm Boëtium de Hebdomadibus: *per se notum est incorporalia in loco non esse*: ergo nec in operatione sua distantiam localem requirere: Respondeo, Philosophus videtur ponere, distantiam determinatā requiri ad actionem, etiam substantiæ separatæ. Vnde *in 8. Physic.* videtur ponere quòd Intelligentia mouens orbem sit in aliqua parte illius orbis, à qua incipit motus, quasi ad actionem mouendi non nihil faceret præsentia localis, saltem diffinitiua mouentis. Similiter *in 7. Physic.* vult ex intentione quòd agens, & patiens sunt simul, quod vel intelligitur de simultate per contactum, vbi non potest esse maior, sicut est in corporibus, secundùm eum: vel vbi ista esse non potest, sed alia maior, puta præsentia mutua, de illa intelligatur: spiritus autem ad corpus potest habere præsentiam maiorem quàm per contactum: ergo ex intentione sua simultas per contactum mutuum erit ex præsentia mutua, & per consequens nimia distantia impedit actionem. *Text. 84.* *Text. 8. & inde.* *Non vult indistantiā requiri ad agendū, sed nimiam distantiam impedire actionem. Vide Scot. 1.d.37.*

COMMENTARIVS.

41 *Conclusio propria.* [i] AD *quæstionem ergo dico*, &c. Subiicit hìc conclusionem huius quæstionis, quæ talis est: *Anima separata potest acquirere cognitionem obiecti prius ignoti, tam abstractiuam, quam intuitiuam:* scilicet abstrahendo speciem, si est obiectum materiale, vel recipiendo speciem, si est obiectum spirituale, & hoc quantùm ad cognitionem abstractiuam, quæ fit per speciem; quantùm ad intuitiuam verò potest concurrente alterutro obiecto in re ipsa præsente, & existente causare cognitionem eius intuitiuam. Hanc sententiam sequitur Alensis *in 2. part. quæst. 26. m. 1.* D. Bonauentura *in 2. dist. 3. art. 2. quæst. 1.* Richardus *artic 6. quæst. 2.* Ocham *in 4. quæst. 12. artic. 2.* Gabr. *in Can. lect. 31.* Gregor. *in 2. dist. 7. quæst. 1. art. 1.* Maior *dist. 3. quæst. 4.* Palacios *disput. 1.* & communis nostra Schola, Molina *1. part. quæst. 55. art. 2.* Conimbricenses *in tractat. de Anima separata disput. 3. artic. 5.* Quantùm autem ad cognitionem rei spiritualis, Suarez *de Anima separata, lib. 6. c. 6.* Auersa *de statu animæ separatæ, quæst. 59. sect. 5. in fine.* *Est aliorum.*

Probatur conclusio à Doctore quoad primam partem, quæ est de cognitione abstractiua, quæ fit per speciem. Aduertendo tamen primùm non rectè aliquos interpretari sententiā Doctoris, quasi asseruerit nullo modo de facto, aut animam separatam, aut Angelum intelligere res materiales, nisi per speciem, aut cognitionem desumptam à rebus, hoc enim non dicit Doctor: nam plura circa statum rerum materialium spectant ad Angelum, & ad animam, quorum species acquirere non valent, quia neque res illæ necessariò eis applicantur neque aliàs applicatæ fuerunt, quo possint ex eis acquirere species, non enim de euentu agit Doctor, sed de eo quod potest fieri spectata virtute, & lumine naturali intellectus separati creati, & propositione obiecti, seu applicatione. *Explicatur sententia Doctoris.*

42 *Probatio conclusionis.* Probat posse acquiri ab anima separata cognitionem abstractiuam rei materialis, quæ magis versatur in controuersia; actiuo & passiuo sufficientibus,

cientibus, & ſufficienter applicatis, poteſt ſequi effectus, & ſi naturaliter agens producit, ſequitur etiam effectus. Comprehendit ſub debita applicatione remotionem impedimenti, ſi quod interuenire poteſt: ſed talis eſt intellectus tam agens, quàm poſſibilis, & obiectum materiale applicatum: ergo, &c. Probat minorem, quia intellectus agens cum obiecto in phantaſmate eſt ſufficiens principium producendi ſpeciem, & poſſibilis eius recipiendi: ſed obiectum in ſe applicatum eminentiùs continet virtutem aſſimilandi ſibi intellectum, quàm phantaſma: ergo, &c. Hæc ratio Doctoris ſuperiùs eſt ſufficienter deducta, & probata, idcóque hîc eam ſuppono ex dictis, ſicut & fundamentum contrarium impugnatum.

Intellectum agentem, & obiectum eſſe ſufficiẽtia ad cauſandam ſpeciem.

43 Secundò probat concluſionem ex eodem principio vniuerſali, de actiuo & paſſiuo ſufficienter applicatis: ſed intellectus cum re actu exiſtente, & præſente, eſt ſufficiens cauſa cognitionis intuitiuæ: ergo, &c. Cognitio enim intuitiua requirit neceſſariò fieri circa obiectum præſens, & actu exiſtens: ſed ſpecies influxa non poteſt vtramque illam cognitionem facere: quia ſi eſt abſtractiuè repræſentans, eſt indifferens ad obiectum tam exiſtens, quàm non exiſtens; præſens, quàm non præſens; & ſic nequit intuitiuè repræſentare. Si verò repræſentat intuitiuè, nequit repræſentare abſtractiuè, & vltra hoc requirit obiectum ipſum præſens, intuitio propriè dicta, & ſecundùm inclinationem intellectus vltimatã, qua fertur in obiectum ſuum, vt præſens, & exiſtens eſt. Agit hîc Doctor de intuitione perfecta & naturali obiecti, vt dependet ab ipſo obiecto, & ad eam ſic inclinatur potentia, quam negat fieri poſſe per ſpeciem influxam, maximè per illam, quam ſtatuunt aduerſarij, per quam etiam habetur cognitio abſtractiua, intuitiua verò per aliquam determinationem ſuperadditam.

Secunda probatio concluſionis quoad cognitionem intuitiuam.

Non poſſe per ſpeciem infuſam cauſari cognitionem intuitiuam.

Dices, ergo animam ſeparatam, ſicut cognoſcit per ſpecies infuſas, eo modo, quo Angeli cognoſcunt, per eaſdem etiam ſpecies cognoſcere rem actu præſentem, & exiſtentem: ad hanc tamen repræſentationem requiri obiectum eſſe præſens, & exiſtens; ita communiter Thomiſtæ cum ſancto Doctore *1.p.q.77.art.3.ad 2.* Sed variis modis declaratur ab ipſis: nam quidam dicunt ſpeciem debere immutari phyſicè ad hoc, vt rem, quæ futura erat, & quam indifferenter aliàs repræſentabat quoad *eſſe*, & *non eſſe*, præſentiam, & non præſentiam determinatè repræſentet nunc vt præſentem, & exiſtentem. Dicunt ergo mutari ſpeciem phyſicè modaliter.

Reſponſio.

Speciẽ infuſam cauſare vtrãque cognitionẽ abſtractiuã, & intuitiuam.

Declaratur variè. Mutari ſpeciem phyſicè.

44 Aliter autem declaratur communiùs in Schola D. Thomæ, ſpeciem actu repræſentare rem præſentem, & exiſtentem ſine mutatione phyſica, per ſolam mutationem ex parte obiecti: quia ſicut ſimile eo ipſo fit aliquid alteri, quo alterum priori exiſtenti ponitur in *eſſe*, & tunc primum reſultat ſimilitudo, ita ſpecies intelligibilis, quæ tantùm in potentia erat ſimilis obiecto, fit ipſi ſimilis in actu, dum ponitur in exiſtentia, & præſentia, ante ſtatum fuit ſimilis, vt ab his abſtrahit exemplum in ſpecie viſibili, quæ repræſentat obiectum intuitiuè, quia ſub hac ratione eſt ſimilis ipſi; quòd ſi verò per diuinam potentiam conſeruaretur abſque obiecto in *eſſe*, & præſentia nihil videret oculus. Ita Caietanus, & Ferrarienſis, ille in D.Thom. *loco cit.* hic verò *lib.2. contra Gentes, c.96.* Aliter alij dicunt, non eſſe differentiam petendam ex parte ſpeciei intelligibilis, ſed ex parte obiecti ob ſtatum eius diuerſum exiſtentiæ, & non exiſtentiæ; præſentiæ, & non præſentiæ; vnde quando actu exiſtit, iam terminat actũ, & obiectiuè ſpecificat per modum conditionis neceſſariæ, & materiæ circa quam. Alij dicunt per vſum plurium ſpecierum animam, aut Angelum cognoſcere poſſe rem exiſtentem.

Alij dicunt ſufficere mutationem in obiecto.

Exemplum, Species viſibilis non repræſentaret obiecto non præſente.

Alij dicunt requiri præſentiam obiecti vt conditionem.

45 Contrà, radix huius doctrinæ eſt, quia aliter anima nequit cognoſcere entia materialia; cognoſcere autem ſolùm poteſt per ſpecies influxas: ergo per eas cognoſcit etiam præſentes: nam animam cognoſcere res præſentes, & ſingulares admitti debet, & non ſolùm confuſè, & imperfectè, vt D. Thomas aliàs citatus affirmat; ſed etiam diſtinctè, fundamentum primarium iam impugnauimus, & ſemper ſupponimus. Reſponſiones autem allatæ videntur ſatis liberæ, & ſola rei obſcuritate inniti. Argumentor ergo ſic: ſpecies infuſa (ſic ex ſpeciebus acquiſitis argumentari licet) debet retinere eundem ordinem ad obiectum ſimilitudinis naturalis, quem retinet ſpecies acquiſita imitationis naturalis, ita vt ſpecies ſit natura ſua exemplatum, à quocumque cauſetur, & repugnet eam eſſe ſpeciem, niſi ſit talis; ex communi autem eſt ſimilitudo formalis, vt aliàs diximus in prima quæſtione huius; ſit virtualis, non refert: tamen eſt ordo inter ipſam & obiectum non reciprocus, ſed prioris, & poſterioris eſſentialis, quia ſpecies neceſſariò eſt alicuius obiecti; obiectum verò non dicit talem dependentiam ad ſpeciem, quia prius eſſentialiter, & menſura, ſeu exemplar; & hoc patet comparatione etiam vtriuſque ad intellectum, quia ſpeciem non requirit intellectus, niſi propter inclinationem, & dependentiam ſuæ perfectionis ad obiectum; retinendo ergo hoc quod eſt commune vtrique, ſpecies ſicut eſt naturalis imago obiecti, ita nequit aliter, & aliter repræſentare obiectum, niſi ſecundùm aliquam ſui mutationem in *eſſe* imaginis obiecti; ergo nequit repræſentare obiectum ſub vno modo, nunc aliter ſub alio modo diuerſo, ſine ſui mutatione, ſed determinatè ſub eo modo, quo eſt ſimilitudo obiecti.

Impugnatio. Radix & ſuppoſitio præmiſſæ doctrinæ.

Obiectum eſt menſura ſpeciei, & prius ipſa eſſentialiter.

Patet ex ordine vtriuſque ad intellectum.

Nequit repræſentare alio & alio modo.

46 Dices ſpecies infuſas non dependere ab obiectis, ſed ab ideis.

Reſponſio.

Contrà, neque ideæ repræſentant obiectum difformiter, ſed vniformiter, nempe rationem abſolutam obiecti, cuius eſt idea: ergo neque ſpecies infuſa poteſt difformiter repræſentare obiecta ſine ſui mutatione. Deinde, ſpecies etiam acquiſitæ imitantur ideas, quia ſicut eadem eſt ratio obiecti, ita etiam repræſentatio obiecti ſecundùm eandem in ſpecie acquiſita, imitatur modum repræſentandi ideæ; neque ſpecies infuſa animæ perfectiùs repræſentat animæ ens materiale, quàm ſpecies acquiſita, iuxta ſuperiùs allata ex D.Thoma *q.89.* & ſicut ſcientia acquiſita in nobis eſt participatio ſcientiæ diuinæ, ita repræſentatio ſpeciei acquiſitæ eſt participatio ideæ, inquantùm repræſentat obiectum. Quin etiam in nobis S.Auguſtinus *in lib.de Trinitate*, memoriam, intelligentiam, & amorem dicit vbique eſſe imaginem Trinitatis, quamuis memoria, & intelligentia in nobis per ſpecies obiectorum compleantur acquiſitas, & expreſſas.

Impugnatio.

Ideas repræſentare vniformiter.

Eas imitatur acquiſita ſpecies.

Imago in nobis completur per ſpecies acquiſitas.

Deinde, ſpecies infuſa eſt tantùm repræſentatio obiecti, quod eſt in idea, ſi hanc diſtinguas ab ipſo obiecto in ſcientia, aut eſſentia diuina, iuxta

Species infuſa non imitatur ideã, niſi vt eſt repræſentatio obiecti.

iuxta varios modos exponendi Doctorum; ergo non aliter imitatur ideam, nisi quatenus ipsa idea repræsentat obiectum; sed non repræsentat ideas, quatenus in Deo vna & simplex est ratio formalis repræsentando obiecta ideata, & possibilia; quia sic posset vna tantùm species esse infinitorum obiectorum.

Idea non est ratio repræsentandi in specie infusa.

Deinde, neque idea est ratio causandi, aut repræsentandi in specie infusa: voluntas enim est causa eius efficiens, obiectum verò absolutè sub ratione obiecti causa exemplaris, & formalis extrinseca, cui conformatur, non verò obiectum in idea, vel vt in idea; si enim obiectum vt in idea esset formale repræsentatum speciei infusæ, dato quòd dependet sic ab idea, non posset aliter repræsentare obiectum nisi vt in idea: ergo videtur effugium difficultatis dicere quòd species infusa non dependeat ab obiecto, vt exemplato, sub ea ratione, qua est obiecti sui, sed dependeat ab idea.

Dependentia speciei nō reducitur in ideam.

Probatur consequentia, quia ideò confugitur ad ideam vt dependentia speciei in aliud extra se reducatur: in ideam nequit reduci, vt in causam proximam efficientem, quia sic est à diuina voluntate, non potest reduci in ideam, vt comprehendit rationem repræsentandi, & ipsum obiectum repræsentatum, tanquam in suum exemplar, quod repræsentat; neque etiam in obiectum reduplicatiuè, vt est in idea, quia sic non repræsentat obiectum; sed in ordine ad modos reales, aut possibiles essendi: ergo præcisè reducitur in ipsum obiectum, vt exemplar, cuius est repræsentatio: ergo in hoc genere ab eo dependet sub determinato modo, ita vt sub diuerso non sit nata repræsentare obiectum, maximè quod non est per se conueniens, sed contingenter.

47 *Responsio.* Dices, ideam vnam simplicem in se repræsentare infinitas rationes, seu infinita obiecta, & hanc perfectionem posse communicari creaturæ, limitato & connaturali modo; quia nihil repugnat.

Impugnatio. Contrà, idea vt est scientia repræsentans in Deo plures rationes, ideò est simplex, quia habet obiectum primarium & motiuum simplex, nempe essentiam diuinam, à qua habet simplicitatem, infinitatem, & omnem perfectionem suam;

Scientia Dei simplex, & quare?

creaturas verò repræsentat illa scientia per modum obiecti secundarij, à quo non dependet; ideò enim repræsentat creaturas possibiles, quia est scientia infinita per obiectum primariū simplex, quod includit in se sine distinctione sui, obiecta illa secundaria per modum sui ipsius; per prius ergo competit scientiæ diuinæ esse infinitam, &

Scientia Dei priùs infinita quàm nata repræsentare obiecta secūdaria.

simplicem ab obiecto suo formali, & primario, quàm repræsentare secundaria obiecta. Si ergo scientia Dei specificatur ab obiecto suo formali motiuo, ita vt, si per impossibile esset multiplex, scientia etiam esset multiplex; à fortiori omnis ratio speciei creatæ debet rationem aliquā vnam obiecti motiui respicere, à qua specificatur, & per quam ad alia obiecta secundaria extenditur: hoc autem repugnat; quia vel esset vniuersale aliquod secundùm prædicationem, & hoc nullo modo in

Species creata nequit primò repræsentare diuersa.

esse includit rationes particulares, sicut neque animal in genere hominem; quia est in se ratio incompleta, & non actu continens inferiora; sed sola potentia quasi passiua, & permissiua, non potest esse aliquod obiectum in specie, quia nullum tale creatum includit in seipso illas rationes diuersas actu, aut virtute in *esse*, & *operari*: quod si includeret, perinde etiam per speciem acquisitam possent illa repræsentari: quia quòd species sit acquisita, aut infusa, non variat naturam eius, vt respicit causam exemplarem, & obiectum; sed sunt tantùm diuersi respectus ad agentia diuersa, non ad causam formalem extrinsecam, seu obiectum formale; inuenitur ergo repugnantia ex parte speciei creatæ, cur non possit primò repræsentare diuersa, & non communicantia inter se obiecta, non inuenitur talis repugnantia in scientia Dei, quia nimirùm habet primum obiectum specificatiuum, & simplex, quod omnia repræsentata includit eminenter, & virtute, & sine vlla sui diuisione. Quòd si ergo obiectum speciei, qua ipsum specificat, non includit alia obiecta formalia, & rationes, sic etiam ex vi obiecti nequit species extendi ad illa.

Deinde, siue idea, vt est ratio simplex repræsentandi infinita possibilia, sit ipsa scientia possibilium, vt nos putamus; siue *idea* sumatur pro ipsa essentia secundùm respectus rationis, non subsistit ratio assignata, quia dicendo esse scientiam Dei, hanc imitatur species expressa obiecti, & non impressa: quia scientia est expressio possibilium respectiuè ad Dei omnipotentiam; species autem impressa se tenet ex parte obiecti, quod supplet vicem eius, & constituit ipsum actu intelligibile, non actu intellectum, aut scitum. 48

Eadē responsio impugnatur.

Si idea sit scientia Dei, eam magis imitatur species expressa.

Sed species expressa, vt concedunt aduersarij, nequit repræsentare in intellectu creato plura obiecta formalia æquè primò, aut repræsentare obiectum sub diuerso modo essendi, hoc modo, de quo agitur, ita vt nunquam intellectio abstractiua possit transire in intuitiuam. Ergo *idea* sub hac ratione considerata nequit communicari speciei intelligibili; si verò sumatur idea pro ipsa essentia, vt est ratio obiectiua cognita, sic etiam nequit communicari speciei, quia hoc modo species non causat, neque repræsentat, quia est ratio cognoscendi incognita.

Hæc nequit repræsentare difformiter.

Deinde, ideò essentia diuina per modum vnius & simplicis repræsentat obiectiuè infinita, quia etiam per modum vnius, & simplicis, includit illa eminenter, quantùm ad *esse* & *cognosci*: sed neque hoc potest conuenire speciei ratione sui, quia non potest in *esse* includere omnem perfectionem, & modos essendi obiecti: quia non ex perfectione entitatis competit speciei repræsentare, quasi in essendo obiectum excederet, vel adæquaret; sed ex similitudine & imitatione, qua est eius imago naturalis; ergo neque species infusa potest imitari ideam hoc modo sumptam.

Nequit etiā communicare essentia vt est obiectiua repræsentatio.

Confirmatur ergo ratio præmissa; non possumus cognoscere, neque discernere speciem intelligibilem, aut per eam fieri cognitionem naturalem magis, quàm alia via, nisi ex modo cognoscendi per speciem impressam acquisitam sensibilem, ex qua deuenimus in cognitionem speciei intelligibilis; supposita experientia à posteriori, quam habemus de actibus intellectus nostri, absente obiecto in se, & respectiuè ad sensum externum, & seruando conuenientiam genericam inter vtramque speciem, colligendo verò differentiam specificam ex natura potentiarum: ergo etiam eadem ratio seruanda est quoad speciem infusam cognoscendā, saluando conuenientiam inter ipsam & speciē acquisitā: ergo nequit ipsi attribui vlla ratio differentialis, quæ destruit rationem genericā, vt cum ea est incompatibilis; sed 49

Confirmatio.

Modus cognoscēdi speciem intelligibilem.

Debet saluari conuenientia generica inter infusam, & acquisitam.

sed ex ratione generica species infusa respicit obiectum vt exemplar, & prius essentialiter, cui necessariò conformatur, & ex hac conformatione habet repræsentare illud intellectui: sed repugnat idem respicere primò diuersa exemplaria, & diuersæ rationis formalis, quia multiplicato priori essentiali, multiplicatur posterius, non è conuerso: ergo multiplicato obiecto, multiplicatur etiam species: sed perinde etiam se habet species respectiuè ad obiectum, vt de eo nata est fieri cognitio abstractiua, & intuitiua, quæ respiciunt obiectum secundùm diuersas rationes formales, quarum altera est merè contingens: ergo species, quæ repræsentat obiectum abstractiuè, nequit illud, saltem inuariata manens, repræsentare intuitiuè, quod est intentum.

Species repræsentans obiectum abstractiuè, & intuitiuè æquiualet diuersis.

50 *Confirmatio secunda.* Confirmatur secundò. Cognitio abstractiua de obiecto magis communicat cum alia abstractiua de eodem obiecto, quàm cum intuitiua eiusdem: ergo species repræsentans obiectum abstractiuè, magis nata est causare quamcunque abstractiuam de eodem, quàm intuitiuam, quæ magis distat; sed species infusa nequit causare cognitionem de obiecto, vt est futurum, vel vt est præteritum, vt concedunt aduersarij: ergo neque de eodem potest causare cognitionem intuitiuam. Probatur consequentia, quia cognitio de præterito & futuro sunt cognitiones abstractiuæ, vt comparantur ad intuitiuam, & ad ipsum obiectum, quia sunt de obiecto non existente in se, neque præsente: ergo, &c.

Nequit species infusa causare cognitionem de obiecto vt futuro.

Vim huius rationis communis schola opposita aduertit, vt patet ex prima, & secunda responsione, quæ communior in eadem schola est antiquorum.

51 *Responsio.* Suppositis ergo dictis, prima responsio est, mutari speciem modaliter, ad hoc vt possit repræsentare rem præsentem, quæ aliàs repræsentabat rem vt indifferentem ad præsens, præteritum, & futurum, vt autem determinatè repræsentet rem præsentem, requiritur eius modificatio, per quam repræsentatio illa determinatio ei accedat. Pro hac citatur Malon *in 2. distinct. 3. disput.* 14. & Heueus in eadem distinctione.

Impugnatio. Contrà, quia etiam eodem modo dici potest de re præterita, & futura, repræsentari per speciem secundùm diuersas modificationes additas, & saltem de re præterita id magis patet: quia cognitio eius debetur animæ separatæ, & Angelo: ergo si nequit per eandem speciem sic repræsentari: idem dicendum de re præsente; nam de futura ideò negatur, quia eius cognitio non debetur Angelo, aut animæ separatæ.

Per modificationem non determinari speciem.

Contrà, quia etiam spectat ad perfectam prouidentiam ordinare res in ordine ad futurum, res etiam futura est cognoscibilis per intellectum, & spectat ad perfectionem scientiæ, estque talis scientia expetibilis.

Debetur cognitio futuri Angelo.

52 *Modificatio non fit ab obiecto.* Deinde, illa modificatio non potest esse ab obiecto, quia species per se infusa nequit causari ab obiecto; ergo neque modificatio, per quam transit in nouam repræsentationem.

Responsio. Dices, per nouum influxum causæ primæ, prout dicitur influere in causas secundas, & per talem applicare eas ad effectum, complendo virtutem imperfectam earum, fit talis modificatio, & applicatio speciei ad intuitiuam repræsentationem.

Impugnatio. Contrà, species de se non est nata repræsentare obiectum, nisi vt abstrahit à præsentia, & existentia: ergo influxus debitus speciei iuxta naturam suam, non est sufficiens modificare speciem respectu eius, cuius non est repræsentatiua ex se; sicut enim nequit per influxum determinari ad repræsentandum aliud obiectum, cuius non est species, quia non habet innatam virtutem ad hoc, & influxus supponit virtutē innatam; ita similiter nequit per influxum immutari species, vt aliter repræsentet obiectum magis quàm sit nata repræsentare, scilicet abstractiuè: quia hic modus repræsentandi est differentialis, & immutabilis salua natura speciei; aliàs etiam sic species acquisita ab obiecto sic repræsentans abstractiuè, posset à Deo immutari per influxum, aut alium modum, ita vt repræsentaret rem præsentem, & existentem, & idem de specie expressa. Non apparet ergo ratio, vnde saluari possit hæc modificatio, quæ repugnat speciei ex modo repræsentandi, quæ respicit obiectum vt exemplar, qui modus est ipsi differentialis, nisi obscurare velimus quidquid de natura specierum differitur, & totum in certo constituere, & nulla principia certa supponere, sed hærere ad libitum in coniecturis.

Natura speciei & influxus ei debitus.

Species acquisita nequit modificari vt fiat intuitiua.

Obiectum ergo in actuali existentia, & vt præsens, acquirit nouam differentiam in *esse* intelligibilis, secundùm quam respicit diuersum modum operandi secundùm speciem in intellectu. Ergo etiam respectiuè ad speciem repræsentantem impressam. Probatur consequentia, quia quæ ex natura sua non est nata repræsentare obiectum sub hac differentia, nequit constituere obiectum actu intelligibile secundùm eandem: sed species, quæ ex natura sua, & specifica repræsentatione abstrahit ab obiecto vt est præsens, & existens, nequit determinari ad repræsentationem obiecti sub his rationibus: quia non continet obiectum sub his rationibus. Vnde sicut species repræsentans obiectum sub ratione generica tantùm, nequit determinari, vt perfectè, & actu repræsentet speciem inferiorem; ita etiam in proposito dici debet consequenter: nam obiectum vt est in actuali existentia præsens, vt comparatur ad seipsum possibiliter sumptum, & res simpliciter; & possibiliter sumptum res secùndùm *quid.* Deinde, modus operandi sensus externi, & intellectus in via distinguuntur essentialiter per abstractionem, & intuitionem in cognoscendo: ergo etiam hi modi repræsentandi ex parte specierum, vt sunt ad obiectum, constituunt similem differentiam. Deinde, non magis potest species abstractiuè repræsentans natura sua fieri repræsentans intuitiuè, quàm intuitiua fieri abstractiuè repræsentans: sed nequit hoc fieri: nam intuitiua est obiecti in vltima & perfecta actualitate in *esse* cognoscibilis, à quo sic sumpto nequit vlla ratione abstrahere, aut aliter repræsentare per detractionem alicuius gradus, aut additionem alterius diuersi: ergo similiter dicendum de specie abstractiua: alioquin dicam sensum externum posse cognoscere obiectum abstractiuè; quia dato quòd videat oculus obiectum per speciem sensibilem, modò hæc immutari potest seruata ratione sua specifica, poterit etiam sic repræsentare sensui; quia medium cognoscendi non est magis indifferens ad hos modos repræsentandi, quàm ipsa potentia cui datur, vt medium, &

53 *Obiectum vt præsens acquirit nouā differentiam in esse intelligibilis.*

Modus cognoscēdi sensus externi, & intellectus in via distinguuntur.

Intuitiua nequit fieri abstractiua.

& cuius virtus magis extenditur ad obiecta.

54 *Secunda responsio.* Secunda responsio superiùs præmissa est D. Thomæ *loco cit.& quæst.*8. *de veritate*, *art.*9. *ad* 3. *& art.*12. *ad* 1. Ferrariensis, Caietani, Ægidij *in* 2. *distinct.* 7. *quæst.* 2. *art.* 1. *ad* 2. Capreoli etiam *in* 2. *distinct.* 3. *quæst.* 2. *art.* 3. quamuis autem negant speciem immutari quoad absolutum, vt ita dicam, entitatis; tamen ratio assignata admittit immutari quoad relationem similitudinis, quæ resultat obiecto existente, ea fortè ratione negant simpliciter immutationem speciei, quia non putant ad relationem dari mutationem propriè dictam: quidquid sit de hoc, saltem datur talis mutatio, quâ species, quæ fuit tantùm in potentia ad repræsentandum superaddita similitudine fiat actu repræsentans rem existentem, ita vt sine similitudine non posset repræsentare rem existentem, quod sonat exemplum adductum à Caietano, & Ferrariensi, de specie visibili desinente obiecto, non constituente, neque potente constituere oculum videntem.

Non immutari speciem quoad absolutū, sed quoad relationē similitudinis.

55 *Impugnatio.* Contrà sic argumentor: si loquantur de similitudine propriè dicta, quæ est prædicamentalis, non apparet quomodo species obiecti conueniat in sua entitate cum obiecto, quod requiritur ad similitudinem hoc modo sumptam, nam species ex genere suo est accidens, obiectum potest esse substantia, inter quæ non est similitudo Prædicamentalis, nisi fortè hîc supponant illud fundamentum, quo negant alibi speciem dari posse impressam, quæ repræsentet Deum sub propria ratione, quia nempe in essendo & actualitate species impressa adæquat obiectum suum. Sed de hoc agendum erit infrà. Cæterùm neque etiam hoc sufficit ad similitudinem prædicamentalem, quæ fundatur in conuenientia extremorum secundùm eundem modum essendi, obiectum autem nequit sic esse in specie, quia alias etiam in specie conuenirent ei proprietates, actiones, & reliqua quæ conueniunt secundùm modum naturalem essendi: tantùm ergo est in specie obiectiuè, & per modum repræsentati, & sic nos dicimus esse in specie expressa.

Nō esse similitudinē prædicamētalem inter speciem & obiectum.

56 *Similitudo secundum repræsentationem.* Si intelligunt præfati authores similitudinem impropriè dictam, quæ est secundùm repræsentationem, petitur principium, quia quæritur, cur species nequeat repræsentare futurum, & præteritum, siue cum sui mutatione, siue sine tali mutatione, & possit repræsentare præsens: nam de hac repræsentatione quæritur, quocunque modo saluari potest, nec ratio diuersitatis apparet, nam quòd dicatur habere similitudinem ad obiectum præsens, & existens, sumendo similitudinem prædicamentaliter, & propriè nihil conducit; quia illa non ex repræsentatione, oritur neque in ordine ad repræsentationem, sed ex absoluta conuenientia entitatum: nam quidquid est commune speciei repræsentanti, & aliis quæ nihil repræsentant, neque ad hunc effectum dicunt ordinem vllum, resultat ex causa communi omnibus, quæ est conuenientia entitatis, & in specie nequit proinde esse causa repræsentationis, quæ ipsi ex peculiari ratione competit.

Petitio principij.

Si autem per similitudinem circumloquantur ipsam repræsentationem, vt dixi, petitur principium: nam idem est speciem esse similem hoc modo, ac repræsentantem: dicere ergo quòd species sit similis obiecto existenti, & non futuro, aut præterito, idem est ac dicere non repræsentare futurum, aut præteritum potentia, aut actu, repræsentare verò existens potentia, & actu, quod est idem inuoluere sub obscuritate verborum, & non soluere difficultatem.

Quidquid autem denotetur illis verbis, manet ratio, quia sine tali similitudine species repræsentat obiectum in ordine ad cognitionem abstractiuam, & actu repræsentat, non solùm potentia. neque alia ratio assignari potest, nisi natura speciei, vt est obiecti, qua abstrahit ab omnibus differentiis loci, temporis, & existentiæ, ac præsentiæ: ergo si nequit sine noua similitudine repræsentare rem præsentem, & existentem, nequit illud repræsentare sine sui mutatione in *esse* repræsentantis: repræsentatio enim naturalis nequit in specie variari sine ipsius speciei mutatione, quia in hac repræsentatione consistit eius natura, & essentia. Confirmatur exemplo allato de specie visibili, quæ nequit repræsentare aliter quàm rem præsentem, & existentem: ergo à paritate species repræsentans abstractiuè ex natura sua nequit repræsentare intuitiuè eandem, & sic redeunt rationes factæ contra primam solutionem. 57

Species repræsētat abstractiuè sine similitudine superaddita.

Tertia responsio, quæ est Suaris *lib.*2. *de Angelis cap.* 11. & aliorum, non satisfacit: species est causa naturalis: ergo quidquid continet repræsentat actu intellectui: sed antequam res est præsens, & existens, non repræsentatur per speciem vt talis: ergo species non potest existentem repræsentare sine sui mutatione. Prima consequentia probatur, si species visibilis conseruaretur in oculo, repræsentaret actu rem vt existentem, & præsentem, quamuis res non esset existens & præsens: neque alia ratione id præstaret, nisi quia ex natura sua ei conuenit talis repræsentatio: sed non minùs potest species intelligibilis repræsentare potentiæ in actu quidquid nata est repræsentare, neque magis dependet ex natura sua ab obiecto existente, quàm species visibilis: ergo si ex natura est repræsentatio obiecti præsentis, etiam manens in intellectu illud repræsentat ante & post existentiam. Exemplum admittit Suarez, consequentia videtur probata.

Tertia respōsio Suaris impugnatur.

Quidquid nata est species repræsentare id repræsentat.

Dices, intellectum separatum videre rem quiditatiuè, & prout in se est, ideóque nequit sic ei repræsentari per speciem, quando non est. 58 *Responsio.*

Contrà, sic etiam visus videt rem, vt in se est, & secundùm rationem formalem rei: ergo eadem ratio currit seruata proportione, imò magis quoad speciem visibilem, quæ magis dependet ab obiecto, quod est causa eius totalis, requiritur præsentia, & existentia obiecti, quàm quoad speciem infusam, quæ non dependet ab obiecto, eius existentia, & præsentia, sed à solo Deo, & consequenter eius repræsentatio naturalis non dependet ab obiecto. *Impugnatio.*

Species visiua depēdet à re præsente.

Dices, deceptionem non posse cadere in intellectum separatum, & ideò species repræsentare nequit obiectum præsens, nisi quando est præsens. 59 *Responsio.*

Contrà, intellectus creatus animæ, & Angeli in puris naturalibus est subiectus deceptioni quantùm est ex se, hîc autem agitur de intellectu in statu naturali, qui defectibilis est, sicut & voluntas peccabilis, imò actu peccare potest sine gratia Dei speciali, quæ non obstante gratia eleuationis, peccare potuit; ergo à fortiori etiam in statu naturali: peccatum autem sine deceptione, *Impugnatio.*

Intellectus creatus in statu naturali subiectus est deceptioni.

deceptione, aut errore aliquo nequit contingere iuxta placita D.Thomæ, qui ita intelligit illud Philosophi, *Omnis peccans est ignorans.* Demus ergo aliquam speciem in intellectu animæ natura sua repræsentantem intuitiuè obiectum præsens: hæc est possibilis, & ita natura determinata ad causandum intuitionem obiecti existentis, & præsentis, sicut species visibilis: ergo causabit in intellectu separato visionem obiecti, quamuis tum non existat obiectum, si species visibilis ita causat visionem non existentis in oculo. Anima prætereà vt coniuncta, nata est sequi impressionem sensus: v.g. quando baculus fixus in aqua repræsentatur ex reflexione speciei, vt fractus, sic etiam apprehendit intellectus per speciem primò impressam, baculum vt fractum; ergo etiam si daretur similis species repræsentans baculum fractum in eadem anima separata, similiter ipsi repræsentabit baculum vt fractum, & causabit apprehensionem conformem suæ repræsentationi: sed illa species, quæ fuit impressa in intellectu in via, manet etiam naturaliter in intellectu separato, sicut aliæ species, & ea vti potest ad repræsentationem sui obiecti: ergo deceptio vt cadit in apprehensionem, potest conuenire intellectui separato animæ ex natura speciei repræsentantis, cuius effectus non suspenditur, & proinde se habet ad hoc species abstractiua & intuitiua, sed non est maior ratio cur intellectus patiatur deceptionem in apprehensione circa continuitatem baculi, quàm circa præsentiam obiecti, & existentiam: ergo perinde se habet. Eodem modo manet in anima separata habitus erroneus, quantùm est ex natura sua, & species conformes: ergo etiam deceptio ex vi illorum potest in animam cadere, quantùm est ab intrinseco intellectus, & talium mediorum.

Deceptio ex sensu cadit in intellectū.

Manere species etiam vt sūt difformes obiecto in anima.

Habitus erroneus manet in anima separata & species conformes.

Applicatio dictorum.

Ad propositum, non est maior ratio cur species abstracta difformis obiecto repræsentet illud animæ separatæ quàm species ex se nata repræsentare obiectum existens, & præsens repræsentet obiectum sic, & immutabiliter, quando etiam obiectum non existit: ergo par est ratio ex parte tam speciei, cuius effectus in intellectu capaci non suspenditur, quàm etiam ex parte intellectus potentis habere apprehensionem difformem in re ipsa obiecto, conformem tamen speciei.

60 *Responsio.*

Dices, speciem esse similitudinem virtualem obiecti, & repræsentationem eius in eo consistere, vt possit causare vel eius cognitionem abstractiuam, vel certè intuitiuam, posito tamen obiecto vt conditione extrinseca.

Impugnatio & replicatio dictorum.

Contrà, idem diceretur de specie visibili consequenter: quia non est maior ratio cur species vnius cognitiuæ sit formalis repræsentatio, quàm alterius, vel cur vna sit virtualis, & non altera, cùm eodem modo causent speciem expressam. Deinde in quæstione præcedenti contrarium est probatum ex communi sententia. Tertiò denique, hoc nihil iuuat, neque soluit difficultatem, vel est petitio principij: quia vniformis est natura speciei, & virtus eius respectiuè ad obiectum abstractiuè cognitum, vel intuitiuè, & quoad vtramque cognitionem est causa naturalis, quæ nequit suspendere suum effectum, quantùm est ex se: ergo potest in intellectu causare tam abstractiuam, quàm intuitiuam, etiam non existente obiecto, si hoc conuenit virtuti speciei immutatæ ex se. Probatur consequentia, quia nullum est impedimentum ex natura rei, quia potest sequi intuitio obiecti non existentis in seipso, vt patet ex dictis; neque apparet ratio cur etiam in intellectu animæ separatæ non posset fieri illa intuitio difformis obiecto, sicut cognitio abstracta difformis, neque alia cognitio debetur naturaliter intellectui separato in statu naturali, nisi illa quæ nata est fieri per medium cognoscendi. Quod verò dicit Author, requiri præsentiam obiecti, vt conditionem specificantem, gratis dicitur, & petit principium: nam ratio quæritur cur hoc requiratur ad intuitiuam, & non ad abstractiuam, quæ repræsentat in se obiectum independenter ab omni conditione extra se posita. Cùm ergo vniformiter repræsentat ex natura sua, siue hoc, siue illo modo, quæritur an exigat talem conditionem specificantem respectu cognitionis intuitiuæ, & non abstractiuæ.

Petitio principij.

Vniformis est species respectu obiecti.

Quod asseritur de præsentia obiecti vt cōditione, reiicitur.

Confirmatur, quia cognitio intuitiua abstrahit à conformi, & difformi, vt patet ex dictis, & ad eius specificationem sufficit vt sit obiecti, vt existentis hîc, & nunc, & præsentis, siue existat, siue non existat; hanc autem specificationem habere potest ex ipsa specie, si species est sic repræsentans ex natura sua intuitiuè, ita vt obiectum non concurrat cum specie ad intuitionem, sed sola species cùm intellectu: nam sicut obiectum in ratione termini, vt abstrahit ab existentia, specificat speciem, & cognitionem abstractiuam, non secundùm aliquod *esse* proprium, quod habet extra speciem, aut cognitionem, sed secundùm *esse* repræsentatum, quod habet in vtroque, ita etiam in proposito dici potest specificare secundùm *esse* repræsentatum, & determinatum existentis, seu sub ratione existentis specificare tam speciem, quàm visionem sui. Vnde si causaretur visio eius ab aliquo obiecto superiore eminenter includente ipsum obiectum; perinde etiam specificaret visionem, quamuis ipsa in se non esset præsens, v.g. vt probabile est, per visionem beatificam repræsentari posse aliquod obiectum existens determinatè, quamuis ipsum in se non sit præsens intellectui creato, quo casu sufficeret præsentia eius intentionalis in ipsa intuitione. Dato ergo quòd species sit repræsentatio tantùm virtualis obiecti, non exigit aliquam specificationem ab obiecto in suo *esse* formali, sed inquantùm requiritur specificatio visionis ab obiecto in hoc esse, quam species in sua virtute contineret: sed, vt dictum est, neque hoc ad visionem exigitur; ergo, &c.

61 *Confirmatio.*

Cognitio intuitiua abstrahit à cōformi, & difformi.

Obiectū specificat speciē abstractiuā.

Species virtualis nō specificatur ab obiecto.

Deinde, hinc confutatur modus ille loquendi, qui dicit obiectum in se præsens, & existens, requiri tanquam materiam circa quam; hic enim modus loquendi translatus est ab aliis causis physicis, & mutationibus, quatenus versantur circa materiam, & passum, sine quo nequit agere causa creata: nam in proposito non est talis materia obiectum, sed ipse intellectus, in quo causatur visio; terminus autem est obiectum, quod etiam secundùm *esse* intentionale terminare potest visionem repræsentantem ipsam sub ratione existentis, quamuis actu non existat: ergo stante causa naturali totali, & requisita in intellectu, poterit causari talis visio, licèt difformis obiecto. Ideò ergo non

62 *Quod asseritur de obiecto vt materia circa quam.*

Explicatur, & impugnatur.

Quomodo obiectum est talis materia.

non causatur per speciem, quia ipsa non est nata causare visionem obiecti præsentis, & existentis, sicut neque vt futuri, & præteriti, sed tantùm cognitionem abstractiuam eius: quia sic tantùm repræsentat: ergo obiectum in se præsens, & existens causat sui visionem concurrente intellectu, quæ est sententia Doctoris, & habet se vt causa partialis concurrente intellectu, ex quo non sequitur aliquod inconueniens, ex eo quòd corpus hoc modo in spiritum, vt causa partialis minùs principalis agat, & sic magis saluatur connaturalis modus intelligendi, & tolluntur superflua.

63 *Confirmatio.* Confirmatur secundò. Si species esset in actu repræsentandi, seu actualitate, vt producitur à Deo, & supponitur aliter produci non posse per ipsum obiectum saltem materiale, de quo est potior difficultas, non exigeret obiectum existens, & præsens antecedenter ad productionem visionis: ergo ex eo quòd exigat, signum est obiectum concurrere ad ipsam visionem, ex quo sequitur inconueniens, quod fugit præfatus Author: nam dato quòd obiectum concurrat ex parte obiecti, vt causa efficiens, non est ratio cur ipsi non tribuatur completus concursus, & actiuitas.

Speciem prærequirere obiectũ existens & præsẽs ante visionem.

Species infusa habet completam repræsentationem indepẽdenter ab obiecto. Sequela probatur: quia species siue dicatur repræsentatio formalis obiecti, siue virtualis, totum hoc habet vt infusa est a Deo, independenter ab obiecto: ergo si præter speciem exigitur obiectum, non requiritur ad vllam speciei specificationem, quam habet à se formaliter ex propria differentia, & à Deo tanquam causa efficiente: ergo præsentia, & existentia obiecti antecedens visionem est propter influxum in ipsam visionem. Huc etiam spectant ea, quæ contra superiores responsiones dicta sunt.

Requiri influxum obiecti in visionem.

64 *Quarta respõsio aliorũ reiicitur.* Quarta responsio est insufficiens ad cognitionem experimentalem, seu obiecti in se existentis, quia quantumlibet naturæ abstractæ componantur, nunquam vel ipsæ, vel species earum possunt hîc & nunc causare visionem rei in se, vt coniungitur existentiæ. Ex quibus sequitur obiectum in se præsens causare cognitionem intuitiuam de se in anima separata, quod est intentum; neque hanc haberi posse per vllam speciem abstractiuè repræsentantem, siue infusa sit, siue acquisita: vnde meo videri, meliùs & cum minori difficultate tenendo hanc sententiam, diceretur animam videre res existentes, quas hîc & nunc cognoscit per species repræsentantes intuitiuè ipsam rem prout existit, quæ species non permanent, nisi secundùm exigentiam cognitionis, & dicerentur deberi animæ ex prouidentia naturali.

Consequẽtia dictorum.

65 *Tertia ratio Doctoris.* k *Distantia etiam immoderata*, &c. Subiicit Doctor tertiam rationem ex authoritate Augustini, & Gregorij, qui negant animas, quæ sunt in Purgatorio, aut Limbo, scire ea quæ hîc sunt, nisi eis ab aliis dicantur: sed si haberent species influxas sic repræsentantes rem in propria existentia, sic cognoscerent absque reuelatione tales res: quia distantia illa immoderata, vt dicunt aduersarij, non impediret cognitionem intellectiuam per speciem, supponendo ergo quòd impediatur per talem distantiam, sequitur ideò impediri, quia obiectum est causa eius, quod in tanta distantia nequit mouere intellectum. Alias rationes omitto, quibus vtitur Doctor de cognitione Angelorum in 2. quæ à fortiori probant nostram conclusionem: & si etiam negaretur Angelum non sumere à rebus materialibus etiam cognitionem, aut habere intellectum agentem, non inde sequitur animam non posse moueri ab obiecto, & recipere etiam speciem eius per abstractionem intellectus agentis, qui in anima separata non videtur otiosus, neque ex genere suo limitatus ad sola phantasmata: quin etiam eo ipso quòd anima sit medium inter cognitiuam, sensitiuam, & Intelligentias, videtur etiam participare posse modum operandi vtriúsque circa suum per se obiectum; & quamuis sit separata, non ideò non dicit ordinem, & appetitum ad corpus, & modum conuenientem operandi circa obiectum, inquantùm ita est medium inter extrema.

Quòd animæ in Purgatorio nõ sciant quæ hîc sũt.

Impedimentum ex distãtia obiecti probat eius concursum.

Animam recipere cognitionem à rebus.

Obiicitur pro aduersa sententia quòd obiectum sit improportionatum respectu intellectus separati animæ; ergo nequit eum mouere ad cognitionem, aut speciem. 66 *Obiectio.*

Respondetur, sicut *suprà* dictum est, negando antecedens. *Responsio.*

Dices. Cur ergo nunc de facto anima non posset à corpore moueri immediatè. *Replica.*

Respondetur, id euenire ex modo intelligendi huius status, vndecunque proueniat, non verò ex natura obiecti, aut intellectus abstrahendo ab hoc impedimento, quia in corpore glorioso anima poterit perfectè moueri immediatè ab obiecto, & non solùm mediante phantasmate, quamuis tum anima perfectiùs informabit corpus. *Responsio.*

Obiiciunt secundò ea quæ Dionysius *de cælesti Hierarchia cap. 5. & de diuinis nominibus cap. 7.* dicit de Angelis, non proficere ex rebus. Item August. 2. *de Gen. ad literam cap. 8.* res creatas fuisse in mente Angelorum, antequam crearentur: ergo idem dicendum de animabus separatis. 67 *2. Obiectio.*

Respondetur, negando consequentiam: quia non est par ratio, vt dictum est. Antecedens suo loco differtur, agendo de potentia cognitiua, & modo cognoscendi Angelorum, quam quæstionem huc transferre non expedit. *Responsio.*

Obiicies tertio. Animam participare modum intelligendi Angelorum, sicut & modum essendi; ergo, sicut & Angeli, cognoscit per species infusas. 68 *Obiectio 3.*

Respondetur, animam participare modum intelligendi Angelorum quantùm ad non dependentiam à phantasmatibus, quantùm ad intellectionem etiam spiritualium, quantùm etiam ad aliquas species infusas à Deo, per quas cognoscit res abstractiuè, & perfectè, & quantùm ad modum cognoscendi vniuersaliorem extensiuè ad suum per se obiectum, & quantùm ad expeditiorem cognitionem sui obiecti. Negatur tamen aut Angelos non posse cognoscere res ex seipsis, vt essentiam propriam immediatè sine specie media, sicut & anima, & vniuersaliter reliquas res, si sibi sine alio medio relinquerentur & de facto complexiones contingentes, in se existentes cognoscere per ipsas res, & singularia aliqua quorum species infusas non habuit, & sic de omni ente creato dicendum: quia nulla ratione negari potest hæc perfectio naturæ suæ intelligere obiectum per se suum, & præsens. *Responsio.*

Anima separata quomodo participat modum cognoscẽdi Angelorum.

l *Ad argumenta principalia, &c. Ad primum, &c.* Primum 69 *Ad principalia, ad primũ*

Primum fuit, si anima posset extra corpus habere scientiam alicuius de nouo, frustrà eam vniri corpori, quia non vnitur corpori ob bonum corporis: ergo ob bonum proprium, quo possit mediante corpore quatenus per ipsum sensum acquirere scientiam.

Responsio. Respondet primò, non frustrà vniri corpori, quamuis alia via posset acquirere scientiam in in statu separato, quia finis indifferens ad plura media non frustrà acquiritur per vnum, quamuis per alia acquiri posset. Secundò respondet, animam non frustrà vniri propter bonum totius, quamuis corpori non inde, aut sibi resultaret aliquod bonum, quia bonum totius principaliter intenditur à natura. *Animam non frustrà vniri corpori.*

An anima appetat vnionem ad corpus. Ex hac responsione, & ex alia, quæ asserit *in dist.* 43. *quæst.* 2. circa tertiam propositionem, vbi ait Philosophum, si admitteret immortalitatem animæ, potiùs dicturum statum naturalem eius esse extra corpus, quia nempe anima non recipit aliquam perfectionem à corpore, sed communicat: propter has rationes, inquam, Suarez *de Anima lib.* 6. *cap.* 9. citat Doctorem, quasi idem senserit cum Auicenna, qui dicit statum naturalem quidem animæ esse in corpore, magis tamen naturalem esse separatum. Conimbricenses etiam *de anima separata disp.* 3. *art.* 2. dicunt eum negare animam separatam appetere naturaliter vnionem ad corpus. E contra D. Thomas *locis suprà citatis* 1. *part. quæst.* 89. & *quæst.* 76. *art.* 1. *ad* 6. docet vnionem animæ ad corpus esse ob bonum animæ, & perfectionem cognitionis, quam non habet extra corpus, quia extra corpus non cognoscit nisi confusè, & imperfectè: in corpore verò distinctè, & in particulari obiectum cognitione perfecta, ideóque ad bonum ipsius animæ non solius corporis vnitur. *Sententia falsò attributa Doctori.* *Sententia D. Thomæ.*

70 *Explicatur sententia Doctoris.* Quantùm ad sensum Doctoris in hac secunda responsione, dicit animam vniri corpori propter bonum totius; admittit ergo inclinationem vniuersalem ex fine naturæ in anima ad corpus. Deinde, in priori loco respondet iuxta principia Philosophi, & Auicennæ: quia Philosophus negaret corpus corruptum iterum posse restaurari, sicut & vllum præteritum redire posse, prout ibi declaratum est, appetitus autem naturalis non admitteretur à Philosopho imperfectus in natura, qui non posset virtute causarum naturalium reduci ad effectum actu, & consequenter negaret appetitum talem ad impossibile. Solutio Auicennæ est, quòd ad appetitum animæ satiandum sufficiat fuisse aliquando in actu, id est, quamdiu fuit anima in corpore, in quo acquisiuit anima suam perfectionem per sensus, quantùm appetiit illam. *Ratio Auicennæ.*

Respondet Doctor in tota illa quæstione ex opinione & principiis Philosophorum, non verò ex propria sententia; quodlibeto autem 9. vt etiam aduertunt Conimbricenses, admittit animam dicere appetitum ad totum ratione vltimæ actualitatis & subsistentiæ, quam recipit in toto, ita ad 3. pro opinione.

71 *Resolutio.* Pro resolutione itaque huius aduertendum hîc Doctorem non loqui de appetitu communicandæ perfectionis, sed recipiendæ perfectionis, quæ inuoluit aliquam incompletionem, dum non est in actu. Duplex autem potest esse talis appetitus in anima, nempe quoad *esse*, quatenus reciperet in corpore aliquam actualitatem essendi quam non habet in statu separato, vel quoad operationem quatenus aliquam operationem in corpore haberet, ad quam inclinaretur, tanquam ad propriam perfectionem, quam non haberet extra corpus saltem quoad gradum perfectionis, ad quem inclinatur. *Appetitus animæ.*

In primis vt patet loco citato, Doctor non negat inclinationem particularem in anima ad subsistendum, quæ est vltima actualitas, quam recipit in toto, imò hoc admittit. Secundò, non negat appetitum naturalem in anima, & vniuersalem ad constituendum totum, quod per se magis, & primariò intenditur à natura; hic tamen appetitus est communicandæ perfectionis, & causæ, non verò dependentiæ, aut perfectionis recipiendæ; quia omnis causa inquantùm causat, est in actu, & non in potentia: id est, communicat, & perficit, & non recipit perfectionem. Non negat Doctor prætereà hunc appetitum, qui fundatur in perfectione, conuenire animæ in ordine etiam ad ipsum corpus perficiendum, & iste est appetitus naturalis communicandæ perfectionis; & secundùm hunc appetit corpus perficiendum; non verò vt ipsa perficiatur, neque de hoc genere appetitus communicandæ perfectionis agit Doctor, sed de appetitu recipiendæ perfectionis, quam non habet in statu separato. *Appetitus communicandæ perfectionis.* *Appetitus passiuus recipiendæ perfectionis.*

Loquendo ergo de hoc appetitu perfectionis acquirendæ clarum est animam esse formam independentem à corpore quoad existentiam, quæ completa est in separata, & eadem quæ fuit in corpore: quia est forma incorruptibilis independens à materia, vt notum est, neque in hoc est controuersia, sed in appetitu recipiendæ perfectionis quoad operationem. Possumus autem in anima considerare plures gradus, nempe vegetatiuæ, sensitiuæ, & rationalis, & inquantùm inclinatur ad has operationes. Quantum ad operationes vegetatiuas, non est appetitus ille in anima, qui est in plantis, & aliis viuentibus anima vegetatiua materiali, quæ dependet à corpore, & requirit, seu ordinatur ad operationes necessarias ad perfectionem, & conseruationem materiæ, à qua dependet. Quantùm ad operationes sensibiles, etiam, non inclinatur proximæ, licèt sit radix principalis illarum, non sunt tamen operationes propriæ animæ, sed totius, à quo primò producuntur, & in quo recipiuntur, & non in anima: inclinatio ergo ad has operationes in anima non est alia, quàm illa, quæ est ad constituendum, & perficiendum totum. 72 *De appetitu quoad operationem.*

Controuersia ergo præsens versatur circa operationes proprias animæ, quæ sunt intellectus, & voluntatis, & quæ abstrahunt à materia. Affirmat D. Thomas animam appetere vniri corpori, vt perfectiùs operetur per intellectum, & voluntatem, & ad hoc etiam, vt naturali modo, & magis conuenienti sibi iuxta gradum, quem tenet, vt forma intellectiua in materia operetur; vnde statum eius separatum à corpore & sensibus, inquantùm operatur per species influxas à Deo, & Intelligentiis, vocat præternaturalem, & imperfectum ex parte intellectus operantis, per tales species, quæ excedunt, eius capacitatem, neque per eas attingit perfectè obiecta intelligibilia, neque aliter attingere potest, quia neque se conuertere ad phantasmata, aut propria virtute abstrahere speciem, aut cognitionem, à rebus ipsis, saltem materialibus, quia ex 73 *Punctum controuersiæ. Sententia affirmatiua.* *Animam dicere appetitũ ad corpus vt perfectiùs intelligat.*

ex sua intellectualitate limitatur ad phantasmata: in corpore enim perfectiùs, & modo naturali sibi intelligit per conuersionem ad phantasmata.

74 *Sententia Doctoris.* Hunc ergo appetitum ad corpus negat Doctor, asserens in extremo contradictionis animam separatam perfectè, & connaturaliter operari extra corpus, proprias operationes tam intellectus, quàm voluntatis, imò perfectiùs operari extra corpus, tam intensiuè, quàm extensiuè, versando circa latitudinem sui obiecti, vt est ens, quod in corpore pro hoc statu nequit, in quo habet tantùm species receptas à sensibus repræsentantes res sensibiles, & non alias, quorum cognitionem confusam & imperfectam acquirit per varias collationes, & discursus, non verò cognoscit eas perfectè in seipsis. Deinde negat illam limitationem eius ad phantasmata, quam statuit D. Thomas. Hæc ergo est controuersia in specie, non verò illa, quam in terminis vniuersalibus mouent præfati Authores, sumendo appetitum naturalem in tota sua amplitudine, prout comprehendit etiam id, quod animæ conuenit ex natura vniuersali, eiúsque fine, vel ex particulari ratione, qua est ordinata ad communicandam perfectionem, vel corpori, vel toti; quia sic animæ est connaturale vniri corpori, & illud informare, cùm sit forma eius; est etiam naturale animæ operari dependenter à phantasmatibus in corpore; sed non ita naturale, quasi ad hunc modum operandi ex natura intellectus, solùm inclinetur, & modus intelligendi separatus sit præter naturam ipsi: quia sicut naturale est formæ existenti habere operationem propriam, ita & animæ extra corpus intelligere perfectè, & velle; & sicut corpus natura sua est corruptibile, & anima incorruptibilis, ita separatio, & permanentia in *esse* separato est ipsi naturale ex perfectione sua.

75 *Sententia Doctoris probatur.* Sententia Doctoris quantùm ad extensionem luminis intellectualis in anima ad obiectum, & species independenter à sensibus recipiendas, probata est in corpore quæstionis. Quantùm verò ad perfectionem cognitionis, probatur animam separatam habere eam perfectam, & distinctam, quia cognitio distincta rerum naturalium debetur animæ ex propria inclinatione, & perfectione sui intellectus, in quo non deficit prouidentia diuina, etiamsi diceremus animam separatam cognoscere per solas species infusas, quia illæ accomodarentur captui eius per quas reduceretur perfectè ad actum secundum. Cognitio autem confusa rerum non est vltima perfectio naturalis animæ, neque ad eam inclinatur potentia, nisi quando nequit in perfectum ex defectu medij cognoscendi: ergo, vel virtute propria potest acquirere cognitionem perfectam conuenientem, vel ex Dei prouidentia naturali eidem confertur medium sufficiens talis cognitionis, quo eius inclinatio perfectè reducitur in actum. Quod probatur etiam ex illo exemplo diuitis, qui in flammis cognouit Abraham, & Lazarum. Deinde naturale est animæ cognoscere perfectè in eo statu per species acquisitas; ergo etiam per alias infusas, aut receptas à rebus; quia nullum est impedimentum operandi ex parte potentiæ, neque ex parte obiecti.

Naturale est animæ cognoscere res perfectè & sub particulari ratione.

Deinde, in illo statu communicare Angelis est connaturale animæ, & cum aliis animabus separatis. Hæc autem imperfectissimè, vel nullo modo fieret, nisi etiam cognosceret eos sub propria, & distincta ratione. Hoc idem aliis rationibus petitis ex dictis probari potest. Fundamentum autem D. Thomæ non rectè concludit, quia species influxas dicit esse improportionatas animæ, quia sunt connaturales Angelo, qui habet intellectum superiorem: hoc potiùs infert oppositum: nam illæ species ex natura sua repræsentant Angelo obiecta naturalia distinctè, & sunt etiam connaturales animæ separatæ in eo statu, in quo nequit aliter operari, nisi per ipsas, vt ipse contendit, & in quo etiam connaturale est ei operari secundùm prouidentiam naturalem Dei, & ex intrinseca natura propriæ virtutis; ergo si sunt medium sufficiens cognitionis confusæ in anima; à fortiori erunt cognitionis distinctæ, ex propria repræsentatione; sed ex parte intellectus non deest lumen, virtus, & inclinatio ad cognoscendum distinctè obiectum naturale proprium; ergo species mouebit ad talem cognitionem. Deinde, Deus potest mouere intellectum separatum iuxta exigentiam suæ inclinationis, & dare ei species proportionatas, sicut dat Angelo: ergo vel negandum est animam in hoc statu intelligere obiecta naturalia, vel concedendum eam intelligere iuxta perfectionem suæ inclinationis. 76

Fundamentum oppositæ sententiæ soluitur.

Animam separatam perfectius intelligere, quàm in via.

Dubitatur etiam, an anima separata, spectato appetitu naturali, & inclinatione, habeat appetitum elicitum vnitionis ad corpus. 77

Dubium. An sit appetitus elicitus in anima ad corpus.

Respondet Suares *in 3. part. disp. 44. sect. 7.* negatiuè. Conimbricenses tacito authoris nomine, hanc sententiam impugnant, *de Anima separata disp. 2. art. 3. in fine.*

Sententia negatiua.

2. Affirmatio.

Respondeo iuxta principia Doctoris, tenendam esse primam sententiam, & probatur: nullus appetitus ordinatus, & secundùm rectam rationem naturalem est rectus, nisi qui potest per causas naturales reduci ad actum, vel secundùm prouidentiam Dei naturalem; sed corpus mortale, & corruptibile nequit hoc modo reduci ad actum virtute causarum naturalium, neque ex prouidentia Dei naturali præcisè, & debitæ naturæ secundùm virtutem innatam causarum; neque etiam ex alia dispositione Dei naturali, licèt ex dispositione supernaturali, qua ordinauit opera ad gloriam, & pœnam, debeatur; sed non agitur de hac, quæ particularis est respectu creaturæ rationalis, sed de eius vniuersali dispositione iuxta exigentiam naturæ & causarum: ergo anima non appetit ex fine naturæ coniungi corpori mortali, & corruptibili, appetitu recto.

Prima est præferenda.

Appetitus rectus & elicitus debet esse ad possibile naturale.

Agitur de appetitu naturali præcisè.

Deinde, spectando perfectionem animæ naturalem, siue vt ordinatur ad communicandam perfectionem, siue etiam ad recipiendam perfectionem, non potest actu elicito, & recto (secluso eo, quod à Deo ordinatum est de facto, à quo iam præscindimus) expetere vnionem ad corpus mortale, & corruptibile: quia comparando vtramque perfectionem ad se inuicem, magis ab intrinseco anima inclinatur ad perfectionem conuenientem sibi, quàm ad communicandam illam perfectionem alteri, quia sicut primò ordinatur ad proprium *esse*, ita ad perfectionem propriam. 78

2. Probatio

Anima magis inclinatur naturaliter ad perfectionem propriam, quàm corporis.

Si dicas quòd pars exponat se pro toto, vt manus ad

Responsio.

ad conſeruandum corpus, & vitam totius, & aqua aſcendit ſurſum, nè detur vacuum ad conſeruandam vnionem vniuerſi.

Impugnatio. Contrà eſt, quia manus non ita ſe exponit à virtute innata, ſed à potentia rectrice totius, nempe à voluntate, & appetitu, quatenus mouet potentiam motiuam ad talem motum conſeruatiuum totius, & ita etiam virtus rectrix orbis mouet aquam ſurſum, non autem ipſa ab intrinſeco: & vniuerſaliter, ſic de aliis ſimilibus dicendum. Sed perfectio per ſe conueniens animæ, & in qua conſiſtit eius beatitudo naturalis mediante cognitione, & amore, ſine comparatione excedit in ſtatu ſeparato, in quo ſeipſam, Angelos, & res naturales cognoſcit diſtinctè, & in ſeipſis, & ex his diſtinctiùs ipſum Deum. Hunc autem gradum beatitudinis nequit habere de facto in corpore mortali, in quo impeditur: inclinatio autem elicita animæ & recta magis inclinatur in eum ſtatum, in quo fruitur ſuo fine naturali, quàm in ſtatum, in quo impeditur à finis fruitione, aut proſecutione perfecta, qualis eſt ille, quem habet vnita corpori mortali, dato quòd aliter in eo nequiret attingere finem, niſi modo, quem nunc experimur.

Beatitudo naturalis animæ potior eſt in ſtatu ſeparato.

79 Dices illum ſtatum eſſe illi præternaturalem, hunc verò naturalem, ita Conimbricenſes.

Reſponſio.

Impugnatio. Contrà, ille eſt ſtatus eius naturalis, qui ex naturali exiſtentia, & virtute cauſarum naturalium ipſi debetur, ſed ex eo quòd anima ſit incorruptibilis ſecundùm exiſtentiam, & perpetua; vnio autẽ ad corpus, corruptibilis, ſicut & ipſum corpus, ſecundùm prouidentiam naturæ, & propriam perfectionem, magis ei competit ſtatus ſeparationis corrupto corpore, & non exiſtente, neque poſſibili exiſtere, niſi temporariè.

Separatio animæ, & eſſe ſeparatũ eſt ipſi naturale.

Deinde, dato etiam quòd ille ſtatus ſeparationis eſſet præternaturalis, aut ſupra naturam, eſſet præferendus ſecundùm rectam rationem, quia electio recta deſumitur ab obiecto, qui eſt finis in reipſa, ſed in eo ſtatu perfectè coniungitur; ergo electio recta procedens à fine, & in ordine ad finem, præferret illum ſtatum, in quo eſt perfecta fruitio finis naturalis.

Si eſſet ſeparatus, ſtatus præternaturalis præferri deberet.

Tertia ratio. Deinde, ille ſtatus animæ eſt magis impeccabilis, quia non aggrauatur corpore, aut ſenſibus qui proni ſunt ad malũ; ergo hoc ipſo eſſet præferendus. Item, eſt minùs ſubiectus ignorantiæ, & paſſionibus, quæ auertunt à fine rectæ rationis, neque eſt obnoxius corruptioni, aut doloribus, aliiſque moleſtiis huius vitæ, quibus anima præcipitatur in malum, tam culpæ, quàm pœnæ; magis prætereà accedit ad Deum, & Angelos; ergo eſt præferendus ſecundùm rectam rationem naturalem.

Obiectio. Obiicies, quòd anima ſit forma corporis, & ad ipſum inclinatur; ergo ſecundùm rectam rationem deberet præferre vnionem.

Reſponſio. Reſpondetur animam non magis inclinari ad corpus, quod aliàs informauit, & deſiit informare, quàm ad quodcunque corpus informabile per ipſam; ſicut ergo appetitus eius ad quodcunque informabile eſt remotus, tantum ſpectato fine naturæ, & non propinquus, qui poſſit virtute animæ reduci ad actum; ita etiam appetitus eius ad corpus, quod corruptum fuit, eſt remotus, & non proximus; electio autem recta, & finis appetibilis naturaliter eſt ille, qui exiſtit, & attingi poteſt naturali virtute, nam de impoſſibili non datur electio.

Appetitus remotus in anima ad corpus.

Dices, vt *ſuprà* Doctor, totum eſt magis per ſe intentum à natura, quàm anima: ergo eſſe in toto eſt magis conueniens, & eligibile ab anima. *Replica.*

Reſpondetur, totum quidem per ſe eſſe magis intentum à natura, ſed non aliter quàm vt terminum habet ſuæ durationis, & ſic magis intendi quàm animam. Cæterum quando totum deſinit per corruptionem corporis, ampliùs non intenditur à natura, neque ſpectat ad eius virtutem, aut perfectionem, non ita anima, & negatur conſequentia. *Solutio.*

[m] *Ad ſecundum dico*, &c. Secundum fuit, quòd ab extremo ad extremum non datur tranſitus ſine medio; obiectum autem extra eſt materiale, in intellectu ſpirituale, inter hæc extrema medium eſt imaginabile. 80

Ad ſecundum.

Reſpondet Doctor aliquid eſſe medium reſpectu virtutis imperfectioris, quod non eſt medium reſpectu perfectioris virtutis, v. g. virtus motiua creata nequit transferre corpus ab extremo diſtante, ad aliud *vbi* diſtans, niſi per medium: virtus tamen diuina poteſt: ita in propoſito virtuti abſtractiuæ imperfectæ medium eſt imaginabile, à quo proximè poteſt abſtrahere, & non à reipſa extra; quamuis abſtractiua perfectior, vt eſt animæ ſeparatæ, poſſit abſtrahere ab ipſa immediata, vt eſt in ſe. *Reſponſio.*

Inter extrema dari medium reſpectiuè ad virtutem imperfectam.

Reſpondet ſecundò, eſſe imaginabile non eſſe medium, ſed contineri ſub *eſſe* ſenſibili in ſua latitudine; virtus autem imperfectior intellectus coniuncti poteſt abſtrahere ab imaginabili, licèt non à gradu remotiore ſenſibili rei in ſe extrà; contrarium huius competit virtuti perfectiori: nam agens aliquando poteſt in aliquod paſſum, quod nequit in omne paſſum receptiuum formæ, & in quacunque diſtantia, in quod agere poteſt agens perfectioris virtutis.

Secunda reſponſio. Imaginabile non eſſe medium, ſed contineri ſub ſenſibili in genere.

[n] *Ad tertium conceditur*, &c. Tertium fuit, quòd ſi intellectus ſeparatus poſſet cognitionem alicuius de nouo habere, quòd perinde etiam poſſet cognitionem cuiuſque habere, & in quacunque diſtantia; quia diſtantia localis non impedit, &c. 81

Ad tertium.

Reſpondet, cæteris paribus, poſſe acquirere cognitionem de nouo cuiuſlibet per ſe obiecti ſui, ſi nihil impediat: impedit autem diſtantia localis improportionata; quia vt obiectum cauſet cognitionem ſui intuitiuam requiritur vt ſit exiſtens & præſens, & vt cauſet ſpeciem concurrente intellectu agente, requirit etiam determinatam præſentiam reſpectu intellectus tam ſeparati, quàm coniuncti. *Reſponſio.*

Requiri determinatam diſtantiam obiecti vt cauſet.

Dices, ideò requiritur determinata præſentia in agente materiali, quia non agit in diſtans quin priùs agat in medium; ſed hoc non requiritur in agente ſpirituali: ergo, &c. *Replica.*

Reſpondetur, negando antecedens, quia etiam agens materiale ſæpiſſimè agat in diſtans, non agendo ſaltem eundem effectum in medio, vt Sol generat ranam in terra, quam in aëre non generat; tamen requiritur determinata præſentia ad cauſandum illum effectum in remoto, vltra quam non poſſet agere. Vnde quando eadem forma producitur in medio, & in termino diſtante, eſt intenſior in medio, quàm in diſtante; & quò magis applicatur paſſum agenti naturali, eò fortior, & celerior eſt eius actio; non alia ratione, niſi quia virtus limitatur ad certam ſphæram, vltra quam nequit protendi. *Reſponſio.*

Dices

Replica. Dices ex Boëtio *de Hebdomadibus*, per se notum esse incorruptibilia non esse in loco; ergo etiam in sua operatione non pendent à loco.

Respondet, negando consequentiam, intelligendo per *locum* præsentiam determinatam, qua agens, & passum sunt simul, vel contactum virtutis, aut contiguitatis, quod probat ex Philosopho 7. & 8. *Physicorum*. videatur litera.



QVÆSTIO III.

Vtrùm anima separata possit recordari præteritorum, quæ ipsa nouit coniuncta?

D. Bonauent. 1. *dist.* 3. 2. *part. art.* 1. *quæst.* 1. *ad arg.* & 4. *dist.* 50. 1. *part. art.* 2. *quæst.* 2. & 3. Henric. *quodl.* 6. *quæst.* 8. Gregor. 2. *dist.* 7. *quæst.* 3. *art.* 1. Molina 1. *part. quæst.* 55. *art.* 2. *disp.* 2. *m.* 2. Vide Scot. 1. *Metaph. quæst.* 3. & 2. *Metaph. quæst.* 1. & 7. *Metaph. quæst.* 18.

1 TErtiò quæro, [a] Vtrùm anima separata possit recordari præteritorum, quæ ipsa nouit coniuncta? Quòd non, Philosophus in *lib. de Memoria, & Reminiscentia*, ponit quòd memoria est vis sensitiua. Damascenus etiam *lib.* 2. *cap. de memoratiuo*, ponit idem: nulla autem sensitiua manet in anima separata quantùm ad possibilitatem habendi actum: ergo, &c. *Ad arg.* 1. *Cap.* 20.

Præterea, obiectum intellectus est vniuersale, vt habetur à Philosopho *primo Phys.* & 2. *de Anima*: sed vniuersale abstrahit ab hîc & nunc, fuisse & fore, & huiusmodi conditionibus, respicientibus existentiam: memoria autem respicit conditionem determinatam pertinentem ad existentiam, vtpotè præteritionem: ergo memoria repugnat parti intellectiuæ: ergo non manet in anima separata. *Arg.* 2. *Text.* 49. *Text.* 60.

Præterea, tunc sequeretur quòd pari ratione anima beata haberet recordationem omnium præteritorum, & per consequens anima beata haberet recordationem peccati commissi. Consequens est falsum: tum quia Isai. 65. *Ecce ego creo cælum nouum.* & sequitur, *obliuioni tradentur angustiæ priores.* & Gregorius exponens illud, dicit eandem sententiam: tum, quia Beatus nullam patietur miseriam: recordatio autem ista esset causa magnæ miseriæ, quia magnæ displicentiæ: non enim posset Beatus complacere in malo commisso, nec neutro modo se habere, id est, nec complacendo, nec displicendo: quia non staret hoc cum perfecta charitate: ergo haberet displicentiam, & de aliquo irreuocabili: ergo tristitiam. *Arg.* 3.

2 Oppositum Luc. 16. ait Abraham ad diuitem illum: *Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, Lazarus similiter mala*, &c. Idem vult Augustinus super illud Psalm. *Fiant filij eius orphani.* & idem 9. Confess. quòd mortui habent memoriam nostri. *Ratio ad opp.* *Luc.* 16. *Psal.* 108.

Præterea, si non haberent memoriam peccatorum commissorum in vita mortali, non haberent materiam gratias referendi Deo de eius misericordia. & est argumentum Gregorij fundantis se super illud Psalm. 88. *Misericordias Domini in æternum cantabo. Quomodo in æternum misericordiam canit, qui miseriæ non meminerit?* 4. *Moral. ad finem super illud Iob* 32.

COMMENTARIVS.

1 [a] TErtiò quæro: *Vtrùm anima separata*, &c. Hæc quæstio diuiditur in tres articulos. In primo agitur de memoria abstractim, & specialiter, an sit memoria in brutis. Secundus articulus est de memoria, vt competit intellectui coniuncto. Tertius articulus decidit quæstionem principalem, & docet in anima separata manere memoriam præteritorum. Paruus & magnus. *Ordo & diuisio quæstionis.*

SCHOLIVM.

Esse in nobis actum cognoscendi præteritum quà tale. Primò, quia alioquin deficeret nobis prima pars prudentiæ. Secundò, vitiosi & virtuosi non possent iustè scire se esse puniendos, vel præmiandos. Explicat recordationem, ex eius descriptione, quatenus est circa præteritum, infert quatuor certa, & alia quatuor certa, quatenus est circa actum proprium præteritum, qui est obiectum proximum recordationis, cuius obiectum remotum est, illud circa quod actus ille præteritus elicitus fuit.

3 [b] CIrca istam quæstionem, primò inquirendum est, an memoria propriè dicta, cuius scilicet est recordari præteriti, sit in parte sensitiua? Secundò, an sit in

parte intellectiua? Istis autem duobus supponitur quoddam certum vtrique parti commune, scilicet quòd aliquis actus cognoscendi præteritum vt præteritum, est in nobis. Hæc patet, quia aliàs desineret nobis prima pars prudentiæ, quæ est secundùm Tullium recordatio præteriti. Sequeretur etiam secundò quòd virtuosi non possent iustè cognoscere se iustè præmiandos, nec vitiosi se iustè puniendos; quæ præmiatio, & punitio fit propter malum, vel bonum præteritum: nec isti, nec illi ex hypothesi cognoscunt illud præteritum in seipsis: ergo nec iustitiam in præmiatione, vel punitione. Hæc positio destruit omnem politiam, quia omnem coordinationem in præmiationem, vel punitionem iustè secundùm legem inferendam.

Recordatio prima pars prudentiæ, necessario admittēda.

Præterea, præteritum plus habet de veritate quàm futurum. Cuius probatio est, quia veritas futurorum est contingens: præteritorum necessaria, iuxta illud Philos. 6. Ethic. *Hoc solo priuatur Deus, ingenita facere, quæ facta sunt:* sed possumus habere aliquam cognitionem futurorum vt futura sunt, vt experimur; alioquin non possemus nobis prouidere ad procurandum nobis commoda, vel ad vitandum incommoda: ergo multò magis possumus habere aliquam cognitionem de præteritis vt præterita sunt, & ita recordationem.

Cap. 3.

Hoc supposito tanquam certo, quòd possit nobis inesse actus cognoscendi præteritum, inquantùm præteritum, vt obiectum, addo quòd ille actus, qui dicitur *recordari* non est cuiuscunque præteriti immediatè: sed tantùm alicuius actus præteriti, qui infuit ipsi supposito recordanti: & qui fuit in ipso actus humanus, ad excludendum actus vegetatiuæ, & casuales, siue generaliter imperceptibiles. Non enim recordor eius quod est *te sedisse*, nisi quia recordor me vidisse, vel nosse te sedisse. Vnde licèt cognoscam me natum sub ratione præteriti, vel mundum creatum: non tamen recordor istius, vel illius, quia non noui aliquem actum meum in præterito transeuntem sub hoc, vel illud. 4

Recordatio est respectu actus humani qui fuit in recordante.

c Ex hac ergo ratione nominis, *recordatio est cognitiò, seu cogitatio actus alicuius præteriti ipsius recordantis, & hoc inquantùm præteriti*. Sequuntur quædam ex hoc, quòd dicitur *præteriti:* quædam autem ex hoc, quòd talis obiecti. Ex hoc enim, quòd *præteriti,* sequuntur primò, quatuor certa, quorum primum est istud, quòd potentia recordatiua habet actum post tempus; alioquin non esset præteriti vt præteriti. Et istud dictum Philosophi in illo libro, quòd *memoria habet actum post tempus*, debet intelligi per se; ita quòd actus recordandi per se succedit recordato: sunt autem hæc verba sua, *post tempus memoria omnis fit.* Secundum, quòd percipit fluxum temporis inter illud instans, vel tempus, in quo fuit illud, quod est obiectum recordationis, & instans præsentis perceptionis. 5

Definitio memoriæ, seu recordationis.

Quatuor corollaria ex definitione recordationis ex eo quòd sit præteriti.

Tertium, quòd obiectum recordationis, quando obiicitur recordationi, non est in se præsens: quia tunc non esset recordatio eius, vt præteriti. Quartum, cùm oporteat obiectum aliquo modo esse præsens ad actum, & non potest esse in se præsens, oportet quòd sit præsens per speciem: & tunc potentia recordatiua erit conseruatiua speciei: & hoc loquendo de totali potentia requisita ad recordationem: siue enim sint duæ, quarum vna conseruet speciem, alia recordetur; siue sit vna, habens vtrumque actum, non curo; saltem ad recordationem requiritur conseruatio speciei obiecti recordabilis.

Obiectum recordationis oportet esse præsens non in se, sed in specie.

d Ex recordatione autem illius obiecti speciali, scilicet actus præteriti ipsius recordantis, sequuntur quatuor certa. Primum quidem est, quòd recordatio erit duplicis obiecti, vnius remoti, vel vltimi, scilicet alicuius, circa quod recordans quandoque habuit actum humanum: & alterius vt proximi, scilicet actus humani, & præteriti tendentis in obiectum illud. Secundum, quòd cùm oporteat potentiam recordatiuam habere speciem, & hoc loquendo de tota integra requisita ad recordationem, & non possit illa imprimi ab obiecto quando non est, vel quando non est in se præsens; necesse est eam imprimi ab obiecto quando est actu præsens: illud autem obiectum proximum est actus humanus præteritus: ergo dum ille fuit, imprimebatur species necessaria. 6

Ex recordatione actus præteriti, habētur quatuor certa. Recordatio habet duo obiecta.

Tertium, quòd nullus potest habere recordationem, nisi de actu proprio, & hoc humano, quia per solum illum cognitum vt obiectum proximum cognoscitur obiectum eius vt obiectum remotum: & per consequens non potest recordari actus eiusdem rationis in alio, cuius in seipso recordatur. Quartum, cùm non possit imprimi actus humani præteriti species in aliam potentiam, nisi cuius ille actus est obiectum; sequitur quòd oportet actum cognoscendi præteritum esse obiectum potentiæ recordatiuæ.

Actus cognoscendi præteritus est obiectū recordationis.

COMMEN

COMMENTARIUS.

2 *Dari in homine memoriam præteritorum.* *Cognitio præteritorum necessaria homini.*

b Circa istam quæstionem,&c. Dari memoriam præteritorum in homine probat, quia aliàs deficeret in nobis prudentia, quæ ex præteritis, & experientia comparatur; desineret etiam cognitio necessaria ad operandum bonum, aut malum, cognitio præmij, & pœnæ, & destrueretur consequenter politia, quæ fundatur in lege ad præmiandum, & puniendum. Deinde, quia præteritum plus habet de veritate quàm futurum; futura autem cognoscimus aliquo modo vt futura, & prouidemus in futuram necessitatem præcognitam; ergo etiam de præteritis, vt præterita sunt, possumus habere cognitionem; quinimò hæc cognitio futurorum etiam ex præteritis, & experientia comparatur. Hoc ergo supposito tanquam certo, dicit obiectum recordationis esse actum aliquem humanum: non intendit humanum, id est liberum, sed actum ad quem humano more, & deliberatè attenditur, non verò actum, qui imperceptibiliter transiit sine sui cognitione: ille autem actus est ipsius suppositi: nam vt inquit, non recordor te sedisse, nisi quia vidi, audiui, &c. te sedisse, & hoc aliàs sciui, dum sederes. Addit proinde omnem cognitionem præteriti, vt præteriti, non esse recordationem; quia licèt sciam mundum fuisse creatum, & meipsum natum pro tempore præterito, tamen non recordor, quia nullum habui actum qui ferretur in creationem mundi, aut ortum meum dum habuerunt suum *inesse* de præsenti, aut dum fierent. Sic etiam dum ex effectu,& circumstantiis præsentibus colligo aliquod opus ab alio processisse, non recordor propriè ex ratione prædicta.

Obiectū memoriæ. *Est actus humanus præteritus.* *Requiritur vt sit actus ipsius recordantis.*

3 *Definitio recordationis.*

c *Ex hac ergo ratione nominis*,&c. Definit: *Recordationem esse cognitionem, seu cogitationem alicuius actus præteriti ipsius recordantis, & in quantum præteritum est*, &c. Ex hoc quòd dicatur *præteriti*, deducit quatuor corollaria communiter admissa. Primum est, sequi inter præteritum & recordationem succedere, seu interuenire tempus, aliàs non esset recordatio præteriti, vt præteritum est. Secundum ex hoc sequitur, nempe fluxum temporis inter præteritum & præsens, in quo fit recordatio, debere cognosci, nam requiritur hoc ad cognoscendum præteritum sub ratione præteriti. Tertium est, quòd obiectum recordationis, dum fit recordatio, non sit in se præsens, intelligitur de obiecto proximo, qui est actus præteritus: nam alioquin potest quis cognoscere præsentem, quem aliàs pro præterito nouit, & simul etiam eius recordari, vt fuit obiectum alicuius sui actus præteriti. Quartum est, quòd oportet obiectum præteritum, dum fit eius recordatio, esse aliquo modo in se præsens, hoc est, in specie, & intentionaliter, & hanc speciem esse in potentia conseruata, siue sit diuersa ab ea, quæ recordatur, siue eadem.

Inter præteritum & recordationem interuenire tempus. *Debet illud tempus cognosci.* *Vt obiectum recordationis vt sit non sit præsens.* *Requiri speciem permanentem præteriti.*

Auicenna tenet quotiescunque intellectus cognoscit aliquid de nouo, id fieri per conuersionem intellectus agentis ad phantasmata, & produci speciem nouam, non conseruari antiquam. Falsitas huius patet ex dictis in prima quæstione, quia si ipse sensus internus est conseruatiuus speciei, à fortiori intellectus: ex opposito sequitur superfluitas, & tolli habitus acquisitos, qui dependent à pluribus speciebus habitis per discursum, & collationem, & diuisionem obiectorum: patet etiam ex dictis quæstione præcedente de anima separata conseruante species acquisitas. Neque ratio Auicennæ est probabilis: quia putat, si intellectus haberet species obiectorum conseruatas, semper fore in actu cognitionis, cuius oppositum constat experientia. *Sententia Auicennæ improbabilis.* *Eius fundamentum.*

Respondetur, negando sequelam, quia intellectus etiam separatæ animæ, non est in actu respectu cuiuscunque obiecti, cuius habet speciem; quia determinatur aliquando à voluntate, aliquando à fortiùs mouente, vel præsente. Intellectus etiam coniunctus ligatur de facto sensibus, vt illud obiectum actu intelligat, quod actu mouet: neque etiam separatus, aut coniunctus, potest esse illius virtutis, vt possit actu cognoscere obiecta omnia simul, quorum species simul habet. *Soluitur. Non est intellectus in actu nisi supposita determinatione.*

Quantùm ad aliud, quod non decidit Magister *in 2. dist.* 3. asserere videtur esse diuersam potentiam illam, quæ conseruat speciem, & quæ recordatur, quia intelligentiam & memoriam vt diuersa enumerat, ideóque ab aliis pro hac citatur. Sed facilis est in alium sensum interpretatio eius, vt *memoriam* sumat pro principio intelligentiæ, non pro reminiscentia. Vide Augustinum *lib.* 10. *de Trinitat. cap.* 11. Contrarium est verius, & magis ex sententia Doctoris, qui vbique asserit speciem esse in ipso intellectu, qui mediante specie cognoscit, aut ea vtitur. Intellectus autem est cognoscere obiectum suum secundùm omnes differentias temporis, & alias circumstantias, & sicut recipit species causatas ab intellectu agente, & phantasmate, cur etiam non reciperet easdem causatas à suis actibus? 4 *Subiectum speciei.* *Est ipse intellectus operans per speciem.*

d *Ex recordatione autem illius obiecti*,&c. Colligit etiam alia quatuor corollaria, quæ conueniunt ex parte actus recordationis. 5 *Spectantia ad actum recordationis.*

Primum est, esse debere duplicis obiecti, nempe remoti, circa quod recordans habuit aliquando actum; & proximi, nempe ipsius actus tum habiti, vt præteriti. 1.

Secundum est, speciem illius obiecti proximi fuisse impressam, quando ipsum obiectum fuit præsens. 2.

Tertium est, recordationem esse tantùm proprij actus, & humani, non verò actus, qui fuit in alia persona. 3.

Quartum est, quòd species actus præteriti sit in ipsa potentia recordatiua, vt superiùs est resolutum, cuius ille actus præteritus est obiectum. 4.

SCHOLIVM.

Arguit tripliciter non esse memoriam in parte sensitiua. Primò, quia hæc non potest percipere tempus. Secundò, nec cognoscere actum dum præsens est. Tertiò, non percipit nisi qualitatem sensibilem, qualis non est sensatio præterita.

[c] IVxta hoc potest dubium inferri, & est, an recordatiua cognoscat actum illum 7
dum est, cuius vt præteriti est recordatio tanquam obiecti immediati? Videtur enim quòd si illum tunc non cognoscat, nec postea recordabitur. Sed non est probatio necessaria: quia sensus non videtur esse reflexiuus super actum alterius sensus, & esto quòd non percipiat actum alterius sensus, dum præsens est; non apparet demonstratiuè quare non poterit percipere illum vt præteritum, postquam præteriit, saltem illis certis suppositis, inquiratur conclusio illius articuli, videtur quòd recordatio non possit poni actus partis sensitiuæ: primò ex illa conditione, quæ est percipere
Text. 101. tempus. *Tempus autem est numerus motus secundùm prius, & posterius.* 4. Physic. hoc autem percipi non potest sine collatione posterioris ad prius: collationem autem nullus sensuum habere potest, quia hoc est proprium intellectiuæ.

Præterea, dictum est in quarto illato quòd oportet recordantem percipere actum, dum est præsens; sed sensitiua non potest percipere actum sentiendi dum præsens est, saltem non vniuersaliter: quia actus supremæ sensitiuæ non potest percipi ab aliquo sensu, nec ab inferiori, nec à superiori; patet: nec à seipsa, quia non est potentia illa super se, nec super actum suum conuersiua, & tamen cuiuslibet sensationis in nobis potest esse recordatio, vt experimur: ergo non est illa recordatio generaliter alicuius sensitiuæ.

Sed quia hìc arguitur ex quodam, quòd priùs dictum fuit esse dubium, ideò arguitur ex sexto tanquam certo, sic: Sensitiua non percipit primò nisi qualitatem ali-
Text. 137. quam sensibilem, (vnde *secundo de Anima* Philosophus vt concedat visionem aliquo modo esse perceptam à visu, dicit illam esse aliquo modo coloratam) sed nec recipit speciem propriam, nisi alicuius talis qualitatis: sed sensatio illa, cuius est recordatio, non potest aliquo modo poni qualitas sensibilis: quia quæcunque sensatio, vt coloris, vel soni, vel saporis, æquè potest esse recordata: ergo illa species requisita ad recordationem non est sensus alicuius vt potentiæ receptiuæ.

COMMENTARIVS.

6

[e] IVxta hoc potest inferri dubium, &c. Agit de memoria in parte sensitiua, an illa detur memoria iuxta conditiones præmissas memoriæ propriè dictæ: & primò inquirit, an potentia debeat cognoscere actum præteritum, dum fuit præsens? Si enim non cognoscit, videtur non posse recordari illius, vt præteriti: & probatur, quia actus imperceptibilis non est recordatio, non ob aliam rationem, nisi quia non fuit cognitus; ergo vt sit actus, obiectum recordationis, debet fuisse notus, quando fuit in se præsens. Deinde, quia aliàs nihil mouet potentiam, nisi sit per modum obiecti in se præsens, neque causat speciem sui: sed actus potentiæ, vt actus, est præcisè incognitus, non est in potentia per modum obiecti; ergo nequit imprimere speciem in potentia, si non est notus. Tertiò, ipsum obiectum remotum non esset obiectum recordationis, nisi vt aliàs notum fuit per aliquem actum tunc circa obiectum elicitum: ergo etiam neque obiectum proximum potest esse obiectum cognitum, nisi etiam sit priùs notum. Probatur consequentia, quia non videtur posse recordationem actus præteriti, vt præteriti, id est, quatenus fuit cognitio alicuius pro tempore præterito, nisi ipse actus
7 tum existens fuerit cognitus, vt fuit tum obiecti expressiuus.

An debet cognosci actus præteritus dũ fuit præsens. Affirmatur.

Probatio ex dictis 1.

2. Probatio.

3. Probatio.

4. Probatio.

Deinde, ipse actus per experientiam cognoscitur à potentia operante. Hanc partem, vt veram tenet Doctor, sed dicit non esse demonstratam, quia incertum est an actus vt imprimat speciem sui in potentia, requirat vt sit actu cognitus à potentia; quia sicut producit habitum, cuius est causa totalis, ita etiam videtur posse imprimere speciem sui in intellectu, quia est præsens in se, & intelligibile in actu cui competit imprimere speciem, tanquam causæ totali, sicut sensibili in actu, hoc idem competit respectu sensus. Dato ergo hoc, quòd actus imprimat speciem sui, licèt non sit cognitus per alium actum diuersum à seipso, species illa repræsentabit actum sub ratione præteriti, quia repræsentabit actum in ordine ad obiectum, & circunstantias, in quibus tum fuit in exercitio, quod sufficit; & quamuis non fuerit cognitus per reflexionem potentiæ, & per actum diuersum; tamen aliquo modo fuit cognitus experientia, & seipso, quatenus constituit potentiam tendentem in obiectum, & adhærentem obiecto perceptibiliter, quod requiritur; ideóque actus imperceptibiles non causant speciem, quia defuit attentio potentiæ. Requiritur ergo saltem vt sit hoc modo seipso perceptibilis à potentia, qua potentia sub actu experitur se tendere in obiectum; licèt non requiratur vt sit cognitus per diuersum actum: aliàs illa conditio quòd actus præteritus debeat esse humanus, & perceptibiliter, seu attentione habitus, euacuaretur, contra superiùs

Non esse necessarias probationes.

Non requiri actũ esse cognitum reflexè vt causet speciem sui.

superiùs dicta,& definitionem assignatam. Quando ergo asserit non esse demonstratum an actus præteritus dum fuit præsens,ad hoc vt imprimat speciem in potentia, debeat esse tum cognitus, intendit per alium actum à se diuersum, dubium esse si requiratur vt sit cognitus,non verò de cognitione experimentali, qua potentia tendens in obiectum per ipsum actum experitur se esse in actu: requiritur ergo vt aliquo modo experiatur tam actum proprium, quàm sensus externi, vt fuit de obiecto, si recordatio sit circa actum sensus externi. Dubium verò est ex modo operandi sensus, qui est potentia materialis, an possit reflecti super actu proprio, vel etiam an possit directè cognoscere actum alterius sensus, quia non videtur sensatio contineri sub suo obiecto, quæ est qualitas, aut aliquid sensibile in seipso.

Qua cognitio requiritur actus.

8 Ex hoc argumentatur ad negantem memoriam, in parte sensitiua. Primò, quia nequit sensus percipere tempus, quod requiritur ad recordationem præteriti, vt præteritum est: ergo, &c. Patet antecedens, quia tempus est numerus motus, & includit prius & posterius, quod nequit percipi à cognitiua,nisi per collationem,qui non reperitur in sensu. Secunda ratio est ex eo, quòd sensus non sit reflexiuus, saltem actus supremæ sensitiuæ non cognoscitur à se,aut ab alio sensu inferiori. Tertia, quia sensatio non est sensata per modum obiecti, cùm non sit qualitas sensibilis; ergo non relinquit post se speciem sui; variant enim Philosophi in hoc. Nam Nemesius *in lib.de Natura hominis, cap.7.* Plutarchus apud Philippum *in lib.2.huius de Anima textu* 103. putant cognitionem sensationis externæ ad rationem spectare. E contra Alexander *lib. 3. Naturalium quæstionum.* Themistius *lib. 1. de Anima, cap.4.* Simplicius *textu* 136. & nonnulli alij docent, sensus externos etiam aliquo modo percipere suos actus, quod modo supradicto videtur concedendum.

Inesse memoriam in parte sensitiua.

Quia nequit cognoscere tempus.

Sensus non est reflexiuus.

Sensatio non est sensata.

Cui competit cognitio sensationis externa.

Alij communiter Peripatetici negant sensum externum cognoscere suum actum, sed hoc spectare ad internum cum Philosopho *lib.1.de Anima:c.1. & de somno,& vigilia,cap.2.* negat sensum externum percipere suam sensationem.

SCHOLIVM.

Ostendit ex quatuor actibus qui reperiuntur in brutis, qui sunt prouidentia, vindicatio, beneficiatio, nidificatio, seu conseruatio speciei, ac disciplinatio, non concludi dari in eis memoriam, seu recordationem, & explicat quomodo ista faciant sine vlla præteriti, quà tale, memoria.

8 [f] PRÆTEREA, non oportet ponere in parte sensitiua aliquam operationem sensitiuam, quæ non potest concludi esse in bruto; hoc probatur, quia in aliquo bruto potest esse excellens sensitiua, quantùm ad omnes actus sensitiuæ, quos experimur in nobis: sed ista recordatio non potest concludi esse in bruto ex eius actibus. Probatio minoris, videmus actus omnes brutorum, ex quibus magis posset concludi, vtpotè qui videntur actus prudentiæ, vel prouidentiæ,vt patet de formica recolligente grana ad eundem locum, & tempore determinato, scilicet in æstate. Similiter actus vindicandi, vel quasi iustitiæ retributiuæ, puta obsequendi benefacientibus, & puniendi offendentes, videtur in brutis competere eis, inquantùm cognoscunt præteritum vt tale. Similiter tertiò de actibus pertinentibus ad conseruationem speciei, vtpotè de nidificatione auium,& nutritione pullorum, & huiusmodi, quæ non videntur posse competere eis naturaliter absque cognitione præteriti vt præteriti. Et quartò aliqua sunt disciplinabilia, vt vult Philosophus *de Memoria & Reminisc. & de Sensu & Sensato*, quod non est sine memoria præteriti vt præteritum est. Hæc autem omnia possunt sustineri sine recordatione præteriti vt præteriti: ergo nullus actus bruti concludit illum actum inesse bruto.

Quatuor actus in brutis suadent ea recordari præteritorum.

9 Minor istius probatur discurrendo per illos actus: de vniformitate enim quantùm ad locum, & tempus, vt patet in formica, potest saluari per solam apprehensionem, & retentionem speciei eius,quod est delectabilis sine apprehensione præteriti vt præteritum: si enim delectabilis fuit huic formicæ hîc reponere granum, & illa species delectabilis, quæ remanet in phantasia, mouebit appetitum sensitiuum ad quærendum illud tanquam delectabile, & ita de nouo ad veniendum ad illum locum. Quare autem in vno tempore recolligit, &.in alio non, oportet dare rationem ex parte suæ complexionis, quare est sibi delectabile sic recolligere grana, & sic non; siue hoc imponatur naturali industriæ, siue alij causæ: saltem illud de tempore non concludit recordationem, quia formica hoc anno genita, quæ numquam priùs est experta penuriam hiemalem, ita recolliget in æstate ista grana, sicut alia decem annorum, si tantùm posset viuere: ergo ex recordatione præteritorum non habet illum actum pro tali tempore. Si autem frequentatio eiusdem loci arguatur ex præterito; Responsum est quòd illa est ex delectabili priùs apprehenso absque apprehensione præteriti vt præteriti.

An prouidētia formica arguat memoriam.

An vindicatio, & beneficiatio in brutis.

Consimiliter ad secundum de vindicta, vel beneficiatione ab animali læso, vel 10
placato, breuiter dico, quòd phantasma delectabilis placentis, vel tristabilis offendentis, imprimitur, & semper impulsat appetitum sensitiuum ad motum conformem illi obiecto vindicandi, vel beneficiandi, quando cessat saltem aliud delectabile, vel tristabile præsens fortiùs mouens. Et ideò si tempore intermedio suspendatur ista actio per aliud præsens, in fine temporis statim illud phantasma mouet, & sequitur in appetitu sensitiuo motio proportionata isti obiecto, quæ priùs non sequebatur, quia erat impeditum ab alio obiecto fortiùs mouente: non est ergo hîc apprehensio præteriti vt præteritum; sed tantùm eius, quod est præteritum, cuius species manens mouet ad vindictam, vel gratiam, cessante fortiùs alio mouente.

An nidificatio certis temporibus.

Consimiliter de tertio, quia delectabile inest brutis his vndecunque, saltem causam oportet conuincere intrinsecam ex complexione nunc taliter disposita, vel alterata ad congregandum talia, & talia ligna ad faciendum nidum, vel ad sic componendum; & illud non est aliàs delectabile, complexione tunc aliter se habente: & ex ista delectatione, non autem apprehensione præteriti vt præteritum, operantur. Cuius probatio est, quia si esset aliquod brutum propagatum in primo anno, æquè prouideret sibi necessaria ad nidificationem, sicut si esset quotcumque annorum: ergo ex cognitione præteriti vt præteritum, non est ista nidificatio, & concurrit cum primo.

An disciplinatio arguat memoriam in brutis.

Quantùm autem de disciplinatione, faciliùs soluitur, & concurrit cum secunda. 11
Soluitur autem per hoc, quòd ex frequenti sensatione delectabilis, & tristabilis coniunctorum, impressum est isti animali phantasma delectabiliter. Et hoc modo, quòd quandocunque mouet vnum, statim ex coniunctione mouet aliud: ergo quando cibus præsens mouet appetitum ad sumendum, statim phantasma virgæ percutientis simul mouet: & per consequens vt tristabile ad fugiendum, etsi ex magna frequentia imprimatur phantasma huius, vt valde tristabilis, magis retrahit à delectabili, quàm delectabile alliciat ad seipsum.

COMMENTARIUS.

9' *Non esse constituendam memoriam in bruto.*

PRæterea non oportet, &c. Subiicit quartam rationem, non esse necessariò ponẽdam in homine, quà constat parte sensitiua, memoriam magis quàm in bruto; sed in bruto non debet poni, neque colligitur ex actibus, quibus videtur à posteriori probari in eis memoria, ergo, &c. Probatur antecedens ex conuenientia hominis, & bruti; Minor probatur quoad primam partem, quia memoria nequit consistere sine memoria præteriti, vt præteriti, quæ nequit esse sine collatione, & cognitione temporis, vt præteritum est respectiuè ad præsens. Probatur quoad secundam partem, quia illi actus sunt quatuor in genere, nempe prouidentia de futuro, qualis apparet in formicis, & certis aliis animalibus, beneficentia & vindicta, qualis in quibusdam cernitur; conseruatio etiam speciei, & nutritio, v. g. pullorum in auibus, & his similia, vt quando mouentur ad diuersa loca, & regrediuntur mox ad eundem, in quo mansionem habent, & requiescunt. Item vt diuersis temporibus habeant actus differentes, & conuenientes: sed hæc omnia possunt saluari sine memoria præteriti, vt præteritum est: ergo non debet statui memoria in brutis. Probat ordinatè omnes illos actus posse competere ex specie delectabilis, & tristabilis, & ex appetitu conformi sequente, qui applicat potentiam motiuam ad motum, v. g. formica, quæ in hyeme generatur, perinde colligit grana sequenti æstate, ac reliqua, sicut cæteræ formicæ, nullam tamen habet memoriam præteriti: ergo prouidentia illa perinde probat non esse ex memoria præteriti ortum, vt patet in hoc exemplo, quam probat non esse ex memoria præteriti in formica hyeme nata. Idem etiam patet de nidificatione, & multiplicatione speciei in illis animalibus, quæ serò orta eodem modo habent actus, ac animalia, quæ viderunt tempus idoneum generationi, & præteritum. Item, dicendum eodem modo de beneficentia, & vindicatione, quia possunt haberi hi actus perinde ac reliqui, ex specie delectabilis remanenti, & tristabilis vehementer sollicitante appetitum; nam hi effectus etiam inueniuntur in iis, quæ numquam experti sunt causam pro præterito: nam agnus, qui nunquam vidit lupum, tremit ad eius conspectum, quamuis aliàs non habuerit vllam speciem lupi, quod non ex alio prouenit, quàm ex mero instinctu naturali: aliqua enim sunt obiecta per se delectabilia, aliqua verò tristantia ex natura sua, quæ alliciunt appetitum bruti ad prosecutionem, & fugam, quibus apprehensis sequitur ipsa prosecutio, aut fuga: hæc autem sunt aliquando talia absolutè, & pro omni dispositione complexionis in bruto. Sicut etiam aliqua sunt talia in ordine ad sensitiuum hominis; aliquando non sunt absolutè, & semper delectabilia, sed respectiuè ad certam dispositionem, quæ alterat etiam naturam, & appetitum; indéque fit vt aliqua pro certo tempore sint delectabilia, pro alia verò non sint delectabilia; ideò sequuntur diuersi motus in appetitu ex cognitione præsenti ipsorum, aut imaginatione. Aliqua etiam sunt delectabilia ex se, & sollicitant appetitum, quæ tamen contrariis fortiùs mouentibus cedunt, vt quando panis, & virga porrigitur cani, fortiùs mouet virga terrens, quàm panis alliciens.

Ex actibus & prouidentia quæ cernitur in bruto nõ colligitur memoria. Prouidentia brutorum.

Ex hoc non colligi memoriam.

Referri posse in aliam causam.

Ostenditur discurrendo per singula.

Inueniri tales actus in iis quæ nullam habent experientiã præteriti.

Ex his oritur quartum genus prudentiæ apparentis in brutis, vt disciplinabilitas, ex coniunctione enim specierum abstinet brutum à pane ex repræsentatione, quam habet virgæ, coniuncta, non verò ex perfecta memoria præteriti, 10

Vnde oritur disciplinabilitas.

teriti, quia imaginatio vehemens, quam causat species virgæ, appetitum etiam mouet fortiùs ad fugam panis delectabilis, quàm ipse panis alliciat. Experientia etiam hæc in nobis est etiam quoad appetitum rationalem, & sensitiuum, quando abstinetur à delectabili per solum timorem nociui excedentis. Ordo etiam in illis actionibus per quandam prudentiæ, & directionis speciem habetur (ex quo ordine quantùm ad certa tempora, & loca, & consecutionem ipsarum actionum, & coniunctionem magis colligitur memoria præteritorum) sicut conseruatur in iis, quæ nullam habent memoriam præteriti, neque fuerunt pro tempore præterito, vt patet in exemplo allato de formica in hyeme nata, & colligente in æstate sicut cæteræ, & de aliis animalibus, quæ nullam habent præteriti experientiam, & ad actus eosdem mouentur, sic etiam in aliis saluari potest sine memoria præteriti: nam idem effectus non exigit disparem causam.

Ordo in iis actibus saluatur.

11 *Interrogatio.*

Si autem quæras, quomodo illæ actiones certo tempore, & modo fiant, sine aliqua memoria?

Fieri hæc omnia instinctu naturæ & coordinatione specierum.

Respondetur, ex instinctu naturæ, & coordinatione specierum, & connexione, quatenus habent inter se quendam in mouendo ordinem, sequi etiam in appetitu motum conformem; ex appetitu autem motum in potentia motiua, qui videtur assuetus, & ordinatus: nam sicut vna species imprimitur simul cum alia, sequitur etiam connexio imaginationum, & vna species aliam excitat, vt contingit etiam in nobis, v.g. hæc vox *homo* audita causat suam speciem, quæ naturalem illum sonum exprimit, tam phantasiæ quàm intellectui, eadem species excitat ordinatè speciem naturæ significatæ, vt causet eius conceptum: quia is est ordo specierum, vt causante vna; alia etiam ex connexione excitetur ad causandum in brutis: ergo cùm species illæ rerum dicant eandem connexionem, vna excitatur per aliam, vt seruetur ordo in imaginationibus, qualis seruatur connexio inter ipsas species; vnde quando offertur panis iam disciplinato, quantumlibet virga tum non sit præsens, species panis ex connexione, quam habet ad speciem virgæ, hanc etiam excitat, vnde moueatur appetitus ad fugam, quia est fortius mouens. Hinc etiam frequentatio quorundam locorum, & regressus, in quibusdam animalibus oritur similiter ex ordine specierum, & phantasmatum, non ex memoria præteriti, quà præteritum est formaliter; quia sicut loca ista frequentata suas species habent connexas, ita etiam ordinatè secundùm illam connexionem mouent.

12 *Accedit motioni & connexioni specierum, dispositio complexionis, & directio prima causa.*

Ex quibus patet ad fundamentum oppositum, nempe ex instinctu naturali, & connexione, & ordine specierum, ex diuersa dispositione complexionis, ex eo quòd vnum sensibile fortiùs præ alio moueat, prouenire has actiones in brutis, quæ speciem memoriæ, & discursus præ se præferunt, non verò quòd sit in eis memoria propriè dicta præteriti, quà præteritum. Quin etiam addi potest directio causæ vniuersalis, quæ illum instinctum naturæ bruti impressit ad conseruationem eius, & ad vniuersi pulchritudinem seruandam in varietate speciei: ac denique propter vtilitatem hominum, in quibus sensus magis viget ad vsum necessarium vitæ humanæ.

Probatio conclusionis præmissa.

Probatur ergo hæc pars, quam tenet probabiliter Doctor, quia ex iis actionibus non magis colligitur memoria præteriti, quà præteritum est, quàm etiam prouidentia futuri: sed in brutis non est cognitio futuri; ergo neque præteriti, quâ præteritum est. Probatur maior, quia prouidentia in formica grani reseruati in hyemem, ob egestatem passam hyeme præterita, non magis indicat experimentalem præteriti per recordationem, quàm præuisionem necessitatis futuræ in hyeme sequenti, in cuius subsidium colligit æstate: ergo si in ea datur memoria præteriti, tanquam excitans ad collectionem annonæ in æstate, & reseruandæ in hyemem, etiam datur in eadem cognitio necessitatis pro futuro, tanquam finis illius prouisionis: sed hoc est falsum. Probatur subsumptum, quod est etiam minor principalis, quia cognitio futurorum, quorum nullæ possunt esse species, non habetur nisi ex causis, & hoc per discursum, etiam habetur in nostro intellectu, & non aliter, cùm nunquam in se fuerunt, neque in sensu: sed nequit sensus aliquid cognoscere ex causis, aliàs esset in eo discursus formalis: ergo prouidentia in futurum in brutis non est ex cognitione futuri: ergo neque ex memoria præteriti. Probatur hæc vltima consequentia, quia memoria præteriti, vt præteritum est, non excitat ad illam prouisionem, nisi vt futurum cognoscitur, aliàs non esset prouidentia pro futuro, neque vt fiat pro præsenti talis collectio grani, necessaria est memoria præteriti, quia sufficit ipsa delectabilitas obiecti, & instinctus naturalis, & excitatio specierum, & delectationis fortè ab authore naturæ facta ad instructionem, & exemplum hominum, quorum est prouidere propriè.

Non esse prouidentiam futuri in brutis. Ratio huius.

13 *Nequit cognosci præteritũ vt præteritũ nisi per collationem.*

Deinde, agnoscere præteritum, vt præteritum, nequit esse, nisi per collationem præteriti ad præsens, quod est proprium intellectus: sicut ergo in sensu non datur collatio propriè dicta, neque reflexio, neque discursus, maximè in bruto, sic etiam non debet in illo statui propriè dicta memoria, quæ sit præteriti formaliter, vt præteriti, aliàs etiam posset saluari brutum agere propter finem naturalem formaliter: quid enim est agere propter finem, quàm assumere media in ordine ad finem, & illa applicare ex vera cognitione finis: ergo cùm omnia saluari possunt sine tali memoria in brutis, non debet concedi, quia sic exornatur via, qua cognosci potest distinctio intellectus, & sensus.

Brutum non agit propter finem.

Accedit quòd in plerisque, in quibus illa prouidentia, & actiones cernuntur negatur etiam à probatis authoribus memoria. Quin etiam ipse Philosophus 2. *de Anima text.* 29. 32. 156. videtur negare imaginationem formicæ, vermi, & apibus. & 2. *Post. text.* 103. negat in iis, in quibus non manet sensatio, id est, species in imaginatiua, esse aliquam cognitionem extra ipsum sentire, id est, non habere cognitionem obiecti non existentis, sed tantùm præsentis, & afficientis sensum actu. Videantur Conimbricenses, & alij *de Memoria & reminiscentia in 2. de Anima*, vbi agitur de sensibus, & potentiis animæ separatæ.

In aliquibus nõ dari imaginatiuam.

SCHOLIVM.

Soluit quatuor rationes omnes allatas, & sustinet problematicè in parte sensitiua esse memoriam, vel non esse.

g SVstinendo tamen intentionem Aristotelis, in illo libello, quòd memoria sit in parte sensitiua; potest responderi ad ista, & quasi ducendo ea ad oppositum. Primum enim de perceptione temporis, concedit ibi Aristoteles, dicens quòd primo sensitiuo, quo percipimus magnitudinem, percipimus & tempus. Nec obstat quòd est successiuum, quia motus est successiuus: & tamen motus est per se sensibilis, *ex secundo de Anima.* Nec obstat quòd dicitur numerus, quia numerus est per se sensibilis, *ibidem, & in 4. Phys. c. de tempore comment.* 11. vult Commentator quòd si percipiatur solus motus phantasmatum, percipitur tempus: sed istud posset exponi, quòd talis motus percipitur ab intellectu, non à virtute phantastica. 12

Tempus & motus an per se sensibilia. Text. 63. & 64.

Ad aliud, poterit dici quòd aliquis sensus poterit recipere speciem actus sentiendi, & speciem illam retinere transeunte actu: & per consequens per illam potest habere actum post tempus, & ita recordari. Et cùm obiicitur de actu supremæ potentiæ sensitiuæ; potest concedi quòd recordatio actus eius non competit alicui sensui, sicut nec sensui alij competit recordari proprij actus, vt accipitur ab Augustino 2. *de lib. arbi.* sed tantùm hoc competit superiori respectu actus inferioris sensitiuæ.

Sensus an potest recipere speciem sui actus.

Aliter posset dici, secundùm quòd Philosophus videtur sentire *secundo de Anima*, quòd visus aliquo modo sentit se videre: quia visio est aliquo modo colorata: & ita posset concedi quòd sensatio supremæ sensitiuæ continetur quodammodo sub obiecto supremæ memoratiuæ. Et si arguas reflexionem illius sensitiuæ supra se, non magis concludit hoc, quàm concludat contra Aristotelem de visu percipiente visionem.

Text. 137. & inde.

Ad vltimum, licèt probabiliter possent actus brutorum saluari, non ponendo memorationem propriè in eis, sed solùm imaginatiuam cognitiuam obiecti, quod est præteritum, licèt non vt præteritum: tamen ea, quæ videmus in actibus eorum, faciliùs saluantur ponendo in eis memoriam.

Hinc patet Scot. esse problematicum an memoria sit in parte sẽsitiua.

COMMENTARIVS.

14 g *SVstinendo tamen intentionem Aristotelis*, &c. Intentum Aristotelis, & communis est dari memoriam in parte sensitiua. Idem tenet hìc Doctor, & respondet ad alias rationes priùs obiectas.

Sententia cõmunis & affirmatiua sustinetur.

Primum fuit, quòd ad cognitionem præteriti, vt præteriti, requiritur cognitio temporis.

Respondet, tempus posse cognosci à sensu, sicut cognoscitur magnitudo, & numerus, & motus.

Tempus cognosci à sensu.

Ad secundum, quod obiicitur, nullum cognoscere actum alterius. Respondet sensum superiorem cognoscere actum inferioris.

Sensus superior cognoscit actum inferioris.

Et si dicatur ad hoc, quòd actus superioris sensitiuæ non cognoscitur ab ipsa, aut ab alio sensu. Respondet primùm, non referre hoc, quia saluatur memoria actuum sensuum inferiorum, ex qua possunt illi actus conuenire etiam in brutis; in homine verò actus superioris sensitiuæ cognoscitur ab intellectu.

Respondet secundò, quòd etiam ipsa superior cognitiua cognoscit proprium actum, sicut dicit Philosophus 2. *de Anima*, quòd visio sit aliquo modo colorata, & videtur, potest esse species permanens in superiori sensitiua, qua cognoscit directè ipsum obiectum non solùm absolutè, sed etiam vt fuit terminus, & obiectum actus præteriti: & sic tollitur reflexio supra actum, ad cuius cognitionem sufficit ipsa experientia, qua cognoscit potentia se tendere in obiectum, & species manens obiecti, vt fuit terminus potentiæ tendentis.

Ipsa superior cognitiua quomodo cognoscit actũ proprium.

Ad vltimum illud, quod in paragrapho præcedenti adducitur, ad impugnandum memoriam in bruto.

Respondet, licèt illi actus possunt saluari in bruto sine prædicta memoria, tamen meliùs saluari statuendo in eo memoriam.

SCHOLIVM.

Ex duobus locis Aristotelis probat secundùm eum, dandam esse memoriam intellectiuam, & refutat responsiones Henrici. adducit etiam auctoritatem Arist. Auic. & Dam. ac rationem ex Arist. ad oppositum.

h DE secundo articulo principali videtur Aristoteles quædam dicere in illo libro, ex quibus concluditur memoria in parte intellectiua, dicit enim, *Quorundam* 13

dam intelligibilium memoramur, vt quòd triangulus habet tres æquales duobus rectis, &c. *Hic quidem, quia didicit, & fuit ſpeculatus.*

Reſpondetur ſecundùm eum ibidem, quòd memoria intelligibilium non eſt ſine phantaſmate. | Contrà, non propter hoc negandum eſt memoriam eſſe in intellectu, ſicut non negatur *intelligere* in intellectu: & tamen ſecundùm ipſum ibi, non intelligimus ſine phantaſmate. *Henric. quodlib. 6. quæſt. 8.*

Aliter reſpondetur, quòd intelligibilium memoramur per accidens. Vnde dicit ibi loquens de illis, *Quare intellectus, id eſt, partis intellectiuæ ſecundùm accidens, erit*, ſupple memoria, & Damaſcenus vbi priùs. *Intelligibilium, ſicut didicimus memoramur, ſubſtantiæ autem ipſorum memoriam non habemus.* *Henric. vbi ſuprà.*

Contrà, quæcunque virtus cognoſcit actum, vt eſt obiecti, aliquo modo cognoſcit obiectum, ſed hoc obiectum, *triangulum habere tres*, vt eſt verum demonſtratum, vel ſcitum, poteſt intellectus ſolus cognoſcere, ita quòd nullus ſenſus poteſt cognoſcere illum actum, me ſpeculatum fuiſſe triangulum habere tres.

[i] Præterea Ariſtoteles concedit ibi, quòd reminiſcentia ſoli homini ineſt: & hoc vult Auicenna, *vbi priùs cap. 3.* quia ibi eſt ſola ſyllogizatio. Ex hoc arguitur dupliciter. Primò, quia cognitio propria ipſi homini, videtur eſſe ipſius intellectus. Secundò efficaciùs, quia cognitio per diſcurſum ſyllogiſticum pertinet ad ſolum intellectum: huiuſmodi eſt cognitio reminiſcentiæ: nam reminiſcens diſcurrit à quibuſdam notis ad illud, quod aliqualiter decidit, cuius vult recuperare recordationem; & licèt non ſit ibi ſyllogiſmus, quia ſemper eſt ex præmiſſis ad concluſionem, (proceditur enim ibi à contrariis, vel à ſimilibus, vel à quibuſcunque habentibus ordinem aliquem in ſentiri, ad illud quod quærimus) tamen nec talis collatio poteſt competere virtuti ſenſitiuæ, vt videtur: eidem autem virtuti competit diſcurſus, & cognitio terminans diſcurſum: recordari autem terminat illum diſcurſum: ergo, &c. *6. natural. part. 5. reminiſcentia ſoli homini propria.*

14 [k] Contra iſtam rationem obiicit. Primò, quia Ariſtoteles dicit quoſdam benè reminiſcitiuos, quoſdam malè, propter diuerſitatem organi: ergo reminiſcitiua attribuitur parti ſenſitiuæ. Prætereà, quòd reminiſcentia ſit impoſſibilis, adducitur argumentum, quod recitat Themiſtius *primo Poſter.* de ſeruo fugitiuo, per quod probatur quòd impoſſibile ſit aliquid addiſcere: quia aut illud fuit priùs ſcitum, & ita non addiſcitur; aut non, & ita ſi occurrit intellectui, neſcit illud eſſe quod requirit. Hoc quidem argumentum ibi non habet euidentiam, quia quidquid neceſſariò infertur ex præmiſſis neceſſariis, ex hoc ipſo ſcitur, nec oportet quòd ſciam illud, quod quæſiui ſcire, niſi in generali, quia quæſiui ſcire quidquid potui inferre ex illis notis. Sed in propoſito habet difficultatem; arguitur enim ſic; aut ille perfectè oblitus eſt eius, quod eſt, *A*, aut non? ſi ſic, ſi per reminiſcentiam poſſit redire ad memoriam eius, neſcit illud eſſe, cuius recordationem quæſiuit, & per conſequens non reminiſcitur: quia reminiſcens recordatur alicuius de nouo, vt priùs memorati, & pòſt tempore intermedio obliti; ſi non eſt perfectè oblitus, *A*, ergo non poteſt reminiſci, *A*. *Arguit pro parte negāte memoriā intellectiuam.* *Reminiſcētia ſupponit obliuionem; memoratio ſeu recordatio, non.*

Confirmatur primum membrum per Auicennam *vbi priùs cap. 3.* deſiderium recordandi in particulari nulli bruto ineſt: ſi enim non memorat, memorari non deſiderat. Similiter Ariſtoteles *in lib. 1.* videtur ponere memoriam pertinere ad virtutem phantaſticam, *cuius* (inquit Ariſtoteles) *ſcilicet partis animæ, memoria ſit, manifeſtum eſt, quando, & cuius phantaſia eſt illius etiam memoria eſt*, & Damaſcenus vbi priùs. *Memoria eſt imaginatio derelicta à ſenſu, ſecundùm actum.* *6. natural. part. 5.* *Libr. 2. cap. 20.*

COMMENTARIVS.

15 *An in parte intellectiua ſit memoria.* [h] DE *ſecundo articulo principali*, &c. Hîc diſſerit an in parte intellectiua ſit propriè memoria. Partem affirmatiuam probat ex authoritate Philoſophi in litera: *quorundam intelligibilium memoramur*, &c.

Reſponſio. Dices quòd non memoramur intelligibilium ſine phantaſmate. Hæc reſponſio eſt Henrici *quodlib. 6. quæſt. 8.* cuius ſententiam hîc tacitè impugnat Doctor.

Replica. Contrà, neque intelligimus ſine phantaſmate, non inde ſequitur quin intelligere ſit ſolius intellectus & propriè.

Reſponſio. Dices quod memoramur per accidens intelligibilium, *quare intellectus, id eſt, partis intellectiua* ſecundùm accidens erit, &c. Vbi negat nos ſubſtantiæ intelligibilium memorari, ſed ſcientiæ tantùm, aut cognitionis. Impugnat autem illam reſponſionem primò, quia illius potentiæ, cuius eſt actu cognoſcere, eſt etiam cognoſcere obiectum actus: quia cognoſcit actum, vt eſt obiecti: ſed cognoſcere triangulum habere tres angulos, eſt ſolius intellectus, & cognoſcere ſe ſpeculatum fuiſſe, hoc eſt etiam ſolius intellectus, & non alterius potentiæ inferioris, quæ cognoſcit obiectum ſub *Ad eandem potētiam ſpectat actum, & obiectum eius cognoſcere.*

ſub conditionibus indiuiduantibus, & non ſub ratione vniuerſali ſicut cognoſcit intellectus ſcientificus.

Hæc ratio efficax eſt contra Henricum, qui dicit memoriam eſſe in intellectu per accidens, quia eſt proprius actus hominis, ſeu totius; quod autem eſt proprium toti, non conuenit parti, niſi per acccidens, & vt eſt in toto, ideò negat animam ſeparatam habere memoriam talem, qualem habet coniuncta: neque cognoſcere memorando actum præteritum ſuum, quem habuit coniuncta; ſed ſi cognoſcit actum præteritum, quem habuit coniuncta, id fieri per ſcientiam alterius rationis, quæ non eſt memoria. Dicit autem memoriam fieri in homine per habitum inclinantem ex parte intellectus (negat enim ſpecies, vt *ſuprà* vidimus *quæſt.* 1.) ſed requiri vlteriùs præter habitum inclinantem intellectum, vt obiectum repræſentetur, vt præteritum, quod ſolùm præſentatur à phantaſmate, ideò negat habitum hîc acquiſitum habere actum in anima ſeparata, ex defectu phantaſmatis, cuius munus eſt repræſentare obiectum: neque ideo habitum illum ſuperfluè conſeruari in anima ſeparata, licèt non habeat actum ex defectu præſentantis obiectum, quia ſicut potentia viſiua in tenebris conſeruatur, & non fruſtrà, licèt in tenebris non habeat actum, ita etiam habitus prædictus non erit fruſtrà, quia poteſt in anima in ſtatu coniuncto, & perfecto animæ habere actum.

Sententia Henrici.

17 Contrà hanc doctrinam vrget ratio prædicta, licèt magis in ſpecie videatur illa fundamenta adducta ex Philoſopho, & Damaſceno impugnare, quatenus alter dicit non dari memoriam in parte intellectiua, niſi per accidens, eorum quæ didicimus; alter verò ſubſtantiæ intelligibilium non dari memoriam, id eſt, obiectorum, ſed ſcientiæ de obiectis. Ratio autem formatur ſic; eiuſdem potentiæ eſt cognoſcere obiectum, cuius eſt cognoſcere actum, vt eſt de obiecto, ſeu ipſius obiecti; ſed intellectus cognoſcit actum ſuum ſcientificum præteritum, eiúſque memoratur, vt fuit obiecti demonſtrati, vt triangulum habere tres angulos: ergo intellectus cognoſcit, non ſolùm actum, ſed etiam obiectum; ſed obiectum eſt ſcientificum & vniuerſale; ergo cognoſcitur vt in ipſo intellectu fuit, & non vt in phantaſmate. Probatur conſequentia, quia phantaſma non repræſentat obiectum, vt vniuerſale abſtractum, & ſcientificum: ſed ſolus intellectus, & ſpecies quam habet obiecti, ita repræſentat; ergo intellectus memoratur non ſolùm actus præteriti, ſed etiam ipſius obiecti, vt fuit actus terminus; & materia circa quam: ergo memoria propriè dicta, & per ſe, eſt in intellectu, & non tantùm per accidens. Probatur conſequentia, quia actus memorandi eſt præteriti obiecti tam proximi, quàm remoti, vt fuit præcisè in intellectu, & non vt fuit in actu alicuius potentiæ inferioris per modum repræſentantis ipſum, ſub modo vniuerſali, & abſtracto, quo terminauit actum ſcientiæ.

Impugnatio.

Intellectus cognoſcit actum ſuum præteritum, vt fuit præteritus.

[i] *Præterea Ariſtoteles*, &c. Secundò impugnat eandem ſolutionem ex Philoſopho *de memor. & reminiſcent. cap.* 4. & Auicenna *cap.* 3. 6. *moralium part.* 5. dicit enim Philoſophus quòd reminiſcentia ſoli homini ineſt, & Auicenna idem: quia nempe in homine ineſt ſyllogizatio. Ex quibus replicat primò Doctor, quòd cognitio propria ipſi *homini* eſt ſolius intellectus, vt propria; ſed reminiſcentia eſt propria homini ex Philoſopho; ergo eſt ſolius, & propria intellectus. Minor eſt Philoſophi. Maior ſuperiùs probata, quia nulla eſt propria cognitio hominis, vt diſcernitur ab aliis, niſi illa, quæ eſt per animam ſecundùm ſpecificũ gradum animæ: hæc autem eſt per ſolũ intellectũ, quæ proinde conuenit toti per intellectum, & animam, tanquam principium, & proinde conuenit ipſis in *eſſe* ſeparato. 18

Secunda impugnatio eiuſdem ſolutionis.

Reminiſcentia ſoli homini non competit.

Argumentatur ſecundò ex illo Auicennæ: quia ſyllogizari eſt actus proprius intellectus, ita vt non ſit alterius potentiæ: ſed cognitio reminiſcentiæ fit per diſcurſum; ergo, &c. Minor patet, quia eſt proceſſus à notis ad aliquod quod decidit, & cuius vult recuperare memoriã, & licèt ibi non ſit ſyllogiſmus, inquit, quia ſemper eſt ex præmiſſis ad concluſionem, &c. id eſt, in forma concludente, non ita aliquando in reminiſcentia, ſed proceſſus eſt à contrariis, ſimilibus, & quibuſcunque habentibus ordinem in *ſentiri* ad illud quod quærimus, quia nempe reminiſcentia fit per excitationem ſpeciei repræſentantis præteritum, ac proinde proceditur ad alias ſpecies, cum quibus illa habet aliquam coniunctionem, ex quibus occaſionatiuè, & non per principium intrinſecum ſyllogiſticum, excitatur talis ſpecies obiecti præteriti, cuius reminiſcentia quæritur ex collatione illarum ſpecierum: hæc autem ipſa collatio nõ eſt cõueniens vlli potẽtiæ, niſi intellectiuæ, quia ipſa eſt etiam reflexiua, & diſcurſus virtualis procedẽdo à noto ad ignotum: ſed eius potentiæ eſt cognitio terminans ad diſcurſum, aut collationẽ, cuius eſt ipſa collatio: ergo & reminiſcentia eſt propria intellectus, vt ſic acquiſita per talem collationem.

Reminiſcentia fit per ſyllogiſmum.

Modus reminiſcendi, & media.

[k] *Contra iſtam rationem*, &c. Replicat contra rationem prædictam, quia Philoſophus dicit reminiſcentiam bonam, aut malam dependere à praua, aut bona diſpoſitione organi: ergo reminiſcentia tantùm eſt in parte ſenſitiua. Præterea, quòd reminiſcentia ſit impoſſibilis, ex argumẽto Themiſtij *in* 1. *Poſter.* vis eius in hoc conſiſtit, quia vel memoria ſerui fugitiui, v. g. quem quæris, ex toto decidit, & ſic fruſtrà quæris, quia inuentum non agnoſcis; vel non decidit, & ſic non eſt perfectè oblitus. Deinde ex Auicenna, qui dicit deſiderium memorandi non eſſe in bruto; ſi enim non memorat, memorari non deſiderat. Item ex Philoſopho & Damaſceno, qui videntur conſtituere in parte ſenſitiua, in qua eſt phantaſia. 19

Obiectio.

SCHOLIVM.

Pro reſolutione huius articuli, docet primò, recordationem habere duo obiecta: proximum, quod eſt actus præteritus; & remotum, quod eſt eiuſdem actus obiectum. & quoad recordationem ſenſitiuam, præteritio requiritur in vtroque obiecto, quia ſenſus tendit in obiectum ſecundùm certam approximationem, vel lineam rectam, vel curuam,

uam, vel aliquid ſimile, & huius diſpoſitionis, etiam vt præteritæ, recordatur: at memoria intellectiua tantùm petit præteritionem in actu. Secundò docet non ideò hominem eſſe malè memoratiuum, quia eius intellectus malè conſeruat ſuas ſpecies, ſed quia ſenſus malè conſeruat ſuas, & probat dupliciter intellectum indelebiliter ſeruare ſpecies. Vide eum 1.d.3. quæſt. 6. quod tamen firmiter non aſſerit, ex n.18.

15 [l] AD intellectum illarum auctoritatum dico, ſicut priùs dictum eſt, quòd actus recordandi habet duplex obiectum, ſcilicet proximum, & remotum, Præteritio autem quandoque requiritur in vtroque obiecto, vt obiectum eſt: quandoque in altero tantùm: ſenſus autem, quia non cognoſcit obiectum ſuum, niſi ſecundùm aliquam diſpoſitionem, quam habet dum ſentitur, iuxta illud 7. Meta. *Abeuntibus ſenſibilibus à ſenſu, non eſt palam vtrùm ſint, an non:* ideò non poteſt habere recordationem actus ſui, vt præteriti, quin etiam habeat obiecti ſenſati, vt præteriti: quia vt tantummodo ſic ſe habentis, ſicut ſentiebatur dum manſit actus ſentiendi: intellectus autem non requirit præteritionem in vtroque obiecto, ſed tantùm in proximo, quia enim actus eius poteſt eſſe alicuius, vt eſt neceſſarium, ſicut ſpeculandi triangulum habere tres. Ideò actus recordandi illum actum ſpeculandi, poteſt habere obiectum remotum, non vt præteritum, ſed vt ſemper vniformiter ſe habens: quantùm ergo ad iſtam conditionem, reſpicere obiectum præteritum vt præteritum, tam ſcilicet remotum, quàm propinquum, ita quòd vtrumque cognoſcatur præciſè, & neceſſariò vt præteritum, memoria eſt neceſſariò ſenſitiuæ: non autem neceſſariò intellectiuæ, licèt ſic poſſet eſſe eius, vt ſtatim dicetur in ſolutione.

Recordationis eſt duplex obiectum; proximũ, & eſt actus proprius præteritus; remotum, & eſt obiectum illius actus. v.g. in tali diſtãtia, vel per talẽ lineã, rectam ſcilicet, in viſibili.

16 [m] Ad aliud dico, quòd memoria in parte ſenſitiua eſt ſufficiens ad operandum ſine intellectu, vt patet in brutis: ſed è conuerſo memoria intellectiua non ſufficit ad operandum ſine memoria ſenſitiua, ſicut nec poſſumus ſine phantaſmate intelligere, ideò non diceret Ariſtoteles hominem benè & malè memoratiuum, quia intellectus eius benè vel malè conſeruet ſpeciem alicuius præintellecti: ſed quia memoria eius ſenſitiua, quæ concurrit cum intellectiua, etiam ad recordationem intellectiuam, eſt benè, vel malè retentiua: fortè enim memoria intellectiua quamcunque ſemper conſeruat ſpeciem: ſed non poteſt in ſuum actum, quia ſpecies ſenſibilis deleta eſt à memoria ſenſitiua, ſine qua illa non ſufficit ad operandum.

Memoria ſenſitiua operatur ſine intellectiua, non è contra.

[n] Hoc probatur primò, quia receptum videtur eſſe in recipiente per modum recipientis: & per conſequens cùm intellectus ſit virtus immaterialis, & immutabilis ab his paſſionibus corporalibus, videtur quòd ſpecies eius maneat indelebiliter: propter hoc enim Ariſtoteles tantùm aſſignat labilitatem ſpeciei in memoria ſenſitiua, quia organum ſic, vel ſic patitur, vel mouetur. Probatur idem ſecundò, quia quando aliquis reminiſcitur, oportet quòd habeat aliquid apud ſe manens, per quod illud eſſe ſciat cuius priùs meminit, & pòſt oblitus eſt, vt argumentum procedit de ſeruo fugitiuo: iſtud autem manens, non poteſt poni in parte ſenſitiua, quia illud eſt deletum, ſaltem non remanet perfectè, nec ſufficienter ad actum recordandi: ergo probabile eſt quòd illud ſit ſpecies in intellectu manens perfectè: & ſic recuperata ſpecie in memoria ſenſitiua, quæ aliqualiter decidit per collationem ad ſpeciem intelligibilem manentem, cognoſcitur illud obiectum recordatum, eſſe illud, quod fuit priùs memoraliter notum: ſic igitur quantùm ad primitatem, vel radicem, ſeu ſufficientiam ex ſe ad actum, non ſolùm eſt memoria in parte intellectiua, ſed in ſenſitiua etiam in nobis.

Boët. 3. de con. proſa 5. Intellectum ſeruare ſpecies indelebiliter probat dupliciter. De quo 1. d.3.q.6.

COMMENTARIVS.

21 [l] *AD intellectum illarum authoritatum dico,* &c. Statuit duas concluſiones ad auctoritatem iſtarum ſolutionum, ſupponendo primò memoriam habere duplex obiectum, nempe proximum, & remotum: proximum, vt dictum eſt, eſt ipſe actus; remotum verò eſt obiectum talis actus. Dicit ſecundò, aliquando requiri præteritionem in vtroque obiecto, aliquando in altero tantùm. Primum requirit memoria ſenſitiua ob diſpoſitionem particularem ſenſus, quà eſt obiecti præſentis, & mouentis, vt præſens fuit ad actum circa ſenſum tam internum, quàm etiam externum, iuxta illud 7. *Metaph.* citatum in littera. Ex parte intellectus non ſemper requiritur præteritio obiecti remoti, vt quando eſt alicuius vniformiter ſe habentis ad intellectum, & in ſe neceſſarij, vt ſunt obiecta vniuerſalia, & propoſitiones de his neceſſariæ, quæ dicuntur æternæ veritatis. Ratio vtriuſque differentiæ eſt, quia ſenſus percipit obiectum præſens, vt præſens, ſecundùm circunſtantiam temporis, id eſt, ipſum obiectum, vt in tempore exiſtens, & præſens, idcóque non

Requiſita ad memoriam. Ex parte ſenſus requiri præteritione vtriuſque obiecti.

Ad memoriã intectiuã non requiritur præteritio obiecti remoti. Ratio diſparitatis inter ſenſum & intellectum.

Sensus sĕper est præsentis vt præsentis.

non recordatur obiecti, nisi respectiuè ad illud tempus, in quo fuit præsens, & obiectum actu pro eo terminans sensationem est præteritum sub hac ratione, vt cadit sub recordatione, siue ipsum obiectum tum existat, siue non; quod enim existat pro tempore recordationis, non facit ad ipsam recordationem, quæ est eius, vt in tempore præterito affecit sensum.

21 *Intellectus est quandoque obiecti abstrahentis à tempore. Declaratur.*

E contrà intellectus licèt sit obiecti quandocunque secundùm illam differentiam temporis, & consequenter vt præteriti, & existentis pro tempore præterito, vt mox dicetur §. *sequenti*, & in hoc æquiparatur sensui; tamen sicut est aliquando necessariorum, vt quòd triangulus habet tres, quòd homo sit risibilis, & huiusmodi, quæ veritates non sunt contingentes, neque in aliquo tempore, vel pro aliqua tantùm differentia temporis veræ sicut contingentes; ita etiam abstrahunt à tempore, & non cognoscuntur in ordine ad aliquod tempus, tanquam circunstantiam, aut mensuram sui, quia sunt veritatis æternæ, actus tamen de his habitus est in tempore, & contingens; ideóque obiectum remotum, quod abstrahit à tempore, sic etiam abstrahit à differentia præteriti, præsentis, & futuri, vt afficit cognitionem tam primam, quæ est obiectum proximum recordationis, quàm etiam vt terminat per modum obiecti remoti ipsam recordationem. Ideò ergo ad memoriam intelllectiuam non requiritur, vt obiectum eius remotum sit præteritum; sed requiritur super vt proximum sit præteritum in re ipsa: quatenus itaque memoria sumitur pro recordatione obiecti totalis, tam proximi, quàm remoti, vt vtrumque est præteritum, sic propriè conuenit parti sensitiuæ, quæ est solius contingentis, & vt in tempore existentis, & ex conditione prædicta secundùm quam respicit obiectum contingens sub determinata circumstantia temporis, non tamen solius sensitiuæ, sed etiam partis intellectiuæ, quamuis etiam sit in eadem memoria necessariorum, & aliter non se habentium respectiuè ad præteritum actum circa eadem.

22 *Dubium. Quomodo memoria sit præteriti. Sensibile cōmune habere speciem propriam.*

Dubitari potest quomodo memoria feratur in tempus præteritum, vt afficit obiectum remotum? Resolutio huius dependet ab ea quæstione, An sensibile commune habeat speciem propriam, aut an repræsentetur per speciem sensibilis proprij, vt coniunctum est sensibili communi. Habere speciem propriam, docet Doctor *suprà distinct.* 12. *quæst.* 3. Auicenna *lib.* 6. *moralium*, *cap. de tactu.* Ægidius *lib.* 2. *de Anima*, *cap.* 6. Iandunus *quæst.* 18. quod de aliquibus admittit Caietanus *lib.* 2. *de Anima*, *cap.* 6. & Iauellus *ibidem quæst.* 24. Contrariam sententiam docet D. Thomas 1. *part. quæst.* 78. *art.* 3. *&* 2. *de Anima lect.* 13. & reliqui eius Scholæ, quam sequuntur etiam plures moderni authores.

23 *Quomodo repræsentetur tempus.*

Alij dicunt modificari speciem sensibilis proprij per sensibile commune; alij verò asserunt produci speciem eandem ab vtroque. Quidquid autem in hoc dicatur, respondendum est conformiter de memoria, vel duplicem speciem concurrere simul, & repræsentare obiectum vt coniuncta, nempe rem cum tempore, vel iuxta alios modos, sic etiam repræsentari per vnam speciem, vel modificatam, vel mixtam vtriusque, ita vt primariò res ipsa repræsentetur, secundariò verò tempus, circunstantia, aut conditio indiuidualis adiecta, & speciem in memoria retentam repræsentare etiam sensationem vtriusque coniunctam, vt fuit pro tempore præterito, sicut & ipsa obiecta coniuncta.

24 *Dubium ex textu.*

[m] *Ad aliud dico*, &c. Obscurum est quid refert particula *aliud:* quamuis doctrina in se sit clara, & præterea dubium est cui respondet prima conclusio præmissa; quia in vtraque hac conclusione assignatur doctrina vniuersalis, ex qua reconciliari possunt authoritates omnes præmissæ, vel quæ dicunt in solo intellectu esse memoriam, vel quæ dicunt in sola parte sensitiua inesse: quamuis ergo Tartaretus, & Marginistæ Doctoris citent Henricum tanquam impugnatum à Doctore, forma tamen differendi non est Henrici in loco *suprà* citato, licèt neget memoriam esse in anima separata, ad quam requirit habitum, & phantasmata: videtur tamen textus Doctoris alicuius sententiam referre, & modum differendi, qui mihi non occurrit. Cæterùm Doctor differit ad vtrumque extremum in præmisso paragrapho, nunc probans memoriam intellectiuam, nunc sensitiuam; discursus ipse clarus est. In hoc autem paragrapho primùm resoluit in quo differat memoria intellectiua, & sensitiua. In hac autem conclusione, qualis sit dependentia vtriusque ad inuicem. Dicit ergo quòd sensitiua operari possit sine intellectiua, vt patet in brutis.

Sensitiua operari potest sine intellectiua. Non ita intellectiua cōiuncta sine sensitiua.

Dicit secundò, quòd intellectiua nequeat operari siue sensitiua in anima coniuncta, propter dependentiam vniuersalem potentiarum in operando concomitanter. Non dicit ergo Philosophus quòd memoria intellectiua benè, vel malè operetur ex eo, quòd non conseruet speciem, quia semper est retentiua speciei, sed nequit operari quando deperditur species in memoria sensitiua, sine qua nequit operari ex prædicta coniunctione.

25 *Speciem manere in intellectu.*

[n] *Hoc probatur primò*, &c. Subiicit duas rationes, quibus probat speciem semper manere in intellectu. Prima est à remotione causæ, ex qua sequitur eius destructio in memoria sensitiua: quia organum subiectum est causis materialibus, à quibus patitur, & mouetur, ideò Philosophus diceret speciem eius destrui ex immutatione subiecti corruptiua, vel inordinata. Sed intellectus est incorruptibilis, & immaterialis non subiectus tali motioni destructiuæ; ergo conseruat speciem. Secunda ratio est, quia quando aliquis reminiscitur, necessariò habet apud se aliquid, per quod illud esse sciat, cuius priùs meminit, & pòst oblitus est, vt argumentum procedit de seruo fugitiuo suprà præmissum: sed illud non est species sensitiua, quæ destructa est, vel ita debilitata, vt non possit excitare potentiam ad actum recordandi: ergo probabile est quòd illud sit species remanens in potentia intellectiua; quando ergo recuperatur, vel intenditur species, quæ decidit in memoria sensitiua, vel debilitata intenditur, ita vt possit mouere potentiam, tum scitur illud fuisse obiectum aliàs memorialiter notum per collationem ad speciem intelligibilem manentem. Hoc argumentum est à posteriori, & ab ipsa experientia.

26 *Obiectio. Intellectiua supponit sensitiuam.*

Ad maiorem declarationem illius obiicies: Nequit intellectus reminisci, nisi vt excitatus à memoria sensitiua, neque habere actum, nisi sensitiua etiam habeat actum suum: sed deperdita specie

specie saltem, vel ita debilitata, vt non possit mouere potentiam, nequit recuperari actus memoriæ in potentia sensitiua; ergo neque reminiscentia in intellectu. Probatur minor, quia memoria sensitiua, vt dicit in prima conclusione, est obiecti tam remoti, quàm proximi præteriti: sed si ex toto deleta est memoria, seu species obiecti vtriusque in sensu, nequit recuperari; ergo neque etiam sequitur actus reminiscentiæ. *Vrgetur, & deducitur difficultas.* Probatur subsumptum, quia recuperatio speciei repræsentantis obiectum in ordine ad illam determinatam differentiam temporis, quæ ipsum tempus repræsentat, nequit haberi per collationem phantasmatum, quia quantumlibet conferantur, nequit ex ipsis haberi species, aut actus repræsentans præteritum tale determinatum cum reliquis circunstantiis, aut conditionibus indiuiduantibus, quæ specificant tam speciem, quàm actum ipsum memoriæ sensitiuæ, sed aliquod mixtum ex diuersis rationibus quæ in re ipsa concurrunt, aut saltem non concurrerunt ad speciem perditam per modum obiecti præsentis, & existentis determinatè in tali differentia temporis, loci, & aliarum conditionum, siue vt motiui, siue vt terminatiui speciei, aut actus memoratiui. Nequit etiam haberi talis species ex operatione intellectus, quia neque influit in phantasiam physicè; neque etiam potest exire in actum reminiscentiæ, nisi priùs fuerit recuperata species in phantasia. Nequit tertiò recuperari species per actiuitatem ipsius obiecti recurrentis, & applicati extrà, quia nequit applicari secundùm easdem conditiones, saltem temporis, quod fluxit, & nequit naturaliter restitui: ergo à primo ad vltimum, species deperdita in sensu nequit recuperari eadem, licèt obiectum denuò applicetur in alio tempore, quia applicatum producet speciem sui cum ordine ad illud tempus determinatum, & consequenter imaginationem sui, non verò memoriam. *Remissum nō posse intendi.* Eadē est ratio, si species fuit debilitata, aut remissa ad eum gradum, qui non sufficiat ad motionem potentiæ, quia species ab iisdem causis intenditur, à quibus producitur, & quæ sunt causæ eius priores essentiales: sed producitur ab obiecto in tali differentia, quæ nequit applicari: ergo ab eo solo nata est intendi.

27 *Responsio. Quid sit reminiscentia.* Respondetur, reminiscentiam esse iteratam memoriam, ex Philosopho in libro illo de Memoria, & Reminiscentia, & in hoc eam distingui à memoria, quòd sit restitutio memoriæ lapsæ, ideóque soli intellectui competit, ex Philosopho *suprà* citato, & ex Auicenna *6. naturalium, part. 5. cap. 3.* vnde dicit eam fieri per syllogisationem, & negat desiderium eius esse in bruto: ideóque soli homini competit secundùm id, quod differt à bruto, differt autem secundùm intellectum, & appetitum rationalem, cuius est reminiscendi appetitus, & non secundùm quod conuenit cum bruto in appetitu sensibili, aut cognitiua correspondente. *Memoria lapsa in brutis non restituitur.* Vnde experientia docet etiam in brutis quando labitur memoria, non restaurari, ideóque cicur factum indomitum amplius non memoratur præteritorum, aut disciplinæ, vt ita dicam, neque etiam patronorum, quibus aliàs obsequebatur, quod prouenire videtur ex eo, quòd species priores sint deletæ. Quamuis autem aliqui statuunt in sensitiua hominis quoddam iudicium, & discursum imperfectum, ob connexionem eius cum intellectu, quamuis hoc etiam, vt suo loco differitur, sit falsum; tamen longè dispar est à iudicio, & reflexione intellectus, & compositione, quæ fit per diuersos actus, & interueniente abstractione fit, quia in sensitiua quidquid cognoscitur hoc modo, cognoscitur tantùm directè, & per apprehensionem coniunctorum, non per apprehensionem veritatis, aut causæ veritatis, aut coniunctionis inter extrema, aut sequelæ, sed merè apprehenditur vt coniunctum directo actu, ad quem plures species concurrunt, eóque modo quo ipse intellectus apprehendit actu simplici plura coniuncta, quibus neque eo actu adhæret per iudicium, aut discursum; neque in sensitiua hominis admitti debet aliquis actus, qui non sit in sensitiua bruti ex natura sua; nam quòd coniungatur intellectui in homine, non dicit ex hoc modum cognoscendi, diuersum ab eo, quem habet in bruto, licèt ex colligatione ad intellectum nunc ad hæc, vel alia phantasmata conuertitur, circa quorum obiecta in particulari, aut vniuersali negotiatur intellectus, aliàs non apparet ratio cur etiam in somno non iudicaret, aut discurreret, sicut imaginatur. *Non esse iudicium formale in sensu.*

Aduertendum est itaque, reminiscentiam duobus modis contingere. Primò, quádo est quidem species in se non deleta in phantasia, quamuis hîc & nunc non occurrit, neque excitatur virtute ipsius phantasiæ, aut ex propria virtute, quia remota ab acie eius, loco: vel certè quia phantasia distrahitur per alia fortiùs mouentia, ipse autem intellectus vehementiùs operans, & inquirens reminiscentiam præteriti, discurrens per varia obiecta, & species, trahit secum phantasiam ex colligatione, aut subordinatione præmissa, & imperio voluntatis sic determinantis ad talem inquisitionem memoriæ repetitæ, vt per singularia, & varia obiecta operetur, circa quæ intellectus negotiatur, donec occurrat species illa quæ sopita fuit, & mediante ea cognoscatur præteritum, vt præteritum, ab ipsa phantasia, non aliter, quàm aliàs cognitum, quia non aliter repræsentat species suum obiectum, quo casu phantasia verè memoratur, sicut priùs; non autem rememoratur, id est, non fertur in obiectum quatenus memoria eius lapsa est, sicut fertur intellectus; sed fertur directè tantùm circa illud, quod in specie repræsentatur, quæ sicut non variat modum repræsentandi, ita etiam neque phantasia cognoscens mediante specie modum operandi: itaque reminiscentia propriè dicta hoc modo est solius intellectus, qui fertur non solùm in obiectum vt præteritum, sed etiam in memoriam, vt lapsam, & rediuiuam, quod est propriè reminisci; non autem solùm frequentare actum conuenientem mediante specie, vt est præteriti, sicut contingit quando illa eadem species sæpiùs mouet ad memoriam frequentatam, quæ non dicitur propriè reminiscentia. Vnde Philosophus de Memoria, & Reminiscentia, cap. 4. dicit, *Reminiscens, & inuestigans corporeum aliquid mouet, in quo passio est,* &c. id est, fatigatio, nempe phantasiam, dum inquiritur memoria lapsa, per quam inquisitionem phantasia patitur. 28 *Duplex modus reminiscendi.* *Primus modus.* *Per excitationē speciei.*

Secundo modo contingit reminiscentia, quando ex toto deleta est species in phantasia obiecti præteriti, remanet autem species in intellectu; tunc autem potest contingere reminiscentia 29 *Secundus modus reminiscendi.*

Ad reminiscentiam sufficit obiectum de nouo occurrere sensui.

centia in intellectu solo, si obiectum iterum applicatum causat speciem sui in phantasia, per quam cognoscat illud in se præsens, licèt non vt obiectum memoriæ, seu præteritum, quia hic actus nequit esse in phantasia, deficiente specie priori: apprehensio autem intellectus sequens imaginationem obiecti præsentis excitat speciem rememoratiuam obiecti in intellectu ex conuenientia obiecti, & tunc reminiscitur intellectus illius obiecti, vt cogniti aliàs in aliis circunstantiis, cuius memoria excidit in phantasia.

Recuperari posse speciem lapsam.

Probabile etiam est tunc causari speciem consequentem eius in memoria sensitiua, ex collatione obiecti absolutè cogniti ad illas circumstantias, quas cognoscit intellectus vtendo aliis speciebus: nam sicut intellectum sequitur phantasia aliquando in compositione circa singularia respectiuè ad vniuersalia, quæ componit intellectus, & quorum nulla per se fuit aliàs compositio, aut species propria extremorum in ipsa ab obiectis in existentia causatis, aut aliàs applicatis sensui externo; ita etiam species, & sensatio obiecti, cuius deleta est memoria in sensu, concurrentibus aliis & ipsa sensatione, vt fit per consequentiam ad intellectus reminiscentiam, causant speciem determinatè repræsentantem idem obiectum, vt fuit sub actu pro tempore præterito.

Ratio & modus recuperandi speciē.

Probatur, quia siue datur aliquod iudicium in phantasia, siue non, saltem sequitur intellectum ex subordinatione potentiarum: & quando intellectus speculatur ex imperio voluntatis, phantasia phantasiatur; & quando intellectus componit, etiam similiter componit extrema: sed intellectus primò determinari potest à voluntate; ergo trahi consequenter phantasia ad phantasiandum, & compositionem ex colligatione potentiarum: ergo quando intellectus per apprehensionem obiecti iterum præsentis sensui, & collatione transit in actum reminiscentiæ, etiam phantasma habet comparationem proportionatam, ex qua causatur species repræsentans obiectum vt præteritum, & aliàs cognitum. Probatur consequentia, quia etiam somniorum in vigilia recordamur, & eorum species manet in phantasmate, tanquam præteritorum in iis circunstantiis, in quibus ex fluxu phantasmatum fuit compositio talium, & mixtio phantasmatum in ipsa phantasia in somno: ergo à fortiori quando in eadem fit similis compositio in vigilia, in qua maior est attentio potentiæ; etiam remanet species conformiter repræsentans in ipsa phantasia, vt etiam experientia constat, à qua magis deducitur argumentum in hac materia. Idem etiam dicendum de visionibus imaginariis in extaticis, in quibus manet memoria non solùm intellectiua, sed quædam proportionata in phantasia, vt patet in raptu Pauli, in quo intellectus sine dubio præiuit operationem sensus. Non est autem maior ratio hîc, quàm in cæteris, in quibus intellectus præit. Vnde etiam recurrit argumentum suprà factum in paragrapho præcedenti: quia intellectus recordatur actus scientifici præteriti, ad quem non excitatur à phantasia, quæ subsequitur in operando, & quæ nullam habuit, aut habere potuit memoriam talis actus, aut cognitionem, aut speciem.

30 Deinde, quando est memoria quædam confusa in intellectu de re præterita, quam in singulari desiderat cognoscere, inquisitio eius quoad memoriam sub ratione particulari incipit ab intellectu, donec perueniatur per viam inquisitionis ad memoriam eius singularem: ergo non est talis dependentia in intellectu ad phantasiam in operando, vt necessariò debeat semper præire phantasia, & excitare intellectum.

Non semper phantasia præit intellectum.

Antecedens probatur quia memoria confusa ideò contingit, quia cognoscitur sub aliqua ratione abstracta, vel sine conditione particulari eius aliqua, quæ fuit coniuncta, vt temporis, &c. Sed nequit hæc memoria confusa esse in phantasia, cuius species repræsentat particulariter obiectum cum omnibus circumstantiis; ergo solùm potest esse in intellectu: sed ex hac memoria confusa tanquam principio proceditur ad inquisitionem obiecti sub ratione particulari; ergo intellectus aliquo modo memoratur obiecti sine eo, quòd sit memoria eius in sensu, & ex tali excitatur memoria particularis in ipso sensu, quando excitatur species repræsentans obiectum sub ratione particulari, quà fuit obiectum sensus vt præteriti: ergo datur aliqua species manens in intellectu, quæ sit causa talis memoriæ confusæ.

Aliquandò memoriā esse in intellectu quando non est in sensu.

Dico autem illam speciem esse eam, quæ fuit impressa ab actu præterito intellectus, quæ mouet tantùm ad memoriam sub ratione abstracta actus præteriti, & non ad omnes eius circumstantias particulares, quod potest prouenire ex distractione intellectus non attendentis, & etiam ex impedimento sensus non memorantis; nec est hoc contra naturam speciei repræsentantis ipsum obiectum, vt non moueat semper ad omne illud, circa quod nata est mouere, modò moueat ad aliqua, quia intellectus distractus per alia fortiùs mouentia, non est tantæ capacitatis, vt ad singula in particulari perfectè, & determinatè applicetur; nam sicut speciem repræsentantem obiectum abstractè potest abstrahere à specie repræsentante obiectum respectiuè ad alia; sic etiam potest moueri ad cognitionem abstractam obiecti, & confusam, quamuis illa species aliàs in alia dispositione intellectus posset mouere ad rationem particularem obiecti, quando scilicet intellectus est impeditus: vnde quando plures simul cognoscit per diuersos actus imperfectiùs, & confusiùs ea cognoscit, quàm si per vnum tantùm applicaretur vni obiecto.

Ratio prioris.

Cæterùm illæ cognitiones imperfectæ, & confusæ causantur à speciebus repræsentantibus obiectum quodlibet perfectè: neque sufficit speciem esse motiuam intellectus perfectè, quantùm est ex se, nisi intellectus sit mobilis iuxta virtutem, & naturam speciei hîc, & nunc, vt etiam patet in reliquis causis naturalibus, & completæ virtutis respectiuè ad passa indispositа, in quæ nequeunt habere effectum completum, & commensuratum suæ virtuti: ita intellectus dispositus & impeditus circa alia obiecta, nequit recipere motionem perfectam huius, aut illius speciei, qualem reciperet sine tali impedimento.

Impeditus intellectus ne perfectè moueatur.

Deinde, quando intellectus corrigit sensum errantem, supposita prima apprehensione talis deceptionis, vt quando sensus est difformis obiecto, v. g. visio baculi in aqua, vt fracti, visio ignis, aut splendoris ex collisione vehementi palpebrarum, aut oculis clausis, quando acies oculorum soluitur ex visione luminosi, vt Solis; tunc intellectus vt sic, corrigit sensum per principia vniuersalia, & per speciem, & experientiam, quam habet ex operatione aliorum sensuum, 31

Intellectus corrigit errantem sensum.

Præit tunc phantasiam.

suum, quamuis tum non operentur circa idem obiectum, vt tactus circa baculum: & præit operationem omnem phantasiæ conformem rei, & quæ est sine deceptione: quia errorem primò & per se apprehendit, & diiudicat intellectus ex principiis notis, quem sequitur phantasia operando circa obiectum per alias species receptas aliàs per tactum. Ergo intellectus potest primò determinare, & excitare phantasiam ad operandum, & consequenter phantasia in operando non semper præit intellectum: ergo intellectus & conseruat species receptas, & potest iis vti antequam à phantasia, aut alio sensu excitetur ad operationem; sed non est maior ratio de vna specie, quàm de altera, quia æqualis est dependentia intellectus ad phantasiam in omnibus operationibus suis: ergo intellectus potest conseruare speciem in memoria, quamuis alia conformis decidat, & corrumpatur in phantasia, & consequenter potest illas species & reminiscentia eius recuperari in intellectu, absque eo quòd præcesserit reminiscentia in phantasia deperdita specie.

Et tunc excitat phantasiam.

Anima sensitiua recordatur præteritorum.

Deinde, nisi species reseruaretur in memoria intellectiua, vel ea reseruata nisi posset intellectus ea vti, deperdita memoria sensitiua, non posset anima separata recordari præteritorum: sed hoc est falsum, vt *infrà* patebit; ergo & illud ex quo sequitur. Ergo vt rectè Doctor, conseruatur species in memoria intellectiua ex natura sua, licèt pereat illa, quæ fuit correspondens in memoria sensitiua. Ex præmissis itaque colligitur quòd reminiscentia propriè dicta sit solius intellectus.

32 *Responsio ad obiectionē superiùs factam.*

Sequitur præterea responsio ad obiectionem præmissam; negatur ergo maior quoad primam partem: quoad secundam verò respondetur, quando species in memoria non deperditur, excitati per intellectum inquirentem, & applicantem consecutiuè modo iam declarato, phantasiam ad memoriam præteriti. Ad minorem, negatur cum consequentia, nam potest etiam species memoratiua recuperari in memoria sensitiua subsequenter ad inquisitionem, & reminiscentiam, quæ fit in intellectu: nam applicato obiecto de nouo, & apprehenso tam per sensum, quàm per intellectum, excitatur memoria intellectiua, quæ repræsentat ipsum vt præteritum, & ex hoc reminiscentia eius, vt etiam terminauit actum phantasiæ præteritum, qua posita, concomitatur actus in ipsa phantasia, quæ componit conformiter ad intellectum, sicut in aliis operationibus contingit eam componere componente intellectu: ex quo actu causatur species repræsentans obiectum, vt præteritum eiusdem repræsentationis, quæ fuit aliàs per speciem deperditam: sicut etiam contingit causari memoriam somniorum, quæ contingunt ex fluxu inordinato phantasmatum: ergo compositio illa in phantasia obiecti vt aliàs cogniti per sensum (inquantùm sic cognoscitur per intellectum, quem concomitatur, aut subsequitur phantasia in componendo eadem extrema, sicut vice versa intellectus sequitur compositionem phantasiæ) relinquit speciem memoratiuam in phantasmate, quæ sit memoria præteriti vt præteritum est. Ex quo patet ad probationes reliquas illius minoris; licèt enim non posset ab obiecto directè causari talis species, vt in aliis circunstantiis applicatur; potest tamen interueniente collatione phantasiæ, & apprehensione obiecti causari, quatenus illa collatio regulatur per intellectum non obiectiuè, sed vt trahentis phantasiam, vt operetur determinatè, circa id quod notum est intellectui particulariter. Per idem etiam patet ad illud, quod dicitur de intentione speciei remissæ.

Modus recuperandi speciem in phātasia.

SCHOLIVM.

Resoluit dari memoriam intellectiuam. Primò, quia conueniunt ei omnia requisita ad recordandum, relata n. 5. & 6. Secundò recordamur volitionum, & intellectionum, aliàs non possemus de his pœnitentiam facere, sed in hos actus non potest sensus. Tertiò, recordamur necessarij, quà tale, quod sensui non conuenit. & soluit auctoritates in contrarium.

17 o DICO ergo quantùm ad istum articulum, quòd in intellectiua est memoria, & actus recordandi propriè dictus: supposito enim quòd intellectus non tantùm cognoscat vniuersalia (quod quidem verum est de intellectione abstractiua, de qua loquitur Philosophus, quia sola illa est scientifica) sed etiam intuitiuè cognocat illa, quæ sensus cognoscit, quia perfectior & superior cognoscitiua in eodem, cognoscit illud, quod inferior: & etiam quòd cognoscit sensationes (& vtrumque probatur per hoc, quòd cognoscit propositiones contingenter veras, & ex eis syllogizat: formare autem propositiones, & syllogizare, proprium est intellectui: illarum autem veritas est de obiectis vt intuitiuè cognitis, sub ratione scilicet existentiæ, sub qua cognoscuntur à sensu) sequitur quòd in intellectu possint inueniri omnes conditiones priùs dictæ pertinentes ad recordari: percipere enim potest tempus, & habere actum post tempus, & sic de cæteris.

p Et potest breuiter recordari cuiuscumque obiecti, cuius potest memoria sensitiua recordari, quia potest illum actum, qui est proximum obiectum intuitiuæ, cognoscere quando est, & ita recordari postquam fuit; Potest etiam recordari multorum obiectorum proximorum, quorum non potest sensitiua recordari, vtpotè omnis intellectionis, & volitionis præteritæ. Quòd enim talium recordetur homo, proba-

tur, quia aliàs non poſſet pœnitere de malis volitionibus, nec præteritam intellectionem vt præteritam conferre ad futuram, nec per conſequens ex eo quòd iſta ſpeculatus eſt ordinare ſe ad ſpeculandum alia ſequentia ex iſtis: & breuiter omnia deſtruuntur, ſi intellectionum, & volitionum præteritarum non recordamur.

Intellectionum, volitionum, & neceſſariorũ per ſolum intellectum recordamur.

Iſtarum autem non poteſt aliquis ſenſus recordari, quia non cadunt ſub obiecto alicuius ſenſus: ergo illa recordatio eſt propria intellectui, & hoc ratione obiecti proximi. Eſt etiam alia propria, non ſolùm ratione obiecti proximi, ſed remoti, vt recordatio, quæ tendit, in neceſſarium, vt neceſſarium, vt in obiectum remotum, cuiuſmodi eſt recordatio habens pro obiecto remoto triangulum habere tres: nam obiectum proximum recordationis, ſcilicet actus tendens in tale obiectum, non poteſt eſſe niſi actus partis intellectiuæ.

Sic ergo patet quòd aliqua recordatio eſt propria intellectui ex ratione vtriuſque obiecti actus, ſcilicet tam proximi, quàm remoti: aliqua etiam ratione obiecti proximi eſt: ita propria, quòd non poſſet competere ſenſui aliqua ex ratione obiecti proximi competit intellectui, tamen poteſt competere ſenſui, vtpote ſi intellectus intuitiuè intellexit me videre album, poſtea intellectus recordatur me vidiſſe album. Hoc quidem obiectum proximum, & remotum poſſet eſſe obiectum recordationis non ſolùm ſenſitiuæ, ſed etiam poteſt eſſe obiectum recordationis intellectiuæ, & eſt, quandocunque fit collatio ex tali recordatione per diſcurſum ad aliud ſyllogiſticè concludendum: alicuius tamen ſenſitiuæ, vtpote ſupremæ, ſenſatio præterita non poteſt eſſe obiectum proximum, niſi tantùm recordationis intellectiuæ, vt tactum eſt in articulo præcedenti. 18

Innuit ſolutionẽ auctoritatum adductarũ. num. 14.

[q] Nulla tamen recordatio pertinet ad intellectum, inquantùm eſt præcisè abſtractiuè intelligens, nulla etiam, ex hoc, quòd pertinet ad intellectum, requirit duplicem præteritionem, ſcilicet in vtroque obiecto; nulla etiam pertinet ad intellectum tanquam primariè, & radicaliter ſufficientem ad recordandum propter has tres conditiones, vel aliquam earum, intelligendæ ſunt, vel exponendæ omnes auctoritates Ariſtotelis, & aliorum negantium in parte intellectiua memoriam. Quando [r] enim obiicitur contra ſecundam rationem in illo articulo, quæ procedit ex actu reminiſcendi, per hoc, quòd Philoſophus ponit reminiſcitiuos, & non reminiſcitiuos ex diſpoſitione organi; patet ex dictis, & ſpecialiter ex tertia conditione, & explicatum eſt ſatis ſuprà.

Reminiſcentia petit obliuionem nõ totalem, ſed quòd phantaſma ſit debilitatum, quod reſtauratur collatione vel ſimilis vſu. & 9. Trin. cap. 6. ſ. 1. de Anima.

[s] Ad illud de ſeruo fugitiuo, eſt ſolutum, ſi verum eſt quòd ſpecies intelligibilis ſemper manet, & ſenſitiua aliqualiter perdita per collationem quandam, vel vſum aliarum ſpecierum ſimilium recuperatur perfectè. Tunc enim ſcitur iſtud nunc recordatum eſſe illud quod priùs, vel poſt fuit recordatum, & pòſt oblitum, per ſpeciem quieſcentem in intellectu: ſicut ſi ſpecies Petri viſi quieſcat in virtute phantaſtica, licèt nunquam vtar illa, poſtea tamen occurrente Petro viſui, ſtatim cognoſco ipſum eſſe Petrum per collationem ad hanc notitiam intrinſecam, ſecundùm quod docet Auguſtinus 8. *de Trin. cap. 6.* Si autem nihil poneretur remanere in tali obliuione, per collationem ad quod poſſet ſciri illud eſſe, quod reminiſcendo quærebatur; non videtur quòd in fine poſſet ſciri illud eſſe, magis quàm de ſeruo fugitiuo ignoto.. 19

[t] Ad aliud, quòd ponitur habitus phantaſiæ, ſaltem non habetur ex hoc, niſi quòd de memoria ſenſitiua: quòd enim præter illam ſit alia, quæ eſt firmitas intellectus in illo libro; patet, vbi dicit ſcientiam, aut ſenſum, cuius habitum dicimus eſſe memoriam, ſcientiam pro intellectu, ſenſum pro phantaſia, cuius priùs dixit memoriam eſſe habitum. Iſta tamen auctoritas quæreret expoſitionem, ſi poneretur memoria ſenſitiua diſtincta potentia: ſed non eſt ad propoſitum hìc de hoc diſcutere.

Quod adducitur de Dam. *ſubſtantiæ ipſorum memoriam non habemus:* verum eſt, vt obiectorum præteritorum: & ſic non eſt recordatio eorum, quæ requirit duplicem præteritionem.

COMMENTARIVS.

3 *Concluſio principalis. Dari memoriã in parte intellectiua.*

[o] D*Ico ergo quantùm ad iſtum articulum*, &c. Hæc eſt concluſio principalis huius articuli, quæ ex dictis deducitur, nempe dari memoriam in parte intellectiua propriè dictam, eámque tenet expreſsè Auguſtinus per plura capita *lib. 10. Confeſſ. à c. 8. vſque ad 19.* Contrariam ſententiam tenet D. Thomas variis in locis, potiſſimùm *1. part. q. 89. art. 6.* vbi de hoc diſſerit in terminis, *& 2. contra Gentes, cap. 74.* vbi tenet intellectum quidem eſſe conſeruatiuum ſpecierum, & quantùm ad hoc dari in eo memoriam, quia tamen illæ ſpecies repræſentant tantùm naturas vniuerſales, & non ſingulares, id eſt cum

Sententia D. Thomæ. Negatiua.

cum conditionibus determinatis, loci, temporis, & huiusmodi, circa quæ versatur sensus, non esse memoriam præteriti vt præteriti, in intellectu, cuius obiectum est vniuersale, quod abstrahit à talibus conditionibus. Priori loco in responsione ad secundum, dicit intellectum posse actum suum singularem, & se intellexisse, non tamen sub ratione præteriti determinata: vbi Caietanus dicit cognosci præteritum sub ratione præteriti in actu signato, non verò in actu exercito, quod est dicere, cognosci præteritum sub ratione vniuersali, & abstracta, non verò vt hîc, & nunc. Idem docuit Albertus *in Summa de homine tract. de memoria*, aliíque discipuli D. Thomæ in prædicta loca.

Declaratur.

34 Conclusionem Doctoris tenent plures tam moderni, quàm antiqui, quos infrà citabimus, eámque teneret D. Thomas, si admitteret intellectum nostrum cognoscere singularia in re ipsa existentia cum suis conditionibus indiuiduantibus hîc, & nunc; dicit enim conseruari species in intellectu, sed earum repræsentationem, esse abstractam à conditionibus prædictis: quia repræsentant tantùm vniuersale, quod est obiectum intellectus, & non singulare, sed solius sensus, ac proinde datur species eius in sensu, cuius est obiectum, non verò in intellectu. Tota ergo concertatio reducitur ad fundamentum vtriusque sententiæ: nam Doctor ex hoc probat dari memoriam in parte intellectiua, quia cognoscit singulare, & quidquid à sensu cognoscitur, & secundùm modum, quo cognoscitur, ac proinde habet speciem eius.

Sententia affirmatiua Doctoris.

Fundamentum controuersia.

D. Thomas 1. *part. quæst.* 12. *art.* 4. *quæst.* 84. *art.* 7. *quæst.* 85. *art.* 1. docet quiditatem rei materialis esse obiectum nostri intellectus motiuum, saltem pro statu coniunctionis; *quæstione autem* 80. *art.* 1. *& quodlib.* 12. *q. in* 8. *qq. disputatis de Anima*, *art.* 20. admittit singularia cognosci ab intellectu nostro indirectè, seu reflexè, & non per speciem directè repræsentantem, sicut cognoscuntur vniuersalia. Ita etiam discipuli eius hanc sententiam defendunt, Caietanus citatus, Capreolus, *in* 1. *distinct.* 36. *quæst.* 2. *in solut. argumentorum Ferrariensis*, 1. *contra Gentes cap.* 65. *& lib.* 3. *de Anima quæst.* 13. Conimbricenses *in* 3. *de Anima cap.* 5. *quæst.* 4. problematicè licèt; hanc tamen vt probabiliorem, & magis Peripateticam, quam sequitur Aureolus *in* 1. *distinct.* 35. *quæst.* 4. *art.* 1. Argentinas *in* 4. *distinct.* 50. *quæst.* 1. *art.* 2.

Obiectũ motiuum intellectus vt in hoc statu est quiditas rei materialis iuxta D. Thom.

35 Conclusio Doctoris hîc est contraria, nempe dari cognitionem, & speciem directè repræsentantem singulare in intellectu nostro coniuncto, etiam in hoc statu. Intendit appellatione *singularis* rem existentem hîc, & nunc, & in hoc loco, prout Porphyrius sumit, & definit *singulare* per ordinem ad accidentia, quæ in re ipsa & existentia ei conueniunt; non autem intelligit *singulare* metaphysicè sumptum, prout de eo agit *in* 2. *distinct.* 3. quærens per quid indiuiduatur quælibet natura; & ibi negat cognosci determinatè à sensu pro hoc statu. Sententiam hanc tenet Richardus *in* 2. *distinct.* 24. *quæst.* 4. Durandus *distinct.* 3. *quæst.* 7. Gregorius *in* 1. *distinct.* 3. *quæst.* 1. Burlæus, & alij *in* 1. *Physicorum in textum* 49. vbi dicit Philosophus intellectum esse vniuersalium, sensum verò singularium. Suarez *lib.* 4. *de Anima cap.* 3. *& cap.* 1. Conimbricenses *cap.* 3. *de Anima cap.* 8. *quæst.* 5. Idem definitè docent Iandunus *quæst.* 11. Apollinaris *quæst.* 12. Probatur ratione Doctoris: superior & perfectior cognoscitiua in eodem cognoscit quidquid cognoscit inferior cognoscitiua, & imperfectior; sed sensus cognoscit intuitiuè singulare hoc modo sumptum, vt de eo disserimus; ergo & intellectus; nam sicut cognitio ipsa, quæ ad perfectionem spectat tribuenda est perfectiori, & superiori potentiæ, ita etiam modus cognoscendi, qui perfectionem dicit tribuendus est eidem. Probatur maior, quia ideò est aliqua potentia superior, & perfectior in eodem ordine, & genere, quia excedit in operatione, & modo operandi: ergo quidquid perfectionis est in cognitione, & modo cognoscendi sensus, tribui debet intellectui, si alioquin imperfectio quam excludit, cadit in potentiam superiorem.

Conclusio Doctoris.

Dari speciem & cognitionẽ rei singularis vt præsentis & existentis.

Probatio conclusionis.

Potentia superior cognoscit quidquid cognoscit inferior.

Probatur antecedens cum consequentia, potentia superior in eodem ordine dicitur, quia est vniuersalior quoad actum, & obiectum, vt patet de sensu interno comparato ad externum, qui fertur in obiectum singulorum, & actus, vt præsentes sunt, & vlteriùs non præsentes, & præteritos cognoscit. Patet etiam de intellectu Angeli, qui cognoscit perfectè res naturales, etiam sensibiles, sub propria ratione, & spirituales, & vniuersum genus entis naturalis: & quamuis ad hæc etiam se extendit intellectus humanus ex natura potentiæ: tamen ab Angelico exceditur in perfectione cognitionis. Item, intellectus diuinus infinitè excedit omnem cognitiuam creatam, ita vt si aliquod obiectum esset quod cognosceretur ab inferiori, & non posset cognosci ab Angelo, aut à Deo, sequeretur imperfectio in vtroque: ergo idem dicendum de intellectu nostro, vt comparatur ad sensum, non compati cum perfectione eius ignorare quod cognoscit, aut imperfectiùs attingere obiectum, quod perfectiori modo attingitur à potentia inferiori: sed perfectiùs attingitur obiectum per cognitionem intuitiuam, & in propria existentia, & vt præsens, quàm sub ratione vniuersali, & abstracta ab his: ergo hoc concedendum est intellectui sicut conuenit sensui. Patet subsumptum, quia ratio vniuersalis obiecti non accedit ad perfectionem singularis, & existentis cum aliis conditionibus indiuiduantibus in *esse* entis: ergo neque in *esse* intelligibilitatis, ideóque intellectui Angeli conceditur hic modus cognoscendi: ergo etiam intellectui nostro est concedendus, alioquin sine sufficienti fundamento limitatur eius perfectio: nam qui dicunt animam separatam non posse cognoscere per species etiam infusas, res superiores, aut inferiores, nisi conceptu confuso & imperfecto, ideóque coniungi corpori vt perfectiùs cognoscat, & in ipso corpore limitari ad solam quiditatem abstractam rei materialis, vt est sententia D. Thomæ, quoad vtrumque membrum satis arctant perfectionem eius, & sine sufficienti fundamento. Videtur enim retinere principia Philosophorum quorundam, qui errarunt circa virtutem intellectus, & modum cognoscendi per solam assistentiam intelligentiæ extrinsecæ, quamuis non conclusionem, eáque quæ illi differuerunt de modo intelligendi animæ per conuersionem ad superiora, & phantasmata accommodare ad virtutem innatam ipsius potentiæ

36 *Potentia superior dicitur quia vniuersalior quoad actum & obiectum. Exempla.*

Perfectior est attingentia obiecti sub ratione propria, quàm sub ratione communi.

Vilificari intellectum humanum ex opposito.

Error Philosophorum nõ satis correctus.

tentiæ intellectiuæ, & in hoc tantùm corrigere eorum errorem.

37 *Inconueniens aliàs deductum.* Ex vtroque autem modo philosophandi de anima coniuncta, & separata, sequitur intellectum eius non attingere obiectum suum in particulari, & sub ratione vltima essendi, quæ est singularis & existens, sed sub conceptu tantùm confuso: *confuso* dico, quia licèt attingat sub conceptu abstracto quiditatis,& distinctè:tamen vt hic conceptus comparatur ad ipsam rei actualitatem, est imperfectus rei, & confusus, non attingens vltimum eius gradum, & perfectionem in ordine, ad quem dicitur esse ens, nempe vt actu existit, vel possit existere.

Confirmatio prima. Confirmatur ergo ratio prædicta, primò. Intellectus secundùm naturalem inclinationem nata est habere naturalem finem, in quo perficitur, & beatificatur beatitudine naturali, prout existit finis ille in re ipsa: ergo nata est attingere finem illum in re ipsa. *Intellectus est aliquis finis naturalis in re ipsa.* Antecedens suppono, quia operatio, virtus, & media operandi, concessa sunt intellectui, vt attingat finem aliquem extrinsecum, à quo in re ipsa potest perfici; ergo ille finis debet esse possibilis attingi, vt in re ipsa est, aliàs non sufficienter beatificaret intellectum, aut satiaret eius appetitum. Patet consequentia, quia intellectus vt eleuatus, respiciens finem supernaturalem non beatificatur, nisi vt in re ipsa coniungitur fini per visionem eius: ergo appetitus etiam naturalis eius nequit satiari in via, nisi etiam coniungatur fini: sed finis eius in via est eius obiectum, nam ille est finis potentiæ, circa quod vltimatè tendit, & cui vnitur: ergo potest vltimatè attingere obiectum in via secundùm quòd in se est in essendo, & consequenter si obiectum eius est res materialis, potest illud in re ipsa attingere, vt existens, & non solùm per conceptum confusum, & abstractum secundùm rationes vniuersales.

38 *Responsio.* Dices finem naturalem intellectus esse cognitionem substantiarum separatarum, & veritates necessarias, quæ sunt abstractæ.

Impugnatio. Contrà, si ille finis est ex natura potentiæ: ergo eius appetitus naturalis exigit coniungi tali fini in re ipsa, & secundùm propriam rationem finis, vt attingibilis est naturaliter, quod dico ad excludendum Deum, qui nequit in se naturaliter attingi, sed per eleuationem potentiæ. Et probatur consequentia, quia finis potentiæ satians appetitum eius nullus esse potest, nisi is, qui secundùm rationem propriam est talis, & vt in re est: ergo neque aliquid est ad finem vt ad finem, nisi sub ratione propria. *Conceptus vniuersalis nequit esse finis potentiæ.* Patet antecedens, quia in re ipsa debet supponi ad operationem potentiæ, vt est ad finem, loquendo de fine reali, ad quem est potentia, & de vero fine, cui ex se competit esse causa: sed concepus obiectiui, & vniuersales, non sunt ita in re ipsa ante operationem potentiæ, sed fiunt per ipsam eius operationem abstrahentem, vt maximè conceditur in sententia aduersa: ergo non possunt esse finis potentiæ prior ipsa eius operatione.

Potentia abstrahens cognoscit id à quo abstrahit conceptum. Deinde, omnis abstractio per operationem potentiæ supponit id, à quo fit abstractio, esse notum potentiæ sub ratione propria, antequam abstrahat rationem vniuersalem sibi, & aliis per collationem eorum: sed illud est singulare: ergo attingitur singulare ab intellectu abstrahente sub ratione propria. Probatur maior, quia potentia conferens aliqua determinata ad inuicem prout conueniunt, & differunt, debet ferri in vtramque rationem communem, & particularem, aliàs non cognosceret extrema prout extrema sunt conuenientiæ, & differentiæ: ergo cognoscens Petrum & Paulum conuenire in *esse* hominis, & differre in *esse* determinato Petri, & Pauli, necessariò agnoscit hoc esse, & principium, seu fundamentum differentiæ inter vtramque. *Conferens aliqua debet cognoscere extrema.* Ergo appetitus intellectus, vt fertur in illa extrema, nequit satiari, nisi cognitis extremis: appetitus, inquam, collatiuus intellectus, quo discernit inter ipsa extrema; nam virtus illa collatiua datur in ordine ad cognitionem extremorum in seipsis, cùm collatio ipsa se extendat ad differentiam extremorum. *Appetitus collatiuus est in ordine ad cognitionem extremorum.* Et sic etiam de aliis veritatibus abstractis, quæ communia sunt substantiis separatis, & enti materiali: nam licèt intellectus non attingat res spirituales sub ratione propria, inclinatur tamen ad hanc cognitionem, & eam habet extra præsentem statum separatus, ex quo appetitu etiam inclinatur ad abstractionem ab entibus materialibus, vt posset saltem in confuso attingere res spiritnales imperfectè secundùm rationes quasdam transcendentes, & pro differentia earum excludens imperfectionem materialium, & substituens negationes, vt vel sic attingat aliquem proprium conceptum ipsorum, qui nullo modo satiat appetitum potentiæ, quamuis in eo sistit; quia nequit vlteriùs progredi, ob imperfectum motiuum, & media cognoscendi inferioris ordinis: sed ex appetitu rectè cognoscitur finis per se potentiæ; ergo ex appetitu cognoscendi substantias spirituales sub ratione propria, rectè colligitur eas sub hac ratione cadere sub obiecto naturali potentiæ. *Idem patet ex modo quo intellectus inuestigat proprium conceptum substantiarum separatarum.*

E contra verò descendendo ad ens materiale, quando cognoscitur sub ratione propria, vt est hoc ens, satiatur perfectè intellectus, vt amplius non procedat inuestigando: ergo signum est cognoscere illud sub ratione propria, quà tale est, & existens. *Cessat inuestigatio entis materialis, quando cognoscitur sub ratione propria.*

39 *Confirmat. 2.* Secundò confirmatur eadem ratio; intellectus corrigit sensum vt *suprà* dictum est, v. g. visum operantem difformiter ad obiectum in re ipsa corrigit non solùm ex principiis vniuersalibus, sed ex particulari experientia, quam habet per alium sensum hîc, & nunc, vel aliàs habuit: sed corrigit cognoscendo deceptionem, vt est hîc, & nunc sensu: ergo cognoscit operationem sensus, vt fertur in obiectum in re ipsa, vt est difforme visioni: sed hoc repugnat, nisi cognoscat obiectum sub ratione propria, & prout in re est, & simul ipsam visionem difformem, vt difformis, & quà est visio repræsentans difformiter in *esse* visionis, qua attingit obiectum: ergo hoc cognoscit intellectus intuitiuè, prout hîc, & nunc, est obiectum, & prout visio se habet ad ipsum, & consequenter attingit vtrumque sub hac ratione propria hîc & nunc. *Intellectus corrigit sensũ errantem.* *Cognoscit operationem sensus.* Cognoscit prætereà intellectus operationem sensus externi hîc & nunc, & circa quod operetur, & quando, cum reliquis circumstantiis, & quando non operatur circa tale obiectum, & quomodo, si perfectè, si imperfectè. *Voluntas imperat sensui externo.* Aliàs nullum posset esse in voluntate imperium in sensum externum applicandum operationi,

operationi, aut remouendum, aut etiam apponere modum operationi, si intellectus non fertur tam in operationem, quàm etiam in ipsum obiectum, & modum operandi circa ipsum; neque satiari posset appetitus voluntatis imperantis dum in euentu ipsa sensus operatio ponitur, nisi intellectus tam operationem, quàm reliqua concurrentia eidem repræsentaret. Nullus etiam appetitus, aut amor, circa obiectum singulare posset innasci in voluntate, nisi intellectus hîc & non proponeret obiectum illud vt præsens est, vel absens, iuxta modum, quo voluntas in ipsum tendit per fruitionem, aut desiderium. Item, intellectus non posset discernere inter Petrum & Paulum indiuidua, nisi vtrumque cognosceret secundùm conditiones suas indiuiduales, hîc, & nunc præsentes, nullam posset habere experientiam ab effectu de aliqua re in particulari, & à posteriori per operationem, nisi cognosceret rem ipsam, & operationem, vt ab ea procedit hîc, & nunc, & vniuersim concidit omnis inuentio ab effectu ad causam, si intellectus nequit vtrumque vt hîc & nunc coniuncta, neque posset figuram hanc discernere ab alia, vt quadrangulum à triangulo, si intellectus non cognosceret indiuiduum sub sua determinata ratione hîc & nunc existens.

Amor est in voluntate, & appetitus obiecti singularu.

Intellectus cognoscit differentiã indiuiduorum.

Colligit per experientiam conclusionē.

40 Dices intellectum cognoscere ista in phantasmate.

Responsio.

Impugnatio.

Contrà, intellectus nequit cognoscere per phantasma tanquam per medium cognoscendi; ergo requirit, vel ipsum esse obiectum concurrere, vt est præsens; vel certè aliquam eius speciem, quæ sit principium talis cognitionis: quia si aliàs immediatè ipsum phantasma moueret intellectum possibilem ad talem cognitionem, etiam obiectum in re præsens sic mouere posset.

Responsio.

Dices, cognosci illa in phantasmate tanquam in ratione cognoscendi cognita.

Impugnatio.

Contrà, si ipsum phantasma repræsentat obiectum in se præsens, & simul actum sensus externi, vt fertur in obiectum cum omnibus circumstantiis temporis, loci, & situs, &c. & intellectus fertur in phantasma tanquam in rationem cognitam, vt est sic obiecti; ergo intellectus fertur in obiectum sub ratione propria, qua terminat sensum, & consequenter illud cognoscit, vt præsens est, & sub ratione propria, quod effugitur.

Deinde quæritur quid concurrit ex parte intellectus tanquam medium talis cognitionis eliciendæ, & quod repræsentat phantasma, seu obiectum in phantasmate? vel ergo species repræsentans obiectum sub tali ratione, aut ipsum phantasma vt fertur in obiectum: sed sic sequitur intentum, nempe intellectum & cognoscere singulare determinatum, vt in re ipsa est, & habere speciem sic repræsentantem. Patet sequela, quia cognoscit ipsum phantasma sub ratione sua singulari, vt est talis obiecti, & ipsum consequenter obiectum vt terminat phantasma repræsentans: vtrumque autem est singulare; ergo, &c.

Si intellectus cognoscit phantasma cognoscit singulare.

41 Dices speciem vniuersalem, quam habet intellectus, repræsentare vtrumque.

Responsio.

Impugnatio.

Contrà, hoc effugium est: quia si species vniuersalis repræsentat obiectum, vt in phantasmate est, perinde se habet quantùm ad intentum: quia sic sequitur intellectum cognoscere singulare sub ratione propria per talem speciem, non secùs ac cognoscitur ab Angelo per speciem infusam, quæ repræsentat naturam, & sua indiuidua existentia, vt statuit D.Thomas, quæ species in hoc etiam dicitur differre per se à specie impressa. Deinde species impressa intellectui, si repræsentat singulare, illud primò repræsentabit, & naturam secundariò vt abstractam. Hoc autem destruit fundamentum oppositæ, quo dicitur intellectus esse vniuersalium tantùm. Probatur antecedens, quia illa repræsentans indiuiduum determinatum, vt sit conformis rei nequit repræsentare aliquid, quod est in indiuiduo, nisi vt singulare est; ergo repræsentat totum, quod repræsentat, vt indiuiduum

Retorquetur responsio.

Indiuiduum cognosci quà tale est.

Dices, indiuiduum cognosci tantùm indirectè, per accidens, vt alij dicunt, vel reflexè. 42

Responsio.

Contrà, nequit intellectus ex reflexione in aliquem suum actum cognoscere indiuiduum, si nullus actus eius sit indiuidui, vt obiecti: ergo, &c. Probatur antecedens, si intellectus nequit cognoscere indiuiduum, quia tantùm est vniuersalium ex natura sua, & modo determinato cognoscendi; neque species vlla intellectus repræsentet directè, & per se indiuiduum, cùm repræsentatio expressa actus intellectiui sequitur modum repræsentandi obiectum, & in illud tantum fertur, quod tantùm repræsentatur in specie, sequitur nullum actum directum intellectus repræsentare indiuiduum; sed actus reflexus intellectus, vt fertur in directum, tantùm cognoscit ipsum actum directum, & obiectum quod repræsentat hæc reflexio, nequit repræsentare indiuiduum determinatum, de quo quæritur.

Quid sit reflexio, & quid per eam cognoscatur?

Dices cum D.Thoma, reflexionem fieri super ipsum phantasma, cognita priùs natura vniuersali, & sic cognosci indiuiduum in phantasmate. Ita docet *q.2.de veritate, art.6.* 43

Responsio.

Contrà, redit ratio iam præmissa: quia nequit intellectus moueri ad reflexionem, nisi ex aliquo, quod sit cognitum tanquam ex noto, vel per medium cognoscendi incognitum; quidquid hoc secundo modo intelligit, intelligit directè, & non reflexè: priori autem modo nequit sic reflectere. Quod probatur, quia illud notum est tantùm natura vniuersalis, & indifferens ad omnia, quibus conuenit, & quæ potentia tantùm passiua, vt ita dicam continet inferiora, & non actu, aut intelligibilitate: sed talis ratio indifferens formaliter nequit determinare intellectum ad cognitionem determinatam, & expressam huius indiuidui determinati magis quàm alterius, neque etiam esse ratio cognoscendi aliquod determinatum: ergo, &c. Deinde redit ratio, per quam *suprà* hanc responsionem reiecimus.

Impugnatio.

Reflexio non excedit suum motiuum.

Hinc excluditur modus dicendi Soti 1.*Physic. quæst. 2. art. 2.* qui dicit intellectum determinari ad cognoscendum indiuiduum, vt cognoscitur à phantasia. 44

Modus dicendi Soti.

Contrà, non per speciem vniuersalem, neque per obiectum eius; quia vtrumque est impossibile: ideò enim nequit directè repræsentare indiuiduum ex propria, & intrinseca determinatione speciei, quæ est sua repræsentatio; quia species est obiecti, vt abstrahit, & nullam dicit connexionem actu ad indiuiduum determinatum, aliàs repræsentaretur vt actu in indiuiduo, & vt singularis sine abstractione: ergo determinatio nequit esse per speciem, aut impressam, aut expressam, quæ vniformes sunt obiecti in repræsentando,

Impugnatur.

Cognitio indiuidui in phantasmate nequit subsistere.

ſentando, nequit eſſe à ſolo intellectu, aut virtute eius, aliàs intelligeret ſine concurſu obiecti: nequit eſſe à phantaſmate, quia huic negatur concurſus immediatus in intellectum poſſibilem, & ſolùm admittitur concurſus eius ad ſpeciem illam vniuerſalem, cooperante intellectu agente: ergo nequit illa determinatio ſubſiſtere ad cauſam vllam, à qua ſit, neque conſequenter intellectio indiuidui, tenendo intellectum eſſe ex natura ſua tantùm vniuerſalium. Accedit quòd ſi intellectus quocunque actu ſuo cognoſcit indiuiduum, vt eſt in phantaſmate, vel præſens, vel præteritum, cognoſcat indiuiduum ſub ratione propria, & in ordine ad tempus determinatum: quia ſic repræſentatur in phantaſmate: ergo ille actus relinquit ſpeciem ſui in memoria intellectiua, ſicut cæteri actus intellectus; & conſequenter datur ſic memoria præteriti in intellectu, quod eſt intentum principale, & concluſio, quæ negatur. Probatur conſequentia, quia actus reflexus poteſt eſſe intenſus, & cum vehementi attentione potentiæ; & licèt ſit reflexus, non refert, quia eſt directus ſui obiecti, licèt dicatur reflexus, quia eſt actus alterius potentiæ ex aliquo noto: nam intellectus per plures collationes ex obiectis, & principiis notis cauſat plures notitias, quarum ſpecies manent in ipſo, vt memoria eſt. Ergo etiam huius actus poteſt eſſe ſpecies in memoria, quæ repræſentabit actum vt fuit ſingularis pro tempore præterito præſentis, & conſequenter erit vtriuſque obiecti tam remoti, quàm proximi vt præteriti; quod ad intentum noſtrum ſufficeret: quamuis nulla ſit ratio magis aſſerendi cognitionem indiuidui fieri in intellectu, quàm etiam ſpeciem: quia ſicut talem habet in memoria ſenſitiua, & imaginatione, poteſt habere in intellectu: ideò negatur in intellectu, quia nequit cognoſcere ſingulare, vt tale, quod ſolum reſpiciat vniuerſale.

45 *Reſponſio aliorum.* Dices cum aliis cognoſci ſingulare cognita tota collatione accidentium eius.

Impugnatio. Contrà, quæritur de modo, & medio cognoſcendi? in primis vel cognoſcuntur accidentia vt ſunt reipſa in indiuiduo, & ſic cognoſcuntur vt ſingularia, & vt in propria exiſtentia ſunt, vel fuerunt, & ſic datur intentum; vel cognoſcuntur tantùm ſub ratione vniuerſali, & indifferenti, & ſic cognoſcendo non cognoſcitur indiuiduum determinatum, neque accidentia, vt inſunt in indiuiduo tanquam conditiones indiuiduantes eius: ergo neque indiuiduum: ſed ex parte intellectus, niſi habeat medium cognoſcendi repræſentans accidentia priori modo, nequit cognitio determinati indiuidui fieri, neque accidentia cognoſci, vt ſunt indiuidui, ſed tantùm ſub ratione vniuerſali, & compoſitio facta per intellectum non fit ex motiuo ſufficienti determinatè ad cognitionem indiuidui determinati, ſed illa compoſitio reſpicit aliquid poſſibile & indeterminatum, quod nihil facit ad propoſitum. *(Non cognoſci indiuiduum per ſolam cognitionē accidentiū ſub eſſe vniuerſali.)*

Reſponſio Caietani. Hinc excluditur reſponſio Caietani de conditione indiuidui, aut præteriti in actu ſignato, & non exercito; nam ſi differentia illa ponatur ex parte obiecti, idem eſt actus ſignatus, & indifferens, aut vniuerſalis, & indeterminatus, quod eſt idem dicere ac non cognoſci indiuiduum hoc ſub determinata eius ratione; aut hanc differentiam temporis determinatam, ſed ſolùm ſub ratione vniuerſali, & confuſa. Si autem differentia aſſignata dicit modum ipſius, ſi vllus datur in exercitio, deſtruit ſeipſam: ſi verò dicat modum actus non ſecundùm entitatem, ſed ſecundùm repræſentationem, redit in primum membrum impugnatum.

Tertiò confirmatur ratio principalis. Hæc propoſitio & prædicatio in actu exercito, *Petrus currit nunc*, eſt vera illo currente; eſt falſa eo ſedente. Fit autem per intellectum; ergo cognoſcit copulam, prædicatū, & ſubiectum, & determinationem temporis poſitam ex parte prædicati, aliàs non poſſet formare propoſitionem, aut cōferre prædicatum ad ſubiectum per copulam, niſi apprehenſis extremis, & copula. 46 *3. Confirm.* *Prædicatio de indiuiduo vero.*

Præterea, agnoſcit determinatè veritatem, & falſitatem eiuſdem propoſitionis, quando determinatè vera, vel falſa eſt; ergo determinatè cognoſcit obiectum, vt in re eſt determinatè, vel non eſt. Patet conſequentia, quia aliàs non poſſet ignoto obiecto, vt eſt materia enuntiationis circa quam, iudicare conformitatem, aut difformitatem propoſitionis ad ipſum obiectum, ſi hoc eſſet ei ignotum, aut non cognitum vllo modo, neque conſequenter ſi propoſitio determinatè vera, aut determinatè falſa, ſed vel eſſet ei neutra, vt hæc, *Arenæ magis ſunt pares*, circa quam nullum format intellectus aſſenſum, aut diſſenſum ex defectu motiui. *(Cognoſcit intellectus veritatem & falſitatem talis propoſitionis.)* *(Propoſitio neutra.)* Ergo vt iudicet determinatè præmiſſam propoſitionem eſſe veram, aut determinatè falſam, habet ſufficiens motiuum cognitum: ſed hoc eſt ipſum obiectum vt in re eſt determinatè, vel non eſt, ex quo propoſitio participat ſuam veritatem, aut falſitatem modo dicto. Sed extrema huius propoſitionis ſunt ſingularia, vt ſingularia determinata, & modus etiam, ſecundùm quem limitatur, aut refertur prædicatum ad ſubiectum, ſeu menſura, ſecundùm quam dicitur ineſſe, eſt ſingularis, vt tempus præſens: ergo totum hoc cognoſcitur directè ab intellectu; ergo etiam veritas huius propoſitionis cognoſcitur ab intellectu, data veritate prioris cognita: *Petrus cucurrit*, nempe quando formatur pro tempore ſequente præteritum curſum Petri: ergo intellectus fertur in ſingulare, vt ſingulare directè, & memoratur etiam præteriti vt præteriti: quod experientia plana notiſſimum eſt.

Reſponſio. Reſpondent aliqui quòd ſubiectum huius propoſitionis: *Petrus eſt homo*, ſit in æſtimatiua, prædicatum verò in intellectu: ſed hæc reſponſio ſua abſurditate corruit: quia ſi intellectus non cognoſcit ſubiectum, nequit etiam cognoſcere prædicatum, vt eſt extremum propoſitionis, neque copulare, neque conſequenter iudicare de veritate propoſitionis, neque differentiam inter prædicatum, & ſubiectum cognoſcere, neque quando ineſt ſubiecto, vel non ineſt. *(Intellectus nō prædicat niſi de ſubiecto à ſe cognito.)* Deinde, nil iuuat iſta reſponſio, quia quando omnia limitantur ad ſingulare, tam ex parte ſubiecti ſingularis, quàm ex parte prædicati quoad menſuram & modum (vt ſi dicatur *Petrus nunc currit per hanc planitiem claudicans pede ſiniſtro ſuo*, &c. de cuius veritate cognoſcit, & iudicat determinatè intellectus) illa, inquam, reſponſio nullum habet locum.

Ex his ergo omnibus patet ratio prima Doctoris, nempe concedendam eſſe intellectui omnem perfectionem potentiæ inferioris, & attingere omne eius obiectum, & actus, ea perfectione cognitionis, qua cognoſcuntur ab ipſa inferiori, quia neque immaterialitas intellectus, & materialitas 47 *Sequela dictorum.*

materialitas obiecti obstant, quia sic etiam cognoscuntur à Deo, & Angelo; neque etiam imperfectio intellectus nostri, qua accedit ad perfectionem materiæ, vt forma eius, & mediat inter sensum, & intellectum Angeli, quia hoc potiùs probat contrarium, quia debet accedere ad vtrumque extremum, & vt est superior in homine cognoscere quidquid potentia inferior cognoscit, quam dirigit, & corrigit in suis actibus, & vlteriùs etiam participare modum cognoscendi superioris intellectus quoad perfectionem, qua excedit sensum: hoc autem ipsi competit quà cognoscit vniuersalia, & veritates abstractas, ac etiam ex natura potentiæ, vt non est impedita potest cognoscere separata res spirituales sub propria ratione, vt dictum est in quæstione præcedenti: neque cognoscere singulare materiale ipsi repugnat, quia spirituali actu illud cognoscit, cui non repugnat repræsentare materiale quà materiale est, aliàs sic repugnaret Angelum cognoscere rem materialem sub propria ratione; sicut ergo per actum cognoscit ipsum materiale, ita & per receptam speciem potest etiam exire in actum iuxta modum cognitionis quam habet.

48 *Dubiũ quomodo obiectũ materiale cõcurrat ad sui intuitionem cum intellectu.*

Sed petes, quomodo intellectus cognoscat intuitiuè ipsum singulare, aut rem materialem præsentem & existentem? Ratio difficultatis est, quia Doctor videtur in quæstione præcedenti, & locis ibi allegatis, negare cognitionem intuitiuam, & perfectam rei, vt est in se, fieri per speciem. Ex alia parte non videtur obiectum materiale in se esse proportionatum intellectui, vt immediatè concurrat ad cognitionem sui intuitiuam.

Resolutio. Obiectũ immediatè concurrere.

Respondetur, obiectum immediatè concurrere ad cognitionem sui intuitiuam, & sicut perfectius est attingere obiectum in se ipso, vt præsens est, & sic attingitur à sensu tam interno, quàm etiam externo, idem concedendum est intellectui ex principio supposito. Obiectum ergo quando est præsens potentiæ inferiori præsentia requisita, ita etiam est præsens potentiæ intellectiuæ, vt sufficiens motiuum eius, quamuis moueat subordinatè ipsas potentias, quod prouenit ex subordinatione ipsarum potentiarum; quia potentia superior supponit inferiorem esse in actu, vt phantasia sensum externum, vt visum: intellectus verò vtramque, & ideò obiectum seruat hanc subordinationem in mouendo. *Obiecti præsentia, & motio.*

49 *Obiectio.*

Dices, ergo etiam obiectum in se potest immediatè mouere intellectum ad species abstractiuè repræsentantes, & ad ipsam cognitionem abstractiuam sine specie, quod videtur contra Philosophos, qui dicunt intellectum agentem abstrahere species à phantasmatibus.

Responsio.

Respondetur concedendo consequentiã, iuxta ea quæ disseruimus in quæstione præcedente: quia intellectus agens non limitatur ad phantasmata; quamuis etiam à phantasmate abstrahere possit speciem, ideóque ponitur à Doctore in Angelo, & anima separata etiam sic abstrahere species immediatè à re materiali; quandocunque ego potest intellectus possibilis exire in actum immediatè circa obiectum, & intuitiuè ipso concurrente, potest etiam intellectus agens cum eodem obiecto producere speciem abstractiuè repræsentantem obiectum sub ratione propria. *Intellectum agentem abstrahere speciem abstractiuã ab obiecto viso.*

Ad rationem difficultatis respondetur.

Ad illud, quòd dicitur, hoc esse contra Philosophum, negatur: nam concedo intellectum agentem etiam abstrahere à phantasmatibus, quamuis non ab iis solis: abstrahit autem speciem à phantasmatibus, quoties non habet scientiam experimentalem de re ipsa, sed eam cognoscit per viam doctrinæ, aut alia via, & non per experientiam rei in se ipsa, & vt plurimùm ita contingit, quia species, quibus vtitur intellectus, vt plurimùm per viam doctrinæ acquirit dependenter à phantasmatibus, & per varias collationes.

50 *Secunda ratio principalis.*

Secundò principaliter probat Doctor intellectum cognoscere intuitiuè obiectum sensus & actus; quia intellectus format propositiones contingentes, & cognoscit veritatem earum: sed hæc veritas non cognoscitur nisi obiecto in re cognito, si est propositio circa res materiales, & sensibiles, quia vt cognoscatur veritas propositionis contingentis, in qua prædicatum est forma conueniens subiecto, non vniuersali, quia ipsi nequit inesse, sed particulari, & secundùm existentiam, tam subiecti suppositi, vt in re ipsa præcisè existit, quàm prædicati, vt conuenit subiecto in existentia, vt dictum est in confirmatione tertia *suprà*: ergo intellectus cognoscit ipsa extrema, vt hîc, & nunc in existentia coniunguntur. *Intellectus format propositiones contingentes.*

Confirmatio. Intellectus practicus versatur circa singularia.

Confirmatur, quia intellectus practicus, vt dictat secundùm prudentiam, versatur circa singularia; habitus quo facilitatur expertus, versatur circa singularia, & ars circa res contingentes, vt in singulari coniunguntur. Fides diuina etiam versatur circa propositiones contingentes, vt dictat dolendum de peccato præterito, quod necessariò cognosci debet, vt præteritum in opere, & tale, quale fuit in circumstantiis. Lex, præcepta, iustitia commutatiua, & vindicatiua, & distributiua, commercia, promissiones, stipulationes, contractus versantur circa res singulares. Fides etiam diuina, vt dictum est, versatur circa articulos particulares, vt Beatam Virginem Mariam peperisse Christum, hunc fuisse crucifixum, mortuum, & resurrexisse tertia die. Historiæ, monumenta rerum gestarum, & omnes actus publici, prouidentia ex præteritis pro futuro, & huiusmodi alia innumera, quæ concernunt dictamen intellectus circa singularia, & electionem, & fugam rerum in se existentium, quæ sine memoria, & cognitione singularium nequeunt esse. Ergo tam certum est intellectum esse singularium, quàm hæc omnia versari posse circa singularia, & consequenter datur cognitio & memoria horum. Hæc ratio est euidens, & secundùm principia omnium Philosophorũ in moralibus & Ethicis, quæ Aristoteles, & Schola eius passim admittit, & etiam iuxta ea quæ docet de arte, & experientia, & habitu eorum, rectè ergo colligit Doctor deinceps quorum sit memoria intellectiua, & quomodo. *Probatio ab exemplis.*

51 *Quorum sit memoria intellectiua & quomodo. Dari memoriam intellectiuã vtriusque obiecti præteriti.*

P *Et potest breuiter recordari*, &c. Docet, vt dixi, quorum sit memoria intellectiua. Primò, est omnium, quæ cognoscit sensus, & actuum etiam sensus, & hoc modo est præteriti, quantùm ad obiectum proximum & remotum. Secundò, est vtroque modo memoria in intellectu quoad vtrumque obiectum, proximum & remotum, respectu tam volitionum præteritarum, quàm etiam intellectionum, quæ fuit illarum volitionum. Et probat, quia aliàs præceptum confessionis peccatorum, quorum malitia consummatur

matur in ipſa mente, & voluntate, eſſet nullum, ſi non poſſet intellectus habere memoriam ſui actus, vt fuit illarum volitionum præteritarum. Plura alia exempla poſſent adduci ex doctrina generali tradita. Poteſt præterea intellectus habere memoriam ſui actus reflexi, quo alium actum ſuum cognoſcit, & vtrumque præteritum: & hæc memoria eſt ita intellectui propria, vt non poſſit eſſe intenſa: ergo amplior eſt hac in parte memoria intellectiua.

Memoria actus reflexi.

Memoria actus præteriti.

Tertiò tandem eſt memoria in intellectu reſpectu obiecti proximi, & non remoti, vt quando cognoſcit vniuerſalia, & neceſſaria, habet memoriam illius actus præteriti, quamuis obiectum eius abſtrahat à præterito, & omni differentia temporis. Et hæc memoria ſoli intellectui competit, & non ſenſui, vt quando cognoſcit ſe demonſtraſſe triangulum habere tres angulos, & recordatur talis actus ſcientifici præteriti. Ex quibus concludit tres gradus memoriæ inueniri in intellectu, & concludit. *Alicuius tamen ſenſitiua, vt pote ſuprema, ſenſatio præterita non poteſt eſſe obiectum proximum, niſi tantùm recordationis intellectiua, vt tactum eſt in articulo præcedenti*, &c.

52 *Senſatio phãtaſtica eſt obiectum ſolius intellectiua.*

Circa hæc oritur primò dubium, quomodo actus ſupremæ ſenſitiuæ poſſit eſſe obiectum proximum intellectiuæ, vt videtur aſſerere, quia obiectum proximum intellectiuæ videtur eſſe actus proprius, & non actus alterius potentiæ, quia hic eſt remotum obiectum,

1. Reſponſio.

Reſpondetur primò, particulam excluſiuam referri abſolutè ad membrum antecedens, & æquiualere huic negatiuæ, nempe actum ſuperioris ſenſitiuæ non cognoſci à ſe, neque ab alio ſenſu, vt obiectum proximum, ſi cognoſceretur deberet ab ipſa ſuperiori cognoſci, vt obiectum proximum tantùm, dicit cognoſci ab intellectiua memoria, non intendens eſſe obiectum eius proximum, ſed remotum.

2. Reſponſio.

Reſpondetur ſecundò, intellectum agentem abſtrahere duplicem ſpeciem à phantaſmate, alteram obiecti repræſentati, alteram ipſius phantaſmatis vt cogniti, quæ ſpecies repræſentat ipſum phantaſma, ſeu actum præteritum ſenſus ſuperioris immediatè, quando non eſt, vt præteritum. Eſſe autem obiectum recordationis intellectiuæ probat ex eo, quòd ex tali recordatione poſſit ſyllogiſtica procedere ad aliud concludendum. Vnde Philoſophus *de Memoria, & Reminiſcentia, cap.2. & 1. Met. cap.1. & 2. Poſteriorum cap. vlt.* attribuit intellectui hanc ratiocinationem per diſcurſum, & negat brutis, eam appellat reminiſcentiam.

53 *Quid in re ipſa eſt verũ.*

Secundum dubium eſt de veritate ipſius rei; An ſenſus cognoſcat ſuos actus? Hîc autem non intelligitur cognitio illa experimentalis, qua potentia operans, medio ſuo actu, experitur per ipſum actum ſe tendere in obiectum, & hoc modo actus quaſi ſe ipſum cognoſcit: quæſtio verò eſt de cognitione actus per modum obiecti cogniti directè eo modo, quo dicitur memoria eſſe obiecti præteriti, tam proximi, quàm remoti: An ſic ſcilicet actus ſenſus interni ſit obiectum ſui ipſius? Priori modo Philoſophus *in 3. de Anima c.2.* dicit oculum videre ipſam viſionem, quæ quodammodo eſt colorata. Secundo modo agit de obiecto memoriæ, & reminiſcentiæ.

Sententia affirmans omnẽ ſenſum cognoſcere ſuos actus.

Prima ſententia eſt, ſenſum non ſolùm internum, ſed etiam externum, cognoſcere ſuos actus. Fuit Platonis in Theæteto; eámque tenet Themiſtius, Auerroës, Ægidius, Caietanus, & Venetus in cap. illud citatum Philoſophi.

2. Sententia negat quoad ſenſus externos.

Secunda ſententia eſt negatiua quoad ſenſus externos, quam docet D. Thomas, *1. part. q.78. art.4. ad 2. q.87. art.3. ad 3. in 2. contra Gentes, c.65.* Albertus 2. *de Anima tract.4. cap.4.*

54 *3. Sententia quæ eſt Doctoris.*

Tertia verò ſententia eſt, ſenſum internum cognoſcere actus externorum, non tamen proprium actum, quam hîc docet Doctor, licèt citetur à modernis pro oppoſita ſentẽtia in hac quæſtione, credo ex reſponſione 2. ad ſecundum, quo probauit non dari memoriam in brutis, §. *Iuxta hoc poteſt*, in fine, vbi probat ſenſum tam internum, quàm externum non cognoſcere per modum obiecti, niſi qualitatem ſenſibilem, & non actum non ſenſibilem.

Philoſophus ambiguus.

Ad quod argumentum reſpondet §. *Suſtinendo tamen intentionem Ariſtotelis*, &c. verſu, *Aliter poteſt dici*, &c. quamuis in priori reſponſione teneat ſententiam negatiuam, prout etiam eam tenet citans prioris reſponſionis reſolutionem, quam tenet. Ambiguitas autem eſt ex ipſo Philoſopho, nam in prædicto loco proximè citato videtur tenere affirmatiuam, & licèt vtrimque diſſerit, ſoluit argumenta negatiuæ ſententiæ. In libr. tamen de ſomno & vigilia c. 2. tenet expreſsè negatiuam, quam docet D. Thomas *1. p. q.14. art.2. ad primum*, Ferrarienſis *lib.2. contra Gentes c.66.* Iauellus *lib.2. de Anima* 33. Apollinar. *q.* 37. Capreolus *in 3. diſt.44.* & eſt communior ſententia.

55 *Senſus non reflectit.*

Probatur primò, quia nihil materiale eſt in ſe reflexiuum: ſed ſenſus tam internus, quàm externus eſt materialis, & extenſus: ergo nequit in ſeipſum reflectere, neque conſequenter cognoſcere ſuum actum per modum obiecti, quod tantùm cognoſci poteſt à potentia eliciente per reflexionem. Maior patet, quia aliàs daretur penetratio naturaliter.

Reſponſio.

Dices hanc reflexionem non eſſe realem, ſed intentionalem.

Impugnatio. Ex reflexione ſenſus intentionali ſequeretur realis.

Contrà, ex reflexione intentionali ſequeretur realis, quia organum materiale, ſicut neque ſeipſum cognoſcit per modum obiecti, & ideò quia ob extenſionem ſui nequit conuertere aciem niſi in rectum, & quod proponitur per modum obiecti, vt patet in oculo, qui nequit in ſeipſum tendere ſub hac ratione, neque recipere ſpeciem à ſeipſo, quamuis ab oculo alterius poſſet recipere ſpeciem; ita etiam neque ſenſus internus poteſt à ſe ipſo recipere ſpeciem, quamuis ab eo quod extrà poſitum eſt, recipiat. Alia huius ratio aſſignari nequit, niſi quia eſt organum materiale, & argumentum à paritate de ſenſibus externis, & de ipſo organo interno valet: quia organum internum ſine dubio eſt quantum, & quale, quod poſſet proinde ex natura ſua eſſe obiectum, ſi potentia ſenſitiua poſſet in illud reflectere: ergo eadem eſt ratio de proprio actu.

56 *Reſponſio.*

Dices, ſenſus cognoſcit obiectum in ſpecie, quæ inhæret ipſi: ſi cum reflexione, ſequitur intentum; ſi ſine reflexione, ergo poteſt etiam proprium actum ſine reflexione cognoſcere.

Impugnatio.

Senſus cognoſcit per ſpeciem directè.

Contrà, ſenſus internus cognoſcit obiectum, vt fuit ſenſus externi cum iiſdem circunſtantiis, licèt mediante ſpecie, quæ non eſt ratio cognoſcendi cognita, ſed medium incognitum, ac proinde cognoſcit directè, & non reflectendo: nam aliud eſt quòd cognoſcat per tale medium obiectum; & aliud quòd in ſe reflectat cognoſcendo. Confirmatur

Confirmatio. Si cognosceret sensus actū suū per modum obiecti cognosceret subiectum actus.

Confirmatur ergo ratio, quia organum est mixtum: ergo habet qualitates sensibiles. Est etiam quantum, ergo habet rationem sensibilis proprij, & communis ex natura sua: ergo si sensus cognosceret actum suum, cognosceret etiam subiectum actus, quod est organum: hoc autem nequit cognoscere: ergo neque actum suum cognoscit. Probatur consequentia prima, quia non potest cognoscere aliquod singulare abstractè ab iis quæ coniunguntur, si per se sunt sensibilia respectiuè ad eundem sensum: sed sensus communis fertur in omnia per se sensibilia: ergo in ea quæ coniuncta sunt actui proprio, quale est subiectum sensibile.

Quòd non cognoscat seipsum.

Quòd si dicas, cognoscere etiam seipsum, hoc est contra omnem experientiam: & prætere redit ratio eadem, quia non cognoscit formam, aut figuram sui ipsius, imò neque intellectus hæc cognoscit, quamuis cognoscat ipsum actum, vt connotat obiectum: & ratio est, quia non cognoscit nisi ea quæ sunt obiectum sensus aut operationes eius, vt connotant obiectum, vt sunt actus ipsius sensus.

2. Probatio ex ordine potentiarum.

57 Secundò probatur idem, quia ordo potentiarum est talis, vt superior tantùm cognoscat actum inferioris, vt sensus communis actum sensus externi, & actum sensus communis cognoscat intellectus. Vnde neque ipse intellectus per speciem directè repræsentantem obiectum, cognoscere potest proprium actum, nisi reflectendo, & quatenus ipse actus reliquit speciem in reminiscentia: ergo minùs potest sensus communis cognoscere proprium per modum obiecti.

Omnis cognitio fit ab obiecto.

Probatur consequentia, quia illa cognitio deberet etiam ab ipso obiecto causari; sed species relicta ab obiecto externo sensibili nequit repræsentare actum consequentem phantasiæ, neque phantasia potest moueri ab ipso actu, quia non habet modum essendi obiecti in phantasia, sed rationem expressam obiecti alterius in ordine, ad quod constituit ipsam phantasiam cognoscentem, & tendentem; neque relinquit speciem sui in phantasmate, quia ipsa phantasia videtur concurrere ad propriam speciem, & nihil potest relinquere in phantasia propriam speciem, nisi habeat modum essendi obiecti, quod nequit conuenire actui, dum est in ipso exercitio; quia seipsum nequit repræsentare, sed obiectum cuius est, sicut neque actus etiam intellectus seipsum repræsentat, sed obiectum à se diuersum.

Actus phantasia est cognitio nō sui, sed obiecti sēsibilis externi.

Non relinquit speciem sui in phantasia.

Obiectio.

58 Contra hanc sententiam vrgentur quædam testimonia Philosophi, vt capite vltimo libri de insomniis: vbi dicit, *Cùm summa potestas, eadémque iudicatrix sentiebat Coriscum, simulacrum non dicebat*, &c. Item *Sentiens hoc ipsum*, supple simulacrum, *ait non esse Coriscum, sed illius simulacrum*, &c. Quòd verò loquatur de sensitiua apparet: *Nisi sanguine*, inquit, *impediatur, iudicabit verè illum esse Coriscum*, &c. Ergo sentit sensitiuam cognoscere vtrumque, nempe simulacrum à se formatum, id est, actum, & Coriscum, quia aliàs non posset vnum ab altero discernere, &c.

Responsio.

Explicatur Philosophus.

Respondetur, Philosophum ibi agere de operatione quam habent aliqui in somno leui, quo iudicant somnium quod vident. Hanc autem operationem dico esse intellectus non perfectè tum ligati per sensum, & qui impediri potest ex vehementia imaginationis ob copiam sanguinis in ipsa imaginatiua: nam ex indispositione corporis etiam impeditur operatio aliàs conueniens. Quòd verò dicatur sensitiua intellectus, non refert, quia apud Philosophum hæc appellatio ipsi sæpe attribuitur. Per summam ergo potestatem intelligit Philosophus ipsum intellectum: quia cognitionem sensus errantis corrigere ad illum spectat, vt ibi dicit, & vlteriùs hanc operationem discretiuam simulacri à Corisco dicit fieri per discursum, qui spectat ad solum intellectum.

Intellectus appellatur à Philosopho sensitiua.

Ad locum superiùs allatum respondetur, sicut aliàs dictum est, sensum experiri se cognoscere, quando tendit in obiectum, non tamen cognoscere proprium actum per modum obiecti. Ex his sequitur non rectè à quibusdam dici ipsa phantasmata transire in obiectum phantasiæ in somnis; nam operatio illa, quam in somno habet phantasia, fit per ipsas species fluentes, vt sunt media cognoscendi, quod experientia patet; quia non aliter tunc operatur potentia, quàm vt aliàs circa res easdem operatur in vigilia, quantùm ad id, quod repræsentatur potentiæ: quod si verò circa ipsas species operaretur tanquam circa obiecta, vtique discerneret ipsam speciem ab obiectis, neque in vigilia recordaretur obiectorum, sed magis ipsarum specierum, quæ alterius naturæ sunt ab obiectis in *esse* rei. Quamuis autem Philosophus de Memoria & Reminiscentia dicat idolum percipi quando fit memoria rei, intelligendus est sumi *idolum* pro ipsa re, quatenus species causat eius memoriam.

Sequela dictorum.

Phantasma non rectè dicitur transire in obiectum phantasiatū.

Obiectio.

Phātasia fertur in actum appetitus.

Obiiciunt aliqui secundò, quòd sensus communis cognoscat operationem appetitus sensitiui, quòd etiam appetitus versetur circa actus sensus communis, & proprios; quia concupiscit in seipso gaudere, delectari, tristari, & huiusmodi; & quædam peccata sunt, quæ committuntur cogitatione sensus, & delectatione appetitus: ergo ea obiecta cognoscit sensu, quia nequit appetitus ferri in non cognitum. 59

Responsio.

Appetitus fertur in delectabile.

Respondetur, negando antecedens quoad vtrumque membrum: quia sensus communis cognoscendo suum obiectum delectabile, trahit appetitum, quia non fertur in cognitionem vllam sensus actus appetitiui, sed in ipsum obiectum delectabile cognitum, sicut neque voluntas eo actu, quo fertur in finem repræsentatum extenditur ad ipsam cognitionem finis, quæ cognitio, neque se ipsa cognoscitur, neque etiam necessariò per alium actum antecedentem, quando non præcessit consultatio, aut inuestigatio finis obuij, sed directa tantùm cognitio. Neque etiam appetitus fertur in actum proprium, sed directè in rem delectabilem.

Responsio ad secundam obiectionem.

Ad probationem adductam de passionibus appetitus, Respondetur, siue eas producat appetitus concurrente obiecto delectabili, vt multi volunt; siue producantur ab ipso obiecto delectabili, vt nos putamus; eas esse non circa appetitionem, sed circa conuenientiam obiecti delectabilis cogniti, sub quo non comprehenditur ipsa appetitio.

Peccatū quomodo sit in sensu.

Ad aliam probationem ex peccato respondetur, quidquid aliqui dixerint, nullum esse peccatum in cogitatione sensitiua, aut appetitu, nisi præcedat libertas voluntatis: in illis ergo contingit peccatum, vt sunt actus voluntatis imperati, aut permissi, in quibus ipsa voluntas complacet. Inde autem non probatur intentum: quia etiam peccatum hoc contingere potest operante appetitu circa obiectum delectabile inordinatum & prohibitum, quamuis non feratur reflexè,

flexè, aut directè in proprium actum, & contingere potest in actu sensus externi, qui non cognoscitur ab ipso sensu per modum obiecti.

60 *2. Conclusio principalis.*

q *Nulla tamen recordatio pertinet*, &c. Hîc subiicit conclusionem secundam huius literæ, per quam explicantur loca Philosophi, ex quibus negaretur memoria in intellectu. Dicit ergo in intellectu, inquantùm abstractiuus est, id est, vniuersalium à singularibus nullam esse memoriam, aut recordationem. Ratio huius est, quia sic abstrahit obiectum eius ab omni circunstantia temporis, & consideratur præcisè quoad essentialia, seclusis conditionibus indiuiduantibus, & accidentibus, & vt indifferens est ad existentiam, & non existentiam. Sic se habet scientia respectu sui obiecti.

Intellectus nō est memoria in quantum abstrahit.

2. Dictum. Memoria intellectualis non requirit duplicē præteritionem in obiecto.

Dicit secundò quòd memoria, vt pertinet ad intellectum, non requirit duplicem præteritionem in obiecto, scilicet proximi, & remoti obiecti. Dicit inquantùm pertinet præcisè ad intellectum, vt differt à sensu & memoria eius circa tale obiectum, quia potest memoria intellectiua stare respectu proximi obiecti, vt præteriti, quamuis non sit obiecti remoti, vt præteriti, vt patet in exemplo præmisso de memoria actus scientifici præteriti; quòd ergo in memoria intellectiua requiratur duplex illa præteritio, non solius est intellectus, sed etiam sensitiuæ, in quo vtraque potentia conuenit, vt versatur circa sensibile, & hoc tantùm intendit Doctor, vt seruet differentiam præmissam, quà intellectus habet memoriam circa proximum, vt præteritum, quamuis remotum non sit præteritum, quia id competit ex natura obiecti remoti, vt sit præteritum, non ex necessitate memoriæ in potentia, quasi aliter non possit habere actum. Hinc non intendit Doctor excludere memoriam obiecti vtriusque præteriti ab intellectu respectiuè ad actus proprios, & ad actus voluntatis, vt suprà asseruit: sed tantùm intendit quantùm ad modum operandi in hoc non differre à sensu, seruata comparatione ad obiectum proportionatum sensitiuæ, quæ ex limitato modo operandi requirit præteritionem in vtroque obiecto, ita vt nequeat esse solius proximi, vt præteriti, & non remoti. Hic modus operandi limitatus non conuenit intellectui, quin possit esse obiecti proximi vt præteriti, licèt remotum non habeat illam differentiam, ideò, inquit, nullam memoriam, ex hoc quod pertinet ad intellectum, requirere duplicem præteritionem, scilicet ex limitato modo operandi intellectus, prout requirit memoria sensitiua, sed ex natura ipsius obiecti id contingere tantùm.

Differentia & conueniētia memoria intellectiua & sensitiua.

Modus limitatus memoria sensitiua excluditur ab intellectu.

61 *3. Dictum. Memoriam intellectiuam comitatur aliquis actus sensus.*

Tertiò dicit nullam pertinere ad intellectum tanq[illegible] primariò, & radicaliter sufficientem ad recordandum, id est, sine operatione aliqua sensus concomitante, aut antecedente, siue actus in sensu sit memoriæ, siue imaginationis: nam si res sit obiectum memoriæ sensitiuæ, erit etiam in sensu eius recordatio concomitans, vel antecedens: si autem obiectum illud non sit obiectum sensus, vt est actus, quo cognoscitur aliquod vniuersale, & habens memoriam sui in intellectu, quamuis memoria illa sit solius intellectus, tamē eo recordāte erit aliquis in imaginatiua correspondens in sensu, licèt non in memoria; hoc autem contingit ex colligatione potentiarum in operando: nam dum intellectus speculatur circa vniuersalia, etiam sensus operatur circa aliquod singulare. In casu autem proposito operatur circa aliquod singulare cōtentum sub obiecto vniuersali, quod respicit actus rememoratus in intellectu. Intendit ergo sensum saltem concomitari in operando intellectum ex causa prædicta: intellectum, inquam, coniunctum de quo agitur. Et dico *concomitantem*: quia, vt superiùs dixi, iuxta principia Doctoris, in fine paragraphi antecedentis, non necessariò præit sensus omnem actum intellectus, vt ex imperio voluntatis applicatur consequenter ipse sensus ad operationem: quamuis illa radicalitas, de qua Doctor, possit etiam intelligi quoad primam apprehensionem intellectus respectiuè ad sensibilia, quæ supponitur ad reliquos actus consequentes; etiam memoriæ, quia talis apprehensio oritur ab ipso sensu tanquam radice, quam consequuntur reliqui actus intellectus.

Ex his respondet ad obiectiones præmissas in §. *De secundo articulo principali*, &c. & vniuersim ad omnia loca Philosophi in contrariū, dicendo in intellectiua esse memoriam, licèt non vt abstrahit, & speculatur vniuersalia, vel quatenus non requirit præteritionem in vtroque obiecto ex natura sua, vel quatenus radix memoriæ, & cæterorum actuum sit à sensu. *Respondet ad rationes & authoritates præmissas in 2. art.*

r *Quando enim obiicitur*, &c. Respondet ad obiectionem factam in prædicto paragrapho, versu *contra istam rationem obiicit*, &c. & tenet quod dixit. §. *Ad intellectum istarum rationum:* versu *Ad aliud dico quod memoria*, &c. 62

s *Ad aliud de seruo fugitiuo*, &c. Dicit hoc esse solutum, nempe in fine paragraphi præcedentis, quam solutionem hîc etiā confirmat, & dicit manente specie intelligibili posse recuperari speciē in sensu per collationem, & vsum aliarum specierum similium, & tunc scitur illud esse, quod fuit recordatum, & aliàs oblitum. Subiicit exemplum: Si species Petri maneat in sensu, licèt ea aliàs nunquam vtatur, postea visa, excitatur, & cognoscitur illum esse, qui aliàs visus sit, ita etiam viso Petro, si species eius remaneat in intellectu etiam cognoscitur ab intellectu, vt aliàs visus, & causatur etiam consequenter in phantasia, species eius, vt aliàs dictum est per collationem, seu concursum aliarum specierum similium. 63 *Ad argumentum de seruo fugitiuo.*

t *Ad aliud quod ponitur*, &c. Respondet ad authoritatem Philosophi *suprà* adductam loco citato de Memoria & Reminiscentia, quòd memoria sit habitus phantasiæ. Respondet hoc verum esse, sine exclusione tamen intellectiuæ: nam in illo libro admittitur à Philosopho etiam intellectiua, quam dicit *firmitatem intellectus, & scientiam.* Dicit, præterea illam authoritatem exigere illam quæstionem, *An memoria sit distincta potentia sensitiua ab alia interiori?* quam quæstionem excludit, quia non spectat ad scopum quæstionis. De hac quæstione videantur authores *in lib. 2. de anima.* Ad authoritatem Damasceni patet ex litera.

SCHOLIVM

SCHOLIVM.

Decidit quæst. per duo dicta. Primum, in anima separata manet eadem memoria intellectiua, sed non eadem sensitiua, quæ fuit in coniuncta. Secundum, separata recordatur omnium eorum, quæ recordabatur coniuncta per sensitiuam, sed non sensitiuè, sed intellectiuè.

20 [u] AD quæstionem ergo patet quòd cùm in anima coniuncta sit aliqua memoria intellectiua, illa remanet etiam in anima separata: & per consequens notitia habitualis omnium illorum, quæ vsque ad separationem in ea manserunt, & per consequens potest vti illis remanentibus ad actum memorandi, sicut posset vti coniuncta; quia (sicut dictum est in *præcedenti quæst.*) omnes formæ intellectuales, & operationes consequentes, quæ poterant haberi à coniuncta, poterunt haberi à separata: memoria autem sensitiua (loquendo de totali potentia) non manet in anima separata, sicut nec aliqua potentia sensitiua. Dixi autem *totali*, quia etsi anima sit illud, quod est formale in potentia sensitiua, tamen potentia sensitiua formaliter includit formam quandam totius compositi, ex corpore sic mixto, & anima perficiente proportionaliter ad actum correspondentem tali toti: & per consequens cùm recordari sensitiuæ, sit totius, illud non potest competere animæ separatæ.

Memoria manet in anima separata, sed non sensitiua.

Breuiter ergo omnium eorum, quorum recordatur coniuncta, potest recordari separata: quia quorumcunque fuit memoria sensitiua, eorum fuit intellectiua, propter cognitionem intuitiuam concomitantem omnem sensitiuam perfectam: sed non omni recordatione potest recordari separata, qua potuit coniuncta.

Separata recordatur omniũ, quorum coniuncta.

[x] Si obiicitur, sola species in memoria intellectiua non sufficiebat in anima coniuncta ad recordandum, sine alia in memoria sensitiua, vt est dictum in secundo articulo: ergo nec modò sufficit, quia non est modò perfectior, quàm priùs. Responsum est in præcedenti quæstione in simili, quia nec modò possumus vti specie intelligibili sine phantasmate: tunc autem poterimus, non propter nouam perfectionem, sed quia non est ibi ille ordo illarum potentiarum in operando, qui nunc est.

21 [y] Ad argumenta principalia. Ad primum concedo in homine esse memoriam sensitiuam. sed ex hoc non sequitur quòd nulla sit in eo intellectiua: non enim debet negari superiori cognitiuæ, quòd est perfectionis in inferiori. Vnde si Deus posset habere actum post tempus, nec haberet vnum actum stantem in æternitate, posset recordari: & sic scriptura concedit eum recordari, in Threnis, *Recordare Domine, quid acciderit nobis*; inquantùm scilicet ille actus, qui in se non est post tempus, consideratur vt coëxistens priori tempori, & nunc isti, & sic quasi post tempus. Angeli autem, quia non omnes intellectiones habent perpetuas, possunt absolutè recordari. Fatuum est enim dicere quòd Lucifer non recordatur se peccasse, nec boni Angeli recordantur tales actus intelligibiles habuisse, vel etiam aliquos exteriores circa corpus.

Ad arg. 1.

Quomodo Deus dicitur recordari? Cap. 5.

Angeli habent memoriam.

[z] Ad secundum, illa auctoritas loquitur de intellectu, vt habet intellectionem scientificam, qualis est sola scientia abstractiua, & tamen sic non est præcisa ex natura intellectus, quia in illa intellectione abstractiua potest intelligi singulare, licèt non modò à nobis. De hoc alibi.

Ad 2.

In 2. d. 2. & in 3. d. 1.

[a] Si obiicias, potentia non cognoscens singulare, vt singulare, non recordatur, quia recordans cognoscit aliquid, vt *hîc* & *nunc*, quod est proprium singulari; Respondeo, existentia actualis primò conuenit naturæ. Vnde hæc natura non est existens formaliter, quia *hæc*, sed per naturam: illam autem naturam vt existentem, intuitiuè cognoscit intellectus: & ista cognitio existentis, vt existentis, sufficit ad hoc, quòd eius possit esse recordatio.

Existentia primò conuenit naturæ.

Cùm ergo dicis, potentia recordatiua cognoscit hoc vt hoc; nego. Tu probas, cognoscit aliquid vt *hîc* & *nunc*. Si intelligas per *nunc* existens, & per *hîc*, in se præsens; concedo quòd cognoscit aliquid vt in se præsentialiter existens, & sic vltrà, *hîc* & *nunc* sunt propria singularis, ita quòd non possunt esse naturæ, non vt singulariter. Licèt enim non sint alicuius, nisi quod est in singulare singularitate intrinseca, vel adiuncta: tamen non includunt formaliter, nec per se præsuppositiuè singularitatem, tanquam præcisam rationem, secundùm quam illa insunt.

Hîc & nunc, quomodo sunt singularis.

COMMENTARIVS.

65 *Art. 3. Concluſio. Dari memoriam in anima ſeparata. Probatio.*

u AD *quæſtionem ergo patet*, &c. Ad quæſitum principale reſpondet in hoc articulo tertio. Concluſio ergo huius articuli eſt, in anima ſeparata dari memoriam intellectiuam eorum, quæ cognouit coniuncta, quam tenent præter *ſuprà* citatos, etiam plures alij moderni. Hæc probatur per argumenta ſuperiùs allata pro parte affirmatiua quæſtionis ex Lucæ 16. *Fili recordare*, &c. Idem docet Auguſtinus ſuper pſalmum 108. *Fiant filij eius orphani.* Gregorius (*Gregor.*) in pſalm. 88. *Miſericordias Domini in æternum cantabo*, &c. *Quomodo*, inquit, *in æternum miſericordiam canit, qui miſeriæ non meminerit*, &c. Videantur Expoſitores in prædictum locum Lucæ. Probatur concluſio ex dictis in ſecundo articulo, & in quæſtione præcedenti: quia anima conſeruat ſuas ſpecies: dantur autem ſpecies in memoria animæ coniunctæ: ergo, &c. Item damnati cognoſcunt iuſtitiam Dei vindicatiuam, & peccata præterita. Item, Beati, & Angeli cognoſcunt præmium, & merita, & eorum recordantur: ergo non eſt ratio cur in ipſis negetur memoria præteritorum. Item, Angeli, & anima ſeparata habent aliquam prouidentiã ſui finis naturalis, quæ nequit conſiſtere ſine memoria præteritorum: habet præterea anima memoriam eorum, quæ contingunt ipſi in ſtatu ſeparato, & hoc neceſſarium eſt, quia non ſemper eſt in actu reſpectu cuiuſcunque obiecti cogniti aliàs: requiritur ergo vt illud ſit ipſi notum habitualiter in memoria.

Damnati recordantur, & Beati.

Dicit prætereà, licèt anima ſit præcipua radix potentiæ ſenſitiuæ, ſeu memoriæ, non manere hanc in anima ſeparata: quia memoria illa, & media cognoſcendi conueniunt toti, nempe organo, cùm ſint materiales.

66 *Obiectio.*

x *Si obiiciatur, ſola ſpecies in memoria*, &c. Obiicit quòd anima coniuncta nequeat recordari intellectiuè, niſi etiam ſit memoria, & ſpecies in phantaſia.

Reſponſio ad fundamenta Henrici.

Reſpondet, ex ordine potentiarum id prouenire, qui ordo, & colligatio in anima ſeparata nõ eſt. Ex hoc reſpõdetur ad fundamentum Henrici loc. *ſupr.* allato *in 2. art.* negat enim Henricus memoriam in anima ſeparata, quoad exercitium, quia exiſtimat habitum, quem habet (quem habitum ipſe ſubſtituit in ſpeciebus, quas negat, quæ opinio ſingularis eſt ipſius) non poſſe exire in actum ex defectu termini, quia terminus eius eſt obiectum, vt relucet in phantaſmate: ſed hoc falſum eſt, quia loquẽdo de cognitione, & memoria abſtractiua, de qua nunc agitur, obiectum ipſius vt terminat actum, non eſt in phantaſmate, cùm ſit aliquod vniuerſale, ſed ſolùm in intellectu. Deinde, omnis potentia habens actum circa obiectum debet illud obiectum ipſi applicari modo proportionato ſuæ virtuti, & non per ſolam applicationem obiecti alteri potentiæ, loquendo de cognitiua in genere. Item, ipſa phantaſia habet obiectum in ſeipſa, non ſolùm vt motiuum, ſed etiam vt terminatiuum: ergo etiam à fortiori idem habet intellectus, quæ eſt perfectior, & completior in virtute, ac proinde conuenit ipſi ex proprio modo, & medio operandi habere obiectum vtroque modo præſens. Deinde, anima ſeparata non eſt expers operationis: ergo obiectum habet vtroque modo ſibi præſens: ergo & coniuncta ſimiliter habet obiectum ſibi præſens. Patet conſequentia, quia vel ex natura intellectus orietur talis dependentia ab obiecto, vt relucet in phantaſia per modum termini; aut non ex natura intellectus. Primum eſt iam impugnatum: ſi ſecundum dicatur: ergo etiam neque ex natura intellectus coniuncti oritur: quia tam concomitantia, quàm ordo potentiarum ſaluari poteſt ſine hac imperfectione, aut dependentia ex parte intellectus.

Obiectũ memoriæ intellectiuæ nõ eſſe phantaſma.

Intellectum habere ex ſe obiectũ præſens.

Dices ex natura habitus oriri. 67 *Reſponſio.*

Contrà, habitus intellectus in via, quomodocunque, aut qualiſcunque fingatur, eſt proportionatus modo connaturali operandi intellectus circa obiectum vtroque modo: ergo ſi ex natura intellectus non oritur talis dependentia tendendi in obiectum, vt eſt in phantaſia, neque etiam ex parte habitus poteſt oriri. Deinde, ſicut intellectus eſt ſuperior in perfectione phantaſiæ, ita etiam habitus intellectus debet eſſe perfectior in repræſentatione: ergo ſi habitus phantaſiæ repræſentat obiectum ipſi, ita & habitus intellectus repræſentat obiectum intellectui intra ipſum intellectum.

Impugnatio.

Illam dependentiam non poſſe oriri ex parte habitus.

Dices habitum illum cauſari in intellectu per obiectum in phantaſmate, & ideò neceſſariò repræſentare obiectum, vt eſt in phantaſmate. *Reſponſio.*

Contrà. Hoc impugnatum eſt, quia obiectum in phantaſmate repræſentatur ſub ratione particulari, ſed in intellectu quandoque ſub ratione vniuerſali: neque maior connexio eſt inter vniuerſale obiectum, & phantaſma repræſentans ſub ratione ſingulari, quàm inter ipſum ſingulare, & naturam vniuerſalem abſtractam: ſed habitus intellectus non repræſentat ſingulare, neque de ipſo eſt, vt obiecto: ergo neque obiectum in phantaſia ſub ratione ſingularis. Deinde, ſicut contingit collatio intellectus, & diſcurſus circa obiectum intellectum præciſè, & non circa medium intelligendi proprium, aut alienum, ſequeretur ſi obiectum in phantaſmate, vt in ipſa præciſè repræſentatur, eſſe ratio intellecta per intellectum, licèt ad intellectionem moueret habitus intellectualis, ſequeretur, inquam, omnes proportiones ſcientificas, & vniuerſales eſſe falſas, vel certè omnem abſtractionem naturæ vniuerſalis, qua ſic repræſentatur, eſſe per virtutem phantaſiæ, & repræſentari in ipſa. Vtrumque eſt æquè abſurdum: quia phantaſia non repræſentat obiectum, niſi vt fuit in ſenſu externo, & coniunctim cum ſuis indiuidualibus conditionibus expreſſis per repræſentationem. Neque intellectus poteſt prædicationem exercere, niſi in obiecto cognito, quà cognitum eſt: ſi autem hoc eſſet obiectum, vt relucet tantùm in phantaſia, prædicatio vniuerſalis exercita eſſet falſa, quia res intellecta, vt ſic intellecta, nequit indifferenter ſe habere ad alia, de quibus fit prædicatio, cùm ſit res vt in conditionibus determinatis terminis talis intellectionis: quocunque ergo modo intellectus cognoſcit vniuerſale, poteſt etiam habere medium eius repræſentandi, vt obiecti etiam terminatiui, (quod nequit eſſe in phantaſmate,) ſicut & habet medium memorandi, & cognoſcendi, tam actus proprios, quàm voluntatis præteritos, qui non ſpectant ad phantaſiam.

Impugnatio.

Si obiectum vt in phantaſia eſſet terminus intellectionis, prædicatio vniuerſalis eſſet falſa.

Nequit exerceri intellectio, niſi in obiecto quà intellectũ eſt.

y *Ad argumenta principalia*, &c. *Ad primum.* hoc fuit ex authoritate Philoſophi, & Damaſceni, 68 *Ad principalia, ad primũ.*

sceni statuentium memoriam in parte sensitiua. Respondet, non debere intelligi præcisiuè, & cum exclusione memoriæ in intellectiua: quia non debet negari potentiæ superiori perfectio, quæ est in inferiore, ex cuius priuatione sequeretur imperfectio in superiori. Vnde si Deus in tempore posset habere actum diuersum post actum, posset etiam recordari: & quamuis per vnum actum simplicem in æternitate cognoscit omnia, tamen dicitur vt coëxistit rei in tempore, recordari in Scriptura passim, vt est illud Ieremiæ cap. vlt. *Recordare Domine quid acciderit nobis*, &c. vt consideratur actus ille vt coëxistens vtrique tempori, in quibus fuit mutatio ipsius rei in successu. Angeli etiam, qui non habent omnes intellectiones perpetuas, recordantur, quia fatuum esset dicere quòd Lucifer non recordetur se peccasse, aut quòd sancti Angeli non recordentur intellectionum, quas habuerunt circa res inferiores; hoc autem non asseritur inter eos, qui dicunt intellectiones nō esse de substantia Angelorum. Par ergo ratio erit de anima: quia si superior Angelus, & inferior sensitiua habent memoriam præteriti, idem etiam concedendum animæ, quæ etiam statuitur media inter vtrumque extremum, & de vtroque participans. Et si memoria statuitur in brutis, necessaria ad finem suum naturalem acquirendum, quantò magis in homine quà intellectiuus est?

Explicatur Philosophus, & Damascenus.

Quomodo Deus dicitur recordari.

In anima est memoria intellectualis.

69 *Ad secundum.*

[z] *Ad secundum, illa auctoritas*, &c. Hoc argumentum fuit, quòd obiectum intellectus est vniuersale 1. *Physicor. text.* 49. *& 1. de Anima textu* 60. Sed vniuersale abstrahit ab *hic* & *nunc*; *fuisse* vel *fore*, & huiusmodi conditionibus indiuiduantibus respicientibus existentiam: verum memoria per oppositum respicit conditionem determinatam pertinentem ad existentiam, vt præteritionem vtriusque obiecti; ergo, &c.

Responsio.

Respondet Doctor, intelligendas esse illas auctoritates de intellectu abstractiuo, & scientifico: tamen, inquit, sic non est præcisè ex natura intellectus; quatenus scilicet respicit latitudinem sui per se obiecti, & omne per se contentum sub ipso, quia etiam conuenit ei intelligere singulare, vt singulare est, de quo inquit alibi, nempe *in 2. d. 3. quæst. 1. & in d. 3. quæst. 2. & 3. & quodlibeto 13. & aliàs sæpè.*

70 *Obiectio.*

[a] *Si obiicias potentia non cognoscens*, &c. Obiicit Doctor contra præmissam solutionem, quòd memoria sit alicuius vt hic, & nunc, & consequenter, vt singularis: ergo si non possit intellectus esse singularis, vt singularis, pro hoc statu, neque etiam habere memoriam.

Soluitur. Existentia primaria cōuenit naturæ.

Respondetur, existentiam primò conuenire naturæ. Vnde hæc est vera: *natura est existens, quà natura est, non quà singularis*; & illam sic existentem intuetur intellectus, & eius sic potest habere memoriam. Vnde intellectus est naturæ nunc, vt scilicet existentis, & hic, vt scilicet præsentis: licèt ergo hæc nequeant inesse naturæ, nisi singulari; tamen non conueniunt, quia singularis, quasi esset ratio inhærendi, aut inexistendi, sed vt conditionis, ipsi autem per se primò conueniunt. An indiuiduum cognoscatur, loquendo de indiuiduo per se pro hoc statu, remitto ad loca propria citata. Aduertendum tamen est Doctorem non agere hîc de indiuiduo Porphyriano, vt definitur in ordine ad conditiones accidentales indiuiduantes extrinsecè, vt insunt subiecto in re ipsa determinato, & singulari: nam hoc genus indiuidui cognoscitur ab intellectu intuitiuè pro hoc statu, sicut *suprà* decernit *in secundo articulo*; quinimò prima cognitio intellectus ad indiuiduum sub tali ratione, vt ad concretum accidentale terminatur, & prima etiam species, quæ causatur illud repræsentat. Et intellectus etiam conceptu confuso cognoscit indiuiduum determinatum, vt sumitur pro per se indiuiduo, sed per discursum, & non conceptu distincto pro hoc statu, sicut cognoscit speciem atomam: sic etiam neque sensus est indiuidui, vt docet Doctor locis præfatis.

Explicatur Doctor.

Intellectus cognoscit indiuiduum, & quomodo.

Aliud verò quod dicit, existentiam conuenire præcisè naturæ, quà natura est, & non per singularitatem, quà talis est, probatur, quia existentia est modus entis, & nulli conuenit antequam est ens: sed esse ens, non competit naturæ, quà est singularis, hoc est, ratione singularitatis, sed ex propria ratione; ergo idem dicendum de existentia. Præterea, ipsa singularitas non dicit existentiam ex natura sua: ergo nequit esse ratio, per quam præcisè conueniat naturæ existentia. Tertiò, quia illud est principale in singulari existente, per quod sibi competit esse, in gradu perfectiori: & operatio, quæ sequitur esse: sed vtrumque competit ratione naturæ; ergo, &c. 71

Existentiam conuenire naturæ probatur.

Quartò, ipsa natura magis cadit sub intentione generali, & particulari causarum producentium, éstque terminus formalis productionis, vt patet ex eo, quòd agentis sit intentio assimilare sibi passum, & ex illa definitione generationis vulgari, quòd *sit viuentis à viuente in similitudinem naturæ*, &c. Patet etiam ex potentiis, quæ sunt principia naturalia agendi in quolibet, quæ conueniunt naturæ ad propagationem speciei, quæ per se intenditur; propagatio verò indiuiduorum per accidens intenditur, quatenus nequit aliter propagari natura in *esse*: quæ diuisibilis est ex sua imperfectione. Item, perfectiones, etiam accidentales, quæ sequuntur ad naturam in *esse*, procedunt ex principiis intrinsecis naturæ, vt calor à natura ignis, &c. ideo dicuntur eius proprietates Physicæ; idem de operationibus permanentibus, quæ ordinantur ad perfectionem naturæ, non verò indiuidualitatis, & ratione naturæ conueniunt indiuiduo, & non ratione singularitatis, aliàs non essent eiusdem speciei in diuersis indiuiduis eiusdē naturæ.

Enumerantur quæ conueniunt indiuiduo ratione naturæ.

SCHOLIVM.

Quod ait peccare recordantem deliberatè peccata, nisi detestetur ea, non decidit, sed tantùm arguit, quia oppositum tenet suprà. dist. 17. num. 28. de Confessione, quam multi tenent statim post peccatum obligare. (in quorum fortè opin. hîc loquitur Doctor) & videtur D. Thom. 4. 17. quæst. 3. art. 1. Alens. 4. quæst. 77. m. 4. art. 1. Anton. 3. part. tit. 14. cap. 18. § 2. Vide Suar. 4. tom. 3. part. d. 15. sect. 4.

Ad 3. Richar. 43. dist. art. 7. quæst. 1. Psal. 88.

Quomodo Beati non tristentur recordatione peccatorum.

b AD tertium dicitur vno modo, quòd Beati recordantur peccata commissa: nec tamen est eis ad pœnam, sed gaudent de misericordia diuina remittente, & deliberatione à pœna. Et probatur hoc per illud Psal. *Misericordias Domini.* Vbi Greg. *Quomodo in æternum misericordias Domini canunt, qui miseriæ non meminerunt?* 22

Contrà, licèt hoc, quod est Deum remisisse peccatum Petro, includat Petrum peccasse: tamen ista sunt simpliciter distincta intelligibilia, nec secundum includit primum in *esse*, (patet quandò Petrus peccauit) nec per consequens in *intelligi:* ergo possibile est intellectum Petri sistere in *sic peccasse*, absque hoc, quòd consideret Deum remisisse illa peccata. Et quamquam contendas quòd nunquam sit vnus actus sine alio in Petro: tamen saltem sunt duo obiecta, & distinctæ intellectiones, & etiam intellectio eius, quod est, Petrum peccasse, est prior natura. Quæro ergo hanc recordationem: qua se peccasse recordatur, quis actus voluntatis sequitur? Aut *velle*, siue *complacere:* aut *nolle*, siue *displicere:* aut nullus, nec placet, nec displicet. Si primum, Petrus malus est, quia complacet in peccato, quod commisit; si secundum, miser est, quia nolitum euenisse, quod scitur euenisse, causat tristitiam, per Augustinum de Ciuit. 14. cap. 15. *Tristitia est ex illis rebus, quæ nobis nolentibus acciderunt.* Si neque sic, neque sic, iterum malus. Si enim viator non potest completa deliberatione recordari peccatum suum commissum, quin detestetur, vel displiceat (alioquin peccat ad minùs omittendo) quantò magis ad hoc tenetur Beatus? Ratio enim communis magis ligat Beatum, quàm viatorem, quæ est perfecta Dei dilectio, quæ semper impellit ad odiendum illud, quod est contra Deum, quando actu cognoscitur, vel cogitatur. Quod autem adducitur de Psalmo, & ex hoc arguitur, *Misericordiam non canit, qui miseriæ non meminit.* Respondeo, in vniuersali meminit miseriæ: sed non in particulari, quia scit iam esse beatum.

Non asserit, quia suprà d. 17. n. 28. oppositum tenet de confessione: sed multi tenēt pœnitentiæ præceptum statim ligare.

c Dico tamen quòd possibile est totaliter deleri à memoria Beati peccatum, quod ipse commisit: nec in hoc derogatur Beato, imò videtur pertinere ad beatitudinem accidentalem eius. Si enim innocens gaudebit de innocentia speciali gaudio, vt tactum est *suprà dist. 1.* licèt ille non possit gaudere de innocentia, quia tunc esset eius falsum gaudium: tamen potest nocentia de eius memoria deleri, vt de illa non habeat aliquam materiam tristitiæ. Potest etiam Deus, stante memoria habituali peccati commissi, præseruare Beatum, ne vnquam exeat in actum considerandi se illud commisisse: & hoc iterum sufficeret ad excludendum occasionem proximam tristitiæ, licèt non remotam. Nec priuatio talis notitiæ habitualis, vel actualis faceret eum in aliquo imperfectum: quia secundùm Philosophum, quorundam obliuisci, vt turpium, melius est, quàm reminisci. Quod maximè verùm est, loquendo de illo, qui turpe commisit, cui pœnale est reminisci: & Scriptura dicit Deum obliuisci peccatorum, & ea esse tecta; quòd licèt oporteat exponere propter infinitatem intellectionis diuinæ, quam nullum cognoscibile positiuum, vel priuatiuum potest subterfugere, tamen quòd realiter sint abscondita, vel oblita illis, qui commiserunt, nullum inconueniens esset. 23

quæst. 6.

Melius est obliuisci, quàm reminisci turpium. 3. Topic. c. 10. Psal. 31.

Si hoc non placet, quia semper remanebit in eis memoria habitualis peccatorum, & quandocunque exibunt in actualem recordationem, tunc ad vitandum tristitiam, dicendum est vel quòd Deus suspendat causalitatem illam, quam recordatio nata esset habere respectu tristitiæ; & hoc quidem possibile est, sicut suspendit naturalem actionem ignis respectu puerorum in camino: sed tunc erit miraculum quoties recordantur, quòd non tristentur; vel si fugitur miraculum, oportet dicere quòd causa naturalis potest impediri per contrarium excellens, ne causet effectum, & maximè quando contrarium totaliter replet capacitatem passi. 24

Beati recordando peccata cōmissa, dupliciter liberari possunt à tristitia.

Ita in proposito, gaudium de obiecto beatificoreplet totaliter capacitatem Beati, &

& ideò non est capax tristitiæ, quæ nata esset consequi illam recordationem. Vincit enim illud obiectum in causando gaudium, virtutem illius recordationis in causando tristitiam, quia secundùm Aristotelem 7. *Ethic.* delectatio vehemens excludit quamcunque tristitiam, non solùm contrariam, sed etiam contingentem. *Cap. 18.*

Quomodo Beatus habet quicquid vult. Contrà, habet *nolle* respectu istius recordati: ergo non habet quidquid vult: igitur non est beatus, *ex* 13. *de Trinit. c.* 5. Respondeo Beatus habet quidquid vult de præsenti, vel de futuro, de præterito autem quidquid vult, hoc est, velle non fuisse, non habet, nec hoc arguit miseriam, quia impossibile est præteritum non fuisse.

COMMENTARIUS.

72 *Ad 3. responsio.* [b] AD *Tertium*, &c. Hoc fuit ex eo, si poneretur memoria in anima beata, sequeretur quòd haberet memoriam omnium peccatorum commissorum in via, quod falsum esse probat ex Isaia, & Gregorio. *An in Beatis sit memoria peccatorum commissorũ.* Deinde sequeretur quòd anima haberet displicentiam peccati; quia in perfecta charitate existens neutro modo non se posset habere: quia neque complaceret in peccato, sed potiùs ex motiuo perfectæ charitatis displiceret, & consequenter haberet tristitiam aliquam, & miseriam, contra istum statum perfectæ beatitudinis. *Responsio Richardi.* Ad hanc obiectionem respondet Richardus *in* 4. *dist.* 43. *art.* 7. *quæst.* 1. *in corpore, in vltima clausula:* quòd recordatio illa peccatorum præteritorum, non sit eis in pœnam: sed in gaudium de diuina misericordia, iuxta Gregorium verbis citatis lib. 4. Moralium circa finem, vbi adducit verba citata psalmi *Misericordias Domini in æternum cantabo*, &c. Vnde ibidem Gregorius dicit: *Gregor.* *Plerumque incolumitatis tempore ad memoriam dolores præteritos sine dolore reducimus, & quo nos ægros fuisse recolimus, eo nos incolumes plus amamus*, &c.

73 *Impugnatur.* Contra hanc solutionem vrget Doctor: quia diuersa obiecta sunt, Deum remisisse peccatum, & peccatum fuisse: ergo sicut in *esse* sunt diuersa: ita etiam in intellectione possunt esse diuersa: ergo potest vnum sine altero seorsim concipi, & si contendas, duos illos actus semper concomitari, saltem sunt duo obiecta intelligibilia, *Diuersa sunt peccatũ fuisse, & peccatũ fuisse remissum.* & prior natura est peccatum fuisse, eiúsque intellectio, quàm peccatum fuisse remissum: quis ergo actus sequitur, in voluntate ad priorem intellectionem? quia vel complacentia, vel displicentia, vel nullus actus, si primum, peccat: si secundum, est tristitia: quia nolitum euenisse causat tristitiam ex Augustino *de Ciuit. lib.* 14. *cap.* 15. si autem nullus actus; erit etiam malus: quia si viator deliberatè considerans peccatum, peccat omittendo displicentiam; quantò magis beatus? quia magis ordinatur secundùm inclinationem charitatis ad odium eius, quod est contra voluntatem Dei. Respondet postea ad illud Gregorij, quòd in vniuersali recordatur miseriæ, sed non in particulari, cùm sciat iam se esse beatum.

74 *Declaratur impugnatio.* Hæc impugnatio responsionis prædictæ duo includit. Primum est, quòd recordatio sit peccati commissi per diuersum actum recordationis ab eo, quo cognoscitur fuisse remissum. Secundum est de actu voluntatis, sequente illam cognitionem, & magis vrget illa ratio, quam adducit de viatore, quatenus dicit obligari ad displicentiam peccati, quoties deliberatè venit in eius memoriam, cuius contrarium resoluimus in secunda parte huius commenti, de præcepto pœnitentiæ, licèt sit hæc sententia Alensis, & plurium antiquorum. Quantùm ad primum dictum de diuersitate intellectionis, & obiectorum, rectè asseritur: nam hîc agitur de cognitione in genere proprio: & sicut diuersa fuit memoria vtriusque in via, neque prima, quæ fuit peccati commissi, dicit ordinem ad secundam, quantùm est ex natura memoriæ, seu speciei, quæ tum fuit impressa, quando peccatum fuit commissum actu, & fuit præsens: remissio autem neque tum determinatè præuidebatur pro certa differentia temporis determinata, & quæ tum primùm transiuit in memoriam, quando contingit pœnitentia, licèt etiam tum non fuit illa certitudine nota, nempe physica, sed tantùm quadam morali, sicut fuit certum peccatum fuisse commissum. *Prima eius pars sustinetur.* Ex hoc ergo sequitur, sicut memoria peccati commissi, est diuersa, ita etiam posse transire ad actum secundum: ergo, quod est intentum, non necessariò ex natura rei concurrit tum memoria peccati commissi in proprio genere, licèt fortè in Verbo recurrat, & sic, sit simultanea, aut consequens; non inde sequitur quin voluntas ex inclinatione charitatis perfecta possit habere displicentiam peccati, vt est offensa Dei, quam displicentiam nata est sequi in voluntate tristitia, tanquam naturalis effectus, qui non est in potestate voluntatis immediatè, & per se supposita disconuenientia obiecti ad talem voluntatem in patria, quæ quantùm est adhærens fini perfectiùs per amorem, & fruitionem eius, tantùm etiam redditur ei disconueniens offensa Dei. *Beatus potest displicere de peccato commisso.* Quærit ergo, supponens non esse tristitiam in Beato, quænam est radix vnde suspendatur talis tristitia, supposita memoria peccati præteriti, quod magis disconueniens est voluntati in tali statu, quàm fuit in via; supposito etiam amore charitatis in via. Quod enim adducitur de gaudio ob peccatum remissum, verum est; sed ille actus est diuersi obiecti, & sub ratione formali diuersa; nempe vt respicit misericordiam Dei, vt pro præterito remittentis: *Gaudium de remissione, & laus respiciũt misericordiã.* quòd enim Beatus inclinetur ex motiuo misericordiæ ad laudem miserationum, hoc non tollit ab eo quin etiam ex motiuo perfectæ charitatis operetur circa obiectum proportionatum per displicentiam peccati commissi: ergo ratio præcisa non tristandi non in hoc consistit: videtur namque voluntas fruens fine magis necessitari per amorem eius ad fugam offensæ, quàm ex misericordia recepta ad laudem Dei: *Displicentia de offensa respicit charitatem.* etsi spectemus conformitatem ad diuinam voluntatem magis determinat ad ea quæ opponuntur charitati, quàm ad alia, quæ consequuntur ad misericordiam exercitam; quia altior est charitas, qua quis coniungitur fini, quàm gratitudo, aut recognitio ex gratitudine beneficij recepti. Quod si ergo sit perfecta displicentia in Beatis de peccato, quæritur vnde suspendatur tristitia? nam ex actu gratitudinis circa remissionem non suspenditur

ſuſpenditur ex natura rei, quia vterque poteſt in via compati.

75 Illa autem probatio, quam affert Doctor de viatore, eum ſcilicet teneri ad diſplicentiam peccati, quoties memoriæ occurrit ſaltem deliberatè, loco allegato à Scholiaſte, videtur eidem eſſe rigoroſa, & eius etiam oppoſitum tenuimus ſuo loco. Reſpondetur tamen hîc differere contra Richardum, qui in ea ſententia fuit *in* 4. *diſtinct*. 14. *art*. 9. *quæſt*. 1. Itaque non ex propria aſſertione hîc differit: ſed ad hominem. Reſponderi poteſt ſecundò, aliud eſſe de obligatione particularis præcepti pœnitentiæ; aliud verò de diſpoſitione voluntatis hîc, & nunc, quamuis præceptum pœnitentiæ non vrgeat circa peccatum commiſſum, quoties memoriæ occurrit, etiam deliberatè, & cognitione, quam vocant aliqui practicam: quia nempe præceptum illud eſt affirmatiuum, quod non obligat ſemper, & pro ſemper. Deinde, quia præceptum obligat ad pœnitentiam per modum ſatisfactionis legis præſcriptæ, quæ ſi exhibita ſit, ceſſat obligatio præcepti, quoad peccata iam confeſſa legitimè, & cum diſpoſitione requiſita, tamen poteſt ex diſpoſitione voluntatis, & debito ordine ad finem obligari voluntas, vt cognito peccato deliberatè, & practicè, habeat diſplicentiam eius, non per modum pœnitentiæ, & ſatisfactionis, ſed per fugam ex inclinatione, vel charitatis, vel rectitudinis debitæ ſeruandæ in ſubiectione ad legem & regulam, ita vt voluntas non diſplicens de peccato commiſſo, licèt etiam confeſſo, vt ſic deliberatè propoſito, vt practicè, ea ratione, qua natum eſt ſolicitare voluntatem ex natura, & modo cognitionis ad actum aliquem habendum circa ipſum, teneatur habere diſplicentiam eius, vel ex affectu iuſtitiæ, & rectitudinis; vel ex inclinatione charitatis, & debito finis in illis circumſtantiis deliberatæ conſiderationis; vel certè inclinatione debitæ rectitudinis ſeruandæ: nam cognitio illa deliberata, & practica videtur ordinari ad aliquem actum voluntatis, ſi ad vllum certè ad diſplicentiam: nam & ipſa deliberatio perfecta videtur, etiam antecedenter, aut concomitanter dependere à voluntate, & ordinari tanquam medium operandi circa materiam, cuius eſt, maximè ſi ſpectat ad voluntatem illa materia. Voluntas ergo in eo caſu, ex proprio affectu antecedente inclinatur ad aliquem actu eliciendum regulariter, & ſi eſt ordinata, debet elicere diſplicentiam peccati, iuxta motiua, quæ proponuntur hîc, & nunc. Si dicas voluntatem poſſe ſuſpendere omnem actum. Reſpondetur neque regulariter ita ſuſpendere, neque in his circunſtantiis id ſufficere ad rectitudinem debitam ſeruandam; quia videretur ſic contemptus, & non recta diſpoſitio eius ad regulam, & finem: in Beatis autem eſt perfectiſſimè ordinata voluntas per adhæſionem ipſam, & fruitionem conſummatam finis; ergo nequit, quantùm eſt de ſe, cognitum peccatum non odio habere. Argumentum itaque Doctoris vel primo, vel ſecundo modo intelligi poteſt. Neque hoc eſt contrà aliàs dicta de præcepto pœnitentiæ, vt eſt ſatisfactio lege præſcripta: quia illa iam ſufficit exhibita: ideóque neque hîc Doctor exprimit tale præceptum, ſed tantùm agit de diſplicentia in genere, & ex motiuo offenſæ, prout nata eſt, & debet haberi ex charitatis inclinatione: quæ diſplicentia licèt poſſit eſſe pœnitentialis, tanquam ſufficiens diſpoſitio: tamen vlteriùs præceptum pœnitendi ordinat eam ad ſacramentum, cui ſubordinatur; neque requiritur in priori diſplicentia vt fiat ad finem ſatisfaciendi pro peccato, vt dictum eſt.

Differit Doctor ad hominem.

2. Reſponſio.

Non obligari ad diſplicendum ex pœnitentiæ præcepto.

Obligari ex motiuo charitatis.

Cognitio practica, & deliberata eſt à voluntate ex affectu finis & operationis.

Obiectio ſoluitur.

Explicatur Scopus Doctoris.

c *Dico tamen poſſibile eſt*, &c. Reſpondet ipſe Doctor primò, poſſibile eſſe deberi à Beato memoriam peccati, quòd non derogaret quantùm ad perfectionem illius ſtatus, ſiue ſupernaturalem, ſiue naturalem ipſius Beati, non derogaret perfectioni eius ſupernaturali; quia ſpectaret ad quandam eius beatitudinem accidentalem; quia ſicut innocens habebit gaudium de ſua innocentia; ita qui fuit nocens, licèt non habebit gaudium de innocentia; quia eſſet gaudium apparentis ex errore, qui in eum ſtatum non cadit: tamen remouendo memoriam peccati commiſſi tollitur ab eo cauſa per ſe impediens eius gaudium. Non erit contra perfectionem naturalem; quia ſicut delebitur à Beato omnis habitus, & ſpecies erroris, quem in via habuit, & hoc ſpectat ad naturalem perfectionem eius in eo ſtatu, ſicut & carere habitibus inordinatis appetitus & voluntatis, ita etiam videtur ſpectare ad perfectionem eius naturalem, vt tollatur ab eo omnis cauſa triſtitiæ, & impeditiua gaudij pleni, & perfecti. 76

Reſponſio propria.

Poſſibile eſſe à Beato tolli memoriam peccati. Non derogaret talis extinctio memoriæ.

Auferuntur habitus praui, & falſi ſeu erroris à Beatis.

77

Dicit ſecundò, quòd licèt non deleatur memoria peccati, poſſe Deum non concurrere, vt vnquam reducatur in actum, quod ſufficeret ad excludendam proximam cauſam triſtitiæ, licèt non remotam: hoc autem dato, non redderetur in vllo gradu imperfectus: quia ex Philoſopho *quorundam obliuiſci, vt turpium melius eſt*; & ſicut Scriptura docet Deum obliuiſci peccatorum, eáque tegere, licèt non poſſit id poni ex parte diuinæ cognitionis infinitæ; tamen vt reſpectiuè ad eos, qui ea commiſerunt, reddantur oblita, & quoad immutationem, & quoad memoriam nullum inconueniens eſſet. Hæc reſponſio ſaluat quidem intentum, aſſignata cauſa poſſibili, ex qua ſuſpenderetur triſtitia, nempe ablata cauſa eius; ſed videtur ad illum ſtatum pertinere memoria beneficiorum Dei, & redemptionis, ac liberationis à peccato, & miſericordiæ obtentæ, quia vt rectè Gregorius, ex his etiam oritur gaudium, & vox laudis; ideò reſponſio ſequens magis placet, quia illam priorem inſinuat tantùm vt poſſibilem.

2. Reſponſio.

Poſſibile eſſe Deū non concurrere ad actum memoriæ.

Dicit ergo, ſi non placet prior reſponſio, recurrendum eſſe ad diuinam ſuſpenſionem, quatenus Deus ſuſpendit concurſum, ne ex tali memoria oriatur triſtitia. Vel certè dicendum eſt impediri per contrarium excedens, vt eſt ſumma delectatio in voluntate, qua redditur incapax triſtitiæ, aut alicuius miſeriæ, poteſt ergo eſſe voluntas diſplicens peccati ex inclinatione perfecta ad finem, ſine eo quòd ſequatur triſtitia ex præmiſſis cauſis, quarum quælibet ſufficit, replica vltima rectè ſoluitur in litera.

3 Reſponſio præfertur.

Suſpendi triſtitiam.

QVÆSTIO



QVÆSTIO IV.

Vtrùm Beati cognoscant orationes quas offerimus?

D.Thom. 2.2.*quæst*.83. *art*.4. *&* 3.*part.quæst*.10. *art*.2. *& hic quæst*.3. *art*.5. D.Bonau. *art*.3. *quæst*.1.2.3. Bellarm.*l*.1.*de Beatit.Sanct.cap*.17. Suarez 1.*part.tract*.1.*l*.2.*cap*.28. Feuarden.*tom*.1.*l*.10.*&* 12.

1 VLTIMÒ quæro, Vtrùm Beati cognoscant orationes, quas offerimus? Quòd non. Isa 63. *Abraham nesciuit nos, & Israël ignorauit nos.* Ibi dicit Augustinus quòd mortui nesciunt, imò Sancti, quid agant viui. Et Hieron. ibi. Quære in originali. *Arg.1.*

Præterea, Deus solus nouit secreta cordis: oratio mentalis, quæ maximè est Deo accepta, & huiusmodi: ergo, &c. *Arg.2.* *3. Reg. 8. & 2. Par. 6*

Præterea, non oportet eos nosse nisi ad hoc vt orent pro nobis: sed consequens est inconueniens, quia non sunt in statu meriti: ergo non possunt orare, quia in oratione per se consistit meritum. *Arg.3.*

Contra hoc est vnus error, quem tangit Hieron. in epistola ad Vigilantium. *Rat. ad op.*

SCHOLIVM.

Animam separatam posse acquirere notitiam abstractiuam, & intuitiuam omnium sensibilium, & spiritualium finitorum; vnde cogitationes cordium ab ea sciri possunt, si sibi relinquatur. De quo 2.dist.9. quæst.2.ad 1.& 4.dist.10.quæst.8. ad 3. Oppositum tenent Thomistæ 1.part.quæst.57.art.4. Scotum sequuntur Occam.2. quæst.20. quodl.4. quæst.13. Gabr 2.dist.9 quæst.2.art.2.& lect.31.in Can.Bassol. ibi, quæst.2.Leuchet q.1. Maior.quæst.3. Holcot.1.2 quæst.4. ad 2. & omnes Scotistæ.

2 [a] HIc tria sunt videnda. Primò, si Beatus naturali cognitione nouit orationes nostras. Secundò, si cognitione supernaturali. Tertiò, si cognoscens pro nobis oret.

[b] De primo est tactum *in solutione 2. quæst. huius dist.* qualiter anima separata potest acquirere notitiam, non solùm abstractiuam, sed etiam intuitiuam, non solùm sensibilium, sicut potest coniuncta; sed etiam quorumcunque intelligibilium proportionatorum, & proportionaliter præsentium: proportionatum autem est sibi quodcunque intelligibile creatum: ergo orationem, siue vocalem, quam & coniuncta posset nosse per sensus corporis, siue mentalem, quæ tunc erit sibi proportionata, potest tunc intuitiuè nosse; si tamen immoderata distantia non impediat, de qua tactum est: quæst. illa secunda.

[c] Nec valet, quòd intellectus actum suum proprium habet occultum cuicunque creaturæ, & actum voluntatis pari ratione occultum, quia hæc sunt intima creaturæ, & per consequens nihil potest ista nosse, nisi quod est intimum creaturæ; tale est solus Deus, qui illabitur. Hoc non concludit, quia manifestum est quòd omnem actum voluntatis meæ potest intellectus meus nosse: sed intellectus alius perfectior creatus potest in illud obiectum, in quod potest intellectus meus, si non impediat determinatus ordo ad alia intelligibilia, nec defectus proportionatæ præsentiæ. Intellectus autem separatus æquè perfectus est, sicut intellectus coniunctus, vel perfectior: & non determinatur ex aliquo ordine ad non cognoscendum operationes alterius intellectus, vel voluntatis, nec præsentia requisita necessariò deficit, quia potest esse sine illapsu: alioquin enim Angelus nullam posset habere præsentiam debitam respectu alterius à se, cùm nulli illabatur, quia hoc repugnat creaturæ. *Intellectum separatum posse intelligere cogitationes cordium. De quo 2. d.9. q.2.ad 1.*

3 Quod ergo dicis talem operationem esse intimam: Respondeo, intimior est sibi essentia, quàm operatio: & tamen intellectus alius separatus potest essentiam intelligere. Nec valet, hoc est intimum inhærendo, vel quod plus est, idem in essendo: ergo nihil cognoscit illud intimum, nisi per illapsum. Imò ratio videtur prætendere ad hoc, quòd quasi extrinseca rei magis possint cognosci ab intellectu separato, quàm spiritualia intrinseca: quod non est verum, imò magis proportionatum est obiectum intellectui separato essentia rei intelligibilis, vel operatio intrinseca, quàm aliquod *Cogitationes cordiũ magis proportionata obiecta intellectui separato, quã sensibilia.*

aliquod sensibile: quia intellectui puro, purum intelligibile, est magis proportionatum intelligibile, dum tamen sit finitum.

Si obiicias, intellectus separatus, & intellectus coniunctus, habent idem obiectum primum: sub obiecto autem primo intellectus coniuncti, non continetur operatio: ergo nec sub obiecto intellectus separati. Respondeo, dictum est alibi, quòd generalius est obiectum primum intellectus vt est talis potentia, quàm obiectum primum motiuum eius pro statu isto: & sub obiecto primo modo accepto, continetur quodcunque ens creatum, non autem sub obiecto secundo modo. Et ratio est, quia nunc determinatè mouetur à sensibilibus, vel ab his, quæ abstrahuntur ab his, propter ordinem immediatum ad phantasticam virtutem, quæ tunc non erit. Primo ergo modo accipiendo obiectum primum, maior est vera, minor falsa: secundo modo minor vera, & maior falsa.

In 1. d. 3. q. 3.

COMMENTARIUS.

1 *Ordo & diuisio quæst.*

[a] *Hic tria sunt videnda*, &c. Partitur quæstionē in tres articulos. Primus quærit, an Beatus cognitione naturali noscat orationes nostras? Secundus, an supernaturali cognitione? Tertius, an cognoscentes pro nobis orent?

2 *Modus cognoscēdi anima separata.*

[b] *De primo tactum est*, &c. Scilicet *in quæst. 2. huius distinctionis*, vbi dictum est animam separatam posse acquirere cognitionem tam abstractiuam, quàm etiam intuitiuam à rebus, & à quibuscunque obiectis sibi proportionatis, & præsentibus. Proportionatum autem obiectum est omne intelligibile creatum, quia illud continetur sub obiecto primo intellectus, modò ponatur in *esse* & quod non includit essentialiter ordinem ad Deum, vt docet *in 1. d. 3. quæst. 3.* Requiritur præterea vt sit obiectum sibi proportionaliter præsens in ratione mouentis, quia non in qualibet distantia mouet obiectum, aut mouere potest ad sui cognitionem intuitiuam, aut ad speciem etiam abstractam, seu abstractiuè repræsentantem.

3 *Quid de cogitatione cordis dicendum.*

[c] *Nec valet quod intellectus*, &c. Hîc occurrit responsioni quorundam, de cordis cognitione, quatenus est occulta aliis præter solum Deum: quæ quæstio magis determinatur per se *in 2. d. 7. & d. 9.* eam breuiter tangemus in responsione ad secundum. Dicitur ergo quòd cogitatio cordis, & affectus non contineantur sub obiecto naturali animæ separatæ alterius. Ratio est, quia hæc sunt intima animæ, & consequenter nihil potest illa noscere, nisi quod est intimum creaturæ, qui est solus Deus ipsi illabens. Videtur mihi alludere ad rationem quandam Richardi *in 2. d. 8. ar. 2. quæst. 4.* qui dicit Angelum, aut animam separatam, non posse attingere cogitationes merè internas, & affectus alterius; quia nempe simplicitas Angeli, & animæ est alicuius magnitudinis spiritualis limitatæ, in qua est profunditas limitata, in qua quandiu tenentur cogitationes, & affectus, ad eas nequit attingere alius quàm Deus, qui illabitur animæ. Hanc impugnat Doctor, quia potest intellectus prius cognoscere vtrumque: ergo etiam intellectus perfectior, nisi alia obstet ratio huic extrinseca, & diuersa, nempe impedimentum ex determinato ordine, aut distantia: neutrum horum necessariò interuenit, quia non determinatus ordo, quasi cogitatio illa non esset per se intelligibilis, aut contenta sub obiecto intellectus perfectionis, sed determinatè tantùm sub obiecto intellectus imperfectioris. Distantia etiam potest obesse: ergo, &c. Respondet deinde ad illud, quo dicitur cogitatio esse intima, magis intimam esse essentiam. Deinde, dicit consequentiam non valere: est intimum inhærendo, aut essendo: ergo nequit cognosci ab alio. Deinde, subiicit obiectionem, quam soluit ex dictis *in 1. dist. 3. quæst. 3.*

Responsio Richardi.

Impugnatio.

Omissa hac controuersia, quantùm ad scopum huius conclusionis, quæ intenditur in articulo præsenti, facilè expediri potest, dicendo nullum esse velamen, aut impedimentū ex parte obiecti, quin cognosci posset à Beato, modò non esset distantia improportionata, quia nempe orans intendit suum affectum, qui sit mentalis tantùm, cognosci à Sancto, vt ad eum, vel per eum dirigit orationem ad Deum. Antecedente autem consensu cogitantis, aut etiam affectantis internæ, iam nullum est impedimentum, neque ex diuino concursu, neque ex natura obiecti, vt omnes concedunt, quin possit à sancto cognosci naturaliter obiectum sic applicatum, in proportionata saltem distantia. Responsionem autem prædictam non adducit Doctor ad finem probandæ conclusionis, sed vt naturam obiecti proportionati intellectus explicet, sub quo statuit cogitationem ipsam, & affectum quantùm est ex natura vtriusque in reipsa spectata, & seclusa causa extrinseca; itaque remitto vlteriorem discussionem ad locum proprium huius quæstionis, licèt aliqua *infra* ad responsionem secundi argumenti principalis subnotare oporteat. 4

Solutio dubij.

Per consensum cogitantis tolli impedimentū cognoscendi cogitationem.

SCHOLIUM.

Probabilius est orationes ad Sanctos directas, vel ad Deum, ipsorum nomine, ipsis reuelari, hoc tamen ad beatitudinem non requiritur. Ita D. Thom. 2. 2. quæst. 83. art. 4. & 3. part. q. 10. art. 2. & hîc quæst. 3. art. 5. Vide Suar. 1. part. tract. 1. l. 2. cap. 28. Bellarm. l. 1. de Beatit. Sanct. cap. 17. Feuard. i tom. 1. l. 10. cap. 12.

[d] De secundo articulo, dico quòd non est necesse ex ratione beatitudinis quòd Beatus videat orationes nostras, neque regulariter, siue vniuersaliter in Verbo, 4
quia

quia non est aliquid quasi necessaria sequela beatitudinis: neque quòd reuelentur, quia neque talis reuelatio necessariò sequitur beatitudinem. Beatitudo enim intellectus in obiectis creatis non transcendit quiditates, seu illa quorum essentia visa est necessaria ratio videndi.

e Tamen quia congruum est Beatum esse coadiutorem Dei in procurando salutem electi, eo modo, quo hoc sibi potest competere: & ad istud requiritur sibi reuelari orationes nostras specialiter, quæ sibi offeruntur, quia illæ specialiter innituntur meritis eius, tanquam mediatoris perducentis ad salutem, quæ petitur; ideò probabile est quòd Deus Beatis reuelat de orationibus sibi, vel Deo in nomine eius oblatis. *Orationes nostras noscunt Beati.*

COMMENTARIVS.

5 *Art 2. Quorundam error.* d *De secundo articulo dico*, &c. In hoc puncto fuit error quorundam apud Epiphanium, *heres.* 78. *&* 79. dicentium Beatam Virginem non secus inuocandam esse, quàm Deum ipsum. Hic error repugnat Scripturæ, & rationi, psalm. 83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus*, &c. Psalm. 120. *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniat auxilium mihi*, &c. Montes intelliguntur Sancti (vt exponit Augustinus *ibi. & tract.* 1. *in Ioann.*) à quibus auxilium petimus, sed illud tantùm expectamus à Deo: *Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum, & terram.* Iacobi 1. *Omne datum optimum*, &c. *desursum est descendens à Patre luminum*, &c. Patet ex consuetudine Ecclesiæ, quæ intercessionem à Sanctis postulat in Missa, & officiis tam propriis, quàm communibus, & Litaniis, quò per eorum intercessionem gratia impetretur à Deo. Deinde beneficia, quæ postulantur per intercessionem Sanctorum, sunt supra vires creaturæ: ergo ab Authore suo petenda sunt. Ex dictis patet quomodo interpreranda sunt aliqua verba, in quibus aliquando sonat modus loquendi, quasi aliter à Sanctis postulatur tanquam authoribus: quia sensus, intentio, & fides spectanda sunt, & interpretenda verba iuxta materiam subiectam: *vt saluos facerem*, inquit Apostolus aliquos ex illis, *ad Rom.* 9. nempe per prædicationem, & ministerium. Hinc etiam calumnia hæreticorum reiicitur, mentientium nos colere Sanctos, tanquam Deos. *Deus largitor beneficiorum: Sancti intercessores.*

Hæresis aliorum. Ex aduerso alij hæretici negant Sanctos esse orandos: hunc errorem docuit Vigilantius apud Hieronymum contra eundem. Henriciani, seu Petrobrusiani, apud Bernardum, *serm.* 66. *in Cantica.* Vualdenses apud Antoninum 4.*part. titul.* 11. *cap.* 7. Vvitclephus apud Vualdensem, *tom.* 3. *titul.* 12. *cap.* 108. Hussitæ apud Syluium *de origine Bohemorum cap.* 35. Tandem Lutherus *in lib. ad Vualdenses.* Caluinus *lib.* 1. *instit. cap.* 20.

6 *Sanctos esse inuocandos.* Contrarium est de fide. Ieremiæ 15. *Si steterint Moyses, & Samuël coram me*, &c. *Stare* intelligitur pro *orare*, & hæc locutio contigit post mortem vtriusque, & intelligitur de ipsis verè, vt intelligit Hieronymus *in illum locum.* Chrysostomus *hom.* 1. *in* 1. *ad Thessalonicen. cap.* 1. *homil.* 1. Gregor. *lib.* 9. *Moralium, cap.* 12. Ex quo supponitur vtrumque solitum fuisse orare pro populo. Idem patet 2. *Machabæorum, vlt.* vbi Iudas vidit Oniam Sacerdotem, & Ieremiam orantes pro populo. *Apocalyps.* 5. vbi dicitur phialas plenas odoramentorum, quas gestabant 24. Seniores, esse orationes Sanctorum *Lucæ* 18. Diues curam gessit suorum fratrum; ergo à fortiori Sancti gerunt curam nostri. *Apocalyps.* 6. Martyres orant vindictam de persecutoribus suis, & Ecclesiæ, ex amore iustitiæ. *Tobiæ* 12. *Apocal.* 8. *Daniëlis* 1. *psalm.* 9. *Math.* 18. Angeli curam nostram gerunt, & orant pro nobis: ergo & alij spiritus beati Sanctorum *Apocal.* 2. Patet idem ex præmio promisso iis, qui vsque in finem perseuerauerint, vt habere potestatem super Reges, & regna, &c. in qua designatur eos recipere patrocinium, & potestatem super viuentes, sicut & Angeli habent, & ipse Christus recepit à Patre: ergo curam gerunt salutis commissorum. Videantur Hilarius, August. & cæteri expositores in Psalm. 2. Primasius, Beda, Rupertus in cap. 2. Apocalyps. Patet etiam hanc curam manere Apostolis ex præfatione sua antiquissima, de qua Paschasius in Epistola 4. decretali. *Vt iisdem rectoribus gubernetur*, &c. quæ sententia est expressè Basilij *in oratione pro quadraginta Martyribus.* Nazianzeni *orat. in Cyprianum*, Hilarij *in Psalm.* 114. Ambrosij *lib.* 8. *in Lucam.* Leonis Papæ, *serm.* 8. *de sua assumptione, & serm.* 3. Maximi, *in sermone de Martyribus.* Theodoreti, *lib.* 8. *ad Græcos, circa finem.* Cypriani, *lib.* 1. *epist.* 1. & omnium Patrum, & totius Ecclesiæ semper, & ab initio, & omni ætate, vt præfati Authores citati à Scholiaste, fusissimè docent, & alij Controuersistæ passim, & præcipuè Coccius *tom.* 1. *lib.* 5. *de Sanctis Ecclesiæ*, per decem articulos, omnis ætatis Patres, & Doctores citans; ex quibus nobis sufficiunt iam præmissa indicare.

In hoc ergo secũdo articulo, dicit primò Doctor, non esse necesse ex ratione beatitudinis, vt Beati in Verbo videant orationes nostras, siue regulariter, siue etiam vniuersaliter; quia neque in his consistit eorum beatitudo: neque dicunt necessariam connexionem ad ipsam beatitudinem essentialem, sicut dotes beatifici corporis, delectatio, cognitio aliqua creaturarum possibilium, iuxta mensuram ipsius beatitudinis, non autem spectat ad rationem beatitudinis essentialis cognoscere decreta Dei, aut eius prouidentiam ad extra circa res particulares; & minùs spectat ad beatitudinem essentialem cognoscere cogitationes cordis, aut affectus. In hac parte huius articuli, seu conclusione non negar Doctor quin etiam in Verbo possint cognoscere nostras orationes; sed dicit hoc non esse necessarium, neque pertinere ad intrinsecam rationem beatitudinis, prout in se consideratur; aut etiam quoad consequentiam inquantùm est retributio ipsius Beati, & ordinatur ad bonum priuatum, & personale eius. Excludit ergo sententiam, quam docet D. Thomas 3. *part. quæst.* 10. *art.* 2. *&* 2.2. *quæst.* 83. *art.* 4. vbi Caietanus dicit enim Beatos in 7 *An Beati in verbo cognoscant orationes nostras.* *Quid per visionẽ in verbo cognoscitur.* *Sententia D. Thomæ.*

in primo instanti suæ beatitudinis videre omnia illa quæ ad se quoquo modo pertinent, & proinde etiam nostras orationes ad ipsos directas; quod etiam docere videtur Gregorius *lib.* 12. *Moral. cap.* 13. Docet autem Doctor hoc non esse necessarium: quia beatitudo stare potest consummata in quolibet Beato sine tali visione, sicut maior, æqualis, & minor potest stare in aliis, qui tales orationes ad se non pertinentes non vident: ex alia etiam parte possunt orationes cognosci alia via, quàm per visionem in Verbo.

8 *Beatorum cooperatio ad nostram salutem.* [e] *Tamen quia congruum est*, &c. Quòd congruum sit Beatum esse coadiutorem Dei in procuranda nostra salute, nempe intercedendo, & patrocinando apud Deum, & curam nostri gerendo, & in hoc versatur communio Sanctorum, & Ecclesiæ militantis cum triumphante, *Nostri curam gerunt.* quæ est primitiuorum, *ad Hebræos* 12. ad quam nos accessisse docet Apostolus: nam facti non hospites, & aduenæ, sed ciues Sanctorum, & domestici Dei *ad Ephes.* 2. Mansio nostra est Ierusalem, quæ sursum est, *ad Galatas* 4. Si ergo membra sumus illius Ecclesiæ, & nomina nostra scripta sunt in cælis, sequitur etiam vt membra adiuuari à cælestibus. Augustinus lib. 20. de Ciuitat. cap. 9. *Cyprian.* Cyprianus de stella, & Magis, & Innocentium morte: *Innocentes in ordine Sanctorum protomartyres primum habent locum, & secretorum conscij diuinorum propinquitate familiarissima clementiam Dei pro nostris exorent laboribus*, &c. Patet ex dictis, & ex Epistola Episcoporum Europæ ad Leonem Imperatorem, quæ ponitur Concilium Chalcedonense, in qua declaratur Proterius inter Sanctos. Item *act.* 11. eiusdem Concilij de Flauiano. In 6. Synodo *cap.* 7. in 7. Synodo, *act.* 6. Gerundensi *cap.* 3. Aurelianensi primo. *can.* 29. Mogunt. sub Carolo Magno *cap.* 33. Tolet. 5. *cap.* 1. Tolet. 6. *cap.* 2. Bracharen. 2. *cap.* 9. in quibus Conciliis indicuntur Litaniæ ad inuocationem Sanctorum: quod & fecit Gregorius Magnus, vt in vita eius legitur, & deinceps obseruatur ab Ecclesia: *Sancti sunt ergo coadiutores Dei in procurãda nostra salute, eo modo*, inquit Doctor, *quo hoc ipsis competit, nempe intercessione per Mediatorem Christum; ad hanc autem intercessionem requiritur vt ipsis reuelentur à Deo nostræ orationes specialiter oblatæ, quæ innituntur meritis Sancti huius, vel illius, vt mediatoris perducentis ad salutem, quæ petitur*, &c. Intelligitur *Mediatoris* modo iam dicto, non vt specialiter competit Christo, sed tantùm impetratoriè, vt competit Sanctis orantibus. *Ambros.* Ambrosius serm. 93. in natali Nazarij, & Celsi Martyrum: *Non clauditur locis quod diffunditur meritis, inuocasti vbique Martyrem, vbique exaudit ille, qui honoratur in Martyre. moderante itaque eo, qui pensat vota tua, & dispensat munera sua, intantum vicina præsentia efficacis præbebitur aduocati, inquantum fuerit fides deuota suscepti*, &c. Et libro de viduis: *Possunt pro peccatis orare nostris, qui proprio sanguine, si qua habuerunt peccata, lauerunt*, &c. orat. 2. præparante ad Missam: *Apostolorum intercessionem imploro*, &c. *Talium Domine Deus preces nunquam spernis, si vt pro me exorent ipse inspiraueris*, &c.

9 *Sciri orationes à Beatis per reuelationem.* *Ideò probabile est quòd Deus Beatis reuelat de orationibus sibi, vel Deo nomine eius oblatis*, &c. illud verbum *probabile est* non refertur ad sententiam vniuersaliter, quasi tantùm probabile sit Sanctos siue in Verbo per visionem, siue alia via cognoscere nostras orationes: quia hoc vt certum supponitur: sed illa particula denotat modum, quo sciantur, nempe probabile esse sciri per specialem reuelationem Dei factam, quando oratio fit ad Sanctum: neque necessarium esse vt per visionem in Verbo tantùm cognoscantur, vt dicit prior sententia citata, quamuis vtroque modo sciri possit, & intantum prior modus à Doctore reiicitur, inquantùm induit necessitatem cognoscendi, quasi aliter cognosci non possit à Sancto oratio ad ipsum facta, quia in hoc non est statuenda regula certa, cùm variis modis cognosci possit, Deo hoc, vel illo modo manifestante: nam Gregorius *loco citato*, & *lib.* 2. *Dialog. cap.* 35. & *lib.* 4. *cap.* 33. indicat cognosci in Verbo, sicut & Augustinus carmine de gaudiis Paradisi:

Qui scientem cuncta sciunt
Quid hi nescire queunt?

Hæc autem sententia Patrum non tam statuit modum determinatum cognoscendi, quàm intendunt possibilitatem cognitionis, ita vt non sit impossibile Sanctis in cælo cognoscere ea, quæ in terris fiunt, Deo cognitionem eorum causante in intellectu Beati.

Idem autem Augustinus *de Ciuitate Dei lib.* 22. *cap.* 29. indicat cognosci etiam hæc à Beatis per spiritum prophetiæ, & donum, quod habent in cælis. Item *lib. de cura pro mortuis habenda cap.* 15. insinuare videtur hanc cognitionem esse per reuelationem. Sanctus Hieronymus *contra Vigilantium, cap.* 2. indicat cognosci etiam orationes in proprio genere à Sanctis præsentibus, vbi inuocantur: non hoc autem statuit Hieronymus quasi aliter etiam non præsentes cognoscant, sed vt occurrat argumento hæretici, qui Sanctos certo loco inclusos, & inde non recedere posse affirmabat, vt hinc deduceret eos non audire orationes inuocantium. *In Deo*, inquit, *leges* *Hieron.* *pones, tu Apostolis vincula iniicies, vt vsque in diem iudicij teneantur in custodia, nec sint cum Domino suo: de quibus scriptum est*, sequuntur Agnum quocunque vadit? *Si Agnus vbique: ergo & hi, qui cum Agno sunt vbique esse credendi sunt*, &c. Quod intelligitur accommodatè vt mox dicam: & sequitur: *Et cùm Diabolus, & Dæmones toto vagentur orbe, & celeritate nimia vbique præsentes sint, Martyres post effusionem sanguinis sui, area operientur inclusi, & inde exire non poterunt?* &c. Intendit ergo Hieronymus non Martyres esse vbique, neque ipsum Agnum, nempe Christum, quà homo est. Quod indicat ipsa Scriptura *quocumque ierit*, &c. Nam *ire* denotat locum nouum acquirere, in quo antè non fuit: sed intendit, sicut ipse Christus etiam quandoque necessitatibus suorum fidelium adest, etiam præsentia locali sua dignatione, & assistentia, qua omnes erigat, ita etiam Martyres non includi certo loco, quin adesse suis inuocatoribus possint, & aliquando contingat, vt latè probat Coccius *articulo nono citato*. & patet ex monumentis Ecclesiasticis, ac vitis Sanctorum, Sanctos sæpe missos esse in adiutorium animarum & Ecclesiæ laborantis: & hoc solùm intendit Hieronymus: quo casu, vt *suprà* visum est, possunt ipsi præsentes intueri nostras actiones, & supplicationes. 10

In hoc ergo puncto certum est orationes deferri ad Sanctos, eásque ab eis cognosci: in modo autem cognoscendi non est certa regula statuenda, 11

statuenda, ita vt vno tantùm modo cognoscantur, prout dicit sanctus Thomas, & consequenter ad sua principia. Nam negaret actum fidei esse posse in patria, sicut & habitum, vt tenet *in* 3.*dist.*31. *quæst.*2. *art.*2. *quæst.*3. *&* 1.2.*quæst.*67. *art.* 3. *quæst.* 185. *& de veritat. quæst.* 13. *artic.*2. hac ratione negaret etiam prophetiam, aut actum propheticum esse in patria, quà obscurum est, aut certè remota persona à veritate cognita, vt docet 2.2.*quæst.*174.*art.*5. *in corpore, & ad secundum*; negaret ergo consequenter orationes nostras cognosci posse à Sanctis per reuelationem hoc modo dictam, ideóque potiùs cognosci in Verbo, tanquam aliquid spectans ad ipsum sanctum.

Sententia negans actũ fidei in patria.

Cæterùm licèt admittamus prophetiam, & fidem actualem non posse esse in patria, non inde sequitur ab initio cognitas esse orationes nostras, tanquam aliquid pertinens ad beatitudinem: quia cognitio in Verbo rectè saluari potest per hoc, quòd ostendantur quando sunt, & non antequam sunt, quod rectè fieri potest; & sic intelligi etiam potest Doctor loqui de reuelatione, quatenus extenditur ad nouam rei ostensionem in Verbo, quæ aliàs non fuit cognita intuenti; neque regulariter spectat tanquam necessarium ad beatitudinem. Ita videtur Doctor significare *responsione ad primum.*

Orationes posse cognosci in Verbo quãdo fiunt.

12 Dici etiam potest, non repugnare dari cognitionem fidei obscuram in patria cum euidentia in attestante respectu alicuius, quod ad statum beatitudinis non spectat, & quod aliàs non videtur in Verbo. Hanc concedit Bassolis *in* 3. *distinct.*31. *quæst. vnica, art.*2. Rubio. *distinct.*24. *quæst.*2. *art.*2. *conclus.*1. quos sequitur Molina *ad primam* 2.*quæst.*67. *art.*3. & videtur Doctoris *suprà in hoc* 4. *distinct.*10. *quæst.* 8. *in fine*, vbi dicit fidei non succedere visionem, nisi respectiuè ad obiectum primarium, & sic intelligi potest illud Apostoli 1.ad Corinth.13. *Cùm venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est:* nam vt docet Augustinus *lib.*5. *de Ciuit. cap.*19. Beati nesciunt sæpe dispositionem particularem Dei circa agenda, vt patet ex illa controuersia Angeli Danielis, & Angeli Persarum circa conuersionem Iudæorum, ideóque conuertunt se ad Deum, vt instruantur, quæ instructio potest fieri per reuelationem in Verbo, mediante visione, vel per reuelationem in ænigmate, mediante actu fidei: nam actus visionis, & fidei non opponuntur circa diuersa obiecta. Dici etiam potest, per lumen peculiare, & propheticum cognosci illas orationes in seipsis, & sic etiam videtur sentire Augustinus *de Ciuit. lib.*22.*cap.*29. Exemplo Helisæi, qui absens spiritu prophetico cognouit serui sui peccatum, & à fortiori id conuenit Sanctis per Augustinum sic interpretantem illud Apostoli: *ex parte prophetamus, cùm autem venerit quod perfectum est: quod ex parte est, euacuabitur*, &c. Et in fine concludit: *sed quantò ampliùs tunc omnes munere isto abundabunt, cùm Deus erit omnia in omnibus?* &c. Potest ergo per scientiam actualem infusam à Deo sciri istud obiectum in proprio genere, mouente diuina voluntate ad eius cognitionem intuitiuam, quando existit. Possunt etiam sciri orationes fidelium scientia acquisita vt Angeli sciunt, si Beatus ipse adest, eo modo, quo dicit Hieronymus. Conclusio ergo est certa, nempe illas sciri à Beatis. Modus autem sciendi potest esse multiplex, & fortè omnes isti modi de facto nunc quoad aliqua, nunc quoad alia concurrunt. Intentio autem Doctoris est, non necessariò sciri ex vi visionis, & probabiliter dici posse per reuelationem sciri, vt plures sustinent.

Posse dari actum fidei in patria.

Varij modi quibus cognosci possunt à Sãctis orationes nostræ.

August.

Scopus Doctoris.

SCHOLIVM.

Sanctos pro nobis orare; quod latè ex Sanctis Patribus probant, Feuard. & Bellarm. citati. Explicat optimè modum quo pro nobis orant, & an sciant se exaudiendos, nécne, pro quibus orant.

5 f DE tertio articulo videtur dubium, quia si reuelatur eis talem petere per eos salutem, aut aliquid pertinens ad salutem: aut vident Deum talem velle saluari, aut nolle, aut non velle. Si velle, ergo sciunt quòd saluabitur: frustrà ergo orant. Si nolle, non orabunt pro aliquo nolito ipsi Deo: si non velle, sciunt quòd non eueniet: ergo frustrà orarent.

Respondeo, Beatum orare pro aliquo potest intelligi, vel oratione habituali, vel actuali: & loquor hîc tantùm de oratione mentali, quæ est desiderium oblatum Deo ea intentione, vt ab ipso habeatur optatum: si de habituali, illa est perpetua, & generalis pro omnibus electis, sed de ista non est difficultas. Si de actuali, istam habet aliquis Sanctus specialiter, quando sibi reuelatur aliquem ipsum actu inuocare: quia rationabile est, vt velit merita sua illi valere ad salutem, qui Deum specialiter inuocat sibi per illa merita subuenire. Illa autem oratio non repugnat beatitudini, quia benè potest aliquis perfectionem summam adeptus, velle vt per sua merita, per quæ ad illam perfectionem attingit, alius per suam orationem attingat, ita vt sua merita non sibi soli sint propria, sed alij de beneficio Dei acceptantis, valeant: sicut posset aliquis summum gradum adeptus in Curia Regis, per aliqua obsequia, velle orare pro aliis, non vt per orationem huiusmodi ad maiorem gradum amicitiæ attingat: sed vt merita, per quæ attigit ad talem gradum, aliis ad huiusmodi merita recurrentibus succurrant. Et hoc, supposita liberalitate Regis acceptantis illa

Quomodo Beati actu pro nobis orant.

illa, non tantùm pro illo, ſed pro aliis ex liberalitate ſua, qua pro minori bono retribuit, non tantùm maius bonum, ſed etiam plura bona: dum tamen per nouum actum voluntatis plures illud bonum ſibi applicent, & faciant quaſi ſuum.

Non oportet Beatum ſcire ſe exaudiendum, vel non, pro eo, cui orat.

g Cùm igitur arguis, Beatus aut videt Deum velle, aut nolle. Reſpondeo, nullum membrorum oportet dare, nedum de ſalute finali illius, qui orat, ſed nec de exauditione illius orationis, quam nunc offert: non enim ſequitur, Deus reuelat Petro Ioannem nunc petere *A*, per merita Petri: ergo reuelatur Petro Ioannem ſaluandum, vel non ſaluandum. Nec etiam ſequitur, ergo ſibi reuelat Ioannem exaudiendum, vel non exaudiendum in iſta petitione; tamen eſto, quòd reuelaretur ſibi iſtum exaudiendum, vel non exaudiendum in iſta petitione; non ſequitur, ergo fruſtrà orat: quia ſicut Deus vult illum ſaluare, & exaudire, ita vult per determinata media, vtpote per orationem talis Beati ipſum conſequi. Si autem reueletur Petro determinatè quòd Deus nollet illam orationem exaudire, Petrus non eſſet ibi mediator in orando. Si verò non reuelatur ſibi quòd velit, nec quòd nolit, Petrus orat expectans vt orationem ſuam conſequatur determinata reuelatio exauditionis, vel ſaltem determinatus effectus exauditionis quantùm ad ipſum petentem. 6

Ad arg. 1.

h Ad argumenta principalia. Ad primum, dico quòd Abraham pro tempore, pro quo intelligitur illud Iſaïæ, fuit in Lymbo, & per conſequens non Beatus: & ideò neſciuit filios ſuos Iudæos habitantes in terra Iſraël, quia nec notitia naturali intuitiua, quæ impeditur per immoderatam diſtantiam, ſicut eſt dictum *in 2. quæſt.* nec notitia reuelationis ſpecialis, quia non habuit illam viſionem in Verbo, quam concomitatur regulariter talis reuelatio. Non ergo concludit de Beatis, quibus in Verbo regulariter reuelantur, quæ à Deo ſpectant, vel tanquam beatitudinem eorum augens, vel tanquam pertinens ad cauſalitatem eorum reſpectu beatitudinis aliorum. 7

Ad 2.

Quomodo dicitur ſolus Deus noſſe abſcōdita cordis.

i Ad ſecundùm, dico quòd nihil eſt in mente, operatio, ſcilicet quæcunque intellectus, vel voluntatis, vel quæcunque proprietas, vel conditio realis huius, vel iſtius, quin totum ita pateat Angelo proportionaliter præſenti non impedito, vel animæ non impeditæ proportionaliter præſenti, ſicut animæ coniunctæ apparet albedo præſens per ſenſus. Illud ergo dictum, quòd ſolus Deus nouit abſcondita cordium; verum eſt vniuerſaliter & ex propria perfectione, ita quòd impoſſibile eſt quòd per aliquid impediens ſibi lateat. Nouit etiam, vt iudex vniuerſalis omnium talium occultorum, illo modo, quo nec Angeli boni, nec mali, nec animæ ſeparatæ nouerunt; imò de facto Beati multos tales motus non nouerunt, propter defectum præſentiæ debitæ: mali autem multa talia etiam præſentia proportionaliter non nouerunt, Deo impediente, propter cuius impedimentum non poſſunt multa, quæ tamen non impediti naturaliter poſſent.

Ad 3. Oratio noſtra nobis, & aliis meritoria, Beatorum tantū aliis.

k Ad tertium, dico quòd oratio noſtra nunc duplicem habet effectum: vnum, quia meritoria oranti, imò opus valdè meritorium: alium, quia ex hoc quòd ſpecialiter dirigitur pro alio, meritoria eſt illi, pro quo offertur; & primo modo Beati non habent orationem, ſed ſecundo modo. Nec eſt inconueniens, aliquem, qui iam eſt in termino quoad ſe, per orationem mereri alteri: ſicut videmus in politiis, vbi Rex illud quod vult dare, vult tamen per interceſſionem alicuius dare, alicui qui non eſſet dignus ſtatim exaudiri, & maximè vult, ſi aliquis apud eum maximè acceptus intercedat, qui tamen acceptus nullum gradum vlteriorem amicitiæ ſibi idem mereretur. 8

Impetratio eſt meritum de congruo.

Aliter poſſet dici breuiter, & quaſi redit in idem; quòd ſicut impetrat Beatus aliis, non ſibi: ita cauſat meritum aliis, & non ſibi. Oratio enim ſua eſt diſpoſitio de congruo, vt propter eam Deus concedat illud, quod impetrat illi, cui petit: & iſta eſt meritum, non iſtius pro ſe, ſed pro illo cui redditur, quod huic merito, quaſi pro præmio proximo correſpondet.

COMMENTARIVS.

13 f DE *tertio articulo videtur dubium*, &c. Mouet hîc difficultatem contra concluſionem præmiſſam, qua tenetur Sanctos nobis poſtulantibus, orare. Difficultas eſt, quia vel ſciunt Deum velle annuere, vel nolle; ſi ſciunt velle, fruſtrà orant, quia id eueniet; ſi nolle, non orant. Reſpondet primò, Sanctos oratione habituali orare perpetuò pro omnibus electis: oratione verò actuali hîc & nunc pro eo, qui eum inuocat; quia rationabile eſt, inquit, vt velit merita ſua illi valere ad ſalutem, qui Deum ſpecialiter inuocat, per illa merita ſubuenire. Docet deinde illam orationem non repugnare beatitudini, quia attingens ſummum gradum perfectionis, poteſt velle vt ſua merita, per quæ ad illum gradum peruenit, etiam aliis valeant. Exemplum adiicit in politia humana, quando

Ratio dubitandi.

Reſponſio oratio habitualis.

Oratio actualis.

Merita Sanctorum inuocantibus proſunt.

quando aliquis per obsequia peruenit in gratiam Regis, ordinatè vult vt eadem obsequia etiam valeant aliis ad ipsum recurrentibus, apud Regem, sic ergo se habet communicatio Sanctorum, & merita, quæ placuerunt, & placent Deo, vt illi charitatem, quæ sui communicatiua est, possident perfectissimè in patria, id perfectiùs præstant quod etiam in peregrinatione pro aliis solicitè præstiterunt, & eorum merita apud Deum valeant, quæ nunquam in obliuione sunt, & intuitu eorum inuocantibus fiat propitius. August. serm. 1. de Sancto Stephano: *Si igitur exauditus est Stephanus, vt eius orationibus deleretur peccatum quod commiserat Saulus, commendemus ergo nos eius orationibus: multò magis enim nunc exauditur pro veneratoribus suis, qui sic exauditus est tunc pro lapidatoribus suis*, &c.

August.

14 g *Cùm igitur arguis*,&c. Respondet ad rationem dubitandi non esse necessarium vt Sanctus orans videat Deum velle salutem eius, pro quo orat, neque videre si velit orationē exaudire, vel non exaudire: neutrum enim est necessarium: dato autem quòd videat etiā Deum velle exaudire, non sequitur eum frustrà orare: quia Deus sicut vult illi determinatè salutem, ita etiā vult salutem per determinatum mediū per orationē Beati, dare ei media, & gratiam, qua consequatur salutem. Quantùm ad alterum membrum si reuelatur Sancto eum non exaudiendum, non orat, si verò non reuelatur, orat donec de alterutro effectu ipsi constet.

Soluitur ratio dubitādi.

Non necessario notum est Sancto si Deus eum exauditurus sit dum orat.

15 h *Ad argumenta principalia. Ad primum*, &c. illud fuit Isaiæ 63. *Abraham nesciuit nos, & Israël ignorauit nos*, &c. Citatur Augustinus, & Hieronymus in originali, sed aliter explicant illum locum: nam Hieronymus loquitur de scientia approbationis: quia recesserunt à Deo, ideò nullam eorum curam fuisse Abrahæ, & Israëli. Subiudicari fortè possint in præmissa allegatione verba obscura quædam Hieronymi ad Galatas 6. super illud: *Vnusquisque onus suum portabit. Obscurè licet*, inquit, *docemur per hanc sententiolam, nouum dogma, quod latitat, dum in præsenti sæculo sumus, siue orationibus, siue consiliis inuicem posse nos coadiuuari; cùm autem ante tribunal Christi venerimus, non Iob, non Daniel, nec Noë rogare pro quoquam, sed vnumquemque portare onus suum*, &c. Respondet Fernandus Vellosillus *in aduertentiis ad tom.9. Hieron. quæsito 16.* Sanctum Hieronymum loqui per antiphrasim, & ironicè: alludit enim ad dogma Vigilantij, & verba eius quæ citat in declamatione contra eundem, quæ sunt ista: *Dicis*, inquit, *in libello tuo, quòd dum viuimus mutuò pro nobis orare possumus, postquam autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio, præsertim cùm Martyres vltionem sui sanguinis obsecrantes impetrare non quiuerint*, &c.

Responsio.

Hieron.

Explicatur Hieron.

16 Respondet Doctor iuxta mentem Augustini citati lib. de cura pro mortuis habenda c.13. *Si parentes, inquit, non intersunt, qui sunt alij mortuorū, qui nouerunt quid agamus, quidue patiamur, Isaias Propheta dicit: Abrahā nos nesciuit, & Israël non cognouit nos*, &c. Rationē autē assignat Doctor, quia erant in Limbo, & naturaliter non potuerunt cognoscere quæ hîc fiebant, quia non habuerunt beatitudinem, cui regulariter annexa est reuelatio in Verbo, eorum, quæ ad ipsos spectat, vel tanquam beatitudinem eorum augens, vel quod spectat etiam ad concursum eorum respectu beatitudinis aliorum, sic etiam Gregorius lib. 12. Moral. cap. 13. exponit illud Iob. 14. *Siue nobiles filij eius, siue ignobiles non intelliget*, &c. Dicit enim naturaliter non intelligere defunctos quid ad viuentes pertinet: tamen Sanctos Dei claritate fruentes cognoscere in Verbo quid ad se pertinet. Sancti enim in cælo curam Ecclesiæ gerunt, non tamen ex hoc sequitur Sanctos Patres in Limbo non orasse etiam pro viuis, neque Deum merita ipsorum non acceptasse: quia Synagoga semper interponebat merita ipsorum in exorandis beneficiis à Deo, & locus citatus suprà ex 2. Machabæorum id probat de Ieremia: hæc tamen oratio fuit generalis, ideóque non legimus in veteri Testamento orationem factam esse ad Sanctos in Limbo, sicut contingit in lege noua ad Sanctos in cælo: quia nempe in Limbo existentes non poterant naturaliter cognoscere illas orationes, neque ex suo statu, qui adhuc erant in carcere, debebatur talis reuelatio in particulari, licèt fortè per Angelos in casu particulari cognoscebant, vel in communi etiam per alios, qui hinc recedebant ad Limbum, non est dubium tamen per merita eorum, & orationes plura beneficia collata fuisse Synagogæ à Deo.

August.

Gregor.

Aliter orabat Synagoga, aliter Ecclesia.

i *Ad secundum dico*,&c. Secundum fuit: Deus solus nouit abscondita cordis: oratio mentalis, quæ maximè placet Deo, est actus cordis: ergo eum nequeunt Sancti cognoscere. Respondet Doctor quòd cogitationes cordis, & affectus sint obiectum proportionatum Angeli, & animæ separatæ, modò sint præsentes, & non impediantur aliunde. Quòd autem solus Deus dicatur cognoscere hæc, verum est vniuersaliter, quia sic sunt omnia præsentia Deo, etiam verum est, quia nequit impediri, vt aliquid eum lateat: nouit tertiò vt Iudex vniuersalis omnium occultorum eo modo, quo nec Angeli beati, nec mali, nec animæ separatæ, ea cognoscunt: imo Beati multos tales non cognoscunt de facto, ob distantiam. Mali etiam multa alia in præsentia non cognoscunt, Deo impediente, quæ tamen non impediti cognoscerent; intelligit nempe illa non cognosci, quæ merè sunt occulta, & quorum nullum apparet signum extra voluntatem, & intellectum. Alia verò quorum signa apparent exteriùs in corpore per motum cognoscunt Angeli mali non in se, sed in suo effectu. 17

2. Argum.

Responsio Doctoris.

Secreta cordium quomodo specialiter Deo nota, aliter quàm Angelo.

Doctrinam huius responsionis tradit Doctor *in 2. distinct. 9. quæst. 2. ad arg. 2. quæstionis, & in 4. distinct. 10. quæst. 8. ad 8.* Vbi negat Dæmones cognoscere hos actus, quia non permittuntur à Deo. Aliqui autem præmissam doctrinam in hac responsione dicunt esse duram, fortè ob illa verba, quibus dicit multa non cognosci ab Angelis bonis ob distantiam; multa etiam non cognosci à damnatis, quia impediuntur: hoc autem satis declaratur ex loco citato *in 4. distinct. 10.* vbi dicit impediri vniuersim Angelos malos ne cognoscant illa. Quòd verò dicat hîc multa, vel vniuersaliter, intelligendum est quoad ea, quibus sunt præsentia: nam alia, quibus non sunt præsentia cognoscere non possunt. Vel intelligēdum modo explicato, nempe de iis quæ consummantur ita in mente, vt nihil eorum interiùs appareat in signo, aut effectu. Vnde Hieronymus in Math. 15. *De corde exeunt cogitationes*, &c. *Non debemus*, inquit, *opinari Dæmonem occulta cordis rimari, sed ex corporis habitu, & gestibus æstimare quid versemus intrinsecus*, &c. Idem de his docet Augustinus *lib. de diuinatione Dæmonum cap.5. & lib.12. de Ciuitate Dei c.17.* 18

Declaratur solutio.

Angelos malos non cognoscere secreta cordium.

Hieron.

Cognoscunt aliquando ex signis.

Quamuis autem *lib.* 2. *Retract. cap.* 5. asserat hoc audaciùs dictum esse in re incerta, occultáque: non derogat assertioni. Id docet S. Thomas 1. *part. quæst.* 57. *art.* 4. Quin etiam experientia docet ipsos homines ex signis exteriùs apparentibus id coniicere, quantò magis Angelos? Vtroque ergo modo intelligi potest illa propositio Doctoris, & habet debitum sensum, & nõ durum.

19 *Obiectio.* Cæterùm ipsa doctrina à pluribus Thomistis censuratur ob testimonia Scripturæ, & Patrum, quibus asseritur Deum solum cognoscere cor hominis. 1. *ad Corinthios* 14. ostendit Paulus necessitatem prophetiæ ad cognoscendum cor hominis, *&* 2. *cap.* dicit, *Quis hominum scit quæ sunt hominum, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* quod dicitur propter occultos animi affatus 3. Regum 8. *Tu solus nosti corda filiorum hominum*, 1. Paralipom. 28. *Omnium corda scrutatur Dominus, & vniuersas mentium cogitationes intelligit.* lib. 2. cap. 6. *Tu enim solus nosti corda filiorum hominum*, &c. psal. 43. *Ipse nouit abscondita cordis*, &c. Psalm. 7. *Scrutans corda, & renes Deus.* Ier. 17. *Prauum est cor hominis, & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor*, &c. Id habetur Act. 1. ad Romanos, 8. ad Hebræos 4. *Discretor cogitationum, & intentionum cordis.*

Responsio aliorum. Respondent varij Doctores ad hanc difficultatem, Durandus *in* 2. *distinct.* 3. *quæst.* 7. admittit probabile esse actus internos cognosci, dum sunt, non verò futuros: idem etiam docet dici posse cognosci actum in se, sed non qualis sit ipse actus an amor, an odium. Ita etiam Argentina *distinct.* 7. *quæst.* 1. *art.* 2. *in fine.* Herueus *in* 3. *distinct.* 8. *quæst.* 3. dicit cognosci actum vt est determinatè obiecti per modum fugæ, & prosecutionis, non verò cognosci conatum voluntatis, aut intentionem actus. Henricus *quodlib.* 3. *quæst.* 13. cognosci actum in se, non tamen finem actus. Ita etiam videtur docere Ægidius de cognitione Angelorum, *quæst.* 11. *& in* 2. *distinct.* 7. *quæst.* 3. Alij præterea docent esse quidem cognoscibiles ab Angelis cogitationes cordis merè necessarios in ordine, ad quas intellectus, & voluntas merè se habent per modum naturæ, & non liberi arbitrij. Ita sonat fundamentum, quod D. Thomas 1. *part. quæst.* 57. *art.* 4. adducit quare actus liberi non possint ab Angelo naturaliter cognosci, quia nimirum spectat ad genus moralium, quod est superiotis ordinis ad entia merè naturalia, & medium inter ipsa, & entia supernaturalia; ergo supponit hæc ratio actus illos merè naturales, & non liberos esse sub obiecto naturali Angeli, & animæ separatæ. Videantur Molina, Caietanus, & Sumel in dictum articulum, citantes D. Thomam *de malo quæst.* 8. *ad* 12. *& de veritate quæst.* 8. *art.* 13.

Varij modi dicendi.

20 Omnes hi Doctores docent actus nostros sub aliqua ratione cadere sub obiecto naturali Angeli, quando ponuntur in *esse*, licèt secundùm modum aliquem, qualitatem, aut finem, aut vt liber est, non sit cognoscibilis ab eo naturaliter: & exponunt Scripturas, & Patres per determinationem, quam ipsi addunt iuxta propria cuiusque sententiæ placita. Addi possunt & alij Doctores, qui in terminis nostram sententiam tenent, nempe hos actus esse quidem naturaliter cognoscibiles ab Angelis, sed de facto non cognosci, quia Deus non concurrit. Occham *in* 2. *distinct.* 9. *quæst.* 20. Gabriel. *in Canonem Missæ lect.* 31. quod etiam Doctor locis citatis indicat, & in Reportatis *distinct.* 9. *quæst.* 2. vbi expressiùs loquitur de actibus, qui sunt fundamentum meriti, & demeriti, pœnæ, & gloriæ. Mayrones *ead. distinct. quæst.* 1. *difficultat.* 1. Ouandus *distinct.* 8. *propos.* 9. *&* 10. Herera *disput.* 11. *in* 2. *quæst.* 7. *concl.* 3. Rada 2. *part. controuers. controuers.* 8. *art.* 3. *concl.* 4. vt Lychetus, Tartaretus, & reliqui *in dicta distinct.* 9. *& distinct.* 7. sicut & Maior *distinct.* 9. *quæst.* 1. Accedit etiam Ægidius Lusitanus *tom.* 2. *de beatitudine lib.* 11. *quæst.* 8. *art.* 3. §.... qui asserit esse secreta illa cognita tam Angelis bonis, quàm etiam Beatis, per scientiam infusam, quòd perinde esset obnoxium Patribus, & Scripturæ, si in eo rigore intelligerentur, quo aliqui volunt eas intelligi debere, quasi soli Deo hæc cognitio esset propria, vel per eius reuelationem. Eorum etiam cognitio tribuitur communiter à discipulis Sancti Thomæ, Christo, secundùm intellectum creatum; quod ergo dicunt alij, posse agnosci virtute talis scientiæ infusæ, dicimus & nos, & præmissi Doctores, cognosci posse virtute naturali intellectus Angelici, & ex natura ipsius obiecti præsentis, si Deus concurrat; quia & obiectum non excedit limites naturalis obiecti, nempe ille actus; aliàs non esset cognoscibilis ab ipso eliciente naturaliter, licèt sit inferioris gradus intellectualitatis, neque aliàs assignari potest aliquis gradus in entitate actus, ad cuius cognitionem exigeretur eleuatio potentiæ, neque sententia opposita ad vllum principium rationis reduci potest, quod satisfaciat, vt probè docet Gabriel Vasquez, 1. *part. disp.* 209. *cap. vlt.* qui benè impugnat rationes assignatas ab aliis, neque ex principiis generalibus metaphysicis, quibus inuestigatur natura potentiarum, & obiectorum, subsistere potest, dari aliquod obiectum huius singularis intellectus, quod non eiusdẽ sit intellectus in specie. Si ergo intellectus elicientis sine vlla eleuatione sui, virtute sola naturali cognoscit actus suos, idem dici debet de alio intellectu non impedito, eiusdem perfectionis, & de intellectu separato, tam ex parte intellectus, quàm obiecti, quod est actu intelligibile, respectiuè ad intellectum elicientis actum. *Cognosci posse naturaliter si Deus concurrat.* *Intellectus in specie respicit idẽ obiectum & codẽ modo.*

Actus esse cognoscibiles, non cognosci de facto.

Doctoris autem sententia optimè saluat & rationem, quam aliter impugnare non possunt aduersarij, quàm replicando Scripturam, & Patres, qui dicunt Deum esse scrutatorem cordium; saluat, inquam principia rationis, dicendo quòd potest quidem intellectus ex natura potentiæ, & obiecti habere intuitionem actus talis, qui cadit sub obiecto per se eius. Saluat etiam Scripturam, & Patres, dicendo de facto non habere talem cognitionem, Deo non concurrente: vnde sequitur hoc dato, quòd cognitio talis obiecti non habeatur nisi miraculosè, quia illud miraculosè fit, quod contingit extra Dei prouidentiam ordinariam, & vniuersalem: & quamuis virtus sit in causis naturalibus respectu effectus, modò non detur concursus ex parte Dei, neque etiam determinauerit Deus secundùm suam poruidentiã concurrere, illa virtus est tantùm potẽtia remota, & non proxima, quia causæ secundæ ita dependent à concursu causæ primæ, vt illo sublato nihil possint, & omnis potentia proxima earum intelligatur respectiuè ad causam primam concurrentem ad eundem effectum; sicut v.g. causa partialis, vt ipse intellectus, respectu sui actus circa obiectũ, etiam naturalis 21 *Sententia Doctoris.* *Saluatur ratio.* *Saluatur etiã Scriptura.* *Causa suspẽsa per Dei potentiam ordinariã, sunt in potentia remota, non proxima.*

Potentia proxima causa secunda includit Dei concursum. naturalis ordinis, non dicitur esse in potentia proxima respectu obiecti nullo modo applicati, & si reduceretur ad actum respectu eius sic remoti, esset miraculum; à fortiori, causa secunda non est in potentia proxima respectu sui actus, si neque in vniuersali, neque in particulari habeat Dei concursum paratum: sed sicut concursus Dei sequitur ad suæ prouidentiæ regulas præfixas, ita *Non concurrit regulariter ad cognitionem secreti cordis.* cùm disposuerit non concurrere vniuersaliter cum intellectu alieno ad secreta cordis, ideò non potest naturaliter intellectus alienus ea pertingere regulariter: sed solùm illi, cui Deus miraculosè per donum prophetiæ, aut alio modo, præbet concursum: & licèt sit virtus completa in causa secunda, tamen non est completa respectu effectus, nisi tantùm secundùm *quid*, magis essentialiter dependet à Deo quàm à concursu obiecti: & simpliciter sic comparata ad effectum est tantùm potentia remota, & non proxima. vnde illa *Diuersum est posse remotè, & esse.* consequentia non valet; *potest intellectus quantùm est ex se, penetrare secretum cordis: ergo contra Scripturam & Patres, potest actu cognoscere illud secretum.* Nam aliud est intellectum quantùm est ex se, cognoscere posse; & aliud est cognoscere in *Causa suspēsi concursus.* actu, & sine concursu Dei, quem ex prouidentia suspendet ob finem præfixum, saltem in via, quo voluit se solùm esse arbitrum talis secreti, aut personam, cui destinauit, vt seipsum discernat in corde suo, vt ipse sui esset iudex, conscientia accusante, aut excusante.

22 Ad expositionem ergo Patrum, & Scripturæ sufficit quòd ista negatiua sit vera, nempe non cognosci de facto secreta cordis ab alio, quàm à Deo; neque dicit Doctor cognosci ab alio, nisi à solo Deo, aut ab eliciente, cui talem libertatem *Explicatio Patrum & Scriptura.* concessit; si autem cognoscatur, erit supernaturale, & miraculosum, modò manet aliàs secretum: non ex ratione, quam adducunt aliqui, quia nempe hoc genus moralium excedit cognitionem naturalem creaturæ: sed quia iuxta prouidentiam ordinariam Dei, talis cognitio excedit modò latitudinem obiecti intellectus, quem attingere potest pro hoc statu; sic dicimus impossibile esse naturaliter corruptum idem numero reproduci: tamen hoc non contingere ex defectu virtutis in causa *suprà* probauimus: sed ex Dei ordinaria prouidentia, & defectu concursus, qui ad reproductionem eiusdem non conceditur. Intellectus creatus pro hoc statu nequit cognoscere plura, quæ aliàs ex natura intellectus cognosci possint, *Instantia ad propositum declarans limitationem potentia non ex virtute propria, sed ex diuino cōcursu.* vt est essentia animæ intuitiuè, & sub propria ratione, & sic de aliis: quòd si seipsam cognosceret pro hoc statu animæ intuitiuè, esset miraculū, & supra naturam animæ, prout operatur per media ordinaria, ad determinata obiecta. Tamen certum est hanc cognitionem cadere sub virtute naturali potentiæ, quantùm est ex se, etiam vt est forma corporis: quia sic etiam videbit se in corpore glorioso, & etiam videbat seipsam intuitiuè anima Christi in corpore mortali: ita ergo in proposito, supposita limitatione cognitionis ex diuina prouidentia ordinaria, ne se extendat de facto, aut extendere possit respectu secretorum cordis in alio, totum quod dicit Scriptura, & Patres saluatur.

23 Respondetur ad argumenta, quæ ex Scriptu- *Responsio ad Scripturam.* ra opponuntur, ea extendendo vniuersaliter, prout aduersarij volunt, solutionem patere ex dictis. Respondeo secundò, Scripturam sicut est regula viatorum, ita etiam regulariter intelligi respectu aliorum viatorum hominum, quatenus non possunt attingere secreta cordis, quod verissimum est; ex congruenti autem Dei dispositione, & communi Patrum, & Theologorum, idem contingit Dæmoni non posse penetrare cordis secreta, ne viam salutis impediat, quod in confesso est apud omnes. Quod autem hominibus negat Scriptura, Deo attribuit vt sit scrutator etiam cordis, & occultorum, quem nihil latere potest, quod alios latitat. Sic intelligunt communiter Patres Scripturam. Augustinus tract. in Psal. 7. *Opera nostra*, inquit, *possunt esse nota hominibus, sed quo animo fiant, solus ille nouit, qui scrutatur corda Deus*, &c. Illa *August.* particula *solus* intelligitur respectiuè ad alios, *Excluduntur homines à cognitione secretorum.* quibuscum fit comparatio, non autem ad ipsum operantem, qui finem sui operis electione statuit; neque ad Beatos, qui in comparationem non veniunt. Prosper. in Psal. 141. *Effundo in conspectu eius*, &c. *non erat qui cognosceret me*, &c. dicit inten- *Prosper.* tionem à nemine cognosci 1. Reg. 16. *Homo videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor*, &c. Gre- *Gregor.* gorius 25. *Moral.* c. 7. intelligit de iudicio discretionis inter personas in occulto cordis, vt diffor- *Intelligi scrutationem cordis per iudicium discretionis.* me est iudicio humano in exteriori, quo putatur vnus esse Deo gratus, & iustus, qui in interiori est reprobatus; è contra verò aliquis in interiori Deo acceptus, qui in exteriori est iudicio humano reprobatus. Exemplum huius patet in filiis Isaï, quos seorsim reprobauit Deus vsque ad Dauid. Videantur ibi Expositores. Verba Gregorij sunt: *Sed hoc nunc secreto iudicio agitur* (egit antè de discretione personarum futura in iudicio vltimo secundùm opera cuiusque) *Nam iustè, & misericorditer singulorum corda vel examinans, vel disponens, alios in exteriora respuit, alios ad illa, quæ sunt intrinsecùs trahit; hos accendit interna appetere; illos pro voluptatibus suis deserit exteriora cogitare*, &c. Subdit mox contrarium iudicium humanum, quod fit tantùm secundùm apparentia, & externa, *Aliena autem corda*, inquit, *humanis oculis clausa sunt, & nescitur qui repellitur, quia penetrare nequeunt, quæ ab vnoquoque cogitantur: nam sæpe de corde peruerso necdum processit vsque ad effectum operis deliberatio cogitationis, & adhuc fortè per habitum intus attingitur, qui iam mente foris vagatur: sed talis quilibet tunc ante oculos interni iudicis cecidit, cùm ab appetendis interioribus per desiderium exiuit*, &c. Sequitur autem comparationem per iudicium caducum, & fallax hominum, quo discernitur inter vtramque personam tales existimans, quales fuerunt in vita præterita, non quales nunc sunt, aliter discernente Deo inter vtramque, &c. subdit: *occultus autem Iudex præsidens, & vtrimque corda discernens, alterum piè statuit; alterum iustè confregit*, &c. Hæc ergo discretio iudicij diuini inter personas in secreto cordis, alterum ex misericordia erigendo, alterum ex iustitia deserendo, & confringendo, est scrutatio cordis, & solius Dei miserentis, aut vindicantis: & comparatur ad iudicium dispar hominum, qui quid in corde per iudicium Dei, & misericordiam peragatur, nesciunt. Dico ergo secun- *Iudiciū discretionis est solius Dei.* dò, hoc iudicium discretionis diuersarum personarum in corde, esse solius Dei, & sic eum solum scrutari renes, & corda, quod est inquirere, & examinare, quod nulli creaturæ puræ compe- *Deum scrutari corda quoad intentionē & affectum & vires.* tit. Addo præterea, Deum scrutari renes, & corda, quoad intentionem, & affectum, eo modo, quo etiam ipsi cogitanti est imperuium, ita

vt Scriptura non solùm intelligatur respectiuè ad alios, sed etiam ad ipsum operantem, eius vires, & facultatem, qui aliquando putat se posse quod non potest, & è contra, non posse quod potest. Augustinus in psal. 41. in illa *Abyssus abyssum inuocat*, &c. *Abyssum*, inquit, *inuocant Sancti prædicatores verbi Dei, nunquid & ipsi non abyssus? vt noueris quia abyssus & ipsi, Apostolus ait: minimum est vt à vobis iudicer, aut ab humano die. quanta abyssus sit, audite amplius: neque enim meipsum iudico, tantámne profunditatem creditis esse in homine, quæ lateat ipsum hominem in quo est? Quanta profunditas infirmitatis latebat in Petro, quando quid in se ageretur intus nesciebat, & se moriturum cum Domino, vel pro Domino temerè promittebat? quanta abyssus erat, quæ tamen abyssus, nuda erat oculis Dei? nam illi Christus pronunciabat, quod in se ipse ignorabat*, &c. Hoc iudicium soli Deo competit per discretionem virium, & dispositionis præsentis creaturæ, & præuisionem futuri. sic etiam interpretatur Hieronymus *epistola* 38. *in tom.* 9. illud psalmi 7. *Scrutans corda, & renes Deus*, &c. Et sic intelligitur illud ad Romanos 2. *Qui scrutatur corda, scit quod desideret spiritus*, &c. Id est, quid secundùm rectam rationem, & debitum prouidentiæ ei expediat; ideóque multa denegat Deus ex sua prouidentia, & in misericordia petentibus, quæ putant sibi expedire, & non expediunt. Item illud Actorum primo: *Qui nosti corda solus, elige ex his duobus vnum*, &c. & cap. 2. Ioannis, illud: *Iesus autem non credebat seipsum eis*, &c. nempe qui in eum secundùm præsentem dispositionem, & iustitiam crediderunt, sed postea non erant perseueraturi.

Aug. — Profunditas animi latet ipsum operantem. — Non se cognoscebat Petrus. — Hoc iudiciũ soli Deo competit.

24 Scrutatur etiam corda Deus per interrogationem probationis, quod soli ipsi competit. Vnde Augustinus in psal. 43. in illa: *Nonne Deus requiret ista? ipse enim nouit abscondita cordis*, &c. *Nouit*, inquit, *& requirit: si nouit occulta cordis, quid ibi facit: nonne Deus requiret ista*, &c. *etenim ideò requirit Deus aliquando, & dicit sibi innotescere, quod facit tibi innotescere: opus suum tibi dicit, non cognitionem suam; dicimus plerunque lætus dies, quando serenus est, nunquid ipse dies gaudet, sed gaudentem dicimus, quia gaudentes ipse facit. Deus dicit ad Abraham: nunc cognoui quia tu times Deum, antè non cognouerat? sed ipse Abraham non cognouit, quia in ipsa tentatione ipse sibi innotuit: plerumque enim homo putat se posse quod non potest, aut putat se non posse quod potest. Accedit ad eum interrogatio ex diuina dispensatione, & per interrogationem notus fit sibi, & dicitur Deus cognouisse quod illum fecit nosse: Nunquid Petrus nouerit se, quando dixit medico: tecum sum vsque ad mortem*, &c. Et infrà adducit exemplum de iis, qui se ex charitate tradunt morti propter fidem, & qui ex sola iactatione: *Sciebat ergo*, inquit, *esse aliquos, qui hoc iactatione facerent, non dilectione: ideò obscurum est. Deus hoc solus videt, nos non possumus, ipse solus potest iudicare, qui nouit occulta cordis*, &c.

Scrutatur Deus solus corda per interrogationẽ probationis. — August.

25 Scrutatur præterea Deus cor hominis quoad statum præsentis iustitiæ, quam ipse homo, neque alius discernere certò potest. Ecclesiast. 9. *Nescit homo vtrùm odio, vel amore dignus sit*, &c. Prouerbiorum, 20. *Quis potest dicere, mundum est cor meum*, &c. Iob. 9. *Si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea*, &c. Gregorius lib. 9. Moral. c. 13. *Sæpe dum nos ipsos plùs iustò discernimus, de ipso indiscretionis studio indiscretiùs erramus, & mentis nostra acies, quò plùs cernere nititur, obscuratur, quia & qui importunè Solis radios aspicit, tenebrescit, & inde nihil videtur, vnde videre ampliùs conatur; quia igitur ab inquisitione nostra torpentes, nos omnino nescimus, aut si subtili nos discussione requirimus, plerunque inter vitia, & virtutes caligamus*, &c. vnde benè per Prophetam dicitur; *Dedit Abyssus vocem suam ab altitudine phantasiæ suæ: Abyssus quippe phantasiæ altitudinem portat: cùm humanus animus immensa cogitatione caliginosus, semetipsum etiam discutiendo non penetrat. Sed ab altitudine vocem dare est, quia dum se nequit deprehendere, cogitur in admirationem consurgere, vt eo perscrutari non audeat quod super ipsum est, quo incomprehensibilitatem suam ipse cogitans, non valet inuenire quod est*, &c.

Scrutatur Deus solus iustitiam præsentem. — Gregor.

Item Apostolus 1. ad Cor. 4. *Qui autem me iudicat Dominus est*, &c. Hieronymus in 2. dialog. contra Pelagian. Basil. in Constitut. Monast. cap. 2. *Cùm in multis offendamus Deum: maiorem tamen offensionum partem ne intelligimus quidem: idcirco Apostolus dicebat: nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum, quod idem est, ac si diceret: multa delicta committo, quæ committere me non intelligo*, &c.

Idem patet ex Psalm. 19. *Delicta quis intelligit? ad occultis meis munda me*, &c. Hunc locum communiter exponunt de leuibus peccatis, vt Hieronymus *epistola* 119. Cyrillus Alexandrinus *lib.* 4. *in Ioannem, cap.* 10. August. Theodoretus, Cassiodorus *in eundem Psalmum*. Methodius apud Epiphanium *hæres.* 65. adducens illud Apostoli: *Quod enim operor non intelligo*, &c. Intelligi tamen potest etiam de grauibus, prout intelligit Augustinus *lib. de perfectione iustitiæ, responsione* 19. Leo Papa serm. 6. in Quadrages. *Non adeò*, inquit, *de conscientia integritate fidendum est, vt humanam fragilitatem inter scandala, tentationésque degentem nihil potuisse arbitremur, quod læderet eam incidere; cùm propheta excellentissimus dicat: ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo*, &c. Idem insinuat Augustinus in Psalm. 41. loco citato. *Abyssus abyssum inuocat*, &c. *Alium*, inquit, *accipite intellectum, Abyssus abyssum inuocat in voce cataractarum tuarum: nam sub hac carne mortali, laboriosa, peccatrice, molestiis, & scandalis plena, concupiscentiis obnoxia, damnatio quadam est de iudicio tuo, quia dixisti peccatori: morte morieris, & in sudore vultus tui edes panem tuum; hæc abyssus prima iudicij tui*, &c. Hoc ibidem fusiùs prosequitur Prosper *de vita contemplatiua, lib.* 3. *cap.* 16. & 17. Pulchrè describit luctam inter iustitiam, vitium, tentationes, & voluptatem, vt difficilis sit electio, & discretio, si rectè, si malè succedat intentio, & operatio. Et patet hæc veritas, quia nemo potest certò scire quòd præstiterit quod debuit: quod confirmat Trident. *sess.* 6. *cap.* 9. & communis Theologorum contra Catherinum. Et hoc ipsum patet de actibus supernaturalibus, qui disponunt ad iustificationem, quos discernere perfectè nequit eliciens certitudine physica, aut metaphysica. Ex his patet ad Scripturas, & Patres, quatenus tribuunt Deo soli scrutari corda. Vel enim intelligi potest vniuersaliter hoc Deo ita reseruari, vt non possit intellectus creatus exire in actum circa illa obiecta, non quia non subsunt quantùm est ex se virtuti eius; sed quia ex prouidentia Dei speciali non potest exire in actum; vel

26 Intelligitur de venialibus. — Exponitur etiam de grauibus. — Leo Papa. — August. — Prosper. — Incertitudo nostra iustitiæ. — Recapitulatio dictorum.

vel intelligi respectiuè ad homines viatores, & Angelos malos. Vel tertiò intelligi de scrutatione secreti iudicij Dei, qua vnum permittit labi; alterum verò restituit. Vel quartò, qua discernit intentionem, & vires, & præuidet quid futurum sit. Vel quintò, quia probat, & ipsam personam admonet in probatione, quid possit, quid non possit. Vel sextò, quia discernit iustitiam, & iniquitatem in persona, & iudicat secundùm opera, & affectus. Variis ergo modis occulta cordis cognoscit, eo modo, quo nequit cognoscere creatura. Ex quo patet primum membrum solutionis datæ à Doctore. Patet etiam solum Deum scrutari cor, iudicio approbationis, aut reprobationis. Ex quo patet secundum membrum solutionis. An autem Beati, aut Angeli boni cognoscant de facto cogitationes cordis, non affirmat Doctor, sed potiùs in locis citatis videtur negare, sed solùm dicit non esse improportionatum obiectum intellectui beato, si Deus concurreret; vel non impediat; cognosci autem de facto à Beatis secreta cordis docet Ægidius Lusitanus *loco citato*, & videtur expressa sententia Hieronymi *loco supra adducto*, *cap*. 2. contra Vigilantium, & Gregorij *lib*. 18. *Moralium*, *cap*. 27. vbi explicat illa Apocalypsis 21. quibus dicitur

An de facto Beati cognoscunt secreta cordis.

Gregor.

27 Ierusalem cælestis esse ex auro mundissimo, similis vitro pellucido: *Quid ergo*, inquit, *aliud in auro, vel vitro accepimus, nisi illam supernam patriam, illam beatorum ciuium societatem, quorum corda sibi inuicem, & claritate fulgent, & puritate transtucent? Quia enim Sancti omnes summa in ea beatitudine claritate fulgebunt, instructa auro dicitur; & quoniam ipsa eorum claritas vicissim sibi in alterius cordibus patet; & cùm vniuscuiusque vultus attenditur, simul & conscientia penetratur*, &c. Loquitur autem non de cognitione in Verbo, sed in proprio genere, & subiungit infrà rationem: *Quippe* inquit, *vniuscuiusque nostrum ab alterius oculis, membrorum corpulentia nō abscondet, sed patebit animus, patebit corporalibus oculis ipsa etiam corporis harmonia, sicque vniuscuiusque erit conspicabilis alteri, sicut nunc esse non potest conspicabilis sibi, nunc autem corda nostra, quamdiu in hac vita sumus, quia ab altero in alterum videri non possunt, non intra vitrea, sed intra lutea vasa concluduntur*, &c. In prima parte huius authoritatis insinuat quòd ex natura rei secretà cordium, & conscientia vnius Beati sit aperta alteri; & loquitur de hominibus beatis in corpore, & anima, vt erunt. *Et cùm vniuscuiusque vultus*, inquit, *attenditur, simul & conscientia penetratur*, &c. Dicit præterea corporis clarificati harmoniam cerni oculis corporeis. Adducit præterea rationem cur hoc impediatur in præsenti statu, inter viatores, propter corpulentiam, quam oculi penetrare non possunt: intellectus autem ligatus sensibus nequit vltrà procedere videndo, vt suprà dictum est *quæst*. 2. & 3. Quamuis autem hæc ratio non sit adæquata, quare viatores non attingunt secreta sua, est sufficiens. Primum autem continet assertionem absolutam, & sine limitatione, neque dependet à ratione subiuncta, qua ostenditur nos in hac vita non posse cognoscere secreta; quæ ad priorem assertionem nihil facit, sed ad posteriorem, qua negat nos videre corda aliorum. Sequendo ergo assertionem illam, qua dicitur Beatos videre conscientias mutuas. Sequitur etiam quòd videant conscientias viatorum, & cognoscant perfectiùs, quàm ipsi viatores: quia ratio adducta de viatoribus non infert contrarium. Quamuis autem dicatur non pertinere ad omnes Beatos hæc scientia, iis tamē nō repugnat, neque ex diuina prouidentia, neque ex natura rei, vt nobis communicant, & curam nostri gerunt: quia talis scientia in profectum viatorum cedit, & Ecclesiæ. Vnde sicut Deus ad profectum Ecclesiæ communicat donum prophetiæ quibusdam sanctis viatoribus, ex speciali prouidentia, ad fructum aliorum, & ædificationem Ecclesiæ (ad quem finem tendunt gratiæ gratis datæ, vt docet Paulus) per quod donum penetrant secreta cordium; ita etiam videtur hoc conuenire Beatis, inquantùm nostri curam gerunt, & saltem Angelis administratoribus beatis, qui gerunt curam hominum, hoc videtur competere ex officio, & administratione, siue, vt aliqui dicunt, per scientiam infusam; siue vt nos putamus, ex concursu debito suæ administrationi, & ex natura rei virtute potētiæ habentis concursum Dei, & obiecti. Res autem incerta est, cui non inhæreo, quia nec Doctor asserit Angelos cognoscere secreta cordium, etiam bonos, sed tantùm habere virtutem ad hoc, quantùm est ex natura potentiæ, & obiecti, siue Deus actu concurrat, siue non concurrat. Neque contra hoc facit Scriptura, & Patres, vt patet ex dictis. Discussionem integram quæstionis, & variarum sentētiarum remitto in locum propriū: quia hîc tantùm sustinere libuit responsionem datam, & obuiare huic vnico argumento, quo impugnatur. Solutiones datæ soluunt authoritates in specie, quibus vtuntur aduersarij, vt legenti apparebit.

Beati penetrāt mutuas conscientias.

Nō repugnare Beatis videre secreta cordium.

Hoc specialiter conuenire Angelis.

Sententia Doctoris.

k *Ad tertium dico*, &c. Tertium fuit, quòd Sanctis non competat cognoscere nostras orationes, quia ideò conueniret vt orarent: sed hoc est inconueniens, quia non sunt in statu meriti: ergo non possunt orare, quia in oratione cōsistit meritum. Respōdet Doctor orationem, nempe iusti in statu viæ, & esse meritoriam respectu personæ propriæ, & esse impetratoriam pro altero. Primum non habet in Beato, qui iam est in termino, & non in statu profectus, aut acquirendi præmij per merita, cuius est iam in possessione. Secundum autem habet in patria oratio Beati, quia alteri de congruo meretur, seu impetrat. Exemplum adducit ex politia humana, in qua amicus Regis intercedens alicui gratiam impetrat, quam alioquin ipse non meretur, licèt Rex intendat aliàs dare gratiā per intercessionem alterius, qui ex impetratione illius gratiæ non crescit in vllo gradu amicitiæ pristinæ apud Regē. Aliter dicit Sanctos de congruo, & impetratoriè nobis mereri, non autem de condigno: quia sic nullus aut viator, aut in patria, meretur alteri: sed solus mediator est Christus, qui de condigno meruit nobis gratiam, & gloriam perseuerantibus finaliter. 28

Ad tertium.

Responsio.

Sanctorum oratio est impetratiua pro aliis.

Exemplum.

Non mereri nobis de condigno.



DISTINCTIO XLVI.

De statu, & conditione malorum post mortem.



Ed quæritur hîc de valde malis: vtrùm & ipsi in aliqua pœnarum mitigatione Dei misericordiam sentiant, vt minùs quàm meruerint puniantur? Quidam autumant eos nullam releuationem pœnæ habituros: quod confirmant Iacobi auctoritate dicentis, *Iudicium sine misericordia fiet illi, qui non fecit misericordiam.* Augustinus etiam ait, [Misericordia hîc, iudicium in futuro. Idem distinguens quomodo omnes viæ Domini sint misericordia, & veritas, ait: Erga Sanctos, omnes viæ Dei misericordia: erga iniquos omnes, veritas, quia & in iudicando subuenit, & ita miserando id exhibet quod promisit, ne desit veritas. Erga omnes autem, quos liberat, & condemnat, omnes viæ sunt misericordia & veritas: quia vbi non miseretur, vindictæ veritas datur.] Dicens vbi non miseretur, dat intelligi aliquid à Deo fieri, vbi ipse non miseretur. Sed his occurrit quod ait Cassiodorus super Psalm. 50. loquens de misericordia & pietate Dei, [Hæ duæ, inquit res iudicio Dei semper adiunctæ sunt. Ergo & in punitione malorum non est iustitia sine misericordia.] Idem de iudicio & misericordia ait, [Hæc duo mutua societate sibi iunguntur. In his breuiter omnia opera Dei includit.] Augustinus quoque respondens illis, qui reproborum supplicia finem habitura contendunt, ita illorum repellit opinionem, asserens reprobos perpetuò puniendos, vt eorum supplicia mitigari aliquatenus non neget. [Frustrà, inquit, nonnulli æternam damnandorum pœnam, & cruciatus sine intermissione perpetuos humano miserantur affectu, atque ita futurum esse non credunt: non quidem Scripturis aduersando diuinis, sed pro suo motu dura quæque molliendo, & in leniorem flectendo sententiam: quæ putant in eis terribiliùs esse dicta quàm veriùs. *Non enim* (inquiunt) *obliuiscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas.* Hoc quidem in Psalmo legitur: sed de his intelligitur, qui sunt vasa misericordiæ: quia & ipsi non pro meritis suis: sed Deo miserante de miseria liberantur. Aut si hoc ad omnes existimant pertinere, non ideò necesse est vt damnationem opinentur finiri posse eorum, de quibus dictum est, *Ibunt hi in supplicium æternum.* Ne hoc modo putetur habitura finem fœlicitas eorum, de quibus è contrario dictum est, *Iusti autem in vitam æternam.* Sed pœnas damnatorum certis temporibus existiment (si hoc his placet) aliquatenus mitigari. Et sic quippe intelligi potest manere ira Dei in illis, id est, ipsa damnatio. Hæc enim vocatur ira Dei, non diuini animi perturbatio: vt in ira sua, id est, manente ira sua, non contineat miserationes suas, non æterno supplicio finem dando, sed leuamen adhibendo, vel interponendo cruciatibus: quia nec Psalmus ait ad finiendam iram suam, vel post iram suam, sed in ira sua. Quæ si sola esset, alienari à regno Dei, & carere magna multitudine dulcedinis Dei, tam grandis tamen est pœna, vt ei possint nulla tormenta, quæ nouimus, comparari: si illa sit æterna, ista autem

Iacob. 2. c. *Super octonarium 19.* *Matth. 5.* *Idem Cass. super Psal. 100.* *In Ench. c. 112. contra illos, qui asserũt malorum cruciatus terminandos.* *Psal. 76.* *Rom. 9. c.* *Mat. 25. d.*

A

tem

tem sit quamlibet multis sæculis longa. Manebit ergo sine fine mors perpetua damnatorum: & ipsa omnibus erit communis, sicut manebit communiter omnium vita æterna Sanctorum.] Ecce ita asserit hîc pœnas reproborum non esse finiendas, quod non improbat, si dicatur eorum supplicio aliquod leuamen adhiberi. Vnde non incongruè dici potest, Deum etsi iustè id possit, non omnino tantum punire malos in futuro, quantum meruerunt: sed eis aliquid, quantumcunque mali sint, de pœna relaxare. *Ibid.c.13.*

Determinat præmissas auctoritates.

B QVOD ergo dictum est, iudicium sine misericordia fieri illi qui non fecit misericordiam, ita intelligi potest, quòd iudicium damnationis fiet illi, qui non fecit misericordiam, pro eo quòd fuit sine misericordia. Vel fiet iudicium in fine misericordia liberante, & saluante: qui tamen in aliqua pœnæ alleuiatione misericordiam Dei sentiet. Ita cùm dicitur misericordia hîc, iudicium in futuro: non negatur quin in futuro sit misericordiæ effectus, & in electis, qui per misericordiam ab omni miseria liberabuntur, & in reprobis, qui minùs quàm meruerint cruciabuntur. Sed hîc non sine causa dicitur fieri Dei misericordia, & iudicium in futuro: quia & hîc multis modis miseretur Deus, quibus non miserebitur tunc. Vocat enim Deus nunc peccatores & iustificat, quod tunc non faciet: & tunc reddens singulis secundùm merita sua manifestè iudicabit, qui nunc occultè iudicat. [Cuius occultum iudicium (vt ait Augustinus,) intelligitur pœna, qua quisque, vel exercetur ad purgationem, vel admonetur ad conuersionem: vel si contemnit, excæcatur ad damnationem.] Occultum ergo iudicium Dei pœna dicitur, qua iudicat purgando, conuertendo, vel excæcando. Iudicia quoque Dei interdum appellantur dispensationes eius de omnibus rebus. Vnde, *Quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius!* Et; *Iudicia eius abyssus multa.* Iudicium autem, quo in futuro iudicabit, intelligitur sententia Iudicis, qua ventilabitur area, id est, diuidentur localiter boni à malis, ministerio Angelorum: & isti in vitam ducentur, illi in supplicium mittentur, qui nunc simul mixti sunt.

Iacob.2.e. *Luc. 5.c.* *Tom.8. De occulto iudicio Dei, in expositione tituli. Psal.9.* *Rom.11.d. Psal. 35. De sententia Iudicis Mat.25.c.*

De iustitia, & misericordia Dei.

C SED quomodo iustitiam Dei, & pietatem, id est, misericordiam, suprà Cassiodorus duas esse res dixit, quæ semper adiunctæ sunt iudicio Dei? Iustitia enim Dei, & misericordia non duæ res sunt, sed vna res, id est, vna diuina essentia est, sicut suprà pluribus auctoritatibus ostensum est. Quia non est Deo aliud esse misericordem, quàm misericordiam: nec iustum, quàm iustitiam: sed idem prorsus. Nec aliud est ei esse misericordem, quàm iustum: vel misericordiam, quàm iustitiam: sed omnino idem, quia non denominatiuè, sed essentialiter hæc de Deo dicuntur. Cur ergo dicit Scriptura de operibus Dei, quædam esse misericordiæ, quædam iustitiæ? Si enim iustitia Dei misericordia est: quæcunque sunt opera misericordiæ, esse videntur iustitiæ, & è conuerso. His responderi potest sic, illis locutionibus, quibus huiusmodi operum fiunt distinctiones, vt alia misericordiæ, alia iustitiæ, alia bonitati attribuantur: non diuersitas subiacentis, id est, rei, his vocabulis significatè exprimitur: sed varietas sensuum, & effectuum in crea-

§.1.lib.1.de operibus iustitiæ, & misericordiæ, & bonitatis Dei. *Responsio.*

tutis monstratur. Cùm enim dicitur Deus *iustus*, vel *iustitia*, essentia diuina prædicatur : & etiam quòd ipse sit distributor, & Iudex meritorum, intelligi datur. Ita & cùm dicitur *misericors*, essentia diuina prædicatur : & insuper, quòd ipse sit miserorum liberator , intelligi datur. Similiter cùm dicitur *bonus*, essentia diuina prædicatur, & insuper auctor omnium bonorum ostenditur. Ita & cùm dicitur *Deus*, essentia diuina prædicatur, & ipse timendus ostenditur. Inde ergo quædam opera misericordiæ, quædam iustitiæ dicuntur : non quin diuina essentia hæc, & illa operetur, & quin hæc, & illa sint opera diuinæ essentiæ, quæ dicitur misericordia, & iustitia : sed quia quædam sunt, quibus ostenditur iudex, & æquus distributor ; quædam, quibus ostenditur miserator. Misericors enim dicitur in natura, miserator in exhibitione. Et in quibusdam operibus dicitur effectus esse misericordiæ, in quibusdam effectus iustitiæ : non quòd aliud efficiat iustitia, aliud misericordia Dei, si ad essentiam referas : sed quia ex quibusdam effectibus intelligitur iudex, ex quibusdam miserator, vel vt quibusdam placet, iustus & misericors. Sed secundùm hoc occurrit quæstio, quomodo ex aliis ostendatur iustus, & ex aliis misericors, cùm sit idem ei esse iustum, & esse misericordem ? Si enim secundùm eandem rationem dicitur iustus & misericors, ex eo opere, quo intelligitur iustus, intelligitur misericors, & è conuerso. Sed dixi suprà, quia cùm dicitur Deus iustus, & misericors, ita eadem diuina essentia significatur, & secundùm eam idem prædicatur, vt etiam quædam diuersa intelligantur. Intelligimus enim per hoc eum esse miseratorem, & iustum iudicem. Quod euidenter Origenes ostendit dicens : [Omnia quæ Dei sunt, Christus est : ipse sapientia eius, ipse fortitudo, iustitia, sanctitas, ipse prudentia, ipse veritas. Sed cùm vnum sit in subiacenti pro varietate sensuum, diuersis nuncupatur vocabulis. Aliud enim significat *sapientia*, aliud *iustitia*. Quando enim sapientia dicitur, disciplinis te diuinarum, humanarúmque rerum instruere intelligitur. Quando iustitia, distributor, vel iudex meritorum insinuatur. Ita & prudentia cùm dicitur, doctor & demonstrator bonarum, vel malarum rerum, vel neutrarum intelligitur.]

Isid. lib. 7. Etym. c. 2.

Homil. 5. sup. Ier. super illud cap. 10. Qui fecit terram in for.

Auctoritatibus probat quædam iustitiæ, alia misericordiæ, alia bonitati attribui.

QVOD autem quædam opera misericordiæ, quædam iustitiæ, quædam bonitati attribuantur, in Scripturis facilè est reperire. Et de misericordia quidem, & iustitia manifestum est : de bonitate verò, & misericordia ampliùs latet. Sed Augustinus docet illa opera propriè ad misericordiam pertinere, quibus aliqui à miseria liberantur. Ad bonitatem verò, non solùm illa, sed facturam, & gubernationem naturalium, ita dicens, [Ad misericordiam pertinet, quòd à peccatis mundat, & de miseria liberat. Ad bonitatem verò, quòd cælum, & terram, & omnia valde bona creauit vt essent.] Idem, [Cæli non indigent misericordia, vbi nulla est miseria : in terra hominis abundat miseria, & superabundat Dei misericordia. Miseria ergo hominis, & misericordia Dei plena est terra: non cæli, qui non indigent misericordia, indigent tamen regente Domino. Omnia enim indigent Domino, & misera, & felicia : quia sine illo miser non subleuatur : felix non regitur.] Item alibi, [Misericordia est erga miseros, bonitas erga quoslibet.] Interdum tamen misericordia largè accipitur, vt bonitas. D

Sup. Psal. 135.

Idem super Psal. 32. In glossa super illud Psal. 24. Secũdùm misericordiam tuã memento mei tu.

Quomodo

Quomodo vniuersæ viæ Domini dicantur misericordia, & veritas?

E POST hæc considerari oportet, ex quo sensu vniuersæ viæ Domini dicantur misericordia, & veritas. Hoc multiplicem recipit expositionem, [Vniuersæ enim viæ Domini misericordia, & veritas, quibus ad nos venit, *Sup. Psal. 24.* vt Augustinus ait super Psalm. intelliguntur duo aduentus. Primus, in quo manifestam, & multiplicem misericordiam nobis exhibuit: & secundus in quo requirendo merita, iustitiam exhibebit.] Vniuersæ etiam viæ Domini, *Psal. 110.* id est, quibus ad Dominum ascendimus, sunt iustitia, qua à malo declinamus, & misericordia, qua bonum facimus. In his enim duobus omne bonum meritum includitur. Sed cùm superiùs Cassiodorus dixerit in his duobus omnia opera Dei includi, meritò quæri potest, an in omni opere Domini hæc duo mutuò sibi iungantur? Quibusdam placuit non in omni opere Domini, hæc duo concurrere, secundùm effectum dico: nam secundùm essentiam non diuiditur misericordia à iustitia, sed vnum est. Verùm secundùm effectum non in omni opere Domini dicunt esse misericordiam, & iustitiam: sed in quibusdam fatentur tantùm misericordiam, in aliis iustitiam, atque in aliis misericordiam, & iustitiam. Fatentur tamen Dominum omnia, quæ fecit, misericorditer agere, & iustè: referentes rationem dicti ad Dei voluntatem, quæ iustitia est, & misericordia: non ad effectus misericordiæ, & iustitiæ, qui sunt in rebus. Aliis autem videtur quòd sicut dicitur Deus omnia opera sua iustè facere, & misericorditer: ita concedendum sit in omni opere Dei iustitiam esse, & misericordiam, id est, clementiam, secundùm effectum, vel signum: quia nullum opus Dei est, in quo non sit effectus, vel signum æquitatis, & clementiæ, siue occultæ, siue apertæ. Aliquando enim manifesta est clementia, siue benignitas, & occulta æquitas, ailquando è conuerso.

SEQVITVR hìc de valde malis, quia in hac distinctione agitur de iustitia Dei, & misericordia concurrentibus in punitione malorum. Ideò quæruntur quatuor. Primò, Vtrùm in Deo sit iustitia? Secundò, Vtrùm in Deo sit misericordia? Tertiò, An in Deo distinguatur iustitia, & misericordia? Quartò, An in punitione malorum concurrat ex parte Dei punientis iustitia cum misericordia?

COMMENTARIVS.

Partitio. IN hac distinctione agit Magister de attributis Dei, scilicet misericordia, & iustitia, potissimùm quoad damnatos: An respectu illorum operetur Deus quoad pœnam inflictam ex vtroque attributo. Circa hanc distinctionem mouet Doctor quatuor quæstiones; prima est, Vtrùm in Deo sit iustitia? Secunda quæstio, Vtrùm in Deo sit miseticordia? Tertia quæstio, Vtrùm hæc attributa distinguantur inter se in Deo? Quarta est, quæ spectat ad scopum proprium huius distinctionis, An scilicet respectu pœnæ inflictæ damnatis concurrant iustitia, & misericordia?

QVÆSTIO I.

Vtrùm in Deo sit iustitia?

D.Thom. 1.*part.quæst.*21.*art.*1.*&* 1.2.*quæst.vlt.art.*1. *& hìc quæst.*1.*art.*1. Richard.*art.*1.*quæst.*1. Vasquez 1.*part.disp.*85.86.*&* 1.2.*d.vlt.* Suarez *opusc.de iust. qua Deus reddit præmia.*

1 AD primum [a] arguitur quòd non, *ex* 5. *Ethicor. cap.*11. Domini ad seruum nulla est iustitia, quia nulla æqualitas: ergo multò fortiùs, nec Dei ad creaturam, vel è conuerso, *Arg.*1.

è conuerſo, cùm potiſſimè ille dominus poſſet dicere ſeruo illud 1. ad Cor. 4. *Quid habes, quod non accepiſti à me?*

Arg.2. Cap.8. Præterea, 10.*Ethicor.* inconueniens eſt laudare ſubſtantias ſeparatas ex operatione virtutum ſicut deducit de iuſtitia ſpecialiter. Et confirmatur per ſimile, quia non eſt in Deo temperantia: ergo nec pari ratione iuſtitia.

Arg.3. Præterea, iuſtitia inclinat ad reddendum debitum: Deus nulli eſt debitor; ergo.

Oppoſitum in Pſalm.47. *Iuſtitia plena eſt dextera tua.*

COMMENTARIVS.

Ordo & diuiſio quæſt. PRimò adducit definitionem Iuſtitiæ, & eius diuiſionem. Deinde rationem iuſtitiæ commutatiuæ, & diſtributiuæ in particulari. Primùm negat in Deo eſſe iuſtitiam diſtinctam à ſua voluntate formaliter, & deinceps explicat, & ſoluit quaſdam obiectiones. Vltimò reſpondet ad argumenta liminaria, ſeu principalia.

SCHOLIVM.

Ponit rationem generalem iuſtitiæ ex Anſelmo, & ſpecialiorem ex Ariſtotele: item diuiſionem eius in legalem, & particularem, & an vtraque ſit in Deo. Vide D.Thom. 1.2.quæſt.60.artic.3. Subdiuidit iuſtitiam particularem ad alterum, in commutatiuam & diſtributiuam. De quo ſuprà diſt.14.quæſt.2.num.8.

Duplex definitio iuſtitiæ. Cap.3. [b] HIc primò videndum eſt de iuſtitiæ definitione. Rationem generaliſſimam iuſtitiæ ponit Anſelmus de veritate, capitul.12. quòd *Iuſtitia eſt rectitudo voluntatis propter ſe ſeruata.* Hæc ratio ſpecificatur per iuſtitiam, ſecundùm quod de eâ tractat Ariſtoteles *quinto Ethicor.* qui addit vltra hanc rationem hoc, quod eſt *eſſe ad alterum.* & vtroque modo accipiendo, patet quòd iuſtitia competit Deo. Primo modo, habet enim rectitudinem voluntatis, imò voluntatem inobliquabilem: quia prima regula eſt, & ſeruata propter ſe, non prout *ſeruata* dicit aliquam ſuſceptionem, vel paſſionem reſpectu alicuius ſeruantis: ſed ſeruata propter ſe, id eſt, ſpontaneè propter ſe ſemper habita. Secundo etiam modo patet, quia poteſt habere rectitudinem ad alterum, & ideò in omni actione ſua ad alterum eſt rectitudo. 2

Iuſtitiam eſſe in Deo ſecundùm vtramque definitionẽ datam.

Vide D. Th.1.2.q. 60.art.3. Iuſtitia duplex, legalis & particularis, hæc etiam duplex eſt diſt.14.q.2 [c] Iſta ſecunda ſubdiuiditur; quia vel eſt quaſi vniuerſalis ad alterum, puta ad legiſlatorem, & ad legem, inquantùm eſt regula quædam determinata à legiſlatore, & hæc dicitur à quibuſdam iuſtitia legalis. Vel eſt particularis, puta in aliquo particulari determinato pertinente ad legem, rectitudo ad alterum. Et hæc ſecunda ſubdiuiditur, quia vel poteſt eſſe ſimpliciter ad alterum, vel ad ſe quaſi ad alterum. Et ſecundum membrum patet ex eo quod dictum eſt in materia de pœnitẽtia, quòd ipſa eſt iuſtitia punitiua, non tantùm reſpectu alterius ſimpliciter, ſed ſui, quaſi alterius: quia ſibi, vt Iudicis miniſtro conceſſa eſt punitio ſui, vt rei.

Iuſtitia legalis an ſit in Deo. [d] Prima iſtarum, ſcilicet legalis, poſſet poni in Deo, ſi eſſet alia lex prior determinatione voluntatis ſuæ, cui legi, & in hoc legiſlatori, quaſi alteri voluntas ſua rectè concordaret; & eſt quidem iſta lex, *Deus eſt diligendus.* ſed ſi non debet dici lex, ſiue principium practicum legis, ſaltem eſt veritas practica, præcedens omnem determinationem voluntatis diuinæ. 3

Iuſtitia particularis an in Deo? Iuſtitia etiam illa particularis ad ſe, quaſi ad alterum, eſt in ipſo: quia voluntas ſua determinatur per rectitudinem ad volendum illud, quod decet ſuam bonitatem: & hæc eſt quaſi redditio debiti ſibi ipſi, id eſt, ſuæ bonitati, tanquam alteri; ſi tamen poſſet dici particularis, quia aliquo modo eſt vniuerſalis, ſcilicet virtualiter.

Et illa duo membra, ſcilicet iuſtitia legalis, & particularis ad ſe quaſi ad alterum, in Deo quaſi idem ſunt: quia rectitudo voluntatis diuinæ reſpectu ſuæ bonitatis.

Iuſtitia ad alterum diuiditur in commutatiuã & diſtributiuã. ſup. d. 14. q.2.n.8. Si autem loquamur [e] de reliqua iuſtitia, quæ ſimpliciter eſt ad alterum, illa diuiditur in commutatiuam, & diſtributiuam: & ita diſtinguitur iuſtitia in nobis, vt patet per Philoſophum 5.*Ethicor.* In diſtributiua requiritur æqualitas proportionis, non quantitatis. In commutatiua, ſecundùm aliquos, æqualitas quantitatis, nòn tantùm proportionis. Iſta exponuntur ibi.

COMMENTARIVS.

2 [b] HIc primò videndum eſt, &c. Definit iuſtitiam generaliſſimè ſumptam ex Anſelmo, quòd *iuſtitia ſit rectitudo voluntatis propter ſe ſeruata,* &c. In hac definitione comprehenditur communiter omnis rectitudo virtutis, quà bonum honeſtum propter ſe, quà honeſtum eſt, diligitur. Hoc autem nomine *iuſtitia* in genere ſæpius *Definitio iuſtitiæ in genere.*

Iustitia communiter dicta.

sæpiùs significatur in Scriptura, Patribus, & Conciliis, vt iustitiam à peccato discernunt, quod per oppositum dicitur iniustitia, quia est recessus voluntatis à mediocritate debita seruanda in operibus, & importat excessum, aut defectum: sicut ergo virtus quæcumque medium seruare debet rectæ rationis inter ipsa extrema ab vtroque declinando; sic generali appellatione iustitiæ venit, verùm quia virtus moralis in genere diuiditur in eam, quæ seruat mediocritatem in ordine ad se vt personam operantem, debitam honestati propter se, & eam, quæ est ad alterum: hæc specialiùs dicitur iustitia, vt distinguitur à priori genere, sub quo continetur fortitudo, & temperantia, iuxta vulgarem diuisionem virtutum cardinalium in suas quatuor species intermedias, aut genera subalterna. Iustitia autem hoc modo sumpta definitur *suum cuique tribuens*, & continet sub se omnes virtutes, quæ operatur in ordine ad alterum, tanquam diuersum à se, ita vt illud *ad alterum* sit differentia superaddita iustitiæ vniuersaliter sumptæ, de qua Philosophus 5. *Ethic.* Vtroque modo dicit Doctor in Deo inueniri iustitiam, quia rectitudo propter se seruata (qui est primus modus:) volūtatem enim habet, quæ nequit obliquari, aut deficere, imò quæ est prima regula indefectibilis ex natura. Habet etiam iustitiam secundo modo in ordine ad alterum, nempe seruando rectitudinem in omni actione ad alterum, quod intelligendum est iuxta ea, quæ in corpore quæstionis determinat, seclusis imperfectionibus, quæ non cadunt in Deum.

Iustitia specialiter sumpta.

Iustitia primo modo sūpta est in Deo.

Habet etiam iustitiam secundo modo sumptam.

3 [c] *Ista secunda subdiuiditur*, &c. Non subdit hîc diuisionem adæquatam iustitiæ ad alterum: sed illam tantùm, quæ ad scopum præsentis quæsiti facit, & speciali appellatione dicitur iustitia, vt respicit debitum ex lege, strictiùs sumptum, in ordine ad bonum commune, vel in ordine ab bonū speciale. Illa quæ est rectitudo ad alterum tanquam ad bonum commune, dicitur. Iustitia legalis, quæ est ad legislatorem, vel legem, seu, vt alij explicant, ad bonum commune. Illa quæ est ad bonum particulare pertinens ad legem, diuiditur in eam, quæ est ad se; quasi alterum, & quæ simpliciter est ad alterum; quæ est ad se quasi alterum, est pœnitētia, quia est vindicatiua delicti in seipsum, quasi alterū à se, inquantùm est reus, eique, vt ministro Iudicis, datur vindicare in seipsū peccatū.

Iustitia specialis diuiditur.

Legalis.

Iustitia ad se quasi alterū.

4 [d] *Prima istarum, scilicet legalis*, &c. Dicit legalem posse poni in Deo, si esset aliqua lex prior determinatione suæ voluntatis, cui legi sua voluntas concordaret. Illa esset: *Deus est diligendus*, &c. sed si non debet dici lex, aut principium practicum, ex lege, saltem est veritas practica, præcedens omnem determinationem voluntatis diuinæ. Sumit *veritatem practicam* latè, quatenus est quidem de se directiua, modò voluntas, quæ sequitur esset dirigibilis, & defectibilis, qualis non est Dei voluntas. Vide ipsum in prologo q. 4. non sumit ergo *scientiam*, aut *veritatem practicam* quatenus influit actu, & per modum causæ praxim, non solùm ostensione obiecti, sed etiam directione potentiæ, qua versatur defectibiliter circa obiectum, qua ratione negat scientiam Dei ad extrà esse practicam respectu suæ voluntatis, vel esse causam rerum *in 1. d. 38. q. vnic.* Dicit prætere Doctor quòd iustitia illa, quæ est ad se quasi ad alterum, potest esse in Deo, quia voluntas sua determinatur per rectitudinem ad volendum illud, quod decet suam bonitatem, & hæc est quasi

Prima veritas practica.

Scientia practica latè sūpta.

Scientia Dei non est practica strictè sūpta praxi.

redditio debiti sibiipsi, id est suæ bonitati, tanquam alteri, si tamen posset dici particularis: quia aliquo modo est vniuersalis, scilicet virtualiter. Intelligitur hoc sicut & membrum antecedens, de iustitia in affectu, & actu, non verò de iustitia in habitu: quia voluntas diuina ex rectitudine sua infinita necessariò tendit in essentiam per amorem essentialem, & propter se, qua ratione habet proportionem illam, quam seruat iustitia legalis respectu boni communis; quia sicut bonum commune consistit per subordinationem ad legem, quæ bonum commune dictat, ac proinde debet sumi lex ipsa ab ipso communi bono tanquam obiecto, eiúsque bonitate sicut principium practicum sumitur à bono vniuersali, eiúsque natura, vt prior est voluntate operante in ratione boni, quæ sic ei competit à se, & per se, non verò quatenus voluntas est ipsius vt finis voliti per electionem, sed vt præcedit tam intellectum, quàm voluntatem, ita vt priùs, & ratione sui sit diligibilis propter se, & non propter aliud (sicut medium est diligibile propter aliud) intellectus dictat esse diligendum, & voluntas conformis intellectui ideò diligit, quia diligibilis est, & vt diligendus proponitur, prout rectè docet Doctor *q. 4. prologi*, nempe notitiam practicam sumi ab obiecto, qui est finis, non verò quà finis est actu per electionem voluntatis, prout definitur, *cuius gratia aliquid fit*, &c. & in ordine ad media eligenda, quia vt sic, consideratur vt amatus, & intentus, à voluntate.

Quomodo tribuitur Deo.

Veritas practica sumitur à fine vt obiecto.

Est ergo radix veritatis practicæ, vt supponitur intellectui per modum obiecti, à quo sic desumitur primum principium practicum, à quo dependent reliquæ conclusiones, eorúmque veritas, tanquam causa, eodem modo se habet essentia diuina in ratione primi obiecti respectu intellectus diuini; quia propter se diligibilis est, & non propter aliud positiuè, aut negatiuè: quia est infinitum bonum, & continens omnem rationem bonitatis per se, & à se: non participatiuè, ideóque est bonum vniuersale ad quod cætera omnia per participationem reducuntur: quia est finis in reipsa omnium rerum, & respectiuè etiam ad voluntatem ordinatam, qua vltimatè tendit in bonum vniuersale: quia licèt hac, aut illa operatione possit esse boni participati propter se negatiuè, quatenus scilicet sistit in ipso non referendo ad aliud, vt hîc, & nunc operatur; sed cætera ad ipsum, quē finem huius operis præstituit; tamen in nullo bono particulari, aut creato (licèt dicatur in aliqua serie bonum, & finis vniuersalis respectiuè ad ea quæ ipsum participant) sistit positiuè, sed negatiuè, vt comparatur ad legem vniuersalem, quā primò respicit voluntas ex sua inclinatione, prout est ad finem vltimum suum, quia nullum bonū creatū potest esse talis finis voluntatis, neque eā beare, aut vltimò satiare, nisi solus Deus propter se diligibilis: cætera verò vt reducuntur ad Deum in reipsa. Vnde sicut in politia humana sumitur à bono communi reip. aut societatis, quæ est pax, & reliqua omnia particularia bona, circa quæ disponit lex, secundariò, & per accidens respicit, non propter se, sed propter bonum commune, inquantùm particulare illud participat, sicut mediū finē, tunc quem primò respicit lex: ita etiam considerando omnia bona in creatis respectiuè ad primū principium practicū, à quo sumitur veritas prima practica, reducuntur ad Deū, quatenus in seipso diligibilis est. Eáque ratione charitas dicitur plenitudo 5

Essentia diuina propter se diligibilis positiuè, & negatiuè per modum finis.

Quid sit esse negatiuè diligibile propter se.

Volūtas creata sistit in bono particulari negatiuè tantùm.

nitudo omnis legis, & finis virtutum, ad quem omnes reducuntur.

Inde Doctor dicit illam esse primam, & vniuersalem veritatem practicam: *Deus est diligendus propter se*; éstque prima lex vniuersalis, quam voluntas ex iustitia legali, vt subordinata legi, & legislatori, sequi debet, & vltimatè in ea sistere, si est ordinata, referendo vltimatè bona participata in fontem, à quo emanant, & finem, ad quem tendunt. Respectu autem diuinæ voluntatis nulla est lex propriè dicta, neque directiua vt regula, neque præceptiua vt obligans; quia est ex se recta, & essentialiter, nullíque subesse possit; tamen seruata proportione quadam secundùm modum, quo fertur in obiectum, amando essentiam, quæ est finis vltimus cæterorum eligibilium, & factibilium, dicitur se habere seruata proportione, vt iusta legaliter, seu per modum iustitiæ legalis, inquantùm hæc respicit intrinsecè, & primariò bonum vniuersale reipub. vt pacem; ex intentione verò secundaria, & ex fine intrinseco boni cōmunis, extenditur ad secundaria bona, nempe particularia: sic voluntas diuina propter se fertur in essentiam, tanquam bonum vniuersale; in cætera verò factibilia, tanquam in bona secundaria, ex solo motiuo sui intrinseci obiecti, nempe diuinæ bonitatis: quia *omnia propter seipsum operatus est Dominus.* Et in hoc, vt dixi, quia nullam imperfectionem includit iustitia legalis, tribuitur diuinæ voluntati, non per modum attributi diuersi à sua bonitate essentiali, vt mox videbitur. Eodem modo etiam dicendum est de iustitia illa particulari, quæ est *ad se, quasi alterum* quatenus diuina voluntas reddit sibiipsi debitum quasi alteri, volendo ea tantùm, quæ suam bonitatem decent: quia hoc habet ex propria, & infinita perfectione, & in obliquitate essentiali, non per aliquod attributum diuersum ipsum rectificans.

Deus non subest legi.

7 Seruat tamen secundùm affectum, & necessariò ab intrinseca virtute, illam proportionem; ideóque Doctor asserit: *& illa*, inquit, *duo membra*: Scilicet iustitia *legalis*, *& particularis ad se quasi ad alterum in Deo, quasi idem sunt: quia rectitudo voluntatis diuinæ respectu suæ bonitatis*, &c. Idem, quidem in re sunt, sed connotant diuersa: nam debitum, vel quasi debitum iustitiæ particularis respicit seipsum quasi alterum, quatenus voluntas in operando seruet rectitudinem, quā habet ab intrinseco principij operantis, non obliquabilis; quod habet voluntas ex se formaliter, vt discernitur ab operatione, & obiecto: qua ratione nequit voluntas diuina esse causa peccati; aut defectus similis, qui redundaret in principium causans. Iustitia verò legalis; seu eius debitum, competit ex obiecto, eiúsque natura vt comparatur in ratione obiecti ad voluntatem, & finis ad reliqua, vt vniuersalis est. Hinc ergo dicit Doctor, in Deo quasi idem esse debitum, seu quasi debitum iustitiæ legalis (loquor semper cum exclusione diuersi attributi à voluntate, & secundùm proportionem explicatam) & iustitiæ particularis in ordine ad obiecta diuersa, in quæ tamē ex eadem radice bonitatis infinitæ, & inobliquabilis, quæ est ipsius voluntatis diuinæ, competit vterque modus operandi. Dicit prætcrea Doctor quòd illa bonitas voluntatis sit vniuersalis virtualiter: quia nempe includit in seipsa omnem rectitudinem siue habitus, siue etiam voluntatis, & principij operatiui, per modum voluntatis, quantùm ad omnem perfectionem, & modum operandi perfectissimum, in ordine ad omnia obiecta, vel necessaria, vel contingentia. 8

Legalis & particularis in Deo idem sunt: connotant diuersa.

Differentia ex connotatis.

Quomodo bonitas diuina voluntatis est vniuersalis.

[e] *Si autem loquamur de reliqua iustitia*, &c. Hîc subdiuidit tertium membrum iustitiæ suprà diuisæ, quæ propriè dicitur ad alterum, *est iustitia suum cuique tribuens, seruata proportione in dato, & accepto.* Diuiditur in commutatiuam, & distributiuam, vt patet 5. *Ethic.* In distributiua seruatur proportio quantitatis, non æqualitas, quia secundùm gradus perfectionis, & dignitatis distribuit, non verò æquale in quantitate. In commutatiua respicitur medium rei secundùm quantitatem dati, & accepti, de quo dictum est suprà *d.14.q.2.n.8.*

Iustitia propriè & strictè sumpta. Eius diuisio. Distributiua & commutatiua, eorúmque proportio.

SCHOLIVM.

Describit commutatiuam, & distributiuam, & primam negat esse in Deo simpliciter; secundam simpliciter ei tribuit. Primam partem tenet D. Thom. 1. part. quæst. 21. art. 1. & 1. 2. quæst. vlt. artic. 1. & communis. De quo latè Vasquez 1. part. disp. 85. cap. 2. & disp. 86. & 1. 2. disp. vlt. vbi agit contra Suar. opusc. de iustitia, qua Deus reddit præmia. Quoad secundam partem, Doctor non sumit distributiuam propriè, quia non admittit vllam iustitiam propriè in Deo, ex sol. ad primum, & tertium.

4 [f] AD propositum, commutatiua propriè respicit punitionem, & præmiationem, vt scilicet pro meritis quasi commutando, reddantur præmia, & pro peccatis supplicia. Distributiua [g] respicit quasi naturas, & perfectiones superadditas, vt scilicet naturæ distribuatur perfectio sibi proportionata. Sicut nostra in Republica, distributiua personis secundùm gradus suos, proportionaliter distribuuntur bona pertinentia ad gradus eorum: sicut in Hierarchia vniuersi naturæ nobiliori ab Hierarcha, id est, principe Deo, distribuuntur perfectiones nobiliores, seu conuenientes tali naturæ, & naturæ inferiori distribuuntur perfectiones sibi conuenientes.

D. Th. 2. 2. q. 61. art. 2. Vide Rich. disp. præsenti.

[h] Prima illarum non potest simpliciter esse in Deo respectu creaturæ, quia non potest esse simpliciter æqualitas: sed potest esse aliqualiter secundùm proportionem, sicut inter dominum, & seruum: dominum enim liberalem decet retribuere maius bonum, quàm seruus possit mereri, dum tamen sit talis proportio, quòd sicut seruus facit

Commutatiua non est in Deo simpliciter, & quare.

facit quod suum est, ita dominus retribuat quod suum est: & eodem modo puniendo citra condignum.

Sed secunda iustitia [i] potest hîc esse simpliciter, quia simpliciter potest dare naturis perfectiones debitas, vel conuenientes eis secundùm gradus perficientes.

5 [k] Sic ergo in genere tota illa definitio iustitiæ eo modo, quo potest ad Deum pertinere, potest reduci ad duo membra; vt primò dicatur iustitia, rectitudo voluntatis in ordine ad condecentiam voluntatis diuinæ: alio modo rectitudo voluntatis in ordine ad exigentiam eius, quod est in creatura, & illa distinctio potest haberi ab Ansélm. Prosol. 10. vbi loquens ad Deum dicit: *Cùm punis malos, iustum est, quia illorum meritis congruit.* Quantùm ad secundum membrum, subdit statim, *cùm parcis malis, iustum est, non quia illorum meritis, sed quia tuæ voluntati, & bonitati condecens est*, quantùm ad primum membrum. Et tanta est illorum membrorum distinctio, quòd Deus contra primam iustitiam operari non potest, nec præter eam: sed præter iustitiam secundam potest operari, licèt non vniuersaliter: quia non potest damnare iustum, vel Beatum.

Vide infrà q. 3.

Quidquid Deum decet, iustum est, ex Anselm.

Scilicet de potentia ordinaria infrà n. 11. S. Thom. hic q. 1. & 2.

[l] Si obiicitur quòd non potest in Deo esse alia iustitia hæc & illa, quia tunc vna esset regula, vt prima, & alia regulata, vt secunda: in voluntate autem diuina non potest esse rectitudo regulata: & probatur hoc in nobis: nam idem inclinat in finem proprium, & ad ea, quæ sunt ad finem, vt sunt ad finem: ergo si illud inclinans ad finem esset simpliciter perfectum, simpliciter perfectè inclinaret ad ea, quæ sunt ad finem, sicut patet de charitate Beatorum: iustitia autem Dei potest esse simpliciter perfecta: ergo præter illam, nulla alia requiritur in voluntate diuina.

6 [m] Quod etiam dicitur, quòd quandoque non potest agere præter secundam; non videtur probabile, quia quidquid non includit contradictionem potest simpliciter agere, & ita velle: sed non potest aliquid velle, quod non possit rectè velle. quia voluntas sua est prima regula: ergo quidquid non includit contradictionem potest intelligi velle. & ita cùm illa iustitia secunda determinet ad aliquid, cuius oppositum non includit contradictionem, potest Deus velle, & rectè velle, & agere præter illam iustitiam secundam.

Deus potest facere præter iustitiã sumptam pro exigentia eius quod est in creatura, quia hic non est contradictio.

Primum istorum fortè concederent aliqui, quòd non est in Deo duplex iustitia, sed tantùm vnica habens tamen quasi alium, & alium effectum; vtpote velle concorditer condecentiæ bonitatis suæ, & velle concorditer exigentiæ creaturæ.

Sed secunda ratio videtur euidenter concludere quòd ad quidquid prima iustitia inclinat, iustitia secunda inclinare potest voluntatem diuinam; cùm determinatè inclinet, quia per modum naturæ; non tamen sic inclinat, quin præter eam, & contra eam possit voluntas diuina velle: & ita non erit distinctio istarum in hoc, quod est posse agere præter eam, & non posse agere præter eam.

COMMENTARIVS.

AD *propositum*, &c. Id est ad scopum huius quæsiti (in quantùm quæritur an iustitia secundùm propriam rationem, etiam particularis, sit in Deo?) agit de iustitia commutatiua, & distributiua, qua possunt tribui Deo secundùm illam prouidentiam, quam seruat in operibus suis respectu creaturarum; quoniam autem medium commutatiuæ non appareat in Dei operibus, nisi tantùm respectu creaturæ rationalis, vt discernit opera eius quoad pœnam, & præmium, in quibus seruatur æqualitas quoad quantitatem respectiuè ad opera: quia Deus non est acceptor personarum: sed reddit vnicuique iuxta opera sua, ideò, inquã, dicit cõmutatiuam propriè respicere (supple in Deo; si in ipso ponitur) punitionem, & præmiationem. Si obiicias contra hoc quæ dicta sunt loco citato, probando pœnitentiã esse specialem virtutem. Respondetur pœnitentiam subordinari commutatiuæ, vt seruat medium in quantitate secundùm rectam rationem, & prout lex decernit: tamen in hoc medio seruare propriam, & specificam honestatem, quia licèt pœnitentia sit virtus ad alterum: non tamen est ad alterum simpliciter, sed ipsius ad seipsum vt vindicantis voluntariè in seipsum tanquam reum, peccatum, quod dolet commisisse, & ad satisfactionem legis. Commutatiua verò est simpliciter ad alterum. Vnde *suprà* Doctor statuit pœnitentiam esse iustitiam, quæ est ad seipsum, tanquam alterum, reducens eam ad secundam speciem iustitię in genere, & primã iustitiæ particularis, qua est ad seipsum tanquã alterũ; commutatiuam verò dicit spectare ad secundam speciem iustitiæ, quæ est ad alterum simpliciter: Deus autem vt seruans medium quantitatis in pœna, & præmio respectiuè ad opera, se habet ad alterum simpliciter, quantùm ad personam, in qua ordinantur opera secundùm æqualitatem quantitatis.

Commutatiua in Deo respicit pœnam, & premium. Obiectio. Soluitur. Pœnitentia seruat mediũ commutatiua.

Differt à commutatiua.

10 [g] *Distributiua respicit*, &c. Diximus in distributiua seruari proportionem quantitatis, non verò æqualitatem: hæc proportio in eo consistit, vt quantum persona excedit in gradu dignitatis, & perfectionis, tantum recipiat per distributionem boni cõmunis supra illud quod distribuitur inferiori, secundùm hos gradus, ex quibus desumitur perfectio rei; ideò dicit distributiuam in

Distributiua

in Deo respicere naturas rerum, earúmque perfectiones secundùm excessum, vel defectum, vt scilicet cuique distribuatur perfectio proportionata suæ naturæ.

Sententia Buridani. Cæterùm Buridanus 5. *Eth. cap.*7. Negat iustitiam distributiuam esse speciem iustitiæ diuersam à commutatiua, quem sequi videtur Pater Smising. *de iustitia Dei n.* 72. tum quia iustitia distributiua dicitur attendere ad gradum personæ differentem, distribuendo bona communia, & non sicut commutatiua secundùm geometricam proportionem,& æqualitatem dati,& accepti in quantitate; sed ciues non habent ius propriè dictum ad bona communia, nec quamuis haberent, requiritur iustitia specialis diuersa à legali,& commutatiua: ergo, &c. Minor patet quoad primam partem: quia vbi est ius strictum ibi est etiam stricta iniuria, si illud non reddatur: at rector ciuitatis relinquendo dignum, & promouendo ad officia minùs dignum, non facit iniuriam strictè sumptam, quia non tenetur ad restitutionem: ergo ciues non habent strictum ius ad bona communia. Secunda pars minoris probatur, quia hæc obligatio est in rectore, vel quia est membrum, & pars principalis reipub. vel quia ad hoc ipsum præstandum, mercede, & stipendio assignato, est conductus. Prior pertinet ad iustitiam legalem, posterior ad commutatiuam.

11 *Sustinetur sententia communis.* Cæterùm hæc diuisio Doctoris, & aliorum, sustinenda est: quia & medium iustitiæ distributiuæ est diuersum à legali, & commutatiua; & sicut commutatiua est stricti iuris in suo genere, ita & distributiua: nam sicut respubl. nequit ex paribus membris sustineri quoad gradũ, *Dignitas personarũ necessaria ad bonũ communo.* & dignitatem; ita etiam quædam membra eius sunt necessaria magis conseruando bono communi, ratione dignitatis, & officij, functionum, & magis accedunt ad finem societatis seruandam, ac boni communis, ac proinde distributio boni communis iis magis debetur, quò magis influit ad eius conseruationem; hoc autem debitum fundatur in ipsa dignitate personæ, *Dignitas persona vt se habet ad bonum publicũ.* quæ in bonum publicum influit, quà talis est,& immediatiùs, quàm persona particularis. Non attenduntur autem in hac distributione solùm merita personalia, sed etiam dignitas personæ;& talis aliquando est debitum fundatum in hac dignitate,vt ei cedat debitum stricti iuris,quod est ex iustitia commutatiua. Vnde communis resolutio illa authorum, si aliquis in dignitate constitutus non possit detractis omnibus superfluis, soluere debitum commutatiuæ conseruando dignitatem, eum non teneri tum soluere,quia eius dignitas conseruata magis necessaria est Reipublicæ, quàm satisfactio debita particulari.

12 *Respondetur. Soluitur ratio opposita.* Ad rationem adductam respondetur, negando minorem, si loquatur de ciuibus, quibus ex gradu dignitatis, & functionis, competit iùs peculiare in bonum publicum. Ad cuius probationem respondetur, non teneri rectorem promouere digniores quantùm ad statum particularem cuiusque, & talentum, aut meritum; modò promoueat sufficientes, & idoneos: tamen his promotis ratione dignitatis acceptæ debetur ex iustitia distributio boni communis iuxta ordinem functionum, & officiorum, ac ipsius dignitatis receptæ; quòd si verò instituat inutiles, tenetur de damno Reipubl. & etiam priuatis, si quod incurrunt. Inferenda etiam lege communi, dignitas, priuilegia, & status personarum debet attendi. Ad aliam probationem respondetur, negando iustitiam legalem aut commutatiuam respicere hoc medium, quia legalis respicit bonum commune absolutè, & subiectionem ad legem, ac legislatorem, commutatiua verò iura particularium inter se in ratione dati, & accepti, ac commutatione rei spectata, quantitate, & æqualitate: distributiua verò membra reip. heterogeneæ, secundùm rationem personarum, prout in iis conseruatur bonum commune dispari functione, & ordine. *Differentia inter legalẽ distributiuã ac commutatiuam.*

Dices, iustitia distributiua aliquando non versatur nisi circa vnam personam. v. g. cathedra vacans, aut beneficium Ecclesiasticum, quod vni soli conferri potest, in eius collatione non attenditur bonum commune, quod possit inter plures partiri, ac proinde non attendi proportionem Geometricam, quæ respicit plures. Respondetur, de ratione distributiuæ esse, attendere ad personam,ciúsque dignitatem in sua distributione, & hæc est proportio, quàm seruat, & in qua distinguitur à commutatiua, quæ est in sola rei æqualitate, non attendẽdo ad gradum personarum, per accidens autem est hîc & nunc, vt pluribus aliquid distribuatur, vel vni soli, attendendo ad dignitatem personæ, Vnde si ex pluribus concurrentibus dignitas vnius præ aliis attenditur, actus est iustitiæ distributiuæ, & cæteris paribus digniori dandum est ex æquitate huius iustitiæ, licèt non ex præcepto, modo dignus assumatur; in qua etiam assumptione necessariò spectatur dignitas eius, & sufficientia; aliàs etiam ex præcepto distributiuæ: nam qui indignum, & insufficientem eligit, teneretur damno publico, & alium eo amoto restituere. 13 *Obiectio.*

Dices, quidquid per distributiuam in specie dicitur, seruari potest per alias virtutes vt amicitiæ, obseruantiæ, vindicatiuæ liberalitatis, & magnificentiæ, & iustitiæ commutatiuæ seruari: ergo frustrà ab his distinguitur distributiua: declaratur exemplo commutatiuæ, vt si sit aliquis debitor pluribus creditoribus, quibus non potest simul soluere, debet præferre antiquiores, seruata proportione arithmetica, ita vt qui in his antiquissimi sunt,debeant cæteris præferri in solutione: Deinde, si aliquis bonis cedit, qui non est soluendo, illa bona debent inter creditores secundùm eandem proportionem distribui; vt cui plus debet, etiam plus recipiat. In his casibus iustitia commutatiua seruat proportionem arithmeticam: ergo ad hanc seruandam non debet poni alia stricti iuris, sed collectio aliarum virtutum præmissarum, & similium, quæ sunt species iustitiæ latè sumptæ. 14 *Obiectio.*

Respondetur, negando antecedens, & consequentiam: nam virtutes præfatæ respiciunt alia media diuersa,secundùm quæ distinguuntur, aliàs dici posset, omnes virtutes ad alterum esse vnicam in specie virtutem, quæ vniuersaliter respicit medium in quacunque materia. *Amicitia* respicit communionem bonorum, affectuum, officiorum; *obseruantia* honorem debitum superioribus; *vindicatiua* satisfactionem legis violatæ; *liberalitas*, & *magnificentia* similiter sua media, sicut commutatiua, *distributiua* ab his diuersa dignitatem personarum in communicatione boni communis, dicitur autem seruare proportionem arithmeticam, inquantùm dispar est materia, circa quam versatur, nempe dignitas 15 *Responsio.* *Medium distributiua ab aliis diuersum.*

pe dignitas personarum, ita vt sicut ex obiecto hanc respicit, quò amplior dignitas, eò amplius sit præmium, & communicatio boni communis. Quòd si personæ sunt æquales, etiam seruat proportionem Geometricam, iuxta æqualitatem personarum, quam primariò attendit. Quòd autem commutatiua aliquando seruet proportionem Arithmeticam inter creditores, per accidens fit; neque sic seruando attendit ad qualitatem personarum, sed ad æqualitatem rei, vt in his circunstantiis casuum præmissorum expressis contingit, quantùm fieri potest, & ad restaurationem iuris læsi, & proprij: sicut ex opposito distributiua non seruat proportionem Geometricam inter æquales personas in dignitate, ad seruandum æqualitatem in dato, & accepto, seu æqualitatem rei, sed respicit ipsam æqualitatem personarum primariò, secundariò verò æqualitatem rei distributæ ex motiuo prioris æqualitatis personarum. Ad casus autem illos in specie respondetur, ideo in primo casu præferri antiquiores secundùm commutatiuam, quia, cæteris paribus, maius damnum passi ex mora solutionis, & prætereà, quia priùs habuerunt ius in debitorem, & eius bona: vt ergo seruetur æqualitas quantum fieri potest, & iuris anticipati, & damni incursi, præferuntur cæteris.

Proportio quam per se seruant ha species.

Soluuntur casus propositi.

16 Ad secundum, patet similiter ea ratione iuris, & damni, vt seruetur æqualitas, requiri vt qui maius damnum ex maiori debito incurrunt, recipiant etiam æqualitatem, seruata proportione, quantum fieri potest hîc, & nunc.

Obiectio.

Dices, iustitiam legalem posse ordinare bonum commune ad ciues, & bona particularia ciuium ad bonum commune, quæ iustitia dicitur æquitas ciuica: ergo superfluit distributiua. Respondetur, iustitiam legalem respicere bonum commune ex obiecto, & non personarum dignitatem, aut exigentiam, sicut respicit distributiua: nam legalis respicit leges, quæ sunt ad bonum commune, & debitam subiectionem legislatori, & legibus, ex parte ciuium; ex parte rectoris bonum commune, & non particulare huius, aut illius; distributiua respicit bonum commune vt huic, & illi distribuendum, iuxta exigentiam personarum, & qualitatem, quam attendit dignitas personarum, attenditur in præmiis, & similibus, & stipendiis. Exigentia personarum aliquando etiam attenditur, vt si in penuria ciuium aliquid distribuendum sit indigentibus, quo magis hic, aut ille penuriam patitur, cæteris paribus, etiam subuentio debet esse proportionata secundùm gradum indigentiæ in persona. *Iustitia legalis* solùm ordinat omnia ad bonum commune, tanquam ad finem *cui*. *Distributiua* è contra bonum commune ad particulare, spectando qualitatem personarum tanquam ad finem *cui*: ordo ergo vtriusque, medium, & finis designant magnam esse differentiam, aliàs dicam iustitiam legalem esse commutatiuam hoc modo, quatenus æqualitas inter particulares seruata in dato, & accepto ordinatur à lege in ordine ad bonum commune pacis, & societatis debitæ, seu fidelitatis, vt volueris, ciuicæ seruandæ.

Solutio.

Differentia distributiua à legali.

Differentia ex parte ordinis, medij, & finis.

17 Dices tandem vltimò, rectorem, vt est conductus à communitate, reddendo bonum commune ipsi per iustitiam legalem, soluere debitum iustitiæ commutatiuæ: quatenus verò illud bonum distributum cedit in particulare commodum huius, aut illius, hi participant de bono communi: vt verò cedit in bonum hoc particulare, non exercet actum commutatiuæ, sed iustitiæ legalis: quia ab illis non fuit conductus stipendio, sed à communitate; vnde si eligat indignum, tenetur communitati, & non ipsis: si verò dignum omisso digniori ad nihil tenetur, quia non tenetur semper ad vtiliora, sed ad necessaria.

Obiectio.

Respondetur, licèt communitas, aut persona ficta, sit capax dominij, & minister publico stipendio conductus teneatur, etiam ex iustitia commutatiua, fidelitatem seruare: tamen hoc debitum inter rectores, & communitatem interuenire ratione stipendij, & conductionis, tanquam inter personas particulares, inter quas tantùm est iustitia commutatiua, quæ diuersa est à legali, quæ respicit bonum commune, vt per legem, & directionem regitiuam procurari potest.

Solutio.

Debitum inter rempub. & rectorem quomodo particulare?

Neque rectè etiam dicitur commodum ciuium, vt nunc loquimur de commodo, respici per legalem tanquam per distributiuam, quia legalis, sicut respicit bonum legis tantùm, ita non inde huic, aut illi, quà talis persona est, conuenit emolumentum nisi remotè, & non particulariter, & illud solum quod sibi, & cæteris est commune. Distributiua autem non in hoc versatur, sed circa personas particulares immediatè, quatenus dignitas, & status ipsarum consideratur distribuendo eis bonum commune intuitu personæ secundùm gradum, & exigentiam eius, quod neque à legali, neque etiam à commutatiua attingitur. Et confirmari potest, eminentia dignitatis, & exigentia personæ, quà tales sunt in repub. concurrunt ad compagem corporis politici, & societatis, sine quibus nequit esse rectè institutum, aut gubernatum, aut conseruatum: ergo sunt ordinabiles per aliquam specialem iustitiam politicam in repub. sed non per vnam communem omnibus; quia mediocritas, quam respicit, nequit esse communis omnibus membris disparibus, & heterogeneis in corpore: rectè enim ex vsu venit discursus Apostoli de corpore mystico Ecclesiæ comparato ad corpus humanum: *nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes Doctores?* &c. Sic etiam nunquid omnes in repub. eadem dignitate præditi? nunquid iisdem functionibus, & ministeriis? nunquid etiam stipendiorum distributio, & priuilegiorum, & exemptioni par in omnibus? sed neque illa dignitas personarum, aut exigentia, respicitur à commutatiua, quæ non respicit personas, sed æqualitatem rei in dato, & accepto: ergo dari debet iustitia particulariter ordinans personas secundùm dignitatem, & exigentiam eius in repub. aliàs regimen eius esset mancum: quia huc dignitas in ordine ad rempub. & ciues fundat aliquod debitum proprium, sicut & potestas legislatiua: hoc autem debitum est particulare, quod non respicit iustitia quæcumque vniuersalis, neque commutatiua, quæ est particularis: ergo erit medium iustitiæ distributiuæ, quæ particularis ideo dicitur, quia certarum personarum ordinationem respicit, quod est intentum.

18 *Diuersitas inter legalem & distributiuam.*

Confirmatio solutionis.

Dignitas personæ ordinabilis in rep. per iustitiam particularem.

Non ordinatur per commutatiuam.

Ordinatur per distributiuam.

h *Prima illarum non potest simpliciter esse in Deo*, &c. Hæc conclusio prima huius paragraphi tenetur cõmuniter ab omnibus Theologis antiquis, &

19 *Conclusio. Commutatiuum non est in Deo formaliter.*

& à modernis. Eam tenet Alensis. 1. *part. q.39. m.*1. D.Thom.1.*part. q.*21.*a.*1.& 1. 2.*q.vlt.lib.*1. *contra Gen.c.*93.D.Bon.*hic art.*2.*q.*1.Richard.*art.*1. *q.*1. Palud.*q.*1.*art.*1.Capreolus *in* 1.*d.*45.*q.*1.*art.*1. *conclus.*14.supplementum Gabrielis *in* 4.*d.*49.*q.*4. *art.*3.*dub.*3.Sotus *de iustitia,& iure lib.*3.*q.*5.*ad vlt. de natura,& gratia lib.*3.*cap.*7. Richardus *art.* 11. *Louan.* Lessius 2. *de iustitia,& iure cap.* 18. *dub.* 8. Vasquez *locis citatis à Scholiaste.* Valentia, & reliqui in D. Thomam, & nostræ scholæ Doctores *in hac distinctione.* Contrarium huius sententiæ communis docet Suarez *in opusculis disp. de iustitia Dei sect.* 2. Circa hanc materiam plura diximus in 2. part. huius commenti distinct.14.& 15. & aliàs.

20 *Probatio cõclusionis.* Probat Doctor conclusionem, quia inter Deum & creaturam non potest esse æqualitas strictè sumpta, sicut nec inter seruum & dominum, patrem & filium. *August.* Est Augustini serm.3. de verbis Domini, *O magna*, inquit, *bonitas Dei, cui cùm pro conditione reddere debeamus obsequia, vt serui domino, famuli Deo, subiecti potenti, mancipia redemptori, amicitiarum nobis præmia repromittit, vt à nobis obsequia debita seruitutis extorqueat, vt quos nolle seruire conspicit sponte, suorum beneficiorum possit promissionibus inuitare, & quorum voluntates à se compescit alienas, eorum mentes præmiorum liberalitatibus constituat suas: nam vnde inuitat præmio, aut terret supplicio, nisi vt benignitatis consilio à se formato homini consulat, redempto prouideat, vt qui non terretur supplicio, inuitetur præmio, & quem metus à factis reuocare non possit, promissionum benignitas possit*, &c. *Idem.* Serm.16. de verbis Apostoli. *In his enim quæ iam habemus, videmus Deum largitorem, in his quæ non habemus tenemus debitorem*, &c. Sed quomodo debitorem explicat sic, vbi superiùs: *Debitor enim factus est, non aliquid à nobis accipiendo, sed quod ei placuit promittendo: aliter enim dicimus homini, debes mihi quæ dedi tibi; & aliter dicimus, debes mihi quia promisisti mihi. Quando dicis, mihi, quia dedi tibi, à te processit beneficium; sed mutuatum, aut donatum; quando autem dicis, debes mihi, quia promisisti mihi, tu nihil dedisti, & tamen exigis: bonitas enim eius qui promisit, dabit, ne in malitiam fides conuertatur; qui autem fallit malus est. Deo igitur quid dicimus? redde mihi quod dedi tibi? quid dedimus Deo,* *Deus debitor ex sola promissione.* *quando totum quod sumus, & quod habemus boni, ab illo habemus? Nihil ergo ei dedimus, non est quòd ista voce agamus Deum debitorem, maximè dicente nobis Apostolo: Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit, & retribuetur ei? Illo ergo modo possumus exigere Dominum nostrum, vt dicamus: redde quod promisisti, quia fecimus quod iussisti; & hoc tu fecisti, qui laborantes iuuisti*, &c. Quod in particulari prosequitur de vocatione, iustificatione, & glorificatione, & concludit. *Si iam esses, non prædestinareris; nisi auersus esses, non vocareris; nisi impius esses, non iustificareris; nisi terrenus & abiectus, esses, non glorificareris. Quis ergo prior dedit illi, & retribuetur ei? quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia*, &c.

21 *Omnia nostra Dei sunt.* Si ergo in ipso, & per ipsum, & ex ipso sunt omnia. Si nihil ei retribuitur, si tantùm fit debitor, quia promisit, quæ promissio nihil iuris extra se statuit, nisi inquantùm ipse suæ fidelitati, & veracitati debet secundùm decentiam suæ bonitatis; si omnia nostra eius sunt, vt creatoris, vt vocantis, vt iustificantis, vt glorificantis, vt Domini, vt finis, vt Redemptoris; si denique comparatio nostri ad Deum sit, vt mancipij ad redemptorem, vt serui ad dominum, ex quibus titulis debetur ei seruitus nostra: nulla potest esse æqualitas inter nos, & Deum, quam exigit iustitia commutatiua strictè sumpta; hæc enim æqualitas exigitur inter personas in ratione dati, & accepti, & inter iura personarum, quæ non debent communicare inter se, quantùm ad dominium materiæ, in quo seruatur æqualitas strictè sumpta, de qua loquimur. *Strictum ius commutatiua excludit communionẽ dominij inter partes.* Ideo dicit Augustinus *suprà* aliud esse reddere debitum, & exigere: quia dedi tibi: & aliud quia promisisti mihi: nam in priori debito per commutationem rei cognoscit ius strictum, quod negat posse competere creaturæ respectu Dei: quia omnia quæ sunt creaturæ, sunt Dei, *ex quo omnia, in quo omnia, & per quem omnia.* Vnde Apostolus: *quis prior dedit ei, & retribuetur illi?* Agnoscit ergo tantùm debitum promissionis, & liberalitatis, & bonitatis in Deo, quo ipse sibi quasi alteri debitor constituitur ex propria bonitate, & veracitate. Vnde Augustinus suprà: *Debes mihi quia promisisti mihi, tu nihil dedisti, & tamen exigis: bonitas autem eius qui promisit, dabit, ne in malitiam fides conuertatur*, &c.

Et hoc modo asserit Deum constitui debitorem, & non aliter: quia nihil recepit à creatura, per quod ius vllum creditoris in ipsa, aut debitoris in Deo fundaretur. 22 *Debitor ex promissione tantùm.* Negat ergo Augustinus hîc interuenire alium titulum iustitiæ, sed merè promissionis; aut inter Deum, & creaturam inueniri posse illam iustitiam, scilicet commutatiuam, quæ fundatur in æqualitate dati, & accepti: quia nihil habet creatura, quod non sit Dei, eique debitum pluribus titulis, & ab ipso concessum, cui iuri nequit renunciare: ergo nequit ponere æqualitatem in ratione dati, & accepti. *Non seruatur ordo ad alterum.* Nequit etiam alteritas, seu discretio personarum in proprietate, & dominio rei saluari in creatura respectu Dei, sicut neque inter patrẽ & filium, dominum & seruum, qui nequeunt esse personæ diuinæ quoad possessionem, & dominium rerum, ac proinde nequeunt esse correlatiua, tanquam alter ad alterum, vt requiritur ad commutationem ex iustitia strictè sumpta.

Confirmatur, & peto quam iustitiam excludit Apostolus, & Augustinus, cæterique (quos mox citabimus) à Deo, ratione cuius esset debitor creaturæ in retribuendo? 23 *Apostolus & Augustinus excludunt à Deo specialẽ iustitiã, quæ est dati, & accepti.* nam aliquam excludunt, vt est manifestum, & clarum ex ipsis verbis, & ratione adducta, perinde manifestum est excludi à Deo omne debitum retributionis, quod est dati, & accepti: aliàs creatura posset dicere: *prior dedi, & retribue mihi: debes mihi, quia dedi tibi:* qui modus statuendi debiti reprobatur à Scriptura, & Augustino: ergo ex mente Apostoli, & Augustini, remouetur à Deo omne debitum retributionis ratione accepti fundatum, aut dati; ergo aliqua iustitia particularis, quæ ex obiecto suo respicit æqualitatem dati, & accepti, secundùm retributionem commutationis: sed illa sola est iustitia commutatiua, inquantùm differt ad aliis partibus iustitiæ: ergo debitum in ea fundatum non potest conuenire Deo.

Dices excludi iustitiam commutatiuam, vt includit imperfectionem illam, per conditiones 24 *Responsio.* *suprà* positas, quia sic tantùm inuenitur inter homines, quorum iura, & dominia in res sunt limitata,

limitata; non autem excludi Iustitiam commutatiuam sine imperfectione ratione dati,& accepti. Contrà, hoc est euertere naturam, & conceptum iustitiæ commutatiuæ, vt concipitur communiter ab omnibus, & confundere virtutes inter se quoad speciem, & etiam vitia: nam nulla est virtus, quin respiciat mediocritatem, suo modo: si ergo virtutes distinguũtur per media diuersa, oportet etiam diuersitatem ipsam mediorum subsistere; sed hæc nequit subsistere si conditiones peculiares, sub quibus hæc, vel illa virtus determinat sibi medium, auferantur: tales autem sunt illæ cõditiones iustitiæ commutatiuæ, prout definitur ad certum medium, & proprium distinctum ab aliis, vt sit scilicet æqualitas inter personas ratione dati, & accepti, consequenter sint diuersæ quoad res, & iura commutata, & cedant hinc inde in vtilitatem ipsarum personarum, propriam cuiusque, sine communione ad alterum in re quæ fit eius, & desinat necessariò esse alterius, aliàs sub hac voluntaria præcisione poterimus omnes virtutes tribuere Deo, destructa earum particulari ratione: nam sicut infinita rectitudo competit diuinæ voluntati, ita etiam abstrahendo rectitudinem omnis virtutis à suis particularibus conditionibus imperfectis, etiam possumus eas tribuere Deo v.g. pœnitentiam, & iram, nempe secludendo peccatum, & passionem, quod est omnia confundere, quia sic tollitur via indagandi quæ perfectiones sunt in Deo formaliter quæ tantùm eminenter.

Impugnatio. *Virtutes non abstrahunt à cõditione per se sui obiecti.* *Iura distributiua.* *Inconueniens quod sequitur ad illam responsionem.*

25 Quidquid dicatur, sic argumentor: Scriptura, & Augustinus absolutè loquuntur de iure dati, & accepti, seu de iustitia, quæ in hoc versatur, & ex qua fundatur debitum ratione accepti: & loquuntur de iure, quod acquiritur ratione meriti, hoc ius negant esse dati, & accepti, aut vllam creaturam posse quidpiam tribuere, ex quo debitum in Deo fundaretur ratione accepti, ex quo teneretur ad retributionem vllam: ergo excludunt à Deo omne debitum ratione accepti: ergo iustitiam commutatiuam, vt versatur in debito dati, & accepti, & solùm statuitur debitum ex promissione, qua Deus sibi ipsi, & suæ bonitati, quasi alteri, fit debitor ratione promissionis: ergo solutio data euacuatur. Probatur consequentia, si nulla interueniret promissio, nullum ius accederet creaturæ, quia nihil posset dare priùs Deo, quo redderetur ei debitor: ergo, etiam supposita promissione, nullum ius acquiritur, præter id, quod sola promissione fundatur. Probatur consequentia, ideo nequit acquirere ius respectiuè ad Deum ratione dati, & accepti ante promissionem, quia nihil habet proprium, quod det, aut quod non sit Dei potiori iure, & ipsi debeatur: sed eadem ipsa ratio manet post promissionem: ergo post promissionem nullum ius strictum acquirit, nisi solius promissionis. Probatur subsumptum, quia neque per promissionem, neque post promissionem Deus mutat ius in omne opus creaturæ; quia idem ipsum est, & inuariatum, & immutabile, ita vt mutari nequeat respectu creaturæ, & omnium eius operum bonorum, quæ sunt Dei principaliter, vt causæ, Domini, & finis; sed hoc ius ante promissionem repugnat omni debito strictè sumpto ex parte Dei, quod fundatur in dato, & accepto: ergo etiam post promissionem perinde repugnat. Patet consequentia, quia etiam post promissionem nullum ius nouum acquirit Deus in opera creaturæ, imò id ipsi repugnat: quia, vt dicit Apostolus, *quis dedit ei, & retribuetur ipsi?* Quod vniuersaliter intelligitur quacunque eius prouidentia supposita: quia sicut repugnat ipsi mutatio tituli, ita & iuris debiti; ac proinde post promissionem idem est Dominus, & eodem modo, quo fuit ante promissionem. Deinde, è contra nullum speciale dominium proprium acquirit creatura, etiam facta promissione, quia nihil transit in proprietatem eius aliter, quàm fuit eius proprium ante promissionem, ita vt nihil prior tribuere possit Deo, neque Deus acquirere: ergo tam ex parte Dei, quàm etiam ex parte creaturæ, non potest saluari ius strictum fundatum in dato, & accepto, sed tantùm ius promissionis, atque in ea fundatum, quod est diuersi generis, & naturæ à iure strictè sumpto, & fundato in dato, & accepto, quod Augustinus, ex Apostolo, negat internenire posse inter Deum, & creaturam. Ex quibus patet ratio Doctoris, non posse scilicet æqualitatem interuenire inter Deum, & creaturam in dato, & accepto.

Excluditur à Deo absolutè iustitia cõmutatiua. *Tenetur fidelitas.* *Per promissionem non variatur ius ad rem ex parte Dei.*

Confirmatur secundò, ius Dei in creaturam, & omnia opera eius, vt dictum est, est immutabile, & fundatur in dependentia essentiali creaturæ ad Deum in essendo, & operando: repugnat enim eam esse, aut operari, nisi sit à Deo, & in se creatura; hoc autem ius sicut fundatur in dependentia essentiali, ita etiam est inuariatum: ergo creatura per promissionem non fit altera à Deo, neque aliter est ad Deum, quàm fuit antea: sed promissio & pactum, vt inducat ius propriè dictum alteri, supponit necessariò esse alterum, & capacem iuris proprij, v. g. si dominus promittit seruo, aut pater filio aliquid, interueniente pacto, requiritur patrem & dominum posse transferre à se dominium talis rei in filium, & seruum, & hos esse capaces, aut fieri posse capaces, per transferentem ratione pacti, & promissionis, ita vt translatio fiat validè: nam quicunque iure est incapax, nulla translatione acquirit ius in rem, aut personam, v. g. frater Minor nequit ex sua incapacitate acquirere ius propriè dictũ, aut vsum iuris in vllam rem, neque translatio in eum facta valet quoad hoc, stante lege qua fit incapax, in suo vigore, respectiuè ad ipsum: vnde vt fiat capax iuris talis acquirendi, debet fieri per eum, qui relaxare potest dispositionem, qua fit incapax, & reddatur alteritas requisita ad translationem, & acquisitionem iuris in rem, aut personam; sic se habet filius, & seruus respectu patris & domini; quia licèt aliàs in interueniente pacto, aut promissione, non sint alteri à patre & domino; tamen vt iura disponunt, possunt fieri alter per dominum & patrem: nempe seruus per manumissionem simpliciter, vel secundùm *quid* inquantùm dominus constituit eum liberum respectiuè ad materiam pacti, & promissionis; filius verò per emancipationem, vel simpliciter, vel etiam secundùm *quid*: quia ius gentium, per quod inducta est rerum diuisio, & proprietas non reddit seruum, aut filium incapacem dominij, & proprietatis simpliciter; sed tantùm dependenter à voluntate patris, & domini, qui vi pacti, & promissionis renunciare possunt suo iuri, vel simpliciter, vel secundùm *quid*. Quòd si iura aliter disponerent, neque manumissio, neque emancipatio authoritate priuata factæ tenerent,

26 *Confirmatio* *Creatura nequit esse capax iuris proprij respectu Dei.* *Incapacitas serui, & filijfamilias.*

nerent, vt patet in exemplo allato, & aliis plurimis, quibus quis redditur incapax dominij, aut dispositionis propriæ absolutè, & respectiuè ad priuatam authoritatem.

27 Hæc ergo ideo contingunt, quia iura, quæ variari, & limitari possunt, hanc dispositionem inducunt, quoad ea autem, quæ sunt iuris naturæ, dispositio manet inuariabilis, vt quòd filius debet reuerentiam patri; quòd hic teneatur ad alimenta necessaria filij, sicut & dominus serui: quibus renunciare non possunt, & hoc ideo, quia ius, in quo fundantur, manet inuariatum, & quoad hæc constituit alteritatem inter illas personas: ergo ad hoc vt promissio, aut pactum fundet ius, debet supponi alteritas inter ipsas personas paciscentes respectiuè ad materiam, in quæ transigitur, pacto, aut promissione, vt contingit in exemplis allatis. Nam eo ipso quo dominus, aut pater aliquid paciscuntur cum filio, aut seruo; renunciat dominio suo, & iuri quoad talem materiam, quod aliàs habuerunt in filium, & seruum: aliàs pactum esset nullum: renunciant, inquam, & propria voluntate, & authoritate legis, ex quibus filius, & seruus redditur alter quoad pactum & promissionem. Sed neque promissio Dei, neque pactum potest reddere creaturam sic capacem iuris proprij, quod non sit Dei, neque etiam transferre ius Dei in bona creaturæ; ergo ratione pacti, aut promissionis nullũ acquiritur ius creaturæ tanquam alteri, licèt Deus sibi quasi alteri, debeat ex fidelitate & veracitate, seu sua bonitate.

Ius ad alimenta manet seruo, & filio.

Pactũ inter patrem, & filium valet.

28 Bernard. Vnde Bernardus Serm. primo de Annunciatione: *Neque talia*, inquit, *sunt hominum merita, vt propter ea vita æterna debeatur ex iure, aut Deus aliquam iniuriam faceret, nisi eam donaret*, &c. Gregorius lib. 9. Moralium. *Si opus*, inquit, *virtutis exercuero ad vitam, non ex meritis, sed ex venia conualesco*, &c. Non ergo ex debito stricti iuris fundato in operibus, sed tantùm ex promissione, dono, venia, acquiritur tale ius, non creaturæ, sed qua Deus suæ bonitati, & munificentiæ, & veritati, quasi alteri debet. Vnde Basilius in Psalm. 114. *Manet sempiterna requies illos, qui in hac vita legitimè certauerint, non secundùm debitum operum, sed secundùm debitum Dei munificentissimi*, &c. Anselmus Prosologij cap. 10. *Iustus es*, inquit, *non quia reddis debitum, sed quia facis quod decet te summum bonum*, &c. Et Augustinus suprà citatus; *Quid dedimus Deo, quando totum quod sumus, & quod habemus boni, ab illo habemus.* Ergo nequit creatura in bonis esse altera à Deo, aut quidpiam ei retribuere, etiam interposita promissione. *Bonitas enim eius, qui promisit, dabit, ne in malitiam fides conuertatur*, &c.

Gregorius. Basil. Anselm.

29 Trident. Accedit vltimò Tridentinum, quod aliàs citauimus in præmissis locis suprà, agentes de merito, & satisfactione: in doctrina enim de iustificatione, sess. 6. cap. 16. ita habet: *Hac igitur ratione iustificatis hominibus, siue acceptam gratiam perpetuò conseruauerint, siue amissam recuperauerint, proponenda sunt Apostoli verba: Abundate in omni opere bono, scientes quòd labor vester, non est inanis in Domino: non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius: & nolite amittere confidentiam vestram, quia magnam habet remunerationem*, &c. Hanc autem iustitiam meritorum, & debitum ita explicat Concilium in verbis sequentibus. *Atque ideo*, inquit, *benè operantibus vsque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda; hac est enim illa corona, quam post suum certamen repositam sibi esse aiebat Apostolus, à iusto Iudice sibi reddendam: non solùm autem sibi, sed & omnibus, qui diligunt aduentum eius*, &c. In his verbis Concilium exponit totum fundamentum debiti, quod est creaturæ ad vitam æternam ex operibus; nempe quòd *misericorditer per Christum ipsis sit promissa, & tanquam merces bonis ipsorum operibus fideliter ex ipsius Dei promissione sit reddenda*, &c. ergo totum ius ex operibus fundatur in sola promissione, & Christi & Dei: nam & promissio Christi non præscindit à iustitia operum, quæ tamen ad vitam æternam comparata, non dicuntur eam recipere vt debitũ stricti iuris, sed tanquam gratiam filiis, id est, iustis misericorditer promissam, vt comparantur etiam opera ad promissionem Dei vt reducitur ius ipsorum vniuersorum ad Dei promissionem, & fidelitatem: ideóque infrà Concilium subdit. *Neque verò illud omittendum est, quòd licèt bonis operibus in sacris literis vsque adeò tribuatur*, &c. *absit tamen vt Christianus homo in seipso vel confidat, vel glorietur, & non in Domino, cuius tanta est erga omnes homines bonitas, vt eorũ velit esse merita, quæ sunt ipsius dona*, &c.

Ius operum fundatur in promissione, & fidelitate.

Hîc non loquitur Concilium de confidentia in suis viribus, tanquam per eas posset meritum habere sine gratia Dei, & dono, quod sine merito nostro datur, sed de confidentia in ipsis meritis iam positis, in quibus neque confidendum, neque gloriandum esse docet, sed in Domino: sed si ius strictum ex meritis esset, sanè posset in suo iure gloriari, tanquam proprio, licèt supponeretur Dei promissio. Rationem verò subdit Concilium, quare debeat in Domino, & non in seipso gloriari ratione meriti: quia nempe tanta est bonitas Dei, vt voluerit nostra esse merita, quæ sua sunt dona: quæ verba loquuntur de iure meriti positi, in quo non esse gloriandum asserit, sed in Domino: quia eius est donum: si ergo donum eius est, nequit esse proprium creaturæ, tanquam redditum Deo, cui ex iure deberetur merces: quia & ipsum meritum, & quidquid iuris habet, non secus est donum Dei, quàm quodcumque aliud: de eóque sine vlla læsione iustitiæ strictè sumptæ disponere potest, licèt ex sua fidelitate, qua sibi ipsi tenetur illud certissimè reddat. Doctrinam hanc Concilij declarat Canon. 26. 30

Non esse gloriandum in meritis.

Si quis, inquit, *dixerit iustos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare, & sperare æternam retributionem, per eius misericordiam, & Iesu Christi meritum, si benè agendo, & diuina mandata custodiendo, vsque in finem perseuerauerint, Anathema sit*, &c. Pro bonis operibus in Deo factis sperare, & expectare æternam retributionem per misericordiam Dei, & Iesu Christi meritum, non est illam sperare ex stricto iure consummatis operibus, & perseuerando in obseruantia legis finaliter: quia ius strictum fundatum in operibus, excludit misericordiam, licèt ipsa opera fuerint misericorditer donata, de qua donatione, aut misericordia, non agitur hîc ex instituto Concilij, sed de retributione meritorum, quam dicit fieri per misericordiam Dei; ergo excludit ius strictè sumptum in creatura, atque debitum ex tali iure in Deo, etiam supposito, 31

supposito, & completo merito finaliter, *quis enim prior dedit illi, & retribuetur ei?*

32 *Confirmat. 3.* Confirmatur tertiò ex ratione *suprà* allata ex Concilio, non posse stare æqualitatem stricti iuris inter Deum, & creaturam: *cuius tanta est*, inquit Concilium (supple Dei) *erga omnes homines bonitas, vt eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona*, &c. Si ergo meritum, vt meritum, sit Dei donum, non potest creatura per meritum statuere æqualitatem stricti iuris respectu Dei retribuentis. Probatur consequentia, quia ex bonis creditoris nequit fundari ius alteri ratione dati, & accepti, quæ requirunt in re ipsa æqualitatem secundùm rectam rationem, sed nihil retribuit creatura, nisi meritum, quod est merum Dei donum, non solùm ratione gratiæ, qua donatur, sed etiam ratione operis, quod etiam simul donatur à Deo: ergo hoc donum nequit esse retributio æqualis, & stricti iuris. Probatur consequentia, quia si creditor remittat debitum integrè debitori, non constituitur vlla retributio dati, & accepti, sed mera liberalis remissio, quæ non spectat ad datum, & acceptum, secundùm æqualitatem rei, & commutationem stricti iuris, quæ fit in æqualitate rerum, vel materiæ commutatæ, neque cessatio debiti per talem remissionem est extinctio eius secundùm regulas, & leges iustitiæ commutatiuæ, sed secundùm leges donationis liberalis, & ex mero motiuo liberalitatis: quia hanc remissionem facere nullo iure tenebatur debitori, neque is, cui sic remittitur, alium titulum remissionis prætendere potest, quàm solius donationis, si in eum actio extincta resuscitatur ab hærede creditoris,

Meritum esse donum Dei.

Remissio debiti est per liberalitatē, non per iustitiam.

33 *Exemplum.* Idem dicendum, si aliquis alicui promittat maximum pondus auri pro obsequio nullius momenti, licèt promissio fiat cum conditione operis; tamen non redundat debitum obsequenti secundùm iustitiam strictam dati, & accepti, sed ex mera liberalitate, & dono promittentis, cui nihil derogat conditio apposita: aliàs certè si ex motiuo iustitiæ strictè sumptæ liceret talem conuentionem interpretari, & non ex dono promittentis, conuentio declararetur iure nulla propter fraudem, & grauamen notabile partis, licèt merces idonea, & proportionata obsequio constitui posset: sic etiam si creditor conueniret sciens, & valens infrà dimidium iusti pretij, aut solutionis infrà dimidium debiti, non esset talis conuentio stricti iuris, sed ex parte liberalis, neque in his vlla ratio potest admitti alia, nisi quia nequit datum & acceptum æquale & stricti iuris constitui in dono, & bonis alterius partis, v. g. creditoris: ergo neque donum Dei, quod est meritum, potest esse materia retributionis stricti iuris in dato, & accepto, qua acquiratur creaturæ ius secundùm iustitiam commutatiuam, cuius ipsa est incapax respectiuè ad Deum: quia totum quod tribuit est donum Dei, ex eius liberalitate: ergo quòd accedat ipsi debitum aliquod ex opere, & ex mera Dei bonitate, & liberalitate, & promissione, quibus voluit ipsius esse meritum, si quod est suum donum. Vnde ius proprium, & creaturæ ex sola Dei promissione accresceret, ius, inquam, propriè dictum, inde etiam sequeretur quòd per pœnitentiam perfectam, v. g. contritionem, satisfaceret ad æqualitatem stricti iuris, quia huic pœnitentiæ tanquam satisfactioni lege præscriptæ, annexa est promissio diuina de remissione peccatorum, & iustificatione. Sed hoc esse falsum *suprà* suo loco ostendimus, & patet ex Tridentino *sess. 6. c. 8.*

Aliud exemplum.

Incõueniens.

Sequela tamen probatur, quia interueniente Dei pacto, & promissione secundùm aduersarium, meritum transit in ius proprium creaturæ, ita vt illud dans Deo acquirat ius ad præmium secundùm iustitiam commutatiuam strictè sumptam: sed eodem modo dici posset quòd promissione diuina de acceptanda hac satisfactione ad remissionem debiti peccati, transiret illa satisfactio in ius proprium creaturæ hoc modo; quin etiam dici posset meritum acquirendæ gratiæ sanctificantis, cui annexa est talis remissio, quod dici nequit: ergo neque ex promissione Dei liberali cum conditione operis, neque ex acceptatione consequente, vel vi promissionis antecedentis, neque etiam ex conuentione in sola promissione fundata, potest Deus constitui debitor ex stricto iure, neque creaturæ ius simile accrescere per exhibitionem talis operis. 34

Dices, aliud esse de merito iusti, & aliud de satisfactione peccatoris: quia aliter acceptatur obsequium amici, & filij; aliter verò inimici, quia huic nihil debetur ex iustitia, sed ex misericordia; illi verò potest deberi ex iustitia, quia est filius, & capax consequenter meriti, & præmij. Contrà, quia si hæc referantur ad obligationem stricti iuris in ordine ad Deum non est alia, & alia ratio: licèt enim ex misericordia, & gratis iustificatur impius, supposita debita pœnitentia; interuenit tamen promissio cum conditione operis, atque adeò acceptatio ipsius operis per modum satisfactionis. Quòd si consideretur etiam opus filij, licèt acceptum sit, & sub ratione operis, & ratione personæ, eo modo, quo non acceptatur peccatoris persona, neque opus, vt ab eo in tali statu procedit, sed ratione sui, vt exhibetur liberè per gratiam vocationis, & adiuuantem: tamen acceptatio operis iusti & meriti, ad præmium est ex mera Dei bonitate, & misericordia, vt dicit Concilium: neque promissio illa potuit esse ad effectum iuris stricti inducendum, quia id omnino repugnat materiæ, vel in ordine ad Deum, cuius promissio licèt sit cum conditione operis, est tamen liberalis, sicut & ipsum opus, cui adhæret promissio, est merum Dei donum. Vnde sequitur intentum, nempe ius qualecunque ex voluntate liberali procedens, & promissione tantùm tenens, quæ non innititur iustæ, & æquali commutationi, non posse inferre ius aliquod diuersum à fidelitate, non verò fundatum in dato, & accepto. 35 *Responsio.*

Impugnatio.

Comparatur promissio annexa pœnitētiæ, ad eam quæ annexa est merito.

Ex his primò sequitur quòd conuentio facta inter Deum, & creaturam, non possit esse iustitiæ commutatiuæ propriè, & strictè, sed, vt dicit Doctor, aliqualiter, quatenus scilicet medium dati, & accepti seruatur quoad quantitatem rei, nempe meriti, & præmij, seruata proportione, ita vt quantùm crescit meritum, tantum etiam crescit præmium intuitu meriti; quia tamen inter Deum, & creaturam formaliter nequit dari datum, & acceptum, prout iustitia commutatiua distinguitur ex hoc medio ab aliis speciebus, quæ materialiter imitantur modum commutatiuæ, vt liberalitas, & promissio secundùm eius motiuum facta, ideo non est capacitas vlla commutatiuæ 36 *Corollarium.*

Non esse in Deo iustitiã commutatiuam.

 mutatiuæ

mutatiuæ in operibus creaturæ respectu Dei, neque Dei respectu creaturæ; quia neque æqualitas est in reipsa, nisi tantùm materialiter, inquantùm scilicet Deus acceptat dona sua, tanquam merita nostra, ex bonitate, & misericordia, vt dicit Tridentinum, & vt Augustinus *suprà* primo loco citatus inuitat creaturam per præmium, vt faciat quod aliàs debet, licèt hoc ipsum faciat ex dono Dei liberali, quod non cadit sub merito eius. Hoc genus iustitiæ commutatiuæ secundùm *quid* & materialiter, seu, vt alij vocant, negatiuæ, & non positiuæ æqualitatis, dati in Deo probat Suarez, & nihil aliud, quamuis in re ipsa considerata sit liberalitas, & misericordia. Dicitur autem commutatiua materialiter; quia licèt ex dono, & promissione ex motiuo suæ bonitatis verè existat, quia tamen alterius non est capax creatura, quàm ex bonis, & dono Dei mereri, non positiuè ponit æqualitatem, sed tantùm negatiuè, quatenus creditor illo modo & genere dati sit contentus, licèt non seruetur datum, & acceptum positiuè, & secundùm propria bona, in quibus non communicant personæ, quæ ad alterum dicuntur, & habere debeant inter se cōtrapassum, quo res transmutatæ in proprium dominium commutatiuæ transeant sine communicatione iurium, & creditor per translationem rei, de qua conuentio fit, patiatur, illam alienando à se, vt amplius non sit eius, & è contra debitor similiter patiatur, transferendo solutionem in creditorem, cuius amplius nullum tenet ius, vt transit in dominium alterius.

37 *Secundum corollarium.* Secundò sequitur solutio ad loca Scripturæ, & Patrum, quibus dicitur vita æterna præmium, corona iustitiæ, depositum, in quibus meritum dicitur esse merces, & de condigno iustum mereri vitam æternam. 1. *ad Cor.* 9. 2. *ad Timoth.* 4. *ad Hebr.* 6. *Sap.* 5. *ad Philip.* 3. *ad Rom.* 4. Eodem modo etiam Patres, qui sequuntur hunc modum loquendi, intelliguntur de debito ex fidelitate, quod lato modo, & secundùm iustitiam sumptum largè, dicitur debitum, inquantùm seruat proportionem expositam iustitiæ commutatiuæ, sic dicitur aliqualiter esse secundùm eandem, non tamen in rigore, aut formaliter, sed tantùm materialiter. Dicitur præterea de cōdigno meritum, quia procedit à filio per adoptionem, cui tantùm est facta conuentio, aut promissio de hæreditate, tanquam præmio, & ad differentiam peccatoris, & inimici, qui alienus est, & primùm reduci debet ad statum filij per pœnitentiam, & hoc gratis, quamuis non sine dispositione eius, qua renuntiat peccato, & affectat salutem per illam satisfactionem lege præscriptam. Quæ autem superiùs diximus de differentia acceptationis meriti, & pœnitentiæ, quatenus vna sit ex motiuo misericordiæ; altera verò ex motiuo iustitiæ, id intelligendum ratione diuersi status vtriusque, quia peccator est simpliciter alienus à regno, & hæreditate, ac proinde opera eius, vt procedunt à persona sic inimica, nullum habent valorem; quòd ergo acceptetur eius pœnitentia, est ex mera Dei misericordia, qua subuenit indigenti, iustus autem eo ipso, quo iustus, est adoptatus ad hæreditatem, & ex communi regula, qua decernitur hæreditas per opera, ipsius bona opera acceptantur, & ratione status, & ratione ipsorum immediatè, & sine vllo alio impedimento ad hæreditatem, seruata etiam quadam proportione iustitiæ commutatiuæ: quia taliter acceptantur ac si essent eius propria in ratione dati, & accepti, & non dona Dei, qui hoc modo præmiat opera, ac si non essent dona. Propter hanc ergo aliqualem proportionem iustitiæ retribuentis ad commutatiuam, diximus *suprà* retributionem meritorum esse secundùm iustitiam, secluso tamen debito rigoroso ex parte Dei, aut iure simili ex parte creaturæ, sine quibus nequit iustitia commutatiua strictè sumpta consistere.

Quomodo inuenitur iustitia in merito.

Differentia inter iustum, & peccatorē.

Sequitur tertiò ad rationes eiusdem authoris, qui videtur reducere quæstionem ad nomen tantùm. Obiicit itaque quòd ad iustitiam commutatiuam non requiratur solutio adæquata debiti: ergo potest esse in Deo, quamuis non sit datum, & acceptum, aut solutio debiti adæquata. 38 *Tertium corollarium. Obiicitur.*

Respondetur negando consequentiam. Ad antecedens verò dico quòd per accidens aliquando contingat inter homines extingui debitum per solutionem eius inadæquatam, vt quia debitor nequit propter inopiam soluere integrum, vel quia creditor ex aliquibus circumstantiis per solutionem inadæquatam, & anticipatam debiti, ad quam non tenetur debitor, tantum lucratur, quantum per integram tempore debito; & ipse etiam debitor ex solutione tali potest grauari tantum, quantum solutio integra eum grauaret tempore præscripto. Cæterùm data etiam solutione inadæquata priori modo, licèt non sit integra, in eo quod soluitur, iustitiæ medium seruatur hîc & nunc, licèt ex parte, & materia est capax commutationis secundùm iustitiam: at inter Deum, & creaturam ne quidem ex parte seruari potest: quia creatura quidquid est, etiam ex parte, est Dei, & sic neque in parte potest quidpiam tribuere Deo, quod sit eius proprium, & non Dei: quia omnia iura eius, & reliqua, sunt Dei immutabiliter, & essentialiter dominio tam vniuersali, quàm speciali; ideò materia hæc, quæ signatur inter Deum & creaturam, non est capax iustitiæ commutatiuæ strictè sumptæ. *Soluitur. Extingui debitum per solutionem inadæquatam. Nequit esse respectu Dei.*

Dices, respub. habet dominium vniuersale in bona particularia ciuium, quo non obstante, illa bona sunt ipsorum propria, & in iis quisque potest habere ius proprium strictè sumptum: ergo non obstante dominio vniuersali Dei, potest creatura in suos actus habere dominium proprium. 39 *Replica.*

Respondetur negando consequentiam: Ad antecedens respondetur dominium vniuersale reipub. esse alterius rationis à dominio Dei in bona creaturæ: quia dominium vniuersale politicum in duobus consistit, nempe quatenus præscribit leges, & conditiones obseruandas ad finem boni communis, sine quibus obseruatis, dispositio Domini particularis est illicita, vel etiam quandoque nulla, prout lex sic, vel sic disponit obseruandas conditiones. Alio modo dominium vniuersale reipublicæ consistit in eo, quòd bona particularis pro defensione necessaria reip. possit exponere, sicut & personam; vtrumque dominium cessat quando finis cessat, ita vt si resp. vsurparet bonum particularis ciuis secluso illo fine, ageret contra iustitiam: vnde si ferret legem iniustam in detrimentum, & sine vlla vtilitate publica illa esset nulla, & eius executio contra iustitiam; eodem modo si grauaretur aliquis particularis sine culpa sua, aut necessitate reipub. esset contra iustitiam, & mera vsurpatio rei alienæ, ad ipsámque nulla est potestas, aut dominium reip. in eo casu: quia dominium *Solutio. Dominium reip. in bona particularia est alterius rationis à dominio Dei.*

minium eius limitatur ex fine, nempe bono publico, eiúsque conseruatione necessaria, quo casu dominium particulare cedit superiori, & non aliter; sed dominium Dei si dicatur vniuersale, est alterius rationis: quia respicit totum quod est, & habet creatura, in omni casu, & circumstantia ex ratione primæ causæ, & vltimi finis, à quo essentialiter est creatura, & omnia eius opera bona, ideóque illimitatum, & inuariabile omnibus circunstantiis positis, & semper manens, cui neque Deus ipse renunciare potest, ideóque stante tali dominio, nequit aliquid creaturæ respectiuè ad Deum esse capax materiæ iuris strictè sumpti.

Dominium Dei vniuersale.

40 Obiicit secundò quòd Patres, & plures Scholastici asserunt de merito Christi, quod fuit de rigore iustitiæ, & idem de satisfactione. Respondetur, meritum Christi in genere meriti fuisse maximum, & superabundans, in genere tamen meriti, cuius iustitia fundatur in Dei acceptatione, & fidelitate, cuius perinde proprium erunt merita Christi, & satisfactio, sicut meritum puræ creaturæ: nam fuit ex bonis creditoris, interueniente promissione, & acceptatione Dei libera, & non ex debito. Sic ergo respectiuè ad Deum non fuit meritum, aut satisfactio Christi de rigore iustitiæ strictè sumptæ, & positiuè, sed tantùm negatiuè, quatenus aliud medium per viam satisfactionis, & meriti non fuit ordinatum, neque aliud perfectius ordinari potuit, aut congruentius. Comparato autem merito Christi ad damnum, quod intulit Adam, fuit superabundans, & excedit: & sic loquitur de eo Apostolus *ad Rom.* 5. Deinde iuxta statum præsentis iustitiæ fuit etiam superabundans, prout iustitia latè sumpta potest esse ad Deum, & de facto est, quia vt comparetur ad alias satisfactiones puri hominis, sacrificia, & oblationes legales, quæ præcesserunt, nullum ex his potuit satisfacere: quia omnes indigebant redemptore, & pro propriis etiam delictis placare Deum: Sacerdotes enim veteris legis, & ipsa lex non potuerunt perducere ad perfectum, & sic Paulus *ad Hebræos* 7.8.9.& 10. loquitur de Christo, & legis sacrificiis. Cæterùm opera Christi debebantur Deo, ex iis titulis, quibus debentur opera bona creaturæ, tanquam Patri, authori, & vltimo fini, & Domino vniuersali, loquendo de operibus creatis, tam Christi, quàm aliorum.

Obiectio secunda. Soluitur.

Meritum Christi quale fuerit.

Comparatio eius ad alias satisfactiones.

41 Aliud ergo est comparare satisfactionem Christi ad debitum, & ad alias quascumque satisfactiones; & aliud est eam comparare ad Deum secundùm rigorem iustitiæ strictè sumptæ: priori modo fuit superabundans, & rigorosa de rigore iustitiæ latè sumptæ, & vt est, aut esse potest ad Deum; non tamen de rigore iustitiæ strictè sumptæ, cuius nulla materia creata potest esse capax in ordine ad Deum, quæ est sententia communis scholæ, negantis in Deo iustitiam commutatiuam rigorosè; quod & negat ipse Suarez in reipsa, quamuis verbis, & præcisionibus eius essentiam euertat, vt eam Deo tribuat formaliter; quia illa effigies commutatiuæ, quam ipse efformat, est ipsa iustitia latè sumpta, quam alij in Deo statuunt, non autem commutatiua: reiicienda proinde eius censura præceps *in* 3. *p. tom.* 1. *disp.* 4. *sect.* 3. *conclus.* 3. qua notat oppositam improbabilitatis, nec piam, nec fidei satis consentaneam. Cætera eius argumenta facilè ex dictis soluuntur; quòd enim promissiones stipulatæ, aut vestitæ, vt vocant, & pacta, inducant actionem in foro, id prouenit ex constitutione legis, qua necessarium est ad bonum publicum, vt probata obseruentur, non quòd materia semper ad iustitiam spectat v. g. si promissio, & pactum sit ex voto, aut motiuo religionis, quæ à iustitia strictè sumpta differt: respectu Dei autem promissio eius, vt dictum est *suprà* cum Augustino, & Doctore ex fidelitate tenet, qua Deus sibi ipsi, & suæ bonitati tenetur, non autem legi alicui, qua ordinaretur ad creaturam, tanquam ex debito, aut iure fundato in ipsa. Videatur de hac materia Pater Vasquez *locis citatis*, & noster Theodorus Smising, qui abundantissimè, & doctè hanc materiam tractat, *tract. de virtutibus intellectualibus, & moralibus in Deo disput.* 4. *de iustitia attributo.*

Sed secunda iustitia potest hîc esse simpliciter, &c. Hæc est secunda conclusio huius paragraphi, in qua dicit iustitiam distributiuam posse esse in Deo simpliciter, distribuendo creaturis perfectiones, quas exigunt. Secundùm perfectionem disparem in *esse*. hanc sententiam docere videtur D. Thom. *in* 2. *d.* 27. *art.* 3. *&* 4. *contra gentes cap.* 93. quamuis aliàs non videtur admittere distributiuam strictè sumptam in Deo. Cæterùm conclusionem præmissam tenet Richardus *in hac dist. art.* 1. *q.* 1. Capreolus *in primo dist.* 45. *q.* 1. *ar.* 1. *concl.* 14. Caiet. *in* 1. *p. q.* 21. *art.* 1. *&* 2.2 *q.* 61. *ar.* 4. Ferrar. 1. *contra gentes, cap.* 93. Sotus *lib.* 3. *de iustitia, & iure, q.* 5. *art. vlt. ad finem, & lib.* 3. *de natura, & gratia, cap.* 7. Hossius *in confessione cap.* 73. *ante medium.* Richardus & Caiet. extendunt iustitiam distributiuã ad retributionem præmij, & pœnæ; Sotus tantùm ad distributionem præmij; in pœnis autem seruari similitudinem commutatiuæ. Doctor autem hîc non extendit distributiuam ad retributionem operum, sed ad gubernationem, seu prouidentiam naturalem, qua in Hierarchia rerum naturæ nobiliori etiam dantur perfectiones naturales nobiliores, sicut in politia humana distribuuntur bona communia secundùm perfectionem graduum in membris Reip. & quoad hoc tantùm admittit distributiuam in Deo, non verò quoad opera salutis, in quibus non est disparitas gradus, sed electionis gratuitæ: nam Angelus, & homo per ipsum *in* 2. *dist.* 1. *q.* 5. sunt pares, vt comparantur ad gloriam, ex Augustino. Quòd si autem sumatur differentia gradus ab ipsa electione diuina, vel ea supposita, in quantùm etiam reducitur ad effectum per gratiam Dei, qua donantur opera, & meritum, potest admitti quædam distributiua, aut similitudo eius, inquantum electo ad perfectiorem gradum gloriæ dentur à Deo media proportionata, quibus eam assequatur, licèt ipsa merita ex talibus donis comparata sequuntur modum, & similitudinem commutatiuę modo suprà dicto. Ioannis enim 14. dicitur, *In domo Patris mei mãsiones multæ sunt*, &c. quod intelligitur de dispari gloria electorum in patria. Deinde, si consideremus dona gratis omnino data membris Ecclesiæ, disparitas etiam inuenitur in membris, officiis, & functionibus, quibus aliter, & aliter assistit Spiritus ad ædificationem Corporis Christi: nam *alij datur sermo sapientia, alij scientia, alij prophetia*, &c. prout Apostolus differit. In patria etiam quoad gloriam accidentalem, & non solùm essentialem datur diuersa: nam alij Doctores, alij Martyres,

42 *2. conclus. Iustitia distributiua in Deo formaliter.*

Distributiua vt respicit, Hierarchiã naturalem.

De eadem vt respicit supernaturalem.

Martyres, alij Virgines, quibus suæ laureolæ dantur ob victoriam in certamine; cæterùm proportio, quam seruat meritum ad præmium, & demeritum ad pœnam, est ad imitationem commutatiuæ, vt Doctor tenet in præcedenti conclusione.

43 *Non dari in Deo distributiuam strictè sumptam.* Aduertendum est præterea, vt *infrà* ipse docet, licèt distinctionem iustitiæ particularis distributiuæ in Deo admittat hîc cum aliis: tamen eum non asseri in rigore, & secundùm debitum strictè sumptum, sed duntaxat quantùm ad similitudinem quandam, quæ est proportionis Arithmeticæ seruatam in rerum gubernatione, quoad suas perfectiones naturales, ex quibus nullum debitum morale, aut iuris redundat: loquitur enim eo modo, quo Scriptura dicit Deum omnia condidisse *in pondere, modo, & mensura*, Sap. 11. & sic naturæ Hierarchia exigit ad completam sui perfectionem, quæ consistit in corpore quodam heterogeneo, secundùm disparem, & dissimilem membrorum naturam, & functiones: ita etiam Deum distribuisse proportionatam perfectionem, locum, & motum, & formam, ac figuram: eo modo, quo Dionysius loquitur cap. 8. de diuinis nominibus, *Diuina enim iustitia*, inquit, *omnia disponit, & determinat: omniáque non confusa inter se, nec permixta custodiens, iis quæ sunt omnibus, quod cuique accommodatum est, tribuit, pro ea qua vnumquodque eorum, quæ sunt, attingit, dignitate*, &c. Eodem etiam modo D. Thomas 1. *contra Gentes cap.* 93. ait iustitiam distributiuam posse Deo aptari, secundùm quòd Deus est distributor bonorum vniuersi, & sicut iustitia hominis se habet ad ciuitatem, & domum, ita etiam iustitiam Dei se habere ad vniuersum. Vnde Dionysius in verbis sequentibus: *Et cuiusque naturam in proprio saluat ordine, & virtute*, &c. Sic etiam Tertullianus lib. 2. contra Marcionem, cap. 11. *Bonitas Dei operata est mundum, iustitia Dei modulata*, &c. Hac itaque ratione prouidentia Dei vniuersalis distribuit perfectiones iuxta exigentiam creaturarum, dando singulis quod naturæ suæ competit, in quibus creatura rationalis connumeratur, tanquam supremum in perfectione, cui datus est intellectus, & voluntas, & media necessaria, & regula secundùm has potentias operandi, tam in ordine naturali, quàm supernaturali, ad quem illa ordinatur, quo sensu Doctor in præsenti conclusione loquitur, & non de iustitia distributiua, prout est species iustitiæ strictè sumptæ, quæ respicit ius propriè dictum, prout Doctor & sui, & in paragrapho præcedenti distinguit iustitiam propriè dictam cum Philosopho 5. *Ethic.* c. 2. & D. Thoma, & Authoribus iam præmissis, & infrà citandis. Hanc etiam distinctionem suprà *dist.* 14. *quæst.* 2. recepit.

(Dion.)

44 *Reduci iustitiam in Deo ad duo membra.* [k] *Sic ergo in genere illa definitio*, &c. Definitionem iustitiæ tam ab Anselmo sumptam, quam etiam vti limitatur ad iustitiam, quæ est ad alterum, vt transfertur ad Deum, reduci ad duo membra asserit, nempe ad rectitudinem voluntatis propter se seruatam, & ad rectitudinem eiusdem, vt respicit exigentiam creaturæ, quod probat ex Anselmo in litera, & patet ex dictis: quia auferendo à Deo commutatiuam, manet tantùm illa, quam sibi & suæ bonitati quasi alteri debet, & ea quæ respicit creaturam quasi secundariò ex debito suæ bonitatis iuxta exigentiam naturæ, modo *suprà* dicto; & hæc est iustitia distributiua, quam statuit in Deo, non secundùm debitum strictum ex parte creaturæ vt *infrà* docet, sed secundùm debitum largè sumptum, & fundatum in exigentia eius, vt procedere debet à Deo authore in *esse* completo, quod exigit quantùm ad perfectionem essendi, & operandi, quo vniuersum corpus creaturæ cõponitur.

Rectitudo & condecentia.

Distinctio vtriusque. Distinctionem præterea statuit inter illa duo membra, vt sunt in Deo, quòd prima sit talis, vt Deus non possit contra eam, aut præter eam operari: quia nempe infinitè bonus, & indefectibilis essentialiter. Præter autem iustitiam secundam potest operari: quia nempe liberè influit in creaturas, & circa eas potest vniuersaliter, quod ex parte rei non repugnat. Limitat hanc partem: *Dico quòd nequit damnare iustum, quia iustus est, neque beatum*, quia nempe damnatio secundùm iustitiam vindicatiuam supponit culpam: potest tamen ex dominatione vniuersali, iuxta plurium sententiam, eos statuere in tormentis, ablata beatitudine à Beato: quod mihi etiam valde dubium est; quia & hoc suæ bonitati videtur repugnare, licèt aliàs ex parte creaturæ non repugnet. Quamuis autem iustos probet per afflictiones, hoc tamen ad cumulum meritorum, & purgationem facit. Vnde non videtur ad finem dominationis manifestandum congruere suæ bonitati, & clementiæ infinitæ statuere posse iustum in tormentis, aut beatum.

[l] *Si obiicitur quòd non potest esse in Deo*, &c. Obiectio est contra distinctionem datam vtriusque 45 *Obiectio.* iustitiæ in Deo, quia sic vna esset regula, nempe illa, qua Deus suæ bonitati, & rectitudini voluntatis propriæ tenetur, altera esset regulata; nempe illa, qua tenetur exigentiæ creaturæ: sed in diuina voluntate, quæ est prima regula, nihil potest esse regulatum. Deinde, in nobis idem inclinat ad finem, & ad ea quæ sunt ad finem; sicut patet de charitate Beatorum; iustitia autem Dei est simpliciter perfecta; illa qua suæ bonitati tenetur, & quæ in primo membro distinctionis statuitur: ergo præter illam, nulla alia requiritur in voluntate diuina. Exemplum illud de charitate Beatorum sic intelligitur, quia illa ita inclinat ad finem voluntatem Beati, vt omnia alia, quæ vult positiuè, velit ad finem ex motiuo charitatis perfecto, & actuali: quia operatur semper optima quæ potest Beatus; ac proinde cùm illa sit perfectissima operatio, quæ procedit à fine, & ex motiuo finis vltimi, ideò semper operatur omnia ex illo motiuo, & circa Deum, & circa alia; in via autem non ita, quia sæpe operatur ex motiuo aliarum virtutum in hoc sistendo, & non referendo in finem actualiter, quia motus actualis in finem vltimum non continuatur semper in voluntate viatoris: in patria autem sicut semper continuatur actus, & fruitio, ita etiam semper influit in omnem actum voluntatis, vt sit ad ipsum finem; sed rectitudo diuinæ voluntatis semper est in actu circa bonitatem finis, & in ordine ad illam manifestandam, & communicandam operatur circa creaturas: ergo in Deo non est statuenda alia iustitia præter illam, qua respicit propriam voluntatem.

Beatus omnia vult ex fine & propter finẽ vltimum.

[m] *Quod etiam dicitur quòd quandoque non potest operari præter secundam*, &c. nempe damnando 46 iustum, aut beatum, non videtur probabile: quia quidquid non implicat contradictionem, potest simpliciter agere, & velle; sed non potest

test aliquid velle, quin rectè velit; ergo cùm iustitia secunda, nempe qua agit iuxta exigentiam creaturæ, respiciat aliquid, cuius oppositum non inuoluit contradictionem: ergo illud Deus potest velle, & rectè velle. Respondet Doctor quòd prima fortè concederetur ab aliquibus, nempe eandem iustitiam inclinare Deum ad agendum conformiter suæ bonitati, & etiam iuxta exigentiam creaturæ ex motiuo eiusdem bonitatis. Dicit secundam rationem videri euidenter concludere, nempe quòd ad quidquid prima iustitia inclinat, secunda iustitia inclinare potest. Id est, ex eodem motiuo diuinæ bonitatis inclinare ad exigentiam creaturæ, cùm determinatè inclinet per modum naturæ.

Responsio.

47 *Replica.*

Hæc ratio videtur responsio transposita, quia argumentum præmissum intendit probare quòd inclinans ad finem, si perfectè inclinet, perfectè etiam inclinat ad media, prout ad finem sunt: ergo iustitia primo modo sumpta, sicut inclinat ad Deum, & ad participans finem, nempe eius bonitatem. Deinde, ratio assignata non videtur vera, scilicet quòd iustitia secunda inclinet diuinam voluntatem per modum naturæ, cùm voluntas liberè agat ad extra. Respondetur solutionem datam vtrumque inuoluere, nempe iustitiam primo modo sumptam inclinare ad finem, & ad media, non dicit iustitiam secundo modo sumptam etiam inclinare ad vtrumque: vel sic meliùs respondetur, iustitiam primo sumptam non inclinare, nisi in bonitatem absolutè, & non sub ratione finis, id est, vt respicit obiectum secundarium, aut media: quia est rectitudo voluntatis Dei ad intrà tantùm: iustitia verò secundo sumpta, est eius rectitudo ad extrà, vt comparatur ad creaturas vt obiecta secundaria, & media manifestandæ bonitatis diuinæ; & hæc est, quæ agit propter finem, nempe ex motiuo diuinæ bonitatis, vt comparatur ad creaturas, tanquam media participantia illam, & sic fertur in diuinam bonitatem propter se, in creaturas verò materialiter, & propter diuinam bonitatem, tanquam finem: quia argumentum agit de fine respectiuè ad media, ideò respondit Doctor per illam secundam iustitiam, quæ sic est in Deo; non verò de prima, quæ non respicit finem, quà finis hoc modo sumitur.

Solutio, & explicatur Doctor.

48 *Sententia probabilis antiquorum recepta à Doctore.*

Ad aliam rationem dubitandi, respondetur, secundam iustitiam, vt concipitur eo modo, quo habitus in nostra voluntate se habet, inclinare determinatè ad exigentiam creaturæ, eo modo, quo habitus inclinat: non tamen necessariò, quia id voluntati repugnat, vt comparatur ad obiectum secundarium, quod est materiale, & in quod fertur voluntas liberè, & hoc tantùm intendit Doctor ad saluandam, & explicandam sententiam, quam hactenus exposuit, quæ est antiquorum D.Thom. & Richardi *loc.cit.* Sicut ergo habitus in nobis nó destruit potentiam, aut modum naturalem eius operádi, licèt determinatè, & per modum naturæ inclinet ad suum obiectum: ita etiam neque iustitia hoc modo sumpta per modum attributi voluntatis, aut rectitudinis eius essentialis, tollit eius libertatem ad extrà. Vnde Doctor dicit non inclinare sic voluntatem, quin præter eam, & contra eam possit velle: & ita distinctio posita vtriusque iustitiæ non in hoc saluatur, quod est, non posse agere præter eam, & posse agere præter eam, quorum primum competit primò membro, secundum verò secundo: quia nempe non solùm præter secundam iustitiam potest agere, sed etiam contra illam.

In hoc discursu videtur Doctor intelligere hoc vniuersaliter, etiam quoad casus suprà expressos de damnatione iusti, aut beati: hoc autem tenendo, non intelligitur de damnatione formaliter dicta, & tanquam pœna propter culpam, quæ nunquam fuit commissa: nam hoc omnino repugnat saluare vnum correlatiuum pœnæ sine culpa præterita. Sed intelligi debet de damnatione materialiter sumpta, vt est actus dominatiuus Dei, & vsus suæ potestatis in creaturam, vel secundùm aliam prouidentiam, qua posset peccatorem iustificare à peccato, tamen reseruare ei pœnam æternam, & non dimittere, de quo actum est aliàs in secunda parte huius commenti; hoc faciliùs concederem, quàm primum, quia iustificatio à peccatis, sicut est diuersum beneficium à remissione pœnæ, ita Deus posset remittere offensam, & reseruare pœnam, quo casu non admitteret remissarium ad ius ad gloriam, sed maneret cum debito pœnæ soluendæ pro termino à lege præscripto. Alterum membrum superiùs diximus fortè repugnare Dei clementiæ, vt iustum, aut beatum possit destinare ad tormenta: plura enim quæ ex natura terminorum non repugnant fieri, tamen vt comparantur ad hanc, vel illam causam, etiam ad Deum repugnant fieri, vt mendacium, quia est contra suam veritatem; peccatum, quia est contra ipsius bonitatem; ita posset dici in proposito casu, repugnare diuinæ clementiæ condemnare hoc modo iustum, aut beatum: quia alter est adoptatus ad hæreditatem, quam alter adiuit: exponi ergo potest Doctor alio modo, nempe Deum posse condemnare, & potuisse condemnare iustum, non quà iustus est, & sic de Beato: sed personam, quam iuxta præsentem electionem soluat, potuit secundùm aliam prouidentiam derelinquere, & damnare suppositis peccatis, quæ haberet in illo statu: vel propter peccatum primi parentis, & hoc esset agere præter iustitiam, quam de facto exercet erga illos, sed contra eam per contrariam voluntatem. Præter autem iustitiam est, agere supra iustitiam per affectus gratuitos, aut miraculosos; hoc ergo intendit Doctor per illam differentiam illius quod est *præter*, & illius quod est *contra* agere.

49

Explicatur Doctor.

S C H O L I V M.

Non esse in Deo iustitiam formaliter distinctam à sua voluntate, alioquin in aliquod obiectum secundarium posset tendere iniustè, vel saltem ita tenderet, in aliquod tale, quòd non posset iustè tendere in eius oppositum, éstque sententia expressa Anselmi citati, & Augustini ser.16. de verb. Apost.Bernardi ser. de Annunciat. D. Thoma

mæ 1. 2. quæst. vlt. art. 1. de quo latè Vasq. 1. part. d. 86. 1. 2. disp. vlt. contra Suarez citatum.

[n] NOn improbando distinctiones, dico tamen breuiùs ad quæstionem, quòd in 7
Deo non est nisi vnica iustitia, re, & ratione: tamen præter illam extendendo iustitiam, poni potest aliqua iustitia, vel magis aliquid iustum, in creaturis.

Iustitia Dei est sua voluntas.

[o] Primum declaratur, quia cùm iustitia propriè sit rectitudo voluntatis quasi habituatæ, & per consequens, quasi naturaliter inclinans ad alterum, vel ad se quasi ad alterum: & voluntas diuina non habeat rectitudinem inclinantem determinatè ad aliquid, nisi ad suam bonitatem quasi ad alterum (nam ad quòdcunque aliud obiectum merè contingenter se habet, ita quòd æquè potest in hoc, & in eius oppositum) sequitur quòd nullam iustitiam habet, nisi ad reddendum suæ bonitati, vel voluntati, quod eam condecet.

Differentia tẽdentiæ intellectus, & voluntatis Dei in obiecta secundaria.

Sic autem habet vnum actum rei, & rationis, ad quem determinatè inclinat illa iustitia, quæ est respectu suæ bonitatis: sed ille actus ex consequenti respicit multa obiecta secundaria, & eo modo, quo dictum est *in primo lib. dist.* 35. quòd intellectus diuinus præter hoc, quod habet vnum obiectum primum, & vnum actum, respicit multa obiecta secundaria. Sed in hoc est differentia hîc & ibi, quia intellectus obiecta secundaria necessariò respicit: hîc autem voluntas obiecta secundaria tantùm contingenter. Et ideò non solùm non dependet ab eis actus hîc, sicut nec ibi: sed nec necessariò determinatur ad illa hîc, sicut determinatur ibi.

Inclinatio diuinæ voluntatis ad extra est ipsius determinatio,

Si autem velimus distinguere vnum actum re, in multos rationis, sicut ibi distingui- 8
tur vna intellectio rei in multas ratione, vt transit super multa obiecta secundaria; Dico quòd respectu illarum non sunt quasi distinctæ iustitiæ ratione: sed nec vna qualitercunque distincta, vel indistincta: quia habitus inclinat per modum naturæ, & ita determinatè ad vnum, vt per hoc repugnet potentiæ habituatæ per habitum illum, tendere in oppositum: sed ad nullum obiectum secundarium ita determinatè inclinatur voluntas diuina per aliquid in ipsa, quòd sibi repugnet, iustè inclinari ad oppositum illius: quia sicut sine contradictione potest oppositum velle, ita potest iustè velle, alioquin posset absolutè velle, & non iustè, quod est inconueniens.

Et hoc est quod dicit Anselmus Prosol. 11. *Illud solũ est iustum, quod vis: non iustum, quod non vis:* vt sic, si poneretur in intellectu diuino aliquis habitus intellectiuus respectu sui, & aliorum, magis posset distingui in multos habitus ratione, vt inclinat in obiecta secundaria, quàm in proposito. Quia ibi ad quodlibet secundarium determinatè inclinatur intellectus: non sic hæc voluntas. Vnde posset dici quòd illa vnica iustitia, quæ non inclinat determinatè, nisi ad primum actum, modificat actus secundarios: licèt nullum eorum necessariò, quin posset modificare oppositum. Nec quasi præuenit voluntatem inclinando eam per modum naturæ ad aliquem actum secundarium: sed voluntas primò determinat seipsam ad quodcunque obiectum secundarium. Et ex hoc ille actus est modificatus ab illa prima iustitia, quia consonus voluntati, cui adæquatur, quasi pro rectitudine inclinante iustitia prima.

scilicet latè. Quid iustũ in Deo respectu creaturæ.

[p] Secundo modo iustum dicitur esse in creatura ex correspondentia vnius creati ad 9
aliud sicut iustum est ex parte creaturæ, ignem esse calidum, aquam frigidam, ignem sursum, & terram deorsum: quia natura ista creata hoc exigit, tanquam sibi correspondens; sicut possemus dicere in politiis, quòd esto quòd in solo principe esset iustitia: tamen in rebus ordinatis esset quodammodo iustum, vt scilicet tales res sic disponerentur, & tales sic: quia hoc res ipsæ, vt natæ cedere in vsum ciuium, exigunt. Sed ad istud iustum non determinat iustitia diuina intrinseca prima, vt est respectu primi actus isto modo: quia ille actus non respicit illud obiectum: neque respectu actus secundarij, quia vt respicit istud obiectum secundarium, non est illa iustitia determinatè inclinans, vt dictum est.

Arguit iustitiam nullo modo esse in Deo.

[q] Contra ista, primò, quia iustitia non potest esse in aliqua voluntate, nisi inclinet concorditer dictamini prudentiæ, & per consequens conclusioni syllogismi practici: intellectus autem diuinus non syllogizat, cùm non discurrat.

Prætereà, intellectus diuinus priùs apprehendit actibile, quàm voluntas illud velit: & voluntas non potest discordare ab intellectu apprehendente: intellectus autem determinatè apprehendit hoc agibile, ita quòd non indifferenter hoc, & illud, quia tunc erraret: ergo voluntas determinatè vult hoc agibile, ita quòd non potest velle oppositum, sicut non potest aliquid iniustum velle, si rectè velit.

Prætereà,

Præterea, si iustum est Petrum saluari, & Deus hoc iustè vult: ergo iniustum est Petrum damnari: & ita si Deus potest hoc velle, potest aliquid iniustum velle.

10 Ad primum dico, quòd si in nobis potest esse alia virtus moralis, vel habitus inclinans concorditer conclusioni practici syllogismi; multò magis est in nobis habitus rectus appetitiuus, qui inclinat concorditer principio primo practico: quia illud principium practicum est verius, & per consequens rectius. Iustitia autem, quæ est in Deo vnica, re, & ratione, vt dictum est, concorditer inclinat primo principio practico, puta, *Deus est diligendus.* Sed si strictè accipias quòd non inclinat concorditer conclusioni syllogismi practici, ideò non est virtus aliqua specialis; concedo quòd illa iustitia, quæ est in Deo, non est nisi quasi vniuersalis, & radicalis virtus, à cuius actus rectitudine, natæ sunt omnes iustitiæ particulares procedere, licèt non necessariò.

Iustitia Dei est vniuersalis, nō specialis virtus.

Ad secundum dico, quòd intellectus apprehendit agibile, antequam voluntas illud velit: sed non apprehendit determinatè hoc esse agendum, quod *apprehendere* dicitur *dictare*: imò, vt neutrum est, offert voluntati diuinæ, quà determinatè per volitionem suam illud esse agendum, intellectus apprehendit tanquam verum illud agendum, vt dictum est in materia de futuris contingentibus *lib.* 1. *distinct.* 39.

Intellectus Dei quomodo apprehendit agibile antequam voluntas id velit.

Esto tamen quòd intellectus de aliquo ante apprehenderet illud esse agendum, quàm voluntas illud vellet, sicut apprehendit de hoc, *Deus est diligendus*; non sequitur naturali necessitate, illud apprehendit, & voluntas non potest discordare; ergo voluntas naturali necessitate hoc vult: quia non potest discordare in obiecto, vt scilicet velit, aut nolit illud, quod ostendit volendum: sed in modo tendendi in illud obiectum discordat.

11 Vel magis propriè distinguitur: quia intellectus suo modo tendit in illud, scilicet naturaliter, & volũtas suo modo, scilicet liberè. Et illæ potentiæ concordant, quæ semper in idẽ obiectũ tendunt suis propriis modis tendendi: sicut phantasia, & intellectus non discordant, licèt illa tendat in obiectum, vt singulare, hic in obiectum, vt vniuersale.

Ad tertium, dico quòd sicut in istis politiis legislator respicit in se simpliciter iustum, quod est iustum boni publici: secundùm *quid* autem respicit alia iusta partialia, semper quidem in proportione ad hoc iustum, & ideò in quibusdam casibus iustum est non seruare leges iustas, respicientes aliqua iusta partialia, quando scilicet obseruatio earum vergeret in detrimentum iusti publici, scilicet benè esse reipublicæ: ita Deus simpliciter determinatur ad iustum publicum communitatis, non vt communitate aggregationis, sicut in ciuitate; sed communitate eminentis continentiæ, quod est iustum condecens bonitatem suam. Omne autem aliud iustum est particulare, & nunc hoc iustum, nunc illud iustum, secundùm quòd ordinatur, vel conuenit huic iusto.

Iustum est non seruare leges particulares, quando id exigit bonũ commune.

Dico ergo, quòd potest velle Petrum damnari, & iustè velle, quia illud particulare iustum, *Petrum saluari*, non necessariò requiritur ad iustum publicum, quin oppositum eius possit ordinari ad illud idem, scilicèt ad condecentiam diuinæ bonitatis. Est enim illud finis, *quod*, nullum ens ad finem determinatè, necessariò requirens.

An potest Deus iustè damnare iustum?

12 r Ad Argumenta principalia. Ad primum dico, quòd non est ibi æqualitas simpliciter, nisi ad seipsum: ideò nec iustitia simpliciter, nisi ad se, quasi ad alterum: sed æqualitas aliqualis potest ibi poni, qualis potest esse domini excedentis valde, ad seruum excessum.

Ad arg. 1.

s Ad aliud, dicendum quòd non sunt ibi virtutes secundùm illud imperfectionis, quod est in eis: sed ablato eo quod est imperfectionis, sicut patet in exemplo adducto de temperantia. Illud enim requirit in natura temperata, posse esse aliquam delectationem immoderatam: & hoc est imperfectionis: & propter hoc magis propriè ponimus ibi iustitiam, quàm temperantiam, quia illa non ita requirit aliquem excessum in passione, vel aliquam talem imperfectionem, sicut requirit temperantia. Vtrùm tamen iustitia, vt ibi est, sit virtus quantùm ad illam rationem, quòd sit distincta formaliter à voluntate, & quasi regula eius, vel tantummodo sit voluntas sub ratione primæ regulæ seipsam determinantis; dubium est: quia si secundum ponatur, magis soluitur ratio, quia tunc non est ibi sub ratione virtutis moralis.

Ad 2. *Cur potiùs in Deo iustitia quàm temperãtia.* *Manet dubius, an iustitia Dei distinguatur à voluntate.*

t Ad tertium dico quòd non simpliciter est debitor, nisi bonitati suæ, vt diligat eam: creaturis autem est debitor ex liberalitate sua, vt communicet eis quod natura sua exigit: quæ exigentia in eis ponitur quoddam iustum, quasi secundarium obiectum istius iustitiæ: tamen secùndùm veritatem, nihil est determinatè iustum, & extra Deum, nisi secundùm *quid*, scilicet cum hac modificatione, quantùm est ex parte

Ad 3. *Aug. serm.* 16. *de verb. Ap. Dicis homini, debes mihi, quia dedi tibi, dicis Deo, debes mihi, quia promisisti mihi.*

creaturæ: sed simpliciter iustum tantummodo est relatum ad primam iustitiam, quia scilicet actualiter volitum à diuina voluntate.

COMMENTARIVS.

50 *Propria sententia Doctoris.* NOn *improbando distinctiones*, &c. Hactenus disseruit Doctor iuxta sententiam aliorum, quos retulimus, inquantùm tribuunt iustitiam Deo, vel in ordine ad se, vel etiam ad exigentiam creaturæ; hîc subiicit propriam sententiam. Dicit primò non improbando distinctiones præmissas, quia etiam rectitudini diuinæ voluntatis, quam solùm esse iustitiam in Deo statuit, illæ distinctiones possunt eidem aptari. Conclusio ergo est:

Conclusio non esse in Deo nisi vnã iustitiam. *In Deo non est nisi vna iustitia re, & ratione: tamen præter illam potest poni aliqua iustitia, vel magis aliquod iustum in creatura.* Hanc iustitiam, re, & ratione vnam intelligit rectitudinem diuinæ voluntatis in ordine ad suam bonitatem, ad volendum quod eam condecet, & sic non est in Deo iustitia commutatiua, vt *suprà* eam exclusit; neque distributiua, quam hîc etiam excludit. Eandem sententiam tuetur D. Bonauent. *art.* 2. *q.* 1. *ad* 3. Durandus *q.* 1. *& in* 2. *d.* 27. *q.* 2. Palud. *in hac d.q.*1. Gabriel. *in supplemento d.*49. *q.*4. *art.*3. *dub.*3. Alensis *prima p.q.*39.*m.*1. Videtur etiam esse D.Thomæ 2.2.*q.*61.*art*... vbi probat non esse idem iustum simpliciter, & contrapassum ex Philosopho 5. *Ethicorum cap.* 5. vbi asserit iudicium diuinum in pœnis & præmiis esse secundùm medium commutatiuæ, & non distributiuæ. Hanc præterea conclusionem docet Vasquez *in* 1.*p.tom.*1.*disp.*86. *cap.*2. *& sequentib.* Probatio potissima huius conclusionis, qua excludit distributiuam à Deo, petitur ex loco Anselmi suprà citato à Doctore, & etiam in hoc paragrapho. Deinde, in Deo nullum potest esse debitum stricti iuris, qua ratione ab eo excluditur iustitia commutatiua: sed iustitia distributiua exigit tale debitum: ergo nequit esse in Deo. Tertiò, quia eadẽ iustitia in Deo respicit merita, & demerita, vt ordinantur per præmium, & pœnam: sed respectu vtriusque nulla est acceptatio personarum, neque intuitus personarum, sed solius operis iuxta proportionem geometricam, & æqualitatem quantitatis, vt sicut bono operi correspondet præmium iuxta excessum eius: quia perinde dicitur de vtroque illud Symboli *prout gessit in corpore suo siue bonum, siue malum*, quantùm ad iudiciũ, quod fiet de operibus, non respiciendo personam.

Probatio conclusionis. Non esse in Deo debitum stricti iuris secundùm distributiuam.

51 *Probatio cõclusionis in genere.* Probatur autem conclusio in genere quoad omnem iustitiam, quia diuina voluntas est ex se infinitè recta in ordine ad Deum in se, & ad intrà: ergo continet in se omnem rectitudinem, quæ nata est conuenire voluntati, siue per habitum, siue ex perfectione simpliciter. Probatur consequentia, quia voluntas diuina ratione suæ rectitudinis propriæ est inobliquabilis per naturam, quà voluntas est: ergo etiam conuenit ipsi, quà voluntas est omnis rectitudo respectiuè ad obiectum, & actum, secluso quocumque alio rectificante, & consequenter omnis rectitudo voluntatis habituatæ, vel quasi habituatæ. Deinde, sicut voluntas diuina est infinitè recta seipsa, & sua bonitate in ordine ad Deum, vel seipsam, ita etiam in ordine ad obiecta secundaria, & materialia, inquantùm ea ordinat, vel ad Deum, vel inter se ex motiuo sui obiecti formalis ad intrà: ergo ad rectificandum se circa obiecta secundaria non indiget habitu, vel quasi habitu, seu attributo, à seipsa distincto: nam & voluntas etiam in nobis antequam acquirat habitum huius, aut illius virtutis potest operari rectè, & necessariò, sic priùs operatur, quia ex frequenti operatione recta acquirit habitum virtutis: ergo voluntas ex natiua virtute potest rectificari sine habitu operando: ita vt omnis rectitudo habitus contineatur in ipsa potentia eminenter: sed voluntas infinita, & ex se non obliquabilis à fortiori continet in se omnem rectitudinem habitus: ergo voluntas diuina omnem rectitudinem iustitiæ ex propria ratione sua includit, secluso omni habitu, aut attributo superaddito.

Voluntas diuina infinitè ex se recta.

Non est obliquabilis ex se.

Non indiget habitu à se diuerso.

52 *Est prima regula.* Deinde ipsa diuina voluntas est prima regula respectu creaturarum, & libera iuxta Anselmum *suprà*: quia quidquid ordinat in creaturis hoc ipso quod ordinet, fit iustum: ergo non supponit aliam sui regulam. Probatur consequentia, quia si daretur alia regula in voluntate per modum naturæ, & determinatè respiciens iustum, seu medium iustitiæ, sequeretur quòd voluntas non esset prima regula, neque primum rectum respectu creaturarum. Probatur sequela, quia id quod determinatè aliquid respicit, magis per se inclinat ad illud, quàm id quod tantùm liberè, & contingenter in eodem genere: quia illud quod indifferenter, & liberè aliquid respicit, & potest eius oppositum agere, atque perinde respicit, ipsum ac eius contrarium; quod verò determinatè respicit nullo modo dicit ordinem ad oppositum eius, quod sic respicit. v. g. voluntas diuina ad intrà respicit determinatè obiectum, circa quod necessariò, & non liberè operatur: & sic etiam voluntas in nobis si agat, aut agere potest per modum naturæ, necessariò operatur, & determinatè; sed si esset aliquod attributum in voluntate, quod respiceret per se medium iustitiæ, quod respicit volũtas tantùm indeterminatè & liberè, illud esset primum rectum, & non ipsa voluntas, ac proinde prima regula: quia determinatè ita respiceret medium iustitiæ, quòd nullo modo posset contrarium, aut præter hoc medium agere, vel inclinare: voluntas autem diuina non ita, quia & contrarium, & præter medium recti sic sumpti posset agere; ergo non esset primò recta vt comparatur ad medium iustitiæ; ac proinde neque prima regula. Probatur consequentia, quia in nobis prima regula est illud, quod determinatè respicit rectum, vt est principium practicum, vel conclusio, vel actus prudentiæ particularis, & hoc ideò quia voluntas nostra ob libertatem ad oppositum recti, est defectibilis, & non determinata ad rectum; ideóque requirit aliam regulam à se diuersam, per quam rectificatur, quod est iudicium determinatum, & verum practicum: ergo si statuatur aliquod rectum, quà ex se est tale independenter à diuina voluntate, & ad quod datur in eadem voluntate aliquod determinatè inclinans; voluntas diuina neque erit prima regula constituendi rectum, neque ex se inobliquabilis, supposito quòd possit in oppositum talis recti; sed statuendo aliquod attributum in voluntate, sequitur quòd

Si daretur attributum rectificans, non esset prima regula.

Prima regula in nobis.

quòd obiectum illius attributi in re ipsa sit inuariabile, & consequenter independens à voluntate, & ex se rectum: ergo neque voluntas erit prima regula recti, neque ex se inobliquabilis, quà voluntas est, sed per tale attributum, quod est absurdum ex dictis, & contra Anselmum loco citato.

53 *Secunda ratio.* *Derogaretur libertati.* Deinde sequitur, voluntatem diuinam neque posse oppositum, neque contingenter se habere ad illud rectum, quod est falsum, & inopinabile. Probatur sequela, quia attributum iustitiæ si ponatur in voluntate, tanquam diuersum ab ipsa voluntate, eo modo, quo distinguimus attributa, ab eo, cui insunt; debet esse infinitum formaliter: ergo contra eius inclinationem nequit voluntas operari circa materiam illius attributi, sicut neque contra inclinationem alicuius perfectionis diuinæ, v. g. contra veracitatem Dei, aut veritatem, aut bonitatem, producendo malum culpæ, erroris, aut medacij: ergo etiam neque contra attributum iustitiæ diuinæ potest operari oppositum eius, ad quod determinatè attributum inclinat, quod destruit libertatem voluntatis ad extrà.

Tertia ratio. Deinde, illud rectum, quod respiceret tale attributum, necessariò esset in creaturis independenter à voluntate: nam Dei ad se non est iustitia propriè dicta, sed solius condecentiæ: ergo iustitia in Deo vt sit formaliter ad alterum, necessariò respicit creaturam. Vnde sicut attributum iustitiæ supponitur ad voluntatem, vt est inclinans determinatè ad creaturas: ita etiam rectum, seu debitum, quod est in creatura, supponitur à voluntate, tanquam aliquid, circa quod agit secundùm inclinationem attributi, & non tanquam aliquid, quod ipsa voluntas statuit in creatura: quia ad tale non indiget diuerso attributo, cùm ipsa prima sit eius radix: sicut ergo supponitur ad voluntatem obiectum omnipotentiæ, sic etiam iustitiæ, modò illa detur diuersa à voluntate. Quæro ergo vnde consideratur, vel oritur in creatura tale debitum, ad quod necessariò inclinat iustitia diuina? si ex bonitate Dei, quam respicit ipsa iustitia, tanquam motiuum determinatè, sic etiam respicit voluntas eandem bonitatem determinatè, & ex natura sua, non liberè, aut contingenter, ita vt neque oppositum, neque præter bonitatem diuinam possit quidpiam velle: aliàs posset velle non bonum, quod est absurdum: quidquid est contra diuinam bonitatem est malum, & quidquid non est secundùm diuinam bonitatem; quæ omnem rationem boni includit: non est bonum: quia nihil est bonum, nisi participatione primi boni; sicut nihil est verum, nisi participatione primæ veritatis; & nihil est ens, nisi participatione primi entis: ergo perinde voluntas diuina determinatè fertur in bonitatis motiuum ex natura sua, sicut & iustitia: ergo etiam æquè inclinatur determinatè ex se ad omne illud, ad quod determinatè mouet diuina bonitas, sicut & iustitia, quia quod determinatè fertur in finem, & necessariò, ita etiam determinatè, & necessariò fertur in omne illud, quod per se est connexum fini, & ad quod ipse finis determinatè mouet, & non indifferenter.

Supponeretur aliquod rectũ & debitum in creatura ante voluntatem.

Voluntas diuina determinatur à sua bonitate.

54 *Non esse ius strictum in creatura.* Si dicatur, illud rectum esse in creatura ex natura sua, vt est ad Deum, hoc est falsum: quia nullum debitum strictum, ad quod inclinatur Deus ex iustitia, potest in creatura poni. Deinde, quærendo de ipso debito, aut eius fundamento primo, nulla creatura in *esse* est ad Deum, nisi contingenter, & non dicens necessariam connexionem cum Deo, aut eius bonitate: ergo nullum attributum ex bonitate Dei, aut eius motiuo inclinat determinatè, & necessariò ad creaturam in *esse*, sed tantùm contingenter: sed voluntas ipsa sic potest ex propria ratione, & virtute inclinare ex motiuo diuinæ bonitatis in *esse* contingenter: ergo non requirit aliud à se, quo inclinaretur determinatè ad creaturam in *esse*: imò hoc repugnat, cùm diuina bonitas nullam habeat determinatam connexionem ad creaturam in *esse*, sed merè contingenter, ac proinde nullum ius attributum habet talem connexionem, aut inclinationem. *Contingenter se habet creatura ad Deum.*

55 Deinde creatura diceret tale debitum, quà est talis secundùm essentiam, & proprietates per se connexas, aut secundùm existentiam, non ratione essentiæ sic præcisè sumptæ; tum, quia sic in ea nullum fundatur debitum, aut titulus, neque potest ordinari alterum, nisi in existentia; tum etiam, quia sic considerata creatura non dependet à voluntate, neque ab aliquo, quod est in voluntate, sed ipsi supponitur in *esse* possibili, non etiam quoad existentiam, quà necessaria est, vel contingens etiam, dicit tale debitum. Necessariò dico conuenire creaturæ in *esse*, vt sit talis in specie, & in indiuiduo, quod habet à causis intrinsecis, ad quod ita determinatè inclinatur diuina voluntas, vt non posset producere aliter creaturam in specie, aut in indiuiduo, ac proinde non requirit aliud inclinans ad hoc determinatè, tanquam à se diuersum, præter solam naturam obiecti, quamuis vt sit, ipsi sit contingens, & à voluntate primò, non ab alio rectificante, aut inclinante voluntatem: ergo vt debitum statuatur in creatura, debet ipsi competere quoad perfectiones superadditas existenti, vel naturales secundùm speciem, & indiuiduum; vel certè morales, vt competunt creaturæ perfectæ, & rationali: sed secundùm has perfectiones, vel ad has ipsas, nullum est debitum necessarium in creatura, ad quod inclinaret iustitia diuina diuersa à voluntate: ergo nulla est iustitia sic inclinans.

Creatura secundùm essẽtiam non dicit ius debiti secundùm iustitiam.

Quid conuenit ei necessariò.

56 *Qualiter se habet creatura ad contingentia.* Probatur subsumptum, quia illud esset debitum respectiuè ad vniuersum quantùm ad locum, situm, ordinem, durationem, motum, & perfectionem receptam à partibus vniuersi, & causis, & applicationem ad causas: sed totum hoc debitum conuenit creaturæ contingenter per prouidentiam Dei, eius sapientiam, voluntatem, & omnipotentiàm, & merè contingenter, ita vt si oppositum fiat, nulla sequatur imperfectio contra vllum Dei attributum: ergo nullum tale inclinat determinatè, & necessariò ad creaturam secùndùm illud debitum: quia illud debitum est tantùm potentiæ passiuæ, & exigentiæ, quod Deus hoc, vel illo supplere potest per se, aut alias causas, eóque non supplente nihil subtrahit debiti, ad quod determinatè inclinaretur ex motiuo suæ bonitatis, aut iustitiæ: omnia dicta per solam voluntatem secluso alio inclinante præter diuinam bonitatem statuuntur: ergo quoad hæc superfluit iustitia in Deo. Imò neque esse potest, quia contingenter insunt, & possunt non inesse per creatorem: ergo per voluntatem, quæ est radix omnis contingentiæ in creatura, vt est à Deo, omnis ille ordo, & per-

Exigentia creaturæ ad perfectiones contingentes.

fectio creaturæ naturalis cõtingens est in creatura, vt à Deo procedit, & non per aliquã iustitiam.

57 Si loquamur de debito morali, v.g. amicitiæ, iustitiæ legalis, prouidentiæ, vindicatiuæ, eodem modo à fortiori dicendum est Deum non respicere determinatè necessariò creaturam, neque aliud determinatè inclinans ad hoc diuersum à voluntatis diuinæ rectitudine esse inquirendum, aut statuendum: nam de retributione operum iam dictum est non esse iustitiam particularem in Deo statuendam, præter rectitudinem suæ bonitatis. Sicut ergo diuinæ voluntatis rectitudo est sufficiens principium in his, sic etiam in aliis à fortiori: nam debitum, si quod conueniret creaturæ rationali, maximè videtur ex Scriptura, & Patribus illud specificari in operibus: si iustitia quoad hoc debitum excluditur à Deo diuersa ab eius voluntate, à fortiori magis excludenda est respectu vniuersalis, & particularis prouidentiæ, tam in genere naturali, morali, quàm etiam in genere supernaturali, inquantùm hæc prouidentia respicit media operandi, vt legem, auxilia; & reliqua omnia, quæ nullo modo sub debito creaturæ cadunt, sed ex diuina bonitate, & dispositione per voluntatem conceduntur in genere, & specie, quod facile erit discurrenti per singula elicere ex dictis. Quia in singulis nihil peculiare inueniri potest, quod per rectitudinem ipsius diuinæ voluntatis haberi non possit, & quod non habeatur de facto, secluso omni attributo diuerso in voluntate, quod neque libertati eius congruit, neque ex aliquo in creatura, quod determinatè respiceret, colligitur; neque etiam diuinæ omnipotentiæ, qua potest Deus vniuersaliter, seclusa omni imperfectione, facere quidquid ei non repugnat.

De debito morali.

58 Ad fundamentum sententiæ illorum Doctorum, qui statuunt in Deo iustitiam distributiuam, respondet in specie Vasquez. Breuiori via facilis est responsio ex conclusione vniuersali præmissa, si quid in creaturis imitatur aliquo modo, seu aliqualiter medium huius, aut illius iustitiæ, id prouenire ex dispositione diuinæ voluntatis, quatenus ex ea sequitur aliquod iustum in creatura, (prout Doctor asserit in 2. parte conclusionis, & infrà explicat;) non verò ex eo, quòd sit statuenda in Deo aliqua iustitia formaliter diuersa à sua voluntate: aliqua autem in creatura imitantur nunc vnum medium iustitiæ, aliqua alterum, vt explicabitur, iuxta modum, ordinem, & statutum, quem ipsa voluntas diuina in creaturis constituit.

Ad fundamentum oppositæ sententiæ. Omne iustum, & rectum in creatura est ex voluntate diuina.

59 [6] *Primum declaretur*, &c. Hîc exponit conclusionem positam quoad primum membrum, ex qua declaratione desumpsimus *suprà*, probationem ipsius conclusionis. Prima itaque pars conclusionis fuit, quòd in Deo sit formaliter vna iustitia re, & ratione; quænam autem sit illa sic declarat: Iustitia propriè dicta est rectitudo voluntatis quasi habituatæ, & per consequens qausi naturaliter inclinans ad alterum, vel ad se quasi alterum, & voluntas diuina non habet rectitudinem inclinantem sic determinatè ad aliquid, nisi ad suam bonitatem, ad reliqua contingenter: sequitur ergo illam iustitiam esse ipsam rectitudinem actualis voluntatis, qua primò versatur circa obiectum ad intrà necessariò, liberè circa obiecta secundaria; & quamuis intellectus diuinus etiam habet vnum actum re, & ratione, circa obiectum primarium, & secundarium, vt dictum est *in d. 35. primi*: ita voluntas: sed in hoc est differentia, quòd voluntas liberè, & contingenter se habeat circa obiectum secundarium, intellectus verò necessariò; quamuis quis distinguere posset diuersos respectus rationis in intellectu, vt vna intellectio diuina in re sit multiplex ratione, vt transcendit ad diuersa obiecta, id est, multiplex obiectiuè, & in repræsentando, eo modo, quo Theologi, & Augustinus numerant ideas, aut distinguunt ideas in Deo, quas determinatè, & necessariò repræsentat vna intellectio diuina: tamen in voluntate non ita distinctæ sunt iustitiæ ratione; sed neque vna qualitercumque distincta, vel indistincta, nempe superaddita voluntati per modum attributi diuersi: quia, inquit, habitus, seu attributum iustitiæ, inclinat per modum naturæ, & ita determinatè ad vnum, vt per hoc repugnet potentiæ habituatæ per habitum illum, tendere in oppositum. Hæc ratio si sumatur vniuersaliter respectiuè ad omnem potentiam habituatam, ita intelligitur, vt repugnet potentiæ secundùm inclinationem habitus agenti tendere in oppositum illius, ad quod inclinat habitus: nam voluntas nostra ex libertate sua potest tendere simpliciter contra inclinationem sui habitus, quamuis non posset per habitum. Applicando autem sic rationem ad diuinam voluntatem, cùm illa non possit velle nisi quod iustum est, & eo ipso quòd velit, sit iustum, & quia liberè potest velle ad opposita, quorum quodlibet erit iustum, si velit, & ex eo quòd velit sequitur quòd in ea non detur sic determinatè attributũ inclinans ad vnum per modum naturę, ita vt si voluntas decernat oppositũ, non sit iustum in eo gradu, quo determinaret secundùm inclinationẽ habitus, vel quasi habitus: nam si perinde erit iustum oppositum eius, ad quod inclinat habitus, si decernatur à voluntate diuina, ita superfluũ erit constituere in ea habitũ determinantẽ ad vnũ, ad hoc vt iustè aliquid fiat. Potest etiã intelligi ratio prædicta respectiuè ad iustitiam habitualẽ, seu quasi habitualẽ, & attributalem in diuina voluntate, de qua agit: intelligitur ratio sic, vt tollat libertatem voluntatis ad oppositum eius, ad quod inclinat iustitia, quia cùm illa esset formaliter infinita, & in voluntate, & inclinans necessariò ex se ad vnum determinatè, voluntas non esset libera ad oppositum: quia non posset agere difformiter suæ iustitiæ, sicut neque bonitati, aut veracitati, sic etiam ratio concludit, vt suprà etiam deduximus.

Iustitia vt est in Deo declaratur.

Differentia inter voluntatem, & intellectum diuinum.

Idea ratione distincta.

Non ita iustitia in Deo.

Ratio huius.

Explicatur.

Inclinatio habitus.

Alia explicatio.

Subsumit deinde Doctor quòd voluntas diuina ad nullum obiectum secundarium determinatè inclinat, velle inclinatur, quin possit oppositum velle, & iustè velle; quod probat ex Anselmo aliàs dicente: *illud est iustum quod vis, non iustum quod non vis*, &c, Prosol. cap. 11. quod vniuersaliter intelligitur ita, vt ipsa voluntas sit prima radix, & regula constituendi iustum, & non aliud diuersum in voluntate. Subdit præterea diuersitatem inter voluntatem, & intellectum diuinum: *si enim poneretur in intellectu diuino aliquis habitus respectu sui, & aliorum, magis posset diuidi in plures rationis respectu obiectorum secundariorum, quàm in proposito aliquis habitus voluntatis, si poneretur: quia nempe intellectus inclinatur ex se ad obiecta secundaria, & per modum naturæ, non sic autem voluntas diuina*; vnde posset dici quòd *vnica illa iustitia, qua non inclinat determinatè nisi ad* 60

Voluntas diuina ad nullum obiectũ secundarium determinatè inclinat. Anselm.

Diuersitas inter voluntatẽ, & intellectum diuinum.

ad primum actum (supple ad intrà, circa essentiam,) *& modificat actus secundarios, licèt nullum eorum necessariò* (intelligit per modificationem illud, quòd competit habitui respectiuè ad potentiam) *nec quasi prævenit voluntatem, inclinando eam per modum naturæ*, &c. *Sed voluntas ipsa primò determinat seipsam, & ex hoc actus ille est modificatus, quia consonus voluntati, cui adæquatur; quasi pro rectitudine inclinante iustitia prima*, &c.

61 *Explicatur prædicta litera.* In hac litera videtur docere aliquam iustitiam primam in voluntate, diuersam à rectitudine propria, & in responsione ad secundum principale relinquit ambiguum, dicens argumentum solui faciliùs, tenendo nullam esse iustitiam diuersam ab ipsa voluntate. Superiùs in probatione conclusionis hanc secundam partem tenui ex ratione ibi proposita, quam veriorem censeo, & magis conformem principiis Doctoris, quibus statuit, *& in prologo quæst.* 4. *& distinct.* 38. ipsam voluntatem diuinam primam regulam, & in discursu etiam hîc proposito ex authoritate Anselmi id ipsum insinuat, docens eo ipso quòd voluntas diuina aliquid velit fieri iustum, & iustè velle, ex eo præcisè quà procedit à voluntate: si ergo voluntas ad extrà est prima regula, ita etiam neque requiri ad intrà aliquam iustitiam rectificantem ipsam circa obiectum primarium, ad quod se habet determinatè, & per amorem necessarium. Hîc ergo explicat tantùm quomodo posset saluari sententia, quæ statuit iustitiam formaliter in Deo diuersam à sua voluntate, declarans ita asserendam esse, vt non deroget voluntati, aut eius libertati: defendendo autem iustitiam esse perfectionem simpliciter simplicem, non repugnat Deo, sed ita statui debet, vt nullam inuoluat ex natura sua imperfectionem propriam, aut inferat necessitatem voluntati diuinæ circa obiecta secundaria, quod ita contingit vt Doctor explicat, si sit tantùm ad obiectum primarium necessariò, ad secundarium tamen indifferenter, sicut est voluntas. Cæterùm habitum; seu quod se habet quasi habitus, constituere indifferentet ad opposita, est contra naturam eius, & tribuere ei libertatem formaliter, quæ competit primò voluntati: nam omne principium liberum, & indifferenter operans circa vnum, aut eius oppositum ex inclinatione intrinseca, videtur liberum formaliter; dare autem sic liberum antecedēter ad voluntatē, qualis est illa iustitia, videtur difficile, & imperceptibile.

Non esse constituendam iustitiā qua inclinet voluntatem diuinam determinatè ad creaturam.

Soli voluntati conuenit libertas formalis.

62 *Non dari regulam volūtatis ad intrà diuersam.* Deinde, si constituatur ille habitus tanquam prima regula voluntatis ad intrà, erit etiam prima eius regula ad extrà: quia omnis actus eius ad extrà regulatur per actum ad intrà, & per regulam eius, quia actus ad extrà se habet vt medium consequens, quà est ad extrà, respectu actus ad intrà, sicut obiectum eius ad extrà se habet respectu obiecti ad intrà, & sicut electio regulatur per intentionem in nobis. Nam si voluntas non sit sui regula ad intrà, neque erit sui regula ad extrà, cùm necessariò quidquid vult ad extrà, velit ex motiuo eius, quod vult ad intrà: vnde sequitur quòd ad extrà non ideò aliquid est iustum, quia volitum à diuina voluntate, sed quia nolitum iustè, vt regulatur à prima regula: quia impossibile est aliquid esse iustum, nisi dicat ordinem ad primam regulam, quæ in operante est, & inquantùm dicit talem ordinem: quia per idem actus voluntatis est regulatus, per quod ipsa voluntas est regulata.

Præterea, si voluntas diuina sit regulabilis ab alio, illud magis statui debet in intellectu, quàm in ipsa voluntate: sed negat Doctor sic esse regulabilem per intellectum, *locis citatis, & infrà responsione ad secundam obiectionem.* Probatur antecedens, quia regula vniuersalis & antecedens in operatione, debet potiùs statui regula, quàm aliquid consequens voluntatem, vel quod in ipsa voluntate ponitur; vnde sicut habitus iustitiæ in nobis nequit esse regula voluntatis prima, quamuis per modum naturæ inclinet voluntatem ad bonum, & rectum; ita etiam neque in Deo potest esse regula iustitiæ respectu voluntatis: sed potiùs intellectus debet statui. Probatur, quia vel iustitia primò determinat voluntatem ad intrà, vel ad extrà, vel è contra voluntas iustitiam. Primum dici nequit, quia ad intrà voluntas non est capax alicuius determinationis, quia nequit dari determinatio, nisi vbi est indifferentia: sed voluntas ad intrà se habet necessariò ad operationem ex natura sua, & ad modum operationis etiam necessariò: quia sicut est potentia infinita formaliter ex se, & necessariò operans, ita etiam infinito amore necessariò amat diuinam essentiam propter se: ergo neque ad modum actus, neque ad ipsum actum primò inclinatur ad intrà per iustitiam diuersam à se tanquam regula. 63 *Voluntas diuina non regulatur per intellectum.*

Voluntas diuina ad intrà non est capax determinationis per alium se.

Neque etiam iustitia primò determinat voluntatem ad extrà, quia omne determinans primò aliud à se, ad tertium, debet esse in se magis determinatum ad tertium, quàm sit determinabile, & vniuersim quidquid est regula, debet magis determinatè se habere ad effectum, quàm regulabile; sed repugnat iustitiam in voluntate diuina magis determinatè se habere quàm sit ipsa voluntas ad obiectum extrà; quia sic tolleretur indifferentia voluntatis ad oppositum, cùm necessariò sequatur ex sua rectitudine regulam; ideò Doctor negat iustitiam magis determinatè respicere obiectum ad extrà, quam ipsa voluntas ex ratione præmissa; sed hoc ipsum nempe indifferentia æqualis, tollit rationem regulæ à iustitia, & tollit etiam voluntatem per eam determinari ad extrà: quia eorum, quorum æqualis est indifferentia, neutrum potest determinare aliud ad illud, ad quod sunt æquè indifferentia; ergo iustitia æquè indifferens ad obiectum extrà nequit determinare voluntatem ad illud obiectum. Quòd si dicatur secundum, nempe voluntatem primò determinare ad intrà, & extrà: ergo nequit esse regulabilis per iustitiam, cùm de ratione regulæ sit vt prima determinatio ab ipsa sumatur, & sit in se determinata, quod potiùs deberet referri ad intellectum, quàm ad aliquem habitum voluntatis, & ipsa posteriorem. Eadem ergo ratione, qua negatur regulabilis per intellectum ex infinita sua perfectione, ex qua incapax est obliquitatis, ita dicendum est respectu cuiuscùmque, quod verius censeo. 64 *Regula magis est determinata quā regulabile.*

Regula vt est prior, determinat.

Imò nullam virtutem moralem esse in voluntate diuina, quæ eam rectificaret, quia hæc necessariò rectificat in ordine ad rationem rectam vt regulam: si ergo ipsa ratio in Deo, seu intellectus non rectificat voluntatem, minùs potest statui in ea alia rectitudo regulæ, à se diuersæ, Neque contra hoc est, quod Doctor *in 3. d. 33. quæst. vnica ad primum principale*: videtur admittere fortitudinem, & temperantiam in Deo, quatenus 65 *Non dari virtutes morales in Deo quoad volūtatem.*

Obiectio soluitur.

tenus excluditur ab eis ordo imperfectionis, qua connotant passionem appetitus sensitiui, aut ipsum appetitum, sed vt in vniuersali, & abstractim, quatenus Deus, & Angelus volunt nos fortiter viuere, & temperatè; hoc, inquam, non repugnat, quia ex affectu charitatis perfecto id volunt, non autem ex illarum virtutum affectu, vt ibi benè Lychetus: ita in proposito iustitia actualis diuinæ voluntatis ad intrà, quæ ad Dei bonitatem propter se, & perfectè, eademque vt est ad extrà, atque adeò ipsa voluntas vt communicat perfectionem creaturæ, est illa sola iustitia in Deo formaliter vna re, & ratione; non autem aliquis habitus rectificans voluntatem ad extrà. Doctor autem in præfato loco nihil resoluit: nam circa illam quæstionem, an virtutes sint perfectiones debitę voluntatis, sicut ipsam sequentes ex genere suo, seclusis omnibus imperfectionibus, atque adeò vt perfectiones simpliciter simplices, sicut habitus sapientiæ, & scientiæ sequuntur intellectum,

Nihil in hac controuersia resoluit Doctor.

66 An verò virtutes sint tantùm supplementum imperfectionis, quatenus versantur circa arduum & difficile, nihil resoluit Doctor; sed iuxta vtramque sententiam aliquando differit, *vt in præfato loco, & in hoc* 4. *d.* 14. *q.* 3. *ad* 3. *principale*, & *hic responsione ad* 2. nihil resoluit. Dicendo ergo virtutes se habere primo modo, hinc discurrit circa habitum iustitiæ in Deo, quomodo in eo poni possit sine repugnantia ad voluntatis libertatem circa obiectum secundarium, has virtutes, nempe cardinales, constituit in Christo Hieronymus, & in Angelis etiam Beda, & animabus sanctis, & Magister hos citans, *præfata distinctione*, sicut & Augustinus ab eo citatus, & constituit quoad vsum, & actus proportionatos sine imperfectione: quia ibi euacuabitur omnis imperfectio, & quod ex parte est. Supposita hac sententia, quam Doctor hîc explicat de sola iustitia, quæ minùs dicit ordinem ex parte medij ad aliquam imperfectionem, secluso debito, & salua perfectione, & modo operandi voluntatis, eam statuit in Deo generalem, & indifferentē respectu obiecti secundarij, vnam re, & ratione. Quæ autem dicta suntpro sententia, quam magis existimo probabilem, de rectitudine voluntatis, & quatenus est prima regula, solui possunt per hoc, quòd voluntas diuina licèt ex sua perfectione infinita, & formali nullam patiatur defectibilitatem, quia infinitè & intensiuè est recta: tamen ex hac ipsa perfectione formali voluntatis, tanquam ex radice, emanant omnes perfectiones simpliciter, & attributa, quæ conueniunt voluntati in genere, eo modo, quo dicimus perfectiones essendi, vel attributa emanare ab essentia radicaliter, sine quibus essentia licèt in *esse* entis, & essentiæ sit infinita intensiuè; non tamen extensiuè sine attributis: eodem ergo modo de voluntate, & intellectu diuino est dicendum.

Saluat sententiā affirmatiuam.

Quomodo statuitur in Deo iustitia.

Solutio ad rationes præmissas in oppositum.

67 Quamuis ergo voluntas sit intensiuè recta seipsa, quà voluntas; tamen ex hac ipsa perfectione debentur ei attributa, etiam infinita formaliter, quæ nata sunt sequi voluntatem perfectam in omni suo supposito, per quæ etiam voluntas extensiuè est perfecta infinitè, qua hæc perfectio debetur voluntati, qua distinguitur ab essentia, & intellectu: hæc autem attributa concurrunt cum voluntate iuxta modum agendi voluntatis, & ideò non se habent determinatè, & per modum naturæ, nisi respectu eius ad quod voluntas determinatè se habet. Iustitia autem, & charitas ita videntur respicere medium sine imperfectione, excluso debito à iustitia, præter illud tantùm, quod est condecentiæ. Quando autem Doctor in superiori discursu dicit voluntatem regulari à iustitia, & modificari eius actum, intelligit de regulabilitate secundùm *quid*, & eo modo, quo dicitur habitus concurrere cum voluntate, secluso eo, quod est imperfectionis. Aliud verò est de regulabilitate quæ statuitur in intellectu, & dictamine practico: quia hæc regulabilitas est per modum naturæ, sicut omnis operatio intellectus, & determinatè se habens ad opus, & ad potentiam regulabilem, quæ ex se nequit habere rectitudinem in operatione, nisi sequatur determinationem præsuppositam intellectus: voluntas ergo infinita habet rectitudinem ex se intensiuam; habet etiam extensiuam per sua attributa modo iam dicto, quæ rectitudo in voluntate non supponit aliquod incompletum, aut defectibilitatem, sed ex summa eius perfectione ab ea emanat, vt attributum connaturale. Qui voluerit sequi alteram harum, potest etiam ex mente Doctoris, & perinde etiam statuere alias virtutes in Deo, seclusis imperfectionibus, & seruando perfectionem simpliciter earum, qua ordinant præcisè ad finem in se, vel in aliis. Rationem contra hanc partem de virtutibus moralibus soluit Doctor infrà §. *contrà ista*.

Ex iudice voluntatis emanāt propria perfectiones.

p *Secundo modo dicitur iustum in creatura*, &c. Hîc explicat secundum membrum conclusionis, quod est, poni posse iustitiam, seu magis aliquod iustum in creatura: nempe ex correspondentia vnius creati ad aliud, sicut iustum est ex parte creaturæ ignem esse calidum, ignem esse sursum, &c. quia natura creata exigit hoc ad sui perfectionem, conseruationem, & motum, & ordinem ad cæteras partes vniuersi: sicut in politia humana, si iustitia esset in solo Principe, res tamen, vt cedunt in ciuium commodum, & vsum, exigunt illam dispositionem, sine qua non posset consistere vsus, aut commoditas ex vsu; ita etiam in rebus creatis est quædam exigentia ad certas perfectiones; quamuis ex parte diuinæ voluntatis non sit iustitia, neque vt est ad intrà, neq; vt est ad extrà, quæ sic determinatè respiciat creaturas has, vel illas, quin oppositum ex parte Dei iustum esset, licèt non secundùm exigentiam creaturæ: iustum autem hoc in creatura, & dispositio eius potest esse secundùm medium, distributiuæ quidem, vt *suprà* dictum est, quatenus perfectiori creaturæ debeatur maior perfectio secundùm mensuram, qua vnam alia excedit: commutatiua verò esse potest respectiuè ad ipsam creaturam, quatenus talis absolutè est, & dicit exigentiam per modum cuiusdam iusti, seu debiti ipsius perfectionis, tanquam sibi connaturalis: hæc tamen secundùm *quid*, & iuxta quandam accommodationem dicuntur, & prout in ipsa natura est constituta quædam Hierarchia, & ordo, summum, & infimum. 68

Secunda pars conclusionis.

De iusto in creatura.

Quomodo statuitur.

Iustum secūdum distributiuam.

Iustum secūdum commutatiuam.

q *Contra ista*, &c. Obiicit tres rationes contra resoluta circa iustitiam in Deo. Primum est, quia iustitia non potest esse in aliqua voluntate, nisi inclinet conformiter ad rectam rationem, seu prudentiam, & consequenter conformiter ad 69

Obiectio contra resoluta.

Iustitia supponit regulā.

ad conclusionem syllogismi practici: intellectus autem diuinus non syllogizat, nec discurrit. Addamus huic alias rationes, quia iustitia est virtus moralis, & versatur circa bonum honestum, arduum, aut difficile: ergo. Deinde 2. Ethic. 6. definitur virtus moralis *esse habitum electiuum medij à prudentia definiti*, id est, regulati: at in voluntate diuina non est regulabilitas, præsertim per intellectum: ergo, &c. Si dicas quòd in Deo possit esse iustitia vniuersalis, & sic de aliis etiam virtutibus, si teneantur esse in Deo. Contrà, inde sequeretur quòd etiam in creatura posset esse similis iustitia, & iniustitia habitualis: patet sequela, quia potest quis esse iniustus in se ipso per continuam vsurpationem rei alienæ, vt si viuat ex furto, & latrocinio: tamen velle semper vt alius sit iustus illo affectu vniuersalis iustitiæ, sic aliqui retorquent argumentum Doctoris, quo probat virtutes posse esse in Angelo, & etiam Deo, iuxta illum affectum vniuersalem: vtuntur alio exemplo, vt si mater sit incontinens, velit filiam tamen seruare continentem.

Est virtus moralis.

Definitio virtutis moralis.

70 Ad primam rationem Doctoris, quòd si in nobis, vt contendit argumentum, possit esse virtus moralis circa conclusionem syllogismi practici, à fortiori potest esse circa principium practicum, quod est verius, & rectius, quia ex se est verum, & rectum: conclusio autem vera, & recta propter principium; à quo has qualitates participat. Quod declaratur sic, ex 2. Ethicorum 4. vbi requiritur vt ea, quæ à virtute procedunt, non solùm sint iusta, & temperata sed si agens sic se habens agat primò, *si sciens*, id est, supposita scientia obiecti sic honesti iusti, aut temperati. Deinde, *si eligens propter ipsa*, id est, ex ipso motiuo honesti, quà honestum est, & iustum, aut temperatum. Deinde, *si firmo animo, ac immutabili eligat*, id est, efficaci, & constanti. Ex hoc patet ratio prædicta Doctoris, quia si sciens, & ex ipso motiuo honesti debet agere quis ex virtute, vt sit rectus, à fortiori debet sic inclinari circa principium, à quo participatur omnis honestas particularis obiecti conclusionis; nam ideo hîc, & nunc quis eligit iustum hoc, quia iustum est simpliciter participatione iustitiæ, ita vt nisi quis sit erga iustitiam absolutè inclinatus, nequit esse inclinatus circa hoc iustum, quà iustum est, sed tantùm quod iustum est; tamen ex alio motiuo diuerso à iustitiæ motiuo electum, & sic iustum tantùm agit, sed non iustè.

Ad primam obiectionem responsio.

Dari habitū virtutis circa principiū practicum.

Requisita ad honestatem.

Argumentū accommodatur.

71 Ad propositum, iustitia quæ est in Deo, inclinat conformiter ad primum principium practicum, quod est vniuersalissimum, & primum, nempe *Deus est diligendus*, &c. Vnde si strictè accipias virtutem, quæ est conformis conclusioni practicæ, & particulari, sic non est iustitia in Deo particularis, sed vniuersalis, à cuius actu natæ sunt iustitiæ particulares procedere. Ad aliud respondetur Aristotelem definire iustitiam, & virtutes morales iuxta imperfectionem, quam habent in nobis, & vt sunt in homine pro hoc statu, non autem vt sunt in patria: aliàs non rectè illæ virtutes tribuerentur Christo, Angelis & Beatis, in quibus nulla est difficultas operandi, prout communis eas in ipsis statuit: esse ergo arduum, & difficile, est conditio accidentalis, non essentialis.

Primū principium practicum.

Esse arduum & difficile, est conditio accidentalis.

Dices, per accidens esse quòd in Christo ratione vnionis hypostaticæ, & gratiæ, aut innocentiæ, non fuerit difficultas operandi, & sic de Beatis, aut Angelis, aut etiam homine in statu innocentiæ: quia in iis esset difficultas operandi, ex parte voluntatis creatæ, finitæ, & limitatæ, ideò in ipsis statuitur virtus. Respondetur, conditionem essentialem in definitione intelligendam esse, & seruandam in quocunque subiecto, cui competit definitum: cùm ergo illa conditio non sit virtutis in Christo, aut Beatis, sequitur non esse essentialem, sed merè accidentalem, & coniunctam pro hoc statu, quem tantùm est expertus Philosophus, aut cognouit; de ratione autem essentiali virtutis est electio recti, & honesti, propter ipsum, siue ardua sit hæc eligenti, siue facilis. Vnde etiam status virtutis heroïcæ habet electionem facilem, & constantem, etiam per Philosophum. Ad aliud ex definitione virtutis obiectum, patet ex dictis à Doctore: quia illa est definitio virtutis, prout in nobis reperitur in exercitio hîc, & nunc, non verò virtutis in genere, & vniuersalis. Ad vltimum, respondetur similiter, qui vel iniustus est in se, vel incontinens, non habere electionem honesti absolutè, quà honestum est, neque in se, neque in alio, nisi materialiter, in alio ex differenti motiuo à motiuo honesti.

Replica.

Solutio.

Conditio essentialis virtutis.

Ad secundā obiectionem.

Ad vltimā.

Secundò obiicit Doctor: voluntas diuina non potest discordare ab intellectu: sed intellectus apprehendit hoc agibile determinatum, & determinatè: ergo si iustè vult, etiam vult hoc agibile determinatè, & necessariò. Respondet Doctor, intellectum apprehendere hoc agibile, sed non agendum determinatè, quod est dictare practicè: apprehendit ergo tantùm vt possibile, & indifferens ad *esse*, vel non *esse*, non autem proponit vt agendum determinatè, sed neutro modo, vt agendum, vel non agendum, vt fusiùs tractat *in* 1. *distinct.* 39. Hæc responsio, quia est inadæquata, scilicet respectu obiecti tantùm ad extrà, & possibilis. Respondet secundò, quoad obiectum ad intrà, concordat tam intellectus quàm voluntas: quamuis ergo intellectus apprehendat determinatè Deum esse diligendum, non sequitur: naturali necessitate illud apprehendit intellectus; ergo voluntas naturali necessitate illud vult; quamuis non possit non velle: non discordat autem in obiecto, sed in modo tendendi, quia intellectus per modum naturæ tendit in obiectum; voluntas autem liberè, & per modum voluntatis, & non naturæ, quamuis necessariò. Vide quæ disserit *in* 1. *distinct.* 10. *quæst.* 1. *& in* 3. *distinct.* 8. *quæst.* 1. *de duabus filiationibus in Christo.*

72 *2. Obiectio.*

Solutio.

Quomodo intellectus diuinus proponit agibile.

2. Responsio.

Intellectus per modum naturæ tendit, voluntas verò per modum liberi.

Obiicit tertiò, si iustum est Petrum saluari, & Deus hoc iustè vult, ergo iniustum est Petrum damnari: & ita si Deus potest hoc velle, potest iniustum velle. Respondet per exemplum, sicut in politiis humanis legislator, quà talis, respicit per se simpliciter iustum, quod est iustum boni publici, secundùm *quid* autem respicit iustum particulare, semper quidem in proportione, & ordine ad iustum publicum, seu bonum commune, ideóque bonum particulare cedit bono publico, quod aliàs vergit in discrimen boni publici, atque in eo casu lex particularis de bono priuato, & iusto, non est obseruanda vt saluetur bonum publicum; sic etiam Deus simpliciter determinatur ad bonum publicum, & commune non communitate aggregationis,

73 *3. Obiectio.*

Responsio.

Legislatoris exemplum, & debitum.

Bonum particulare cedit non opublico.

Bonum commune quod respicit Deus.

tionis, vt est commune bonum in creaturis inter se, & societatis; sed communitate finis, & eminentiæ suæ bonitatis, scilicet quà illam condecet, & ad quam cætera iusta ordinantur, vt particularia, & media, quibus bonitas Dei, & iustum secundùm mensuram communicatur. Ex hoc respondet ad obiectionem, posse quidem Petrum damnare, & iustè (intellige de damnatione,) supposito peccato Petri proprio, aut originali, vel etiam de damnatione vt est actus potestatis dominatiuæ, & non iustitiæ; quatenus Petrum non eligeret ad gloriam; sed prior sensus magis facit ad propositum, quia agitur de iusto) quia illud particulare *iustum Petrum saluari*, non ita necessariò requiritur ad iustum publicum, quin oppositum eius posset ordinari ad idem etiam iustè, scilicet iuxta condecentiam suæ bonitatis: est enim illud bonum publicum, finis *quod*, vel *qui*, nullum ens ad finem necessariò requirens determinatè. Hæc solutio intelligenda est in sensu diuiso, quatenus comparatur Petrus ad voluntatem per modum obiecti secundarij ante actum, non autem intelligitur in sensu composito, quatenus voluit, aut vult Petrum determinatè saluare: quia hoc ipso quòd velit, redditur id iustum, nempe saluari Petrum.

Dicitur cōmune communitate eminentiæ, & finis.

Exemplum.

Explicatur.

74 *Ad argumēta ad primū.* r *Ad argumenta principalia. Ad primum dico*, &c. Primum fuit, quòd non sit iustitia domini ad seruum: ergo neque Dei ad creaturam: quia neque æqualitas iuxta illud 1. ad Cor. 4. *quid habes quod non accepisti?* Respondet non esse iustitiam simpliciter, & strictè sumptam, ac proinde neque commutatiuam, neque distributiuam, neque ad se, neque ad alterum; sed latè sumpta ad se, quasi alterum; nempe condecentiæ, neque est etiam æqualitas simpliciter; sed aliqualis, qualis est domini excedentis ad seruum. Contrà vrget Caietanus. *1. p. q. 21. art. 1.* ad iustitiam distributiuam pertinet quémlibet ad suum locum destinare; sed Deus ita distribuit, aut dando meritis præmia, aut demeritis supplicia: ergo seruat propriè distributiuam. Respondetur quòd locus supplicij, & præmij destinatur per ipsam iustitiam, qua decernitur talis retributio ob meritum, aut demeritum: quia loci disparitas etiam ad pœnam, aut præmium accidentale pertinet. Hæc autem decernere est commutatiuæ, quæ non personas ratione sui, sed solius operis, eiúsque mensuram respicit. Commutatiua autem, vt *suprà* visum est, non est in Deo, licèt secundùm quandam eius proportionem decernat æqualitatem inter opera, & retributionem debitam, quod facit ex motiuo vniuersali suæ bonitatis, & condecentiæ.

Responsio.

Non esse in Deo iustitiā strictè sumptam.

Replica.

Responsio.

Destinare loca supplicij & præmij, est cōmutatiua.

75 *Obiectio.* Secundò vrget, vitium acceptationis personarum esse contra iustitiam distributiuam, & non commutatiuam: sed Deus non est acceptor personarum *ad Rom. 2.* qua ratione Paulus intendit probare Deum non secundùm qualitatem personarum, sed operum iudicaturum; ergo secundùm iustitiam distributiuam. Respondetur, acceptionem personarum supponere ex parte vnius, qui non assumitur, vel cui non retribuitur esse meritum; ex parte verò eius qui acceptatur, nullum esse meritum, aut saltem improportionatum præmio, cui proportionatur meritum alterius. Supponit ergo in eo, qui frustratur, ius in Deo nullum est debitum respectu nostri, neque meritum in nobis etiam simpliciter, sed ratione solius operis, & non dignitatis, aut qualitatis personæ; ideò retribuendo secundùm opera, non acceptat personas; quod intendit Paulus. Sed argumentum hoc est ad oppositum, quia si secundùm distributiuam Deus retribueret, sequeretur etiam intuitu disparitatis in gradu personarum, & non solius operis distribuere secundùm proportionē arithmeticam, & non geometricam. Præterea, licèt Deus etiam in retribuendo sua dona ex fidelitate, & promissione seruaret aliquam proportionem distributiuæ, non sequitur eam esse formaliter in Deo, sicut neque commutatiua est in eo formaliter. v. g. promissio Dei suæ Ecclesiæ de assistentia Spiritus sancti, & perpetuitate fidei, seruare proportionem non geometricam, sed arithmeticam, sicut & distributio ipsius Hierarchiæ, & officiorum in ipsa; & quia aliter assistit Superioribus, & Prælatis ad conseruationem corporis mystici, aliter particularibus, aliter suo Vicario, aliter aliis inferioribus Prælatis; & hæc distributio Spiritus, & assistentiæ respicit functiones diuersas, & gradus personarum in corpore mystico, quamuis hîc nulla interuenit iustitiæ distributiuæ aliquod strictè debitum, sed solius bonitatis diuinæ condecentiæ, & promissionis: non rectè itaque infertur ex aliqua proportione similitudinaria iustitiam, quæ respicit illam proportionem propriè, & in rigore esse in Deo formaliter.

Responsio. quid sit acceptio personarum.

Retorquetur argumentū.

Distributiua similitudinaria, non propria.

76 *Obiectio.* Obiicit Sotus in merito de condigno, & præmio attendi dignitatem personæ: quia inimicus & iniustus non potest mereri apud Deum: ergo iustitia distributiua ordinat meritum de condigno. Respondetur, distinguendo antecedens, quia iustitia attenditur in persona merente, tanquam conditio lege præscripta, vt sit habilis ad meritum, cuius oppositum est in peccatore, qui præscriptus est, & inhabilis ratione peccati: cæterū illa conditio est vniuersalis, & requisita ad meritum: neque sola sufficit ad meritum, sed aliæ etiam conditiones requiruntur: neque sola etiam valet ad coronam iustitia, quatenus scilicet tribuitur meritis: quia licèt infantes recipiant hæreditatem, si baptizati decedunt: tamen illa confertur eis gratis, & non ex iustitia propria: in retributione meritorum attenditur tantùm ad opus: quia Deus non est acceptor personarum, licèt ad opus supponatur status requisitus. Conducens enim paterfamilias operarios in vineam suam, supponit eos esse habiles ad laborem, & iuxta conuentionem dumtaxat soluit denarium, quod est seruare medium iustitiæ commutatiuæ, aut proportionem eius, & non distributiuæ. Quamuis autem superiùs dictum est in gloria accidentali haberi aliquem modum iustitiæ distributiuæ, vt in Martyribus, Virginibus, Doctoribus, & Innocentibus: tamen hæc ipsa meritis, & operibus particularibus eorum redditur tanquam præmium, iuxta mensuram operum; vnica ergo iustitia vniuersalis, quæ est propria in Deo, distribuit, commutat, vindicat, præmiat, & sic de cæteris: neque quoad hos actus constituendæ sunt iustitiæ particulares.

Responsio.

Iustitia sanctificans est conditio generalis ad meritum requisita.

Non sola sufficit ad meritum.

Habilitat personam vt sit capax meriti.

Sufficit vnā generalis iustitia in Deo ad extra.

77 *Ad secundū.* s *Ad secundum*, &c. Hoc fuit ex Philosopho 10. *Eth. cap. 8.* inconueniens esse laudare substantias separatas ex operatione virtutum, sicut deducit specialiter de iustitia. Confirmatur, in Deo non est temperantia: ergo neque iustitia, &c. Respondet in Deo non esse virtutes secūdùm imperfectionē, quam habent in nobis, neque etiā sic sunt

Confir.

Responsio. In Deo non esse virtutes secundum imperfectionem.

sunt in substantiis separatis. Patet de temperantia, quæ respicit aliquam passionem inordinatam in nobis, quod est imperfectionis; ideóque magis propriè tribuitur Deo iustitia, quæ talem imperfectionem non connotat, quàm temperantia: quia iustitia non requirit excessum in passione, sed medium quoddam in re ipsa, cuius mediocritatem respicit. *Vtrùm autem iustitia*, inquit, *vt in Deo ponitur distincta à voluntate sit, formaliter, & quasi virtus moralis, vel tantummodo sit voluntas sub ratione prima regulæ seipsam determinantis, dubium est, quia si secundum ponatur, magis soluitur ratio, quia tunc non est ibi sub ratione virtutis moralis*, &c. ad vtramque partem suprà disseruimus, & secunda videtur magis probabilis; quamuis altera etiam probabilis sit, iuxta limitationem sæpiùs præmissam.

Propriùs tribuitur Deo iustitia quã temperantia.

Dubium.

78 *Ad tertium dico*, &c. Tertium est: Iustitia inclinat ad debitum reddendum: Deus nulli est debitor: ergo, &c. Respondet in Deo non esse debitum respectu alicuius, nisi *tantùm suæ bonitatis vt eam diligat; creaturis autem ex sola liberalitate vt se communicet eis prout exigit natura earum, quæ exigentia ponitur in eis quoddam iustum*, &c.

Ad tertium.

Responsio.

Iustitia Dei.

Ex hoc quod dicit hîc, & in superioribus, colligere licet quænam sit illa iustitia vniuersalis, quam in Deo statuit, & ad quam in specie virtutem reducitur, quæ continetur sub conceptu generico virtutis, seu iustitiæ prout definitur ab Anselmo *rectitudo voluntatis propter se seruatum*, & prout etiam specificatur per hoc, quòd sit ad alterum, vt distinguitur in genere iustitia à fortitudine & temperantia, & prudentia, iuxta diuisionem præmissam. §. *Hîc primò videndum est*, &c.

Quænam sit illa iustitia vniuersalis in Deo?

sub generalis etiam Iustitiæ appellatione non comprehendit Doctor conceptum abstractum, & quasi genericum, sed virtutem aliquam contentam, & potestatiuam, quam vocat generalem, ob eminentiam, & causalitatem. Quantùm ex discursu colligere licet, hæc virtus est charitatis attributum: nam vt dicit debitum, non est in Deo, nisi tantùm suæ bonitati, vt eam propter se diligat. hoc munus est charitatis, quæ immediatè tendit in finem, seu diuinam bonitatem propter se, secundùm affectum iustitiæ; ideò suprà in initio quæstionis agens de legali iustitia, dicit primam veritatem practicam respicere, quæ est hæc: *Deus est diligendus*; hoc idem dicit in responsione ad obiectionem propositam, quæ est prima in ordine: deinde, motiuum eius, quod specificat per totum discursum est bonitas diuina, quatenus in eam tendit voluntas propter se; hoc autem competit charitati, sicut & definitio tradita: quia est rectitudo voluntatis propter se seruata, éstque species contenta sub iustitia in genere; éstque ad alterum, eo modo, quo aliquid dicitur ad se quasi alterum; deinde, eminenter continet in se perfectionem aliarum virtutum, sicut finis; & denique sicut inclinat ad bonitatem diuinam propter se, ita etiam ex motiuo eiusdem bonitas, vt communicanda aliis, potest respicere secundaria obiecta, secundùm ordinem, & modum, quem in ipsis voluntas statuit, & prout iustum reperitur in creatura: Ergo charitas est illa iustitia vniuersalis, quæ est in Deo, & quæ ex modo suo tendendi in obiectum, & alia nullam includit imperfectionem, & constituit iustum in creatura, secundùm varias proportiones designatas.

Esse charitatem.

Explicatur, & probatur.

QVÆSTIO II.

Vtrùm in Deo sit misericordia?

Alens. 1. *part. quæst.* 39. *m.* 1. D. Thom. 2.2. *q.* 30. *art.* 2. *& hîc quæst.* 2. *art.* 1. D. Bonau. *art.* 2. *quæst.* 1. Rich. *art.* 2. *quæst.* 1. Argent. *quæst.* 1. *art.* 4.

1 D secundùm sic proceditur, & arguitur quòd non, quia secundùm Damascenum lib. 2. c. 13. *Misericordia est compassio de malo alieno*: in Deo nulla est compassio, quia nulla passio: ergo. *Arg. 1.*

Præterea misericors est promptus ad tollendun miseriam, & compatiendum: sed Deus non est sic promptus, quia cùm posset omnem tollere, omnem tolleret. *Arg. 2.*

Oppositum in Psal. 102. *Longanimis & multùm misericors.*

SCHOLIVM.

Misericordiam vt dicit nolitionem miseriæ esse in Deo, non tamen vt dicit compassionem, quia passionum non est capax.

2 [a] Respondeo, misericordia in nobis est habitus, vel qualitercumque dicatur, forma, qua nolumus miseriam alterius, ita quòd primò inclinat ad actum nolendi miseriam in alio, & hoc vel futuram, & tunc præseruat ab illa, si potest: vel præsentem, & tunc releuat à miseria si potest: & ex consequenti, post operationem disponit ad passionem, scilicet displicentiam de miseria imminente, vel præsente. *Diffinitio misericordiæ nostræ.*

Quantùm ad secundum, prout scilicet misericordia inclinat ad passionem illam; non est in Deo. & ab illo videtur imponi principaliter nomen *misericordiæ*, exponendo *misericors* *Etymologia misericordiæ.*

misericors etymologicè, id est, miserum cor habens: quia compatiens miseriæ alienæ in hoc habet cor miserum, hoc est communicans in miseria.

b Sed quantùm ad istam operationem nolendi miseriam, siue imminentem, siue præsentem, misericordia propriè in Deo est. Quod probatur de imminente, quia sicut nullum bonum euenit, nisi volente Deo: ita nihil prohibetur ne eueniat nisi Deo nolente: multæ autem miseriæ possibiles euenire alicui prohibentur, ne eueniant: ergo Deus habet nolle respectu illarum. Consimiliter de miseria præsente, quia nulla miseria tollitur, nisi Deo nolente illam inesse: multæ autem frequenter tolluntur: ergo, &c.

In Deo est nolle antecedens & consequens, sicut & velle.

c De hac misericordia posset distingui, sicut de nolle miseriam inesse: quia sicut distinguit Augustinus in Deo *velle* antecedens, & consequens, ita posset distingui in eo duplex *nolle* respectu miseriæ: & sicut semper habet *velle* antecedens respectu boni creaturæ: ita semper habet *nolle* antecedens respectu mali creaturæ prohibendi, vel tollendi, iuxta illud Apost. 1. ad Tim. 2. *Vult omnes homines saluos fieri.* Sed sicut non habet semper *velle* consequens respectu boni: ita nec *nolle* consequens respectu mali amouendi. Primum autem *nolle* non est misericordis, sed secundum. 3

Misericordia duplex, liberans, & parcens.

d Et illud potest distingui in hoc, quòd vel habet *nolle* respectu mali imminentis totaliter, vel partialiter. Si primo modo, dicitur misericordia liberans, quæ scilicet excludit omne malum, vel imminens, vel iam præsens. Secundo modo dicitur misericordia parcens, vel mitigans, quæ scilicet non totum malum excludit, sed aliquam partem mali debiti isti secundùm merita sua. Vtroque autem modo misericordia est in Deo, quia vel subuenit quibusdam omnem miseriam imminentem prohibendo, vel præsentem releuando; aliis autem partem miseriæ debitam dimittendo.

Ad arg. 1. Misericordia quà moderatiua passionis nõ est in Deo, sed quà releuatiua miseriæ. Ad 2.

e Ad argumenta. Ad primum patet quòd illa descriptio misericordiæ est quantùm ad effectum eius remotum, vel vltimum, scilicet passionem ordinatam compatiendi, sequentem ex actione ordinata nolendi malum proximo: sed quantùm ad illum effectum remotum, concessum est misericordiam non esse in Deo: sed tantùm quantùm ad proximum, qui est nolle miseriam inesse. 4

f Ad secundum, misericors non infligit miseriam, nisi secundùm rectam rationem: nunc autem recta ratio aliquando dictat miseriam aliquibus infligendam, vt secundùm aliquos appareat iustitia, vt in damnatione reproborum: & ideò non infligit ille pœnam, nec permittit, nisi eo modo, quo eam infligi statuit cum misericordia, vel cum dictamine rectæ rationis.

COMMENTARIVS.

1

1. conclusio. Definitio misericordiæ.

a Respondeo, *misericordia in nobis est*, &c. definit misericordiam per hoc, quòd sit habitus nolens efficaciter malum alterius, ita quòd primò inclinat ad actum nolendi miseriam in alio, vel futuram, vel præsentem tollit si potest illam; post operationem verò disponit ad passionem subiectum, est capax eius: quantùm ad hoc secundum, nequit esse in Deo, & ab hoc secundo actu videtur imponi nomen huic affectioni, nam *misericors* Etymologicè, idem est ac *miserum cor habens*, quia compatiens miseriæ alienæ, & communicans per compassionem eius miseriæ. Illa declarat Isidorus lib. 10. Etymolog. Cicero in Tusculanis quæst. *Misericordia*, inquit, *est egritudo ex tristitia alterius iniuria laborantis.* Aug. lib. 9. de Ciuit. cap. 5. *misericordia est alienæ miseria in nostro corde compassio, qua vtique, si possumus, subuenire compellimur*, &c.

Etymon. *Isidorus.* *Cicero.* *August.*

2

2. Conclusio. Misericordia vt est in Deo.

b *Sed quantùm ad istam operationem nolendi miseriam*, &c. est secunda conclusio, nempe misericordiam esse in Deo, quantùm ad primum actum, qui conuenit ei in recto, & formaliter, licèt non quoad secundum, qui competit materialiter tantùm, ex natura subiecti talis, & capacis passionis, aut compassionis ex participatione tristitiæ alienæ. Probat conclusionem, quia neque imminens, neque etiam incursa miseria tollitur, nisi Deo nolente miseriam, aut præueniendo, aut certè tollendo: nam prouidentia eius vniuersalis est, & necessaria ad quemcunque effectum.

Probatio.

Misericordiæ diuisio.

c *De hac misericordia*, &c. dicit hanc misericordiam posse diuidi in antecedentem, & consequentem, sicut distinguit Augustinus in Deo *velle* antecedens, & consequens: distinctionem hanc voluntatis antecedentis, & consequentis sub hac appellatione, videtur aliquibus primùm inuenisse Damascenum *libro secundo de fide orthodoxa cap. 29.* vbi dicit antecedentem voluntatem ex Deo existere, consequentem verò ex nostra causa existere *& lib. contra Manichaeos, sub finem* distinguit eam in primariam, & secundariam voluntatem, quæ distinctio est Chrysostomi *hom. prima in epistolam ad Ephesios, & hom. 7.* in illud Ioannis primi: *Illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum*: vbi abbreuiator eius Theophylactus. Athanas. *lib. 3. de assumptione hominis.* Hieronymus *in Isaiam cap. 28.* in illud: *opus peregrinum ab eo*, &c. *& in 2. cap. 1. ad Timotheum*, Ambrosius, Oecumenius, Theophylactus *ibidem* hanc distinctionem admittunt, quatenus dicunt Deum velle omnes homines saluos fieri, si ipsi velint, sicut & Prosper *de vocatione gentium lib. 2. cap. 1. 6. 7. & 8. & respons. 8. ad obiectum Vincentij.* Bernardus *serm. 5. de natiuitate.* Eandem distinctionem recipiunt communiter Scholastici *in 1. distinct. 46.* vbi noster Doctor *quæst.*

Antecedens & consequẽs. *Distinctio voluntatis antecedentis, & cõsequentis.*

quæst. vnic. D. Bonauentura art. 1. q. 1. Durandus dist. 47. Alens. 1. p. q. 36. m. 2. D. Thomas 1. p. q. 19. art. 6. ad 1. & reliqui.

4 Quamuis autem Augustinus illa verba Apostoli *Deus vult omnes homines saluos fieri*, &c. quibus potissimè à Doctoribus hæc distinctio applicatur, aliter intellexit variis in locis, vt *Enchiridij cap. 103. epist. 107. lib. 4. contra Iulianum, c. 8. & lib. de prædestinatione Sanctorum c. 8.* Et quamuis hæc interpretatio Augustini rectè etiam subsistat ad scopum dissertationis quam habuit cum Pelagianis de necessitate gratiæ Christi, qui authoritate Apostoli abutebantur in sensum erroneum, quatenus inde inferrent potestatem liberi arbitrij, & euacuarent crucem Christi: tamen distinctio præmissa in reipsa, vel quantùm ad id, quod importat, sæpè ab eo tradita est, distinguens adiutoria legis, qua innotescit veritas, & datur regula operandi, ab adiutorio gratiæ Christi, quo ipsum opus præcepti donatur, & disponitur voluntas nostra. Hoc videre est toto lib. de spiritu & litera, & specialiter c. 33. lib. de gratia Christi c. 5. dicit nos recepisse iam posse operari in ipsa, *Et vt scirent*, inquit, *quia non tantùm in eo quod operari possint, hoc enim & in doctrina iam acceperunt, sed etiàm in eo quod operantur diuinitùs adiuuantur*, &c. Idem c. 8. & præclarè de peccatorum meritis, & remissione lib. 2. c. 5. hanc instructionem per antithesim exponit. lib. 4. in duas epistolas Pelagianorũ c. 5. lib. de natura, & gratia c. 1. & 12. epistola 105. & lib. 2. de peccatorum meritis, & remissione c. 3. Nulla est ergo discordia inter Augustinum, & alios Patres, quoad illam voluntatem antecedentem, quam ipsi statuunt, quatenus denotat media legis, eius præcepta, & reuelationem, suasiones, ipsum lumen naturale, per quod peccata damnantur, & admonetur voluntas peruersa, vt optimè Prosper *loc. cit.* Quod breuiter admonuerim propter quorumdam modernorum hac in re præsumptionem, quam alio & suo loco aliàs confutauimus, in materia de auxiliis diuinæ gratiæ, Ita enim illam expositionem Augustini apertè traducunt, tanquam aduersarij sine vlla reuerentia, & ex sententia sua, qui scopum Augustini non attigerunt, nec aduerterunt quibus respondet, & quod per illa verba Apostoli concludere intendebant contra necessitatem gratiæ, quasi voluntas illa mediorum extrinsecorum, & antecedens, per quam homo inexcusabilis redditur, talis sit, vt sine aliis adiutoriis gratiæ Christi reducatur vnquam ad effectum salutis in euentu, cùm ipsa lex admonens doceat quò sit confugiendum; & quid euitandum.

Augustinus concordat in hac distinctione.

Reiicitur censura quorũdã in Augustinum.

5 Hanc distinctionem voluntatis antecedentis, & consequentis applicat Doctor ad misericordiam præuenientem, & subsequentem: nam sicut semper habet *velle* antecedens, nempe in causa, & mediis ordinatis ad salutem, modò applicentur debitè, ita etiam Deus habet *nolle* antecedens mali, tam culpæ, quàm pœnæ, ex motiuo illius voluntatis antecedentis, quà vult in causa omnes homines saluos fieri, &c. 1. *ad Tim.* 2. Hæc voluntas antecedens alio nomine dicitur *signi*, quatenus in operibus Dei relucet; verùm sicut non habet semper voluntatem consequentem, quæ aliàs dicitur *beneplaciti*, & qua donatur ipsum opus in euentu, seu bonũ creaturæ; ita etiam nec habet *nolle* consequens respectu mali creaturæ. Dicit primum *nolle* non esse misericordiæ, quia nempe illud est ex motiuo proximo voluntatis antecedentis, quod est sua liberalitas, seu bonitas, & ex eodem motiuo *velle*, & *nolle* habita non distinguuntur. Misericordia autem respicit bonum proprium, & peculiare miseri, quatenus subuenit eius miseriæ. Et quamuis hoc etiam proueniat ex motiuo diuinæ bonitatis remotè, ex quo cætera sunt, quæ fiunt à Deo: tamen vt est affectus miserentis respicit proximè miseriam indigentis, in eius emolumentum, in quo præcisè sistit. Quamuis enim bonum ex diuina liberalitate datum creaturæ, sit eius emolumentum: tamen voluntas donantis primariò intendit communicationem, & manifestationem suæ bonitatis propriæ, & materialiter emolumentum donatarij; misericordia verò formaliter intendit emolumentum miseri, & indigentis.

Distinctio præfata accommodatur præsenti materiæ.

Voluntas signi, & beneplaciti.

Nolle oppositum voluntati antecedenti non est misericordiæ.

Misericordia respicit bonũ peculiare.

Distinctio misericordiæ à voluntate antecedenti.

d *Et illud potest distingui in hoc*, &c. nempe *velle*, quod est proprium misericordiæ, diuidit in misericordiam præuenientem, & in misericordiam parcentem, & liberantem. Vtroque modo est partialis, vel totalis, quia vel liberat à malo imminente totaliter, nempe per gratiam præuenientem, ne quis labatur in culpam, & pœnam; vel in gratiam liberantem à malo culpæ incurso, & pœnæ æternæ: quamuis maneat aliquod debitum pœnæ temporalis quandoque, & sic est mitigans, & liberans simul, inquantùm scilicet aliquam partem pœnæ, etiam temporalis, tollit per pœnitentiam, quod malum debetur secundùm demerita indigentis. *Vtroque ergo modo*, inquit, *est misericordia in Deo: quia vel subuenit quibusdam omnem miseriam imminentem prohibendo, aut amouendo, vel præsentem releuando; aliis autem partem miseriæ debitam dimittendo*, &c. 6

Misericordia præueniẽs & antecedens. Misericordiã parcens & consequens. Quid sit vtraque.

Hîc aduertere licèt contra plerosque modernos, quàm expressè Doctor in hac quæstione explicuerit Dei misericordiam respectiuè ad opera nostra, atque adeò necessitatem gratiæ præuenientis, & liberantis: nam hîc agit de miseria peccati, & pœnæ, vt patet ex præmissis, & responsione ad secundum, quæ est simpliciter miseria: datur ergo per ipsum misericordia præueniens, datur & liberans. Superiùs autem probat conclusionem, nempe misericordiam esse in Deo: quod probat hoc modo, quantum ad misericordiam præuenientem, qua tollitur miseria imminens: quia sicut nihil euenit, nisi volente Deo, scilicet voluntate beneplaciti; ita nihil prohibetur ne eueniat, nisi Deo nolente: multæ autem miseriæ possibiles alicui euenire prohibentur ne eueniant: ergo Deus habet *nolle* respectu earum, scilicet *nolle* misericordiæ, quam comparat voluntati beneplaciti in Deo, & qua Deus præueniat miseriam imminentem. Idem eodem modo probat de miseria præsente, & incursa, quæ non tollitur, nisi Deo subueniente, & nolente illam inesse; inferiùs autem loco iam explicato, præcipuè, & per se tantùm loquitur de miseria culpæ, & pœnæ. Rectè ergo explicat necessitatem diuinæ misericordiæ, & gratiæ, tam præuenientis, quàm liberantis, quæ *non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, &c. Vt dicit enim in quæstione sequenti, non est misericordia in Deo, vbi est iustum, id est, debitum exigentiæ in creatura. 7

Doctor adstruit gratiæ præueniẽtis & subsequentis ac liberantis.

e *Ad argumenta. Ad primum*; &c. Hoc proponitur ex Damasceno, vbi definit misericordiam esse compassionem de malo alieno: sed in Deo nulla 8

Ad argumẽta, ad primũ.

Responsio. *Misericordia est in Deo secundum affectum primarium, non secundariũ.* nulla est compassio: ergo, &c. Respondet, illam descriptionem misericordiæ esse ex effectu remoto, qui non inuenitur in Deo, neque misericordia sub tali ratione, sed quoad illud, quod dicit per se, & in recto.

9 *Ad secundum.* [f] *Ad secundum*, &c. Secundum est quòd misericors sit promptus ad tollendam miseriam; sed Deus non est sic promptus, quia cùm possit omnem tollere, omnem tolleret, quod non facit, sed potiùs aliquam infligit. Respondet quòd misericors non infligit pœnam, nisi secundùm rectam rationem, quæ dictat aliquibus infligendam, vt secundùm aliquos apparea iustitia, vt in damnatione reproborum, & ideò non infligit, nec permitit pœnam, nisi eo modo, quo eam infligi statuit cum misericordia, vel cum dictamine rectæ rationis: quia nempe de ipsis malis benè facit ad ostensionem suæ iustitiæ. *Responsio.*

QVÆSTIO III.

An in Deo distinguantur iustitia, & misericordia?

Alens. 1.*part.quæst.*48.*m.*3. Richard. *hic art.*2.*quæst.*2. Henric. *quodlib.*5.*quæst.*1.*& in sum.art.*51. Caiet. 1.*part.quæst.*13.*art.*4. Scot. 4.*Met.quæst.*2.*&* 7.*Met.quæst.*19.

Arg. 1. AD tertium arguitur quòd sic. Cassiodorus super Psalm. 50. *Hæ duæ res sunt in viis Domini semper adiunctæ*, & loquitur de misericordia, & iustitia. 1

Arg. 2. Præterea, si non distinguerentur, sed essent idem, ergo vtriusque esset idem effectus. Consequentia patet, quia idem principium formale, non habet nisi eundem effectum: sed consequens est falsum, quia effectus misericordiæ est liberare sine meritis: effectus iustitiæ est condemnare vbi non sunt merita, vel saluare pro meritis.

Rat. opp. Oppositum vult Augustinus 11. de Ciuit. cap. 10. *Eo simplex est Deus, quod est quicquid habet.* & hoc de eo quod dicitur ad se: huiusmodi est misericordia, & iustitia: ergo Deus est misericordia, Deus est iustitia; ergo hoc est illud.

SCHOLIVM.

Tenendo opinionem, quæ videtur D. Thomæ, s. in Deo duplicem esse iustitiam, vnam, quæ respicit condecentiam diuinæ bonitatis, & aliam, quæ respicit exigentiam creaturæ; dicendum est misericordiam esse partem iustitiæ. Sed tenendo in Deo esse vnam iustitiam formaliter (de quo q. 1. num.7.) misericordia ab ea distinguitur, quia obiecta sunt distincta. Doctor non decidit vtrum horum sit asserendum, quia parum, aut nihil interest, vtrum teneas. De distinctione formali attributorum agit Doctor 1.d.2.q.7. & d.8. quæst.4. & alibi sæpè.

D. Th. hic q.1.& 2. Richard. art.2.q.2. *Iustitiam & misericordiam in Deo distingui formaliter.* [a] AD quæstionem sustinendo primam opinionem positam in prima quæst. dicitur quòd misericordia est quædam pars iustitiæ primo modo dictæ, quæ scilicet est condecentia suæ bonitatis, quia suæ bonitati condecet misereri. Sustinendo tamen secundam viam, patet quòd iustitia, & misericordia non sunt formaliter idem, quia iustitia respicit pro primo obiecto bonitatem diuinam: misericordia autem respicit aliquid in creatura, prætermisso etiam iusto, quod potest esse in creatura, scilicet exigentia: quia non est misericordia in Deo, vbi sic est iustum in creatura: istud autem obiectum, & illud, non respiciuntur primò ab hoc, & illo, nisi in hoc & in illo sit aliqua non identitas formalis: cum tamen non identitate formaliter stat identitas simpliciter, sicut dictum est *distinct.*2. *& dist.*8. *primi, q.*4. 2

1.2.q.1. *Quis ordo iustitiæ & misericordiæ in Deo.* [b] Si autem quæritur ordo iustitiæ illo modo acceptæ in hoc, & in illo; iustitia est simpliciter prior misericordia, comparando ad obiecta; sicut obiectum est prius simpliciter obiecto. Ex parte autem ipsorum inter se, vt sunt intrinseca Deo, non habent ordinem, nisi eo modo, quo aliæ perfectiones non eædem formaliter ponuntur habere ordinem, per hoc, quòd vna priùs diceretur inesse realiter, si esset ibi distinctio realis: & per consequens secundùm illam distinctionem, quam habent, vna est prior, nunc altera: & illa Prioritate possibili, iustitia est prior misericordia, secundùm illud Anselmi Prosol. 11. *ex iustitia nascitur misericordia.*

Ad arg. 1. [c] Ad Argumenta. Ad primum, extendit duas res ad qualitatem secundùm *quid* de qua dictum est. *q. prædicta primi, dist.* 8. Nec oportet exponere *res* per realitates, & formalitates 3

formalitates; quia similis est distinctio rei & rei, sicut realitatis, & realitatis, vel formalitatis, & formalitatis.

d Ad secundum dicitur quòd misericordia connotat aliud quàm iustitia, licèt ista duo sint inter se simpliciter eadem. Sed contra hoc, connotatio illa non requirit aliquam distinctionem huius ab illo, vt est in se, sed tantummodò vt concipitur, & signatur, quia ad hoc requiritur connotatio: argumentum autem requirit quòd illorum inter se, vt sunt causæ distinctorum effectuum, sit aliqua distinctio. Nec sufficit, vt videtur ad hoc differentia rationis: quia res rationis non est illud, quo aliquis effectus realiter efficitur. imò generaliter nulla distinctio realis, in effectu dependet à relatione rationis in causa, vt probatum est *distinct.*13.*primi.* ista autem distinctio effectuum essentialiter dependet ex distinctione in causa: ergo non est solius rationis. *Ric.vbi suprà.*

4 Concedo ergo istam rationem, quòd sicut in Deo intellectus non est formaliter voluntas, nec è conuerso, licèt vnum verissima identitate sit idem alteri: ita iustitia non est formaliter, vel quiditatiuè idem misericordiæ, vel è conuerso, & propter hanc non identitatem formalem, potest istud esse principium proximum alicuius effectus extrà, cuius reliquum non est principium formale: eodem modo sicut si hoc & illud essent duæ res, quia esse principium formale, competit alicui, vt est tale formaliter. *Iustitia, & misericordia Dei formaliter distinguuntur.*

Contra hoc, *esse* diuinum est actualissimum; ergo includit omnem perfectionem diuinam: non includeret autem, si esset distincta perfectio à perfectione, & ab essentia: quia quodcunque distinctum ab eo formaliter est ibi actualiter, & per consequens vt distinctum, est ibi actu, & ita essentia vt distincta non includit omnem actum. *Arguit cōtra distinctionē formalem in diuinis.*

Præterea, si sint ibi distinctæ formalitates reales, ergo distinctæ sunt ibi realitates, & ita distinctæ res. Probatio primæ consequentiæ, quia quælibet formalitas propria realitate est distincta,

Ad primum, essentia vnitiuè continet omnem actualitatem diuinæ essentiæ: vnitiuè autem non continentur quæ sine omni distinctione continentur, quia vnio non est absque omni distinctione. Nec vnitiuè continentur quæ simpliciter realiter distincta continentur, quia illa multipliciter, seu dispersim continentur: ergo hoc vocabulum *vnitiuè*, includit aliqualem distinctionem contentorum, quæ sufficit ad vnionem: & tamen talem vnionem quæ repugnet omni compositioni, & aggregationi distinctorum, hoc non potest esse, nisi ponatur non identitas formalis cum identitate reali. *Quæ vniūtur, distinguuntur.*

5 Ad argumentum ergo concedo quòd essentia continet omnem actualitatem, & per consequens omnem formalitatem: sed non vt formaliter eadem, quia tunc non contineret vnitiuè. Et si dicas, continet quantum potest contineri; verum est quantum vnum vnius rationis: nihil autem vnius rationis potest continere plura non formaliter eadem, perfectiùs quàm vnitiuè, vel identicè. *Essentia Dei continet omnia diuina vnitiuè, & idētiè, realiter, non formaliter eadem.*

Ad secundum, potest dici quòd quot sunt ibi formalitates, tot sunt ibi realitates, & res: sed quælibet pluralitas est tantùm secundùm *quid*, sicut ostensum est ibi. Vel posset negari consequentia, plures formalitates reales: ergo plures realitates; sicut negatur, plures personæ diuinæ; ergo plures diuinitates. sed prima responsio est realior.

Ad auctoritatem in oppositum, probat veram identitatem in Deo cuiuscunque ad quodcunque, loquendo de intrinsecis ipsi Deo, sed ex hoc non sequitur, ergo quodlibet est formaliter idem cuilibet, quia vera identitas, imò verissima, quæ sufficit ad omnino simplex, potest stare cum non identitate formali; vt dictum est prædicta *quæst.*4.*dist.*8.*primi.* *Vide Scot. 1.d.2.q.1. 2.p.& d.8. q.4.*

COMMENTARIVS.

1 a AD *quæstionem*, &c. Sustinendo primam opinionem, quam in superiori quæstione tenuit cum D.Thoma, & Richardo, dicit non distingui iustitiam in Deo, & misericordiam: quia hæc est pars iustitiæ, quia diuinæ bonitati est condecens misereri. Sequendo tamen opinionem secundam, qua dicitur iustitia vna re, & ratione; esse in Deo, distinguitur à sua misericordia: quia iustitia respicit primò bonitatem pro obiecto; misericordia autem respicit aliquid in creatura, prætermisso etiam iusto, quod non potest esse in creatura, scilicèt exigentia: *quia non est misericordia in Deo, vbi sic est iustum in creatura*, &c. Est autem misericordia præueniens, & liberans in Deo respectu creaturæ: ergo nulla est iustitia in ipsa creatura, aut debitum respectu Dei miserentis, quod notauerim aduersus modernos, qui calumniam *Resolutio quæstionis iuxta varias opiniones præmissas problematica.* *Misericordia excludit debitum.*

calumniam intentant Doctori, quasi negauerit gratiam præuenientem, & adiuuantem, vel necessitatem gratiæ ad pœnitentiam, quæ liberat à peccato.

2 *Distinctio misericordiæ & iustitiæ per obiecta.* Ad propositum ergo, prosequendo literam, dicit obiectis differre iustitiam, & misericordiam, quia iustitia primò respicit diuinam bonitatem propter se, & intrinsecè, siue vt est Dei, siue vt creaturæ communicatur secundùm exigentiam creaturæ, vbi supponitur aliquod debitum ex parte creaturæ, non simpliciter, sed quatenus dicit ordinem ad diuinam bonitatem indifferenter, quia hoc ipsum quod velit in ea diuina voluntas fiat iustè, neque repugnet creaturæ siue vnum oppositum, siue alterum velit voluntas ex motiuo bonitatis eiusdem, cum qua creatura non habet determinatam connexioné, sed vt statuitur à voluntate, & eo ipso quo statuatur fiat iustè. Misericordia verò respicit creaturam ex motiuo quidem remoto, & extrinseco diuinæ bonitatis, ex motiuo tamen intrinseco, subleuandi creaturam à miseria, ob emolumentum ipsius creaturæ. *Motiuum intrinsecum misericordiæ.*

3 *Declaratur exemplo sumpto à legislatore.* Declaratur, volens legislator inducere obligationem particularis virtutis, statuit legem de eius seruanda rectitudine. v.g. castitatis: quamuis autem intendat vltimatè bonum commune tanquam finem extrinsecum legis, tamen ipsa lex non specificatur intrinsecè ab illo fine boni communis, & intrinseco, idcóque lex non inducit obligationem respectiuè ad illum, sed tantùm respectiuè ad intrinsecum finem obiecti castitatis, ad quem hîc & nunc obligat: ideóque communiter Doctores negant finem præcepti cadere sub præcepto, nempe extrinsecum; & idem est in nobis quotiescumque imperatur actus alicuius virtutis ex fine alterius, actus imperatus respicit intrinsecè obiectum proprium, extrinsecè verò obiectum remotum, per accidens, & per modum circumstantiæ. *Aliud exemplũ de actu imperato.* Ita Deus communicans aliquid creaturæ ex iustitia illa, quæ est in ipso, intendit intrinsecè debitum suæ bonitati seruandum, ad quam se habet quasi ad alterum, atque adeò ipsam bonitatem per modum specificatiui intrinseci actus talis. *Accommodatur.* Quando verò ex motiuo misericordiæ aliquid vult creaturę ad subleuandam eius miseriam, licèt remotè hoc velit ex motiuo suæ bonitatis vltimato, quod tale respectu cuiuscumque diuinitas: tamen per actum misericordiæ subleuantis creaturam, non intendit intrinsecè bonitatem suam, aut debitum eius, vt seruatur in creatura, sed solùm subleuationem creaturæ à miseria præter omne debitum, vel quod ipsi competit, vel etiam quod ipsi inest secundùm iustitiam, & debitum diuinæ bonitatis: atque adeò licèt diuina bonitas ipsi communicetur per talem actum: tamen non communicatur per affectum, aut regulas iustitiæ: sed per affectum miserentis, & subleuantis ob intentum intrinsecè ex vi talis actus, emolumétum creaturæ miseræ, quà misera est, & à miseria liberatur, vel præueniendo, ne incurrat, vel certè sanando ab incursa, & vt dicit Doctor, præter omne iustum in creatura: quia potiùs in hoc actu est dispensatio bonitatis diuinæ præter regulas ordinarias iustitiæ, quàm vlla collatio debiti: quia miseria ipsa ex debito iustitiæ inest: vel inesse deberet, v. g. in nobis, vt comparamur ad Dei misericordiam præuenientem, qua præseruamur à peccato, & miseria imminente; debitum eius incurrendi est ex infirmitate incursa ex peccato primi parentis. Quà verò Deus liberat à peccato incurso, & pœna, euacuatur omne etiam debitum iustitiæ, quia illa miseria inest secundùm leges iustitiæ ob demeritum, & electionem peruersam voluntatis. *Misericordia intendit subleuationem sine debito.* *Miseria nostra est ex debito.*

Ex his facilè soluuntur, quæ Pater Smising opponit *quæstione illa sexta n.* 93. & Lorca 2. 2. *disp.* 33. *sect.* 3. probantes misericordiam non esse in Deo distinctam à diuina beneuolentia, seu charitate, quam *suprà* diximus esse illam iustitiam vniuersalem, quam Doctor statuit formaliter in Deo, si teneatur dari talis rectitudo diuersa à rectitudine voluntatis, dicunt primò, eiusdem virtutis esse prosequi suum obiectum, & ex eiusdem motiuo fugere oppositum, quod est inclinare ad velle bonum suum, & ad nolle malum oppositum; sed charitas efficaciter inclinat ad volendum bonum proximo: ergo ad nolendum ei malum. Hæc ratio probat vniuersaliter non distingui etiam in nobis has virtutes. Ad propositũ autem applicatur, quia ille affectus misericordiæ est beneuolentiæ diuinæ ex motiuo suæ bonitatis vniuersali, quatenus verò est in nostram vtilitatem, est ex eodem motiuo, quatenus nos aliquid sumus Dei, & sic vniuersaliter misericordiæ actus erit illius virtutis, ex cuius motiuo subuenitur proximo. 5 *Sententia opposita.* *Obiectio.*

Respondetur ex dictis, quamuis antecedens sit verum, quòd eadem virtus inclinet ad volitionem boni, & fugam mali oppositi, vt rectè etiam Doctor in quæstione præcedenti insinuat, tamen vnde non sequitur actum illum fugæ non participare aliam honestatem, quàm intrinsecam sui motiui; sed in proposito, fuga ex motiuo beneuolentiæ, aut amicitiæ, aut charitatis, si sumatur strictè, respicit debitum, vel quasi debitum etiam in Deo, quatenus hoc condeceat suam bonitatem, & ex motiuo intrinseco bonitatis: misericordia autem excludit omne debitum, & respicit vtilitatem creaturæ præcisè tanquam intrinsecum motiuum, licèt extrinsecè bonitatem diuinam. Deinde, misericordia non potest esse affectus beneuolentiæ, quatenus nos sumus aliquid Dei, quia si loquamur de beneuolentia latè sumpta, qua Deus vniuersim respicit creaturas, vel in specie creaturam rationalem, non extenditur ad peccatorem, qui est extra Dei amicitiam: quia quà peccator est, nequit esse obiectum beneuolentiæ; quà autem creatura est Dei, non habet specialem rationem vnde Deus ipsum specialiter respicit per beneuolentiam. Misericordia verò respicit ipsum, quà peccator est, & miser, & ex motiuo intrinseco miseriæ subleuandæ, citra omne debitum, vel quòd respiciat intrinsecè diuinam bonitatem vel ex motiuo eius vt communicandæ, miseriam; quia diuina bonitas non extenditur ad creaturas, nisi ea ratione qua participatur, aut participari potest à creaturis, cuius nequit miseria peccati & pœnæ debitæ, quà debita est, esse participatio: ergo non ex motiuo intrinseco bonitatis Deus respicit miseriam in profectum peccatoris, sed ex solius misericordiæ (cui id tribuitur in Scriptura, & à Patribus, & Doctoribus communiter,) cùm nihil habeat peccator, quà talis, in quo possit communicare diuinæ bonitati. Quòd autem ipsa misericordia dicatur beneficentia latè sumpta, est ex concomitantia beneficentiæ, quia non solùm per Dei misericor 6 *Responsio.* *Ex diuersitate motiuorum iustitiæ, & misericordiæ.* *Beneuolentia Dei vt respicit creaturas.* *Misericordia dicitur beneficentia, & quomodo.*

misericordiam tollitur miseria; sed etiam renouatur peccator interiùs: vtrumque tamen prouenit ex affectu misericordiæ citra omne debitum sanantis à miseria culpæ, & infirmitatis, & dispendij incursi, & restituentis in integrum. Inuenitur ergo sufficiens ratio distinguendi beneuolentiam, & misericordiam ex parte obiectorum, & fine intrinseco vtriusque; quia beneficentia, seu beneuolentia, respicit diuinam bonitatem, eiúsque manifestationem ab intrinseco, propter ipsam bonitatem manifestabilem, in quo actu creatura habet rationem obiecti materialis, & secundarij. Misericordia verò respicit miseriam subleuandam citra omne debitum, quod ex bonitate redundaret, sed præcisè in vtilitatem miseri, à quo propellitur miseria. Beneuolentia ergo respicit in rebus quoddam iustum, prout in ipsis in ordine ad Deum reperiri potest. Misericordia verò nullum tale iustũ respicit, sed potiùs non iustum, non debitum.

Ordo iustitiæ, & misericordiæ.

7 [b] *Si autem quæratur*, &c. Hîc quærit de ordine iustitiæ, & misericordiæ, supposita earum distinctione; & respondet ratione obiecti priorem esse iustitiam in rebus ipsis, quod patet: quia communicatio diuinæ bonitatis, prout statuit iustum aliquale in creatura, supponitur miseriæ, quæ est in creatura ex subtractione debiti statuti per iustitiam Dei, & legem, quà ordinatur in finem: priùs ergo est creaturam obnoxiam esse iustitiæ Dei, quàm fieri miseram ex subtractione illius debiti. Quòd si considerentur vt sunt in Deo, nullus est ordo inter ipsas: quia sicut obiecta sunt diuersa, ita etiam & ipsa, quæ in obiectis non communicant sunt diuersa: quia iustitia, vt dictum est, respicit iustum, & debitum; misericordia verò non iustum, non debitum; itaque neutra ex radice alterius oritur, sed vtraque immediatè à voluntate: quamuis ex natura obiectorum vnum supponitur alteri: tamen non inde infertur ordo earum inter se, sicut scientia in Deo præsupponitur ad amorem, & intellectus ad voluntatẽ, quantùm ad obiectum; tamen neutra ex radice alterius emanat, sed vtraque ex radice essentiæ. Posset tamen vt ibidem indicat, seruari quidam ordo ad intrà inter ipsa, ita vt licèt ab eadem radice voluntatis emanent; tamen prior sit iustitia. Vnde Anselmus *cap.* 11. *Proslogij*, dicit ex iustitia nasci misericordiam.

Prior est iustitia in ordine ad creaturam.

In Deo vt sunt non dicunt ordinẽ.

Posset etiam saluari ordo inter ipsas.

8 [c] *Ad argumenta. Ad primum*, &c. Primum est ex Cassiodoro super Psalm. 50. *Hæ duæ res sunt in viis Domini semper admixtæ*, vbi loquitur de iustitia, & misericordia: ergo sunt diuersæ. Respondet Doctor, eum extendere *duas res* ad dualitatem secundùm *quid*, & formalem. De hac distinctione vide ipsum Doctorem, in primo, locis ad quæ se remittit.

Ad argum. Ad primum.

Responsio.

9 [d] *Ad secundum dicitur*, &c. Secundum est, si non distinguerentur, essent idem; ergo vtriusque esset idem effectus: quia idem principium formale non habet nisi eundẽ effectum: consequens est falsum, quia misericordia sine meritis liberat, iustitia autem respicit merita, aut demerita. Respondet Richardus misericordiam connotare aliquid quod non connotat iustitia, licèt illa duo sint inter se simpliciter eadem. Contrà, connotatio non inducit differentiam, nisi tantùm in conceptu; argumentum aliquid amplius exigit, quòd scilicet vt sunt causæ distinctorũ effectuũ, sit distinctio aliqua in ipsis, quæ diuersitas effectuum non præexigit solam distinctionem rationis, sed aliquam formalem in ipsis causis: nam distinctio effectuum in proposito oritur ex distinctione causarum: intelligitur hoc, non eo sensu, quo aliqua causa æquiuoca causei diuersos effectus: nam sic non requiritur distinctio in causa, neque ex distinctione formali effectuum sequitur distinctio in causa: quia causa illa non sub formali sua ratione exigitur ad effectus, sed ex ratione eminentiali, & virtuali. Quandocumque ergo exigitur aliqua causa sub sua ratione formali, sequitur esse distinctionem in illo effectu ab alio, ad quem non requiritur talis causa per se formaliter: nam propter aliquẽ gradum, & rationẽ formalẽ in ipso effectu requiritur per se.

Ad secundũ.

Responsio Richardi.

Impugnatur.

Distinctio effectuum exigit distinctionem in causis & quando. Explicatur.

Causa ex ratione formali requisita infert distinctionem effectus.

Aduertendum ergo est, aliquando exigi concursum causæ, ob rationem formalem in effectu; 10 aliquando verò ex sola dependentia, & imperfectione alterius causæ concurrentis, vt quia est inadæquata effectui, & imperfecta quoad virtutem agendi, v. g. potentia motiua vnius non potest ferre pondus excedens vires; ex concursu autem alterius possunt simul quod aliàs ab vno adæquatæ virtutis posset ferri: in eo casu non est distinctio in effectu ob distinctionem causæ; quia illa causa non exigitur ex natura effectus, sed per accidens ex infirmitate virtutis alterius causæ: at aliquando exigitur causa sub sua formali ratione ex necessitate effectus, v. g. voluntas ad volendum, intellectus ad intellectionem, & ex alia parte obiectum, cui assimilatur intellectio, bonum quod mouet voluntatem, & terminat amorem eius, tunc rectè ex diuersitate effectus formali, infertur diuersitas formalis causarum, quia ideo est aliquid diuersum formale in effectu; quia secundùm hoc procedit à causa sub sua ratione formali diuersa.

In proposito idem seruatur, quia iustitia requiritur formaliter ad seruandum debitum, vel 11 quasi debitum, & vt ponat iustum respectiuè ad merita, vel demerita. Misericordia verò requiritur ex alio motiuo, proprio quod non communicat motiuo iustitiæ, sed potiùs illud tollit, sicut neque iustitia seruat modum agendi misericordiæ, cùm medium vtriusque sub opposita ratione iusti, & non iusti attendatur: & vtraque, vt dixi, secundùm suam rationem formalem requiratur, ita vt actus vnius non possit esse ab altera ob repugnantiam obiectorum, & modi tendendi in ipsa obiecta, ideo rectè ex affectu hoc modo diuerso colligitur differentia in ipsis. Ideò concedit Doctor rationem præmissam, inquantùm ex ea probatur differentia formalis vtriusque, & supposito quòd vtraque reperiatur in Deo, vt distincta à rectitudine formali ipsius voluntatis: quia dato quòd nulla sit virtus moralis in Deo, quoad habitum, sed sola ipsius voluntatis rectitudo, tunc distinctio tantùm erit quantùm ad effectum voluntatis diuersum in ordine ad diuersa illa obiecta. Deinceps Doctor explicat modum illius distinctionis, qui magis spectat ad primum in locis citatis ab ipso in litera, ideò hîc supersedeo huius tractationi. Deinde respondet ad argumentum in oppositum, quod desumitur ab Augustino 11. *de ciuit. cap.* 10. quia probat tantùm identitatem omnium quæ sunt in Deo realem, non verò quoad suas rationes formales.

Misericordia & iustitia per se requiruntur ob diuersitatem actuum.

QVÆSTIO IV.

An in punitione malorum concurrat ex parte Dei punientis iustitia cum misericordia?

Alenſ. 1. *part. quæſt.* 39. *m.* 2. D.Bonau. *hîc art.* 2. *per totum.* Richard. *art.* 2. *quæſt.* 3. D.Thom. *quæſt.* 2. *art.* 3. Argent. *quæſt.* 1. *art.* 3. Baſſol. *quæſt.* 1. *art.* 3.

AD quartum [a] ſic proceditur. Arguitur quòd non. Auguſtinus 83. q. q. 3. 1
Arg. 1. *Nullo ſapiente auctore fit homo deterior:* ergo multò magis Deo auctore, cùm Deus ſit maior omni ſapiente, non fit homo deterior: ſed qui addit malum malo, facit totum deterius, ſicut addens bonum bono, facit totum melius. 3. *Topic.* ergo, &c.

Præterea, Deut. 25. *ſecundùm modum delicti erit & plagarum modus:* ſed delictum *Arg.* 2. cuiuſcunque peccantis eſt temporale & finitum: ergo ſecundùm iuſtitiam punitio cuiuſcunque erit talis: ergo in punitione æterna pro temporali culpa, vel tranſitoria, non eſt iuſtitia.

Præterea, punitio iuſta eſt ad correptionem puniti: ſed nullus damnatus per puni- *Arg.* 3. tionem ſui corripitur. Prima probatur per Ariſtotelem 1. Rhetor.

Præterea, Iacobi 2. *Iudicium ſine miſericordia fiet ei qui non fecerit miſericordiam.* & Au- *Arg.* 4. *Pſal.* 18. guſtinus ſupra illud Pſalm. *Prope es tu domine. Vbi non miſeretur*, ſcilicet Deus, *vindicta datur:* ergo in damnatis eſt iuſtitia ſine miſericordia.

Præterea, Apocalyſ. 18. *Quantum glorificauit ſe, & in deliciis fuit, tantum date*, &c. *Arg.* 5. ergo ibi eſt ſtricta correſpondentia pœnæ ad culpam ſine aliqua remiſſione: ergo ſine miſericordia.

Oppoſitum in Pſalm. 24. *Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas.* vbi Caſſiodorus *Rat. ad op.* ſuper Pſalm. 50. *Hæ duæ res in viis domini, ſemper adiunctæ ſunt.* & in Scriptura habetur *Pſal.* 10. ſatis de vtroque, vt, *iuſtus dominus, & iuſtitias dilexit.* & alibi, *Non obliuiſcetur miſereri* *Pſal.* 76. *Deus, nec continebit in ira ſua miſericordias ſuas.*

COMMENTARIVS.

Ordo, & diuiſio quæſtionis. [a] AD *quartum ſic proceditur,* &c. In hac quæſtione ſupponit modum probabilem, quem tenet D. Tomas, & illum examinat. Secundò reſpondet ad quæſtionem, diuidendo quæſtionem in quatuor articulos. Primus eſt de punitione malorum. Secundus, quomodo ſit à Deo. Tertius, quomodo ex iuſtitia. Quartus, quomodo, & an ſit ex miſericordia, & deinde reſpondet ad Argumenta.

SCHOLIVM.

Probabile eſſe, in omni opere Dei concurrere miſericordiam, & iuſtitiam. Pro hac, quæ eſt D. Thomæ, adducit auctoritates & rationes, quas tamen oſtendit nihil conficere, ſi de iuſtitia, & miſericordia propriè loquamur.

[b] AD iſtam quæſtionem probabiliter tenetur quòd in omni opere diuino concurrunt miſericordia, & iuſtitia, iuxta illud Pſalm. 24. *vniuerſa via Domini miſericordia, & veritas.* Ad hoc etiam eſt ratio, quia artifex voluntate producens conformiter regulæ ſuæ, iuſtus eſt, quia iuſtitia reddit vnicuique quod ſibi debetur: artificiato maximè debetur quòd concordet regulæ ſuæ: Deus autem eſt talis artifex reſpectu omnis creaturæ ſimiliter miſericordia eſt in ſubueniendo indigentiæ præſenti vt non inſit, vel futuræ, quæ imminet, ne inſit: Deus producendo quamcunque creaturam ſic vel ſic, ſubuenit indigenti: ergo, &c. 2

D. Thom. 1. p. q. 21. artic. 4. & diſt. præſenti, ar. 2. q. 2. In omni opere Dei concurrere miſericordiam, & iuſtitiam.

Pro iſtis duabus rationibus ſimul eſt congruentia talis: quantò plures virtutes inclinant ad aliquod idem opus, tantò illud eſt perfectius; & per oppoſitum, tantò opus eſt vituperabilius, quantò eſt contra inclinationem, vel rectitudinem plurium virtutum: omne opus Dei, vt eius, eſt perfectiſſimum: ergo eſt ex omni virtute, quam poſſibile eſt concurrere in eodem opere: poſſibile eſt autem in eodem opere concurrere miſericordiam, & iuſtitiam. Patet ex ſolutione 1. *q.* 3. *& iſtius diſt.* ergo.

Inſtat contra rationes [c] Sed prima ratio, quæ procedit ex ratione iuſtitiæ, & miſericordiæ, accipit iſta valde 3

valdè generaliter. Si enim propriè iustitia est in reddendo debitum, & artificiato, nihil est debitum nisi secundùm voluntatem artificis; sequitur quòd in productione eius non est iustitia strictè loquendo: sed talis artifex est Deus respectu creaturę. Quod ergo accipitur, *artificiato debitum est conformari suæ regulæ*; negandum est, accipiendo strictè *debitum:* quia Deus hoc non debet artificiato. Si autem accipiatur quòd hoc requiritur in artifice ad hoc, vt sit debitè artificiatum; ex hoc non sequitur iustitia in producente, si tantùm det liberè artificiato, quòd sic conformet, absque omni exigentia præuia ex parte artificiati, sicut est hîc. *& congruentia illatam*

Ratio autem de misericordia valdè extendit *misericordiam* ad subleuationem, vel exclusionem cuiuscunque defectus; cùm tamen misericordia non sit propriè, nisi ad subleuandum, vel supplendum defectum pertinentem ad miseriam: non autem omne defectiuum, potest esse miserum.

Etiam congruentia illa de concursu virtutum includit dubium, quia non est certum quòd in voluntate diuina possit esse ratio alicuius virtutis non tantùm non distinctæ re (certum est,) sed nec formaliter distinctæ: quia voluntas ex hoc quòd infinita, magis sufficit ad omnem rectitudinem actus, quàm aliqua virtus qualitercunque re, vel ratione distincta superaddita. Si tamen concedatur ibi virtus distincta formaliter à voluntate, sicut sapientia, vel alia virtus intellectualis in intellectu, non oportet quòd concursus plurium talium ad idem opus requiratur ad summam perfectionem operis. *An in Deo sint virtutes distinctæ à volūtate, & intellectu formaliter.*

Esto etiam quòd illæ rationes concluderent generaliter de operibus Dei positiuis, quia ibi est manifesta rectitudo, & etiam exclusio indigentiæ: tamen quia in punitione malorum infligitur aliquod malum, ita quòd magis sit indigens per punitionem quàm antè, non videtur quòd æquè concludant in proposito.

COMMENTARIVS.

2 *1. Conclusio. In omni opere Dei inuenitur iustitia, & misericordia. August.*

[b] *AD istam quæstionem*, &c. Subdit conclusionem probabilem, nempe in omni opere Dei concurrere iustitiam, & misericordiam, quam docet Alensis *1. part. quæst. 39. m. 3.* D. Thomas *hîc art. 4. & 1. part. quæst. 21. art. 4.* Durandus *hîc quæst. 3.* Paludanus *quæst. 1. art. 3. concl. 3.* & alij. Augustinus lib. de peccatorum meritis, & remissione cap. 19. *Misericordiam & veritatem diligit Deus*, Psal. 83. *Misericordia & veritas obuiauerunt sibi.* Psal. 84. *Vniuersæ viæ Domini, misericordia, & veritas*, Psal. 24. *Et quis explicet*, inquit, *quàm crebro hæc duo coniuncta diuina Scriptura commemoret? aliquando etiam mutatis nominibus, vt gratia pro misericordia ponatur. Vnde est; Et vidimus gloriam eius sicut vnigeniti, plenam gratia, & veritate; aliquando pro veritate iudicium, sicut est, misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine*, &c. Adducitur ratio talis, quia artifex producens voluntate conformiter regulæ suæ, iustus est, quia iustitia reddit vnicuique quod sibi debetur, artificiato maximè debetur conformitas ad regulam; sed Deus est talis artifex respectu omnis creaturæ; ergo reddit ipsi tale debitum conformitatis: similiter misericordia est subuenire indigenti, vel præueniendo ne insit, vel tollendo præsentem. Deus etiam producendo creaturam sic subuenit: ergo, &c. Accedit & congruentia, quatenus concurrentibus pluribus simul virtutibus, opus redditur perfectius: possibile autem est in Deo concurrere sic per iustitiam, & misericordiam, cuius operi debet tribui omnis perfectio possibilis: ergo, &c. *Ratio ex arte facto ad artificem vt est debitor,*

3 *Prima ratio sumit hæc largè.*

[c] *Sed prima ratio*, &c Docet sumi iustitiam, & misericordiam valdè largè in prima: nam iustitia propriè est in reddendo debitum, & sic nullum est debitum propriè dictum in artificiato, nisi voluntas artificis, neque in Deo est debitum respectu artificiati, nisi prout vult artificiatum hoc, vel illo modo producere; neque alia regula prior sua voluntate qua vult artificiatum hoc, vel illo modo: ergo non est debitum, neque iustitia strictè sumpta in Deo respectu artificiati in genere, in quo nulla est exigentia respectu Dei, qui hoc, vel illo modo, sub rationibus etiam oppositis, respicit Deum iuxta suam omnipotentiam, quæ in rebus creatis non strictè respicit aliquod debitum determinatum, sed tantùm prout operatur, & prout disponit. *In Deo non esse aliam regulam priorē voluntate. Non esse debitum respectu creaturæ.*

Idem docet de misericordia, eam valdè largè sumi, quia præcisè, & strictè sumpta respicit miseriam, quæ non comprehendit omnem defectum. Quantùm etiam ad congruentiam de concursu virtutum includit, inquit, dubium; quia non est certum in voluntate posse esse aliquam virtutem, non solùm re (quod certum est) sed neque formaliter distinctam: nam ipsa voluntas ex eo quòd sit formaliter infinita, magis sufficit ad omnem rectitudinem actus, quàm aliqua virtus qualitercumque distincta, quod superiùs *quæst. 1.* probatum est. Quamuis etiam detur talis virtus distincta, non requiritur concursus eius ad opus ad summam perfectionem operis: quia quæcumque perfectio limitata operis potest esse à diuina voluntate in omni termino suæ perfectionis, quamuis nulla virtus ad illud concurrat. Præterea, esto quòd istæ rationes concluderent de effectu Dei positiuo: quia ibi est manifesta rectitudo, & etiam exclusio indigentiæ: quia diuina bonitas ei communicatur, inquantùm est eius capax: tamen quia in punitione malorum infligitur aliquod malum, ita quòd magis sit indigens per malum, quàm antè, non videtur quod æquè concurrant in proposito iustitia, & misericordia, quia misericordia non est inflictiua. 4 *Misericordia strictè sūpta respicit miseriam. Ratio dubia. Non requiri concursum plurium virtutū ad perfectionē operis. Non requiri saltem ad effectum priuatiuum. Talis est punitio.*

Hæc ratio magis declaratur in misericordia, quatenus tollit malum culpæ contra debitum, vel propter omne debitum peccatoris, & idem etiam, 5

Scopus discursus præmissi. etiam, quando præueniendo tollit idem malum, seu miseriam. Hic discursus eò tendit, vt probet non sufficere illam generalem rationem, in qua per accommodationem iustitia, & misericordia omnibus Dei operibus tribuitur ad scopum præsentis quæstionis, in qua quæritur de his virtutibus, prout exercentur circa damnatos secundùm proprietatem. Vnde in quæstione secunda docuit *misericordiam* non sumi pro omni nolitione mali circa creaturam; sed solùm pro nolitione miseriæ strictè sumptæ, quæ est peccatum, vel pœna debita; alioquin Doctor non respuit illam communem accommodationem, sed indicat quæstionem pertinere ad strictam acceptionem, tam iustitiæ vt esse potest in Deo, quàm etiam misericordiæ, ideóque quamuis accommodatè intelligantur Scripturæ de omnibus operibus Dei, sumpta iustitia, & misericordia latè: tamen id non sufficit ad præsentem quæstionem, ideóque illud Psalm. 24. *Vniuersæ viæ Domini*, & aliter explicantur ab aliis.

Aliqui intelligunt de iis, qui misericordiam consequuntur, & remissionis peccatorum, & vocationis ad fidem, & perueniunt ad cognitionem veritatis per Scripturas. Alij intelligunt de misericordia, qua data est lex, & aliæ Scripturæ Iudæis, in qua fit contestatio Dei; & futurorum. Basilius, & Theodoretus intelligunt misericordiam respectu pœnitentium, & iustitiam vt punit, vel præmiat. Cæterùm tenendo explicationem Augustini in loco præmisso agitur de concursu illorum attributorum, vel certè affectuum ad scopum præsentis quæstionis, sumendo iustitiam & misericordiam propriè, vt inueniri possunt in Deo: ideóque Doctor ad resolutionem eius hoc sensu procedit. 6 *Explicatio varia Scripturæ.*

SCHOLIVM.

Ponit sex punitiones damnatorum in genere: duæ sunt per priuationem duplicis obiecti boni, scilicet honesti, & commodi; quarum prima dicitur obstinatio in peccato, secunda, damnatio, seu pœna damni. Aliæ quatuor punitiones fiunt per quatuor tristitias, quarum prima causatur à nolita priuatione honesti, seu peccato nolito, quatenus tollit immoderatè concupitum, diciturque vermis *&* remorsus. *Secunda, à priuatione commodi, scilicet beatitudinis, & dicitur absorptiua. Tertia, à detentione ignis quasi diffinitiuè localiter, & dicitur* incarceratio. *Quarta, à consideratione perpetua eiusdem ignis per intellectum, & dicitur* excæcatio.

d AD Quæstionem primò videndum est quæ sit punitio malorum. Secundò, si est à Deo. Tertiò, si concurrit iustitia. Quartò, si misericordia. 4

Punitio malorum quæ sit. Natura intellectualis punitur priuatione boni cõmodi, & honesti. De primo, punitio est perceptibilis carentia boni conuenientis in natura intellectuali, vel perceptibilis præsentia mali disconuenientis in eadem. Bonum autem intellectuale in genere duplex est, bonum scilicet commodi, & bonum honesti. Bonum quidem vtile, quod ponitur tertium, ad alterutrum illorum reducitur, secundùm quòd ad ipsum ordinatur, & licèt quandoque in eodem concurrant rationes boni commodi, & honesti, vt in fruitione Dei in patria, imò generaliter omne honestum sit commodum, licèt non è conuerso: tamen summum commodum est beatitudo, & esset commodum, licèt per impossibile non esset honestum. Summum etiam honestum est charitas, & esset honestum, licèt per impossibile non esset commodum; ergo in natura intellectuali est duplex punitio per priuationem duplicis boni. Prima vocatur malum iniustitiæ, siue culpæ, & potest dici obstinatio in peccato: secunda vocatur pœna damni, vel damnum, vel damnatio.

e Malum disconueniens in natura merè intellectuali non potest esse aliqua operatio illius naturæ secundùm se accepta: quia quælibet est conueniens, omne quidem intelligere secundùm se acceptum, conuenit intellectui communiter, & omne *velle* voluntati: & similiter omne *nolle* secundùm se acceptum, quia ita liberè habet *nolle* sicut *velle*, & etiam illi comparando hanc potentiam, operatio vnius non est disconueniens alij. Nihil ergo inuenitur ibi, quod sit positiuum disconueniens tali naturæ, nisi passio distincta contra operationem, vel operatio disconueniens; non quidem secundùm se, sed quia nolita: imò generaliter omne nolitum, positum tamen in effectu, causat tristitiam. Huiusmodi operatio nolita est immediata consideratio ignis, sicut dictum est priùs *distinct.* 44. *quæst.* 2. quæ est contra imperium voluntatis volentis liberè vti intelligentia sua ad applicandum nunc ad istud obiectum, nunc ad illud: determinatur autem intelligentia contra istud *velle* ex semper intensa consideratione ignis, per quod impeditur à perfecta consideratione aliorum obiectorum, vt dictum est ibi. *Nulla operatio propria naturæ intellectualis est ipsi disconueniens, secũdùm se, sed vt nolita, vel vt causa tristitiæ,* Vide. d.44.q.2.

Quadruplex tristitia in damnatis. Tristitia autem in genere est ibi quadruplex, duplex de priuatione boni duplicis. vna quidem de priuatione boni honesti, siue gratiæ per culpam: tristatur enim de 5

obstinatione sua in peccato, quæ est prima priuatio: vel saltem tristatur de peccato, quod commisit in vita, in quo nunc sine remissione derelictus est. Non quidem tristatur de hoc, vel illo secundùm se, quia talis priuatio: sed quia demeritum respectu pœnæ damni; hoc est tristatur, non quia Deum offendit, sed quia commodo, quod immoderatè appetit, se peccando priuat, & illa tristitia propriè potest dici *pœna vermis*, vel tristitia ex remorsu de peccato commisso; non quia peccatum, sed quia causa demeritoria respectu pœnæ damni.

Tristantur damnati de peccato quatenus priuat eos bono concupito.

Tristitia autem de carentia boni commodi, scilicet beatitudinis; vel non est nominata, vel potest dici *tristitia absorptiua*: quia eius desiderium maximè inest naturæ, & specialiter sibi sine fræno iustitiæ, derelictæ, eius perpetua carentia percepta, contristat totaliter absorbendo, vel nominatur pœna damni, vt sit constructio transitiua, id est, pœna de damno: nam vocando solam carentiam commodi, *pœnam damni*, constructio est intransitiua.

Pœna vermis quid.

Tristitia de carentia beatitudinis dicitur absorptiua.

Duplex est autem tristitia de positiuo disconueniente, vna de detentione ignis perpetua, tanquam diffinitiuè locantis: alia de detentione intelligentiæ in consideratione intensa ignis, vt obiecti; quæ duo positiua, scilicet duæ detentiones, sunt nolita: & ideò disconuenientia, non sic, quòd destruant naturam potentiæ, cui insunt: sed sicut est disconueniens graui esse sursum, & esset ibi triste, si esset ab eo perceptum: & illæ duę tristitiæ de duplici detentione, possunt sic nomnari *pœna incarcerationis* prima: *pœna excæcationis* secunda, vt sit constructo transitiua accipiendo *pœnam* pro *tristitia*, & illud additum in genitiuo pro obiecto contristante. Sic ergo habemus in genere duas punitiones per priuationem duplicis obiecti boni, & quatuor per positionem quadruplicis tristitiæ, respectu quarum sunt causæ duo positiua, scilicet duæ detentiones nolitæ, & duæ priuationes illæ nolitæ, & perceptæ.

In damnatis est duplex tristitia, prima est incarceratio, secunda excæcatio.

COMMENTARIVS.

7 *Art. primus.* *De punitione malorum.*

d AD *quæstionem primò videndum est*, &c. Diuidit quæstionem, prout *suprà ad titulum* est subnotatum; & in hoc primo articulo agit de punitione damnatorum; quoniam autem pœna, & tristitia, seu miseria consistit, vel in priuatione boni in creatura rationali, vel in præsentia mali, quarum vtraque est perceptibilis: ideò definit vtrumque membrum sub disiunctione. *Punitio*, inquit, *est perceptibilis carentia boni conuenientis in natura intellectuali, vel perceptibilis præsentia mali disconuenientis in eadem*, &c. Requiritur vt vtraque sit perceptibilis, quia mediantè cognitione causat pœnam, & tristitiam, ideóque debet percipi à creatura rationali, in qua est tristitia, seu pœna ex vtraque causa.

Describitur.

Punitio vt est carentia boni.

Deinde, quantùm ad primam pœnam, quæ consistit in carentia boni, diuidit bonum in honestum, & commodum, seu delectabile: ad alterum verò reducit bonum vtile, quod est mediũ propter aliud nõ propter se volitum. Vtrumque bonum tam honestum, quàm commodũ possunt in eodem concurrere, licèt respiciunt diuersam inclinationem voluntatis; de facto autem concurrunt in beatitudine, quæ est summum honestum creaturæ, & summum etiam commodũ eiusdem, licèt sub diuersa ratione vtrumque voluntatis appetitum satiant. Pœna correspondens est priuatio iustitiæ, quæ opponitur bono honesto, & obstinatio in peccato dici potest. Pœna correspondens bono conuenienti commodo, est pœna damni, vel damnum, vel damnatio. Loquitur de pœna, vt consistit in carentia boni iustitiæ, & sic præcisè est obstinatio in peccato, quæ est primaria miseria, & principalis in creatura rationali, ad quam sequitur etiã priuatio cõmodi, nempe beatitudinis, quà commodum est.

Diuisio boni.

Obstinatio in priuato prima pœna. *Pœna damnationis.*

8 *Pœna sensus.* e *Malum disconueniens in natura*, &c. Declarat alterum membrum, in quo consistit pœna positiua ex malo disconuenienti, repetitis iis, quæ suprà disseruit *d.* 44. *q.* 2. quæ ibidem declarata sunt. Dicit ergo nullam operationem absolutè sumptam esse disconuenientem naturæ merè intellectuali, vt Angelo, & animæ: quia omnis operatio est connaturalis his, & secundùm inclinationem, quæ operatio versatur circa obiectum naturale ipsarum potentiarum. Nihil ergo inuenitur, quod sit positiuè disconueniens, præter passionem, aut operationem, non absolutè sed quatenus infert passionem talem, quà operatio ipsa est nolita, quia vniuersaliter omne nolitum positum in *esse* est natum causare tristitiã ex se, & in effectu in potẽtia suæ naturæ relicta.

Nulla operatio secundùm naturam est disconueniens Angelo.

Redditur disconuenientia ex nolitione & passione.

9 In damnatis huiusmodi operatio nolita est detentio intensa intellectus in consideratione ignis; & idem dicendum de detentione Spiritus in igne, quæ potius est passio, quàm operatio. Tristitia autem ibi est quadruplex, duplex de priuatione boni conuenientis, tam honesti, quàm commodi; tristatur enim de peccato, quatenus est demeritum, quo priuatur bono. Tristitia non est in damnato ex affectu iustitiæ, cuius nullum habet, sed quia peccatum est, quo priuatur commodo, quod ardenter desiderat. Hæc pœna potest dici *vermis*, & *remorsus*, non quia peccatum, sed quia causa damni. Tristitia alia, quæ est de carentia boni commodi, rectè dicitur absorptiua: quia desiderium maximè inest naturæ sui commodi, quando non regulatur affectu iustitiæ. Pœnam tandem dupliciter dici posse asseris, nempe vt sit pœna de damno, id est, tristitia concepta de damno, vel vt ipsum damnum, & carentia boni conuenientis, ex qua oritur ipsa tristitia: Primò sumitur transitiuè, secundo autem modo intransitiuè. Duplex etiam est pœna sensus, nempe detentiouis in igne, vt loco, & carcere, & etiam detentionis in igne vt obiecto, de quibus satis dictum est *d.* 44. *quæstione secunda*, dubia quædam de pœna damni & sensus explicabimus *infra d.* 49. *q.* 7. & 50. *q.* 6.

Quadruplex tristitia in damnato. Prima ex peccato.

Dicitur vermis.

2. Tristitia absorptiua.

Diuiditur.

Duplex pœna sensus ex duplici detentione.

SCHOLIVM.

Primam punitionem. s. obstinationem, non esse à Deo positiuè, sed tantùm negatiuè, quatenus non remittit peccatum. Aduerte tamen peccatum secundùm se non esse propriè pœnam inflictam, sed derelictam, vt loquitur Doctor. ar. seq. de quo dixi 2. dist. 37. quæst. 2. fin. Secunda etiam punitio, scilicet pœna damni, est à Deo tantùm negatiuè, Quatuor aliæ punitiones sunt à Deo positiuè, quia sunt entitates positiuæ.

An punitio malorum sit à Deo?

Lib. 12. Et 30 q. vnic. & 34.

[f] DE secundo articulo, prima pœna, scilicet culpa continuata sine remissione, quæ continuatio potest dici obstinatio ipsa, non habet Deum pro causa positiua: sicut enim culpa quando committitur, inquantùm culpa, non habet causam positiuam aliquam: sic nec inquantùm continuatur, vt culpa, & vt culpa est prima pœna, iuxta illud Aug. Conf. *Iussisti Domine, & ita est, vt pœna sit sibi omnis peccator.* De quo dictum est secundo lib. distinct. trigesimaseptima, quæst. 1. & q tertia. Hęc autem culpa vt continuata est à Deo, vt causa negatiua, scilicet non remittente, nec tamen est prima causa negatiua, sed ipsa voluntas voluntariè continuans, est causa demeritoria eius, quod est Deum non remittere, vel saltem ipsa voluntas, quando commisit hæc, demeruit, licèt non semper post actum illius peccati, continuet. 6

Deus est causa negatiua pœna damni.

Secunda pœna similiter cùm sit priuatio, non habet causam positiuam, sed habet Deum tanquam causam negatiuam, quia non conferentem beatitudinem. Sed ad istud non causare eius, habet aliam causam demeritoriam in subiecto, scilicet culpam, propter quam dignus est istud commodum sibi non conferri.

Deus est causa detentionis damnati in igne localiter.

Duo autem alia nolita, scilicet illæ duæ detentiones sunt à Deo, quia sunt entia positiua, & per consequens bona. Et quidem prima detentio est à Deo immediatè saltem vt perpetua, quia licèt ignis detineat spiritum quasi formaliter; non tamen effectiuè locat eum, nec scilicet effectiuè determinando ipsum ad istud *vbi*, nec prohibendo ab alio *vbi*, nec ipse spiritus se locat saltem perpetuò. Deus igitur immediatè est causa illius detentionis diffinitiuæ perpetuæ.

Deus detinet intelligentiã dãnati in consideratione intensa ignis.

Secundæ detentionis, scilicet intelligentiæ in consideratione intensa ignis, causa proxima, scilicet partialis, est ignis; Deus autem est reliqua causa immediata, quia secundùm communem ordinem causarum, obiectum debet in agendo in intelligentiam alicuius habere causalitatem subordinatam respectu voluntatis eius: hæc autem non subordinatur voluntati ipsius spiritus, imò contra eius voluntatem mouet, tanquam immediatè subordinatum voluntati diuinæ. Quatuor ergo istæ tristitiæ, cùm sint effectus positiui, sunt à Deo, sed omnes mediatè, scilicet mediante apprehensione obiecti noliti.

COMMENTARIVS.

10 *Art. 2. De causa pœna.*

Deus non est causa positiua obstinationis.

Volũtas causa positiua, & negatiua.

[f] DE *secundo articulo*, &c. Suppositis iis, quæ declarauit in primo articulo de pœnis damnatorum, prosequitur causam, à qua insunt, & quomodo sunt à Deo. Quantùm ad primam pœnam, quæ est obstinationis in peccato, dicit illius causam positiuam non esse Deum, sed tantùm negatiuam, quatenus non remittit. Causa autem demeritoria huius remissionis est ipsa voluntas positiuè, & etiam negatiuè: quia priùs peccato demeruit Dei misericordiam, & remissionem, quatenus liberè peccauit, & continuauit peccatum, vel actu, vel certè habitu; & sic meruerit à Deo deseri, & derelinqui in peccato. Hæc est assertio communis Theologorum, quam etiam docent *in 2. dist.* 7. vbi Doctor quæstione prima: quamuis D. Thomas 1. *p. quæst.* 64. assignet etiam causam ex parte Angelorum, ex immutabilitate eorum, in modo operandi, quæ ibidem examinatur. Hîc posset esse locus disserendi de natura, & causis, tam obcæcationis, quàm obstinationis, in via, & in patria: sed potior locus est tractandi hanc quæstionem suo loco *in 2. dist.* 37. ad quam hanc quæstionem remitto, de qua aliquid infrà dicendum erit. Videatur Augustinus lib. 5. contra Iulianum, cap. 3. epistola 105. *Non enim*, inquit, *indurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam*, &c. & tract. 53. in Ioannem, lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. Chrys. *homilia 3. in epist. ad Romanos.* Damascenus *lib. 4. fid. orthod. cap. 20.* Gregorius 5. *lib. Moralium cap. 13.* Isidorus *lib. 2 sentent. cap. 9.* qui eandem causam substractæ misericordiæ, & desertæ voluntatis prauæ, assignant obdurationis.

Deus causa positiua pœna sensus.

Dicit secundò secundam pœnam, quæ est priuatio beatitudinis, non habere Deum vt causam positiuam, sed negatiuam, quia non conferentem beatitudinem ob demeritum creaturæ. Vtriusque ratio est, quia priuationis non datur per se causa positiua per influxum, sed tantùm negatiua per eius suspensionem. Aliarum duarum pœnarum, quæ consistunt in positiuo, & spectant ad pœnam sensus, Deus est causa positiua. Sic patet ex litera, & superiùs est explicatum *dist.* 44. *quæst.* 2.

SCHOLIVM

SCHOLIVM.

Declarat quàm iustè omnes prædictæ punitiones tam positiuæ, quàm priuatiuæ afficiant damnatos, explicando singulas optimè, metaphysicè, & moraliter, per exempla, ac comparationes ad præmiationem Beatorum. Quod ait n.9. per intellectum, & voluntatem præcisè meruisse bonos, & malos, tantùm vult excludere actus necessarios à ratione meriti, quia actus aliarum potentiarum, vt subsunt his, meritorij sunt, vt habet Doct.2.d.42.q.4.et quodl.18.a.3.

7 g DE tertio articulo, dico quòd cùm iustitia dupliciter accipiatur in Deo, sicut dictum est *distinct. ista, quæst. prima*, in ista punitione non tantùm est iustitia prima, quòd scilicet condecet diuinam bonitatem sic punire: sed etiam secunda, quia hæc est quædam exigentia, vel iusta correspondentia pœnæ ad culpam. & hoc patere potest discurrendo per singulas punitiones prędictas. Prima quidem pœna non est inflicta, nec posset iustè infligi, cùm sit formaliter culpa, sed est pœna derelicta, sicut dicit Augustin. super Psal. quintum. vers.4. *Cùm punit Deus peccatores, malum suum non infert, sed suis malis malos relinquit.* quod intelligo de illa prima pœna, quæ est culpa derelicta, siue non remissa, vel desertio peccatoris in tali culpa, & hoc sicut dictum est esse à Deo in articulo præcedente, sic est iustè ab ipso: iustè enim derelinquit, vel non remittit: siue quia voluntas voluntariè continuè malè vult; siue quia vsque ad terminum viæ permansit in peccato sine pœnitentia, quod tamen tempus erat sibi præcisè taxatum ad pœnitendum: siue tertiò, quia peccauit in via, vbi demeruit sic derelinqui: iustum est quidem illum, qui continuat malitiam, à malitia per alium non liberari: nec hoc solùm, sed qui potuit malitiam derelinquere, & adhuc habuit tempus præcisum sibi taxatum, nec in tempore illo corrigitur, sed perseuerat in malo: iustum est vt tempore illo elapso deseratur illi malò. Tertiò etiam, de quo minùs videtur, si quis per culpam suam se præcipitat in impotentiam euadendi, non solùm à se, sed etiam à quocunque, nisi ab illo, quem tunc offendit: iustè potest deseri in ista impotentia. sicut si quis se voluntariè proijceret in foueam, de qua non posset per se euadere, nec aliquo modo, nisi per adiutorium alterius, quem contemnit, & offendit in proijciendo se, iustè potest in illa fouea derelinqui.

An in punitione malorum concurrat iustitia.

Quomodo culpa dicitur pœna.

Iustissimè derelinqui damnatos in sua malitia exemplis declarat.

8 h Hæc tria ad propositum satis patent, quia & damnatus continuè est in aliquo malo *velle*, vt videtur probabiliter; & vsque ad terminum viæ permansit impœnitens, & in via offendit labendo in peccatum, de quo non potest euadere per se, nisi tantummodo disponendo se meritoriè de congruo, & hoc pro statu viæ, quem totum sine tali merito infructuosè pertransit.

i Secunda etiam pœna sicut est à Deo, scilicet negatiuè, quia non conferente beatitudinem, ita iustè est à Deo; quia sicut bonum honestum iustè requirit vt pro ipso reddatur bonum commodum; ita peccatum priuans honestatem, iustè requirit vt pro ipso reddatur priuatio boni commodi, & ista correspondentia iusta priuationis commodi ad priuationem honesti, ordinat illam culpam, sicut potest ordinari malum: absolutè enim est contra ordinem, & ideò non potest manere in toto, cum ordine illo, qui potest esse in toto stante illo, nisi aliquid adiungatur, quòd ordo totius requirit adiungi. Exemplum, putredo in membro simpliciter est contra bonum ordinem corporis: quòd si non tollatur, non potest stare melior ordo corporis, qui potest haberi illo stante, nisi apponatur aliquid aliud, quod secundùm vniuersalem ordinem corporis correspondet membro putrido, videlicet aliquid, quod prohibeat communicationem illius membri ad alia membra talem, qualis esset si non esset putredo: pro isto Boëti. 4. de Consolatione: *Infeliciores sunt improbi iniusta impunitate damnati quàm iusta punitione puniti:* nec mirum, quia in primo nullum est bonum, nisi naturæ, quod tamen vitiatur per malum culpæ. Prosa 4.

Pœnam damni iustissimè esse à Deo declaratur.

In secundo vltra bonum naturæ est aliquod bonum reformans culpam, scilicet iusta correspondentia pœnæ ad illam.

9 k In tertia pœna satis apparet iustitia exigentiæ, quia sicut bonis congruit vbi in corpore nobilissimo circumscriptiuè, scilicet corporibus Beatorum, & diffinitiuè Angelis bonis, tamen cum libertate ad aliud *vbi*, pro libito (quia gloriæ est posse vti potentia sua motiua ad quodcumque *vbi*, quia non repugnat gloriæ) sic iustum est

Quàm iustè d tertio in igne infligatur damnatis.

reprobos

reprobos locari in corpore vilissimo, quod est terra, & ad illud limitari, vt priuentur potentia motiua, quia si possent, malè vterentur, propter malitiam voluntatis.

In quarta etiam est iustitia, quia sicut intellectus Beati determinatur ad videndum nobilissimum obiectum, essentiam scilicet diuinam, & concomitatur voluntas ad fruendum illo obiecto, stante tamen libertate considerandi alia obiecta, & amandi, quorum consideratio, & dilectio, non impedit istud bonum: sic intellectus mali determinatur ad intensè considerandum aliquod obiectum disconueniens, quia nolitum, & imperfectum, quia corporale: & voluntas ad nolendum aliquid positum in *esse*, quod est contristatiuum: & aufertur libertas considerandi, & volendi alia, per quæ considerata, & volita, posset illa punitio diminui: & ratio tam in Beato, quàm in istis est, quia per intellectum, & voluntatem præcisè meruerunt, & illæ sunt nobilissimæ potentiæ naturæ intellectualis, in quarum, per consequens, perfectione, vel imperfectione præcisè consistit perfectio, vel imperfectio talis naturæ.

Quia scilicet in his potentiis tantùm est libertas, non negat tamen in actibus aliarū esse bonitatē & malitiā vt subsunt his; sed id docet 2.d.42.q.4. & quodlib. 18.art.3. Additio.

In quatuor aliis pœnis, scilicet tristitiis, satis apparet iustitia, quia consummatio pœnæ requirit tristitiam. Si autem de hominibus damnatis post iudicium, loco secundæ detentionis ponatur ardere in igne, & in loco quartæ tristitiæ, ponatur dolor in appetitu sensitiuo; tunc est ibi iustitia ex correspondentia illius acerbitatis ad delectationem inordinatam, quam habuit in peccato.

l *Contrà, mali ad malum non videtur habitudo, in qua sit bonitas. Præterea, saltem melius esset si primum malum tolleretur quàm si eo manente, addatur aliud malum correspondens, sicut apparet in exemplo illo de membro putrido: vel simpliciter melius esset corpori expulsio putredinis, quàm quod prohiberetur commutatio illius membri ad alia.* 10

Ad primum, falsi ad falsum est necessaria correspondentia, vel quòd sic mali inhonesti ad malum incommodi, est iusta correspondentia.

Ad secundùm, dicitur quod vniuersum esse melius, requirit quòd aliqua mala sint in eo, quod accipitur ab Augustino ad Enchir. cap. 11. Omnipotens meliùs iudicauit sinere mala fieri, quia potens est de illis maiora bona elicere. *Idem cap.* 11. *mala eminenter situata, eminentius commendant bona.*

Et istud specialiter deducitur in proposito, quia sinendo culpas, & puniendo eas, apparet in effectibus diuinus iustitia, quæ non apparet, si nulla culpa sineretur. Hoc dicit Augustinus de Ciuit. 21. *cap. duodecimo, dispartitur genus humanum, vt in quibusdam demonstretur quid valeat misericors gratia, in cæteris alijs iusta vindicta. Neque enim vtrumque demonstraretur in omnibus. Ista etiam commendatio boni ex malo iuxtaposito refertur ad gloriam Sanctorum, quibus Isaiæ* 66. *dicitur:* Egredientur & videbunt cadauera virorum, & erit ad satietatem omnis carnis. *Iuxta illud Psalm.* 37. Lætabitur iustus cùm viderit vindictam: *Et istud tractat Augustinus de Ciuit.* 20. *cap.* 21.

Esset ergo negandum, quòd melius esset vniuerso malum culpæ tolli à malis, quia tunc tolleretur bonitas, quæ est in iusta punitione, quæ non potest esse iusta, nec bona, si omnis culpa tolleretur, nec exemplum illud de membro putrido valet: quia sicut melius esset illi corpori amotio putredinis, quàm arefactio membri manente putrefactione: ita melius esset huic personæ culpam suam tolli, & pœnam, quàm istam duplicem priuationem cum tali maxima correspondentia manere in eo: quia vtraque priuatio, & est in se mala, & isti mala, & magis mala, quàm correspondentia huius ad illam sit isti bona: sed alia correspondentia est magis bona vniuerso, quàm nullam talem esse in vniuerso: quia pluralitas graduum bonitatis facit ad perfectionem vniuersi: sicut melius esset Lunæ habere lucem Solis, si posset eam habere stante sua natura; non tamen vniuerso, quia tunc non essent omnes gradus luminarium in vniuerso. 11

m *Contra hoc, nec natura suprema possibilis in vniuerso facta est, nec fiet, vt tenetur probabiliter, nec omnes gradus beatitudinis possibiles in natura beatificabili erunt in regno cælorum: si ergo propter perfectionem vniuersi non faciet Deus omnes gradus bonitatis, qui non solùm sunt vniuerso boni, sed in se boni, & habentibus boni, quia necessitas est, quòd propter perfectionem vniuersi sit ista bonitas infima, quæ est in se malum, & habenti malum, imò ista est inferior quacunque quæ est in se bonum, & habenti bonum, imò melius esset omnes tales tolli, & pro eis dari bona, quæ essent in se bona, & habentibus bona, scilicet beatitudines. Istud excludit primam rationem. Non enim de malis, vt videtur, eliciuntur bona maiora, quàm essent ista quæ priuantur per mala: punitio enim ista priuatiua, non est magis bona, quàm charitas, vel beatitudo, quæ priuatur. Aliud, quod tangitur, scilicet quòd malum conuenienter ordinatum, eminentiùs commendat bonum, vel quòd commendatio bonorum eminentiùs non requirit illud, quod est malum. Quid enim est malum conuenienter ordinatum, cùm omne ideò sit malum, quia est contra ordinem?* 12

ordinem? Nec simile est de diuersis coloribus in picturis, quia quilibet color est aliquid positiuum immutatiuum visus suo modo: sed si pictor posset in vno loco dimittere vacuum, non propter hoc esset pictura pulchrior.

13 n *Aliud de manifestatione diuinæ iustitiæ non videtur concludere: eminentior est enim actus etiam iustitiæ, permittere* bonum meritum, quàm punire meritum malum, imò infima iustitia est vindicare. Vnde actus eius nunquam debet esse medij electiuus, sicut in præmiatione, & commutatione: sed quasi cum quadam displicentia: & ille actus voluntatis minùs est perfectus, quia ad hoc quòd sit bonus, debet esse minùs voluntarius: electio enim magna vindicandi magis crudelitas est. Modò non sequitur, non apparet iustitia diuina in actu infimo possibili competere iustitiæ: ergo non apparet: imò eminentiùs apparet in aliis actibus eminentioribus iustitiæ.*

* *Al.* præmiare.

o *Quartum similiter de lætitia Beatorum, non videtur mouere, sicut enim secundùm Gregorium Dialogo* 4. Deus quia pius est non pascitur cruciatu: quia iustus est, ab iniquorum vltione non sedatur. *Ita multò magis Beato repugnat pasci cruciatu, quod hoc attribuitur Deo præcisè propter iustitiam, quæ iustitia quandoque compellit iudicem ad vindicandum, vbi alias non iudex compatitur punito: sed esto quòd modò sint conformes iustitiæ, ideò lætentur de punitione malorum, siue Iudæ: nonne magis lætificarentur de eius glorificatione, si beatificaretur? Patet quòd sic: nunc enim Petrus plus gaudet de beatitudine Lini, quàm de damnatione Iudæ. Si autem Iudas beatificaretur, lætatur de glorificatione eius, sicut nunc de beatitudine Lini, ista excludendo, & confirmando rationes illas sumptas ex dictis Augustini potest dici de quarto articulo*, &c.

COMMENTARIVS.

11 g DE *tertio articulo*, &c. Prima conclusio huius articuli est: in ista punitione damnatorum interuenire non solùm iustitiam latè sumptam, vt definitur ab Anselmo: sed etiam iustitiam, prout respicit creaturam secundùm exigentiam, quà iustè ordinatur culpa per pœnam. Hæc conclusio est de fide, & patet ex locis Scripturæ *suprà* allatis, & multis aliis, in quibus Dei iustitia commendatur. Probat Doctor discurrendo per singulas pœnas. Quantùm ad primam pœnam non est inflicta à Deo, neque posset iustè infligi: quia Deus nequit esse author peccati, vt latè probatur *in* 2. *dist.*37. vbi noster Doctor latè differit, probans Deum non esse authorem, & causam peccati. *Non Deus volens iniquitatem tu es*, Psal.5. *Odio sunt Deo iniquus, & iniquitas eius.* Sap.14. *Omne excrementum erroris odit Dominus, & non erit amabile diligentibus eum*, Eccles.15. *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris*, &c. Habacuc 1. & multa similia. Vide Arausic. II. *c.*23. Trident. *Sess.*6. *can.*6. cæterùm inquantùm peccator deseritur in sua iniquitate à Deo, sic peccatum eius continuatum, & permanens est pœna. quod probat ex Augustino in psal. 5. *Cùm punit Deus peccatores, malum suum non infert, sed suis malis malos relinquit*, &c.

Art. 1. *Conclusio.*

Deus nequit esse author peccati.

12 Circa hoc esse potest dubium, quomodo peccatum possit esse pœna, cùm sit potiùs demeritum, ex quo inducitur pœna, & eius debitum per modum retributionis, quæ suo genere distingui videtur à demerito, cui correspondet, ac proinde D.Thomas 1.2. *quæst.*87. *art.*2. Caietanus, & alij, Durandus *in* 2. *dist.*36. Curiel, & Medina, *in D.Thomam.* Vasquez 1.2.*disp.* 140. negant vnum peccatum esse pœnam alterius, à fortiori posse esse pœnam sui ipsius.

An vnum peccatum sit pœna alterius.

Conclusio Doctoris docetur à Magistro *in* 2. *dist.*36. vbi D. Bonauentura *art.* 2. *quæst.*1. Richardus, Gabriel. *art.*2. *concl.* 1. *&* 3. Patet ex Paulo ad Romanos 1. *Tradidit Deus eos in passiones ignominiæ*, &c. ad Thessalon. 2. *Mittet illis operationem erroris.* Apocal.1. *Qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Psal.68. *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum*, &c. Patet idem ex Patribus in præfata loca, & Augustino locis *suprà* citatis, qui vniuersim asserunt obdurationem, & obcæcationem esse in pœnam peccati. Hæc autem contingunt peccando, & quatenus voluntas derelinquitur sibi ob peccatum commissum, vt patet ex loco Pauli citato: ergo potest peccatum esse pœna.

Conclusio affirmatiua.

13 Confirmatur ratione, quia peccatum est maximum damnum quod potest euenire, & principalis miseria: ergo ea ratione, qua potest peccatum esse à Deo, potest esse pœna. Probatur consequentia, quia ad pœnam nihil aliud requiritur, nisi quòd sit disconueniens, & inuoluntaria patienti: sed peccatum est disconueniens: est etiam inuoluntarium, quia voluntas non vult, neque velle potest peccatum formaliter, quà peccatum est, imò non vult peccatum quantùm ad explicitum affectum, quà peccatum, quia licèt velit absolutè subtractum ex affectu commodi, & delectabilis, tamen ex eodem affectu vellet non esse peccatum propter incommodum, quod inde sequitur diuinæ comminationis, & pœnæ, & præterea propter dispendium, quod incurritur per ipsum peccatum ob turpitudinem peccati, cui repugnat conscientia, & lex, sicut qui proiicit merces in mare, quamuis voluntariè proiicit ad saluandam vitam: tamen secundùm *quid* est inuoluntarius, ita vt in eo causetur tristitia, magis est repugnantia ad peccatum, quod neque formaliter, & explicitè potest voluntas velle, sicut & potest proiicere merces: ergo peccatum vt est damnum animæ, habet rationem pœnæ inuoluntariæ in eo gradu, quo non solùm est damnum, & nocumentum simpliciter, sed etiam quà causat tristitiam, & inducit pœnam, & dispendium commodi, quod effectat voluntas; sed sic est à Deo deserente peccatorem: ergo erit pœna.

Peccatum quà tale non est obiectum voluntatis.

Habet rationem damni, & pœnæ.

Dices non esse à Deo positiuè, vel per modum causæ positiuæ affligentis pœnam, quod requiritur ad pœnam, quæ est ordinatio culpæ ex iustitia. Contrà, hoc non requiritur ad veram rationem

Responsio.

Impugnatio.

rationem pœnæ, quia sufficit voluntas permissiua, aut subtrahens bonum ex demerito, & ob demeritum peccatoris; quia sic pœna damni propriè est pœna, quatenus Deus subtrahit beatitudinem ob peccatum: ergo similiter Deus subtrahens sua auxilia, & sic derelinquens peccatorem ob peccatum commissum, verè punit pœna priuatiua, ex qua sequitur damnum, & tristitia, ac miseria in peccatore, quatenus ipsum, subtracta misericordia, sine qua non potest liberari, ob peccatum sibi relinquit.

14 *Confirmatio.* Confirmatur secundò, quia obcæcatio, & induratio sunt pœna peccati, vt omnes concedunt; sed eatenus præcisè sunt pœna, quatenus deseritur per subtractionem misericordiæ Dei quoad gratiam, & beneficium ob demeritum eius: ergo omne damnum inde resultans peccatori erit in pœnam peccati: ergo & peccatum, quod inde committit: & idem est de perseuerantia in eodem peccato; finis enim desertionis ex parte Dei est iusta retributio ob peccatum commissum in pœnam eius. Quod probatur ex scopo præsentis quæstionis, quia *Vniuersæ viæ Domini misericordia & iudicium*: ergo desertio peccatoris erit ex altera harum; sed non potest esse ex misericordia iuxtà superiùs dicta; ergo erit ex iustitia: ergo in pœnam, scilicet priuatiuam, de qua loquimur, per subtractionem beneficij ob peccatum.

Obcæcatio & induratio sunt pœna.

15 *Obiectio.* Ex his patet ad fundamenta oppositæ sententiæ. Obiiciunt peccatum non infligi à Deo, pœnam autem infligi ab eodem: ergo peccatum non potest esse pœna. *Solutio.* Respondetur, concedendo antecedens pro prima parte, & distinguendo pro secunda: quoad pœnam positiuam concedo, quoad priuatiuam nego, si loquatur de inflictione positiua, quæ fit per applicationem mali disconuenientis: priuatiua autem, quæ est pœna, & ex motiuo iustitiæ vindicatiuæ per subtractionem boni infligitur. Duplex autem potest esse in Deo, vel est de facto suspensio voluntatis respectu peccati: nam est permissio, quæ respicit generales regulas prouidentiæ eius, & est necessaria ad vsum libertatis ex parte creaturæ, & sic Deus proximè dicitur se habere, vt causa vniuersalis ad peccatum, qui concursus eius dicitur propriè permissio, & sic peccatum, vt est ex hac permissione, non est pœna à Deo inflicta: sed malum, quod ipsa creatura sibi accersit per libertatis abusum, qua repugnat imperio & voluntati Dei. Alia est suspensio voluntatis diuinæ, quatenus in pœnam peccati commissi subtrahit beneficium suæ misericordiæ, siue præueniens, siue liberans, quod necessarium est in euentu ad fugam peccati, siue per debitam pœnitentiam, si est incursum, siue per præuentionem ne incurratur; hic autem est actus iustitiæ vindicantis, & propriè dicitur desertio, aut derelictio peccatoris in malo, & propter malum; vnde peccatum nouum, aut continuatum, est ex ea tanquam pœna, quæ sequitur ex subtractione auxilij priuatiuè, non autem positiuè, sed ex demerito voluntatis prauæ, & derelictæ in suis iniquitatibus, & viis prauis, quod damnum incurrit ex suo demerito.

Permissio peccati.

Desertio peccatoris in pœnam.

16 *2. Obiectio.* Obiiciunt secundò, pœna est ad reparationem ordinis destructi per peccatum: sed hoc non conuenit peccato: ergo neque esse pœnam, &c. *Solutio.* Respondetur, vel intelligi esse reparationem rectitudinis perditæ in specie per peccatum: & hoc est falsum, quia nulla pœna damnati restituit ordinem hoc modo, seu rectitudinem voluntatis damnati in ordine ad se, vel etiam Deum, aut vniuersum; vel intelligitur quòd sit reparatio ordinis in alio genere per satisfactionem legis, & iustitiæ, seu debiti, & sic minor negatur: quia sicut ob ingratitudinem repeti, & auferri potest beneficium ab ingrato, ita etiam ob ingratitudinem contemptæ legis potest Deus subtrahere sua beneficia, saltem superabundantia à peccatore, quod declarat talentorum parabola: nam ab eo qui non fecit fructum subtraxit Dominus talentum, & tradidit alteri, & declarat etiam comminatio illa Saluatoris: *Auferetur à vobis regnum, & dabitur genti facienti fructum.*

Quomodo pœna priuatiua est reparatio ordinis.

Obiiciunt tertiò, de ratione pœnæ esse, vt noceat in aliquo pertinente ad integritatem, de ratione verò culpæ, vt noceat tantùm in operationes. 17 *3. Obiectio.* Respondetur, negando antecedens: quia pœna etiam consistit in operatione, neque ad eam spectat aliud quàm quòd sit passio perceptibilis inconuenientis, vt patet ex Augustino variis in locis vt *lib. 5. contra Iulianum cap. 3 lib. 3. de libero arbitrio cap. 17 & 18. lib. 1. Retract. cap. 9. de natura, & gratia cap. 22.* *Solutio.* Siue ergo pertineat ad actum primum, aut actum secundum, hoc malum, non refert: modò sequatur ex iustitia vindicante; nam sic est pœna damni, & pœna sensus, illa quantùm ad priuationem, hæc quantum ad positiuam inflictionem mediante operatione. Deinde, etiam subtractio gratiæ sanctificantis, & auxiliantis spectat ad actum primum, quæ subtractio est ob demeritum peccati.

Dices, peccatum non deprimit peccatorem, neque subiicit potestati eius, contra quem rebellauit per peccatum. 18 *Replica.* Respondetur, omnino deprimere, & reddere obnoxium potestati vindicanti quoad omnem pœnam lege statutam, quarum vna est priuatiua, qua deseritur ob demeritum peccati, & sic maneat in illo sordescens, vel etiam accumulat alia. *Solutio.* Dices, pœna propriè peccato debita est illa, ad quam compelli potest peccator: sed ad peccatum nequit compelli; ergo nequit esse pœna. *Replica.* Respondetur, *compulsionem* intelligi posse dupliciter. *Solutio.* Primò, vt ex iustitia, & in pœnam incurritur damnum; vel vt interuenit coactio prædominans voluntati repugnanti peccatoris, quæ fit merè necessaria. Secundo modo, spectat ad pœnam positiuam sensus. Priori modo ad pœnam priuatiuam subtracti boni, & misericordiæ deserendo peccatorem vt obnoxius est iustitiæ, prout lex decernit & hæc licèt sit compulsio impropriè dicta, est dispendium incursum ob demeritum. Conclusionem admittit D. Thomas *in præsenti dist. q 3. & quæst. 1. de malo*, & fortè reduci potest difficultas ad quæstionem de nomine, quia Magister, & Doctor cum cæteris, quos pro conclusione citauimus, intelligunt pœnam non in illa stricta acceptione, qua alij, vt condistinguitur à culpa, & merè habet rationem pœnæ.

Reconciliatio sententiarum.

19 Conclusionem positiuam declarat optimè Doctor, nempe iustè deseri peccatorem ob peccatum commissum, quod peccatum licèt vt committitur, non habeat rationem pœnæ, sed demeriti, tamen vt derelicto peccatore, aut ob demeritum ipsum continuatur peccatum in actu, vel habitu, est pœna sui ipsius, vt præcessit per modum demeriti. iustè enim, inquit Doctor, derelinquit, vel non remittit peccatum Deus, siue

siue quia voluntas continuè malè vult; siue quia vsque ad terminum viæ permansit in peccato sine pœnitentia, quod tamen tempus fuit sibi præcisè taxatum ad pœnitentiam; siue tertiò, quia peccauit in via, vbi demeruit sic derelinqui. Primum ergo est iustum, propter continuatam, & multiplicatam malitiam; secundum est iustum, propter contemptum pœnitentiæ debitæ pro tempore viæ præscripto; tertium est iustum, propter temeritatem peccatoris, qui seipsum præcipitauit voluntariè in eum statum, à quo liberari nequit, nisi ab eo, quem contempsit, & offendit: ex viribus propriis nequit voluntas resurgere à peccato, & sic voluntariè redditur impotens, nisi per gratiam Dei miserentis, & sanantis, quem sicut contempsit, & offendit peccando, sic etiam iustè subtrahit ei misericordiam. Hic aduerto quomodo Doctor saluat necessitatem diuinæ gratiæ ad resurgendum à peccato, & causam præcisam impossibilitatis pœnitendi reducit in subtractionem gratiæ diuinæ ob demeritum: vnde euacuatur calumnia, quæ ei intentatur *dist.*14. *quæst.*2. prout ibi etiam diluitur. Adducit etiam exemplum morale satis accommodatum, de eo qui se voluntariè in foueam præcipitat, vnde nequit exire sine adiutorio eius, quem se proiiciendo contempsit, & offendit, à quo proinde iustè contemnitur.

Necessitas gratiæ ad pœnitendum.

20 [h] *Hæc tria ad propositum satis patent*, &c. Reducit dicta ad scopum quæstionis, quatenus probet hanc pœnam, quæ est peccati iustam esse in damnato, quatenus deseritur à Deo. Primò, quia damnatus est continuò in aliquo malo *velle*. Hoc patet ex illo Psalmi 73. *Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper*, &c. & de Dæmone quidem dicit Ioannes in 1. Canonica cap.3. *Ab initio Diabolus peccat*, &c. quod ita exponit Augustinus *lib.* 11. *de Ciuitate cap.*13. Ab initio sui peccati, vel ex quo lapsus est semper peccare, & nullam habere, aut habuisse bonam voluntatem. quod etiam docet Fulgentius de fide ad Petrum cap.3. de Dæmonibus vniuersim. *Omnes*, inquit, *illi præuaricatores Angeli, nec mala possunt vnquam voluntate carere, nec pœna; sed permanente in eis iniustæ auersionis malo, permaneret etiam iustæ retributionis æterna damnatio, & antè. Ac de Angelis quidem disposuit, & impleuit, vt si quis eorum bonitatem voluntatis perderet, nunquam eam diuino munere repararet*, &c. Et infrà: *nullum Angelorum, ex quo ruina suæ meritò è cælo eiecti sunt, bonam posse resumere voluntatem*, &c. Sic etiã patet ex communi lege de reliquis damnatis, quibus nulla est bona voluntas in termino, quia eam contempserunt in via. ad Gal.6. *Dum tempus habemus, operemur bonum*, &c. nempe in via vbi est tempus concessum duntaxat, Ioan.9. *Venit nox in qua nemo potest operari.* Ecclesiast.9. *Neque opus, neque ratio, neque sapientia, neque scientia erunt apud Inferos*, &c. Prosper lib.3. de vita contemplatiua cap.12. dicit; ideo Christus ait *damnatos ligatis pedibus, & manibus mitti in tenebras exteriores, quia in Inferno vbi nemo Deo confitetur, actione priuantur*, &c. Bernardus etiam *epistola* 253. dicit damnatos semper persistere in mala voluntate.

Accommodatio dictorum. Damnatus semper est in aliquo malo velle.

August.

Fulgentius

21 Dubium est an detur causa, vel extrinseca vel intrinseca huius malæ volũtatis, & obstinationis in peccato actuali; ita vt necessariò semper damnatus habeat actum malũ, & non liberè, per causam aliquam positiuam necessitantem. Triplex

Dubium. An detur causa necessitans ad malam voluntatem damnatos.

potest in damnato volitio cõsiderari. Prima, quæ est ad bonum naturæ, & dicitur naturalis, vt distinguitur à meritoria, & morali circunstantionata in genere moris, & honestatis. De tribus his disseritur *in* 2. *dist.*7. de obstinatione malorum Angelorum: quæstio autem communis est omnibus damnatis, vt sunt in termino, de quibus dicunt prædicti Patres semper esse in praua voluntate, & peccaminosa, ita vt nunquam rectè agant, etiam moraliter, de causa eius positiua, & etiam priuatiua, variant Doctores. In primis citatur à modernis Doctor *in* 2. *distinct.*7. *quæst. vnic.* quasi docuerit non solùm posse habere aliquos actus bonos moraliter, quantùm est ex parte principij: sed etiam habere de facto aliquos rectè circunstantionatos. Citantur etiam Bassolis, Tartaretus, Angles. in hanc sententiam. Alij dicunt Angelum destitutum gratia non posse aliquid velle supra seipsum; ac proinde necessariò semper inordinatè seipsum amat. ita Ægidius *in ead. dist. quæst.* 1. *art.* 1. *in fine*, Vasquez eandem sententiam defendit 1. *part. disputat.* 241. *cap* 4. sed alia via quatenus efficaciam, & necessitatem gratiæ reducit ad cogitationem congruam necessariam ad omne bonum morale. Alij aliter defendunt, nempe causam esse, quia priuatur concursu generali Dei, & necessario ad actum bonum morale. Ita Marsilius *in* 2. *d.*5. *art.*3. *post* 4. *concl.* Palud. *in* 4. *d.*50. *quæst vnic.* Molon. 1. *part. quæst.* 64. *art.* 2. Alij reducunt hanc impossibilitatem in causam positiuam intrinsecam, nempe in habitum prædominantem voluntati damnati, cui resistere nequit, & semper inclinantem ad malum, qui habitus infunditur à Deo. Alij hanc positiuam causam reducunt in actum quendam necessarium, qui nequit suspendi à voluntate, & ita repugnantem actui bono, vt cum eo consistere non possit, & ad quem Deus necessitat, vel præueniendo, vel solus producendo voluntate passiuè se habente. ita Gabriel. *quæst.* 1. *art.* 1. Ocham. *quæst.* 10. *& quodlib.* 1. *quæst.* 14.

1. Sententia.

2. Sententia.

3. Sententia.

4. Sententia.

5. Sententia.

Alij denique dicunt causam positiuam obstinationis esse primam electionem in Angelo, cui adhæret immobiliter, & necessariò: quia habet inflexibilem voluntatem supposita electione prima: cùm ergo sit mala, dicunt reliquas in virtute eius procedere, & sic necessariò esse malos. D. Thomas, 1. *part. quæst. cit. art.* 2. *& in* 2. *distinct.*7. *quæst.* 1. *art.* 2. *quæst.* 24. *de veritate art.* 10. *&* 11. Caiet. 1. *part. quæst.* 64. *art.* 2. Ferrarien. 4. *contra Gentes, cap.* 95. & Richard. *in* 2. *dist.*7. Quòd si obiiciatur hanc causam non inueniri in anima damnata: ergo quidquid ad obstinationem sufficit in anima damnata, sufficit in Dæmone. Respondet Caietanus non esse eandem rationem immutabilitatis in anima, & Angelo: tandem admittit etiam animam damnatam esse inflexibilem, & in primo instanti, quo separatur à corpore, peccare, & immobiliter inhærere tali peccato. 22

6. Sententia.

Dico primò, Doctorem non esse in illa sententia, quæ imponitur eidem à modernis, qui potiùs sententiam Doctoris amplectuntur, & alienam ab ea, quam docet, eidem imponunt. Quærit enim Doctor de triplici bonitate præmissa, naturali, meritoria, & morali, vtrùm actus possit esse in Dæmone bonus aliqua bonitate ex his. De prima bonitate asserit Dæmonem habere actum de bono sibi conuenienti, vt 23

1. Conclusio. Eximitur Doctor à sententia quæ ei imputatur.

amando se, odiendo pœnam §. *de secundo dico*, &c. Et quantùm ad bonitatem meritoriam, distinguit hoc quod est *habere potentiam*, intelligi posse de potentia logica, aut reali: si de reali, vel intelligi de potẽtia vt est principium actus, vel vt est differentia entis, vt scilicet inclinatur actiuè, vel passiuè ad actum tanquam ad formam, negat potentiam totalem ad actum meritorium in Angelo damnato; quia deest gratia, quæ non est in potestate eius, & requiritur ad volitionem meritoriam, cuius voluntas est principium tantùm partiale. Negat etiam potentiam tanquam differentiam entis modo dicto; negat, inquam proximam, quia aliud comprincipium deest, & vlterius impedimentum peccati supponitur, quod non est in potestate voluntatis tollere. Negat etiam Logicam potentiam, non ex repugnantia simplicitet terminorum ab intrinseco, aut etiam ab extrinseco secundùm potentiam Dei absolutam, quia Deus de potentia absoluta posset saluare damnatum, & dare ei gratiam, & cætera requisita ad actum meritorium; tamen habet repugnantiam ab extrinseco de potentia ordinaria. Secundùm has acceptiones potentiæ logicæ, & moralis, quærit §. *Restat nunc dicendum*, &c. An alteram, vel vtramque habeant in ordine ad bonum morale, ita vt non necessariò, sed liberè, & ex electione peccent, vel potiùs necessariò etiam physicè habeant prauam voluntatem necessitate naturali?

Non est potentia ad meritum in Angelo damnato.

24 Hæc est quæstio, quam disputat Doctor, & præcisè ad eius scopum: ideò primò adducit sententiam contrariam affirmantem intrinsecè, & positiuè obstinationem habere causam in voluntate, per quam necessitatur necessitate naturali ad voluntatem prauam. Duplex autem causa assignatur, nempe prima electio praua, qua inordinatè Dæmones amauerunt se, ex qua prouenit vt reliquos actus in eundem finem dirigãt. Secunda adducitur ex eo quòd in eis sit habitus perfectè malus in termino; & ideò perfectissimè inclinat in malum: nunquam ergo benè volunt propter primum, sed semper malè volunt propter secundum. Ad primam causam respicit sententia Ægidij, & D. Thomæ, & Richardi, quãuis ex diuersis motiuis, sicut & Ocham. Ad secundã spectat sententia aliorum, qui dicunt adimi eis potentiam per habitum infusum à Deo, quam tenuit Holcot, & sequitur Aureolus: vtramque impugnat Doctor. Contra primam, quia habent naturalia integra, ex Dionysio: ergo possunt, id est non repugnat, eis habere posse actum non malum. Idem probat ex remorsu, quem habent, qui vt sistit in peccato, præcisè, non videtur malus. Tertiò, quia nolle pœnam vt disconuenientem sibi non est malum ex obiecto, nisi accedat circumstantia vitians.

Quæstio quã disserit Doctor.

Sententia dua quas impugnat Doctor.

Impugnatio prima sentẽtia.

Contra secundum probat, quia voluntas videtur ex libertate sua posse non velle, & nullum actum habere: ergo non videtur induci posse talis necessitas naturalis per habitum; deinde, quia omnis habitus debet inclinare ad aliquod determinatum obiectum: ergo voluntas ad aliud obiectum operari toto conatu, cuius actus non sit talis habitus. Tertiò, quia habitus nequit destruere naturam potentiæ, cùm non sit ratio ipsi agendi, id est, totalis, sed virtus innata.

Impugnatio secunda.

25 Hinc subsequitur conclusio §. *Quantùm ergo ad istum articulum*, &c. *Videtur*, inquit, *posse dici quòd non necessariò habent aliquem actum*, &c. id est, necessitate naturali, de qua loquitur, quod deinceps declarat. Ac tandem concludit: *Mirum enim*, inquit, *videtur, negare potentiam naturalem in natura illa excellente, vbi non apparet aliquid, propter quod sit neganda: probabile est tamen quòd secundùm hanc potentiam non exeunt in actum, propter vehementem malitiam, secundùm quam magis probabile est quòd agunt, quàm secundùm potestatem naturalem, secundùm quam possint: in actus aliquo modo oppositos*, &c. Ex his verbis clarè manifestatur intentio, & scopus discursus Doctoris, quo intendit in ipsis manere libertatem arbitrij, & potentiam naturalem, de qua superiùs in præcedenti articulo: tamen vsum rectum negat talis libertatis, sed semper malum ob vehementem malitiam. Quantùm ad primum, discordat ab opinione, quam impugnat, & quæ asserit non libertate, sed necessitate agi Dæmonem in malum. In eo verò quod dicat non vti vnquam sua libertate naturali in bonum, sed in malum, ob vehementem malitiam, conuenit cum aliis. Patet hoc ipsum ex titulo quæstionis. *Cira istam*, inquit, *distinctionem 7. in qua Magister agit de confirmatione bonorum, & obstinatione malorum: quæritur vnum: Vtrùm malus Angelus velit necessariò malè*, &c. Non quærit an semper velit malè? sed *an necessariò velit malè?* Ideò postquam differuit pro parte negatiua, rationes adducens, quibus suadetur non solùm posse malum Angelum benè operari, sed etiam id contingere in euentu: tandem pro parte affirmatiua adducit illud Psal. *Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper*, &c. *Sed hoc, inquit, non potest intelligi intensiuè: ergo extensiuè; ergo semper peccant*, &c. Cui argumento non respondet, ac proinde ab eo conceditur, vt patet ex verbis eius allegatis. Mox impugnat sententiam D. Thomæ, & Henrici, qui statuunt hanc necessitatem in naturali necessitate malè agendi, & volendi. Nescio ergo vnde citetur Doctor pro prima sententia superiùs allegata, quam in tota quæstione non differit, neque ad scopum eius facit, quinimò contrarium admittit.

Conclusio Doctores.

Solam libertatem naturalem defendit in Angelo damnato.

Non verò vsum bonum libertatis.

Hæc ergo est assertio Doctoris; *In Dæmone manere libertatem naturalem arbitrij, ita vt non necessariò necessitate contraria, aut contradictoria tali libertati peccet.* Secunda assertio eius est, *eum non vti illa libertate, siue ad bonum naturale, siue ad bonum meritorium, quod non est in eius potestate*, vt optimè declarat, *Neque ad bonum aliquod morale, sed semper peccare*: Rationes autem adductæ ab eo ad probationem primæ conclusionis, rectè probant illam; sed malè à modernis transferuntur in assertionem, quam non concludunt, & quam non intendit Doctor, aut forma discursus, nisi bona sit hæc consequentia: *Habet liberum arbitrium, seu potentiam naturalem agendi non malè; ergo non malè agit*, &c. Quæ consequentia neque in ipso viatore quidpiam probat, quantùm ad euentum, & vsum potentiæ in exercitio. Quid autem alij Doctores citati senserint, in hoc non est mei instituti nunc inuestigare. Quod superest, probabo primam assertionem Doctoris ex iis locis, quibus probatur dãnatos tam Dæmones, quàm homines damnatos semper malè velle. 26

Duplex assertio Doctoris.

1. Assertio.

Probatur autem sic: quia Scripturæ & Patres citati intelligunt de malo *velle* per malitiam, vt patet ex ipsis eorum verbis; sed repugnat esse peccatum, nisi vbi sit libertas non peccandi naturalis, quia fundamentum peccandi est libertas naturalis, sicut & non peccandi: ergo si Dæmon

Probatio primæ Assertionis.

Ad peccatũ requiri libertatem.

Dæmon semper malè agit, debet in eo saluari libertas naturalis, ex qua physicè, & naturaliter posset non peccare, & euitabiliter, si vellet vti ea libertate. Hæc per se nota sunt in Theologia, & apud Morales, & apud Patres, ita vt non sit necessarium ea confirmare. Secunda Doctoris assertio patet ex locis citatis in commento.

27 *2. Conclusio.* *Dico secundo*, nullam ex prædictis sententiis assignare veram causam obstinationis, non prima vt declaratur ab Assertoribus, quia licèt Angelus damnatus aut homo non possit sibi relictus vltrà agere: tamen non inde sequitur quòd peruersè semper circa se agat necessariò necessitate naturali, quia necessitas gratiæ subtractæ licèt inferat lapsum in creatura, quæ sibi relicta nequit non deficere; tamen sicut gratia requiritur ad opera supernaturalia, vel moralia tantùm, non verò ad merè naturalia, & indifferentia, quæ nulla lege prohibentur, neque ad opera eadem, quà libera sunt, libertate naturali, sic non probatur causa obstinationis in malo, ita vt omnis operatio sit peccaminosa, quæ procedit liberè, & ad quam non datur de facto gratia neque requiritur. Quod si illa sententia loquatur de obstinatione habituali, & etiam actuali in peccato commisso in via, quatenus de eo non fuit pœnitentia, neque etiam displicentia in termino, quæ sit debita, aut honesta, rectè quidem asserit eam euenire ex subtractione gratiæ, quidquid ponatur ipsa gratia, an cogitatio congrua, an aliud, quod in suum locum relinquo. Cæterùm sufficit ostendi per hoc non dari causam adæquatam obstinationis, qua damnatus semper peccet in omni suo actu.

Non rectè assignari causam obstinationis ab aliis.

Ad opera indifferētia, & merè naturalia non requiri gratiā.

28 *Suspensio cōcursus generalis improbatur.* Secundò non rectè assignatur causa ex parte priuationis concursus generalis Dei, vt secunda sententia docet, quia & gratis hoc dicitur, & sine vlla probatione, aut necessitate. Deinde, est falsum; quia & tollit libertatem naturalem ad malum, & repugnat diuinæ bonitati. Primum probatur, quia dato quòd voluntas non possit suspendere omnem actum, quod etiam concedunt qui negant puram omissionem possibilem esse in voluntate; dato etiam quòd non habeat concursum, nisi ad malum, necessitatur etiam hîc & nunc ad exercitium alicuius actus mali, suppositis præmissis, quia nequit suspendere actum omnem, quem non potest, neque in actum nisi in vitiatum: ergo necessitatur necessitate exercitij ad malum saltem vagè, quod est inconueniens.

Tolli libertatem.

29 *Constitueretur Deus author peccati.* Probatur etiam idem ex parte Dei, quia vt ipsi fatentur nequit Deus necessitare voluntatem per habitum, & actum necessitantem ad malum, quia hoc repugnat eius bonitati, & esset author mali, quod nequit dici: sed idem sequitur ex suspensione concursus generalis ad omne bonum, concurrendo præcisè ad malum: ergo, &c. Minor probatur, quia in sententia negante libertatem esse radicaliter in voluntate, ita se habet voluntas in eo statu, sicut habitus aut actus determinatè inclinans ad malum, quia voluntas subtracto omni concursu ad bonum, necessariò inclinatur ad malum. Deinde, quidquid dicatur de modo libertatis in voluntate saltem Deus vellet in eo casu, & intenderet per se peccatum, quod probatur; quia suspensio omnis concursus Dei ad bonum per medium iustitiæ dirigitur ad peccatum, tanquam ad pœnam intentam: sed neque sic Deus potest velle peccatum, quia repugnat suæ bonitati sic velle peccatum, quod neque ab intrinseco, neque ab extrinseco potest honestari: ergo, &c.

Dico tertio, quòd alij tres modi non saluent obstinationem per continuationem, & multiplicationem peccati in eo statu, quia primus qui ponitur per habitum necessitantem voluntatem ad malum, facit Deum authorem peccati, & manifestè tollit libertatem requisitam ad peccatum, ita vt cum tali habitu prædominante repugnaret inesse peccatum, quod perinde etiam dicendum est de actu necessario sic determinante ad peccatum. Deinde non potest capi quomodo habitus aliquis necessitet voluntatem in genere ad peccatum quodcumque, nisi detur obiectum eius in genere, quod includeret per se omnem malitiam, quod est inopinabile; vlterius nequit habitus necessitare ad peccatum formaliter, cuius non datur causa positiua, neque prosecutio, neque potest esse obiectum specificans actum. Accedit, quòd repugnet dari habitum in voluntate, qui eam sic necessitet; quia nequit tollere modum eius connaturalem operandi liberè. De actu similiter necessario eædem rationes sunt, quia ille actus esset à Deo, aliàs intermitti posset à voluntate. Vltimus modus rectè impugnatur à Doctore præfato loco ad initium quæstionis, ad quem locum remitto longiorem huius quæstionis tractatum. 30 *3. Conclusio.*

Alij modi impugnātur.

Nō necessitari voluntatē per habitum.

Dico quarto, causam priuatiuam huius obstinationis esse Deum, quatenus deserit damnatos; positiuam verò esse peruersum vsum voluntatis deordinatæ, & sibi relictæ, quæ licèt prædita sit libertate naturali, nunquam ea vtitur, nisi inordinatè ad commodum, contempto affectu iustitiæ; causa autem demeritoria est peccatum commissum in via. Hæc omnia tradit Doctor & hîc, & loco citato. Videatur etiam *in dist. 37. lib. 2. quæst. 2. & 3.* videantur etiam quæ suprà diximus *distinct. 44. quæst. 2.* de peruersa voluntate damnati, quæ peruersitas consistit in complacentia inordinata commodi, & sui ipsius, ex qua oritur duplex auersio inordinata; altera à iustitia, & rectitudine, inquantùm lege repugnat tali affectui, & fini, cui adhæret voluntas inordinata; secunda autem ad omne malum contrarium auersio, vt ab omni pœna mali, harum radix est prima conuersio peccatoris damnati, qua seipsum inordinatè amat, & ad hunc finem omnia refert inquantùm volita sunt ab eo, vel positiuè, vel priuatiuè; positiuè quidem inquantùm ex toto affectu adhæret: priuatiuè inquantùm nihil aliud vult, aut non vult, nisi ex affectu sui commodi prædominante. Præter ergo causas præscriptas non est exquirenda alia; quia libertas electionis necessariò est saluanda iuxta scripturas allegatas, ad hoc vt velit malè moraliter, & peccaminosè, de quo genere mali, & obstinationis in ipso loquitur Scriptura: *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper*, &c. *Diabolus ab initio peccat*, &c. Perpetuitas etiam peccandi habet causam necessariam, non physicè sed moraliter, & in euentu, in statu damnationis, nempe peruersitatem voluntatis, quæ sibi relicta sequitur affectum vehementem commodi, & ipsi prædominantem pertinaciter, cui accedens ex diuina iustitia desertio eius complet causam integram obstinationis in malo peccati, & necessariò moraliter eam inferens, non physicè, 31 *4. Conclusio.*

Causa priuatiua obstinationis.

Causa positiua.

Causa demeritoria.

Dispositio voluntatis damnatæ.

Necessitas moralis peccandi in Dæmone.

physicè,& naturaliter. Quamuis ergo in eo statu sit naturalis libertas ad bonum naturale saltem, eius nullus est vsus ad illud bonũ, licèt necessaria sit ad saluandam libertatẽ requisitam ad prauam electionem. Accedit etiam ad hæc obcæcatio intellectus derelicti, & obsequentis semper vehementi cupiditati prauæ voluntatis. Quamuis autem concipiat intellectus damnati principia quædam practica,& conclusiones necessarias: tamen ea concipit magis speculatiuè, quàm practicè, ex quo conceptu magis augetur eius pœna,& vermis,& confusio: ideóque veritatem earum odit potiùs, quàm affectat; ita vt omnia ipsi versentur in pœnam, & opprobrium sempiternum, & cooperentur in miseriam, & malum.

32 Hanc ferè sententiam docet Gregorius *in 2. distinct.* 7. nisi in eo quòd reducat causam positiuam in acerbitatem pœnæ illius status, nempe sensus, & in desperationem, tanquam in causam positiuam, ex qua semper volunt malè: cæterùm licèt pœna, & desperatio plurimùm promoueant voluntatem sic affectam: tamen non sunt prima radix vnde peruersitas voluntatis oriatur: quia in animabus iustis in Purgatorio proculdubiò est pœna acerbissima, tamen non est peruersitas voluntatis, sed tolerantia voluntaria. Non sufficit ergo pœna etiam damnatorum, ad inducendum illum secundum effectum, nisi respectiuè ad voluntatem inordinatam,& immersam in affectu inordinato commodi. Desperatio prætereа oritur magis ex subtractione diuini auxilij in sempiternum, & derelictione eorum à Deo in eo statu quantùm ad culpam, & pœnam. Eandem sententiam tenet reipsa Molina *1.part. quæst.64. art.2. disp.2.* Valentia *quæst.15.* Mald. *in 2. distinct.6. disp.13.* Sotus *in 4. distinct.50. art.4. & 5.* & magis concordat Scripturis, & Patribus, prout agunt de obstinatione in via, & in termino,& maior etiam inde resultat miseria damnatorum,quatenus ita sua voluntate, & electione semper in malo culpæ, quæ est maxima miseria, volutantur, vt nunquam velint nisi malè, quàm si ex defectu libertatis essent tantùm in malo materialiter sumpto, quod non esset peccatum ex defectu libertatis. Longior dissertatio huius spectat ad materiam de peccatis; & ad prædictum locum de induratione dæmonum: sufficiat pro nunc breuis hæc resolutio.

33 *Secunda pœna est priuatio gloriæ. Est à Deo priuatiuè & iustè.*

[i] *Secunda etiam pœna sicut est à Deo*, &c. Docet negationem beatitudinis, quæ est secunda pœna, esse à Deo priuatiuè & iustè. Probat, quia sicut bonum honestum, seu meritum, iustè requirit vt pro eo reddatur bonum commodum: ita etiam peccatum priuans honestate iustè requirit, vt pro ipso reddatur priuatio boni commodi, & ista correspondentia priuationis commodi ad priuationem honesti ordinat culpam, sicut potest ordinari malum;nam secundùm prouidentiam vniuersalem, qua regulatur totum, nihil manet inordinatum, sine debita correspondentia ad totum,& reliquas partes, & ad Deum, prout secundùm iustitiam, & misericordiam gubernat creaturas rationales: ita etiam neque bonum sine ordine suo permanet, neque malum etiam sine debita correspondentia, qua debet ordinari sicut membrum putridum, quod corrumpit ordinem totius, nisi separetur, aut ita ordinetur nè possit sana inficere, ita etiam

Dispositio Dei ordinata.

Ordinatio peccati.

debet esse aliquis ordo in vniuersitate creaturæ, qua separatur reprobus in termino ab electis; hic autem ordo est per pœnam,qua priuatur communione electorum in gloria, & per quam exclusionem reformatur culpa secundùm iustitiam, ne maneat impunis, vnde Boëtius prosa 4. de Consolatione, *Infeliciores sunt improbi iniusta impunitate damnati,quàm iusta punitione puniti,*&c.

In primo, inquit, est tantùm bonum naturæ, sed vitiatum per culpam, quod est esse bonum commodi, & secundùm *quid*, quia contra dictamen rectum, in secundo est bonum naturæ, scilicet vniuersalis,quatenus ordinatur culpa per debitam pœnam.Vnde Augustinus de correptione,& gratia cap.10. *Saluberrimè,inquit, confitemur quòd rectissimè credimus Deum, Dominúmque rerum omnium, qui creauit omnia bona valdè, & bona ex malis exoritura esse præsciuit,& sciuit magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere etiam de malis benefacere,quàm mala esse non sinere:sic ordinasse Angelorum, & hominum vitam,vt in ea priùs ostenderet quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium, iustitiæque iudicium,* &c. Similia habet Enchirid.c.11. Sicut ergo in omni rep. benè ordinata secundùm iustitiam commutatiuam, & distributiuam, sine quibus, neque resp. ordinari potest, prout nequit esse sine lege & societate per eam directa;sic inter creaturas rationales non potuit communio, & societas institui sine lege, ac proinde etiam sine iustitia distribuente pœnas, & præmiũ:nam eo ipso quòd hæc membrorum societas in libero vsu arbitrij fundatur iuxta communionem affectuum officiorum, & beneficiorum,debuit etiam reduci in ordinem per institutorem seruata lege, & ordinatis operibus creaturæ in *esse* meriti, & demeriti, consequenter per præmium, & pœnam, ita vt exorbitante aliquo membro à bono libertatis, & regulæ, & legis, non inde desineret ipsa vnio corporis, aut compago quæ est per legem, sed ordinaretur per iustitiam vindicantem,& restituentem debitum per satisfactionem pœnæ,vel potiùs satispassionem, & qui bonitatem institutoris, & legis contempsit, sentiret etiam iustitiam, per quam in ordinem redigitur, & segregatur à bono communi, qui ipsum contempsit. Sicut ergo liberũ arbitrium in creatura rationali concessum à Deo fuit supremum bonum post essentiam, & quo solùm operari posset ad finem, & hoc liberum arbitrium regula destitutum ex se fallibile erat; ideò etiam necessaria fuit lex, quæ regularet;necessaria etiam ordinatio in ipsis operibus, quo malum à bono ordinaretur respectiuè ad finem proportionatum cuique, quæ ordinatio habetur per iustitiam.Inde est quòd ad bonitatem Dei, & naturæ spectet discretio bonorum, & malorum secundùm finem præscriptum iustè, per quem ipsa opera ordinantur, & personæ secundùm opera, cùm personarum non sit acceptor Deus. Ex quibus patet iustitia pœnæ, qua priuatur malus bono commodi, quod prætulit inordinatè bono iustitiæ.

Societas instituta inter creaturas rationales.

Iusta retributio, & ordinatio operum.

[k] *In tertia pœna*,&c.Ostendit tertiam pœnam esse iustam,nempe carcerationis,per oppositum ad locum, & libertatem competentem electis;libertatem, inquam, quantùm ad potentiam, qua malè semper vteretur damnatus si ei permitteretur. 35

Tertia pœna iusta est.

In quarta etiam pœna ostendit esse iustitiam, de qua pœna,quantùm ad ea,quæ obiiciuntur ab aliis,actũ est. *d.44.q.2.*ostendit eius cõgruitatem, &

Quarta pœna est iusta.

34

& medium iustitiæ, prout in ea reperitur; ex his autem pœnis resultant ordinatè tristitiæ pœnales, & quò maiora sunt peccata, eò etiam pœna est maior, quia detentio, licèt in igne, physicè loquendo, esset æqualis, tamen non æqualis repugnantia voluntatis, quæ habet illam detentionem nolitam, non solùm quia repugnat eius libertati; sed quia infligitur ob peccatum hoc, & illud, in quo complacet voluntas, ex qua complacentia, oritur repugnantia maior eius ad pœnam iniunctam, quæ pœna est formaliter: & idem dico de detentione intellectus in perpetua ignis consideratione. Quamuis ergo hæc ipsa incarceratio, & detentio vtraque sit etiam diuersa iuxta mensuram peccati, adhuc est diuersa ex affectu vehementiore, & repugnantia voluntatis, qua refugit pœnam, sicut condelectat magis in peccato. Præterea subdit ibi ad calcem, quòd si in hominibus post iudicium ponatur ardor ignis, & dolor in appetitu sensitiuo, dicit pœnam proportionari ita culpæ, quòd non erit maior in anima post resumptum corpus, quàm fuerit in eadem ante corpus: quia etiam vt separata fuit, recepit pœnam condignam: si autem illa pœna post resumptum corpus quoad aliquid mutabitur in aliam ex ipso corpore sensibiliter ardente, seruabitur debita, & proportionata retributio.

Inæqualitas pœna.

Æqualis est pœna in animo ante, & post resumptum corpus.

36 *Additio.*

l *Contra, mali ad malum,* &c. Hæc additio in fine remittit solutionem obiectorum in ipsa ad sequentem articulum, in quo tamen non respondetur in specie ad eius rationes: vnde apparet esse additionem, licèt æquiualenter habeatur eius solutio ibi, & ex præcedentibus. Obiicit ergo primò, mali ad malum non esse habitudinem, in qua sit bonitas. Secundò, obiicit quòd meliùs esset malum peccati tollere, & consequenter etiã malum pœnæ correspondens: vt patet in exemplo suprà allato à Doctore de membro putrido: quia simpliciter melius esset corpori tollere in vniuersum putredinem membri infecti, quàm prohibere eius communicationem reliquis. Ad primum respondetur, mali pœnæ ad malum culpę esse iustam correspondentiam, & bonum secundùm iustitiam; quin etiam secundùm misericordiam, vt patebit ex sequenti articulo. Negatur ergo antecedens. Ad secundum benè respondetur ex Augustino prout citatur in litera, quia non solùm melius est vniuerso malum pœnæ correspondere malo culpæ, ita vt nihil maneat in vniuerso non ordinatum, siue quoad intrinsecum bonum creaturæ, siue quoad extrinsecum finem eius; quod intrinsecum bonum creaturæ quantùm ad societatem necessaria est ex parte Dei instituentis, per quam subiiciatur Monarchæ & Creatori suo, & per quam etiam ordinentur inter se, & ad commune bonum ipsa membra, velut in corpore politico: hoc autem bonum commune est finis statutus creaturæ rationali, ad quam cæteræ creaturæ sunt ordinatæ: ex parte autem creaturæ suppositæ lege, & mediis eius, & ipsa societate requiritur liberum arbitrium, quo possit malè, vel benè vti; quòd si benè, remuneratio sequitur; quòd si malè, debitrix manet legi, & pœnæ legis, atque adeò iustitiæ. Sicut ergo in Hierarchia naturali debitus ordo exigit, vt nulla potentia passiua sit, quæ non ordinetur per virtutem causarum, ita etiam in politia morali requiritur, vt nullum sit debitum, quin vltimatè ordinetur per id, quod ei correspondet ex lege: peccato autem debetur pœna: ideóque bonus ordo vniuersi exigit talem pœnam infligi in termino, quo creaturæ vniuersus motus reducitur in suum finem, & ad terminum præfixum, & quietem.

Responsio ad primam obiectionem. Pœna correspondet culpa. Ad secundũ.

Declaratur illa correspõdentia.

Exemplum.

Hoc idem exigit finis extrinsecus creaturæ, quia vniuersa propter seipsum operatus est Deus, cuius opera sunt perfecta omnia; finis autem creationis fuit manifestatio diuinæ bonitatis in substantia, & in attributis, eiúsque communicatio creaturis. Non minùs competit Deo ostensio suæ misericordiæ, quàm etiam iustitiæ, vel inquantùm Legislator est, vel inquantùm Iudex vel inquantùm Creator rerum; ea ergo ratione debuit, & congruit institui ab eo creatura rationalis, vt etiam esset manifesta in ea sua bonitas, quantùm ad vtrumque attributum, quorum operatio, vt dictum est superiùs, est coniuncta; debuit ergo iustitia eius extendi ad peccatum, & demeritum in termino, neque aliter extendi potuit, nisi inquantùm vindex peccati per pœnam debitam; hinc ergo patet bonum vniuersi tam intrinsecum, quàm etiam extrinsecum exigere punitionem peccati, quod requiritur etiam ad ostensionem suæ omnipotentiæ, vt dicit Augustinus, quæ non solùm ex bonis bona, sed etiam ex malis bona facere potest. 37

Idem declaratur ex fine extrinseco creaturæ. Finis creationis. Manifestatio diuinæ bonitatis.

Ostensio iustitiæ.

Ostensio omnipotentiæ.

m *Contra hoc, nec natura suprema,* &c. Obiicitur contra solutionem, quæ fundatur in verbis Augustini citatis, & perinde etiam vrget solutionem datam, ac doctrinam, quatenus reducitur ad finem ostensionis diuinæ bonitatis. Vis rationis est in hoc: non derogat huic fini ostensionis diuinæ bonitatis, quòd natura suprema possibilis non sit creata, in qua magis eluceret diuina bonitas, quàm in inferioribus; neque etiam fiet vt probabiliter tenetur, neque omnes gradus beatitudinis possibiles erunt in regno cælorum, qui non solùm vniuerso essent magis bonum, sed etiam in seipsis: ergo ad bonum vniuersi, seu ad ostensionem diuinæ bonitatis, non requiritur illa bonitas, & consequenter magis bonum esset vniuerso tollere, & pœnam quæ est infimum bonum, & simul etiam peccata, & dare beatitudinem, & gratiam, quæ sunt in se simpliciter bona habenti, & vniuerso; non enim de malis eliciuntur bona maiora, quàm essent illa, quæ priuantur per mala: quia punitio illa priuatiua non est magis bonum quàm gratia & beatitudo quæ priuantur. 38

Obiectio.

Respondetur primò, negando antecedens quoad vtramque partem, quia probabilius est, Deum creasse speciem possibilem perfectissimam; quamuis de hoc sit controuersia, quæ non est huius loci. Quoad secundam partem etiam beatitudo Christi, & gratia est in termino perfectionis, ita vt à Deo intensiuè perfectior non possit creari, vt tenet Doctor *in 3.d.14.q.3.& 4.* ostendit ergo Deus bonitatem quantùm ad summum intensiuè, quantùm est ex perfectione creaturæ quoad speciem, quantùm ad gradum etiam gratuitum, gratiæ, & gloriæ loquendo extensiuè, & sic ratio assumpta est falsa. 39

Responsio.

Gratia, & gloria Christi est summa possibilis.

Dato etiam opposito, prout alij docent transeat antecedens, & negatur consequentia, quoad primam, & secundam partem; quia ex parte vniuersi sicut est corpus heterogeneum, & distributum per diuersa membra in quantùm diuina bonitas ipsis communicatur, ad ipsum spectar, & supremum, & infimum, & medium, quæ in 40

Perfectio vniuersique modo attenditur.

in æquali gradu, & perfectione non possunt participare bonitatem sui Creatoris, neque eodem modo concurrere ad compagem corporis, vt patet etiam in corpore humano, discurrendo per singula eius mēbra, sine quibus corpus integrum non coalescit, licèt vnum altero sit necessarium magis, & perfectius. Ad perfectionem vniuersi, & finis ostensionis diuinæ bonitatis: quoad sapientiam, potentiam, iustitiam, & misericordiam, suppositis iis, quæ in priori responsione dicta sunt, licèt requiratur vt species attingat finem suum perfectè, non requiritur vt singula eius supposita eundem finem in effectu attingant; quia diuina bonitas, eiúsque ostensio sufficienter, quantùm ad communicationem sui per gloriam, & gratiam, habetur in electis Angelis, & hominibus. Quòd verò aliqua supposita non attingant finem ex propriæ libertatis (quæ libertas spectat ad bonum necessarium vniuersi, vt sit perfectum) abusu, & contemptu legis, quæ ducit ad finem, spectat ad bonum vniuersi, vt permissa libertate, & malitia, etiam in iis seruetur ordo conueniens iustitiæ, ob contemptum finem, legem, & legislatorem, quæ est specialis diuina bonitas, quæ etiam in malis elucet, & non habet sui manifestationem in bonis: ergo eo ipso, quo spectat ad bonum creaturæ rationalis, vt per legem, & media ordinetur ad finem, ita etiam spectat ad idem vt opera eius secundùm debitum ordinem iustitiæ retribuantur, siue bona, siue mala. Iustitia enim vniuersalis in Deo, ad sui manifestationem requirebat ex secundario fine, vt præuiso peccato, ordinaret peccatum per pœnam. Deinde, congruit etiam vt voluntas creata libera, & fallibilis, per quam homo ad finem ordinatur, statuta lege, alliceretur per præmium, teneretur per exitium, & pœnam à malo, ad sequendum bonum, & inquirendum finem, ad quem est ordinata.

Non requiri vt omnia supposita speciei attingāt finem.

Ostensio iustitiæ.

41 Ad id quod sequitur, nempe magis bonum esse gratiam, & gloriam, quàm bonum sit vniuerso permissio peccati, & pœna ordinata; distinguo, quantùm ad bonum particulare huius, aut illius, quod non debet respicere legislator, aut princeps in politia, nisi vt reducitur ad bonum commune, transeat; quantùm ad rationem boni communis & ordinis, negatur assumptum: & patet ratio ex dictis; quia bonum ordinis, in quo consistit ipsa societas tanquam in ratione formali, per quam reducitur ad finem boni communis, est magis bonum simpliciter, & magis debet attendi à principe, quàm particulare huius, aut illius membri; sicut ergo institutio facta est creaturæ rationalis, & societatis, non vt otiosa esset, sed vt ad finem per opera conaretur progredi: ita etiam ordinauit ipsa opera secundùm debitum ordinem iustitiæ, eo modo, quo salua libertate ordinari debuerunt: vnde admonitio legis comminantis malum pœnæ; magis conducit ex se ad finem perquirendum, quàm si nulla peccatis pœna statueretur. Et licèt illa admonitio in peruersis non sit efficax, tamen in bonis plurimùm solicitat obseruantiam legis: malis autem qui seipsos per opera segregant à societate bonorū, & fine constituto, valet ad effectū iustitię diuinę ostendendū, & hinc negatur reliquum quod sequitur in illa ratione.

Bonum commune magis seruatur per pœnam.

42 *Obiectio.* *Alind de manifestatione diuinæ iustitiæ*, &c. Hîc impugnatur secunda ratio adducta ex Augustino, de manifestatione diuinæ iustitiæ. Ratio est talis: quia in præmiatione bonorum eminentior est actus iustitiæ prætermittere meritum bonum (fortè *præmiare meritum bonum*, quia hoc magis facit ad scopum discursus, quatenus insinuat iustitiam Dei magis manifestari ex præmiatione boni, quàm ex punitione mali, ac proinde hanc punitionem non esse necessariam ad ostensionem iustitiæ, contra Augustinum loco præmisso) quàm punire malum, quia infima iustitia est vindicare: vnde actus eius nunquam potest electiuus esse, aut per se volitus in ratione medij. Vindicatiuæ verò fit cum quadam displicentia: quia ad hoc vt sit bonus, debet esse minùs voluntarius: electio enim magna vindicandi magis est crudelitas: vnde non apparet iustitia diuina in infimo actu iustitiæ, quia in eminentioribus actibus magis apparet. Respondetur vtrūque actum æquè conuenire principi, & legislatori ex motiuo boni communis, quod primariò intendit: quamuis enim intendat, vt dixi, primariò bonum commune, intendit etiam media necessaria secundùm legem, & supposito statu, in quo boni & mali commiscentur in republica, quos ordinari conuenit per iustitiam, vt finem inducit intentum solicitando bonum, & amouendo malum ex motiuo boni, & vtrumque per se includit medium iustitiæ, à quo specificatur, & rationem debiti, prout in reipsa fundatur.

Responsio.

Legislatori competit præmiare, & vindicare.

Differentia autem eorum est ex obiecto materiali, non formali in genere: quia sicut præmiatio ordinat debitum meriti secundùm legem, ita vindicatiua debitum demeriti, ad satisfactionem legis violatæ, quod legislator intendit. Quòd verò debitum hoc respiciat iustitia vindicatiua, & sit ex suppositione violatæ legis, ob libertatem permissam voluntatis (quæ ad bonum vniuersi spectat, vnde sequatur peccatum, ex quo redundat debitum pœnæ, quod peccatum non vult legislator, quamuis ex eadem libertate permissa etiam permittit) non derogat libertati voluntatis legislatoris, aut bonitati, aut perfectioni suæ iustitiæ, sed magis commendat eius bonitatem vt peccatum suppositum ordinetur, & rectitudo legis violatæ restituatur. Neque permittit peccatum ex fine ostendendæ iustitiæ, sed seruandæ libertatis, quo supposito vult medium restituendi debiti per iustam pœnam: qui actus est rectissimus, quamuis supponat malum peccati, & hoc intendit Augustinus, quatenus hoc modo diuina iustitia etiam ex malis manifestetur: quæ præter voluntatem diuinam, & contra rectitudinem legis fiunt non Deo volente malum culpæ, vt qui per legem præscripsit seruandam iustitiam, & possibilitatem eius seruandæ tribuit per media sufficientia: quia *vult omnes homines saluos fieri, & ad cognitionem veritatis venire*, &c. Permittit autē mala fieri, non ex affectu vindicationis, sed ex æquitate legis communis omnibus, & libertatis in societate seruanda relinquendo creaturam in manu consilij sui. Ex suppositione verò mali ordinat vindicationem, quæ supponit malum in *esse*, aut præuisione. Quando ergo dicitur quòd actus vindicatiuæ non sit medij electiuus, nisi cum quadam displicentia.

43 *Differentia vtriusque actus.*

Legislator non intendit demeritum vt vindex est.

Permittit peccatū non ob finem vindictæ, sed ob finem conseruandæ libertatis requisita.

Deus non vult neque intendit peccatum.

44 Respondetur *displicentiam* sumi posse; vel vt est actus misericordiæ parcentis, vel vt est actus antecedentis voluntatis, quo affectatur bonum commune omnibus, & media ordinantur ad hoc conducentia ex affectu salutis omnium; vel denique vt ipse actus respicit medium, quatenus determinationem tollit, quæ displicet. Omnibus his

Displicentia in Deo obiectiua multiplex.

Actus vindicandi connotat displicentiam.

his modis actus vindicandi connotat displicentiam: nam primus actus voluntatis & legislatoris præcisè respicit finem boni communis in societate, & indifferenter quoad omnia eius supposita vt ordinantur ad finem, etiam indifferenter, ex qua oritur displicentia peccati in causa: displicentia etiam oritur non solùm ex affectu misericordiæ parcentis, sed etiam quoad effectum, vt in quarto articulo dicitur. Eodem modo ipse actus vindicationis oritur ob displicentiam peccati, cæterùm est voluntarius simpliciter, & iudicium de particularibus iuxta communem legem ex electione medij debiti iustitiæ, quæ non integrè manifestaretur sine tali actu, neque in ordine ad vniuersum, neque etiam in ordine ad legem violatam, neque in ordine ad ipsum delinquentem finaliter, quia per propriam conscientiam damnatur inæqualitatis positæ in ordine ad Deum, & legem, & cuius voluntas ordinari debuit secundùm affectum debitum iustitiæ, & commodi, vt quantum recessit iniustitia à regula legis, tantum reduceretur per pœnam, & satisfactionem debitam per priuationem commodi, quod iniustè affectauit, & præsumpsit. Ex quo patet ad illud, quod obiicitur de manifestatione diuinæ iustitiæ per actum eminentiorem præmij collati, quia ille actus licèt in se sit perfectior; non tamen est adæquatus actus iustitiæ, vt ordinat opera tam bona, quàm mala; *Conscientia propria iudicat peccatorem dignum pœna.*

neque sufficit ad ostensionem eius, supposito malo culpæ finali, nisi etiam culpa ipsa ordinetur per vindictam.

o *Quartum similiter de lætitia Beatorum*, &c. Impugnatur vltima ratio præmissa Augustini, qua ostenditur gloria accidentalis Beatorum ex condigna punitione inimicorum. Obiicitur ex Gregorio quòd *Deus ipse non pascitur cruciatu, qui pius est*, &c. Ergo neque Sancti. Deinde, magis lætarentur de gloria damnatorum, si fierent salui. 45 *Obiectio.*

Respondetur, Beatos non lætari affectu commodi, aut crudelitatis, de damnatione impiorum; sed ex affectu iustitiæ diuinæ, & legis restitutione per pœnam debitam. Quod autem dicitur, magis lætaturos de eorum glorificatione. Respondetur non inde tolli obiectum lætitiæ de eorum damnatione ordinata: quia quòd in obiectis lætitiæ aliquod sit immediatius ad finem, eiúsque bonitatem, non tollit quin cætera etiam quæ reducuntur ad finem, sint causæ lætitiæ in suo gradu, & prout ad finem reducuntur: finis autem creaturæ est Deus in se, & sua bonitas, & sic est primarius. Secundarius autem eadem bonitas, vt communicatur creaturis iuxta gradum, & ordinem suum, prout illum participant, dispari modo, & gradu. Gloria autem Beatorum ad finem magis accedit, quàm miseria damnatorum: hæc tamen vt reducitur per iustitiam ad finem est obiectum lætitiæ, & non aliter. *Respondetur: Qua ratione lætatur Sancti de punitione damnatorum.* *In iis quæ sunt ad finē est ordo.*

SCHOLIVM.

Deum punire damnatos cum misericordia parcente, seu citra condignum. Ita August 21. Ciuit. 24. Cassian. Psal. 51. D. Thom. hîc q. 2. art. 2. & 1. p. q. 21. art. 4. cuius rationem pro hoc adductam refutat Doctor efficaciter, ducens exemplum eius ad oppositum.

14 p DE quarto articulo sicut dictum est distinct. ista, misericordia liberans totam miseriam excludit: parcens, sed non liberans, partem eius quæ debetur, excludit. Prima non est hîc, sed secunda. Ad quod ponitur talis ratio; agens, & patiens semper sibi proportionabiliter respondent, ita quòd sicut se habet agēs ad actionem, sic patiens ad passionem: quæ autem sunt inter se inæqualia non habent similem proportionem ad alia, nisi inter se inæqualia, sicut senarius, & quaternarius, quia sunt inæquales, habent proportionem duplam ad ternarium & binarium, consimiliter inæquales: ergo quando agens excedit patiens, oportet quòd actio excedat passionem. Et hæc conclusio confirmatur, quia videmus in omnibus agentibus æquiuocis, quòd patiens non recipit totum effectum. *Quæst. 2. An in punitione malorum concurrat misericordia. D. Thom. dist. præsenti, art. 2. q. 2. sol. primam quæstiunculam.*

Ex hac conclusione ad propositum sic; dans se habet per modum agentis, & recipiens per modum patientis: ergo quantò dans superexcedit recipientem, conueniens est vt datio excedat illam receptionem, quæ est proportionata recipienti. Pro eodem autem computatur minus malum, & maius bonum, vt dicitur in 5. *Ethicorum*: ergo Deus sicut semper dat vltra condignum, ita semper infligit malum citra condignum. *Cap. 6.*

15 Contra illam rationem arguo primò sic, si duo habeant eandem proportionem ad alia duo, quantum vnum illorum excedit reliquum illorum, tantum vnum istorum exceditur à reliquo illorum: & hoc loquendo dè *tantum* & *quantum* secundùm proportionem, non secundùm quantitatem. Apparet in exemplo suo, sicut se habet senarius in sesquialtera proportione ad quaternarium, sic ternarius ad binarium; sed non quantum excedit agens patiens, tantum excedit actio passionem: quia in proposito agens, vel dans in infinitum, excedit passum; vel recipiens, nec tamen illa datio est vltra condignum in infinitum.

Si dicas quòd imò, quia actio diuina est infinita, & datio quantùm est ex parte sui, quia est *velle* suum: tunc ratio non est ad propositum: nam ex hoc non sequitur quòd istud agens habeat aliquid maius causare extrà, quàm conueniat passo recipere: neque quod detur extra aliquid maius quàm conueniat recipienti recipere: sed tantum

modo, quòd actio eius manens in se est quoddam perfectius receptione illius, ita esset si in effectu non daretur isti, nisi minimum proportionatum sibi.

Retorquet exemplum D. Thom. Præterea, exemplum suum est ad oppositum: si enim agentis æquiuoci non totum effectum recipiat ipsum passum: ergo vel ipsum passum, & aliud passum, & tunc semper agens æquiuocè requirit simul plura passa: vel nullum passum, & tunc cum effectu in passo habebit alium effectum per se stantem, quorum vtrumque est maximum inconueniens: vnde licèt possit colorari ratio, loquendo de actione faciendo brigam in hoc, quòd actio accipiatur manens in ipso Deo agente: tamen loquendo de effectu, sicut hic dicit, passum non recipit totum effectum agentis æquiuoci: est manifestè falsum: & ita etiam loquendo de actione, vt est in passo, sicut loquitur Philosophus, 2. *Physicor.* 16

Text. 11.

Agens & patiẽs proportionãtur. Explicatur. Ad rationem ergo, vel maior est falsa, vel minor, vel æquiuocat *proportionem*, & hoc loquendo de actione, prout est aliquid in passo: si enim accipiat *proportionem* propriè, & sic similem esse proportionem agentis ad actionem, & patientis ad passionem, falsa est hæc proportio: sicut & ista, *quantum agens excedit formam ab agente, tantum patiens excedit formam in ipso receptam:* nec ille intellectus similis proportionis inter hæc quatuor, sequitur ex illo antecedente, *agens est proportionatum patienti:* illa enim sunt proportionata in hoc, quòd istud est actu tale, quale illud est in potentia, vbi illa duo sunt extrema vnius proportionis, quomodo ex hoc potest inferri, quòd illa duo habent similem proportionem ad alia duo, scilicet actionem, & passionem, nisi supponendo, quòd actio sit actu tale, quale passio est in potentia, quod est falsum? Si autem aliquo modo modo accipiat impropriè *proportionem* in maiori, non scilicet secundùm excedentiam, & excessum, sed aliquo modo alio, secundùm quem fortè posset maior habere apparentiam: sic non est illa regula vera, quòd *inæqualia non habent similem proportionem, nisi ad inæqualia.*

Explicat quomodo cũ misericordia puniũtur damnati. ¶ Dico ergo quòd huius conclusionis, scilicet, quòd in punitione est misericordia parcens, melius fundamentum habetur Iacob. 2. *Misericordia superexaltat iudicium*, quia sicut dictum est in principio solutionis, quantò ad aliquod opus concurrunt plures virtutes, tantò illud est perfectius, si ergo iudicium sit à iustitia, & cum hoc, à misericordia, tantò perfectius est; si autem est, si infligendo aliquod, quod iustitia dictat infligendum, remittitur aliquid, ad quod misericordia inclinat remittendum: & sic iudicium diuinum superexaltat misericordia, pro quanto perfectius est ex misericordia, quàm esset ex sola iustitia. 17

Quomodo punire citra condignum nõ sit contra iustitiam. Contra hoc, imò magis misericordia videtur destruere iudicium iustum: quia sicut ex iustitia vindicandum est, ita vindicandum est proportionaliter delicto: ergo sicut esset contra iustitiam non vindicare, ita non totaliter vindicare. Respondeo, dare bonum indebitum non est contra iustitiam, quia est liberalitatis: & actus vnius virtutis non repugnat alteri: sed subtrahere bonum debitum, est contra iustitiam: nunc autem pari passu currunt quantùm ad iustitiam dare bonum, & non inferre malum: ergo inferre malum vltra debitum est contra iustitiam, quia subtrahere bonum debitum: sed inferre malum circa debitum, non est contra iustitiam, sicut nec dare bonum indebitum.

Contra hoc adhuc stat ratio, quia tunc non esset contra iustitiam nullum malum inferre, sicut nec maximum bonum indebitè dare. Confirmatur, quia huic culpæ intensæ in tribus gradibus secundùm strictam iustitiam correspondet pœna habens tres partes *A*, *B*, *C*, cum iustitia stat, quòd *C* non infligatur ex datis. Ex hoc sequitur primò quòd pari ratione cum iustitia staret, quod *B* non infligeretur quia non magis necessariò dictatur *B* infligendum quàm *C*, & ita de *A*. Secundò sequitur quòd iustitia permittit vnum gradum in peccato esse impunitum punitione propria; ergo pari ratione potest permittere alium gradum impunitum, & ita totum. Responsionem quære. 18

Additio. *Dicendum est quòd iustitia latitudinem graduum suorum habet extrà, quàm si Deus puniret, iustitia non vteretur: ideò licet possit dimittere vnum gradum pœnæ, vel duos, non tamen sequitur, igitur quemlibet: quia tunc exiret latitudinem illam ad iustitiam requisitam; & sic patet ad ista duo argumenta responsio. Posset etiam aliter dici, quòd si dimitteret, non faceret contra iustitiam absolutè consideratam: quia quicquid faceret, iustè faceret, cùm eius voluntas sit ipsa iustitia, & ista secundùm iustitiam faceret, licèt non ordinatam. Prima solutio elicitur ex dist. 18. huius quarti, secunda autem ex præsenti distinctione.*

Ad arg. 1. ¹ Ad argumenta principalia. Ad primum Augustinus loquitur de malo culpæ non pœnæ 19

pœnæ, quia Deus est benè Iudex malorum. Deuteron. 23. *Mihi vindictam*, *&c.*

Contrà, saltem probatio Augustini stat, quia nullo sapiente auctore fit homo deterior: nec ergo multò magis de authore fit homo deterior, sicut ipse arguit: sed per punitionem fit homo deterior, quia additur malo malum. Respondeo, stante primo malo, secundum malum additum, licèt sit deterius isti, non tamen simpliciter: quia non in comparatione ad vniuersum, cuius ordo requirit malum istud manens, per malum aliud ordinari. Exemplum, melius fuisset cæco nato
Cap. 9. de quo Ioannes loquitur, à principio vidisse: non tamen melius in ordine ad manifestationem diuinæ sapientiæ, & bonitatis: cùm ergo accipitur *nullo sapiente auctore fit homo deterior*; vel exponendum est de malo culpæ: vel si simpliciter de malo, diceretur quòd ille per pœnam additam non fit simpliciter deterior, licèt multiplicius habeat malum: quia proportio mali secundi ad malum primum in eo iusta est.

COMMENTARIVS.

46 *Conclusio.* *Misericordia in damnatione impiorum ostenditur.*

P DE *quarto articulo*, &c. Conclusio huius articuli respondet ad quæsitum principale, nempe in pœna damnatorum non haberi misericordiam ex toto parcentem, sed ex parte, quatenus Deus punit citra condignum, præmiat vltra condignum, quod docet Augustinus 21. *de Ciuitate cap.*24. Cassianus *in Psal.*51.& communiter Theologi *in hac d.* patet ex Psal.24. *vniuersæ viæ Domini misericordia, & veritas.* Cassiodorus in Psal.50. *Hæ duæ res in viis Domini semper adiunctæ sunt.* Psal.76. *non obliuiscetur misereri Deus*, & Iacobi. 2. *Misericordia superexaltat iudicium*, &c.

Ratio D. Thom. Adducit argumentum D. Thomæ pro illa conclusione, hoc autem est: sicut agens ad actionem, ita se habet patiens ad passionem, seruata proportione; ergo inquantùm agens excedit passum, in tantum actio excedit passionem; sicut senarius, & quaternarius, qui sunt inæquales, habent proportionem duplam ad ternarium, & binarium similiter inæquales, sed in proposito dans se habet per modum agentis, recipiens per modum patientis: ergo quando dans superexcedit recipientem, conueniens est vt datio excedat receptionem, quæ est proportionata recipienti, pro eodem comparatur minus malum, & maius bonum 5.*Eth.c.*6. ergo sicut Deus dat vltra condignum, ita infligit malum citra condignum.

Proportio inter agens & passum, actionem, & passionem.

47 *Impugnatur.* Hanc rationem impugnat Doctor retorquendo idem medium sumptum ex proportionibus: Quando aliqua duo habent proportionem ad alia duo, quantum vnum excedit alterum è duobus, tantum etiam alterum è duobus exceditur à reliquo; quod probat in exemplo allato: sicut se habet senarius in sesquialtera proportione ad quaternarium, ita & ternarius ad binarium; sed non quantum exedit agens patiens, tantum excedit actio passionem: quia in proposito agens excedit in infinitum patiens, & tamen illa datio, quæ comparatur actioni, non excedit in infinitum. Dices actionem diuinam ad intrà, quæ est nolitio Dei, esse infinitam. Contrà; inde non sequitur aliquid maius in passo, quàm quod est sibi proportionatum. Retorquet similiter exemplum, vt patet ex litera: quia hîc agitur de actione, vt est effectio effectus, vel formæ, & vt recipitur per modum mutationis in passo, non autem de actione Dei, immanente, & ad intrà, & tandem per hoc respondet argumento, ostendens proportionem inter agens, & patiens consistere in eo, quòd agens sit in virtute id, quod passum est in potentia, non quòd actio sit in actu id, quod passio est in potentia: nam actio, & passio sequuntur motum vt est ab agente, in passo, & in passo ab agente: Vnde neutra est in actu, nisi alia concomitante; quando agitur dependenter à subiecto, & in subiectum vt passum, neque actio potest concipi, loquēdo de forma in *fieri* vt hîc loquimur, nisi vt est in subiecto secundùm capacitatem subiecti, si est in subiecto, licèt respectu agentis sit actio, vt refertur præcisè ad illud genus causæ, nempe materialis: non potest ergo seruari hîc illa proportio, quam argumentum prætendit de excessu actionis supra passionem, quantùm ad inæqualitatem formæ, vt est ab agente, & in passo: quia eadem est, & quanta est in actu ab agente, tanta est in passo secundùm passionem: quòd virtus alicuius agentis sit ad maius intensiuè, aut extensiuè, non probat hîc & nunc, quatenus reducitur in actum secundum, seu actionem circa determinatum subiectum, quod possit influere vltra capacitatem recipientis subiecti. Non capio prætereà vim argumenti, quantùm ad scopum præsentis conclusionis: quia non video quomodo actio punitiua Dei sit excedens pœnam inflictam, aut capacitatem subiecti: quia illa non potest esse ex parte Dei nisi iuxta exigentiam, & debitum peccati, subiectum autem sicut capax est delicti, ita & pœnæ proportionatæ.

Proportionis debitum expenditur. *Responsio.* *Proportio vera inter, agēs & patiens.*

q *Dico ergo quòd huius conclusionis*, &c. Reducit fundamentum conclusionis ad authoritatem Scripturæ ex illo Iacobi *suprà* citato. Deinde, ex concursu vtriusque, tam iustitiæ, quàm misericordiæ, opus in reipsa sit perfectius ad manifestandam diuinam bonitatem, quia factum secundùm inclinationem vtriusque manifestat vtramque, ita *Misericordia superexaltat iudicium.* 48 *Probatio cōclusionis ex Scriptura.*
Contrà, quia misericordia potiùs derogat iudicio, quia parcit in aliquo, quod erat ex iustitia vindicandum. *Obiectio.*

Respondet, sicut dare bonum indebitum non sit contra iustitiam, quia est actus liberalitatis, qui non repugnat iustitiæ, sicut neque vna virtus alteri; auferre autem debitum esset contra iustitiam; eodem modo non inferre malum in quantùm debitum est, non est contra iustitiam, id est, si inferatur tantùm citra debitum. *Solutio.*

Contrà, quia tunc non esset contra iustitiam auferre totum malum, & culpæ, & pœnæ à damnatis, sicut neque bonum maximum dare, licèt indebitum. Si potest ergo stare vt pœna debita habens tres gradus correspondentes simili malitiæ peccati, seu æquali, salua iustitia remittatur quoad vnum, ita etiam quoad reliquos gradus, & consequenter in nullo gradu infligi, etiam manente peccato. Non respondet ad hanc obiectionem Doctor, subiicit verò additio duas 49 *Obiectio.* *Responsio.*

responsiones

responsiones, quarum quælibet satisfacit, & iuxta principia Doctoris, vtraque responsio non solùm ex dictis desumi potest, sed etiam ex doctrina distinct. 44. in 1. quæst. vnic. §. *Aduertendum tamen est*, &c. vbi summariè hæc dicit:

Duplex modus agendi conueniens Deo.

Aliquid fieri ordinatè dupliciter contingere à Deo. Vno modo ordine vniuersali, qui pertinet ad legem communem; v.g. omnem peccatorem finaliter, id est, morientem in peccato esse damnandum. Secundo modo ordine, qui est conclusio legis vniuersalis, & dicitur iudicium, secundùm legem de hoc, vel illo in particulari vt quòd hic, vel ille homicida moriatur, quia lex est de vniuersali; iudicium autem secundùm legem de particulari casu, & subdit: *Dico ergo*, inquit, *quòd Deus non solùm potest agere aliter, quàm ordinatum est ordine particulari*(id est, secundùm iudicium ex lege vniuersali) *sed etiam aliter quàm ordinatum est in vniuersali, siue secundùm leges iustitiæ, potest ordinatè agere: quia tam illa quæ sunt præter illum ordinem, quàm illa quæ contra illum ordinem*: (præter ordinem legis est in casu particulari non iudicare secundùm legem, vt si princeps qui est supra legem parcat huic homicidæ, non derogando legi vniuersali: contra legem est, si statueret aliam contrariam) *possunt à Deo ordinatè fieri potentia absoluta, potentia tamen ordinaria non dicitur nisi secundùm ordinem legis vniuersalis: non autem secundùm ordinem legis rectè de aliquo particulari: quod apparet ex hoc, quia possibile est Deum saluare aliquem, qui tamen morietur in peccato mortali finaliter, & damnabitur: non autem conceditur posse saluare Iudam iam damnatum: nec tamen hoc est impossibile de potentia absoluta Dei, quia includit contradictionem*, &c.

Agere secundum legem, & agere secundùm conclusionem legis.

Præter legem iudicare.

50 Potest ergo de potentia ordinaria, & secundùm legem vniuersalem iustitiæ saluare peccatorem, dum est in via, qui morietur in peccato, nempe potest, vt infrà dicit, eum saluare præueniendo ipsum sua gratia ne moriatur in peccato. Iudam, aut alium damnatum non potest sic saluare secundùm iustitiam legis ordinariæ, & vniuersalis, qua ordinatur, morientem in suo peccato mortali damnandum. Potest autem secundùm ordinem iustitiæ saluare Iudam de potentia absoluta, sed statuendo legem contrariam, quæ esset iusta, si à Deo fieret, cuius voluntas est prima regula iusti, & recti, vt suprà *in hac quæst.* dixit, & quidquid statueret eo ipso esset iustum.

Responsio ad argumentum.

Ex hoc patet ad argumentum allatum, negando Antecedens, quoad primam partem, & prout medium iustitiæ de facto per leges vniuersales est determinatum, & secundùm prouidentiam ordinariam, & iudicium secundùm eandem legem, quidquid sit de quibusdam particularibus exemplis miraculosis, quæ leguntur in vitis Sanctorum de resuscitatione mortuorum peccatorum, qui mox in vita secundùm media ordinaria legis fuerunt saluati supposito miraculo resuscitationis, quidquid dicatur de eo quod communiter fertur de anima Traiani, negatur consequentia, & paritas; quia lex vniuersalis, quæ est de facto, & quæ seruatur rectum quoad medium iustitiæ vindicatiuæ decernit pœnam non solùm secundùm iustitiam, sed etiam secundùm misericordiam in parte parcentem, non esset autem obseruatio, seu ostensio iustitiæ, vt lege ordinaria, & vniuersali comprehensæ, nisi infligeret pœnam prout lege statuta est.

Ad argumenta principalia, ad primum. Responsio.

r *Ad argumenta principalia. Ad primum*, &c. 51
hoc facit ex illo Augustini: *nullo sapiente authore fit homo deterior*, &c. Ergo Deo authore nullus fit deterior ex inflictione pœnæ: ergo, &c. Respondet Doctor Augustinum intelligi de malo culpæ & non pœnæ: *mihi vindictam*, Deut. 23. contrà replicat rationem illam Augustini intelligi vniuersaliter. Respondet, quòd & si per pœnam fiat iste deterior, non tamen simpliciter respectiuè ad bonum vniuersi, & legis seruandum: exemplum; licèt cæco nato melius fieret nasci videntem, tamen ad manifestationem bonitatis diuinæ non erat simpliciter melius eum nasci videntem, loquitur de cœco illuminato per Christum. Cùm ergo dicitur quòd nullo sapiente authore fiat quis deterior, vel exponendum est de malo culpæ, vel negandum per malum pœnæ fieri deteriorem, licèt multipliciùs sit deterior, quia malum pœnæ habet per proportionem ad malum culpæ, quæ pœna in eo iusta est: dici etiam potest se authore fieri deteriorem & insipienter; quia ipse peccando acciuit sibi pœnam lege statutam, sciens & volés; quia neque lex, neque legislator eum facit deteriorem: sed propria peruersitas, quam lex per debitam, & iustam pœnam reformat in bonum, quo habeat lex suum effectum, & bonum commune debitum ordinem; potest ergo concedi antecedens cum sua consequentia, sed negatur subsumptum, quia & ipso authore accitur pœna, qui per culpam eius debitum incurrit, & pœna in se recta, & iusta est ex suppositione culpæ.

Quod particulari est malum in ordine ad commune potest esse bonum. Exemplum.

Responsio secunda.

SCHOLIVM.

Ad secundum reiecta ratione D. Thomæ declarat ideò pœnam infinitam duratione correspondere culpæ instantaneæ, vel temporali mortali, quia hæc in damnatis in æternum durat. Ita ipse D. Thom. 1.2. quæst. 87. art. 4. ad 3. & art. 3. cor. vbi Vasq. Zumel. Med. Sayrus lib. 2. cap. 13. Herrera 2. dist. 42. quæst. 2. Bellarm. 1. de amissione gratiæ, cap. 4. & probat Doctor ex August. Difficultas magna est, quomodo illa æternitas pœnæ iustè correspondet culpæ instantaneæ. Dicendum videtur secundùm Doctorem, quòd per se necessariò non correspondet ei illa æternitas, quia iustè puniri posset pœna temporali, sicut & merita præmiari præmio temporali: iustè tamen eo modo quo in Deo potest esse iustitia, punitur culpa illa æterna pœna, supposito Dei pacto de præmiando æternaliter seruantes perseueranter eius mandata, & puniendo æternaliter violantes ea. Quòd si tantùm decreuisset iustè retribuere his, & illis pro meritis, & demeritis, posset,

posset iustè id præstare, sine æternitate retributionis. De quo aliàs latiùs. Vide Doctorem infra dist.49. quæst.6. art.1. vbi ait æternitatem beatitudinis cadere sub præmium iustitiæ liberalis, ex suppositione scilicet dicti pacti Dei, de sic præmiando, & idem est in proposito.

20 [s] AD secundum dicitur, quòd si malus perpetuò vixisset, perpetuò peccasset: & ideò perpetuò punitur, quia perpetuò peccauit in voluntate; & est ratio Gregorij *Moral.* Contrà, Aliquis peccat cum proposito pœnitendi: ergo nec explicitè, nec implicitè in voto perpetuò peccat; Respondeo, exponit se perpetuitati peccati sicut dictum est in solutione de proiiciente se in foueam; & hoc maximè permanendo toto tempore vitæ sine pœnitentia. *Ad arg.2. D. Thom. hic artic.1. quæst.3. Lib.34.c.3. super illud Iob 41. Æstimabit abyssum, &c.*

[t] Alius est modus dicendi, qui videtur esse Augustini 21.*de Ciuit.cap.*11. vbi videtur dicere quòd non requirit iustitia pœnam infligi perpetuam ad hoc vt sit sufficiens culpæ: sed ideò est perpetua, quia persona perpetua, & perpetuò manet in culpa. Ait enim, *Quod est de illa ciuitate mortali homines supplicio primæ mortis, hoc est de illa ciuitate immortali, homines supplicio secundæ mortis, auferre.* Et paulò antè de pœnis quibusdam in ista ciuitate inflictis. *Nonne*, inquit, *pro huius vitæ modo, similia videntur pœnis æternis? ideò quippe æterna esse non possunt, quia nec ipsa vita, quæ his plectitur, porrigitur in æternum.* Vult dicere quòd aliqua culpa talis est, quæ non meretur totalem exclusionem à ciuitate, & hæc est temporalis. Respectu autem vitæ ciuilis, aliqua tanta est, quæ meretur totalem exclusionem ab illa vita ciuili, & illius intensio correspondet culpæ. Extensio autem accidit, scilicet quòd sit finita, quia vita finita: sic in proposito culpa mortalis meretur totalem exclusionem ab illa ciuitate superna, sed ideò præcisè perpetua est, quia vita cum culpa est perpetua. *Quomodo pœna perpetua correspondeat culpæ temporali. Aug. Aliqua culpa meretur totalem exclusionem à vita ciuili.*

21 Pro hoc videtur ratio, quia possibile esset Deo secundùm etiam strictum rigorem iustitiæ taxare pœnam intensam secundùm quod sufficienter responderet culpæ, etsi natura esset statim annihilanda: ergo quòd pœna æterna sic infligitur, non est, quia æternitas sit per se de ratione pœnæ, inquantùm æqualiter punitiua: sed accidit propter æternitatem personæ punitæ, & culpæ remanentis; & istud magis saluat quomodo *secundùm modum delicti erit & plagarum modus*, loquendo intensione, quæ per se requiritur in pœna, extensio infinita sibi accidit ex causis prædictis.

[u] Ad aliud dico, quòd sicut medicina est duplex, curatiua, & præseruatiua, sic pœna dupliciter est medicina. Corrigibili infligitur, vt curet: incorrigibili, vt præseruet, non ipsum, sed alios: quia ad bonum communitatis est quòd determinentur per Legislatorem aliquæ pœnæ, & quòd istæ infligantur delinquentibus, & non tantùm in determinatione, sed etiam in inflictione sunt medicinæ præseruatiuæ, illis qui sunt in statu præseruationis: quòd autem punitio neutro modo sit medecina, non repugnat iustitiæ, patet in pœnis ciuilibus determinatis pro magnis culpis. *Ad arg.3. Pœna est medicina curatiua, & præseruatiua. al. punito*

Ad aliud dico, quòd Iacobus intelligit de misericordia liberante, & similiter Augustinus. *Ad arg.4.*

Ad aliud, *tantum*, & *quantum*, non nominant æqualitatem quantitatis, sed proportionis, hoc est, quòd qui plus se inordinatè glorificauit quàm alius, ille secundùm proportionem similem, plus alio puniatur: sicut licèt præmium excedat meritum, qui plus alio meruerit, plus proportionaliter præmiatur, quod nobis concedat, &c. *Ad arg.5.*

COMMENTARIVS.

52 *Ad secundum.* [r] AD *secundum dicitur*, &c. Hoc fuit ex illo Deut.25. *Secundùm mensuram debiti erit & plagarum modus*, &c. Sed delictum fuit finitum, & temporarium quoad durationem: ergo secundùm iustitiam punitio erit finita, & temporaria; ergo pro finita & transitoria culpa non debetur pœna æterna ex iustitia. Circa responsionem huius, vide Scholium.

Responsio D.Thomæ. Respondet cum D.Thoma, quòd si malus perpetuò vixisset, perpetuò peccasset, & ideò perpetuò punitur, quia perpetuò peccauit in voluntate, quæ ratio est Gregorij *lib. 34. Moral. cap.3.* *Gregor.* *Replica.* Contrà vrget, quia aliquis peccat cum proposito pœnitendi; ergo neque implicitè, neque explicitè in voto perpetuò peccat. Respondet enim exponere se perpetuitati peccati, sicut dictum est art.3. huius quæstionis in principio de eo, qui se in foueam præcipitat, ex qua nequit euadere, nisi per auxilium eius, quem contempsit se proiiciendo, & offendit, quod maximè contingit in eo, qui non egit pœnitentiam viator, quando potuit, & debuit. Vnde ratio illa adducta in hoc verificatur, quòd talis perpetuò peccat, vel actualiter, vel habitualiter, & interpretatiuè manens in peccato sine vlla pœnitentia. Ad replicam respondetur, negando consequentiam, quia implicitè, & etiam explicitè peccat perpetuò, non obstante illo proposito pœnitendi, in quo magis includitur præsumptio diuinæ misericordiæ, & contemptus legis, ac iustitiæ, quam voluntas efficax satisfaciendi, ex qua nullus sequitur effectus, *Solutur. Propositũ inefficax pœnitendi nõ tollit perseuerantiam in peccato.*

ctus, supposito quòd nunquam fuerit reducta ad actum: potiùs enim concipitur ad extinguendum remorsum conscientiæ, & ad facilitandum ad peccatum committendum, quàm ex honestate pœnitentiæ: medium ergo erit, cupiditatis adimplendæ, & non solicitatio veræ pœnitentiæ.

53 *Secunda responsio.* *Alius est modus dicendi*, &c. Respondet ex doctrina Augustini citata in litera, pœnam esse perpetuam, non quòd aliàs ex iustitia, & secundùm mensuram non posset castigari peccatum per aliam temporariam, si Deus eam decerneret (quia nempe peccatum viatoris sic etiam castigari potest per satisfactionem præscriptam in via per completam, & adæquatam culpæ pœnitentiam: sic etiam Christus Dominus satisfecit per pœnã mortis, & passionis temporariam) sed quia persona est perpetua post mortem, & peccatum eius semper manet; sicut in politia mundana aliqua est culpa, quæ punitur dignè per pœnam temporariam, sine exclusione peccantis à vita ciuili, quæ etsi morte finiatur inde est quòd vita ipsius etiam finiatur, quæ si amplius duraret, maneret etiam persona exclusa à vita ciuili, ita in proposito peccatum mortale in termino meretur exclusionem à ciuitate superna perpetuam, quia vita ipsa exclusi, & peccatum eius manet perpetuum. Hanc doctrinam confirmat ratione, quia est possibile Deo ita punire debitum per pœnam temporariam intensiuè, & extensiuè commensuratũ culpæ, vt si personam statim annihilaret: ergo quòd pœna æterna sit, non est ex eo quòd æternitas sit per se de ratione pœnæ inquantùm æqualiter punitiua: sed propter æternitatem personæ, & peccati; & sic magis, inquit, erit plagarum modus secundùm modum delicti: quia per se requiritur intentio in pœna, extensio infinita sibi accidit ex causis prædictis, iuxta illud *vbi ceciderit lignum, ibi erit*, Eccles. 11.

Posse pœna temporaria ordinari peccatũ si fuisset statuta.

Perpetuitas pœnæ ex permanẽtia perpetua personæ in peccato & esse.

Exemplum morale.

54 Hæc vtraque responsio potiùs dat congruitatem cur ita statutum sit, quàm propriam causam assignet cur pœna sit æterna; cuius ratio est & causa, lex vniuersalis vindicatiua, & iusta; quæ prohibuit peccatum sub tali lege vt etiam respondet August. lib. 1. de fide contra Manichæos cap. 19. & sic etiam iustis retribuit pro merito temporali æternum præmium, vtriusque etiam æternitas in Scriptura exaggeratur per modum retributionis bonorum, & malorum. Math. 25. Marci 5. *In supplicium æternum.* Apocal. 14. *Fumus tormentorum ascendit in sæcula sæculorum.* Diuturnitas etiam aggrauat ipsam pœnam: vtraque ergo solutio tam Gregorij, quàm Augustini assignat congruitatem legis statutæ ex demerito peccatoris offendentis Deum, & contemnentis grauiter legem, quæ ducit in vitam æternam, quia hoc ipso quòd peccet, neque deinceps pœniteat, dum tempus constituitur, affectat peccatũ, pro quo sicut nulla est possibilis satisfactio in termino, iustè manet illi pœna etiam æterna ex lege. Deinde, quia & ipse peccans semper manet, & peccatum eius dignum est vt maneat pœna. Videatur Anselmus lib. 1. *Cur Deus homo cap.* 20. *& lib.* 2. *per totum.* Augustinus *lib.* 21. *de Ciuit. per totum.* Gregor. 15. *moral. c.* 4. *&* 9. *Dialog. cap.* 43. Cyprianus *de laudibus martyrij.* Origen. *homil.* 14. *in Iosuè. &* 18. *in Numer.* 14. *in Ezechielem.* & alij Patres, quos citat Coccius *lib.* 10. *art.* 8.

Perpetuitas pœnæ ex lege, & demerito.

Congruitas legis statutæ.

55 *Veritas fidei de æternitate pœnæ.* Pœnam hanc æternam fore est veritas fidei passim ex Scripturis. Deut. 32. *Iudith.* 16. *Iob.* 7. *Psal.* 10. *Prouerb.* 10. *Isaiæ* 13. *Matth.* 3. *&* 25. *Marci* 9. *secunda ad Thess.* 1. *secunda Petri* 2. *Apocal.* 14. 18. *&* 19. Eam tradunt Patres in prædicta loca, & omnes Doctores Catholici, definitur in VI. Synodo *Act.* 11. in Lateranensi sub Innoc. III. *cap. firmiter*; & eam supponit Trident. *Sess.* 6. *cap.* 14. *&* 15. *& sess.* 14. *cap.* 8. Fuerunt autem aliqui errores contrarij, qui negabant æternitatem pœnæ; qualis fuit error, qui dicitur Origenis, seu potiùs, vt alij volunt, Origenistarum, qui hunc errorem induxerunt. Vide Athanasium *de communi essentia Patris, & Filij. & Spiritus sancti.* Epiph. Aug. Theodoret. *de iisdem.* Alium errorem per calumniam Ruffinus attribuit Hieronymo *lib.* 1. *in ipsum* ex verbis, quibus in Isaiam lib. 5. per exaggerationem alloquitur Dæmonem. *Et si*, inquit, *omnes animæ aliquando habuerint requiem, tu nunquam habebis*, &c. Sed hoc per exaggerationem dictum est, non per assertionem: non defuerunt enim qui dixerunt animas damnatorum habere aliquam requiem à pœnis, quam sententiam in secunda parte suprà exclusimus. Cæterùm neque id concedit Hieronymus, vt patet *ad cap.* 30. *&* 66. *Isaiæ ad cap.* 1. *Threnorum, in Apologia contra eundem Ruffinum, Epistola ad Anisum. Epistola ad Pammachium: ad Ephes. super illud.* Nemo vos decipiat inanibus, verbis, &c. *Et super cap.* 3. *Ionæ.* Deinde, illo loco loquitur de pœnis Purgatorij. Alij dicebant pœnas eorum, qui fuerunt ante aduentum Christi desiisse, quia Christus descendens ad Inferos, eos liberauit. Alij docebant pœnas Principum, & tyrannorum fore perpetuas. Alij admittebant intermissionem pœnarum pro aliquo tempore, sed omnes hi errores sunt, & conuincuntur ex Scriptura, & Patribus, qui vniuersaliter, & sine exceptione loquuntur. Vt Isaiæ vltimo, *vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur*, &c.

Eximitur Hieronymus à calumnia.

Error quorumdam.

Aliqui decernunt ex natura rei deberi peccato mortali pœnam infinitam intensiuè, ita vt quantùm crescere possit, tantum etiam debeatur peccato. Ita Parisiensis *lib. de fide*, & Almainus 3. *moralium cap.* 29. quia mortale maius est in ratione mali omni pœna. Secundò, quia nulla satisfactio peccatoris adæquatur suo peccato: ergo potest plena satisfactio ab eo exigi. Tertiò, quia ex dignitate personæ offensæ crescit malitia peccati. *Sententia quorundam.*

Contrarium docent communiter Theologi, éstque Augustinus *in Psal.* 72. *& lib. de natura boni, cap.* 32. *&* 21. *de Ciuit. cap.* 11. vbi in ratione rei admittit peccatum magis damni inferre per pœnam peccatori, quàm commodi sit in ipso peccato in ratione rei: & patet ratione, quia malum quodcumque potest ordinari secundùm iustitiam à Deo: ergo satis correspondet pœna æterna, vi condigna secundùm quantitatem rei. Deinde, sequeretur omnia peccata esse æqualia, vt subiiciuntur debito, si vnum mereatur omnem pœnam imaginabilem. Deinde, peccatum non fundat debitum pœnæ, nisi damni, quod tantum est, quantum deperditur per peccatum, éstque finitum vt gloria; pœna etiam sensus nequit esse debita, nisi inquantùm proportionata delectationi inordinatæ, quæ finita fuit, & vna alia minor, & maior. Apocalyp. 19. *Quantum glorificauit se, & in delicijs fuit, tantum date ei tormentum, & luctum*, &c. Vbi illa correspondentia rei exprimitur inter tormentum, & delectationem. 56

Non deberi peccato mortali pœna infinita intensiuè.

Peccata non esse æqualia.

Pœna sensus & damni finita, & adæquata.

Deus

Deus etiam de facto accommodauit pœnam delicto secundùm iustitiam, quæ pœna finita est; neque aliter ei debetur pœna, nisi ex lege, ex qua redundat debitum formale: argumenta autem in oppositum vel concludunt idem de peccato veniali, vel nihil. Primum patet, quia etiam veniale est magis malum, quàm vlla pœna cùm propter fugiendam pœnam non sit committendum. Hic ergo peccati excessus supra pœnam, conuenit ei ex suo ordine, & specie, non ex intentione. Cæterùm peccato conuenit in genere pœnæ aliqua finita proportionata iuxta rigorem etiam iustitiæ adæquatam si infligatur. Dices, si Deus statueret legem de infinita pœna vt maior semper in infinitum cresceret, esset iusta: ergo talis deberetur peccato. Respondetur ex suppositione id verum esse, negatur tamen id fieri posse: quia diuina clementia & iustitia non excedunt mediocritatem rei secundùm latitudinem eius, ideóque non statuunt pœnam, neque statui potest à Deo excedens hoc medium, quamuis ex parte peccatoris, si daretur lex prohibens peccatum sub tali pœna, non esset repugnantia, quin iustè eam mereretur contemnendo legem.

Replica.

Soluitur.

Ad secundum, idem etiam patet de peccato veniali, qud Deus misericorditer remittit. Deinde, licèt nullam satisfactionem reconciliatiuam habere possit damnatus, habet tamen satispassionem, qua satisfit legi, dum pœnam legis patitur. Ad tertium similiter, peccatum veniale est offensa Dei, & legis, & sicut aliàs dictum est, peccatum licèt crescat ex dignitate personæ offensæ, tamen nequit in infinitum crescere.

u *Ad aliud dico*, &c. Tertium argumentum fuit ex eo, quòd punitio fiat ad correctionem: sed damnati non corripiuntur, aut corriguntur: ergo, &c. Respondet duplicem esse medicinam: curatiuam scilicet, & præseruatiuam: pœna corrigibili infligitur vt corripiatur, incorrigibili vt præseruentur alij, qui sunt in statu correptionis. Quòd autem neutro modo sit punitio curatiua, aut præseruatiua non repugnat iustitiæ, sed sufficit vt sit restauratiua ordinis, & ordinatiua peccati. 58

Ad tertium principale. Responsio. Pœna curatiua, & præseruatiua.

Ad quartum, & quintum patet ex litera.



DISTINCTIO XLVII.

De Iudicio extremo quantùm ad modum.

A OLET etiam quæri, Qualiter dabitur iudicij sententia? Sed non est perspicuum id explicare. Non enim Scriptura apertè definit an voce illa proferantur, *Venite benedicti:* & *Ite maledicti:* an virtute iudicis ita fiat, conscientiis singulorum attestantibus: vt modò dicitur futurum, vt iudicis potentiæ effectus ipsius dictione significetur. Illa etiam. *Esuriui, & non dedistis mihi manducare*, & huiusmodi, magis conscientiis exprimenda plurimi putant, quàm verbis: quia Apostolus in momento, & in ictu oculi mysterium consummandum tradit. Sed illud ad resurrectionis statum tantùm referunt, non ad iudicium: qui iudicij sententiam, & malorum increpationes, & bonorum præmia verbis exprimenda asserunt.

Mat. 25. d. Ibidem. 1. Cor. 15. g.

Quòd iudicabunt Sancti, & quomodo?

B NON autem solus Christus iudicabit, sed & Sancti cum eo iudicabunt nationes. [Ipse enim Apostolis ait, *Sedebitis & vos super duodecim sedes, iudicantes duodecim Tribus Israël.* Nec est putandum quòd duodecim Apostolis tantùm hoc promiserit Christus, vbi enim sedebit Paulus, qui plus omnibus laborauit, si non ibi sedebunt, nisi duodecim? Per duodecim ergo sedes perfectio tribunalis, id est, vniuersitas iudicantium intelligitur, scilicet omnes perfecti, qui relictis omnibus secuti sunt Christum. Per duodecim Tribus, vniuersitas iudicandorum.] Iudicabunt verò eos Sancti, non modò cooperatione, sed etiam auctoritate, & potestate. Vnde, Gladij ancipites in manibus eorum, id est, sententia de bonis, & malis in potestate eorum. Si verò quæritur, quæ erit eorum potestas, vel auctoritas in iudicando?

Aug. li. 20. de Ciu. Dei, cap. 5. Sapien. 3. b. Mat. 19. d. De duodecim sedibus. 1. Cor. 15. b. Matth. 19. & in glossa ibidem. Mar. 10. d. al. Ergo omnes.

do? Puto non antè posse sciri, quàm videatur, nisi diuina reuelatione quis didicerit.

De ordinibus eorum qui iudicandi erunt,

Psal. 149. Super Iob, cap. 36. lib. 26. c. 24. ERVNT autem quatuor ordines in iudicio. [Duæ quippe sunt partes: electorum scilicet, & reproborum, vt Gregorius in Moralibus ait. Sed bini ordines eisdem singulis partibus continentur. Alij enim iudicantur, & pereunt: alij non iudicantur, & pereunt. Alij iudicantur, & regnant, alij non iudicantur, & regnant. Iudicantur, & pereunt, quibus Dominica Mat. 25. c. inclamatione dicetur, *Esuriui, & non dedistis mihi manducare*, &c. Non iudi- Ioan. 3. c. cantur, & pereunt, quibus Dominus ait, *Qui non credit, iam iudicatus est.* Eorum enim damnatio toti Ecclesiæ nota est, & certa: & ideò dicuntur tunc non iudicari, quia ad conspectum districti Iudicis cum aperta damnatione suæ Iacob. 2. c. infidelitatis accedent. Qui verò professionem fidei sine operibus habent, iudicabuntur, & peribunt, id est, redarguentur vt pereant. Qui verò nec fidei Sacramenta tenuerunt, increpationem Iudicis in se fieri non audient: quia infidelitatis suæ tenebris præiudicati, eius quem despexerant, inuectione redargui non merentur. Isti autem saltem verba iudicis audient, qui eius fidem saltem verbo tenuerunt. Illi autem in damnatione sua æterni Iudicis, nec verba percipient, qui eius reuerentiam, nec verbotenus seruare voluerunt: & ideò illi iudicandi, sed isti non iudicandi dicuntur. Ex Ibid. c. 25. electorum verò parte alij iudicantur, & regnant, scilicet qui vitæ macu- Prou. 3. a. Mat. 25. c. las lacrymis tergunt, & eleemosynarum superinductione operiunt: quibus Iudex veniens in dextra consistentibus dicet: *Esuriui, & dedistis mihi manducare.* Alij autem non iudicantur, & regnant, qui etiam præcepta legis perfectione virtutum transcendunt: quia non hoc solum, quod lex præcipit, implere contenti sunt, sed & quod ad perfectionem consulitur, Esaiæ 3. c. implere student. De quibus Propheta ait: *Dominus ad iudicium veniet cum* Prou. vlt. c. *senatoribus populi sui.* Et Salomon de Ecclesiæ sponso loquens, ait, *Nobilis* Iob 36. a. *in portis vir eius, quando sederit cum Senatoribus terræ.* Et Iob ait, *Non saluat* Mat. 19. c. *impios, & pauperibus iudicium tribuit.* Hi ergo rectè sub generali iudicio non tenentur, sed iudices veniunt: quia & præcepta generalia viuendo vice- Sap. 5. a. runt, & omnibus relictis Christum secuti sunt. Rectè pauperibus iudicium tribuit: qui quantò huic mundo magna humilitate despecti sunt, tantò Apoc. 3. d. tunc maiori culmine potestatis excrescent. De talibus dicitur: *Qui vicerit,* Greg. ibid. c. 26. *dabo ei sedere mecum in throno meo: sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in* Ibid. c. 27. *throno eius.* Vincens Dominus cum Patre, in thono sedit: quia post passionis certamen, & resurrectionis palmam; quod Patri esset æqualis, omnibus claruit. Nobis verò in throno Filij sedere, est ex eiusdem Filij potestate iudicare. Quia enim iudicandi principatum ex eius virtute percipimus, quasi in throno eius residemus.] Ex his apparet quòd etiam perfectiores Sancti cum Christo iudicabunt potestate: & quare quidam dicuntur iudicandi, alij non iudicandi.

C

De

De ordine iudicij, & ministerio Angelorum.

D CVM autem in Euangelio legatur, quòd Dominus mittet Angelos suos, qui colligent de regno eius omnia scandala, & mittent iniquos in caminum ignis. Et item, *Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis.* Et iterum, *Mittet Angelos suos cum tuba, & congregabunt electos à quatuor ventis.* Et cùm Propheta dicat, *Congregate illi sanctos eius.* Ministerio Angelorum illa impleri dubitandum non est: Domino enim veniente ad iudicium, præcedet ante eum ignis, quo comburetur facies mundi huius: & peribit cælum & terra, non secundùm substantiam, sed secundùm speciem, quæ immutabitur: cælum quidem aëreum, non æthereum. Tantum enim ascendet ignis in iudicio, quantum ascenderunt aquæ in diluuio. Ille autem ignis malis, qui reperti fuerint viui, erit consumptio; bonis verò, non, vt ait Augustinus. [Hoc erit incendium mundi Sanctis, quod fuit caminus tribus pueris. In quibus si aliquid purgandum fuerit, per illum ignem purgabitur. Aliis verò nullam ingeret molestiam. Purgato verò per ignem mundo, & ad iudicium veniente Domino, emittetur vox illa magna, qua resurgent omnes mortui: & tunc ministerio Angelorum ventilabitur area, quia boni congregabuntur ibi de quatuor partibus mundi Angelico ministerio: quo & rapientur obuiam Christo in aëra, reprobis in terra, quam dilexerunt remanentibus. Et tunc præconia illa bonorum (*Esuriui, & dedistis mihi manducare*: & increpationes illæ malorum, *Esuriui, & non dedistis mihi manducare*, &c.) proferentur, vel sono vocali, vel alio modo. Denique proferetur sententia super vtrosque, *Venite benedicti*: & *Ite maledicti*, &c. Et ministerio Angelorum virtute Dei cooperante, mittentur mali in caminum ignis, hoc est, in Infernum.

Matt 13.f. Ibid.f. Mat.24.c. Psal. 49. De Ciuit. Dei, lib.20. cap.18. Dan.2.g. Marci 3. Luc.3.d. 1.Thess.4.d Mat.25.c. Mat.25.g. Idem 13.f.

Si post iudicium dæmones præerunt hominibus ad puniendum.

E ET solet quæri, vtrùm in Inferno malis ad puniendum præsint dæmones post iudicium, quos carnifices, tortoresque animarum Scriptura appellat? Apostolus dicit, quòd Christus tunc euacuabit omnem principatum, & potestatem, & virtutem. [Dum enim durat mundus Angeli Angelis, dæmones dæmonibus, homines hominibus præsunt. Sed omnibus collectis, iam omnis prælatio cessabit.] Hinc quidam putant, post iudicium dæmones non habere potestatem cruciandi homines, sicut modò. Sed vt dæmones virtute Dei cruciari sine creaturæ ministerio asserunt, sic reprobos homines ibi non per operationem dæmonum, sed virtute diuina tantùm æternis subiici cruciatibus. Præmissa tamen auctoritas non id cogit sentire: quæ etsi asserat tunc nec dæmones dæmonibus, nec homines hominibus præesse, non definit tamen an dæmones præsint hominibus ad torquendum. Vnde quibusdam videtur, eos sic extare hominibus tortores in pœna, sicut extiterunt incentores in culpa.

Eccl.39.d. 1.Cor.15.d. Haymo super 1.Cor.15. Beda circ. 6. Esdra c.2.

QVÆSTIO I.

Vtrùm vniuersale iudicium sit futurum?

Alensis 3.*part.quæst.*25.*m.*4. D.Thom. 3.*part.quæst.*59.*art.*5. *& hîc quæst.*1.*art.*1. Richard. *art.*1. *quæst.*1. D.Bonau. *disp.*1.*quæst.*3. *& per totum.* Durand. *quæst.*1. Argent. *d.*48.*quæst.*1.*art.*3. Suar. 3.*part.tom.*2. *disp.*53.*sect.*1. Latè Coccius 2.*tom.lib.*10.*art.*5.



Arg. 1. CIRCA istam distinctionem [a] quæro primò: Vtrùm vniuersale iudicium sit futurum? Quòd non, Ioan.12. *Nunc iudicium est mundi.* 1

Arg. 2. Præterea, Nahum primo, *Non puniet Dominus bis in idipsum.*

Arg. 3. Item, Augustinus ad Hesichium, *In quo quem inuenerit vltimus eius dies, in eo inueniet eum vltimus sæculi dies.* Ex his omnibus cum hac addita iudicium vniuscuiusque est, quando moritur, sequitur quòd nullum aliud iudicium expectetur. *In epistola de die iudicij.*

Hoc etiam probatur ratione, quia sententia non demandatur executioni, nisi post iudicium, quia frustrà sequeretur iudicium post executionem sententiæ: sed damnati erunt damnati ante diem iudicij, & beati beati: ergo executio fieret ante iudicium illius sententiæ, quæ tunc esset ferenda: ergo tunc fieret frustrà iudicium.

Arg. 4. Præterea, in Psal. 1. *Non resurgent impij in iudicio.*

Arg 5. Præterea, Matth.19. dicit Christus Apost. *Sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israël:* Ergo Apostoli non iudicabuntur. Et pro hoc est Gregor.*Mor.*26. *& ponitur in litera d.*47. quòd in iudicio erunt quatuor ordines, vnus illorum, qui iudicabunt, & non iudicabuntur. *Cap.*20. *super illud Iob* 36. Iudicium pauperibus tribuit.

Rat. ad op. Oppositum, August.20 de Ciuit.Dei, cap.21 loquens de fine libri Isaïæ, *Permittit*, inquit, *ipse Propheta fines Ecclesiæ, ad quos per vltimum iudicium, facta Beatorum malorúmque discretione, venient.* vbi pertractat diffusè illa verba Isaïæ vlt. *Veniet omnis caro in conspectu meo adorare in Ierusalem, & egredientur, & videbunt membra hominum, qui præuaricati sunt in me*, vtens translatione septuaginta Interpretum, qua & communiter vtitur; & in fine subdit: *In bonis* caro, *in malis* membra, *vel* cadauera *nominantur profectò post resurrectionem carnis, cuius fides his rerum vocabulis omnino firmatur, illud, quo boni, & mali suis finibus dirimentur, futurum esse iudicium declaratur.* 2

COMMENTARIVS.

IN hoc & sequenti distinctione agitur de iudicio vniuersali, & extremo, & iis quæ circa locum, tempus, & modum succedent; in hac autem Doctor agit de Iudicio, an fiet, & de loco eius duabus quæstionibus, quarum prima est de ipso iudicio; secunda de loco Iudicij. *Ordo & diuisio.*

[a] *Circa istam distinctionem,*&c. Diuiditur quæstio in quatuor articulos, in primo agitur de acceptione varia nominis. In secũdo verò de veritate rei, respondetur quæsito principali. In tertio de præuiis ad iudiciũ in quarto de modo iudicij & discussione causæ, & de loco in quo exercebitur, deinde respondet ad Argumenta principalia. *Diuisio quæstionis.*

SCHOLIVM.

Ponit varias acceptiones iudicij, *& quantùm ad præsens spectat, describit illud sic: Iudicium est completa & authentica determinatio reddendi alicui secundùm merita.*

Quid iudiciũ & quotupliciter dicatur. [b] RESpondeo, *Iudicium* generaliter accipitur pro quacunque certa notitia, & illo modo sensus etiam distinctè apprehendens obiectum, vel distinguens obiectum ab obiecto, vbi requiritur fortè magis distincta apprehensio, dicitur iudicium. Vnde secundo de Anima dicitur sensus communis iudicare de sensibilibus diuersorum sensuum. Alio modo *iudicium* dicitur certa apprehensio intellectualis, etiam quæcunque; & hoc modo definitiua cognitio de aliquo potest dici iudicium de veritate illius, iuxta illud 1. Ethic. *Vnusquisque benè iudicat quæ cognoscit, & hic est bonus iudex.* Adhuc magis propriè dicitur de vero aliquo complexo, quia secundùm Augustinum 3.de lib.arbitr. *Nullus iudicat de regulis æternis, sed secundùm eas de aliis*; ergo iudicium est certa apprehensio de aliquo per aliud: omne verum complexum apprehenditur esse verum per aliud, quia si est immediatum, adhuc iudicatur verum per rationes terminorum, secundùm Philosophum 1.*Posteriorum*, principia cognoscimus inquantùm terminos cognoscimus. *Text.*145. *& inde.* *Cap.* 3. *Text.* 6. 3

Adhuc

Adhuc magis propriè dicitur de vero complexo, quod est conclusio, quia de conclusione iudicatur nedum per terminos, sed per principia. Adhuc magis specialiter dicitur de conclusione practica quàm speculatiua: quia iudicium est dictamen intellectus practici consonum iustitiæ iustitia, autem non respicit speculabilia, sed operabilia.

Iudicium strictè, conclusio practica.

4 Adhuc specialiùs, cùm lex non tantùm determinet agenda, & fugienda, sed determinet reddenda præmia benè meritis, & supplicia malè meritis, vt, ex amore præmiorum alliciantur ad benè agendum, & ex timore pœnarum, vel suppliciorum retrahantur à malè agendo: magis propriè iudicium accipitur determinatio certa de præmijs, vel suppliciis reddendis quàm de alijs veritatibus practicis. Illas autem veritates licèt quilibet possit ex principijs practicis elicere, & sic quasi ratiocinando iudicare: tamen adhuc strictius iudicium accipitur prout pertinet ad habentem auctoritatem determinandi, iuxta illud Extra. de sententiis: *Sententia à non suo iudice lata nulla est.*

C. si non à compet. l. 1. 2. & vlt. idē de reg. iur. in 6.

Ergo completissima ratio iudicij stat in hoc, quòd est completa determinatio, & authentica reddendi alicui secundùm merita sua, *Completa,* inquam, quia includit determinationem firmam intellectus, & determinationem voluntatis efficacem, hoc est voluntatis potentis, & intendentis secundùm determinationem intellectus retribuere. Et hoc est quod specificatur per illud, *authentica,* quia per hoc intelligitur quòd sit illius, qui secundùm voluntatem suam efficacem, potest determinationem intellectus, & determinationem voluntatis perducere ad effectum.

Descriptio iudicij specialissimè sumpti.

Ex hoc apparet diuisio iudicij in genere in approbatiuum, & condemnatiuum. Nam iudici possunt esse manifesta aliqua, ex quibus sequitur in particulari illum esse præmiandum, puta quia benè meruit; vel puniendum, quia malè meruit: & prima sententia est approbatiua, secunda condemnatiua: iuxta ista quandoque in nobis feruntur duæ aliæ sententiæ, puta si pro aliquo proponantur digna merito, & iudex inueniat proposita non esse vera: sequitur sententia repulsiua à præmio. Similiter si contra aliquem proponantur aliqua digna supplicio, & inueniantur non esse vera: sequitur sententia absolutiua, seu absoluens, puta talem coram nobis accusatum pronunciamus innocentem.

Diuisio iudicij.

COMMENTARIVS.

Art. primus. Acceptiones Iudicij varia.

2 [b] RESpondeo iudicium generaliter, &c. Exponit septem acceptiones *iudicij*, Prima est, qua accommodatur operationi sensus magis distinctæ 2. *de Anima, & text.* 145. dicitur sensus communis iudicare. Secundo modo sumitur pro cognitione certa intellectiua 1. *Eth. cap.* 3. Certitudo magis propriè est in intellectu: & ita hæc acceptio est strictior, quia excludit illusionem, & errorem; Tertio, sumitur strictiùs pro cognitione complexa, & vera per aliud. Augustinus *in* 3. *de libero arbitrio.* Hæc acceptio est specialior quàm secunda: quia sumitur *iudicium* vt distinguitur ab apprehensione, & prout comprehendit assensum per causam vt principij per terminos; conclusionis per principium. Quartò, sumitur strictiùs pro conclusione, cui quis assentitur per causam. Quinto modo sumitur pro conclusione practica consona iustitiæ, seu rectitudini. Sextò sumitur specialiùs pro determinatione legis quoad bona, & mala, præmiū & pœnas. Vltimò tandem sumitur pro determinatione eius, qui habet authoritatem, & prout est exercitium ipsius authoritatis, & definitur sic;

1. Accept. 2. Accept. 3. Accept. 4. Accept. 5. Accept. 6. Accept. 7. Accept.

Iudicium est completa determinatio, & authentica tradendi alicui secundùm merita sua, &c. Dicitur *completa*, quia includit firmam determinationem ex parte voluntatis potentis, & volentis secundùm determinationem intellectus retribuere. Additur *authentica* vt ostendatur authoritas, & potestas coactiua, & retributiua. reliqua designant materiam, circa quam, vt bonū, vel malum opus. Diuidit autem iudicium hoc modo sumptum ad propositum quæstionis, in approbatiuum, & condemnatiuum, in expulsiuum, & absolutiuum.

Descriptio iudicij strictè sumpti. Declaratur.

Est triplex approbatiuū, & absolutiuum, & expulsiuum.

SCHOLIVM.

Futurum esse vniuersale iudicium, habetur ex tribus Symbolis, ex Matth. 11. *&* 12. *ex* 1. *ad Thessal.* 2. *ex* 1. *Petr.* 3 *ex Sophon.* 1. *pro quo alia multa citant Aug.* 20. *Ciuit.* 5. *& Damasc. lib.* 1. *Parallelorum cap.* 5. *Chrysost. hom.* 46. *& quatuor seqq. pro hoc adducit Doctor quatuor congruentias optimas. Vide D. Thom.* 3. *part. quæst.* 59. *art.* 5. *& Coccium suprà citantem multa loca Scripturæ, & PP. Græcorum, & Latinorum.*

5 [c] DE secundo dico, quòd propriè accipiendo *iudicium*, & secundùm vtrumque membrum diuisionis, erit iudicium generale. Ad quod non potest haberi

 demonstratio,

Dist. 43. demonstratio, quia minùs notum est quàm resurrectio: & tamen (vt dictum est suprà) resurrectio demonstrari non potest.

Congruitas iudicij generalis quadruplex. Sed ponuntur ad istud quatuor congruentiæ. Prima talis, quia congruum est finaliter separari omnes malos ab omnibus bonis. Non enim malus communicat cum bono, nisi vel ad hoc *vt malus corrigatur, vel vt bonus per eum exerceatur*, secundùm illud Augustini super Psalm. *Nunc autem veniet finalis determinatio, vbi nec vltrà boni exerceantur, nec mali corrigantur:* ergo congruum est ferri finaliter generalem sententiam: ergo & generale iudicium, vt separatio illa generalis appareat iusta. *Aug. super Psal. 54.*

Secunda congruentia, quia in secretis iudiciis, quæ fiunt circa singulas personas: licèt sit iustitia, non tamen omnibus manifesta: rationabile est ergo quòd Deus habeat aliquod iudicium generale, in quo manifestetur sententia, vel iustitia quam exercuit in iudiciis particularibus. Tertia congruentia, sicut res sunt à primo efficiente, ita reducuntur in primum vt in finem: sed præter speciales exitus rerum à Deo per illam operationem, de qua dicit Saluator Io. 5. *Pater meus vsque modò operatur, & ego operor.* Fuit vnus exitus vniuersalis in prima rerum creatione: ergo à simili præter singulares reductiones congruit esse vnam finalem reductionem in finem suum, & per consequens ad hoc, vnam finalem sententiam discretiuam, quia mali non reducuntur.

Quarta, & est melior, quia præter hoc, quòd vnusquisque adscribatur regno, vel carceri, tota multitudo præuisa ad regnum debet aliquando determinari ad possidendum illud, & tota alia multitudo relinqui carceri, vt sic sit sequestratio duarum familiarum, seu duarum ciuitatum, sicut tractat Augustinus per totum de Ciuitate Dei. Licèt ergo singulariter nunc iste, nunc ille, adscribatur regno, nunc iste, nunc ille carceri; tamen congruum est aliquod iudicium generale, per quod tota multitudo præuisa ad regnum, mittatur in possessionem regni, & tota alia relinquatur carceri.

COMMENTARIVS.

3 *Art. 2. Futurum iudicium vniuersale. Probatio ex Scriptura.* c DE *secundo dico*, &c. Hîc statuit conclusionem fidei, quæ passim ex Scripturis occurrit *Iob.* 31. *Eccles.* 12. *Sap.* 5. *Isaiæ* 3. 13. 66. *Ierem.* 23. *Danielis* 7. *Ioël.* 2. *&* 3. *Sophon.* 1. *Zachar.* 14. *Malach.* 3. *&* 4. *secundi Machab.* 7. *Matth.* 12. 24. 25. *Ioan.* 5. *Act.* 10. *&* 17. *ad Rom.* 14. *prima ad Corinth.* 15. *secunda Petri* 2. *&* 3. *Apocalyp.* 20. *Ex Symbolis.* Patet ex Symbolo Apostolorum, Constantinop. & Athanasij, *Ex Patribus.* Clement. Rom. *lib.* 3. *&* 9. *Recognitionum*, Iustin. *oratione ad Gentes, & lib. de Monarchia Dei*, Theophil. Anthiochen. *lib.* 2. *ad Antilochum*, Athenagor. *legatione pro Christianis.* Hippolytus Martyr *oratione de consummat. mundi*, Origen. *hom.* 9. *in diuersis lib.* 9. *in cap.* 14. *ep. ad Rom. & lib.* 2. *in cap.* 2. Athanasius *de humanitate Verbi*, Cyrillus Ierosl. *Catechesi.* 4. *&* 15. Nazianz. *in Iambico*, Chrysost. *hom.* 47. *ad populum Antiochenum, & hom.* 5. *ad Rom. &* 2. *de pœnit.* Cyrill. Alex. *orat. de exitu animæ, & secundo Christi aduentu.* Damascenus *lib.* 4. *fidei orth. cap.* 28 *& orat. de defunctis*, Tertull. *de præscript. aduersus hæres. cap.* 13. *de testimonio animæ, cap.* 4. *de spectaculis, cap.* 30. Cyprian. *ad Demetriadem.* Lactantius *lib.* 7. *Instit. cap.* 1. 19. *&* 20. Hilar. *can.* 28. *in Matth.* Ambros. *de fide resurrectionis.* Hieronym. *ad cap.* 30. *Ezechielis, & locis citatis suprà: epistola etiam ad Heliodorum.* Augusṫ. *de Ciuit. Dei, lib.* 20. *cap.* 21. *&* 30. & reliqui posteriores, qui omnes legi possunt apud Coccium *lib.* 10. *art.* 5.

In primis Doctor asserit hanc veritatem non posse demonstrari, sicut neque resurrectio, ratione scilicet naturali, & necessaria. Probat eam ratione morali, primò, quia congruum est finaliter separari bonos à malis: quia non communicat bonus cum malis, nisi ad hoc *vt corrigatur, vel vt bonus per eum exerceatur*, &c. Iuxta August. & eandem congruentiam tradit super Psalm. 54. *Nunc autem venit finalis determinatio, vbi nec vltra boni exerceantur, nec mali corrigantur.* &c. Hanc rationē habemus ex similitudine pastoris segregātis oues ab hœdis *Matth* 25. vt in parabola tritici & zizaniorū, & in parabola ventilantis areā. 4 *Probatio à ratione.* *August.*

Secunda ratio est ad manifestationem iudicij secreti publicè, quam assignat Apostolus *ad Rom.* 14. *&* 2. *ad Corinthios* 5. *2. Ratio.*

Tertia ratio est ex correspondentia principij, & finis per finalem & generalem sententiam, in qua omnia reducuntur ad exitum, sicut in creatione ad ortum. *3. Ratio.*

Quarta ratio est, quia iudicium particulare quod fit de quolibet est iudicium secundùm legem de hoc, & illo; sed lex exigit vt fiat iudicium publicum, & commune de tota multitudine ad quam ipsa lex primò dirigitur, ac proinde separatio incolarum vtriusque ciuitatis Dei, & Babylonis per inscriptionem publicam, quæ omnibus sit nota, & per quam, qui adscripti sunt regno, recipiant possessionem; qui verò pœnis, & carceri, damnationem per publicam sententiā, & discussionē. Aliæ rationes adduci possunt ex fine resurrectionis, prout *d.* 43. differitur. *4. Ratio.*

SCHOLIVM.

Omnium merita & demerita in iudicio propalabuntur. Ita omnes cum D. Bonauen. d. 43. art. 2. quæst. 2. & 3. D. Thom. q. 3. art. 2. & 3. Rich. art. 7. q. 2. Anselm. l. de similitud. &

litud. & in Elucidario. Auguſt. lib. Medit. cap. 4. Hug. Vict. 3. de anima cap. 23. & colligitur, ex Matth. 25. Apocal. 20. Dan. 7. Eccleſ. vlt. & 1. Cor. 4. & Doctor explicat varios modos, quibus hæc omnia ſingulis innoteſcere poſſunt, in tempore, vel quòd in inſtanti, innoteſcere poſſunt miraculosè. An verò ſententia ſit futura mentaliter, vel vocaliter, Doctor reſoluit. Videtur quòd ſingulares ſententiæ ſingulorum (quæ tamen omnibus innoteſcent) ferentur mentaliter, & ſic ferri poſſunt in inſtanti: generalis tamen ſententia feretur vocaliter, vt vult Anſelm. in Elucidario, Abul. in Matth. 25. quæſt. 333. & communis hîc, & conſequenter feretur in tempore, tam ex parte ſententiantis, quàm ex parte ſententiandorum.

6 [d] DE tertio. In illo iudicio aliquid erit præuium, videlicet innoteſcentia meritorum, vel demeritorum, propter quæ feretur ſententia talis, vel talis: & aliud completiuum, ſcilicet latio ſententiæ, & executio illius, licèt poſſint diſtingui latio, & executio.

Primum dubium eſt, an fiat in tempore, vel inſtanti, & ſi in tempore breui, vel non breui. Poſſibile quidem eſt quòd merita ſingulorum omnia ſingulis innoteſcant, ita quòd ſit miraculum ex parte oſtenſionis: tamen ſi dimittatur vnuſquiſque intellectus ſuo modo intelligendi naturali, tunc in tali oſtenſione requireretur magnum tempus ad intelligendum merita ſucceſſiuè, primò iſtius, ſecundò illius, & ſic de ſingulis. *An Iudiciũ vniuerſale fiet in inſtanti.*

Secundò poſſibile eſt, quòd vnicuique manifeſtentur merita, vel demerita propria in ſpeciali, & merita, vel demerita aliorum in generali, & hoc dupliciter. Vel ſic, quòd ſingulas perſonas conſideret, tamen hanc, vt iuſtam, & præmiandam propter merita eius in generali concepta: & illam, vt iniuſtam, & puniendam propter demerita eius concepta in generali. Vel alio modo, non ſingulas perſonas concipiendo in ſpeciali, & merita eorum in generali: ſed tam perſonas quàm merita in generali, vtpote concipiendo omnes relictos in terra eſſe reprobos, & iuſtè condemnandos: omnes autem raptos Chriſto obuiam in nubibus, eſſe iuſtos, & præmiandos: & iſtorum primum requireret magnam ſucceſſionem: quia conſideratio ſigillatim ſingularum perſonarum, licèt ſine conſideratione ſingulorum meritorum, non poſſet fieri ſubito à communi intellectu creato ſine miraculo. *Quibus modis ſingulis in iudicio innoteſcere poſſunt omniũ merita, & demerita.*

Tertio modo in generali, vel quarto in ſpeciali poſſibile eſſet per potentiam diuinam non tantùm manifeſtantem, ſed creantem actum, vel actus cognoſcendi, & intellectiones diſtinctas omnium meritorum, & hoc omnium perſonarum ſimul in quocunque intellectu: quia quæcunque non repugnant formaliter, & poſſunt ſucceſſiuè recipi in aliquo, abſoluta potentia diuina poſſunt ſimul recipi in eodem. Et ſi iſtud vltimum ponatur, tunc illud præambulum non oportet eſſe, niſi in inſtanti: ſequens, ſcilicet ipſa ſententia lata, ſi proferatur vocaliter: erit in tempore, ſi tantùm mentaliter poterit eſſe in inſtanti; non tantùm quantùm ad Chriſtum proferentem, ſed etiam quantùm ad illos, pro quibus, vel contra quos, ſententia proferetur; quia poſſet facere eos in inſtanti concipere ſententiam talem, vel talem. *De potẽtia abſoluta omnium geſta innoteſcere poſſunt ſimul ſingulis in iudicio.*

COMMENTARIVS.

5 [d] DE *tertio in illo iudicio*, &c. Hîc explicat formam iudicij vniuerſalis quantùm ad cognitionem cauſæ, & ipſam ſententiam terminatiuam eius; & dicit primò quòd omnia merita, & demerita erunt nota. Dubium eſt, an omnibus in genere hæc notitia ſit communicanda, vt ſinguli omnium opera hominum, & Angelorum cognoſcant. Negat Durandus *in hac d. q. 2.* id eſſe neceſſarium ſicut & Paludanus *q. 1. art. 2.* contrarium docent D. Bonauentura *in d. 43. art. 3.* D. Thomas *ibidem q. 1. art. 3. q. 3.* Richard. 4. *& in d. præſenti art. 1. q. 3.* & alij. Doctor autem oſtendit quòd ſit poſſibile, & non quid fiet, primò dicit poſſibile eſſe vt ſingulorum merita innoteſcant ſingula ſingulis, & de aliis operibus peccati: poteſt autem contingere duobus modis. Primò, vt oſtenſio ex parte obiecti, aut medij ſit ſupernaturalis; modus autem cognoſcendi ex parte intellectus ſit naturalis; ita vt non omnia, oſtenſa ſimul cognoſceret, ſed ſucceſſiuè ſecundùm capacitatem virtutis creatæ intellectualis, quæ nequit in omnia ſimul eliciendo tot actus perfectos, & diſtinctos, ſed aliquos determinatè. Alio modo contingere poteſt, ſi Deus producat ſeipſo intellectiones tam perſonarum quàm operum, prout ipſi poſſibile eſt cùm non excedunt numerum finitum.

Art. 3. De forma Iudicij.

Cognitio cauſa.

An omnium merita & demerita patebunt ſingulis? Poſſibilitas huius cognitionis.

Primus modus.

2. Modus.

6 Alius modus eſt poſſibilis, nempe vt vnicuique ſua opera manifeſtentur in ſpecie, & numero; opera verò aliorum in generali, ſiue cognoſcat perſonas tantùm in generali, ſiue in particulari: in generali, inquam, ex ſitu, & loco, & habitu, vt quòd conſtituti in terra, & à ſiniſtris

sint pœnæ destinati; constituti in aëre sint etiam destinati præmio, propter merita; quid autem horum sit futurum non decernit: sed in sequenti articulo dicit secundam sententiam esse magis conformem Euangelio. Prior forma iudicij videtur insinuata *Matth.* 25. in quo declaratur sententia vniuersalis respectiuè ad eos qui erunt à sinistris, & causa in genere exprimitur, & idem de iis, quæ erunt à dextris.

Secunda sententia est preferenda.

Verùm alia forma, quam tenet secunda sententia, videtur exponi *Danielis* 7. *Apocal.* 20. *ad Corinth.* 4. *Ioël.* 3. Et congruentiæ, quæ probant iudicium generale futurum id ipsum confirmant, vt omnes Dei iustitiam cognoscant publicè per discussionem causæ, eiúsque notitiam. Dubium autem quomodo hæc cognitio fiet, an in instanti, an in tẽpore, res omnino est incerta, probabile est fore partem in tempore per vocem sensibilẽ, qua reprehendantur aliqua peccata, & laudentur opera aliqua: partim etiam fieri mentaliter, vel si vtrumque fiat in tempore, illud erit breue: nam de hoc nihil certi colligi potest ex Scriptura.

Cognitio causæ an in instanti, an in tempore?

SCHOLIVM.

Relinquit vt incertum cum Augustino 20. ciuit. cap. 1. quandiu durabit iudicium, verisimilius tamen est quòd disceptatio, & sententiatio erunt sensibiles, & consequenter in tempore, sed breuissimo, ex Malach. 3. Ero testis velox maledicis, & adulteris, &c. *vt notat Augustinus 20. ciuit. 26. & tenet communis hîc. Locum iudicij, esse vallem Iosaphat tenet communis (non tamen est certum) ex Ioële, quem Doctor citat. ita D. Thom. dist. 48. quæst. 1. art. 4. & quodlib. 10. art. 2. D. Bonauentura ibi dub. 1. Albert. ibi art. 8. Paludanus hîc quæst. 1. art. 1. Anton. 4. part. tit. 14. cap. 11. §. 5. & alij. Vide Suarez tom. 2. in 3. part. disput. 53. sect. 3.*

[e] DE quarto, si erit ibi disceptatio vocalis, vel prolatio sententiæ vocalis, 7
erit in tempore: si autem erit in instanti, oportet quòd vtrumque sit tantùm mentale, & eius possibilitas iam dicta est. Vel quod magis videtur consonare Euangelio, quòd disceptatio erit vocalis, & prolatio sententiæ, siue illa disceptatio manifestetur singulis subitò, vel in paruo tempore, vel in magno.

Matth. 25. Nic. de Lyra sup. 3. Ioel & 1. ad Thess. 4. D. Thom. hîc. art. 2. q. 2. De loco Iudicij.

[f] De loco autem dicunt aliqui quòd erit in valle Iosaphat secundùm illud Ioëlis 3. *Adducam omnes gentes in vallem Iosaphat.* Sed planè vult Apostolus prima Thes. 4. Quod *boni rapientur obuiam Christo in aëra:* mali relinquentur in terra, & boni non erunt in valle Iosaphat: mali fortè erunt ibi, vel in circuitu in tanto loco quantus poterit eos capere. Fortè etiam coniicitur ab aliquo, quòd Iudex descendet inferiùs in aëre, in quo fuit in transfiguratione, vel in quo transfiguratus est coram Apostolis, in qua transfiguratione ostendit signum gloriæ futuræ.

COMMENTARIVS.

7 *Art. 4. An fiet disceptatio vocalis.*

[e] DE *quarto sibi erit*, &c. Magis inclinat disceptationem fore vocalem, & sententiam, siue disceptatio illa manifestetur singulis, vel in paruo tempore, vel in magno; nam in hoc illud supponendum est, perfectam iudicij formã esse seruandam, quæ variis modis fieri potest à diuina sapientia, & potentia inquantùm requiritur quoad manifestationem iustitiæ, & solemnitatem discussionis, & capacitatem creaturæ iudicandæ; modum autem certum determinare non expedit sine fundamento. Illud quidem certum est, iudicium fore visibile, & publicum, quantùm ad discussionem, & sententiam, Reliquum patet tantùm coniecturis desumptis ex forma Iudicij publici, & capacitate iudicandorum, & manifestatione operum congrua.

8 *De loco Iudicij.*

[f] *De loco autem*, &c. Locum Iudicij plures interpretantur esse vallem Iosaphat inter Ierosolymam, & Montem Oliueti *ex Ioël.* 3. ita Albertus *in* 4. *d.* 48. *art.* 8. D. Thom. *d.* 40. *q.* 1. *art.* 4. *q.* 4. Paludanus *in hac d. q.* 1. *art.* 2. & alij. Alij per *vallem Iosaphat* intelligunt terram, quæ vallis est respectu cœli, ita vt idem sit *Vallis Iosaphat* ac Vallis iudicij Domini, Glossa ordinaria, Magister *in* 4. *d. sequenti*, & Anselmus *in Elucidario* cuius illa est interpretatio, & ratio ad hoc adducitur; quia vallis illa est minor, quàm vt tota multitudo iudicandorum exigat. Doctor autem dicit primò ex Apostolo 1. *ad Thess.* 4. electos, & Iudicem in aëre fore constitutos, & priorem interpretationem ita intelligi debere vt vallis Iosaphat ponatur pars pro toto, ita vt damnati, & ibi, & in locis circumiacentibus in terra consistant. Coniici etiam potest Iudicem fortè ad inferiorem regionem aëris descensurum, in qua fuit transfiguratus, vel thronum iudicij statuendum supra vallem Iosaphat, & inde denominari hunc locum exercendi iudicij à sessione Iudicis.

Varia sententia.

Iudex & electi in aëre erunt.

QVÆSTIO

SCHOLIVM.

Circa vltimum argumentum ex Greg. Qui iudicabunt & sedebunt cum Christo, sunt Apostoli, & professores voluntariæ paupertatis. Ita August. 20. Ciuit. 5. & epist. 89. cap. 4. Beda serm. de natali. S Bened. Hieron. epist. 28. Anselm. epist. 10. Gregor. in littera citatus, Bernard. ser. 8. in Psal. Qui habitat. D. Thom. hîc quæst. 1 art. 2. & opusc. 19. cap. 6. In quo autem consistat hæc sessio, & participatio iudicij, variè explicatur. Richard. Vict. tract. de potestate iudiciaria, ait consistere in duobus. Primum est, quòd penetrent conscientiarum occulta, & diuina iudicia. Secundum, quòd hanc notitiam iudicandis intiment, quod etiam ait D. Thom. Fortè in disceptatione tantùm iudicabunt arguendo & conuincendo reos. Vide D. Bonau. hîc art. 1. quæst. 1. 2. 3. Richard. art. 1. quæst. 6. 7. Quod ait ad secundam, quemlibet statim post mortem iudicari, ita Ambros. & Ansel. in id Hebr. 9. statutum est hominibus, *&c. Chrysost. hom. 37. in Matth. Damasc. serm. pro defunctis. Tertull. de anima, cap. vlt. Cyprian. de mortalitate. D. Thom. 3. part. quæst. 59. art. 4. ad 3. Vide Bellar. 2. de purg. 4.*

8 [g] AD primum argumentum sequitur ibi: *Nunc princeps mundi huius eiicietur foras.* *Ad arg. 1.* Princeps, scilicet Diabolus, qui vsque ad aduentum Christi principabatur mundo, licèt tyrannicè: ergo iudicium mundi, quod nunc est, ait Christus, erat ad illam eiectionem, quia sententiabatur ipsum expellendum per passionem Christi.

[h] Ad secundum de Nahum, & similiter ad Augustinum, & ad rationem sequentem, *Ad 2.* dico, quòd vnusquisque inquantùm persona priuata iudicatur, & finaliter, quando est in termino viæ sibi præfixæ; sed inquantùm est pars familiæ deputatæ pro aula, vel familiæ deputatæ pro carcere, iudicabitur cum aliis iudicio finali. Et per idem [i] apparet ad dictum Gregorij de 4 ordinibus in iudicio. Perfecti quidem quantùm ad disceptationem præcedentem sententiam, non iudicabuntur, sed nec ipsi, nec alij iudicio pertinente ad eos, vt priuatas personas: sed in eo, quod dicitur: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum*, omnes filij regni iudicabuntur iudicio generali, vt hæredes illius regni. Similiter infideles quantùm ad disceptationem præuiam non iudicabuntur iudicio generali: sed in illo, *Ite maledicti*, &c. Et ipsi alij, quibus prolata est disceptatio, iudicabuntur in communi, vt membra carceris; & tunc accrescet aliquod gaudium vnicuique electo, vltra illud quod habent in iudicio particulari: quia quilibet gaudebit de integritate suæ ciuitatis, & accrescet aliquod supplicium cuilibet damnato vltra supplicium partiale sibi taxatum, quia integritas, vel repletio carceris vnumquemque incarceratum angustat.

Vide Suar. tom. 2. 3. p. d. 57. s. 5. vbi tractat an infideles iudicantur iudicio disceptationis: quia est difficile ex illo Ioan. 3.

Ad illud Psalm. 1. *Non resurgent*, verum est ad vitam, iuxta illud 2. Mach. 7. dictum Antiocho. *Tui autem resurrectio ad vitam non erit.* Et hoc apparet ex eo quod subditur; *neque peccatores in consilio iustorum*, id est, de iustis consilium: siue accipiatur ibi *iustorum*, id est, de iustis consilium, quod perpetuò beatificentur, est Dei: siue consilium iustorum, quo scilicet consulunt consilium iustorum, est in omnibus voluntati diuinæ concordare: & in illam concordiam impij non resurgunt.

Qui non credit iam iudicatus est.

COMMENTARIVS.

9 *Ad primum argumentum. Responsio.* [g] A*D primum argumentum*, &c. Illud fuit ex Ioan. 12. *Nunc iudicium est mundi*, &c. Respondet ex verbis sequentibus, in quibus specificatur illud iudicium, *Nunc princeps mundi huius eijcietur foras*, &c. Scilicet Diabolus, qui eoúsque principabatur mundo per peccatum, soluto autem pretio redemptionis, eiectus est per Christum, & fidem eius, quæ præualuit. Videantur Augustinus tract. 22. in Ioan. & Chrysost. hom. 66.

10 *Ad secundum.* [h] *Ad secundum*, &c. Secundum fuit, quòd Deus non puniat bis in idipsum, & quòd status sit immutabilis, inquantùm terminus viæ producitur vniformis iuxta Augustinum, vsque ad vltimum sæculi diem; & præterea, quia iudicium vniuscuiusque fit quando moritur, &c. Respondet Doctor hæc intelligi de iudicio personali, & priuato cuiusque, iuxta statum, in quo inuenit eum mors, siue in peccato mortali, siue in gratia, secundùm quæ vterque status opponitur; non autem extenditur ad animas Purgatorij, secundùm eum statum. Iudicatur itaque priuato iudicio, & personali; in iudicio verò extremo iudicatur vt est pars familiæ, vt deputatur ad ciuitatem supernam, aut carcerem. *Responsio.*

11 *Quatuor ordines in iudicio.* [i] *Et per idem apparet ad dictum Gregorij*, &c. Ordines quatuor statuit Gregorius *lib. 26. Moral. cap. 24.* nam ex reprobis alij non iudicantur & pereunt, vt infideles, qui Christum non nouerunt, neque fidem eius, iuxta illud Ioannis 3. *Qui non credit iam indicatus*, &c. Alij qui iudicabuntur, & condemnabuntur, vt qui fidem receperunt

receperunt, & non seruarunt legem, & his dicetur Matth. 25. *Esuriui, & non dedistis mihi manducare*, &c. Alij qui iudicabuntur, & saluabuntur, vt pœnitentes, & exercentes opera misericordiæ, quibus dicitur *Esuriui, & dedistis mihi manducare*, &c. Alij denique regnabunt, & non iudicabuntur, sed iudicabunt; vt sunt perfecti, qui obseruarunt non solùm præcepta legis, sed & consilia.

Iudicium discussionis & sententiæ. Propter hos ordines discernendos Doctor & reliqui Scholastici antiqui cum Magistro in hac distinctione, discernunt duplex iudicium; aliud discussionis, & examinis, aliud damnationis & saluationis, seu sententiæ latæ. Quantùm ad primum, dicunt quòd infideles non sint iudicandi iudicio discussionis in particulari quoad singulos in generali iudicio, sed sunt iudicandi iudicio condemnationis. *Infideles non subibunt iudicium discussionis.* Fundamentum ex Scriptura est: *qui non credit, iam iudicatus est*. Ioan. 3. & illud Psal. *Non resurgent impij in iudicio*. Psal. 1. & authoritas plurium Patrum est, vt Hilarij, Amb. Basilij, in Psal. 118. Lactant. lib. 6. cap. 20. *Nec tamen tunc vniuersi a Deo iudicabuntur; sed ij tantùm qui sunt in Dei religione versati*, & Aug. sermone 38. de Sanctis: *Ad iudicium*, inquit, *non veniunt, nec pagani, nec hæretici, nec Iudæi; quia de illis Scriptum est: qui non credit, iam iudicatus est*, &c. Gregorius etiam loco citato. Anselmus in Elucidatio. Isidorus *lib. 1. de summo bono, cap. 30.* & Scholastici modo dicto limitantes hoc ad Iudicium discussionis, quia de alio iudicio sententiæ, & condemnationis constat ex Matth. 25. & aliis locis allegatis. Cùm ergo in processu iudiciali iudicij forma extenditur ad discussionem causæ, & prolationem sententiæ, si causa per se est manifesta, superfluit discussio, & ita contingit in iis, qui sunt infideles: hanc rationem insinuat ipse Gregorius: *Non enim eorum tunc causa discutitur, quia ad conspectum stricti Iudicis iam cum damnatione suæ infidelitatis tenebris, eius quem despexerunt, inuectione redargui non merentur*, &c.

Lactant. *August.* *Ratio præmissorum.*

12 *Reiicitur præmissa distinctio à Suare.* Hanc distinctionem reiicit Suarez *in 3. part. tom. 2. disp. 57. sect. 5* quia infideles comparebunt ante Tribunal Christi, *vt referant prout gesserunt in corpore suo, siue bonum, siue malum*. ad Rom. 14. Item, Ieremiæ 25. *Iudicium Domini cum gentibus*, &c. vbi Hieronymus. *Quia sunt*, inquit, *gentium merita diuersa*, &c. & infrà, *iudicantur ipsi cum omni carne, vt nullus iniudicatus abeat*, &c. Item Ioëlis 3. *Congregabo omnes gentes, & adducam eas in Vallem Iosaphat, & disceptabo cum eis super populo meo, & hæreditate mea Israël*, &c. Ergo Iudicium disceptationis erit cum gentibus, & infidelibus. Deinde, ratio postulat vt recipiant secundùm opera. Et videtur etiam hoc insinuari Sapientiæ 5. *Tunc stabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum, videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis dicentes, intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustia gementes: Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij*, &c. Ergo improperabuntur opera iniusta, & persecutio in electos facta ab infidelibus, & id ipsum indicare videtur illa vox Martyrum Apocal.... *Vindica sanguinē nostrum*, &c. Ergo distinctio illa non subsistit, & videtur magis metaphorica, quàm realis, & accommodata rei proprietati.

Sap. 5.

13 *Sustinetur distinctio.* Respondetur tamen distinctionem esse fundatam non in eo sensu quasi opera infidelium non sint iudicanda, aut discernenda, & pœnæ: sed ex alio capite: nam iudicium fit secundùm legem, cùm sit conclusio, legis, intelligitur autem per legem vniuersaliter lex fidei, & diuina, qua ordinatur quisque ad salutem per media legis receptæ. *Iudicium fit secundùm legem.* Discrepantia est autem inter fideles & fideles, quòd illi legem nescierunt, aut non receperunt perseuerantes in sua infidelitate, fideles autem receperunt, sed non obseruarunt; ideóque hi per legem ipsam, & ex lege conuincentur, quam receperunt, & non obseruarunt, vt indicat disceptatio, quam exprimit *Lucas* 13. & parabola virginum *Matth.* 25. & alia quæ ibidem exprimuntur; his enim ex lege defensio suffragatur, quamuis eam ex lege prætendent, iuxta illud; *In nomine tuo dæmonia eiecimus, signa fecimus*, &c. *Fideles ex lege iudicabuntur.* Infideles autem, qui legem nescierunt, & fidem, in quibus tantùm promittitur & datur vita, hoc ipso iudicium condemnationis, & mortis habent, quia nunquam legem vitæ, aut ipsam in lege vitam contentam habuerūt. *Infideles non ex lege fidei iudicabūtur.* Hi ergo, vt dicit Apostolus ad Rom. 3. *Sine lege peccauerunt, & sine lege peribunt*: Quia non ex lege fidei, quam ignorarunt, iudicabuntur, & secundùm quam principaliter ordinatur iudicium discussionis, sed ex operibus, & lege naturali, & consentaneis, quale est ius gentium, & politicum, quod ad ciuitatem terrenam, & societatem ordinatur stabiliendam, & secundùm rectum dictamen practicum, & naturale. *Sed ex lege naturali operum.*

14 Distinctio ergo præmissa in hoc fundatur, non quasi quisque non iudicetur iudicio discussionis secundùm opera prout gessit, & recipiat pœnam correspondentem; sed quod iudicium discussionis ex lege diuina, & fidei non extendetur ad infideles, qui extra legem vixerunt, sed ad fideles, qui eam acceptarunt, & ipsam fidem, licèt mortuam, habuerunt, quæ est fundamentum, & radix iustitiæ, & vitæ, & per quam iudicabuntur ex lege recepta eius. Hanc expositionem insinuat Hieronymus loco citato. *Quia sunt*, inquit, *gentium merita diuersa, & ideò qui non credit, iudicatus quidem est in eo quod non credit*, quia nempe manet in morte, *sed ipsi qui non credunt inter se diuersis afficientur supplicijs, iudicantur ipsi cum omni carne, vt nullus iniudicatus abeat*, &c. Iudicabuntur ergo omnes, non tamen secundùm legem fidei, iudicabuntur infideles, vt qui eam nescierunt, sed secundùm legem operum, in qua vixerunt, scilicet naturalem: nam iudicium fiet secundùm legem, in qua vixerunt, & contra quam peccauerunt, & quæ promulgata fuit in cordibus: nam materia discussionis est peccatum cōtra legem factum, & cum eius cognitione necessaria, & sine qua nequit esse peccatum.

15 *Aliter sustinetur distinctio data.* Quòd si hæc solutio non placet, sed retinenda sit distinctio quoad rigorem, prout eam videtur Gregorius cum aliis retinere; explicanda est absolutè Scriptura allata de iudicio vniuersali damnationis, & reprobationis, non verò de iudicio discussionis, quia in re notoria non requiritur discussio, aut inquisitio, sed statim procedetur ad sententiam: quia notoreitas facti excludit omnem defensionem, & probationem tanquam superfluam, infideles autem, vt dicit Gregorius, præiudicati infidelitatis suæ tenebris, eius, quem despexerunt, inuectione redargui non merentur, &c. Illi ergo discussionis iudicium

iudicium subibunt, qui ex fide, & lege defensionem prætendent; per iudicium verò reprobationis, & damnationis infideles recipient secundùm peccata sua, quamuis ergo iudicium improperij, & redargutionis manet omnes infideles, & damnationis, non tamen disceptationis, aut discussionis; quia nullam excusationem prætendere possunt in Christo; non ita fideles damnati, qui misericordiam Iudicis implorabunt ex fide, & lege, & beneficiis receptis prædicationis, sacramentorum, doctrinæ, signorum, vt patet Luc. 13. *Cùm autem intrauerit Pater familias, & clauserit hostium, & incipietis foris stare, & pulsare hostium, dicentes Domine aperi nobis, & respondens dicet vobis, nescio vos vnde sitis, tunc incipietis dicere: manducauimus coram te, & bibimus, & in plateis nostris docuisti, & dicet vobis: nescio vos vnde sitis.* Infideles ergo, qui respuerunt iudicem Christum, legem eius, iustitiam, & fidem, non resurgunt in iudicio disceptationis, quia vt dicit Theodoretus Heracleotes in Catena: *Fur in delicto deprehensus non perducitur ad Iudicem, vt de facto notorio quæstionem habeat, sed vt sententiam damnationis accipiat.* Et Cyrillus Hierosolymitanus Catechef. 18. ita explicat illud Ioannis 3. *Qui non credit, iam iudicatus est*, &c. Asserit ideò dici, *quia non requiritur magna inquisitio causæ notoriæ*, &c. Si ergo discussio sumitur pro notitia causæ, verum est iuxta superiùs dicta, omnium peccata propalanda etiam infidelium: sed sumendo *discussionem* strictiùs pro inquisitione causæ per allegationem contrariam rei, sic erit in fidelibus peccatoribus modo dicto, in quibus fuit fides, & aliqua opera, & beneficia Christi. De hac discussione intelliguntur Patres citati *suprà* & Doctores scolastici, non verò de priori, & sic per distinctionem præmissam rectè concordant Scripturas.

Fideles patrocinium ex lege quærent, non infideles.

Theod. Heracleotes.

Cyrill. Hierosolymit.

16 Ex his patet quid dicendum sit de infantibus, qui in peccato originali decesserunt, fore in ipsis etiã iudicium discussionis latè sumptum pro notorietate facti, non verò strictè sumptum, quia nulla habent opera. De iustis etiam beatis, qui per pœnitentiam à peccatis mortalibus surrexerunt, erit discussio vtroque modo ad manifestandam Dei iustitiam, & misericordiam, & præterea iudicium approbationis, patet ex distinctione præmissa, quam etiam sequitur Origenes *hom.* 21. *in Num.* Aliqui tamen docent nulla peccata iustorum esse propalanda in iudicio, vt Magister *d.* 43. Vignerius *cap.* 21. Son. *in tractatu de extremo iudicio.* Hæc sententia fundatur in locis Scripturæ, in quibus efficacia pœnitentiæ, & operum ad deletionem peccatorum significatur, vt *Psal.* 31. & 50. *Isaiæ cap.* 43. & 63. *Ezechiëlis* 2. Contrarium magis sequendum, quia iudicium publicum, & finale exigit vt causa in publico etiam transigatur ad manifestationem iustitiæ, & potestatis iudiciariæ in omnes. Hanc docet Augustinus 20. *de Ciuit. cap.* 14. Gregorius *suprà*, & *super Psal.* 88. & patet ex Scripturis allegatis, & communi scholasticorum.

Quid dicendum de aliis.

De infantibus.

De fidelibus lapsis.

An erit discussio peccatorũ delictorum per pœnitentiam.

Præfertur affirmatiua.

Sed quid de Sanctis præcellentibus, & assessoribus iudicis. Respondetur ex dictis, probabilius non esse iudicandos, iudicio discussionis strictè sumptæ, maximè ij, qui non peccauerunt mortaliter, sed conseruarunt primam stolam, quam in Christo receperunt: quamuis enim habuerint aliqua venialia, peccatum veniale non est causa, aut materia per se huius iudicij, quia non constituit statum finalem: iudicium autem extremum fiet ad discernendas familias ciuitatis supernæ, & infimæ, secundùm opera, quæ per se ordinantur ad statum damnationis, aut gloriæ, quæ sunt peccata mortalia, aut opera bona, & meritoria. Quod autem non sint iudicandi tales Sancti iudicio discussionis, sed tantùm approbationis, est Gregorij *suprà* citati. Origenis, & aliorum: quia hæc exemptio ipsis competit prærogatiua sanctitatis, & muneris concessi, quo alios iudicabunt participatione potestatis à Christo receptæ, quam promisit *Math.* 19. renunciantibus omnibus bonis terrenis propter Christum, vt ibidem communiter Patres, & expositores. Hi ergo recipiẽt iudicium approbationis à Christo, sicut & Angeli boni, non verò discussionis strictè sumptæ. Quòd si admittatur discussio latè sumpta per notitiam omnium operum, non est, plurimùm repugnandum. Ex his patet ad reliqua, huius quæstionis. 17

De Sanctis assessoribus iudicis.

An discutiantur.

Sententia negatiua.



QVÆSTIO II.

Vtrùm mundus sit purgandus per ignem?

D.Thom. *in addit.quæst.*97.*art.*5.& 4.*d.*44.*quæst.*3.*art.*2. D.Bonau. *hic art.*2.*quæst.*1.& 2. Richard. *art.*2. *quæst.*2.& 4. & *d.*44.*art.*2.*quæst.*3. Suar.3.*part.tom.*2.*disp.*57.*sect.*1.

1 [a] SECVNDÒ quæro, Vtrùm mundus sit purgandus per ignem? Quòd non; quia tunc idem purgaret se, quod est inconueniens.
Oppositum in Psalm. 96. *Ignis ante ipsum præcedet*, & adducitur in litera.

COMMENTARIVS.

Ordo, & diuisio quæst.

[a] *SEcundò quæro vtrùm mundus sit purgandus*, &c. Diuiditur quæstio in duos articulos; in primo differit de eo quod magis consentaneum est naturæ vniuersi. in secundo quòd de facto secundum hoc fiet.

SCHOLIVM.

Ignem verum præcessurum aduentum Iudicis, ex 2. *Petr.*3. *Ioël.*2. *Isaï.*66. *Dan.*7. 1.*Cor.*3. *Ita D.Thom.hic quæst.*2.*art.*3. *Richard.art.*2.*quæst.*4.5.*Palud.quæst.*1.*Dur.q.*3.

qui

qui putant conflagrationem futuram ante resurrectionem. Alij cum D. Bonau. hîc art. 2. quæst. 4. putant futuram post iudicium: quod tenet August. 20. Ciuit. cap. 30. & 18. & Anselm. in Elucidario. Ponit quòd ignis iste potest creari, vel generari, prout Deus voluerit. Si creabitur, oportebit aliqua alia corpora annihilari, nè detur penetratio. Item si generabitur, vt id inconueniens vitetur, necesse erit alia corpora condensari, vel in densiora conuerti, quod optimè explicat exemplo.

Ignis conflagrationis an erit in determinato loco, vel simul circũdans totam terram.

b RESpondeo, illa conflagratio, vel purgatio per conflagrationem, quæ prædicitur in multis auctoritatibus, & præcipuè 2. Petri 3. *Cæli ardentes soluentur, elementa verò ignis ardore tabescent, &c.* multipliciter est possibilis, eo, quia omni modo, qui non includit contradictionem. Sed quis modus sit magis consonus naturæ partium vniuersi inquiramus. Potest esse quòd aliquis ignis sit de nouo creatus, & magnæ, vel paruæ quantitatis: & potest esse, quòd sit simul in aliqua tota latitudine, & spissitudine circa terram, & non vbique, nisi per motum circa terram: & similiter potest esse vtrunque illorum. Primum quòd ignis sit creatus: Secundum quòd sit in aliqua determinata parte super terram, & non vbique, nisi per motum circa terram. De his ergo duobus, scilicet productione illius ignis, & loco productionis, vel conseruationis, siue continuationis inquiratur.

Si ignis cõflagrationis creetur, oportet tantundem de alio corpore annihilari.

De primo, si ponatur creatus, oportet ponere quòd tantundem de alio corpore corruptibili annihiletur: vel quòd in tota substantia corporea corruptibili fiat condensatio correspondens quantitati illius ignis creati: vel oportet ponere quòd ille ignis creatus sit simul cum alio corpore. Si etiam ponatur generatus: per consequens ex alio corpore grossiori (quia ignis est subtilissimum corpus inter corpora corruptibilia) oportet dicere quòd aliud corpus corruptibile intantum condensetur, quantum istud est rarius corpore, ex quo generatur: vel quòd proportionabiliter isti quantitati è conuerso corpus rarius conuertatur in densius. Si ergo generaretur ex aëre, oporteret vel quòd aër in aquam conuerteretur, vel aqua in terram, in tanta proportione, quæ correspondet locationi illius ignis geniti. 2

Patet in exemplo. Esto enim quòd tota sphæra aëris diuidatur in decem partes, ex vna illarum generatur ignis, & habet decem partes, quarum quælibet est æqualis illi ex qua generetur totus ignis: tunc quæro, nouem partes aëris, quæ remanent, vbi habebunt locum; Vel oportet duo corpora esse simul, vel oportet illas condensari, vel alia corpora circumstantia vsque ad non repletionem loci nouem partium. Si autem hoc fiat per conuersionem illarum nouem partium in aquam, habebitur locatio ignis geniti, etsi non fiat condensatio alicuius alterius; quia illæ nouem non generant vnam partem aquæ, sed ferè: quæ cum decem partibus ignis priùs geniti, quarum vna locatur in loco aëris corrupti in ignem, impleret totum locum decem partium aëris, & tunc esset cum incendio ignis diluuium aquæ, licèt non in tanta quantitate, in quanta est incendium ignis; aqua quippe excederet aquam præexistentem in decima parte ad illum ignem nouum genitum.

COMMENTARIVS.

2 *De igne conflagrationis.*

b R*Espondeo, illa conflagratio*, &c. De igne conflagrationis habetur Petri 3. *Cæli ardentes soluentur, elementa verò ignis ardore tabescent*, &c. Item Psalm. 96. *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius*, &c. Isaïæ 66. *Quia ecce Dominus in igne veniet*, &c. Ioël. 2. *Ante faciem eius ignis vorans*, &c. Daniel. 7. *Thronus eius flamma ignis*, &c. Quamuis autem Sancti Patres aliquando explicant hunc ignem metaphoricè per comparationem ad claritatem diuini iudicij, zelum, & efficaciam siue iustitiæ ad discernendum bonos à malis, opera iustitiæ ab iniquitate secundùm æquitatẽ: tamen ignem verum, & realem fore, etiam locus Petri declarat, qui nequit torqueri ad metaphoram iudicij secũdùm proprietates ignis, quia agit Petrus per contrapositionem, seu antithesim de conflagratione mundi visibilis sensibili, & non tantùm

Erit ignis verus & realis.

hominum per antithesim, inquam, ad diluuium, *Ille*, inquit, *tunc mundus aqua inundatus perit, cæli autem qui nunc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt igni, reseruati in diem iudicij, & perditionis impiorum hominum*, &c. Et infrà: *Adueniet autem dies Domini vt fur, in quo cæli magno impetu transient; elementa verò calore soluentur, terra verò, & quæ in ea sunt opera exurentur*, &c. Hæc nequeunt de igne metaphorico intelligi, quamuis ex igne concomitante, & præeunte diuinum iudicium rectè explicatur metaphoricè eius forma, & extinctio charitatis, & operum in hominibus illius temporis, in quibus vix inuenietur fides vera, & viua; sicut etiam aqua diluuij significabant per accommodationem, & metaphoricè incendium carnis, quod tunc vigebat. Præmissæ ergo Scripturæ etiam literaliter intelligendæ sunt in propria significatione, licèt per translationem etiam accommodari possint ad manifestandũ modum, & formam diuini iudicij, eiúsque æquitatem.

Antithesis.

Quid designet metaphoricè.

3 *Docuerunt Philosophi quidam.*

Hanc veritatem docuerunt etiam Philosophi, vt

vt Zeno, Cleantes, Chryſippus, apud Euſebium *de Præparatione Euangelij, lib.* 15. *cap.* 17. Sibylla apud Auguſtinum *lib.* 8. *de Ciuit. cap.* 3. ſicut & vniuerſi Patres. Clemens *lib.* 2. *&* 3. *Recognitionum*, Iuſtinus Martyr *q.* 39. 94. *&* 95. Euſebius *loco allegato.* Ambroſ. *lib.* 1. *Hexam. cap.* 6. Baſil. *hom.* 3. *in Hexameron.* Nyſſenus *de creatione hominis, cap.* 24. Hilarius *in Pſal.* 118. Chryſoſt. *in ad Rom* 4. *homil.* 14. Hieron. *in Iſaïa* 5. *&* 65. Cyrill. *in Iſa.* 54. Auguſt. *loco cit. & in Pſal.* 101. *lib.* 20. *de Ciuit. c.* 14. 16. 18. *&* 24. Omnes Scholaſtici in hac diſtinctione, & ſequenti, & communis Interpretum.

Probatio ex Patribus.

Varias autem cauſas & fines huius ignis aſſignant aliqui, quorum aliqui meritò reprobantur a Franciſco Suarez 2. *tom. diſp.* 57. *ſect.* 1. quem adire poteſt lector. An autem hic ignis præcedet ante faciem Iudicis ad conflagrationem impiorum probabile eſt ex parte præceſſurum, ſed maius incendium etiam ſubſequetur iudicium ad renouationem creaturæ, qui eſt finis primarius, & vltimus eius.

4 His ſuppoſitis, dicit Doctor poſſibilitatem illius ignis tot modis excogitari poſſe, quot modis Deus poteſt ipſum per ſe, aut per cauſam ſecundam producere. Cæterùm ſeruata debita proportione partium vniuerſi, & integritate, poteſt ille de nouo creari, in magna, aut parua quantitate, in aliqua etiam latitudine, & ſpiſſitudine ſuper terram, vel circa terram in aliquo loco certo, & non vbique, ſed mobiliter circa terram comburendo nunc hanc, nunc illam partem, poteſt etiam per totam ſimul creari.

Poſſibilitas eius.

Si dicatur creari, oportet dicere ſeruata vnione partium vniuerſi ſine vacuo, quod tantùm ex alio corpore corruptibili annihiletur, vel certè condenſetur, v. g. aër in quantitate proportionata illi igni, & loco eius, vel quòd detur penetratio corporum.

Quòd ſi autem generetur, oportet quòd tantumdem ex alio corpore, vel magis corrumpatur: quia ignis inter corruptibilia eſt rariſſimum corpus, ac proinde maiorem locum occupans, vel certè quòd corpora aliqua conuertantur in alia: vt aër in aquam, vel aqua in terram. Ratio huius eſt, quia aliàs daretur penetratio corporum, quod natura refugit. Et declarat exemplo, quia ponatur pars aëris conuerti in ignem, tunc ignis genitus propter raritatem, & extenſionem ſuam habeat decem partes, quarum decima in extenſione æquiualebit toti aëri conuerſo in ignem, reliquæ partes vbi erunt? vel ergo ſimul cum aliis, & ſic erit penetratio corporum; vel certè neceſſe eſt vt alia corpora condenſentur, vel in alia commutentur, vt aër in aquam, & ſic erit ſimul inundatio aquæ, quamuis non tanta, quantus eſt ignis.

5 *An dabitur penetratio corporum.*

SCHOLIVM.

Explicat quomòdo ille ignis depurabit mundum, & ex qua materia fiet, vel fieri poterit, & quòd tandem in purum aërem conuertetur.

3 [c] DE ſecundo, cùm ignis non maneat extra ſphæram ſuam, niſi in continua generatione, ſecundùm illud Philoſophi de Iuuentute, & Senectute, *ſemper eſt in fieri*, quomodo permaneret in aliqua ſphæra completa circa terram? Quomodo etiam depuraret, cùm depuratio non ſit, niſi per conſumptionem alicuius impuritatis? vtpote vaporum, vel aliorum talium corporum mixtorum, ex quibus eſt impuritas aëris.

Quis locus productionis ignis iudicij vniuerſalis.

Breuiter ergo quantùm ad vtrunque articulum, videtur probabilius dicere quòd ſicut ignis poteſt extra ſuam ſphæram eſſe in materia aliena, vtpote in corpore ignito, vt carbone, vel flamma (non quòd ibi ſit in partibus ſolidis verè forma ignis, niſi ponatur, formas ſpecificas diſtinctas ſimul perficere eandem materiam, quod videtur inconueniens) ſic vapores exiſtentes in aëre per iuxtapoſitionem poſſunt igniri. Et iſta ignitio ſucceſſiua nunc illorum vaporum, nunc iſtorum, ſaltem pro toto aëre ſuprapoſito regioni habitabili hominum, poteſt dici illa conflagratio. & per iſtud benè depuratur aër: quia illa corpora ignita conuertuntur ſtatim in verum, & purum aërem in ſua regione prædominante, & illo corpore ignito propter qualitates mutuas contrarias in ipſo, ſcilicet ignis, & vaporis, modicum reſiſtente aëri (quia quodammodo agit ad deſtructionem ſui: vapor autem non ignitus, non ſic eſſet ſtatim conuertibilis ab igne in purum aërem) apparet quomodo flamma poteſt ad depurationem aëris groſſi: quia per actionem illam præuiam corporis igniti, id eſt, habentis qualitatem igneam, in ſeipſum aqueum, ſimiliter habens qualitatem aquæ, diſponitur à continente, vt ſtatim conuertatur in ipſum continens, & ſic generatur aër purus, qui non ſic poterat in ſeipſum conuertere illum vaporem manentem groſſum.

Quomodo ignis iudicij depurabit?

Ignitio vaporum fortè erit conflagratio mũdi.

4 [d] Ad Argumentum dico, quòd ignis ſemper manet in ſe purus puritate naturali: tum, quia ſummè actiuus, ita quòd ſtatim conuerteret ignis in ſe, ſi quid extraneæ naturæ aſcenderet ad regionem illam: tum, quia nihil per actionem corporum cæleſtium eleuat ad illam regionem ignis puri, vt ſic fiat ignis impurus. Specialiter autem illa impuritas de fumo ſacrificiorum oblatorum idolis, & de infectione ex peccatis hominis, non aſcendit ad ſphæram ignis: quia nec fumus, ille nec aliqua infectio quæcunque ex actibus immundis vſque ad ignem poteſt aſcendere: illa autem depuratio ponitur propter impuritatem aëris contractam ex actibus peccati humani, ideò non ſequitur ignem purgare ſeipſum.

Ignis non purgat ſe, ſed aërem ſuperpoſitũ terræ habitabili.

COMMENTARIVS.

6 [c] DE *secundo articulo*, &c. Respondet ad quæstionem, sicut ignis extra propriam sphæram non manet, nisi sit in aliqua materia, quā consumit; quia semper est in *fieri* extrà sphæram propriam, id est, semper per congestionem materiæ nouæ fouetur, ita etiam dicendum est non manere illum ignem in aliqua sphæra circa terram, quia sic non haberet materiam, in quam ageret, neque aliquid deputaret. Resoluit ergo, illum ignem accendi ex vaporibus, & exhalationibus in secunda aëris regione, per quem ipse aër facilè depuratur: nam vapores igniti statim conuertuntur in aërem. Hæc sententia est satis probabilis, & consentanea diuinæ prouidentiæ, quà administrat vniuersum. Alij dicunt ipsum ignem Inferni euocandum ad combustionem; sed neque hoc necessarium est, & sequeretur inconueniens, dari nempe vacuum in Inferno, aut necessariò locum ignis emissi supplendum per aliud corpus. Alij dicunt fore vt creetur nouus hic ignis: sed neque hoc etiam necessarium est, & sequeretur alioquin condensatio magna aliorum corporum, aut penetratio. Alij dicunt ex sphæra ignis emittendum: sed hoc etiam eadem inconuenientia vacui, penetrationis, aut condensationis excessiuæ in corporibus inferioribus infert. Præterea motum violentum ignis ex sua sphæra: & quia ignis ille est in materia valde rara nō videtur naturaliter idoneus ad hunc effectum. Quantitatem huius ignis aliqui explicant per hoc, quòd totum elementum aquæ, & terræ circundabit, & ascēdet super altissimos montes, sicut diluuium: per eum purgabitur aër, terra, & aqua.

Fieri ex vaporibus.

Varia sententia.

Quantitas illius ignis.

[d] *Ad argumentum dico*, &c. Argumentum fuit, quòd sequeretur si purgatio fiat per ignem, idem
7 seipsum purgaret: quia omnia elementa purgabuntur. Respondet quòd ignis in suo elemento naturali sit purus, & propter nimiam actiuitatem, & propter distantiam; quia impuritas, quæ oritur ex vaporibus infernis, non ascendit ad sphæram ignis, & specialiter illa impuritas ex fumo sacrificiorum factorum idolis, & ex peccatis hominum, non ascendit ad sphæram ignis; purgatio autem ponitur propter impuritatem aëris ex peccatis hominum. Tangit rationem mysticam huius depurationis, quam communiter Theologi assignant, quamuis etiam ipsa reformatio mundi elementaris per eum intendatur.

Ignis in propria sphæra purus.

Sed de hoc etiam effectu, & fine, variæ sunt sententiæ; primò est frequens sententia Patrum, etiam firmamentum corrumpi per hunc ignem conflagrationis, quæ est anteriorum penè vsque ad Hieronymum: & fundatur in pluribus authoritatibus Scripturæ, quæ id sonare videntur, vt est illa Petri citata, & Psal. 101. *Opera manuum tuarum sunt cæli, ipsi peribunt, tu autem permanebis*, &c. Matth. 24. *Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non transibunt*, &c. Isa. 34. 51. 61. Apoc. 21. Iob 14. Patres etiam suprà citati idem docent, vt dixi, præter paucos vsque ad Hieron. qui in prædicta loca Isaïæ, potissimè 65. interpretantur Scripturas de innouatione, & mutatione facienda in cælis, non verò de corruptione.

An corrumpetur firmamentum?

Affirmatiua Patrum multorum.

Quod etiam sequitur Augustinus *lib.* 20. *de Ciuit. cap.* 14. 16. 18. *&* 24. Item Gregorius *lib.* 17. *Moralium c.* 5. Beda *in præfatum locum Petri.* Gennadius *de Ecclesiast. dog. cap.* 70. Primasius in *caput primum, epistol. ad Hebræos.* Anselm. *in cap.* 1. *ad Hebræos, & in Apocalyps.* Insinuat etiam Ambrosius *in præfatum locum Psalmi.* Ex Græcis Epiphan. *hæres.* 64. citans Proclum, & Methodium. Irenæus *lib.* 4. *contra hæres. cap.* 6. Scholastici cum Magistro *in hac dist. & sequenti.* Cælum immutari docet hæc sententia, sed nōn corrumpi, & fundatur in illo Psal. 148. *Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt. Statuit ea in æternum, & in sæculum sæculi*, &c. Deinde Isaiæ 30. dicitur, *Erit lux Lunæ sicut lux Solis, & lux Solis septempliciter, sicut lux septem dierum in die, quo obligauerit Dominus vulnus populi sui*, &c. ergo manebunt, & consequenter cælum, in quo sunt. Item ad Rom. 8. dicitur creatura ingemiscere libertatem, scilicet per innouationem post iudicium, & 2. Petri 3. videtur esse sermo de cælo aëreo, quod fuit diluuio immersum per antithesim diluuij ad vltimam conflagrationem: Scriptura autem sæpe, & consueto stylo regionem aëris appellat cælum *volucres cæli, pisces maris*, &c. Hæc res authoritate Patrum, & apparentia Scripturarum hinc inde redditur incerta. Iuxta communem autem Scholæ sententiam, neque ipsa elementa peribunt, sed purgabuntur, & hæc purgatio sub appellatione *corruptionis* intenditur à Scriptura.

8 *Sententia negatiua.*


Fundamentum.

Manebunt elemēta purgata.

Petes an mixta peribunt ita vt nunquam aliqua sint reditura? Aliqui dicunt terrā fore floridam, & virentem cum Anselmo in Elucidario. Alij negant, sed vtraque est incerta sententia: illud enim fiet quod iam diuina sapientia determinauit. An renouatio autem elementorum exigat ad perfectionem corporum, aliqua mixta de nouo restitui, quis potest diiudicare? aut qualis erit illa perfectio renouationis? Conclusio, in qua communiter concordant omnes, est, excrementa fluxura in Infernum ad maiorem pœnam damnatorum, à quibus gratia Christi, & eius misericordia nos liberet. Qui voluerit hæc fusiùs legere, recurrat ad Scholasticos alios, qui in iis copiosi sunt; quia autem plura incerta sunt, iis non hærendum est: illud certum est, ignem conflagrationis fore, probabilius est præïre ex parte ante faciem Iudicis venientis ad manifestationem iustitiæ, & ad pœnam damnatorum; post iudicium verò vniuersum conflagraturum, & renouaturum hunc ignem. Quid autem, aut quomodo fiet renouatio ipsa in vniuerso; seu qualis sit, id tantùm certum videtur non fieri actione naturali ignis, qui tantùm est corruptiuus immundiciei, sed diuina actione, qua promisit cælos nouos, & terram nouam. Quales autem futuri sunt sibi soli est notum, aut, cui reuelat, illud nempe fiet, quod magis ad manifestationem diuinæ bonitatis, & gloriam Beatorum erit. Non est ergo ampliùs insistendum coniecturis, vbi ratio, & authoritas in supernaturalibus cessat in Operibus Dei.

9 *An peribunt mixta?*

DISTINCTIO



DISTINCTIO XLVIII.

De forma Iudicis?

A SOLET etiam quæri, in qua forma Christus iudicabit? In forma vtique serui iudicabit, quæ omnibus in iudicio apparebit, vt videant mali in quem pupugerunt. Diuinitatem verò eius mali non videbunt. Vnde Isaïas, *Tollatur impius, nè videat gloriam Dei.* Humanitatem videbunt, vt timeant, diuinitatem verò non, ne gaudeant. Diuinitas enim sine gaudio videri non potest. *Zach.12.c.* *Isaïa 26.b. Secundum LXX. Interpr.*

Qualis apparebit tunc in forma serui?

B SED cùm in forma humana constet eum apparitturum, quæritur an in forma illa gloriosa appareat, sicut verè est, an in forma qualis in passione extitit? Quidam putant à malis talem videri, qualem crucifixerunt, id est, infirmum: quia dicit Scriptura, vt videant in quem pupugerunt. Sed apertè Augustinus dicit formam serui glorificatam, à bonis, & à malis tunc videri sic, [Cùm in forma serui glorificata iudicantem viderint boni, & mali, tolletur impius, vt non videat claritatem Dei, quæ Deus est, quam soli mundo corde videbunt: quod erit eis vita æterna. Forma ergo humana in Christo glorificata videbitur à cunctis: vnde & Christus dicitur iudicaturus, quia filius hominis est. Ita enim legitur in Euangelio Ioannis, *Et potestatem dedit ei iudicium facere: quia filius hominis est.* Non quòd ipse ex virtute hominis sit iudicaturus, vel quòd ipse solus sine Patre & Spiritu sancto sit iudicium facturus: sed quia ipse solus in forma serui iudicans, bonis, & malis videbitur. Cùm ergo Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio, non ita est intelligendum, quasi Filius solus iudicet, & non Pater: sed quia forma Filij humana cunctis in iudicio apparebit, non infirma, sed gloriosa. Iudicabit autem ex virtute diuinitatis, non sine Patre, & Spiritu sancto: & apparebit terribilis impiis, & mitis iustis. Erit enim terror malis, & lumen iustis.] *Zach. 12. De Trinit. lib.1.c.13. Matt.5.a. Ioan.17.a. Quare Christus dicitur iudicaturus.* *Ioan.5.d.* *Ioan.5.d.*

Quare secundùm formam serui dicitur Christus suscitaturus corpora?

C ET sicut dicitur Christus secundùm formam serui iudicaturus, propter causam præmissam: ita etiam dicitur suscitaturus corpora mortuorum secundùm humanitatem, cùm tamen virtute diuinitatis sit suscitaturus, non humanitatis. Sed hac ratione illud dicitur, quia in humanitate suscepit quod est causa nostræ resurrectionis, id est, passionem, & resurrectionem. Ideò ei ascribitur secundùm hominem suscitatio mortuorum. Vnde Augustinus, [Per Verbum Filium Dei fit animarum resurrectio. Per Verbum factum in carne filium hominis fit corporum resurrectio.] Item, [Iudicat, & suscitat corpora non Pater, sed Filius secundùm dispensatio- *Super Ioan. tract.23. in fine.* *Ibidem.*

nem humanitatis, in qua minor Patre est Christus. In eo quod est Filius Dei, est vita quæ viuificat animas: in eo quòd est filius hominis, iudex.] Ecce secundùm formam humanitatis dicitur suscitaturus corpora, & iudicaturus. Iudicaturus autem, quia illa forma cunctis in iudicio apparebit: & suscitaturus, quia in eadem forma meritum, & causam resurrectionis nostræ suscepit. Et quia secundùm eandem formam vocem dabit, qua mortui de monumentis resurgent, & procedent. Secundùm quòd Deus est viuificat animas, non Pater tantùm, quia non tantùm Pater vita est, sed & Filius cum eo, & Spiritus sanctus eadem vita est, quæ pertinet ad animam, non ad corpus. Corpus enim non sentit vitam sapientiæ, sed anima, quæ illuminatur à lumine æterno. Licèt ergo Christus potentia diuinitatis viuificet animas, & suscitet corpora, & iudicet, non otiosè tamen, & præter rationem ei secundùm formam Dei tribuitur viuificatio animarum, & secundùm formam serui iudicium, & resuscitatio corporum.

De loco iudicij.

Ioël.3.a. In gloss. circa princ. illius capitis.

PVTANT quidam Dominum descensurum in vallem Iosaphat in iudicio: eo quòd ipse per Ioëlem Prophetam sic loquitur; *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Iosaphat, & disceptabo ibi cum eis.* In cuius capituli expositione ita reperi: Hoc quidam pueriliter intelligunt, quòd in valle, quæ est in latere montis Oliueti, descensurus sit Dominus ad iudicium, quod friuolum est. Quia non in terra, sed in spacio huius aëris sedebit contra locum montis Oliueti, ex quo ascendit. Et sicut Ioannes Chrysostomus dicit, Angeli deferent ante eum signum crucis: vnde in Euangelio Veritas dicit, *Et tunc apparebit signum filij hominis*, &c. *Iosaphat* autem interpretatur *iudicium Domini.* In vallem ergo Iosaphat, id est, iudicij Domini, congregabuntur omnes impij. Iusti verò non descendent in vallem iudicij, id est, damnationis: sed in nubibus eleuabuntur obuiam Christo. D

Homil. de Cruce, & Latrone. Matt.24.c. 1.Thess.4.d.

De qualitate luminarium, & temporis, post iudicium.

Luc.21.e. Matt.24.c. Greg.17. Mor. c.14. & 15. Iob 16. c. Ioël.2.g.


VENIENTE autem ad iudicium Domino in fortitudine & potestate magna, Sol, & Luna dicuntur obscurari: non sui luminis priuatione, sed superueniente maioris luminis claritate. [Virtutes quoque cælorum, id est, Angeli, dicuntur moueri: non metu damnationis, vel aliqua perturbatione pauoris, sed quadam admiratione eorum quæ viderint.] Vnde Iob; *Columnæ cæli pauent aduentum eius.* Ante diem verò iudicij Sol, & Luna eclipsim patientur, sicut Ioël testatur dicens: *Sol conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis.* Magnus verò dicitur, propter magna quæ ibi fient. Cùm autem factum fuerit cælum nouum, & terra noua, tunc erit lux Lunæ sicut lux Solis, testante Isaïa, *Et erit lux Solis septempliciter*, id est, sicut lux septem dierum: quia quantum luxit Sol in prima conditione septem dierum ante peccatum primi hominis, tantum lucebit post iudicium. Minorata enim fuit lux Solis, & Lunæ, aliorúmque syderum, per peccatum primi hominis: sed tunc recipiet Sol mercedem sui laboris, quia septempliciter lucebit: & tunc non erit vicissitudo diei, & noctis, sed tantùm dies E

Isaïæ 65. Isaïæ 30.

Vnde

Vnde Zacharias, Et erit dies vna, quæ nota est Domino, non dies, neque nox: & in tempore vespere erit lux, quia tunc non erit varietas diei, & noctis, quæ modò est, sed continua dies, & lux. Isaïas tamen videtur dicere quòd tunc non luceat Sol, vel Luna, loquens congregationi Sanctorum. *Non erit ibi*, inquit, *amplius Sol ad lucendum per diem, nec splendor Lunæ illuminabit te: sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam.* Sed his verbis non negat Solem, & Lunam tunc lucere, sed significat his qui tunc erunt in æterna beatitudine, nullum lucis vsum præstare. Quia, vt ait Hieronymus super eundem locum, [Cœli & terræ, Solis atque Lunæ nobis cessabit officium, & erit ipse Dominus lumen suis in perpetuum.] Potest etiam intelligi illud Isaïæ, ea ratione dictum, quia Sol, & Luna tunc non habebunt ortum, & occasum, sicut nunc. Vnde Isidorus illud Isaiæ quasi exponens, ait, Post iudicium Sol laboris sui mercedem suscipiet. Vnde Propheta, Lucebit septempliciter, & non veniet ad occasum, nec Sol, nec Luna, sed in ordine quo creati sunt, stabunt, ne impij in tormentis sub terra positi, fruantur luce eorum. Vnde Abacuc, *Sol & Luna steterunt in ordine suo.* Ecce apertè dicit Solem, & Lunam tunc lucere, sed stabiliter permanere: vbi etiam significat Infernum esse sub terra. Si verò quæritur, Quis vsus lucis Solis, & Lunæ tunc? Fateor me ignorare, quia in Scripturis non memini me legisse.

Zach.14.b. *Isaïa 60.d.* *Hier.li.17. comment.in Isaïam super cap.60.* *De ordine creaturarum. Lib.1. c.5.* *Isaïa 30.f.* *Abac.3.c.*



Qvæstio I.

Vtrùm Christus in forma humana iudicabit?

D.Thom. *in addit. quæst.90. artic.2. & hîc quæst.1.art.2.* D.Bonau. *art.1.quæst.1.* Richard.*art.1. quæst.1.* Argent. *quæst 1.art.1.* Sotus *quæst.2.art.1.* Suar. *3.part.tom.2.dist.57.sect.9.*

1 Irca istam [a] distinctionem quæro primò, Vtrùm Christus in forma humana iudicabit? Quòd non. Iudicare, non est nisi potestatem habentis, & dominium super iudicatum: Christus secundùm naturam humanam est frater noster: ergo non Dominus. *Arg. 1.*

Præterea, Augustinus lib. 3. & ponitur in litera super illud Ioan. 5. *Filius quos vult viuificat: suscitat corpora non Pater; sed Filius secundùm dispensationem humanitatis, in qua est minor Patre:* & pòst subdit, *secundùm autem quòd Deus est, viuificat animas:* Iudicare autem magis pertinet ad animam quàm ad corpus: ergo illud non competit Christo, nisi secundùm quòd Deus est. *Arg.2. Super Ioan. serm.22.*

Præterea, si in forma humana iudicabit, aut ergo gloriosa, aut non? si gloriosa, sequitur duplex inconueniens: Primò, quòd corpus gloriosum possit videri oculo corporali, & hoc non glorioso, quia damnati videbunt eum, iuxta illud Ioan. 19. *Videbunt in quem transfixerunt.* Aliud est inconueniens, quia tunc damnati delectarentur in visione illius formæ gloriosæ: delectabile enim præsens, & perceptum à sensu, delectat: nullam autem delectationem habebunt in aspectu Iudicis, sed dolorem, & tremorem: sed secundum videtur esse contra illud Luc. 21. *Veniet cum potestate magna, & maiestate.* *Arg. 3.*

Oppositum Ioan. 5. *Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est:* ergo secundùm naturam humanam data est sibi potestas sic iudicandi. Præterea, Iob 36. *Causa tua quasi impij iudicata est* (Glossa à Pilato) *Ideò iudicium, causámque suscipias*, dicitur & primum non est verum, nisi secundùm naturam humanam: ergo. *Rat. opp.*

COMMENTARIVS.

IN hac distinctione agit Magister de forma Christi in qua iudicabit; de loco iudicij, & de qualitate luminarium post iudicium, primum & vltimum attingit Doctor duabus quæstionibus, quarum prima est de forma iudicis: secundum de qualitate luminarium; de loco autem iudicis breuiter egit *in quæst. 2. distinctionis præcedentis.*

Ordo, & diuisio.

[a] *Circa istam distinctionem quæro primò*, &c. In hac quæstione post argumenta liminaria adducit sententiam D. Thomæ cum suis fundamentis, mox eam impugnat, & iisdem fundamentis respondet. Tertiò resoluit quæstionem, & respondet ad argumenta principalia.

Ordo quæstionis.

SCHOLIVM.

Sententia quæ videtur D. Thomæ, est, Christum iudicaturum quà homo; & suadetur multis auctoritatibus. Additur, malos non visuros diuinitatem Iudicis; quia necessariò gauderent.

D. Thom. præsenti d. quæst. 1.

HIc dicitur [b] quòd in forma serui. Ad hoc ratio talis est, quia iudicium requirit dominium in iudicante, iuxta illud Rom. 14. *Tu quis es, qui iudicas seruum alienum?* secundùm hoc ergo Christo competit iudicare, secundùm quod habet dominium super homines: est autem dominus hominum, non solùm ratione creationis, sed etiam ratione redemptionis. Vnde Rom. 14. *In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit, vt & viuorum, & mortuorum dominetur:* ergo sibi in illa natura, in qua est redemptor, congruit auctoritas iudicandi. 2

Rom. 14.

Præterea, iudicium illud ad hoc ordinatur, vt aliqui admittantur ad regnum, aliqui excludantur: hæc autem adeptio regni non conuenit homini ex solis bonis creationis, quia superuenit impedimentum ex peccato primi parentis, quod nisi per meritum redemptionis tolleretur, nullus admitteretur ad regnum illud: ergo conueniens est vt Christus inquantùm redemptor, illi iudicio secundùm naturam humanam præsideat: sicut redemptionis beneficium, secundùm illam naturam exhibitum, est introductorium ad regnum.

Hoc confirmatur per illud Act. 10. *Constitutus est à Deo iudex viuorum, & mortuorum.* Et ex hoc deducitur vlteriùs, cùm per redemptionem generis humani vniuersaliter tota natura melioretur, vt habetur ad Coloss. 1. *Pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in cælis, siue quæ in terris sunt:* ideò non solùm super homines, sed super omnem creaturam Christus per suam passionem dominium promeruit, & ita iudiciariam potestatem. Vnde Matth. vltimo. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.*

art. 1. q. 3. ab eod.

Additur, quòd secundùm diuinitatem non apparebit omnibus in iudicio, quia non posset apparere sine gaudio: nullum autem gaudium impij tunc habebunt. Primum probatur, quia in delectabili est considerare illud, quod est delectabile, & rationem delectabilitatis, & sic secundùm Boëtium in lib. de Hebdomadibus; *Id quod est, potest aliquid habere præter ipsum esse, ipsum verò esse nihil præter se habet admixtum:* ita illud quod est delectabile potest habere aliquid admixtum, propter quod non apparet delectabile: sed illud quod est ratio delectabilitatis, nihil habere potest propter quod sit indelectabile, vel non delectabile. Res ergo, quæ sunt delectabiles per participationem bonitatis, quæ est ratio delectabilitatis, possunt apprehensæ non delectare: sed illud, quod per essentiam suam est bonitas, impossibile est quòd eius essentia apprehensa, non delectet. 3

Confirmari potest istud per illud Ioann. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te:* ergo in illa visione consistit vita æterna. Vita autem æterna sine gaudio haberi non potest: nullo modo etiam concedetur reprobis illud in quo consistit vita æterna.

COMMENTARIVS.

2 [b] HIc dicitur quòd in forma serui, &c. Hæc sententia, & eius rationes non ideò adducuntur quasi esset controuersia realis in hac quæstione, sed inquantùm conclusio, vt in eas rationes hîc expressas reducitur, non explicat principalem authoritatem, cui innititur iudicium, & completam potestatem, sed tantùm hærent in potestate Christo data, quà homo est, ad iudicandum. Neque ergo D. Thomas intendit hoc iudicium non esse à Deo principaliter, neque Doctor asserit esse solius Dei, sed etiam Christi, quà homo est, per authoritatem concessam. Hæ ergo rationes, quas hîc adducit, benè probant potestatem iudiciariam conuenire Christo in forma serui, & secundùm formam serui, in qua exercet iudicium hoc visibile; non tamen explicant completam potestatem, & authoritatem iudicis principalis, ideóque impugnantur à Doctore, vt subinde veritas completè terminetur, & ostendatur Christus iudicaturus esse quà Deus, & homo est, & nō solùm quà homo. Prima ratio, quæ

Controuersia tollitur.

Christus iudicaturus est quà Deus, & homo est.

quæ adducitur, est ex dominio Christi in homines: secunda est ex titulo redemptionis. Declaratur ipsa potestas iudiciaria Actorum. 10. *Constitutus est Iudex viuorum, & mortuorum*, &c. ad Colossen. 1. declaratur effectus redemptionis, *pacificans per sanguinem suum, siue quæ in cælis, siue quæ in terris sunt*, &c: *1. Ratio D. Thomæ.*

3 Secundum quod impugnat, est illa ratio assignata, cur secundùm diuinitatem non apparebit omnibus in iudicio, vt reprobis. Ratio autem est hæc, quòd aliàs nemo possit videre Deum sine gaudio, quia licèt res quæ per participationem sunt bonæ, & delectabiles, possint videri propter admixtam rationem mali sine delectatione; tamen impossibile est videri bonum per essentiam, quin delectet & vita æterna, Ioann. 17. in Dei visione statuitur, *hæc est vita æterna vt cognoscant te*, &c. *2. Ratio eiusdem.*

SCHOLIVM.

Ostendit quæstionem tolli, vel sensum D. Thomæ esse, Christum iudicaturum secundùm naturam humanam, quod refutat, si loquatur de iudicare principaliter, quia hoc soli Deo conuenit, qui solus potest beare, & damnare, vt causa principalis. Soluit rationes pro D. Thoma, & ostendit poni posse visionem Dei, per eius potentiam, sine gaudio in vidente, quia hæc sunt duo absoluta, & per consequens separabilia per Dei potentiam.

4 [c] Contra primam conclusionem illius opinionis, aliud est dicere, Christus in forma humana iudicabit, aliud, Christus secundùm humanitatem iudicabit: vera enim est ista, quòd Christus in forma humana creat animas, sed non ista, secundum humanitatem creat: immò quicquid fecit Verbum ex quo naturam humanam assumpsit, quod faciens, naturam humanam non deposuit, hoc fecit in natura humana, nisi stringas hoc, quod est *in natura*, ad intellectum eius, quod dicitur *secundùm naturam humanam*, vbi notatur non tantùm concomitantia naturæ humanæ ad actum, sed causalitas naturæ humanæ respectu actus. *Aliud, indicare in forma humana, aliud secundùm formam humanam.*

Si primo modo intelligas, quòd in natura humana iudicabit, non est quæstio, nisi eadem isti; Vtrum quando iudicabit deponet naturam humanam: ergo ad hoc, vt sit quæstio, oportet, quòd habeatur alius intellectus, qui magis propriè exprimitur sic, secundum naturam humanam iudicabit. sed hoc est falsum loquendo de iudicare principaliter. Probatio, iudicium principale (sicut haberi potest ex dictis distin. præcedenti q. 1.) est perfecta, & prima determinatio eius, quod est reddendum alicui secundùm merita. Illa perfecta determinatio includit completum dictamen intellectus, quòd hoc sit reddendum, & completam determinationem voluntatis per *velle* efficax sufficiens ex se ad executionem illius determinati: sed Christus secundùm naturam humanam non potest habere tale *velle* respectu præmij reddendi ipsi iudicato: quia non potest habere imperium principalis efficax coniungendi aliquam animam obiecto beatifico: quia secundùm Aug. de videndo Deo, *in eius potestate est videri: si vult videtur*, &c. *Deus quà Deus principaliter iudicat. Idem habet Ambr. super Lucam.*

5 [d] Ad rationes, ad hanc conclusionem dico, non concludunt de principaliter iudicare, quia per actum redemptionis non meruit principale dominium respectu hominis. Probatio, nam inquantùm redemptor habuit rationem causæ meritoriæ pro nobis: causa autem, quæ tantùm est meritoria, non potest esse principalis: non enim causat, nisi ab aliqua causa principaliori acceptetur, quæ propter istud acceptum principaliter causat: ergo esto quòd Trinitati propter redemptionem teneremur tanquam domino, supremo quodam nouo iure, vltra ius dominij, quod habet ex creatione (quod verum esset si tantùm bonum esset nobis redemptio, vt accepta à Trinitate, quantum creatio) adhuc non sequitur quòd Christo secundùm naturam humanam ratione redemptionis obligamur, vt supremo domino. Similiter ad secundam, quia non introducet inquantùm redemptor, vt principalis introducens, sed tantummodo vt causa meritoria.

[e] Contra secundam conclusionem, absolutum prius naturaliter alio, potest esse sine contradictione sine eo; sed visio essentiæ diuinæ est absolutum aliquid, saltem ab omni respectu ad gaudium est prius naturaliter illo: non enim obiectum delectat nisi priùs apprehensum: ergo sine contradictione posset visio illius essentiæ esse in aliquo sine delectatione. Nec istud negaret Philosophus, nisi quia poneret coniunctionem causarum in vniuerso simpliciter necessariam, ita quòd secundùm eum simpliciter necessarium est causæ primæ coagere secundis, secundùm quòd potest *Visio Dei separabilis à gaudio miraculosè.*

eis coagere: coagendo autem naturæ intellectuali iam videnti essentiam suam quantum potest coagere, sequitur delectatio: quia causæ proximæ illius delectationis quantum est ex se, necessitantur ad illum effectum.

Sed Theologi negant illam propositionem, quòd ad quodcunque necessitatur causa secunda, quantum est ex se, necessitatur & prima; quia negant primam necessariò coagere secundæ, quantum potest. Ratio illa non valet, non enim probat, nisi quia illa ratio delectabilitatis, quæ est bonitas, non possit esse non delectabilis: sed non sequitur, ergo non potest non delectare; quia delectabile dicit aliquid in se; vel si respectum, non nisi aptitudinalem, qui necessariò consequitur fundamentum: sed delectare dicit effectum posteriorem contingenter causabilem, maximè ex contingenti determinatione voluntatis diuinæ ad coagendum ipsi delectabili.

Text. 39. Explicat illud, hæc est vita æterna, vt cognoscant te. Ioan. 17.

Ad illam confirmationem de Ioan. 17. respondeo sine glossa auctoritatis secundùm Philosophum 12. *Metaph.* Actus intellectus est vita: ergo actus intellectus æternus est vita æterna: si actu, actu: si aptitudine, aptitudine: nunc autem visio essentiæ diuinæ si concederetur damnatis, licèt non esset æterna actu, tamen aptitudine quantùm esset ex parte actus, vel potentiæ, apta esset, vt esset æterna: ergo vita æterna. Sed si ex hoc inferas, ergo beatitudo, non sequitur. Imò si tu dicis Christum dicere quòd in hoc est beatitudo, *vt cognoscant te, &c.* tu non accipis textum Euangelij, sed quandam Glossam specialiorem intellectus literæ: si ergo vis præcisè ponderare verbum, sine omni Glossa, soluo tibi, quòd est vita æterna; si autem per alias Glossas vis arguere quòd loquatur de beatitudine, ergo licèt mihi sic addere Glossam non distrahentem, vt cognoscant te amando, & fruendo.

COMMENTARIVS.

4 *Expositio terminorũ.*

c Contra primam conclusionem, &c. Præmittit acceptionẽ illius propositionis, Christus in forma serui iudicabit, ita vt præpositio denotet concomitantiam formæ serui, seu humanitatis, & non influxum, aut potestatem, & hic sensus non facit ad scopum huius quæstionis, quia humanitatem quam assumpsit Christus non dimisit, nisi in morte, & sic omnia quæ facit, & fecit in humanitate facit, & fecit, id est, habens humanitatem, licèt non per humanitatem, vt opera illa, quæ soli Deitati competunt, vt creatio, & conseruatio rerum. Alius sensus præpositionis est, vt non solùm denotet concomitantiam humanitatis ad iudicium, sed etiam influxum, ita vt iudicium sit ipsius humanitatis per potestatem quam habet vt homo, ita vt sola sit hæc potestas, vel principalis, hic autem sensus non est verus: quod probat, quia iudicium principale, id est, procedens à potestate primaria est perfecta, & prima determinatio eius, quod est reddendum propter merita; hoc autem includit completum dictamen intellectus, quòd hoc sit retribuendum, & efficacem, & sufficientem determinationem voluntatis in executione, & effectu ipsius retribuendi: efficacem, inquam, & sufficientem, qua ex se & possit, & velit retribuere: sed ita determinate non competit Christo quà homo est præcisè, quia imperium voluntatis humanæ in Christo non est principalis causa coniungendi animam obiecto beatifico independenter à diuina voluntate, quæ est causa huius visionis, & non subordinatur voluntati creatæ Christi: ergo, &c. Hæc ratio est efficax, quam admittunt communiter Theologi, & ipse D. Thomas, ideóque, vt priùs dixi, inducitur tantùm vt petat adæquatam causam iudicij, quæ non redditur per solam Christi voluntatem humanam, ideóque solùm mouetur. D. Thomas autem intendit Christum non solùm iudicaturum in forma Dei, sed etiam in forma serui, de qua magis dubitaretur.

Primus sensus.

Secundus sensus.

Non fore iudicium per solam potestatem humanam Christi. Completum iudiciũ duo includit.

d *Ad rationes ad hanc conclusionem dico, &c.* Respondet rationes adductas supra non concludere de principali causa iudicandi: tum, quia per actum redemptionis non meruit Christus principalem potestatem, quæ est solius Dei, & quam nequit communicare, sicut neque dominium, quod habet in creaturas; tum quia causa meritoria supponit aliquam principalem, à qua acceptatur meritum, & speratur præmium. Esto ergo quòd Trinitati ratione redemptionis, tanquam supremo Domino teneamur titulo nouo vltra ius dominij, quod habet ratione creationis, intendit redemptionem procedere à Trinitate, quatenus dedit redemptorem, & quatenus redemptio per secundam personam in natura humana fuit completa, & quatenus eandem redemptionem acceptauit, non inde sequitur quòd Christo tanquam supremo Domino, inquantùm homo est, obligamur: nam sicut opera redemptionis, & ipse Christus inquantùm homo, fuit Dei principaliter, iuxta illud Apostoli, *Vos autem Christi, Christus autem Dei:* ita etiam titulus acquisitus media redemptione est Dei principaliter. Parenthesis illa (*Quod verum esset, &c.*) quam admiscet Doctor, tangit quæstionem illam, An bonum redemptionis sit præferendum bono naturæ quoad *esse*, in quo creatur, quòd fortè inferiùs erit examinandum, *dist. sequenti.* ideò autem inducitur illa parenthesis, quatenus explicetur dominium principale Dei, quod habet in creaturas, etiam rationales fundari primario in ipsa creatione, & non in redemptione; & penes creationem, vt est à Deo, & ad Deum vt ad finem fundari principale dominium Dei, quod est essentiale, & non in redemptione, quæ contingens est, & potuit non esse, manente Dei dominio vniformiter respectu creaturæ: nam redemptio opus est misericordiæ, creatio verò est opus sapientiæ, & potentiæ, in quibus fundatur dominium Dei in creaturam. 5

Redemptio principalis est à Deo vt acceptante, conferente, & præmiante. Explicatur.

Dominium D. irationæ creationis.

e *Contra secundam conclusionem, &c.* Hîc probat visionem 6

Visio potest separari à delectatione de potentia absoluta.

visionem Dei de potentia absoluta non esse impossibilem separari à delectatione, quam Deus suspendere potest: quia est prior naturaliter delectatione, quæ in voluntate causatur, & quam Deus suspendere potest, quod non negabat Philosophus, nisi per medium extrinsecum per ordinem, quem statuit necessarium causarum; Theologi autem non concedunt ad omnem effectum, ad quem necessitatur causa secunda, necessitari primam, quam asserunt agere contingenter: quidquid ergo sit de connexione amoris, & fruitionis cum delectatione (quæ etiam ex parte Dei non est necessaria) minor connexio est inter visionem, & delectationem, quæ contingenter causatur à Deo, supposita ipsa visione.

Respondet præterea ad illam authoritatem Ioannis, visionem Dei esse vitam æternam actu, vel aptitudine, sed de hoc infrà agetur distinctione sequenti,

SCHOLIVM.

Christo, quà Deus est, competere iudicare principaliter; quà homo verò minùs principaliter, seu commissariè excellenter, & explicat in quo consistat hæc excellentia.

7 f AD quæstionem supponendo ex prima q. dist. proximæ, quòd iudicium est completa determinatio eius, quod reddendum est alicui pro meritis, & illa completa determinatio includit perfectum dictamen intellectus de hoc, & perfectum *velle* voluntatis non qualecumque, sed efficax: sequitur quòd principaliter iudicare includit principaliter dictare, & principaliter habere *velle* efficax: nihil autem dicitur principaliter agere aliquid, quod in agendo est causa subordinata alicui alteri principali: ergo principaliter iudicare non competit, nisi naturæ intellectuali, cuius intellectus non subordinatur alicui alteri in iudicando, nec eius voluntas subordinatur alicui in volendo: & hoc efficaciter, quod potest dici in imperando ipsum volitum, sic quòd ad illud imperium sequatur effectus.

Causæ principalis an aliis subordinetur.

Nunc autem intellectus animæ Christi subordinatus est diuinæ veritati in dictando, & maximè de illis, de quibus non potest esse certa dictatio, nisi ex regulis determinatis à voluntate diuina contingenter se habente ad eas (cuiusmodi sunt omnia, quæ spectant ad beatitudinē, & miseriam iudicatorum) voluntas etiam animę ipsius est subordinata voluntati diuinæ rectè volendo, & quantuncumque efficaciter velit aliquid imperando illud efficaciter sit quòd per suum imperium illud eueniat; subordinatur necessariò voluntati diuinæ, quia illa voluntas animæ Christi non est omnipotens: ergo impossibile est Christum secundùm naturam humanam principaliter iudicare.

8 Breuiter enim tota natura creata simul non habet efficax imperium respectu huius quod est hanc animam videre Deum; dico efficax, ad quod imperium ex suo imperio in se, non ab alia causa, sequatur effectus; nec illa voluntas Christi præsumet principaliter imperare Petrum fore beatum: sed tantummodo subauthenticè imperare tanquam illud imperium fiat efficax ab alio superiore, in * virtute cuius imperat.

al. auctoritate.

g Alio modo potest accipi *iudicare* non sic omnino principaliter, sed commissariè, vel subauthenticè excellenter excellentia singulari, quasi scilicet non posset esse alia authoritas commissaria superior; & hoc modo concedo quòd Christus secundùm naturam humanam iudicat, quia etsi posset puræ creaturæ committi quòd intellectus eius rectè dictaret de retributione, & voluntas rectè vellet: & ad rectum *velle* eius semper sequeretur euentus ipsius voluntati, licèt non à se causatus, sed à voluntate diuina, assistente semper isti volitioni efficaci: tamen non posset committi puræ creaturæ, quòd omne eius *velle* impleretur ab eadem persona: quia tunc pura creatura esset omnipotens: ergo suprema commissio possibilis est, quòd non solùm omne determinatum à voluntate infallibiliter eueniat: sed quòd ab eadem persona cuius est illa voluntas, eueniat, vt sic persona illa habeat imperium efficax cuius voluntas creata determinat euentum alicuius in suo ordine quantum potest.

Excellentia cōmissionis iudiciariæ Christi.

Christus quà homo imperat cōmissariè subauthenticè, non principaliter.

9 Hoc modo voluntas animæ Christi determinat subauthenticè, siue commissariè, tali commissione, quòd licèt illa voluntas non imperet principaliter, sicut nec principaliter dominatur: tamen benè imperat, sicut habens dominium respectu imperati, sed commissariè imperat, quia vt habens dominium subordinatum dominio supremo Dei: & adhuc sic imperat, quòd imperium eius efficaciam completam habet ab eadem persona. Et si aliam auctoritatem iudicandi tribuat aliquis animæ Christi, videtur blasphemia attribuendo naturæ creatæ, quod est proprium Creatori.

Anima Christi dāda est summa excellentia sed non omnipotentia.

Ista autem via, sicut non concedit illi animæ Christi omnipotentiam; ita non negat ab ea summam excellētiam, quæ potest competere creaturæ. Nec auctoritates illæ adductæ

adductæ pro prima opinione. Rom. 14. *Vt viuorum, & mortuorum dominetur*: & Act. 10. *Iudex viuorum, & mortuorum* & Matth. vltimo. *Data est mihi omnis potestas*: intelligendæ sunt de dominio, vel auctoritate iudiciaria, vel potestate principali: sed subordinata, tamen eminentissima, quæ potest esse sub principali.

COMMENTARIVS.

7 *Resolutio quæstionis. Iudicium completum quod sit.*

f AD *quæstionem*, &c. Resoluit quæstionem ostendens in quo consistat completa ratio huius iudicij. Primum supponit ex aliàs dictis *q. 1. dist. præcedent.* quòd iudicium sit completa determinatio eius, quod alicui est reddendum pro meritis. Sumit hîc *iudicium* prout est actus legitimus iudicis in causa pronunciantis, vel vt dicit D. Thomas, 2. 2. *q.* 60. vt est recta determinatio iustorum, quod est ius dicere, completum autem iudicium est vltima determinatio recti, à qua nullus datur recursus ad alium, neque appellatio, neque exceptio, neque aliquod in vniuersum subterfugium à sententia, & eius executione. Dicit autem duo requiri ad completam hanc determinationem, nempe perfectum dictamen intellectus de causa, & perfectum *velle* voluntatis, non qualecunque, sed efficax. Hinc sequitur quòd principaliter iudicare includat principaliter dictare, & principaliter *velle*, efficax, hoc iudicare principaliter scilicet vltima determinatione, & completa, vt procedit ab authoritate principali & non delegata, aut commissâ subauthoritatiuè, requirit dictare principaliter, id est, independentiam ab omni superiori regula decernente circa materiam, & principaliter velle, id est, independens ab omni superiori potestate iudicandi, ideóque non dicitur principaliter iudicare, qui subordinatur alteri, sicut nihil dicitur principaliter agere, quod subordinatur alteri in agendo.

Duo requisita ad iudiciũ completum.

8 *Subordinatio Christi ad Deum in iudicando.*

Ex his probat Christo, quà homo est, non competere iudicare principaliter in causa animarum modo dicto, quia intellectus animæ Christi subordinatus est diuinæ voluntati tanquam regulæ, cui conformatur, & conformari debet in dictando de rectitudine causæ. Probat, quia nequit esse certa sententia, aut dictatio de eis, nisi secundùm regulas ordinatas à diuina voluntate contingenter, id est, secundùm leges datas à diuina voluntate, quæ sola taxauit fines, præmia & pœnas, & rectitudinem seruandam in operationibus. Secundùm has leges iudicat intellectus Christi humanus, & in virtute harum legum, & secundùm proportionem, & medium taxatum per leges diuinas, & in virtute primæ determinationis in his statutæ à diuina voluntate: ergo non principaliter, sed tantùm subauthoritatiuè; Deus autem vt supremus legislator principaliter dictat, quia ad ipsius prouidentiam spectat decernere leges, & taxare consequenter præmia, & pœnas.

Subiectio intellectus humani Christi ad diuinum.

Christus iudicat quà homo per regulas fixas à Deo, & secundũ illas.

9 *Subordinatio voluntatis humanæ Christi ad diuinam.*

Voluntas etiam Christi humana subordinatur diuinæ voluntati, quia & omnis potestas, quam habuit, & habet Christus inquantùm caput, redemptor, & legislator, fuit ei concessa à Deo, qui eum constituit hæredem vniuersorum, & iudicem viuorum & mortuorum. Subordinatur ergo eius voluntas humana diuinæ voluntati, cuius ex natura est potestas, quã Christo communicauit subauthoritatiuè; subordinatur præterea quantùm ad efficaciã effectus, seu euentus, quem sortitur ipsa determinatio causæ, quæ requiritur ad completã, & vltimatam eius terminationem; quia licèt voluntas humana Christi habeat in hoc iudicio diuinam voluntatem concomitantem, tamen certitudo effectus sequitur per se, & ab intrinseco ad imperium diuinæ voluntatis, per quam in euentu sequitur pœna, aut præmiũ statutum; quia voluntas creata ab intrinseco, & propria virtute, non est efficax ad beatificandum animas, nec suam, neque alias, nisi Deus ita velit, & exequatur, requiritur autem in Iudicio completo vis coactiua, & executiua sententiæ, quæ in proposito est ex imperio diuinæ voluntatis principaliter exequentis sententiam, vnde sequitur iudicium principale in causa operum, & animarum conuenire Christo inquantùm est Deus.

g *Alio modo potest accipi iudicare*, &c. Hæc est secunda conclusio huius quæstionis, quam optimè declarat Doctor, asserens *iudicare* posse sumi non principaliter, vt competit supremæ potestati legislatoris (qui alium non habet superiorem, sed ipse est prima causa legis, & iudicij ex propria authoritate quod competit in causa animarum soli Deo) sed subauthoritatiuè, & commissariè, scilicet per authoritatem communicatam à principali, licèt illa authoritas in inferiori, & secundùm alium sensum dicatur ordinaria. Sic ergo competit Christo quà homo est, iudicare, per potestatem excellentiæ, qua nulla est superior, aut æqualis in pura creatura, neque esse possit: quia licèt creaturæ puræ Deus posset communicare authoritatem iudicandi, ita vt ex imperio diuinæ voluntatis assistentis sequeretur euentus, & terminatio completa iudicij: tamen puræ creaturæ nequiret committi vt omnis determinatio eius sortiretur efficaciam ab eadem persona, quia non esset Deus sicut est Christus: suprema itaque authoritas Christi; & eius excellentia in hoc consistit: quòd omne quod determinat per voluntatem humanam euenit, & vlteriùs quòd euentus eius ab eadem persona sequatur, licèt per diuinam eius voluntatem, & hæc authoritas est suprema per excellentiam, quam Deus committere potest voluntati creatæ. 10

Authoritas subordinata iudicandi competit Christo.

Suprema authoritas Christi per excellẽtiam.

Hoc ergo modo iudicat Christus per authoritatem communicatam, & dominium subordinatum, vt licèt principalis potestas, & dominium ei non competat per voluntatem creatam, competit tamen vtrumque per excellentiam, ita vt imperium voluntatis creatæ sortiatur efficaciã, vt procedit ab eadem persona secundùm voluntatem diuinam; aliter autem nequit competere quasi principalis ipsi competat per voluntatem humanam, quæ sicut non est omnipotens, ita neque supremum dominium habet in creaturas, sed tantùm subordinatum; ex quo patet ad omnia loca, in quibus Christo tribuitur potestas iudicandi secundùm quòd est homo, quia intelligi debent de potestate subordinata, non de principali, quæ ipsi competit quà est Deus, hoc etiam sensu intelligunt Patres loca Scripturæ, in quibus nunc dicitur æqualis Patri, nunc minor Patre, referendo hæc ad diuersas naturas. 11

Est

Est ergo in Christo, vt homo est, vera potestas iudiciaria, qua iudicat secundùm legem à Deo præscriptam, eandem legem applicat ad causam pro merito ipsius causæ, secundùm eandem discutit opera, decernit præmia, & pœnas secundùm medium legis, & exequitur, quod sufficit ad veram potestatem iudiciariam, quamuis sit communicata à superiori potestate.

SCHOLIVM.

Ad vltimum docet Christum iudicaturum, & appariturum in forma gloriosa. Non asserit firmiter sub illa forma videndum à malis, verius tamen est quòd sic, ex Ioan. 19. & Matth. 22. & 26. & docet August. in Psal. 85. in id, Respice in me, *& Magister hic cum communi. Nec hinc sequitur malos delectari, quia summa tristitia omnem delectationem, etiam impertinentem, seu de obiecto disparato, excludit.*

10 [h] AD argumenta. Ad primum dico quòd Christus vt homo, habet potestatem commissariam, sed non principalem: & ita competit sibi non principaliter iudicare, vt homo. *Ad arg. 1.*

[i] Ad secundum, illud Augustini est dictum per appropriationem, sicut Magister exponit in litera; vel potest dici quòd viuificatio animarum soli Deo competit, & hoc siue de vita prima, quæ est iustificatio; siue de vita perfecta, quæ est beatitudo. *Ad 2.*

Resuscitatio autem corporum, & iudicium possunt competere Christo homini, vt imperanti, licèt imperio subauthentico, quia respectu illorum potest habere dominium minùs principale; saltem accipiendo resurrectionem pro illis præambulis, quæ fiunt ministerio Angelorum; quia Christus habet imperium efficax respectu potestatis Angelorum: similiter habebit imperium efficax illius sententiæ ferendæ, etiam ipse secundùm naturam humanam.

[k] Ad aliud, dico quòd apparebit in forma gloriosa, quia postquam semel glorificatus est nunquam erit non gloriosus, sicut postquam resurrexit immortalis, ad Rom. 6. *Mors illi vltrà non dominabitur*; & ita de aliis pertinentibus ad gloriam corporis. Sed si accipias *apparere*, non pro hoc, quale corpus habebit in se, sed quale videbitur iudicandis; potest dici quòd à Beatis videbitur in illa forma gloriosa: iam enim in iudicio beati erunt quicunque electi, etiam in corpore. *Ad 3. Christus in iudicio apparet in forma gloriosa.*

11 Sed de malis est difficultas. Potest dici quòd vel non videbunt illam formam gloriosam, imò nullam: & tunc oportebit exponere illud, *Videbunt in quem transfixerunt.* Vel videbunt Christum in corpore glorioso. Nec ex hoc sequetur aliqua delectatio, quia benè possibile est visionem obiecti conuenientis separari à delectatione, sicut tactum est contra aliam opinionem. nec est inconueniens oculum non gloriosum videre corpus gloriosum. De hoc in materia de dotibus corporis dist. sequenti. *An mali videbunt Christum gloriosum in iudicio.*

Si contra hoc adducas illud Isaïæ 26. *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei:* ibi est quidam dialogus inter Deum, & Prophetam. Propheta allegante contra impium, *Non videat gloriam Dei*, & Deo respondente pro impio, *Videat*; & istud est verbum Prophetæ secundùm legentes literam, sub eodem sensu ab illo loco, *In terra istorum videant.*

Alio modo meliùs legitur, vt sit allegatio Prophetæ contra impium. *In terra iustorum iniqua gessit.* Et sequitur sub interrogatione verbum Domini, *& non videbit gloriam Domini?* quasi dicat, non videat. Respondet Propheta; *Domine exaltetur manus tua, vt non videant.* Respondet Deus: *Videant, vt confundantur zelantes populi.* Et sic istud vltimum *videant*, refertur ad visionem æternam; non tantùm ad visionem in iudicio, & tunc illud, *videant vt confundantur,* non pertinet ad idem; sed, *videant*, supple impij conuersi per misericordiam, & ex hoc, *confundantur zelantes populi*: quia zelo quodam nolunt impiis fieri misericordiam.

Si autem accipiatur tantummodo de visione in iudicio, tunc potest intelligi quòd impij etiam tunc non iustificati videant gloriam, id est, formam Corporis Christi gloriosam, & confundantur, quia illa visio magis erit eis confusibilis, & tristabilis, quàm delectabilis; mens tamen literæ magis est de visione in forma Deitatis, quàm humanitatis.

COMMENTARIVS.

12 [h] AD argumenta. *Ad primum*, &c. Primum fuit, quòd potestas iudiciaria, & actus iudicandi conueniat ei, cuius est dominium in iudicatum; Christus secundùm naturam humanam est frater, & non Dominus: ergo, &c. Respondet quòd Christus licèt secundùm naturam humanam sit frater, quoad speciem, est tamen Dominus *Ad arg. Ad primum.* *Responsio.*

nus potestate excellentiæ, & subauthoritatiua, vt Deus autem Dominus principalis, & sic conuenit iudicium, & dominium vtroque modo Christo.

13 *Ad secundum.* [i] *Ad secundum,*&c. Quod est Augustini tract.23. vbi plura disserit de resuscitatione, & vita animæ à Patre per filium, quà Deus est, & de resurrectione corporum per eundem, quà homo est, sed iudicium est de animabus; ergo iudicium non competit Christo, quà homo est. *Responsio.* Respondet quoad primum membrũ, intelligi per appropriationem, nempe conuenire Patri resuscitationem animarum. Secundò respondet Deo conuenire resuscitationem animarum quoad vtramque vitam iustificationis, & gloriæ, Christo verò resuscitationem corporum, & iudicium etiam de animabus, quà homo est, ex potestate subordinata. hoc indicat ipse Augustinus in fine: *Nolite inquit, mirari quia veniet hora,*&c. *In qua omnes qui in monumentis sunt,*&c. *Qui benè fecerunt in resurrectionem vitæ, qui malè egerunt in resurrectionem iudicij,*&c. *Et tu facis hoc solus,* inquit August. *O Domine, quia omne iudicium filio Pater dedit, & non iudicat quemquam. ego, inquit, facio, sed quomodo facis? non possunt à me iudicare quicquam; sed sicut audio, indico, & iudicium meum iustum est, cùm ageretur de iudicio animarum, non dicit,* audio *sed* video; *audio enim tanquam præcipientis Patris imperium. Iam ergo sicut homo, sicut quo maior est Pater, iam ex forma serui, non ex forma Dei, sicut audio, iudico, & iudicium meum iustum est, vnde est iustum iudicium hominis? Fratres mei attendite, quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatẽ eius qui misit me,*&c. *August.* Hoc testimonium Augustini, sicut & cætera, quæ præmisit, confirmant resolutionem quæstionis præmissam à Doctore.

14 *Ad tertium.* [k] *Ad aliud dico,* &c. Hoc fuit tertium si in forma humana iudicabit, aut gloriosa, aut non? si gloriosa, sequitur inconueniens, quòd corpus gloriosum videri possit naturaliter ab oculo reproborum: sequitur aliud inconueniens, quòd ex tali visione delectabit, &c. *Responsio.* Respondet quòd apparebit in forma gloriosa, quia postquam resurrexit semper manet gloriosus, & *mors illi vltra non dominabitur,* & sic de aliis pertinentibus ad gloriam corporis, apparebit: quia *veniet cum potestate magna, & maiestate.* Luc.21. *Iudicabit Christus in forma gloriosa.* si quæras, an in tali forma videbitur à iudicandis?

Videbitur à Beatis An etiam à reprobis? Respondet sic videri à Beatis, sed de malis est difficultas. Respondet vel non videri sic, vel omnino non videri à reprobis, & tunc oportet exponere *videbunt in quem transfixerunt,* vel videbunt cũ tremore, & sine delectatione ob pœnas, quas patiuntur, & excludunt omnem delectationem, neque est inconueniens oculum non gloriosum videre corpus gloriosum. Fundamentum primi est illud Prophetæ: *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei,* &c. Et sic aliqui dicunt eos visuros Iudicem, sed non in se, sed in vmbra, vt Forsterius in c.26. Isaïæ, quo sensu verificatur illud: *videbunt in quem crucifixerunt*: nempe in nube, & vmbra, & non claiè. *Obiectio.* Obiicies illud Isaïæ 26. *Tollatur impius, ne videat gloriam,*&c. *Soluitur.* Respondet cum Hieronymo in illum locum, esse dialogum inter Deum, & Prophetam, Propheta allegante contra impium *qui in terra iustorum iniqua gessit,* &c. Et potest intelligi, vel de impiis per misericordiam Dei conuersis primùm: vel certè de reprobis quoad visionem corporis, per quam confunduntur, vt patet in litera.



QVÆSTIO II.

Vtrùm in iudicio, vel post, cessabit motus corporum cælestium?

D.Thom. *in addit.quæst.*91.*art.*2.*& hîc quæst.*2.*art.*2. D.Bonau. *art.*2.*quæst.*2. Richard.*art.*2.*quæst.*2. Dur. *quæst.*3. Argent.*quæst.*1.*art.*4. Suarez 3.*p.tom.*2.*d.*58.*sect.*3. Vide Scot.5.*Met.quæst.*1.*&* 10. *&* 4.*Phys. quæst.*15.*&* 17. vbi Aretin. *&* 2.*d.*2.*quæst.*2.

Arg. 1.  ECVNDO quærò,[a] Vtrùm in iudicio, vel post, cessabit motus corporum cælestium? Quòd non, Genes.1. dicitur de luminaribus, *Fiant luminaria, &c. & sint in tempora, & signa, & dies, & annos:* & quoad hunc finem videntur facta: sed istud haberi non potest sine motu eorum. Præterea, Gen.8. *Cunctis diebus terræ æstas, & hyems, nox, & dies non requiescent.* 1

Arg. 2. Præterea, 9.Metaphys. cap.7. *Semper agit Sol, & astra, & totum cælum: non autem est timendum, nequando stet, quod timent, qui de natura.* & subdit quasi probationem duplicem. Prima est hæc, *neque laborant hæc agentia.* Et hanc rationem magis petractat 2. *Text.*17.*ad finem.* de Cæl. quæ quæstio in hoc stat, *Nullum agens cessat mouere, nisi in hoc fatigetur.* Aliam probationem tangit ibi in 9. Metaph. *Non enim secundùm potentiam contradictionis inest ipsis, vt corruptibilibus, motus, vt sit laboriosa continuatio motus,* quasi minor sit ista. Hîc mouentia non fatigantur ex hoc, quòd non sit in eis potentia contradictionis, & *Text.* 2. *& inde.* adhuc illud suppositum probat ibi. 9. *Nam materia, substantia, & potentia non actu causa huius sunt, scilicet contradictionis.*

Vbi suprà. *Arg.* 3. Præterea, vniuersum non erit imperfectius post iudicium quàm nunc: ergo corpora principalia vniuersa non amittent tunc propriam perfectionem aliquam: sed motus est propria perfectio cælestium corporum, vel requiritur ad eorum perfectionem; quia si non, frustrà mouerentur. 2

Præterea, aut motus cæli est naturalis, aut violentus; non violentus, quia primo de

de Cæl. *Nullum violentum perpetuum*: sed talis motus potest esse perpetuus, si naturalis; ergo quies opposita est violenta, & per consequens illa non erit perpetua. *Text. 15. & 2. de Cælo text. 18.*

Oppositum in litera. *Tunc non erit vicissitudo diei, & noctis.* Et probat illud per Zach. 14. *Erit dies vna, quæ nota est Domino, non dies, neque nox.* Præterea, Isidorus de Ordine causarum, lib. 4. cap. 5. & ponitur in litera, *post iudicium sui laboris Sol mercedem suscipiet, & non veniet ad occasum, nec Sol, nec Luna, sed in ordine, quo creati sunt, stabunt, ne impij in tormentis sub terra positi fruantur luce eorum. Vnde Abacuc; Sol, & Luna steterunt in * ordine suo.* Hæc Isidorus. *Rat. ad op.* *Vltimo cap.* * *al. habitaculo.*

COMMENTARIVS.

1 *Ordo, & diuisio quæst.* [a] *Secundò quæro, vtrùm in Iudicio*, &c. In hac quæstione adducit primò sententiam Philosophi cum suis fundamentis. Secundò, adducit sententiam Theologorum, & primò D. Thomæ. Tertiò, resoluit quæstionem. Quartò, vrget contra resolutionem, & soluit. Vltimò respondet ad argumenta principalia.

SCHOLIVM.

Sententia Philosophi, motum cæli esse perpetuum, suadetur ex ipso tribus rationibus, quas Doctor confirmat & declarat. Prima, substantiæ perfectissimæ, vt Intelligentiæ assistenti cælo, competit communicare suam perfectionem, sed hoc non potest nisi mouendo cælum. Secunda, extrema, id est, Angelus, & cælum, non variantur; ergo habitudo motus. Tertia, nunquam euenit oppositum motus cælo; ergo est ei necessarium.

3 [b] IN ista quæstione primò videndum est quid senserit Philosophus: secundò, quid Theologi. De primo satis patet; apparet enim ex intentione sua in diuersis locis, quòd sensit motum cæli perpetuò duraturum. Ad hoc ponit vnam rationem 12. Metaph. talem. *Omnem substantiam impassibilem optimum sortitam esse finem, oportet æstimare:* nulla erit altera substantia impassibilis, præter has, quæ sunt actiuæ causæ lationum.

Ex hoc arguitur, si optimus finis substantiæ separatæ, est in causando, lationem alicuius corporis cælestis, & non potest aliqua talis substantia carere fine suo: ergo non potest non mouere. Hanc rationem aliqui, non intelligentes eam, sicut Philosophus, qui eam facit, derident; quia etiam secundùm Philosophum, 10. *Ethicorum*, perfectio ipsarum consistit in speculatione veritatis: non est ergo finis earum, etiam secundùm eum, mouere corpus, sicut hîc videtur accipere. *Cap. 8. idem 12. Metaph. t. 39. & inde.*

Sed illa instantia procedit ex æquiuocatione *finis*; vno enim modo est finis perficiens, & sic beatitudo in intellectu, vel voluntate Intelligentiæ, ponitur eius finis intrà, & obiectum illius ponitur finis extrà, & hoc intellexit ipse. 10. *Ethic.* & ille finis simpliciter est finis. Alio modo *finis* dicitur vltimum consequens ex perfectione rei, vlicèt non perficiens rem: & hoc modo diceret Philosophus quòd non solùm illæ substantiæ sunt perfectæ in se, sed ex plenitudine perfectionis, necesse est quòd communicent illam perfectionem aliis; & ita non tantùm primum finem sortientur, sed secundum: ille secundus haberi non potest sine motione alicuius corporis cælestis. *Finis duplex, perficiens, & vltimum consequens ex perfectione rei.*

4 Et illa ratio sic intellecta, potest sic formari: Substantia perfectissima non caret aliquo, quod competit substantiæ ex perfectione substantiæ, siue illud sit perfectio eius intrinseca, siue communicatio perfectionis eius extrà: sed substantiæ ex perfectione substantiæ competit, quòd non tantùm in se perficiatur, sed perfectionem suam communicet alij producendo; ergo istud maximè competit substantiis impassibilibus: sed non possunt aliquam substantiam producere, nisi mouendo cælum. Hoc præsupponit ipse tanquam declaratum *in 7. Metaph.* contra ideas Platonis. & quòd ille sit intellectus Aristotelis, & Philosophorũ, accipitur ab Auicenna 1. *Metaphysicæ*, vbi ipse vult quòd vno modo Metaphysica est vtilis aliis scientiis, quia dirigit eas, & regulat (quomodo potest etiam concedi quòd Dominus sit vtilis seruo, secundùm eundem ibi) è conuerso autem propriè accipiendo *vtilitatem*, non conuenit nisi alij ad finem, & sic aliæ sunt vtiles Metaphysicæ, seruus vtilis domino: ergo eodem modo, cùm *vtilitas* sit æquiuoca, potuit etiam *finis* æquiuocari, vt vtilitati primo modo dictæ, correspondeat finis terminans, non consummans: vtilitati secundo modo dictæ, correspondeat finis perfectionis. Vnde nullus Philosophus ponit necessitatem agendi extrà, competere substantiis separatis, quasi illa producta perficerent aliquo modo ipsas substantias producentes: sed quia ex plenitudine perfectionis illarum substantiarum est, quòd necessariò se diffundant ad alias. *Text. 28. & inde.* *Cap. 3.*

8. Physic. & 1. 2. Cæli, & 12. Met. Secunda ratio Philosophi talis est: Quodcunque permanens, & sempiternum, ad quodcunque aliud permanens, & sempiternum, semper, & necessariò habet eandem habitudinem. Hoc probatur, quia habitudo, non potest inter aliqua variari, nisi ex variatione alterius extremi: sed extrema sunt sempiterna, & inuariabilia. Intelligentia mouens est quædam substantia permanens sempiterna, & cælum similiter: ergo sempiternum hoc habet eandem habitudinem ad illud, sicut mouens ad motum. 5

Si instes, vbi ergo incipiet difformis habitudo sempiterni ad aliquid? Respondeo secundùm eum, prima difformitas est in partibus alicuius sempiterni, licèt sit vniformis secundùm totum: quia enim motus ille est vniformis ex vniformi habitudine mobilis ad mouens, ideò habet partes nouas difformes; & ex hac difformitate partium potest vlteriùs sequi alia difformitas, vel varietas in substantiis genitis illo modo. Et sic à causis vniformibus, puta Intelligentia, & cælo, & se vniformiter ad inuicem habentibus, causatur primò aliquid vniforme, constans ex partibus difformibus, vt motus, & mediante illo, alia difformitas simpliciter.

Quære 2. Phy. t. c. 48. Tertia ratio, quicquid est in entibus, vel est simpliciter necessariũ in essendo, vel vt in pluribus, vel vt in paucioribus, vel ad vtrũlibet: in cælo nihil est ad vtrumlibet, nec vt in paucioribus, quia vtrumque esset imperfectionis repugnantis tali corpori; nec aliquid est ibi in pluribus, quia tunc quandoque oppositum contingeret, licèt vt in paucioribus, quod nunquam visum est; nunquam enim euenit oppositum alicuius pertinentis ad motus illos regulares: ergo quidquid est ibi, est simpliciter necessarium.

COMMENTARIVS.

2 *Sententia Philosophi de motu cæli.* [b] *IN ista quæstione primò videndum est*, &c. Subiicit sententiam Philosophi negatiuam, quòd enim motus cæli perpetuò sit duraturus, docuit Philosophus, qui etiam mundi æternitatem statuit, & Deum agere necessariò ad extrà, vt visum est *d.* 43. *q.* 1. Prima ratio est ex fine 12. Met. *Omnem*, inquit, *substantiam impassibilem optimum sortitum esse finem, est æstimare*, &c. Ex quo sic formatur argumentũ: *1. Ratio eius.* optimus finis substantiæ separatæ est latio; nõ potest cessare à fine suo perfectissimo: ergo nec à latione. *Responsio.* Si dicas Philosophum 10. *Eth.* contradicere sibi, quia *ibidem cap.* 8. constituit finem substantiæ separatæ in speculatione, non in latione. *Replica.* Contrà vrget Doctor, duplicem finem assignari à Philosophis, *Finis perficiens, & finis redundans ex perfectione.* nempe finem perficientem, & ille vltimus est simpliciter, & consistit in operatione; alius est finis consequens ex perfectione, qua illa redundat in effectum, & hic est motus cælorum, quo mediante influit in reliqua; vtrumque autem necessarium sortitur substantia separata ex sententia Philosophi, ideóque docet Deum necessariò agere ad extrà, & mundum consequenter esse ab æterno, & in æternum duraturum. Vide literam Doctoris.

Secunda ratio Philosophi est, quòd permanentis, & sempiterni idem sit ordo ad aliud permanens, & sempiternum; quia ordo & habitudo nequit variari, nisi permutationem vtriusque, vel alterius extremi: sed Intelligentia, & cælum ita se habent: ergo, &c. Subiungit occurrens responsioni, quòd difformis habitudo in motu oriatur à causis inferioribus, vniformitas verò vt est à sempiternis secundùm Philosophum. 3 *2. Ratio Philosophi. Ex vniformitate sempiterni ad sempiterna.*

Tertia ratio est ex diuisione entis in necessarium, & contingens, subdiuidendo *necessarium* in simpliciter, vel vt in pluribus: & probat cælum eiusque motum regulatum, esse simpliciter necessarium, vt patet experientia: & quia alioquin oppositum esset in tali corpore imperfectio repugnans, quia quod tantùm vt in pluribus euenit, simpliciter in aliquo potest euenire oppositum, itaque ex fine, ex habitudine vniformi in sempiternis, & ex necessitate essendi deducit Philosophus suam conclusionem. *3. Ratio. Ex diuisione entis in necessarium & contingẽs.*

SCHOLIVM.

Theologi tenent motum cæli cessaturum, & probant variis locis Scripturæ, quæ Doctor soluit: ostendit etiam rationem D. Thom. ad idem nihil facere, quam (inquit) Philosophus derideret.

Ric. præsenti dist. ar. 2. q. 2. D. Th. art. 2. q. 2. Henr. quodlib. 4. q. 12. [c] THeologi autem communiter tenent oppositum: pro quo adducuntur auctoritates, & rationes. Auctoritas vna Isaiæ 60. & ponitur in litera: *Non erit ibi amplius Sol ad lucendum per diem.* Sed ista auctoritas sicut respondet Magister adducens Hieronymum, *lib.* 17. *super Isaiam.* Non negat Solem, & Lunam tunc lucere (licèt hoc videantur verba sonare) sed significatur his qui erunt in æterna beatitudine, nullum vsum lucis præstare. Vnde Hieronymus: *Solis, ac Lunæ nobis cessabit officium, & erit ipse Dominus lumen suis in perpetuum.* Similiter intelligitur illa auctoritas Apoc. 21. *Ciuitas non eget Sole.* Alia auctoritas adducitur Apoc. 10. *Iurauit Angelus, &c. quòd post hoc tempus amplius non erit.* Sed exponi posset illud, quòd non erit amplius tempus vt impleatur prophetia, quia iam erit omnis impleta. 6

Adducitur

Adducitur ratio talis: motus cælorum est tanquam propter finem, propter generationem, & corruptionem; ergo cessante illa generatione, frustrà erit talis motus. Et istud confirmatur 2. *de Generatione*, quòd præter lationem diurnam, necessaria est latio Solis in obliquo circulo, vt sit continua generatio, & corruptio istorum inferiorum. Et idem Philosophus 2. Physic. *Sumus quodammodo finis omnium.* *D. Thom. art. 2. Henr. vbi suprà. Text. com. 56. & inde. Text. 24.*

7 Sed illam rationem derideret Philosophus: nunquam enim aliquid ignobilius est nobilioris finis, loquendo de fine perficiente: sed tantummodo de fine proueniente, seu qualitercunque terminante; & tūc ex defectu talis finis (quẽ tamen defectum ipse negaret esse futurum, quia ponit generationem perpetuam, sicut & motum cæli) si poneretur, non sequeretur motum cæli deficere: sicut nec ex defectu effectus, sequitur causam deficere, maximè si effectus deficit, non propter defectum huius causæ, sed alicuius alterius. Sicut oportet Theologum dicere quòd generatio non deficit propter defectum causæ in sua causalitate, sed propter voluntatem diuinam. *Ignobilius non est finis nobilioris.* *Deficiente effectu non ideo cessat causa.*

Et cùm dicitur de frustrà, nullam apparentiam habet: quia non est aliquid frustrà, si habet finem perficientem, licèt non proueniat vlteriùs aliquis finis extrinsecus, qui non est perficiens: sicut nec Deus fuit frustrà ab æterno, licèt non creauit illas res extrà, quæ sunt finis quodammodo. *Res non est frustrà, licèt careat fine extrinseco.*

Illa auctoritas 2. *Physic.* potest exponi finis omnium, supple generabilium, & corruptibilium: quia homo est nobilissimum inter illa, & in hoc quodammodo finis perficiens.

COMMENTARIVS.

4 *Sententia Theologorum opposita. Fundamenta.* [c] *Theologi autem communiter tenent oppositum,* &c. Ita enim omnes docent in præsenti distinctione, & sequitur ex dictis in præcedentibus: probatur ex illo Isaiæ 60. *non erit ibi Sol ampliùs ad lucendum per diem*, &c. Hæc authoritas quoad literalem sensum intelligitur de Ierusalem cælesti, vt exponit Hieronymus, & patet ex contextu, quia quoad officium non erit Sol, aut Luna: quia, vt dicitur Apocal. 21. *Ciuitas non eget Sole.* Adducitur prætereа locus ille Apocalypsis *Iurauit Angelus quòd post tempus ampliùs non erit*, &c. Hæc potest intelligi de tempore prophetiæ, & peregrinationis. Adducuntur rationes etiam ad id probandum ex fine motus, ad quas respondet Doctor in textu, eas non concludere, necessariò scilicet.

SCHOLIVM.

Resoluit, licèt non conuincant Philosophi ratione, nec Theologi ratione, vel auctoritate: tamen esse magis consonum Scripturæ, & Sanctis, motum cæli cessaturum: & declarat possibilitatem vtriusque partis satis perspicuè. Ita communis DD. hîc, D. Thom. in addit. quæst. 74. art. 4. ad 1. & 2. August. de natura boni, cap. 19. 24. & alij, quos citat Henriq. l. vlt. cap. 24 §. 5. Gloss. f.

8 [d] AD quæstionem potest dici, quòd nec Philosophus probat necessariò conclusionem suam, nec Theologi suam; nedum per rationem necessariam, sed nec per auctoritatem Scripturæ euidentem. Et patet ex dictis quomodo soluuntur illa, quæ adducuntur pro secunda via. Rationes autem pro via Philosophi soluentur postea. Quid ergo? Prima pars [e] probabilius videtur probare per rationem, quàm secunda. Secunda licèt non expresè habeatur in Scriptura, magis videtur concordare cum dictis Sanctorum, & Scripturæ.

[f] Et possibilitas vtriusque partis probari potest; primæ faciliter, & hoc tam communiter secundùm Theologos, quàm secundùm Philosophos: quia causæ illæ mouentes, sicut sunt sufficientes ad mouendùm per tantum tempus à principio mundi, vsque ad iudicium: ita sunt potentes mouere in infinitum: virtus enim illa infinita primi motoris, sufficit ad mouendum ex se in ordine primæ causæ: & aliæ virtutes sufficiunt per istud sempiternum mouere in virtute illius. *Possibilitas æternitatis motus cæli, & possibilitas cessationis.*

9 Possibilitas secundæ partis probatur, sed non ex concessis à Philosophis, sed Theologis tantùm; quia voluntas Dei contingenter se habet ad mouere cælum, & non mouere. Prima causa contingenter se habente ad effectum, effectus est simpliciter contingens, & potest simpliciter non esse, ex hoc quòd illa causa potest in suo ordine simpliciter non causare: & illa non causante nulla alia causabit.

Prætereà, arguitur ex parte ipsius mobilis, quia motus cæli non est naturalis, nec violentus: non naturalis, vt probat Auic. 9. *Metaph.* quia tunc cùm perueniret ad aliud, ad quod naturaliter moueretur, naturaliter quiesceret: quia motus naturalis *Cap. 2.*

Motum cæli naturalem, quia sequeretur esse simul violentum.

est ad quietem naturalem in illo *vbi*, ad quod est motus: & per consequens ab illo esset motus violentus: & tunc vltrà cùm semper, dum est accessus alicuius partis ad aliquod *vbi*, est recessus alterius partis ab eodem *vbi* (imò quælibet pars postquam transiuit illud *vbi*, dum accedit ad aliud *vbi*, recedit ab illo secundùm diuersas partes circuli, in quo mouetur) sequitur quòd idem simul moueretur naturaliter, & violenter. Nec est violentus, quia tunc recessus ab illo esset naturalis: & tunc vt priùs simul naturalis, & violentus; ergo ex parte ipsius mobilis nulla est repugnantia, nec quòd motus continuetur, nec quòd finiatur.

COMMENTARIVS.

5 *Non probari neque vnam neque alterã partem euidenter.*

d AD *quæstionem potest dici*, &c. Respondet ad quæstionem quòd neque Philosophus probat suam conclusionem necessariò, & demonstratiuè, neque Theologus per rationem euidentem, neque per Scripturam, etiam euidentem: quia loca præmissa Scripturæ habent alium sensum magis principalem, & literalem, vt patet ex dictis, sicut & alia loca, quæ citantur, vt Zachariæ 14. *Erit dies vna*, &c, quæ dies magis explicatur de tempore Machabæorum, quod partim fuit participans de Dei fauoribus, & pace antecedente; partim verò de persecutione Antiochi, ita vt neque dies clarus fuerit sine nubilo, neque etiam nox obscura sine lumine diuini adiutorij. Citatur etiam Habacuc vltimo: *Sol, & Luna steterunt*, &c. vbi Propheta ad literam alludit ad miraculum factum Iosue in Gabaon. Videantur authores, quos citat Scholiastes.

Explicatio Scripturæ.

6 *Censura Doctoris quoad vtramque partem.*

e *Prima pars probabilius videtur probare*, &c. Hæc censura Doctoris quoad vtramque sententiam. Prima autem pars intelligitur quantùm ad rationem naturalem, & necessariam ex principiis Physicis motus, de qua tantùm agit Doctor. Dices, ratio Philosophorum est falsa, & ex principiis erroneis de necessitate motus ex parte causarum, & finis; concludit etiam in virtute propositionis falsæ, nempe generationem in sublunaribus semper permansuram, ac proinde motum. Item, Deum, & Intelligentias agere necessariò: ergo eorum ratio non est magis probabilis, etiam ex principiis motus. Deinde, ratio Theologorum est vera: quia cessante fine motus, debet & ipse motus cessare; cessat autem finis motus renouato mundo, & destructis mixtis, & causis particularibus motus, sine quibus nequit esse generatio ob ordinem necessarium causarum, quem statuerunt Philosophi: ergo neque motus cæli est vtilis ad talem finem, qui attingi nequit per solam virtutem cælorum, & cùm natura abhorreat superfluum, magis est conueniens quies cælorum, quàm motus, ex quo nullus potest esse effectus intentus naturæ, aut primariò, & per se.

Obiectio. Discursus Philosophorum ex falsis principiis.

Ratio Theologorum ex veris.

7 *Responsio. Apparentia discursus Philosophorũ ad principia reducitur.*

Respondetur, rationem Philosophorum in hoc esse magis probabilem, non quà reducitur ad principium erroneum de necessitate mouendi ex parte motoris; sed quatenus à posteriori innititur experientia, qua compertum est motum cælorum, vt procedit à primo motore, esse regularem, & vniformem, & sine vlla, quæ hactenus apparuit, mutatione, aut difformitate. Secundò, quatenus etiam à priori probatur sufficiens virtus applicata, & infatigabilis, & nullum subesse impedimentum ex parte mobilis, aut inferioris causæ; quæ ratio admittitur à Theologis, ex qua deducitur benè, quòd ex nulla causa naturali possit oriri illa cessatio, & hoc supposito, quatenus natura tendit in suam perfectionem, & conseruationem partium vniuersi ab intrinseco fine: sequitur etiam æternitatem talis motus magis esse consentaneam naturæ, & perfectioni causarum, quàm cessatio; in hoc ergo versatur ratio Philosophorum, & secundùm solùm lumen naturæ, non se extendens ad aliam dispositionem causæ primæ, aut finem extrinsecum, & supernaturalem, qui scitur tantùm ex reuelatis.

Ratio autem Theologorum procedit ex reuelatis, quibus innititur: nam illam propositionem, cessante fine motus cessaret ipse motus, admitteret Philosophus; sed hunc finem cessaturum non probat Theologus aliter, quàm ex reuelatis, vel ex iis, quæ sunt consentanea reuelatis, in quorum veritate extrema minoris vniuntur, & ideò conclusio sequitur naturam minoris, & sic non est veritas naturaliter probata. Hic est scopus censuræ, ex quo patet ad obiectionem: quia hîc agitur de ratione Physica, & naturaliter concludente per causas naturali lumine notas. 8

Ratio Theologorum ex reuelatis.

Præterea, dato etiam quòd generatio humana cessabit post iudicium, non inde sequitur illius motus finem integrè cessare, quia etsi per ignem conflagrationis purgabitur orbis, & delebuntur mixta: tamen possunt iterum quædam mixta reproduci ex elementis, quæ ad ornatum elementorum facerent: nam vt Dionysius Carthus. in hac distinctione refert ex Guillelmo Parisiensi, aliqui senserunt terram fore viridem, & floridam, quod etiam sentire videtur Anselmus in Elucidario: *Terra*, inquit, *quæ in gremio suo Domini corpus confouit, tota erit vt Paradisus, & quæ Sanctorum sãguine est irrigata odoriferis floribus, & rosis, & violis immarcescentibus erit perpetuò decorata*, &c. Itaque dici similiter posset quædam alia mixta ad complementum, & decorem vniuersi esse producenda, quo posito, saluaretur sufficiens finis motus cælorum: sicut ergo incertum est quænam sit futura renouatio mundi, quia illa erit talis, qualem Deus disposuit sua voluntate; ita incertum est, spectata ratione naturali, an cessabit motus cælorum, ideóque resolutio reducitur ad communem Doctorum, & loca citata, & Patrum, qui ita docent.

Cessante homine possunt aliqua mixta reproduci.

Sententia quorundam.

f *Possibilitas vtriusque partis probari potest*, &c. Hîc transit ad aliud, quod est certius, nempe vtramque partem probari possibilem, & in primis sententia Philosophorum, quoad possibilitatem motus futuri æterni, & infinibilis facilè probari potest; & probatur ab ipsis Theologis ex sufficientia virtutis applicatæ, & remotione impedimenti, & fatigationis. Possibilitas secundæ partis probatur ex eo, quòd primus motor, & aliæ Intelligentiæ proximè mouentes, moueant merè, liberè, ac proinde cessare possunt à motu. Antecedens negaret Philosophus: sed in hoc errauit. Ratio ergo illa est ex parte causæ efficientis. Secunda ratio est ex parte mobilis 9

Possibilitas vtriusque partis probatur.

mobilis; quatenus per quietem tollitur ab eo imperfectio; quia scilicet non naturaliter mouetur, id est, per motum naturalem, ad quem ex natura sua inclinatur, vt ignis ad calorem; sed mouetur motu neutro; ergo si cesset non repugnat eius perfectioni.

Motus cæli est neuter.

SCHOLIVM.

Arguit quadrupliciter motum cæli mansurum post iudicium. Primò, quia manebunt cogitationes, & imaginationes, in quibus erit successio. Secundò, si staret cælum in corporibus suppositis, & in his oppositis, esset maxima intemperies. Tertiò, motus cæli est simpliciter primum in motibus. Quartò, in opposita parte terræ semper essent tenebræ. Soluit subtilissimè ista argumenta in fauorem communis sententiæ Theologorum.

10 g Contra secundam viam, quæ est Theologorum, obiicitur sic: Post iudicium erit successio in cogitationibus Beatorum, vel saltem damnatorum, & etiam in actibus imaginatiuæ; talis successus non potest esse sine tempore, quia secundùm Auerroëm 4. *Physic. cap. de Tempore, com.2.* si quis non perciperet aliquem fluxum, nisi tantùm in actu imaginandi, adhuc perciperet tempus; si ergo tunc tempus erit, & tempus non poterit esse sine motu cæli, quia tempus est passio primi motus. 4. *Physic. cap. de Tempore, in fine*; ergo, &c.

Com. 98. totius lib. Text. 133.

Prætereà, si starent corpora cælestia, haberent immoderatam actionem in corpora supposita: quia accedente Sole, nunc plus generatur de elementis superioribus, & etiam corrumpitur de inferioribus, è conuerso ipso recedente: ergo Sole perpetuò stante super aliquam partem hemisphærij, in illa parte immoderatè generaretur plus de igne, & corrumperetur de aqua, & terra: & ita in illa regione supposita, non staret distinctus ordo sphærarum elementarium.

Accedente Sole plus generatur de igne, & aëre, eo recedente plus de aqua, & terra.

11 Consimiliter nec in parte opposita, quia ibi esset oppositus modus generationis, & corruptionis, vel aliàs essent duo corpora simul, vel immoderata condensatio: idem sequeretur de mixtis, si tamen aliqua mixta ponerentur tunc manere. Nam corpora cælestia stantia directè super illam regionem, corrumperent illa mixta; & tandem omnia in aliqua conuenientia virtuti elementorum istorum supposita virtuti illorum.

Prætereà, in quolibet ordine essentiali, destructo primo destruitur omne posterius. 2. *Metaph.* motus cælestis est simpliciter primus motus, *ex 8. Physicorum:* ergo illo destructo impossibile est aliquem alium esse: sed tunc possibile est aliquem esse, vtpote motum localem omnium Beatorum, & etiam alium motum in istis inferioribus. Si enim actiuum approximetur passo, vtpote ignis alicui combustibili, non est ratio quare non posset agere in illud. Et ad hoc est articulus. *Stante cælo, si applicetur ignis stupæ, non poterit comburere: error est.*

Text. 6. Text. 73. & inde.

Art. Parisien. c. 11. & 17.

Prætereà, quartò, si Sol semper staret in opposita parte terræ, semper esset tenebra: quia cùm terra sit corpus opacum, necesse est quòd obiecta luminari faciat vltra se pyramidem vmbrosam.

12 h Ad primum dicitur sic, quòd tempus non est in motu cæli, sicut vna quantitas in alia quantitate; quia non oportet ponere duas tales quantitates in eodem subiecto permanente, quarum vna sit quasi subiectum, & alia quasi passio; ergo tempus vltra motum, vt motus includit propriam successionem, non addit nisi rationem mensuræ formaliter, & fundamentaliter rationes illas, quæ requiruntur ad mensurandum: quæ sunt vniformitas, siue regularitas, & velocitas: quia mensura est quid certissimum quantùm ad primum, scilicet regularitatem, vel vniformitatem: & minimum quantùm ad secundum, scilicet velocitatem: tunc autem non manebit aliquis motus velocissimus, vel saltem non vniformis, vel regularis, & ideò tunc in nullo motu fundabitur ratio mensuræ ad omnem alium motum: & ideò tempus non erit eo modo, quo nunc ponitur passio primi motus.

Quid addat tempus super motum?

Si arguatur, mensuratum non potest esse sine mensura: Respondeo, hoc verum est de mensura rei in *esse* quiditatiuo. & ratio est, quia mensuratum tale dependet à mensura tali, *ex 5. Metaphys. cap. de Ad aliquid*, quia refertur ad ipsum, & non è conuerso: sicut scibile est mensura scientiæ, quia scientia dependet ad ipsum: non est autem verum de mensura accidentali, quæ per applicationem, vel coëxtensionem mensurat: sicut vlna mensurat pannum. Patet enim quòd quantitas panni non dependet à quantitate vlnæ: & hoc solo modo, motus primus acceptus secundùm suam extensionem successiuam cum relatione mensurationis ad alios motus, est mensura eorum

Mensuratum nō potest esse sine mensura essentiali, sed sine accidētali potest. Text. 20.

Sole stante, orante Iosuë, totum cælum stetit.

rum per applicationem, vel coëxtensionem: non autem per terminationem dependentiæ essentialis eorum. Pro ista responsione adducitur illud Iosuë 10. quòd ipse pugnauit stante Sole, & Luna, & per consequens toto cælo, ne illis stantibus, & aliis omnibus corporibus motis esset nimia irregularitas in motu istorum corporum cælestium: & Augustinus, vndecimo Confess. *Stante cælo mouetur rotula figuli.*

i Ad secundum, ista ratio non debet mouere, vt propter talem actionem immoderatam vitandam in elementis, ponatur cælum non stare; quia tunc erit eadem ratio agendi, quæ & nunc, licèt non æquè vniformiter: & nunc est eadem ratio non immoderatè agendi in inferiora, quæ & tunc. Primum probatur, quia tunc non est ratio agendi ex parte causæ particularis, nisi quia habet formam sufficienter actiuam, & passum approximatum: vel si dicas cum hoc aliud agens vniuersale, scilicet cælum: Volo, non inquantùm motum localiter, quia motus localis non est sibi ratio agendi in suo ordine. 13

Text. 55.

Nihil enim facit motus localis secundùm Philosophum 2. *de Generatione*, nisi quòd adducit generans, hoc est per ipsum fit approximatio agentis habentis virtutem propriam, ad ipsum passum. Sed hæc omnia, scilicet particulare agens habens virtutem actiuã propriam, & approximatio ad passum, & habitudo, siue aspectus ad corpus cæleste habens determinatam virtutem causæ superioris, possunt tunc poni: quia corpus cæleste quiescens eandem virtutem causæ superioris habet respectu causæ inferioris suppositæ, quam haberet si non quiesceret: ergo omnia sunt requisita ad actionem tunc, quæ & nunc.

Vnde est quòd cæli nõ corrumpant inferiora?

Secundum probatur: nam quòd modò non sit immoderata actio, hoc est vel ex parte causarum proximarum resistentium sibi mutuò in actionibus suis, etiam pro tunc, quando vtrumque est sufficienter approximatum passo, puta Sol hinc, & Saturnus inde, ad vnum pugillum terræ: & ista resistentia posset inueniri in vtrisque quiescentibus, sicut motis: vel ista non destructio est ex parte totius cæli, quia harmonia est in omnibus corporibus cælestibus comparatis ad aliquam partem actiuorum, & passiuorum, ita quòd non permittunt immoderatam consumptionem repugnantem perfecto *esse* elementorum in suis sphæris: & ista causa erit tunc vt nunc: vel si non posset inueniri causa in ipso cælo, vel in ipsis elementis huius prohibitionis, posset poni in voluntate diuina conseruante.

Alij motus non dependent nisi accidentaliter à motu cæli.

Text. com. 55.

k Ad tertium, primitas motus cælestis ad alios motus, non est primitas causæ, vel alicuius, à quo dependent essentialiter: sed tantummodo cuiusdam perfectionis in quibusdam conditionibus motus, quæ sunt regularitas, & velocitas: patet enim quòd essentialiter non dependet actio corporis cælestis in aliquod inferius, ex motu illius corporis: quia secundùm Philosophum, secundo de Generatione, *Nihil facit latio ad generationem, nisi quia adducit generans:* ergo si sine illo motu generans esset æquè approximatum, æquè ageret. 14

Vide D. Thom. & Richar. hîc

Si Sol staret, opposita pars terræ esset vmbrosa semper.

l Ad quartum, non habetur pro inconuenienti de illa pyramide vmbrosa: & ex hoc reiicitur ista auctoritas Isidori adducta, quòd Sol, & Luna stabunt, ne damnati sub terra habeant aliquod lumen. Non enim sic sunt sub terra sicut aliqui imaginantur Antipodes, quasi in superficie opposita nostræ terræ habitabili: sed sunt sub terra, id est, in centro terræ, vel concauo terræ, & sic non magis haberent lumen si Sol circumferretur, quàm si Sol semper staret in vna parte. similiter alia pars illius auctoritatis, quòd Sol, & Luna in ordine, in quo creati sunt, stabunt. Videtur autem satis irrationabile; quia ex quo recesserunt semel ab illo situ, non redeunt iterum ad eundem infra spatium trigintasexmillium annorum: ergo oporteret iudicium vsque ad hunc terminum differri post creationem mundi, quod non est probabile. Similiter creata erant in situ maximè conuenienti nouæ productioni rerum: stabunt autem in situ maximè conuenienti conseruationi rerum sine noua productione: ergo non potest iste situs esse ille.

COMMENTARIVS.

10

Obiectio quadruplex contra sententiam Theologorum.

1. Obiectio.

g *Contra secundam viam*, &c. Opponit quatuor rationes contra sententiam Theologorum, quibus mox respondet. Prima ratio est quia ibi erit successio in cogitationibus, & imaginationibus: ergo tempus, iuxta Auerroëm *in* 4. *Phys. cap. de Tempore:* vbi dicit quòd percipiens fluxum imaginationis, percipit tempus, hoc est mensura motus secundùm Philosophum ibi. Confirmari potest, quia ibi cogitationes quæcumque in proprio genere non semper stabunt permanenter: ergo aliquæ desinent, quarum mox recordatio esse potest vt præteriti: ergo erunt secundùm differentiam temporis.

Ex successione in actibus.

Confirmatio. Ex desitione actuum, & recordatione.

2. Obiectio. ex vacuo.

Secundò,

2. Obiectio ex vacuo. Secundò, si semper staret Sol, sequeretur immoderata actio in illo hemisphærio, & corrumperentur elementa, & sequeretur vacuum, aut condensatio immoderata, quod est incóueniens.

3. Obiectio ex mensura motiuū. Tertiò, in quolibet ordine essentiali destructo primo, destruuntur reliqua in eodem ordine; sed motus cæli in genere motus est primus 8. *Phys.* ergo eo destructo, etiam reliqui destruuntur. Hoc est falsum, quia potest esse motus localis Beatorum, & alij; vt patet ex articulo Parisiensi: ergo, &c.

4. Ratio. Quartò, si Sol staret in opposita parte terræ, esset vmbra, quod est inconueniens &c.

11 Ad primam responsio. [h] *Ad primum dicitur*, &c. Respondet ad primam, & docet quid addat tempus supra motum, dicit quòd non quantitatem diuersam; quia sic duæ quantitates subiectarentur in eodem, nempe duæ successiuæ, quod est inconueniens; addit ergo formaliter solam rationem mensuræ, connotando ipsum motum materialiter, vt est vniformis regularis, & velox est: ergo respectus conformitatis ad motum inferiorem; hæc autem conformitas præter coëxistentiam vtriusque motus, dicit etiam cognitionem exparte mensuræ, vt temporis; quia est magis nota quantitas, per quam ex applicatione cognoscitur quantitas ignota, cui applicatur, tanquam ratio cognoscendi ignotam: tunc ergo non manebit tempus. quatenus nunc ponitur passio primi mobilis; neque erit alius motus primus in ratione mensuræ. Dices, mensuratum non potest esse sine mensura. Respondet id verum esse de mensura quiditatiua, non verò quantitatiua, & ad propositum patet exemplum ex illo Iosuë 10. qui pugnauit stante Sole. Ad propositum ergo, erunt ibi cogitationū successio, quantùm ad actus succedentes, qui tamen tempore non mensurantur, sed æuo, non erit successio respectiuè ad mensuram extrinsecam, sicut patet etiam in pugna Israëlitarum contra hostes, stante Sole, quæ fuit successiua sine successione in motu cæli. Ad confirmationem patet ex dictis: quia potest stare successio sine motu cæli, & memoria illa actus præteriti quantùm præteritus non est secundùm differentiam mensuræ extrinsecæ, sed quantùm ad durationem intrinsecam actus.

Quid superaddit tempus motui.

Nòn manebit tēpus cessante motu.

Replica.

Mensura operationū erit æuum.

Ad confirmationem.

12 Ad secundū retorquetur idem inconueniens. [i] *Ad secundum*, &c. Respondet quòd inconueniens adductum etiam de facto, sequitur etiam moto Sole, qui successiuè perlustrat partes mundi nunc has, nunc illas, quibus secundùm diuersa signa Zodiaci applicatur, cuius motus localis non facit ad generationem, nisi vt per eum applicatur causa per se generationis: neque motus localis est ipsi ratio agendi in suo ordine causæ vniuersalis, causa enim generationis proxima est agens particulare vt subordinatur superiori secundùm determinatum situm, ad quem facit latio Solis, & non ad actionem, vt principium, vel actus productiuus; idem etiam sequeretur, Sole stante, respectiuè ad causam inferiorem, eiúsque effectum. Quòd ergo de facto non sequatur actio immoderata, est ex resistentia causarum vniformiter applicatarum ad idem passum v. g. Sol, & Saturnus vt applicati ad pugillum terræ, se mutuò impediunt, & sic de aliis causis vniuersalibus, vt comparantur ad conseruationem partium vniuersi, non permittunt immoderatam consumptionem elementorum: quæ resistentia etiam maneret stante Sole. Accedit etiam quòd hoc impedimentum potest reduci ad causam primam non concurrentem, prout status mundi ab eo disponetur post renouationem eius, purgatis etiam elementis non erit materia putrefactibilis ex mixtione apta generationi, & forma elementaris subiget suam materiam perfectè fortè, sicut nunc forma cæli propriam materiam subigit per suam actualitatem, vt sit incapax alterius formæ ab agente creato.

Latio causat generationem vt applicat causam per se eius.

Causæ conseruantes integritatem vniuersi.

Status mūdi renouandi.

13 Responsio ad tertium obiectionem. [k] *Ad tertium.* Respondet primitatem motus cæli non esse causam, à qua dependent essentialiter motus inferiores; sed esse primitatem quantùm ad aliquas conditiones motus, vt est regularitas, & velocitas aptæ ad mensuram, quæ facit deuenire in cognitionem quantitatem ignotam successionis in motu inferiore. Vnde Philosophus 2. de Gen. t. com. 55. *Nihil*, inquit, *facit latio ad generationem, nisi quia adducit generans*, &c. & consequenter si esset generans applicatum, aliàs sine tali latione generaret: erit autem applicatū etiā Sole stante aliquibus partibus: ergo, &c.

Motus cæli non est mensura essentialis.

14 Ad 4. Obiectionem responsio. [l] *Ad quartum*, &c. Non habetur inconueniens talis vmbra, & in hoc reiicitur ratio adducta ab Isidoro, & suprà expressa in argumento pro parte affirmatiua ad oppositum quæstionis, quatenus dicit Solem staturum, ne damnatis luceat; quia damnati sunt in centro terræ non in aliqua superficie eius, sicut sunt Antipodes respectu nostri. Deinde etiam quod asseritur ab eodem, nempe quòd Sol & Luna stabunt in eodem ordine, quo sunt creati, quia hoc non videtur concordare periodis motuum cælestium, quas assignant Astrologi: nona enim Sphæra iuxta Prolemæum, quem sequitur Doctor, triginta sex millibus annorum, iuxta tabulas verò Alphonsi, quadraginta nouem millibus, vel vt vult Albatagnius annis 23760. perficit circulum: vel oporteret ergo mundum durare tot annis ante iudicium, quod non est probabile, ad hoc vt possint redire ad eundem situm respectiuè ad nonum cælum. Deinde, videntur luminaria fuisse creata in situ maximè conuenienti generationi rerum, & post iudicium fore in situ magis conuenienti quieti. Dici posset diuina virtute cælos reduci ad situm, in quo fuerunt creati; sed pro hoc non est authoritas præter illam Isidori, quæ etiam interpretari potest de situ Solis & Lunæ respectiuè ad mundum inferiorem, & non ad superiores orbes. Quantùm autem ad principalem difficultatem de illa pyramide vmbrosa, potest negari, dato quòd Sol septies ampliùs lucebit, & terra fiet transparens & diaphana sicut vitrum, vt aliqui dicunt.

Reiicitur ratio Isidori.

Calorū quies non erit in eo ordine quo sunt creati.

Explicatur Isidorus.

Non erit vmbra ex interpositione terræ.

SCHOLIVM.

Ad primum ex Phil. 9. Metaph. respondet eum errasse, putando non posse agens (loquendo de voluntario) cessare, nisi fatigetur. Ad vltim. ex eodem, docet motum cæli esse neutrum, idem habet suprà distinct. 43. quæst. 4. & 2. dist. 14. quæst. 2.

quæst. 2. & quæst. 1. prol. sed 2. Physic. quæst. 4. ait esse naturalem, verùm non loquitur ibi de naturali strictè, & propriè, vt hic.

Ad arg. 1. m AD argumenta principalia. Ad primum, non est finis principalis luminarium, quòd sint luminaria in dies, & annos, &c. sed est finis sub fine pro tempore vitæ mortalis hominum, indigentium tali distinctione temporum. 15

Per idem ad secundum, *Cunctis*, &c. Hoc est cunctis diebus, quibus vtilis est sementis, & messibus, quod non est nisi pro vita mortali. Vel aliter, *cunctis diebus terræ*, id est, cunctis diebus vitæ terrenæ hominis.

Ad 2. *Agens nõ cessat, nisi fatigetur, falsum est de agente libero.*

n Ad aliud, patet quòd illa conclusio fuit de intentione Philosophi: sed malè probatur, quia agens non fatigatur. Agens enim voluntariè potest cessare ab agendo, licèt non fatigetur in agendo. Vnde hæc esset concedenda, quòd omne agens, quod in agendo fatigatur, quandoque deficiet: sed si non fatigatur, non oportet quòd non deficiat, quia est alia causa deficiendi, vel cessandi quàm fatigatio.

Illas autem alias propositiones de nono Metaphysicæ, quòd non est ibi potentia contradictionis, & hoc quia nulla est ibi materia, si adducantur ad probandum infatigabilitatem, concedo: sed ex infatigabilitate non sequitur propositum. Si autem adducantur ad probandum conclusionem principalem, non valent; quia siue in cælo sit materia, quæ est pars substantiæ, siue non, saltem materia in potentia ad *vbi*, scilicet subiectum mobile, est ibi: & oportet probare quòd illud non sit de se in potentia contradictionis ad motum, & non motum: oppositum enim videtur probabilius, cùm non habeat in se nisi potentiam receptiuam mobilis ad motum: & omnis potentia præcisa receptiua videtur esse contradictionis.

Omnis potentia receptiua est contradictionis.

Ad aliud, dico quòd motus non est nisi perfectio ipsius cæli secundùm *quid*: & talem deficere non est inconueniens, maximè cùm quies perpetua sit ibi maior perfectio. Et si arguas tunc frustrà moueretur modo. Et præterea motus se habet ad quietem, sicut potentia ad priuationem. 16

Cælum non mouetur ad perfectionẽ sui, sed ad aliorum.

Ad primum, cælum non mouetur propter aliquam perfectionem intrinsecam completiuam sui, quæ consistat in motu, vel acquiratur per motum: sed stante non imperfectione cæli, quia est in potentia neutra ad moueri, & ad quiescere: perfectio tamen vniuersi pro statu isto, magis requirit cælum moueri propter statum corruptibilium.

Quomodo quies est perfectior motu?

Ad secundum, accipiendo *quietem* prout præcisè dicit carentiam motus, sic est imperfectior: quia quantumcunque positiuum illud, quod dicit motus, sit imperfectum: tamen carentia eius vt carentia, non est sic perfecta: sed in quiete est aliquid subtractum, identitas siue vniformitas essentiæ, & istud est simpliciter perfectius, quàm sit illud positiuum in motu, scilicet aliter, & aliter se habere.

9. Met. c. 2. *Motus cæli est neuter.* *Suprà d. 43. q. 4. & q. 1. prol. & 2. d. 14. q. 2.*

o Ad aliud respondet Auicenna quòd nec est naturalis, nec violentus: sed ex parte agentis voluntarius, licèt tali voluntate, quæ secundùm ipsum, & Aristot. necessariò determinatur ad agendum: ex parte autem passi, ponendus est neuter, sicut dictum est alias, quòd superficies est in potentia neutra ad albedinem; & vniuersaliter, quando subiectum est neutrum contrarium determinatè inclinatur, neutrum recipit naturaliter, vel violenter. Est tamen in cælo quædam habilitas ad motum circularem propter hoc, quòd ipsum est figuræ sphæricæ: sed ista habilitas non sufficit ad naturalitatem, sed tantummodo ad non violentiam.

Soluit argumenta Phil. pro æternitate motus cæli adducta à n. 3.

p Ad rationes adductas pro opinione Philosophi. Ad primam, Theologus fortè haberet negare ab Intelligentia omnem potentiam productiuam substantiæ; & tunc videretur difficultas, quomodo istud non competeret sibi, & tamen substantiæ imperfectiori competit; & licèt in hoc non perficiatur substantia in se, tamen competit substantiæ propter perfectionem, sicut argutum est. 17

Si iterum daretur Philosopho, quòd ista substantia est communicatiua sui producendo substantiam: non sequitur, ergo necessariò, vel sempiternè, quia productio actualis alterius substantiæ, non est propter bonum illius in se, sed vniuersi: & bonum vniuersi non requirit in infinitum talem productionem. Et in hoc esset pes figendus Theologis, si vellent arguere pro parte sua ex creditis. Vel ex probabilibus aliqualiter secundùm rationem naturalem, ostendendo quòd perfectio vniuersi magis requirat, vel æquè compatiatur generationem cessare, quàm ipsum continuari vltra. Ex hoc non habetur propositum de motu, sicut responsum fuit ad rationem pro opin. Theologorum: sed oporteret ostendere, quòd perfectio vniuersi magis requireret

requireret quietem istorum corporum, vel æquè permitteret.

18 ᵠ Ad secundum, oporteret negare istam propositionem maiorem in agente voluntariè: quia voluntate antiqua, & immutabili potest difformiter agere in passum antiquum, & esse immutabile in se. Et tunc ad probatiorem maioris, extrema istius nouæ habitudinis non erunt absoluta natura agentis, & absoluta natura passi, quæ sunt vniformia: sed agens, & passum vt habens formam nouam causatam ab agente, & illud fundamentum est nouum, & ideò fundat nouam habitudinem passi ad agens. Si quæras an istud nouum causatum, aliquam habitudinem nouam passi ad agens habeat? Dico quòd nulla est, quia sicut prima nouitas in passo est in habendo hanc formam, ita prima habitudo noua eius ad agens, est secundùm istam formam nouam.

ʳ Ad tertium, dico quòd aliquod potest contingere ad vtrumlibet, ita quòd ex parte ipsius cæli non est repugnantia, ad hoc, quia est de se in potentia contradictionis: sed completiuè contingentia ad vtrumlibet est ex contingentia ex parte ipsius causæ voluntariè mouentis, sic quòd eius voluntas nec necessariò determinatur ad mouendum, nec ad non mouendum. *Ad 3.*

COMMENTARIVS.

15 *Ad argumenta. Ad primum.* ᵐ AD *argumenta principalia. Ad primum,* &c. Hoc fuit ex illo Gen. *Fiant luminaria,* &c. & *sint in tempora, & signa, & dies, & annos,* &c. Item cap. 8. *Cunctis diebus terræ, æstas, & hyems, nox, & dies, non requiescent,* &c. Ergo hic est finis luminarium, & creationis eorum. *Responsio.* Respondet esse finem sub fine, & secundarium. Finis primarius fuit vita hominum in peregrinatione indigentium tali distinctione cunctis diebus, quibus vtilis est sementis, & messibus.

16 *Ad secundum.* ⁿ *Ad secundum.* Quod est ex nouo Metaphys. eiúsque probationes ex eodem cap. 17. & 2. Cæli tit. 2. quatenus contendit Philosophus non contingere cessationem à motu, nisi ob fatigationem virtutis, aut propter potentiam contradictionis, quâ forma inducitur diuersa in mobili. *Responsio. Error Philosophi.* Respondet Philosophum errasse: quia motus, quem putauit necessarium, est liber, & contingens, à quo cessare potest agens voluntarium ex propria libertate: non est ergo sola fatigatio causa cessationis in motore, quamuis illa sufficiat in eo, qui fatigatur, sed etiam libertas. *Motoris libertas causa cessationis motus.* Potentia etiam contradictionis nulla est in cælo, nisi ad motum, & lationem, nullámque perfectionem per illum acquirit, sine quo esset imperfectum: neque mouetur modò ad perfectionem aliquam intrinsecam consequendam, in quo est potentia neutra ad quietem, & motum. Quamuis autem quies sub ratione negationis comparata ad motum sit imperfectior, quia hic est aliquid positiuum: tamen vt connotat actualitatem subiecti completi, & vniformiter se habentis est longè perfectior motu ex genere, qui est *actus entis in potentia & secundùm quod est in potentia,* & connotat potentiam incompletam, & passiuam in subiecto. *Quies perfectior motus.*

17 *Ad 3. Responsio.* ᵒ *Ad tertium,* nempe motum cæli esse naturalem, aut violentum. Respondet ex parte passi esse neutrum, licèt Philosophi ex parte agentis posuerint necessarium, in quo errarunt, quia est merè liber.

18 *Ad primam rationem Philosophi.* ᵖ *Ad rationes factas pro Philosophis.* Ad primam ex fine desumptam, quasi optimus finis intelligentiæ sit mouere cælum. Respondet quòd si admitteretur Intelligentiam esse productiuam substantiæ, hic esset perfectior quàm sit latio ipsa, seu motus cæli: sed hoc non admittitur communiter, iuxta ea quæ disseruit *d. 1. huius quæst. 1.* Dato etiam opposito quòd immediatè produceret substantiam, non sequitur quòd necessariò, & sempiternè; quia productio illa esset ad perfectionem vniuersi, & non ad perfectionem ipsius Intelligentiæ, *Et in hoc*, inquit, *esset Theologo adlaborandum, vt ex creditis, vel ratione probaret quòd perfectio vniuersi magis, vel æquè requirat generationem cessare quàm continuari vltrà.* *Mediũ quod debet vrgeri contra Philosophos.* *Hæc probatio non habetur per rationem factam de motu, sicut responsum fuit ad rationem pro opinione Philosophorum: sed oportet ostendere quòd quies vniuersi magis requireret quietem istorum corporum, vel æquè permitteret,* &c. Hîc non continetur reprehensio, sed insinuatur medium, ex quo debet procedi ad probationem conclusionis ex creditis, & ratione: quia Philosophi in hoc insistunt ex perfectione vniuersi necessaria, ad quam dicunt motum cęlestium corporum requiri, ad saluandas species in mundo inferiori, & elementari, quæ species nequit saluari, nisi per succiduam generationem indiuiduorum, quæ indiuidua nequeunt conseruari sempiternè, quia sunt corruptibilia ab intrinseco, & ab extrinseco: hinc Philosophi contendunt motum esse sempiternum, & necessarium tam ex parte finis conseruationis vniuersi, quàm ex parte causarum superiorum. *Fundamentum Philosophorum.* Vt probetur ergo motum non esse necessarium ex parte finis, probandum est non spectare ad perfectionem vniuersi magis, quam quietem. 18 *Veritas ex creditis.* Ex creditis autem satis probant Theologi resurrectionem, & iudicium finale, & purgationem elementorum, & corruptionem omnium mixtorum, præter solum hominem, vt patet ex locis allegatis, & ex Paulo ad Rom. 8. dicente quòd *Creatura ingemiscit liberationem à seruitute.* An autem Deus iterum renouando mundum restaurabit aliqua mixta, ex creditis non probatur, vel hoc, vel oppositum, idcóque cessatio motus luminarium non est tam euidens ex creditis, sicut est veritas, ex qua deducitur à Theologis: quia ille motus posset continuari ex alio fine, quia ille finis generationis rerum messis, & sementis, & distinctio temporum, qui exprimitur in Scriptura, locis citatis definit, ideò Theologi ex eius cessatione deducunt cessationem motus, accómodando etiam aliqua loca Scripturæ, quæ id insinuant, saltem ex sensu secundario. Ceterùm quia in Genesi finis etiam creationis luminarium solus ille exponatur, quamuis Theologi omnes, *Incertitudo conclusionis deducta ex principiis reuelatis.*

omnes, & Patres, quos suprà citauimus, negent Solem, & Lunam desituros, & colligitur ex ipsa Scriptura, vt ibi visum est, Eneruatur hinc argumentum desumptum ex fine motus cælorum, quatenus incertum sit, an ille solus fuerit eius finis, qui est expressus, vel an alium permansurum Deus præfixit: quia negatiua magis probatur ex communi sententia, quam sequitur Doctor, quàm ex Scriptura expressa, quia stante alio fine illius motus particulari, tunc ad perfectionem vniuersi, vel decorem diceretur motus perpetuandus.

19 Probatio itaque completa, & conuincens ex reuelatis in hoc non habetur. Quantùm autem ad rationem naturalem, sicut nequit resurrectio, & electio, & beatitudo, seu finis supernaturalis probari, aut purgatio mundi per principia Physica, & naturalia: ita etiam nequit probari finis ille, ad quē ordinata est creatio, & consummatio. Procedendo itaque mixtim ex creditis, & ratione morali, rectè probatur Philosophos mancos esse in assignanda perfectione vniuersi, & causarum, quatenus negant eam actualitatem à causis, per quam possint species inferiores conseruari in aliquibus indiuiduis per virtutem primæ causæ, quatenus hanc perfectionem aliter posse reduci ad actum negant, nisi successiuè, & semper in aliqua potentia maneat perfectio vniuersi per ipsos ex defectu virtutis in causis, quæ aliter nequeunt dare vniuerso perfectionem. Ex defectu, inquam, virtutis, quam applicare non possunt: quamuis Philosophi fingant id prouenire ex perfectione causæ primæ, & imperfectione effectus, ne redundaret in causam primam, si ab ea immediatè produceretur, aut conseruaretur: nam admittendo causam primam esse infinitam, necessariò concedi debet eam includere omnem actiuitatem causarum inferiorum. Quid ergo subsit ne eadem virtus immediatè etiam exerceri possit sine causa inferiori? Ratio tantùm est, quia causa inferior essentialiter requiritur propter imperfectionem effectus, quæ redundat in causam proximam, non verò in primam. Hinc ab illis statuitur ordo necessarius causarum ob imperfectionem effectus. Posuerunt præterea Philosophi Deum necessariò agere ad extrà, & viderunt in effectibus inferioribus contingentiam, quam in concursum causarum inferiorum difformem reduxerunt; ideò non potuerunt consequenter dicere Deum agere necessariò, & posse producere hunc effectum causæ inferioris se solo: quia si necessariò ageret, sic etiam necessariò ageret vniformiter, & necessariò conseruaret effectum à se solo productum.

Mācus statum vniuersi quē assignāt Philosophi.

Eorum de causa prima, & reliquis error.

20 His positis, argumentor contra Philosophos: perfectio vniuersi consistit in actu, & non in potentia passiua: sed illud concedendum est naturæ quod inuoluit perfectionem; ergo vniuersum, quoad partes per se eius, potest in actu esse, ita vt ei non repugnet. Maior est vera, & facilè probatur, & admittitur à Philosophis, quia finis omnis motus est quies, & actus, quo posito cessat motus. Minorem, etiam concederent, si perfectio est possibilis, & negant consequentiam. Probatur consequentia, quia non repugnat vniuersum fieri simul in actu quoad omnes per se partes eius: ergo potest sic fieri virtute causæ primæ. Patet antecedens, per se partes vniuersi sunt species, earúmque conseruatio, quatenus spectant ad finem vniuersi, quia finis per se causarum est propagatio speciei, eiúsque conseruatio; per accidens autem intendunt propagationem indiuiduorum, in quibus nullus est per se ordo, sicut constituitur inter species: sed conseruatio speciei potest esse virtute primæ causæ in determinatis indiuiduis, & in iis conseruari sempiternè, quo casu vniuersi perfectio consisteret in actu, & nulla esset necessitas motus, aut propagationis talis speciei ad finem conseruationis eius. Probatur subsumptum, nulla est repugnantia ex parte effectus, quantùm est ex se, quin fieri possit in actu, & conseruari per eandem causam applicatam, maximè si in actiuitate incomparabilis sit ad omnem aliam destructiuam effectus; non est etiam repugnantia ex parte causæ primæ, quin possit sic producere, & conseruare: ergo nulla est repugnantia in toto coniuncto. Non esse repugnantiam ex parte causæ primæ patet, quia hæc est infinitæ virtutis: potest ergo in omnem effectum causæ inferioris, qui non inuoluit imperfectionem redundantem in causam: sed in proposito nulla est talis imperfectio, quæ sic redundaret in causam primam: primò quòd effectus sit finitæ, & limitatæ profectionis, non redundat in causam primam, quia secunda. Intelligentia est etiam finitæ perfectionis; hæc tamen non est à se, sed à prima: ergo sicut effectus finitus, & limitatus quoad hanc imperfectionem non attribuitur causæ, aut eius imperfectæ virtuti, sed solis intrinsecis causis essendi ipsius effectus, ita etiā aliæ imperfectiones contingentes nequeunt tribui causæ primæ, sed causis intrinsecis ipsius effectus; contingentia etiam effectus intrinseca nequit tribui causæ producenti eodem modo, sed materiæ, quà est in potentia contradictionis ad alias formas, in eo casu, quo Deus immediatione causæ, & suppositi, ageret se solo ad conseruationem formæ in materia, maneret effectus, & non esset contingens in actu, quantùm ad sui corruptionem. Non obstat corporeitas, aut materialitas effectus, quia etiam Intelligentia mouet cælum, quod est corpus quantum, & ipsum cælum produxit, iuxta quorundam Philosophorum opinionem, vel iuxta alios, fuit productum à Deo: non obstat alia imperfectio ex parte effectus, quæ redundaret in Deum: ergo nihil obstat.

Impugnantur Philosophi.

Perfectio vniuersi consistit in actu. Posse sic reduci ad actū.

Tollitur repugnantia ex parte effectus, & causa.

Limitatio effectus non redundat in Deum.

Est ab intrinsecis causis.

Contingentia vnde est.

Non obstat corporeitas.

Dices obstare necessitatem Dei in agendo, vt colligitur à posteriori ex cōtingentia effectuum, qui à Deo procedunt de facto, & subsunt corruptioni: vnde colligitur Deum non agere sine causis secundis ad effectum ipsorum, neque posse agere; quia agens necessariò agit quod potest, quo non obstante, est contingentia in effectibus ex difformitate causarum inferiorum in agendo. 21

Euasio.

Contrà, dato quòd Deus necessariò agit (quod est falsum, & error inuentus à Philosopho) adhuc magis sequitur contrarium: quia ideò non posset agere effectum causæ inferioris, vel quia deficit virtus eius agendi, ita vt non possit quod repugnat infinitæ virtuti, vel si potest, agit etiam quantum potest, si necessariò agit, quia secundùm extremum virtutis iuxta capacitatem effectus, & sui *esse*: ergo agit totaliter, & agere potest, quod est intentum: vel ideò non potest agere, propter ordinem illum essentialem causarum, quem fingunt Philosophi, & quia effectus exigit necessariò, & essentialiter produci à causis secundis: sed hoc falsum est; quia effectus non dicit, quà est possibilis ad *esse*, ordinem ad causam, nisi hæc habet completam virtutem producendi effectum: sed vt admittunt Philosophi, Deus est infinitæ, & completæ virtutis actiuæ: ergo continet

Impugnatio.

Deum agere ad effectum se solo posse.

Ordo essentialis causarum à Philosophis assertus impugnatur.

net in se omnem virtutem causarum inferiorum perfectissimo modo, quàm in ipsis inuenitur; ergo possibilitas effectus potest completè, & secundùm omnem essentialem dependentiam terminari à Deo producente effectum. Deinde, vt est probatum, nulla est repugnantia ex parte effectus, quin à Deo sine vlla sui imperfectione produci possit. Præterea, nullum est fundamentum talis dependentiæ effectus ad causas secundas, loquendo de essentiali dependentia, & de effectu perfecto, & absoluto: quia homo v. g. nequit produci à toto ordine causarum sine proximis generantibus: sed ab his merè contingenter producitur, & non secundùm dependentiam causæ essentialis: ergo à reliquis non dependet, nisi contingenter eius productio hîc & nunc.

22 *Confirmatio.* Confirmatur, quia species humana licèt iuxta hoc commentū Philosophorū fuerit ab æterno, sicut & mundus; tamen non fuit à se, sicut neque Intelligentiæ inferiores, sed à Deo, vel ab aliis causis prioribus. Peto à quibus recepit *esse* in instanti æternitatis? non à seipsa, quia supponeretur esse à se: non per viam generationis, quæ supponit generantes, vt causas proximas: non ab aliis causis inferioribus Deo, quia sic etiam posset fieri homo ab illis sine homine: ergo à Deo. Ergo in aliquibus indiuiduis, sine quibus nequit concipi in *esse*: ergo si Deus dedit *esse* speciei humanæ, & non sit à se, sicut neque lux Solis est à se, licèt coæua Soli, sic etiam non repugnat Deo producere seipso immediatè, & conseruare speciem humanam in aliquibus indiuiduis sine generantibus, quod tamen repugnat reliquis omnibus causis producere sine generante proximo. Nec refert dicere quòd sicut species humana fuit ab æterno, sic etiam semper præcessit generans: quia de hoc non est quæstio, an fuerit ab æterno; sed an fuerit à se, quòd si à se esset, etiam à se maneret in *esse*; quòd si ergo ab alia causa fuit, & recepit *esse*, quæritur quomodo fuit, & recepit *esse* vt posterior secundùm dependentiam à sua causa producente, à qua recepit *esse*.

Species humana est ab aliqua causa priore se.

23 *Cessante fine motus, cessaret ipse motus.* His ergo suppositis, sequitur partes per se mundi reduci posse ad actum sicut fides docet, per virtutem infinitam Dei, & conseruari in illo *esse*: ergo cessaret motus ex fine suo intrinseco. Probatur consequentia, quia cessante fine per se motus cessaret ipse motus, neque sufficeret finis eius per accidens ad continuandum motum, quia intentio causarum, aut naturæ, non respicit finem per accidens, nisi vt medium, aut viam ad finem per se, v. g. productionem indiuiduorum ad conseruationem speciei, quæ desinit in aliis per corruptionem; aut certè respicit finem per accidens, quatenus conducit ad conseruationem finis per se, nempe generationem eorum, quæ conducunt ad conseruandam vitam hominis, vt sunt animalia, fructus, & cætera mixta.

24 *Homo finis motus inferiorum.* Restat ergo probandum finem per se huius mundi inferioris esse solum hominem, atque adeò eo conseruato virtute causæ primæ, quantum sat est ad perfectionem speciei, hæc reliqua desinere, & motum consequenter cælestium corporum, qui ad hoc tantùm ordinatur, probatur, quia sicut ordo per se assignatur in causis efficientibus sic, etiam assignandus est in causis finalibus, à quibus mouetur efficiens ad motum, & sine cuius motione non moueret maximè Intelligentia agens per voluntatem, & intellectum ex motiuo communicandæ perfectionis, quæ perfectio non haberet rationem motiui, nisi vel ipsa in se esset finis alicuius, vel ordinatæ ad aliud, quod esset finis eius. Sed hæc inferiora præter hominem, neque immediatè, neque per se respiciunt bonum vniuersi, sed mediatè (aliàs in rebus & partibus vniuersi non seruaretur ordo) quatenus reducuntur ad aliquem finem proximum, eóque mediante ad finem communem, nempe bonum vniuersi, seruato ordine inter fines: ergo quando remotiora non conducunt ad proxima, ad quæ ordinantur tanquam ad finem immediatū, sic etiam nequeunt conducere ad bonum vniuersi: ergo finis motus, quod est bonum vniuersale vniuersi, cessat mouere causas, vt continuent motum, & influentiam in dicta remotiora, quando cessat vtilitas eorum ad finem suum proximum: & eadem etiam vtilitate cessante respectiuè ad finem proximum, cessat etiam mouere causas ad influxum (causas, inquam, vniuersales ad influxum per motum corporum cælestium) siue vt est pars vniuersi attingens perfectionem finis communis immediatè, siue etiam vt finis proximus est, & particularis.

Ordo inter partes vniuersi, & subordinatio finium.

Confirmatur secundò, ordo in causis efficientibus est talis secundùm Philosophos, vt cessante causa proxima, & non applicata ad motum, cesset etiam causa remota, & vniuersalis, quæ se sola nequit attingere effectum causæ particularis sine ipsa particulari, vt hominem, aut bouem sine generantibus proximis: ergo similiter cessante fine, quæ est vtilitas, & ordo inferiorum ad proxima, quatenus per remotiora suppletur aliqua imperfectio v. g. corruptio in proximis finibus, aut fine, cessat etiam actio causarum vniuersalium, & finis agendi per motum cæli, qui ad hoc tantùm intenditur, vt dicit Philosophus, 2. *de Gen. text. com.* 55. Nihil facit latio ad generationē, nisi quia adducit generans, &c. sed generatio vt est in aliis rebus ad conseruationem, & profectionem finis proximi, nempe speciei humanæ cessat cessante eius vtilitate: hæc autem vtilitas cessat posita specie sufficienter in actu: cessat perinde necessitas motus corporum cælestium in ordine ad generationem ipsius speciei. Quia generatio est eius, quod est in potentia, & non in actu essendi; ergo à primo ad vltimum, cessat motus cæli, vt est ex fine generationis, & communicandæ perfectionis aliis, quem solum finem prætexunt Philosophi. Probatur consequentia, quia natura non agit frustrà, & otiosè, neque agere potest, nisi vt procedit de potentia ad actum, de *non esse* ad *esse*, qui sunt termini motus: specie autem humana sufficienter reducta ad actum, & conseruata in actu, nihil est eius in potentia, quod faciat ad perfectionem necessariam actus, aut finis vniuersi: ergo hoc dato, quies corporum cælestium est perfectio maior vniuersi quàm motus. 25 *2. Confir.*

Confirmatur tertiò, finis naturæ in motu non est alius quàm finis causarum, & maximè primæ causæ, & authoris naturæ: sed prima causa voluit alia viuentia, & motum cælestium corporum in ordine ad hominem, cuius gratia creauit hæc inferiora, tanquam vtilia, loquendo de generabilibus, & corruptibilibus: ergo cessante vtilitate horum, ac ipsius motus cælestis, vt ordinatur ad generationem hominis, & conseruationem, cessat finis 26 *Finis naturæ, & causarum idem est.*

Homo est finis generabilium.

finis mouendi. Quoniam hæc ratio magis est Theologica, probatur aliter: quia vt ipse Philosophus 2. Phys.text. 24. *Sumus quodammodo finis omnium*,&c. Et patet ratione,quia inter generabilia,& corruptibilia datur ordo perfectionis,& inter hæc omnia solus homo excedit, éstque mediũ participans de ordine intellectualium, & corporalium: ergo homo comparando ipsum ad inferiora, est finis proximus ipsorum, ad quem proximè cætera ordinantur. Hinc ergo Theologi rectè concludunt, cessante hoc fine motus cæli, cessare ipsum motum; quia esset inutilis, & superfluus. Alius autem finis eius vix excogitari possit, quia ad perfectionem Intelligentiæ, aut ipsius mobilis, non ordinatur etiam secundùm Philosophos, quia illa sunt sempiterna per eos, & incorruptibilia. Ordinatur autem ad perfectionem, vt volunt, communicandam his inferioribus per generationem, & conseruationem speciei: ergo cessante hoc fine, cessabit motus, quia nullus erit finis mouendi: perfectio vniuersi magis exigit quietem, per quam fit in actu, quàm motum; neque derogat eius perfectioni quòd partes potentiales, & accidentales, vt sunt alia generabilia præter hominem, fluant in interitum; quia vsus earum cessat manente homine immortali, & incorruptibili, ad quem ordinantur; sicut in ipso homine partes potentiales,quæ ordinantur ad substantiales & formales, licèt fluant, non ideo homo desinit, & tunc actu fluunt, quando nullus est vsus ipsarum ad conseruandam vitam hominis. Eodem ergo modo dicendum de aliis generabilibus, ad quæ ordinatur motus cæli, ad finem conseruandi hominis, quando per immortalitatem conseruatur homo, iam desinit vsus ipsarum,& finis, ad quem à causis superioribus ordinantur, quæ est ratio, quam Theologi pro sua conclusione adducunt.

Ordo inter species in generabilibus.

Finis reliquarum homo.

Non derogat perfectioni totius, fluxus partium potentialium.

27 ¶ *Ad secundum*, &c. Quod facit pro Philosophis deductum ex eadem habitudine sempiterni ad quoduis sempiternum. Respondetur negando maiorem in agente voluntario, quòd eadem antiqua voluntate potest aliter agere, seu se habere ad passum cum sui immutabilitate. Hoc declaratur, quia voluntas antiqua efficax, & perseuerans pro illo instante, aut tempore potest exire in effectum, pro quo ipsa voluntas determinauit effectum fieri. Deus ergo voluntate antiqua,qua voluit motum cælorum pro determinato tantùm tempore,& non vltrà, finito illo tempore, exit in effectum oppositum, seu quietis cælorum, manente vniformiter non solùm quoad omnia sua intrinseca; imò quod magis est, agere difformiter in passum antiquum, quando in eo corrumpitur forma prior, aut desinit, & inducitur forma:noua per hoc patet ad probationem maioris, scilicet inter extrema non esse nouam habitudinem sine variatione extremorum, aut alterius, quæ repugnat in sempiternis. Respondet esse variationem non in natura agentis & passi absoluta, nempe Dei,& cælorum,sed penes nouam formam quænam autem sit illa est situs, & *vbi* sequens quietem, & cessationem à motu, & habitudo cælorum inter se, & ad reliqua, in quo situ Deus cælos conseruat.

Ad secundum Philosophi. Responsio.

Voluntate antiqua potest effectus produci.

¶ *Ad tertium.* Respondet sicut aliàs dixit motum cæli non esse naturalem, aut violentum (vt hæ differentiæ motus sumuntur ab inclinatione passi ad formam, seu terminum motus) dari medium, nempe motum neutrum,ad quem ita se habet cælum quantùm ad propriam inclinationem, sicut ad quietem oppositam: quia ad neutrum sua natura inclinatur. Hanc quæstionem de motu cæli, item alia, quæ superiùs tangit de tempore, vt distinguitur à motu, & qua ratione habet esse mensuram, fusiùs à Philosophis tractantur,quos in hunc locum reuocare non est visum. 28

Ad tertiũ Philosophi.



DISTINCTIO



DISTINCTIO XLIX.

De differentia mansionum in Cælo, & in Inferno.

A POST resurrectionem verò facto vniuerso, impletóque iudicio, suos fines habebunt ciuitates duæ: vna Christi, alia Diaboli: vna bonorum; altera malorum; vtraque tamen Angelorum, & hominum. Istis voluntas, illis facultas non poterit esse peccandi, vel vlla conditio moriendi. Istis in æterna vita feliciter viuentibus; illis infeliciter in æterna morte sine moriendi potestate durantibus: quoniam vtrique sine fine. Sed in beatitudine isti, alius alio præstabiliùs; in miseria verò illi, alius alio tolerabiliùs permanebunt] Ex his apparet quòd sicut boni differenter glorificabuntur, alij magis, alij minùs: ita & mali differenter in Inferno punientur. Sicut enim in domo Patris, id est, in regno cælorum, mansiones multæ sunt, id est, præmiorum differentiæ: ita & in gehenna diuersæ sunt mansiones, id est, suppliciorum differentiæ. [Omnes tamen æternam pœnam patientur, sicut omnes electi eundem habebunt denarium, quem paterfamilias dedit omnibus, qui operati sunt in vinea. Nomine *denarij* aliquid omnibus electis commune intelligitur, scilicet, vita æterna, Deus ipse, quo omnes fruentur, sed impariter. Nam sicut erit differens clarificatio corporum, ita differens gloria erit animarum. Stella enim à stella, id est, electus ab electo, differt in claritate mentis, & corporis. Alij enim aliis vicinùs, clariúsque Dei speciem contemplabuntur: & ipsa contemplandi differentia diuersitas mansionum vocatur. Domus ergo est vna, id est, denarius est vnus: sed diuersitas est ibi mansionum, id est, differentia claritatis: quia vnum est summum bonum, beatitudo, & vita omnium, id est, Deus ipse. Hoc bono omnes electi perfruentur, sed alij aliis pleniùs.] Perfruentur autem videndo per speciem, non per speculum in ænigmate. Habere ergo vitam, est videre vitam, id est, cognoscere Deum in specie. Vnde Veritas ait in Euangelio, *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum*, esse vnum & solum verum Deum: hoc est, habere vitam, cognoscere te. Non est enim ipsa cognitio, quòd tu es, sed per cognitionem habetur bonum quòd tu es, id est, vita.

August. in Ench. c. 1. *Ioan. 14.* *Aug. hom. 67. super Ioan.* *Ioan Chrysostomus.* *Matt. 20.* *1. Cor. 15 f.* *Mat. 20. a.* *1. Cor. 13. d.* *Ioan. 17. a.*

Si omnes homines volunt esse beati.

B SOLET etiam quæri de beatitudine, Vtrùm eam omnes velint, & sciant, quæ sit vera beatitudo? De hoc Augustinus in 13. lib. de Trinit. ita disserit, [Mirum est, cùm capessendæ, retinendǽque beatitudinis voluntas vna sit omnium, vnde tanta existat de ipsa beatitudine rursus diuersitas voluntatum: non quòd eam aliquis nolit, sed quòd non omnes eam norint. Si enim eam omnes noscerent, non ab aliis putaretur esse in virtute animi, ab aliis in voluptate corporis, ab aliis atque aliis, alibi atque alibi. Quomodo ergo omnes amant, quod non omnes sciunt? Quis potest amare

Cap. 4.

quod nescit, sicut suprà disputaui? Cur ergo beatitudo amatur ab omnibus, nec tamen scitur ab omnibus? An fortè sciunt omnes quæ ipsa sit, sed non omnes sciunt, vbi sit, & inde contentio est? An fortè falsum est, quod pro vero posuimus, beatè viuere omnes homines velle? Si enim beatè viuere est (verbi gratia) secundùm animi virtutem viuere: quomodo beatè viuere vult, qui hoc non vult? Nonne veriùs dixerimus, Homo ille non vult beatè viuere, quia non vult secundùm virtutem viuere, quod solum est beatè viuere? Non ergo omnes beatè viuere volunt, imò pauci hoc volunt: si non est beatè viuere, nisi secundùm virtutem animi viuere, quod multi nolunt. Itáne falsum erit, vnde nec ipse Cicero dubitauit? Ait enim, Beati certè omnes esse volumus. Absit vt hoc falsum esse dicamus. Quid ergo? An dicendum est, etiam si nihil aliud sit beatè viuere, quàm secundùm virtutem animi viuere: tamen & qui hoc non vult, beatè viuere vult? Nimis quidem hoc videtur absurdum. Tale enim est ac si dicamus, qui non vult beatè viuere, vult beatè viuere. Istam repugnantiam quis audiat? quis ferat? & tamen ad hanc contrudit necessitas. Si omnes beatè viuere velle verum est, & non omnes volunt sic viuere: quomodo solùm viuitur beatè? An illud ab his angustiis poterit nos eruere, si dicamus nihil esse beatè viuere, nisi viuere secundùm delectationem suam: & ideò falsum non esse quòd omnes beatè viuere velint, quia omnes ita volunt, vt quemque delectat. Sed id quidem falsum est. Velle enim quod non deceat, est esse miserrimum. Nec tam miserum est non adipisci quod velis, quàm adipisci velle quod non oporteat. Quis ita cæcus sit, vt dicat aliquem ideò beatum, quia viuit vt vult? cùm profectò etsi miser esset, minus tamen esset, si nihil eorum, quæ perperam voluisset, habere potuisset. Mala enim voluntate, vel sola miser quisque efficitur: sed miserior cùm desiderium malæ voluntatis impletur. Quapropter, quoniam verum est quòd omnes homines esse beati velint, ídque ardentissimo amore appetant, & propter hoc cætera quæcunque appetant: nec quisquam potest amare, quod omnino quid, vel quale sit, nescit, nec potest nescire quid sit, quod se velle scit: sequitur, vt omnes beatam vitam sciant. Omnes autem beati habent quod volunt, quamuis non omnes qui habent quod volunt, continuò sint beati. Continuò autem miseri sunt, qui vel non habent quod volunt, vel id habent quod non rectè volunt. Beatus ergo non est, nisi qui & habet omnia quæ vult, & nihil vult malè. Ille quippe beatè viuit, qui viuit vt vult, nec malè aliquid vult. Cùm ergo ex his duobus constet beata vita, licèt in malis sit aliquis bonus, non tamen nisi finitis omnibus malis est beatus. Cùm ergo ex hac vita, qui in his miseriis fidelis & bonus est, venerit ad beatam vitam: tunc erit verè, quod nunc nullo modo esse potest, vt sic homo viuat quomodo vult. Non enim ibi volet malè viuere, aut volet aliquid quod deerit, aut deerit aliquid quod voluerit. Quicquid amabitur, aderit, nec desiderabitur quod non aderit. Et omne quod ibi erit, bonum erit, & summus Deus summum bonum erit, & quod est omnino beatissimum, ita semper fore certum erit. Beatos autem esse se velle, omnium hominum est. Beatos se esse velle, omnes in corde suo vident, nec tamen omnium est fides, qua ad beatitudinem peruenitur.)

Ibi paulò post.

Cicero in Hortensio.

Ibid. c. 1. in princ.

Quis sit beatus c. 6. 7. & 8.

Si

Si quid de Deo cognoscit aliquis, quod ibi non intelligant omnes.

C SOLET etiam quæri Vtrùm aliquid de Deo cognoscat aliquis magis meritus, vt Petrus, quod nõ cognoscat aliquis minùs meritus, vt Linus? pluribus videtur quòd omnia de Deo ad beatitudinem spectantia omnes communiter electi cognoscant, sed differenter. Nihil enim in Deo noscibile maius, digniúsque videtur, quàm eum intelligere trinũ, & vnum. Hoc autem omnes tunc per speciem cognoscent. Vnde sequitur vt non sit aliquid beatitudini pertinens incognitum alicui beatorum. Omnes ergo cuncta illa videbunt, quorum cognitio seruit beatitudini: sed in modo videndi different. Alius enim alio magis, alius alio minùs fulgebit. 1.Cor.15.f.

De paritate gaudij.

D SOLET etiam quæri an in gaudio dispares sint, sicut in claritate cognitionis differunt? De hoc August. ait, [Multæ mansiones in vna domo eiũt, scilicet, variæ præmiorum dignitates: sed vbi Deus erit omnia in omnibus, erit etiam in dispari claritate par gaudium: vt quod habebunt singuli, commune sit omnibus: quia etiã gloria capitis omnium erit per vinculum charitatis.] Ex his datur intelligi quòd par gaudium omnes habebunt, etsi disparem cognitionis claritatem, quia per charitatẽ, quæ in singulis erit perfecta, tantum quisque gaudebit de bono alterius, quantum gauderet si in seipso haberet. Sed si par erit cunctorum gaudium, videtur quòd par sit omnium beatitudo: quod constat omnino non esse, ad quod dici potest quòd beatitudo par esset, si ita esset par gaudium, vt etiam par esset cognitio: sed quia hoc non erit, non faciet paritas gaudij paritatem beatitudinis. Potest etiam accipi par gaudium, vt non referatur paritas ad intentionem affectionis gaudentium, sed ad vniuersitatem rerum, de quibus lætabitur, quia de omni re vnde gaudebit vnus, gaudebunt omnes. Homil. 67. super Ioan. & in lib. Sentent. Prosp. c. 36.

Si maior sit beatitudo Sanctorum post iudicium.

E POST hoc quæri solet, Si beatitudo Sanctorum maior sit futura post iudicium, quàm interim? Sine omni scrupulo credendum est, eos habituros maiorem gloriã post iudicium, quàm antè: quia & maius erit gaudium eorum, vt suprà testatus est August. & amplior erit eorum cognitio. Vnde Hieron. [Peracto iudicio ampliorẽ gloriam suæ claritatis Deus demonstrabit electis.] Si quem mouet, quid opus sit spiritus defunctorum corpora sua in resurrectione recipere, si eis potest sine corporibus summa beatitudo præberi: difficilis quæstio est, nec potest à nobis perfectè definiri. Sed tamen dubium non est, & raptam à carnis sensibus hominis mentem, & post mortem ipsa carne deposita non sic videre posse incommutabilẽ substantiam, id est, Deum, sicut sancti Angeli vident, siue alia latentiori causa: siue ideò, quia inest ei naturalis quidam appetitus corpus administrandi quo retardatur quodammodo, ne tota intentione pergat illud summum cælum, donec ille appetitus conquiescat. Porro si tale sit corpus, cuius sit difficilis & grauis administratio, sicut hæc caro, quæ corrumpitur, multò magis auertitur mens ab illa visione summi cæli. Proinde cùm hoc corpus iam non animale, sed spirituale receperit æquata Angelis, habebit perfectum naturæ suæ modum, obediens, & imperans, viuificata, & viuificans, tam ineffabili facilitate, vt sit ei gloriæ, quod fuit sarcinæ.] Dist. 45. huius para. 1. & hac dist. super Ose. 6. super illud, Viuifica nos post tres dies. Aug super Gen. ad lit. 12. c. 35. 1.Cor.15.f.



QVÆSTIO I.

Vtrùm [a] beatitudo consistat per se in operatione?

D.Thom. 1.2.*quæst.*3.*art.*1. *& hîc.quæst.*1. *art.*1. D.Bonau. 1.*part.art.*1. *quæst.*4. Richard. *art.*1. *quæst.*4. Gabr. *quæst.*2. *art.*2. Ægid. 2.*dist.*5.*quæst.*2.*art.*2. Argent. *quæst.*1.*art.*4. Vasq. 1.2. *disp.*8. *cap.*3. Henr. *quodlib.* 13.*quæst.*12.

Arg. 1. RIMÒ quæritur, Vtrùm beatitudo consistat per se in operatione? Videtur quòd non. Augustinus 13. *de Trinit.cap.* 5. *in fine*, post alias definitiones reprobatas istam infert: *Beatus ergo non est nisi qui habet omnia, quæ vult, & nihil mali vult*; ergo beatitudo consistit in habendo omnia benè volita: multa autem sunt benè volita alia ab operatione: ergo,&c. Confirmatur per illud Boëtij, tertio de Consolatione: *Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus.* tunc vt priùs, istud non consistit in sola operatione, ergo,&c. 1

Prosa 2. *Defin. beatitudinis.*

Arg. 2. Præterea, beatitudo consistit in coniunctione ad obiectum beatificum: illa coniunctio est relatio: operatio est aliquid absolutum: ergo, &c. Confirmatur, absolutum sine contradictione potest manere absque respectu fundato in eo, quia est prius naturaliter tali respectu: respectus ad obiectum fundatur in operatione: ergo operatio potest manere sine tali respectu ad obiectum: sed sine eo non est beatitudo, alioquin esset beatitudo, & non in obiecto beatifico.

Arg. 3. *cap.* 13. Præterea, secundùm Philosophum *primo Ethicor.* ad rationem beatitudinis oportet quòd insit secundùm vitam perfectam; alioquin felix posset fieri miser, alioquin etiam beatus non haberet finem omnium desideriorum: quia non tantùm rectè desideratur ab aliquo benè esse, sed in illo bono permanere: operatio autem est transiens & in *fieri*, & ita de ratione sui non habet quòd insit secundùm vitam perfectam: ergo, &c. 2

Arg. 4. Præterea, nullum agens est perfectius ex hoc quòd per actionem suam aliquid producit: operans autem est aliquo modo causa producens suæ operationis: ergo non est simpliciter perfectior per operationem: est autem beatus simpliciter perfectus per beatitudinẽ: ergo,&c. Prima probatur, quia effectus non est simpliciter perfectio ipsius agentis, cùm agens vel sit æquè perfectum, puta si est vniuocum, vel perfectius illo, si est æquiuocum. Confirmatur, quia si simpliciter sit de imperfectiori perfectius, ergo simpliciter mutatur: inconueniens est autem agens in eo, quod agens, mutari, *ex tertio Physic.* quia tunc in eo, quod est in actu, esset in potentia. Confirmatur etiam quia beatus non est causa effectiua suæ beatitudinis, quia tunc beatificaret se: est autem causa effectiua suæ operationis: ergo, &c.

Text. 9. *& inde.*

Arg. 5. Præterea, habitus est perfectio simpliciter nobilior actu: beatitudo est perfectio nobilissima: ergo magis consistit in habitu, quàm in actu. 3

Cap. 1. *In Prædicam.cap* de qualitate

Probatio primæ: tum, quia secundùm Philosophum tertio Topicorum, *Bonum diuturnius est melius*: habitus est bonum diuturnius, seu permanentius, quàm actus: quia habitus est de difficili mobilis actus statim transit; tum, quia habitus est aliqua causa actus, alioquin non faciliùs, nec perfectiùs ageret habens habitum, quàm non habens: non est autem causa nisi effectiua (patet discurrendo per causas) & non effectiua vniuoca, patet: ergo æquiuoca, ergo nobilior.

SCHOLIVM.

Adducit varia loca Philosophi, quibus probat beatitudinem consistere in operatione, & quæstionem resoluit in quæst. seq à n. 27. vbi à num.28. soluit argumenta hîc obiecta.

Ratio ad opp. cap.8.& 9. & inde.

OPpositum primo Ethicorum *felicitas est operatio optima*, &c. Item 10. Ethicorum, c.8. specificat hoc in qua operatione consistat, deducendo quòd Dij quos arbitramur felicissimos, ex quo eos omnes viuere suspicati sunt, & non dormire, ergo operari, quare Dei operatio beatitudine differens speculatiua vtique erit, &c.

Text. 51. Idem 12. Metaphysicæ, cap. sexto, loquens de *intelligere* diuino, *Si non intelligat*, inquit, *quid vtique insigne erit ei, & venerabile: sed se habet quemadmodum, vt sit dormiens:* 4

ibidem

ibidem capitulo quarto, *& speculatio delectabilium, & optimum.* Et paulò pòst: *Vita vtique existit, etenim intellectus actus, vita:* intellectus accipitur genitiuè: & subdit, *Illud autem diuinum,* scilicet actus, *Actus autem vita optima.* Text. 39.


Idem, nono Metaphysicæ, cap. septimo, Actus est simpliciter potentia prior, non solùm tempore, & definitione, sed etiam substantia, hoc est perfectione: quia tertium membrum probat per hoc, quòd omnis potentia est actus gratia, sicut inducit, & in naturalibus, & in artificialibus: actus autem est vltimum, non gratiâ alterius, maximè autem quando est operatio, & non factio. Vnde concludit, *quare, & felicitas*, supple consistit, *in operatione.* Probat autem, *Vita namque qualis quadam operatio est.* Præterea, idem secundo de Cælo, & mundo. Omnis substantia cuius est operatio, est propter operationem suam. Text. 13. Text. 15. Text. 16. Text. 17.

Præterea, Augustinus primo de doctrina Christiana cap. 6. *Summa merces est vt ipso perfruamur,* Deo scilicet: summa autem merces est beatitudo secundùm ipsum: ipso autem perfrui est operatio.

COMMENTARIVS.

IN hac distinctione agit Magister de beatitudine formali, & perfectionibus eius: de obiectiua verò in primo *d.* 1. quò remitto hunc tractatum de obiectiua beatitudine: eam transigit Doctor per sedecim quæstiones. Prima est, an consistat beatitudo in operatione. Secunda, an immediatiùs perficiat essentiam, quàm potentiam? Tertia, an consistat in pluribus operationibus? Quarta, an in actu intellectus, aut voluntatis, & vtra harum potentiarum sit nobilior? Quinta, an consistat in fruitione? Sexta, an requirat securitatem. Septima, vtrùm gaudium sit de obiecto beatifico? Octaua, an natura humana sit infima capax beatitudinis? Nona, An ad eam necessitentur omnes. Decima, Vtrùm omnia appetantur propter ipsam? Vndecima, an homo ex puris naturalibus posset eam consequi? Duodecima, an posset homo in vita mortali eam consequi? Decimatertia, an corpus Beati erit impassibile? Decimaquarta, an erit agile? Decimaquinta, an erit clarum? Decimasexta, an habiturum sit agilitatem? *Ordo, & diuisio huius distinctionis.*

[a] In hac quæstione, & sequenti agitur de eo, in quo consistit beatitudo formalis essentialiter, & in ordine ad subiectum beatificabile: hîc autem quæritur, an consistat in operatione, & propositis hinc inde rationibus, quoniam aliqui in essentia videntur eam statuere, ita vt primò essentiam perficiat, ideò subiicit sequentem quæstionem, quam primò resoluit: ne ergo ordinem inuertamus, eadem dispositio sequenda est. *Ordo huius ad sequentē quæstionem.*



QVÆSTIO II.

Vtrùm beatitudo immediatiùs perficiat essentiam, vel potentiam ipsius Beati?

D. Thom. 1.2. *quæst.* 3. *art.* 2. Arist. 12. *Met. text.* 51. *&* 10. *Eth. cap.* 7. 8. Dur. 3. *dist.* 35. *q.* 1. Soto *hic q.* 1. Ric. *art.* 1. *q.* 7. Bellar. *l.* 1. *de Purg. cap.* 7. Cord. *l.* 1. *q.* 42. Aug. 14. *ciuit. cap.* 2. *&* 4. *& serm.* 13. *de verb. Apost.* & citati pro quæst. præced. qui omnes tenent contra Henric. beatitudinem esse operationem.

1 IVXTA hoc quæritur, Vtrùm beatitudo immediatiùs perficiat essentiam, vel potentiam ipsius Beati? Quòd essentiam, probatio. Nobiliori perfectioni correspondet nobilius perfectibile tanquam proprium; beatitudo est nobilissima perfectio, essentia autem est nobilior aliquo modo quàm potentia, si differant re, vel saltem ratione, si differant ratione: quia qualis est ordo aliquorum distinctorum realiter, talis est ordo eorundem secundùm rationem, quando distinguuntur ratione. Prima propositio, licèt habeat instantiam de perfectionibus alterius rationis secundùm genus, puta de substantiali, & accidentali (Siquidem perfectio substantialis, quia dat *esse* simpliciter, habet pro perfectibili ens in potentia simpliciter: perfectio autem accidentalis, quia dat *esse* secundùm *quid*, requirit perfectibile simpliciter ens in actu) tamen de perfectionibus accidentalibus comparatis inter se, videtur esse vera comparando ad perfectibilia receptiua accidentium: quia si imperfectius est capax alicuius accidentis, quod maximè perficiat ipsum accidentaliter: superius non potest summè perfici accidentaliter illa perfectione, nec aliqua nisi excellentiori. *Arg.* 1.

2 Præterea, quidquid est immediatum susceptiuum alicuius accidentis, si posset *Arg.* 2.

per se esse, posset per se recipere illud accidens: nullum autem aliud posset recipere, nisi mediante illo: ergo si potentia animæ posset esse separata ab essentia, posset recipere beatitudinem, & per consequens esset beata: essentia autem non sine illa; & ita natura non intellectualis posset esse beata: quia accidens, & natura intellectualis licèt manens in se, non posset esse beata, quia carens immediato susceptiuo beatitudinis: saltem istud argumentum videtur habere difficultatem ponendo potentiam aliud re, ab essentia: potest tamen proportionaliter argui de distinctione rationis, si ponatur ibi talis distinctio.

Arg. 3. Præterea tertiò, natura intellectualis non erit beata, nisi per accidens, sicut lignum calefacit, quia calidum: consequens est inconueniens, quia talis perfectio per accidens, non est essentialiter perfectio illius cuius est perfectio per accidens. Consequentia probatur, quia ita inesset naturæ beatificabili beatitudo per accidens, scilicet per medium aliquod secundùm vnam opinionem de potentia, sicut calere inest ligno calido mediante calore: vel saltem, quasi accidentaliter, secundùm aliam opin. quia per illud ratione distinctum, quod si esset re aliud, esset verè per accidens.

Ratio opp. Oppositum, beatitudo per se consistit in operatione, ex auctoritatibus adductis ad oppositum primæ quæstionis: operatio autem immediatiùs perficit potentiam quàm essentiam, quia non competit operatio essentiæ, nisi mediante potentia, ex secundo de Anima, & nono Metaphysicæ.

Text. 6. & inde. Text. 10. & circiter.

SCHOLIVM.

Sententia Henrici, beatitudinem non consistere in operatione intellectus, vel voluntatis, sed principaliùs in illapsu Dei in essentiam naturæ beatificabilis, & inde deriuari in potentias, explicatur, & suadetur diffusè.

Henr. quodl. 13. q. 12. b AD istam secundam quæstionem dicitur quòd beatitudo principaliùs perficit essentiam, quàm potentiam. Modus ponitur iste: beatitudo principaliùs consistit in obiecto, quod est beatitudo increata, inquantum est bonum voluntatis creatæ: ipsa autem anima, vel natura Angelica mediante voluntate transformatur, vt conuertatur in istud prout possibile est, & hoc vi amoris, secundùm quod vult Dionysius, quia *amor est virtus transformatiua, & conuersiua amantis in amatum*, & Hug. super illud calidum acutum, & semper feruidum, *amor vnum te facere vult cum ipso*, scilicet amato, & pòst, *dilectiuus ingerit se, vt si fieri possit, hoc ipsum sit, quod ipse*, scilicet quem amat, *& sit vnio quodammodo per vim amoris, vt expelli incipiat, & exire à se, & incipiat esse quod amat.* 3

Cap. 7. de Ang. Hier. Vis amoris secundùm Hug.

Ex his sic: vt natura amans exeat à se, & incipiat esse quod amat, non potest fieri nisi per circumincessionem: non autem animæ, vel naturæ creatæ illabentis diuinitati, sed potius è conuerso, vt in natura tali nihil appareat, nisi diuinæ dispositiones imò nec appareat esse aliud quàm Deus, sicut ferrum candens in igne lucet, & ardet vt ignis, quasi non sit, nec appareat esse aliud, quàm ignis.

Ex hoc modo intelligendi arguitur pro conclusione, cùm beatitudo sit per illapsum, vel circumincessionem obiecti beatifici, respectu beatificabilis, & iste illapsus, vel circumincessio potius sit in essentia quàm in potentiis: nam ex illapsu in essentiam redundat, vel deriuatur in potentias, non autem è conuerso, quia à priori fit deriuatio, vel redundantia in posterius, non è conuerso, siue sit ordo rei, vel rationis: illud autem est principalius tale, à quo aliud est tale, non è conuerso: ergo, &c. sequitur ergo propositum.

Præterea, & est quasi idem, in essentia principaliùs habetur Deus, qui est beatitudo per essentiam, quàm in potentiis: essentiam enim perficit quodammodo per suam essentiam, scilicet, per illapsum modo prædicto: potentias autem non nisi per operationes terminatas ad ipsam essentiam sub ratione veri, & boni, perficit autem illud principaliùs, quod per se perficit sub propria ratione, quàm illud quod terminatiuè tantùm perficit sub ratione attributali. 4

Præterea, gloria est gratia consummata: gratia autem principaliter est in essentia animæ, & redundat in potentiis sub ratione habitus, & virtutis: ergo, &c.

Distributiua respicit proportionem geometricam. Præterea, iustitia distributiua respicit dignitatem recipientis secundùm proportionem geometricam, vt scilicet, magis digno plus de bono tribuatur: sed natura intellectualis

tellectualis est nobilior,& dignior sua potentia,re,vel ratione: ergo,&c. & istud coincidit cum prima ratione ad istam quæstionem.

Additur autem quòd perceptio huius perfectionis non conuenit essentiæ, nisi per potentias, per intellectum quidem ipsam cognoscendo, per voluntatem tanquam ipsam degustando,dicente Hug.super iam dictum capitulum septimum, *duo sunt, cognitio,& amor, cognitio illuminat, amor tanquam refectio satiat, in his beatitudo consistit in cognoscere,& amare bonum.*

Cognitio illuminat, amor satiat.

Pro auctoritatibus autem Philosophorum ad oppositum dicitur, quòd secundùm intentionem ipsorum beatitudo hominis, vel Angeli non respicit ipsorum essentiam, sed tantummodo potentiam mediante operatione. Sed hoc dixerunt,quia non viderunt veram beatitudinem:quia vera beatitudo consistit non solùm in actu voluntatis, & intellectus:sed principaliùs in ipso obiecto,& hoc per illapsum,vel circumincessionem modo prædicto.

COMMENTARIVS.

I *Sententia Henrici.*

b AD *istam quæstionem dicitur*, &c. Adducitur opinio Henrici *quodl.*13.*quæst.*12.vbi statuit beatitudinem formalem principaliùs perficere essentiam,quàm potentiam. Gabriel. Vasquez. 1.2.*disput.*7. *c.*2.asserit Henricum ab hac opinione,quasi locutus fuerit tantùm de beatitudine obiectiua, quam principalem vocat, & consistit in Deo per modum obiecti beatifici. Fundamentum huius interpretationis est, quia aliquoties admittit Henricus beatitudinem hominum,& Angelorum consistere in operatione, quod intelligit de formali tãtùm.Cæterùm alius est sensus Henrici, neque illa interpretatio ad scopum quæstionis facit, in qua quæritur, *An beatitudo principaliùs perficiat essentiam animæ,quàm potentiam?* vbi comparatio fit inter essentiam, & potentiam in ratione subiecti perfectibilis,atque in beatitudine, vt comparatur ad hæc,tanquam diuersa re,vel ratione. Deus autem in ratione obiecti nequit comparari ad essentiam,nisi mediante potentia. Conclusio etiam ipsius eundem sensum præfert, quæ est talis: *Dico igitur*,inquit,*quòd beatitudo principaliùs perficit essentiam animæ,quàm potentias; quia in illa principaliùs habetur Deus,qui est finis,& beatitudo,quàm in potentiis, quia illam perficit quodammodo per suam essentiam:potentias verò non, nisi per illarum operationes terminatas ad ipsam essentiam sub ratione veri,& boni,licèt ipsa perceptio huius perfectionis non conueniat essentiæ animæ,nisi per potentias*,&c.Sic autem admittit diuersam beatitudinem formalem, aliam, quæ sit in essentia,quam mox dicit redundare in potentias: aliam verò in potentiis, quæ non conuenit essentiæ animæ immediatè, sicut prior: hæc autem beatitudo minùs principalis, quam statuit in potentiis, attingit Deum sub ratione obiecti beatifici, quod non conuenit essentiæ,vt ab ipsis potentiis distinguitur, & primariò competit potentiis mediante operatione, & non essentiæ,vt asserit idem author:ergo etiam attingere Deum per modum obiecti beatifici competit solis potentiis,& non essentiæ,vt condistinctæ,ac proinde illa beatitudo, quæ competit immediatè essentiæ,vt subiecto,diuersa est à beatitudine obiectiua, ex mente Henrici, cuius sententia etiam interpretari debet ex fundamentis subiectis, quæ sunt illa, quæ adducit Doctor in litera. Hanc enim beatitudinem dicit consistere in circumincessione,& illapsu,exemplo ferri cãdentis cui illabitur ignis transformans ferrum in seipsum, asserens ex illapsu diuinitatis in essentiam animæ deriuationem eius fieri in potentiis, per quam perfectiùs operantur. Deinde, asserit gratiam,& gloriã consummatam principaliùs esse in essentia animæ,quàm in potentiis, & iustitiam distributiuam, per quam fit retributio, principaliùs respicere seruata proportione essentiam, quæ dignior est potentiis, quæ nihil fauent interpretationi prætensæ. Adde Henricum admittere beatitudinem formalem ex sensu Philosophorum, consistere in operatione, quos ideò reiicit, quia non nouerunt veram beatitudinem. Hunc autem ordinem beatificandi videtur admittere Henricus, vt primùm ordine generationis attingatur Deus per modum obiecti per operationem intellectus, & voluntatis. Secundò non in hoc consummari beatitudinem,sed vlteriùs per amorem, & visionem transformari amantem in amatum, & sequi illapsum diuinitatis in essentiam animæ,in qua consistit principalis beatitudo, inchoata verò in operatione. Tertiò denique per ipsum illapsum fieri deriuationem perfectionis in potentias, per quam perfectiùs operantur, & adhærent obiecto. Ex quibus patet quæ fuerit eius sententia, quam syncerè adducit Doctor, eámque etiam sic intelligunt cæteri posteriores Theologi,vt Capreolus *in hac dist.*1.*art.*2. Sotus *quæst.*1.*art.* 3. Heruæus *in tract.de beatitudine q.* 1. & reliqui,quam etiam tangit Doctor *in* 2.*dist.*26. *quæst. vnica.*

Interpretatur eam Vasquez. *Verus sensus Henrici.* *Quæstio mota.* *Conclusio Henrici.* *Beatitudinem essentiæ constituit in illapsu.* *Ordo beatitudinis quē constituit.*

S C H O L I V M.

Refutat sententiam Henrici. primò,quia beatus per illapsum non aliter se habet,quàm non beatus. Secundò, aliàs dormiens,seu nihil operans, esset beatus. Tertiò, Deus non est beatus, per hoc quod est idem sibi, ergo nec creatura per illapsum Deus in eam.

5 c COntra istam opinionem, primò sic: Deus non aliter se habet in se nunc,quàm priùs, nec aliter illabitur huic animæ, vel Angelo nunc, quàm priùs, considerando præcisè essentiam hinc inde; quia secundùm illum illapsum essentiæ diuinæ

Per illapsum non aliter se habet beatus nunc, quàm prius.

in essentiam creaturæ, est semper vniformitas manente essentia creaturæ: ergo si est aliqua nouitas in anima beata, oportet quòd hoc sit per aliquem effectum nouum causatum à Deo in illa essentia, ille effectus dicitur beatitudo eius formaliter, siue essentialiter: & non potest esse principaliter in essentia, vt distinguitur à potentia: quia tunc esset actus primus: per nullum autem primum actum distinctum à secundo potest creatura immediatè attingere essentiam diuinam.

Confirmatur, nihil mutatur propriè nisi nouum aliquid sibi inhæreat formaliter: beatus aliter se habet nunc, quàm prius non beatus, ita quòd mutatur de miseria in beatitudine: essentia autem diuina per quemcumque illapsum non est forma eius: ergo oportet aliquid aliud sibi inesse, quo formaliter sit beatus.

Præterea, ille illapsus est prior natura quacunque operatione, cùm sit secundùm aliquem actum primum, vt argutum est: ergo absque contradictione posset esse sine operatione: & per consequens non operans: sed se habens vt dormiens, posset esse principaliter beatus, quod habet Aristoteles pro inconuenienti. 12. *Metaphysicæ.* 6

Text. 15.

Deus est beatus per operationes immanentes.

Præterea, creatura est beata proportionaliter aliquo modo, illi modo, quo Deus est beatus: sed Deus non est beatus præcisè per hoc quòd est idem sibi, sed per hoc quòd est intelligens, & volens se tanquam obiectum; alioquin ex hoc quòd est beatus non posset inferri quòd est intelligens: quia si non haberet intellectum, adhuc esset idem sibi, sicut lapis est idem sibi. Hoc breuiter sic arguitur, si beatitudo diuina non consistit completiuè in identitate beatificabilis ad obiectum beatificum; ergo nec beatitudo creaturæ consistit in aliqua identitate, vel intraneitate obiecti beatifici per illapsuum: quia si ibi vltra identitatem requiritur operatio, multò magis hîc vltra illapsum: quicquid enim hîc poneretur principaliter beatitudo, & aliquid ibi eminenter correspondens, esset principaliter beatitudo: isti autem illapsui quo anima dicitur quasi deifica, longè eminenter correspondet ibi identitas Dei.

COMMENTARIVS.

2 *Impugnatur præmissa sententia. 1. Ratio.*

c *Contra istam opinionem,* &c. Impugnat sententiã Henrici, primò, quia Deus nõ aliter se habet nunc, quàm prius, neque aliter illabitur vniformiter manente essentia animæ; sed essentia animæ, vt distinguitur à potentiis, vniformiter se habet quoad *esse*: ergo & Deus respectu eius vniformiter illabitur. Maior patet, quia impropriè illapsus dictus, & qui dicitur simplicis præsentiæ, vt quando vna substantia aliã ingreditur secundùm simplicẽ præsentiã, nequit variari ex parte Dei respectu essentiæ animæ ob immensitatẽ, vel si variari posset ratione alicuius doni, vt vnionis vel hypostaticæ, vel per dona gratiæ, & gloriæ, nõ est propriè illapsus, quoad præsentiam tantùm, & si esset, non sufficit ad deificationem per beatitudinem, quia hic illapsus est vniuersalis respectu cuiuscumque creaturæ, etiam non beatificabilis. Neque etiam illapsus propriè dictus, per quem designatur non solùm intima præsentia, sed etiam conseruatio creaturæ in suo *esse*: quia illapsus ille etiam competit Deo respectu creaturæ non beatificabilis, vt cæli, vel respectu etiam damnatorum, estque immutabilis manente creatura in eodem *esse*: ergo beatitudo non consistit in hoc illapsu essentiali, quem Theologi statuunt cum Magistro *in 2. dist.* 8. & communi omnibus; ergo sine effectu aliquo producto in creatura nequit esse illapsus nouus: hic autem effectus erit ipsa beatitudo se tenens ex parte essentiæ animæ, aut actus primi; ergo debet esse in potentia animæ. Subsumptum patet, quia per nullum actum primum anima attingere potest essentiam diuinam, vt per eam sit beatificabilis; quia vel attingeret mediante vnione substantiali, vt hypostatica: hæc autem non est vnio beatifica, quia quælibet substantia,

Vniformis illapsus in essentiam.

Illapsus præsentia.

Illapsus per vnionem.

Illapsus propriè dictus.

tam beatificabilis, quàm non beatificabilis potest sic vniri sine beatitudine: vel erit vnio aliqua accidentalis, id est, ratione formæ accidentalis productæ in essentia: sed per nullam talem potest beatificari magis, quàm per gratiam, quæ à quibusdam statuitur in essentia animæ, & quædam participatio diuini *esse*. Hæc autem compatitur cum miseria, seu negatione beatitudinis in via. præter has formas non apparet possibilis alia, per quam essentia animæ recipiat perfectiorem illapsum, & immediatum ratione sui, neque essentia ipsa diuina potest concipi per modum formæ intrinsecæ, & deificantis naturam quia id ei repugnat.

In nullo ex istis consistere beatitudinem.

2 *Confirm.*

Confirmat, quia nihil mutatur propriè, nisi nouum aliquid sibi inhæret: nihil, inquam, mutatur positiuè: quia de hac mutatione, quæ propria est, agitur ex scopo huius quæstionis, in qua quæritur de beatitudine, per quam transfertur creatura à statu viæ, aut propriæ miseriæ, ad statum gloriæ, sed beatus aliter se habet nunc, quàm prius, vt fuit non beatus, & essentia diuina per quemcumque illapsum, non est eius forma: ergo oportet aliquid aliud sibi inesse, per quod formaliter est beatus. Maior est certa ex definitione mutationis, qua dicitur aliquid nunc aliter se habere quàm prius. & iuxta illud, *à contradictorio in contradictorium non fit transitus sine mutatione*, &c Minor etiam ab omnibus, & ipso Henrico admittitur: & rectè tenet consecutio: oportet ergo vnionem essentiæ diuinæ cum essentia animæ esse effectiuam ratione alicuius producti, & non formalem; tunc autem de formali quæritur quænam vel qualis esse possit in essentia. Exemplum autem, ferri candentis ab eo adductum, magis confirmat propositum, quia ferrum non fit ignis, nisi per iuxta positionem, & inquantùm recipit qualitates ignitas, vt calorem, & huiusmodi; quo casu

Mutatio propriè dicta.

Mutatio beatifica.

Vnio essentiæ diuinæ cum anima est effectiua.

Retorquetur exemplum illatum.

Ignis quomodo illabitur ferro per iuxtapositionem, ac calorem.

casu ignis non illabitur ferro per vnionem sui formalem, sed tantùm effectiuam, aliàs daretur penetratio, si illapsus esset ignis per subintrationem in substantiam ferri: neque etiam illabitur propriè, & secundo modo: vt illapsus importat præter præsentiam simplicem, conseruationem; quia ferrum non conseruatur ab igne: ergo illapsus essentiæ diuinæ in essentiam animæ, qua eam beatificat, erit tantùm effectiuus, quatenus in ea producit qualitates aliquas diuinas, eam transformando in seipsum, eo modo, quo ignis transformat accidentaliter ferrum, & non substantialiter. Dicendo ergo aliquas qualitates supernaturales infundi animæ præter gratiam, lumen gloriæ, virtutes, & actus vitales, saluari potest dicta vnio, seu illapsus diuinæ essentiæ, sed neque ratio huiusmodi sustinet, neque authoritas, neque iis datis saluatur beatitudo in essentia animæ, ergo, &c.

Accomodatur.

4 Subsumptum patet, quia, vt dictum est, vnio hypostatica, & gratia non habent illum effectum, quamuis perfectiùs vniant diuinæ essentiæ, quàm aliæ qualitates, quæ spectarent ad actum primum, quà vnio hypostatica vnit, & gratia per adoptionem, & filiationem; his non datur aliqua vnio perfectior spectans ad actum primum. Deinde, illæ qualitates in essentia animæ deberent concipi eo modo, quo qualitates in corpore glorioso per modum dotis: sed hæ in corpore supplent aliquam imperfectionem, cum qua impediretur perfecta gloria, vel ob passibilitatem, molem, impenetrationem, immobilitatem, tenebras, vmbram, & huiusmodi, quibus stantibus non perfectè subiiceretur corpus animæ gloriosæ; deóque dotes conceduntur corpori. In anima autem non apparet quantùm ad actum primum stante gratia, lumine gloriæ, & aliis donis virtutum, vlla imperfectio, quin perfectè possit vniri fini; quæ quoad entitatem suam substantialem est sufficienter perfecta, dum vnitur corpori, quantùm ad actum primum; quantùm ad actum verò primum, & secundum, vt ordinatur ad supernaturalem statum per gratiam habitus, & actus sufficienter completur: ergo à posteriori sumendo argumentum ab appetitu animæ in ordine ad perfectionem, non inuenitur fundamentum vnde perfici possit, aut debeat per tales qualitates diuersas. Minùs autem suppetit à priori ratio, vnde probentur, aut iis datis magis perfectè Deum illabi iis mediis, quàm per reliqua enumerata illabitur.

Non dari vnionem formalem actus primi, seu essentia.

Nullus effectus eius datur.

Non excludis imperfectionem.

5 Hoc etiam probatur, seu confirmatur secundò: Illapsus iste debet concipi secundùm appetitum, & capacitatem creaturæ, vt est participatio Dei, quam ipse perficere nouo illapsu diceretur: sed præter communem rationem creaturæ, & illapsus consequentis, anima non postulat ex natura sua alium illapsum, quà participatio Dei est in ratione talis creaturæ, nisi qua est imago Dei; hoc autem ipsi competit secundùm potentias, & vt ordinatur ad actum secundum: quia hac ratione dicitur deformata imago per peccatum, & reformari per gratiam, & dona, & consummari per gloriam, vt competit mediis operationibus potentiarum: ergo alio modo non est perfectibilis nisi in ordine ad hæc, & inquantùm est imago Dei, per vllum illapsum, qui facit ad indigentiam, & consummatam perfectionem, atque participationem Dei.

2. Confir.

Necessitas illapsus prætensi impugnatur.

6 Confirmatur tertiò, seruata proportione, naturalis beatitudo animæ, & supernaturalis debet respectiuè ad idem sumi; sed beatitudo naturalis non consistit in illapsu Dei naturali, neque in aliquo, quod spectat ad actum primum essentiæ, vt distinguitur re, aut ratione à potentiis; ergo neque etiam beatitudo eius supernaturalis potest constitui in aliquo illapsu Dei effectiuo, quod spectat ad essentiam primariò, & per se præter illapsum per gratiam, si ponatur in essentia animæ. Patet consequentia, quia vniformis est ordo animæ ad finem tam naturalem, quàm supernaturalem seruata proportione, & ad beatitudinem tam formalem, quàm etiam obiectiuam, quæ est ex fine. Deinde, quia Deus vt illabitur animæ per modum causæ effectiuæ non habet rationem finis, quia tantùm respicit actum secundum: quia finis vt est appetibilis mouet, & vt possessus causat satietatem, & quietem à motu; hoc autem ipsi competit vt mediante cognitione, & amore tantùm mouet: ergo sic tantùm beatificat.

3. Confir.

Ex proportione naturalis, & supernaturalis beatitudinis.

Vniformis ordo animæ ad vtramque.

Deus vt efficiens non est finis.

Secundò principaliter argumentatur Doctor: ille illapsus est prior natura quacumque operatione, cùm sit secundùm aliquem actum primum; ergo sine contradictione posset esse sine operatione, & consequenter non operans, sed dormiens posset esse beatus principaliter, quod pro inconuenienti habet Philosophus 12. *Met. tex.* 51. Dices requiri amorem, & visionem Dei in se, vt dispositionem præuiam. Contrà, quod immediatè conuenit essentiæ, vt prior est omni potentia, & vt sic comparatur ad causam primam, nequit dependere ab aliquo posteriori, vt dispositione antecedente: ergo beatitudo principalis conueniens primò essentiæ, nequit dependere à potentiis, aut actibus earum, vt dispositione antecedente. Probatur antecedens, quia essentia, vt prior est, ratione sui est capax illius formæ, & vt dicit Henricus, qua dignitate excedit potentias, forma ipsa in se producta non conuenit mediantibus potentiis, vt conceditur, tanquam receptiuis; neque dependet etiam ab iisdem tanquam alterantibus essentiam præuiè, quia essentia à potentiis nihil alteratur, neque potest alterari cùm solùm agant actione immanente, & ad propriam perfectionem respectiuè etiam ad Deum non requiritur ordo formarum, quasi priùs necessariò ageret ad productionem beatitudinis in potentiis, quàm in essentia: quia ex natura ipsarum formarum non est talis subordinatio: cuiuscumque enim capax est essentia, quà essentia est, illud nata est recipere immediatè à Deo, vt comparatur per illapsum ad essentiam; quamuis in potentiis nihil omnino producat: ergo potest Deus etiam illabi essentiæ, quà prior est potentiis, earúmque actibus, hoc est inconueniens: quia sequeretur animam manentem in pœna, & miseria quantùm ad actum potentiarum, posse beatificari beatitudine principali. Si dicas beatitudinem essentiæ potentiis illabi. Contrà, vel seipsa formaliter, id est, per modum formæ, & sic esset in potentiis, quod repugnat suppositioni quæstionis; & præterea quia non est operatio ante habitum. Si verò effectiuè illabitur, Deus potest prohibere. 7

Secunda ratio principalis.

Actus primus separari potest à secundo

Responsio.

Impugnatur.

Prius non dependet à posteriori.

Tertiò, impugnat & benè: creaturæ beatitudo secundùm proportionem in eo consistit, in quo consistit beatitudo Dei in seipso: sed hæc consistit non in identitate obiecti beatifici ad seipsum, sed in operatione: ergo similiter neque in illapsu essentiæ diuinæ; sed in operatione consistit beatitudo creaturæ. Maior probatur, quia *similes ei erimus*. quod intelligitur de similitudine proportionis, 8

Tertia ratio. beatitudo Dei consistit in operatione.

nis, & per beatitudinem; ergo beatitudo nostra erit participatio diuinæ beatitudinis, & quædam eius similitudo: sed si in illapsu, seu vnione essentiæ diuinæ ad essentiam animæ consisteret beatitudo nostra, nihil ei in Deo magis corresponderet, quàm identitas, & vnitas essentiæ ad seipsam, seu ad Deum. Minor probatur, quia nisi beatitudo consisteret in operatione, tolleretur modus probandi in Deo intellectum, & voluntatem, quia hæ facultates primariò ponuntur in ordine ad obiectum beatificum ad intrà, & tanquam attributa, ad quæ sequitur operatio beatifica, neque alia beatitudo est in Deo; quia nequit esse illapsus eiusdem in seipsum, neque in existentia; ergo neque beatitudo nostra consistit in existentia Dei per intraneitatem in essentia animæ. Huius sententiæ impugnatio latiùs apparebit in resolutione primæ quæstionis in ordine, in qua sustinebitur beatitudinem consistere in operatione.

Inconueniens ex opposito.

SCHOLIVM.

Adducit quasdam rationes Henrici contra eum, & soluit quæ faciunt pro eo adducta num 4. & 5. per optimam doctrinam, addacens tertiam & quartam ad oppositum.

d QVÆ autem adducuntur pro opinione quædam sunt contra eam: pro ea autem nulla cogunt: nam primò modus ponendi videtur concedere quòd iste 7
illapsus sit primò in potentia, & ita beatitudo principaliter ibi. Probatio antecedentis, dicit enim quòd per amorem, qui est vis transformatiua, amans incipit exire à se, & esse illud quod amat; quod non potest fieri nisi per circumincessionem, vel illapsum, ex hoc sequitur quòd per amorem fiat illa circumincessio, vel illapsus amati in amantem: constat autem quòd amor, vel dilectio, de quibus loquitur Hugo, sunt per se potentiæ voluntatis. Istud etiam dictum exire à se, est metaphoricum, sicut apparet per Philosophum in Politicis lib. 2. cap. 3. & in 7. cap. 5. *Nihil enim minus aliquid est id quod fuit, quia amat aliud.* Ratio autem huius metaphoræ, & omnium talium, hæc est, quia in attingendo, vel acceptando, vel appretiando veriùs est amans amatum, quàm ipsummet, & quiescendo in illo: & hunc intellectum planè dicit Hugo vbi priùs. *Qui solum*, inquit, *appetit quod amat, seipsum despicit, in comparatione illius quod amat.*

Quomodo amans exit à se, vel fit amatū.

Et hoc est quod dicit Augustinus in 4. de Ciuit. Dei cap. vlt. *Ciuitatem Dei fecit amor Dei vsque ad contemptum sui.* scilicet amantis: pro tanto ergo amans exit extra se, quia suum *esse* paruipendit, in comparatione amati, ita quòd magis appetit destrui *esse* suum quàm amati: sed ex hoc non sequitur aliqua circumincessio, vel illapsus, sicut ille arg ir. 8

Prima ergo ratio non cogit: patet ex dictis, quia procedit ex ratione illapsus istius. Esto etiam quòd in beatitudine sit quidā specialis illapsus, iste non est essentiæ diuinæ in hanc essentiā, vt essentia, sed essentiæ diuinæ, vt obiecti beatifici in hanc vt attingentem ipsum, vt obiectum: attingit autem principaliùs, & immediatiùs per potentiam.

Qualis illapsus Dei in beatos?

Quod etiam arguitur ibi de redundantia, quæ fit à priori in posterius, non è conuerso, non cogit: quia nihil prohibet aliquid respectu eiusdem esse prius, & posterius, alio, & alio modo: & eo modo quo aliquid prius est, potest illud quod est sibi proprium, redundare ab ipso in aliud, quod tali modo est posterius: sicut licèt *esse* redundet in calorem à substantia, tamen *calere* è conuerso, conuenit substantiæ à calore. Si ergo esset prioritas essentiæ respectu potentiæ, & hæc redundantia actus primi perficientis essentiam, si quis esset, fieret in potentia: tamen actus secundus qui primò conuenit potentiæ, redundabit ab ipsa in essentiam. Potest ergo ex hoc argui oppositum, sic: illud est principalius, à quo aliquid redundat in aliud: sed beatitudo redundat in essentiam vt essentia, ab ipsamet vt est potentia, sicut & attingere obiectum beatificum tali ordine competit essentiæ, & potentiæ.

Mutua redundantia essentiæ, & potentiæ explicatur.

Secunda ratio non cogit. Loquendo enim de *perficere* formaliter, hæc est falsa, 9
essentia diuina principaliùs perficit essentiam quàm potentiam: quia Deus vt illabens essentiæ non perficit eam formaliter, sed tantùm sicut aliqua causa extrinseca, vt obiectum: illabens autem potentiæ perficit eam tanquam causa extrinseca, vt obiectum, & perficit eam formaliter per formam causatam, quæ est operatio attingens ipsam, vt obiectum: si autem loquaris de *perficere* qualitercunque informando, vel aliter, vt accipias quòd per illapsum veriùs perficit essentiam, quàm potentiam; si consideretur, non sequitur propositum, nam istud *perficere* pertinet ad actum primum: non est ergo *perficere* beatificum.

Et si dicas, sufficit mihi quòd sit verius *perficere* quàm aliquod *perficere* actus secundi: ex

ex hoc enim ſequitur quòd eſſentia erit principaliùs perfecta nobiliori perfectione quàm potentia; ergo & beatitudine, vel aliqua erit nobilior perfectio quàm beatitudo. Reſpõdeo, ſubſtantia eſt magis ens quocũque accidẽte, *ſeptimo Metaphyſicæ*: ergo eſſentia Angeli, vel animæ eſt ſimpliciter perfectior ſua beatitudine inhærẽte, quæ accidẽs eſt: ergo non eſt inconueniens quòd aliqua perfectio, quæ eſt actus primus animæ, vel Angeli, in *eſſe* ſubſtantiali, ſit verior eius perfectio, quia intimior: ſit etiam in ſe nobilior perfectio quàm beatitudo, vel aliqua pertinens ad actum ſecundum: beatitudo tamen eſt nobiliſſima perfectio ſecunda, ſicut dictum eſt in præcedenti ſolutione: ſed quacunque ſecunda eſt aliqua prima ſimpliciter nobilior in creaturis: vbi ſecunda, & prima ſunt re diſtincta.

Text. 4.

Beatitudo eſt nobiliſſima perfectio in actu ſecundo, non in actu primo.

10 Poteſt etiam negari illa propoſitio, quòd Deitas per illapſum veriùs perficit eſſentiam quàm potentiam, quia illapſus in eſſentiam vt eſſentia, eſt quodammodo generalis toti creaturæ, licèt vnicuique proportionaliter ſecundùm ſuum gradum entitatis: ſed ille, qui eſt eſſentiæ, vt obiecti in potentiam, eſt ſpecialis naturæ nobiliſſimæ: eſt ergo aliquis illapſus in potentiam nobilior illo illapſu, qui eſt in eſſentiam, licèt ille qui eſt in eſſentiam ad *eſſe* ſit principalius eſſentiç, quàm potentiæ, ſicut & *eſſe*.

Sed contra hoc arguitur, quia illapſus eſſentiæ vt obiecti, præſupponit illapſum eſſentiæ, vt intimantis ſe eſſentiæ: illud autem eſt perfectius, à quo aliud dependet, non è conuerſo. Reſpondeo, non omne prius generatione eſt prius perfectione, *nono Metaphyſicæ*: iſta autem præceſſio illapſus per intimationem ad illapſum in ratione obiecti, non probatur prior niſi generatione: non enim eſt neceſſaria cauſa actiua illius poſterioris, quia ille eſt, quando ſecundus haberi non poteſt, ſicut in via.

Text. 15.

Iſtarum duarum reſponſionum ad ſecundam rationem, prima videtur verior, & ſatis ſoluit, quòd aliquis illapſus ſimpliciter perfectior non eſt beatificus: alius ſimpliciter minùs perfectus eſt beatificus. Exemplum, perfectiſſimus illapſus eſt in naturam humanam, vt perſonaliter vnitam Verbo: nec tamen ille eſt formaliter beatificus, vt apparet *tertio libro, diſtinctione ſecunda*, quamuis iſte Doctor dicat contrarium vt ibi dictum eſt: illapſus autem Dei trini in Michaëlem, qui eſt ſimpliciter minùs perfectus, eſt ſimpliciter beatificus.

Illapſus minùs perfectus eſt beatificus, magis perfectus non. Quæſt. 1.

11 [c] Tertia ratio ducitur ad oppoſitum, quia gratia immediatè perficit potentiam, non eſſentiam, ſicut dictum eſt *libro ſecundo, diſtinctione vigeſimaſexta*: quia forma perficiens paſſum, vt illimitatum, vel indifferens ad plura, indifferenter perficit ipſum in ordine ad illa plura: ſicut ſi aliqua forma perficeret Solem inquantùm eſt illimitatè actiuus reſpectu omnium inferiorum, indifferenter ipſum perficeret in ordine ad vnam actionem, & aliam: gratia autem non perficit animam indifferenter in ordine ad intellectionem, & volitionem: ſed ſolummodo in ordine ad volitionem. Probo, ipſa enim eſt primò grata, & nulla alia niſi ab ipſa.

Vide quæ ibi notauit. Gratia immediatiùs perficit potentiam, quàm eſſentiam: de quo 2. d. 26.

Si inſtetur maiori propter illud, indifferenter: ſaltem iſta eſt vera, quòd forma perficiens paſſum, vt illimitatum ad plures actiones, non perficit ipſum præciſè in ordine ad vnam actionem: quia ſtatim ſequitur oppoſitum ſubiecti, ſcilicet quòd perficit illud, vt limitatum, & determinatum ad vnam actionem: gratia autem præciſè non perficit animam ad intellectionem, & volitionem, ita quòd intellectio præcedens volitionem, non eſt grata, nec meritoria: ſequens etiam non eſt grata, niſi quia eſt imperata à volitione grata.

Si inſtetur minori primæ rationis, quia eſſentia non eſt actiua, ſed paſſiua mediantibus iſtis potentiis; hoc licèt ſit falſum, ſaltem de voluntate, vt dictum eſt *in ſecundo lib. diſt. 25.* tamen poteſt accipi ſimilis maior de potentia paſſiua: nulla forma perficit ſuſceptiuum inquantùm indifferens ad plura, quæ præciſè perficit ipſum in ordine ad vnum illorum: gratia eſt huiuſmodi, vt priùs: imò nullus habitus videtur perficere eſſentiam, niſi vt habet rationem potentiæ: tandem ſtetur in iſta: nulla forma perficit aliquid inquantùm illimitatum, vel indifferens ad plura, quæ præciſè perficeret ipſum, ſi eſſet determinatum ad alterum illorum: ſed ſi anima eſſet tantùm intellectus, non poſſet perfici gratia, quia nec habere actum gratum, etſi haberet actum: ſi autem per impoſſibile eſſet tantùm voluntas, poſſet perfici gratia: quia ſi per impoſſibile haberet actum, haberet illum gratum.

12 Quarta ratio ducitur ad oppoſitum: quia cui debetur maius bonum, ei reddendum eſt, eo modo, quo magis poteſt ſibi eſſe bonum: ſed animæ magis poteſt eſſe bonum beatitudo, ſi ſit in potentia, quàm ſi eſſet in eſſentia immediatè, ſicut maius bonum eſt animæ videre Deum per intellectum, quàm per eſſentiam, vt eſſentia: quia

Quarta ratio Henr. deducitur ad oppoſitum.

videre

videre non est natum esse bonum eius, nisi per intellectum : sic non est natum esse eius bonum, habere obiectum beatificum, vt beatificum, nisi per potentiam attingentem ipsum per operationem.

Quod etiam additur ibi, quòd perceptio beatitudinis principaliter competit potentiæ, videtur concludere oppositum propositi : quia perceptio obiecti beatifici videndo, & degustando, non est accidentalis, vel adueniens beatitudini, sicut dicit Hugo in auctoritate, quam adducit: *In his*, inquit, *beatitudo consistit in cognoscere, & amare bonum.* Probatur etiam ratione, quia miseria essentialiter includit perceptionem obiecti disconuenientis, loquendo de miseria completa, quæ est cum pœna : principalis enim pœna, quæ consistit in tristitia, vt suprà dictum est *dist.* 44. *quæst.* 2. per se consequitur perceptionem obiecti disconuenientis : ergo perceptio obiecti conuenientis, necessariò non sequitur beatitudinem: quia tunc beatitudo non æquè necessariò delectaret, sicut miseria cruciaret.

Miseria essentialiter includit perceptionem disconuenientis, & beatitudo conuenientis.

Quod vlteriùs additur de Philosophis, non videtur probabile contradicere eis in illo primo noto de beatitudine, quòd consistat in operatione, vel non. Licèt enim errauerint, vel potiùs non attigerint in quo obiecto, vel magis sub qua ratione sit beatitudo : tamen istud primum notum, in quo sit perfectio finalis creaturæ rationalis, an scilicet in potentia, vel essentia, quorum distinctionem habemus ab eis : an etiam in operatione, vel habitu, quæ similiter habemus ab eis: non est verisimile eos latuisse.

COMMENTARIVS.

9 *Censura prioris sententia.*

d QVæ autem adducuntur pro opinione, &c. Hîc subiicit censuram prioris sententiæ ex propriis fundamentis, asserens quædam destruere intentum, reliqua verò non probare. Illa autem quæ non probant, sunt, quæ adducit ex Theologia mystica ex Dionysio, & Hugone inquantùm dicunt amorem transformare amantem in amatum. Vnde infert Henricus illapsum competere essentiæ mediante amore, & visione; vnde sequitur etiam quòd Deus priùs illabitur potentiis, quàm essentiæ. Quod autem dicitur amans exire à se, & transformari in amatum, intelligitur non secundùm *esse*, sed secundùm affectum, & appretiationem, quia amans præfert sibiipsi amatum, vt rectè probat ex Philosopho, Hugone, & Augustino, & seipsum despicit præ amato, ex quo non sequitur aliqua circumincessio, aut illapsus ex parte amati in amantem quantùm ad *esse*, neque aliter attingere amantem, quàm per modum obiecti, cui amans adhæret. Ex hoc sequitur primam rationem non concludere, illapsum essentiæ diuinæ in essentiam animæ, sed tantùm illapsum obiecti beatifici in potentiam, qua attingitur per operationem, vel illapsum, vt est Dei efficientis beatitudinem. Ratio ergo Henrici prima (qua dicit amantem à se exire, quod in proposito nequit fieri, nisi per circumincessionem, non autem animæ beatæ illabentis diuinitati, sed è conuerso, vt in natura tali nihil appareat esse aliud, quàm Deus, sicut ferrum candens in igne lucet, & ardet) est metaphorica, & non dogmatica, & fundamenta eius dicto modo explicanda.

Explicatur Dionysius, & Hugo.

Quid sit transformari amantem in amatum.

Soluitur ratio.

Est Metaphorica, non dogmatica.

10 *Soluitur. 2 Ratio eiusdem.*

Secunda ratio, seu conclusio, ex priori deducta est, quòd ille illapsus fiat in essentiam, & exinde redundet in potentias, non è conuerso, quia à priori, qualis est essentia animæ, fit redundantia in posterius : hæc ratio non probat, quia aliquid potest esse prius, & posterius respectu eiusdem in diuerso ordine, vt calor quoad *esse*, quod recipit substantia, est posterius substantia; prior autem quoad effectum formalem, quem communicat substantiæ. Sic ergo essentia quoad illud, quod ipsi competere posset, vt est prior potentia, posset idem deriuare, vel ratione eius deriuari in potentiam, è contra verò illud, quod competit potentiæ primò, ratione eius deriuatur in essentia, vt essentia est : sed beatitudo ita competit potentiæ priùs quàm competit essentiæ sicut attingere objectum beatificum : ergo à potentia deriuatur in essentiam, non è contra.

Alia etiam ratio Henrici est: in essentia animæ principaliùs habetur Deus, qui est beatitudo per essentiam, quàm in potentiis: quia essentiam quodammodo perficit diuinitas per seipsam : potentias verò tantùm per modum obiecti beatifici; sed quod per se perficit, principaliùs perficit quàm illud, quod terminatiuè tantùm perficit: ergo, &c. Respondet Doctor, si intelligatur quòd essentiam animæ perficia, principaliter, & formaliter, diuinitas per se, est falsa maior cum consequentia : quia diuinitas formaliter non perficit, sed vt causa extrinseca vt obiectum, & sic primò illabitur potentiæ per operationem, qua attingitur; formaliter verò per formam, quàm in potentia causat vt est ipsa operatio. Quòd si etiam admitteretur aliquo modo perficere principaliùs essentiam animæ, quàm potentiam, non concluditur intentum, quia illa perfectio esset actus primi, in quo non consistit beatitudo, vt suprà probatum est. Et deinde Deus perficiens essentiam animæ perficeret eam in *esse*, non quà beatificabilis, neque ei communicaretur Deus, quà beatus est, sed quà ens à se.

11 *3. Ratio.*

Responsio.

Beatitudinis illapsus prior sit in potentia.

12 *Replica.*

Dices, sufficit quòd perfectio communicata essentiæ animæ sit in se nobilior, quàm illa quæ communicatur potentiæ: ergo vel erit beatitudo, vel beatitudine perfectior. Respondetur sicut substantia est perfectior accidente ex genere suo 7. *Met. text.* 4. ita substantia animæ perfectior est sua beatitudine, quæ accidens est, sic etiam non erit inconueniens aliquam, si talis detur, perfectionem, quæ primò competeret essentiæ in actu primo esse perfectiorem beatitudine : quia sic aliqui etiam dicunt vnionem hypostaticam perfectiorem esse, quàm sit beatitudo; excessus enim perfectionis in beatitudine est supra reliquas perfectiones sui generis, nempe actus secundi.

Solutio.

Substantia perfectior essentia.

Negari etiam potest quòd Deus perfectiùs per illapsum perficiat essentiam, quàm potentiam, id est, quòd illapsus Dei in essentiam sit perfectior

ctior, quàm illapsus eius in potentiam, quia ille illapsus substantialis Dei est communis omnibus, & singulis creaturis, licèt vnicuique creaturæ secundùm suum gradum: sed illapsus essentiæ diuinæ vt obiecti est specialis naturæ nobilissimæ, & sic nobilior quàm sit illapsus substantialis, & communis omnibus. Quod autem competit alicui vt propria perfectio in eo gradu entitatis, quæ reliqua omnia excedit in perfectione, est etiam in se perfectius, quàm illud quod est commune sibi, & reliquis. Contrà illapsus essentialis, seu substantialis, est prior illapsu beatifico, & per modum obiecti, & supponitur: ergo erit perfectior. Respondetur, via generationis esse priorem, non autem perfectionis, quia non omne prius generatione est prius perfectione 9. *Met. tex.* 15. Huic solutioni præfert priorem, vt veriorem. Dato ergo quòd illapsus substãtialis sit perfectior, non sequitur in eo consistere beatitudinem: nam perfectissimus illapsus in naturam humanam est vnio hypostatica; quæ tamen non est beatitudo Christi, quà homo est.

Illapsus in potentiam potest dici perfectior quàm in essentiam.
Replica.
Soluitur.

13 Quantùm ad hanc difficultatem, qua comparatur vterque illapsus secundùm perfectionem, & natura animæ, aut Angeli, substantialis ad beatitudinem, potest considerari diuersa ratio, secundùm quam institui potest comparatio: si enim comparentur in *esse* entis, illud est perfectius in *esse* entis, quod est principalius ens, & simpliciter, & magis accedit ad *esse*: hoc autem principaliùs competit substantiæ Angeli, quàm vlli eius actui secundo, aut accidenti; consequenter illapsus naturalis, quo Deus intimè fit præsens, & conseruat substantiam Angeli, est perfectior in ratione influxus, vt tendit ad *esse*, quàm illapsus beatificus; tum, quia ille est ad ens simpliciter; tum, quia influxus realis, vt distinguitur contra intentionalem, qualis est influxus Dei vt obiecti beatificantis, & finis, licèt etiam influat ipsam operationem, quæ intantùm est perfectio, inquantùm ordinatur vt secundarium *esse* ad *esse* principale, seu accidens ad substantiam præterea, si comparentur hæc quoad gradum, in quo accedunt ad perfectionem primi entis, cuius participatione reliqua dicuntur entia, excedit Angelus secundùm substantiam, operationem beatificam, quia hæc sub vna ratione, vel operationis, vel attingentiæ obiecti primi, qui est Deus, participat rationem primi entis, seu causæ exemplaris, eámque manifestat, vt operationem diuinam. Angelus autem sub multis rationibus, vt substantiæ spiritualis intellectiuæ, volitiuæ, imaginis, &c. participat, & sequitur primam rationem causæ exemplaris in Deo, & sicut illapsus essentialis in Angelum, est secundùm rationem specificam, & gradum entitatis: sic etiam excedit illapsum in ordine ad beatitudinem. Quòd si comparatio fiat in ordine ad finem, etiam substantia Angeli excedit beatitudinem: quia hæc ad perfectionem naturæ Angelicæ est ordinata, non è contra natura, propter beatitudinem. Quòd si comparentur ad finem vniuersalem, quem Deus intendit per manifestationem sui, & communicationem creaturis quantùm ad *esse* entis, iam dictum est; quantùm verò ad manifestationem attributorum, non sunt comparabiles, quia natura manifestat sapientiam Dei, atque potentiam: beatitudo verò, & quæ ad eam ordinantur iustitiam, seu bonitatem, & misericordiam. Quòd si comparatio fiat in ordine ad finem vltimum in re ipsa, habent se vt finis *cui*, & *quo*; vt verò considerantur vt cadunt sub intentione Dei formali, inquantùm ex hoc motiuo suæ bonitatis communicandæ specialiter naturæ intellectuali, prior est beatitudo & natura beatificabilis, inquantùm beatificabilis, quàm natura in *esse* entis, & naturę; quia immediatiùs se habet ad hunc finem hoc modo, & supernaturaliter sumptum, quàm series naturæ. Hinc Doctor ordinem electionis statuit priorem ordine naturæ prioritate intentionis, & obiecti formalis, non quòd electio etiam non comprehendat subiectum, & personas, quibus Deus vult beatitudinem (quia non eam vult in abstracto, sed naturæ intellectuali capaci) sed naturam vult hac intentione quasi materialiter: beatificationem verò formaliter ex motiuo finis beatificantis. Deinde, sequitur ordo naturæ, qua disponit de eius *esse*, causis, & aliis huc spectantibus. Vide Doctorem *in* 1.*d.*41.*q.*1.*& in* 3.*d.*7.*q.*3.

Explicatur. vtraque solutio.
Diuersus modus comparandi beatitudinem ad essentiam.
Illapsus naturalis perfectior beatifico.
Comparatio ad finem.
Comparatio ad manifestanda attributa.
Ordo electionis, & naturæ.

14 e *Tertia ratio ducitur ad oppositum*, &c. Hæc fuit quòd gloria sit gratia consummata: sed gratia est in essentia animæ: ergo & gloria. Hanc rationem reducit ad oppositum ex dictis *in* 2. *d.* 26. subsumendo contradictoriam minoris, nempe gratiam non perficere animam, vt prior est potentiis, neque in ea sic subiectari: quia non perficit indifferenter in ordine ad omnes operationes; sed determinatè in ordine ad actum voluntatis. Hæc ratio supponit gratiam esse operatiuam, & non distingui à charitate, quod differuimus aliàs in 2. parte huius commentarij *d.* 16. ibi videantur quæ dicta sunt. Circa probationem huius minoris, vt includit dictum suppositum; quia tota difficultas argumenti versatur circa minorem. Minor enim est euidens, & rectè probatur in textu; dato enim quòd gratia sanctificans sit principium effectiuum actus determinati, & volitionis, rectè sequitur non perficere animam per modum principij *quo* efficientis, nisi in ordine ad illum actum solum: ideóque dona, quæ statuuntur in potentiis, tanquam principia operationum, dicuntur diuersa, quia in ordine ad actus limitatos inclinant potentias. Sic plures habitus in eadem potentia eam inclinant, ad proprios quique actus.

Tertia ratio Henrici retorquetur ad oppositum.
Gratiam non esse in essentia animæ.

15 Quarta ratio Henrici est ex iustitia distributiua, qua distribuit præmia iuxta excessum dignitatis, & perfectionis: sed essentia est perfectior suis potentiis: ergo principaliùs recipit præmium. Reducit hoc ad oppositum, quia cui debetur maius bonum, ei reddi debet, provt maius bonum est eius; sed essentiæ maius est bonum beatitudo vt in potentia, quàm vt in ipsa essentia: quia videre Deum est maius bonum eius, quàm non videre: hoc autem bonum conuenit mediante potentia, & non aliter. Præterea, quod addit Henricus destruit intentum, dicit enim quòd perceptio beatitudinis principaliùs est in potentia, quàm in essentia: quia perceptio obiecti beatifici videndo, & degustando non est accidentalis beatitudini, cùm consistat ex Hugone in percipere, & amare bonum. Præterea, miseria consistit essentialiter, loquendo de pœna, in perceptione obiecti disconuenientis: ergo perceptio obiecti conuenientis, & beatificantis non consequitur ad beatitudinem; sed in ea includitur. Quod præterea dicit ad Philosophos, licèt verum sit ipsos non attigisse obiectum beatitudinis, neque modum: tamen non est negandum eos percepisse veritatem principij vniuersalis, nempe eam consistere in operatione potentiæ, & non in essentia.

4. Ratio eiusdem.
Reducitur ad oppositum.

SCHOLIVM.

Tria continet hæc litera. Primum, si dicatur aliam esse perfectionem essentiæ, aliam potentiæ, beatitudo non potest esse principaliter in essentia. Secundum, tenendo eandem esse vtriusque perfectionem, si simul teneatur, potentias esse accidentia, quodam sensu beatitudo principaliùs est in essentia. Tertium, tenendo veram opinionem, scilicet potentias re indistinctas esse ab essentia, de quo 2. dist. 16. absolutè beatitudo principaliùs est in potentia. probat elegantissimè, & soluit argum. princ. posita in initio huius quæst. 2.

f AD quæstionem ergo dico, quòd duplex potest esse intellectus quæstionis. 13
Vnus supponendo quòd alia sit perfectio essentiæ, & alia potentiæ, quæ illarum sit principaliter beatitudo. Et sic videtur prædicta opinio dicere quòd ille illapsus, qui est in essentia, vt essentia, qui est quodammodo prior operatione, quæ est perfectio potentiæ, sit principaliter beatitudo. Secundum hunc intellectum, dico quòd beatitudo non consistit principaliter in essentia: quia nihil quod perficit essentiam, vt essentia est distincta qualitercunque à potentia, potest esse nisi actus primus, & fortè nullus habitus: nihil autem tale potest esse principaliter beatitudo, imò contradictionem includit beatitudinem esse sine operatione: non sic actum primum esse sine quocunque actu secundo.

Alius intellectus quæstionis potest esse talis, ponendo quòd eadem sit perfectio, & vnica essentiæ, & potentiæ, in qua vnica consistit beatitudo, an illa vnica principaliùs perficiat essentiam, vel potentiam? Et in primo intellectu fuit comparatio duarum perfectionum perficientium essentiam, & potentiam, quæ illarum sit principalior. In secundo sit comparatio eiusdem perfectionis ad duo susceptiua, quod illorum principaliùs perficiatur illa perfectione.

In illo secundo intellectu videretur diuersimodè respondendum, secundùm diuersas opiniones de potentiis: quia si ponantur accidentia ipsæ potentiæ, cùm *principalius* sit id, per quod aliud, & non è conuerso: & *per quod*, possit accipi æquiuocè pro causa priori, & remotiori, vel pro causa posteriori, & immediatiori: primo modo principaliùs essentia perficitur quàm quæcunque potentia perficiatur: secundo modo non, quia essentia est remotior causa respectu cuiuscunque, cuius potentia est causa, sed potentia propinquior.

Quia tamen illam opinionem non credo esse veram, sicut dictum est *dist.* 16. *secundi.* 14
nec etiam clarũ est quòd idem est principalius respectu *esse*, & cuiuscũque perfectionis consequentis *esse*: siquidem aliquid potest esse causa alicuius in essendo, & tamen illud aliud per nullam aliam causam recipit. imò si esset incausatum, reciperet: sicut Deus est causa trianguli in essendo, tamen si triangulus esset incausatus, seipso haberet tres, &c. Et hoc maximè verum est vbi non est processus in eodem ordine, puta si vnum sit prius in ordine actiui, & postea secundum est prius tertio in ordine passiui. In eodem etiam ordine non tenet, nisi sit prioritas essentialis; sic intelligendo, quòd incompossibile sit, quòd secundum sit prius ad tertium, nisi primum sit prius ad secundum, & ad tertium: sicut in causis efficientibus patet, vbi posterior potest efficere sine priori, quia prior non est essentialiter, vel necessariò prior.

g In proposito autem in ratione receptiui non sit talis prioritas essentialis in recipiendo, essentiæ ad potentiam, quia si immediatum receptiuum posset per se esse sine mediato, posset per se recipere, illo non recipiente, nec mediatè, nec immediatè. Hypothesis autem est necessaria supponendo illam hypothesim necessariam multis, quòd distinctorum in entitate absoluta, alterum potest esse absque contradictione sine altero. Videtur ergo quòd si illa opinio esset probabilis, nullo tamen modo esset concedendum quòd essentia principalius recipit operationem, quàm potentia.

h His ergo, & aliis opinionibus de potentiis prætermissis, & æquiuocationibus eius, 15
quod est *principalius*; dico quòd illud simpliciter est principalius respectu *A.* quod quocunque alio, per possibile, vel impossibile circunscripto, eodem modo se haberet ad *A.* nihil autem aliud ipso circunscripto sic se haberet ad *A.* Ista ratio probatur ex ratione primitatis: quia primũ ad aliquid est, quo circunscripto, nihil est tale ad aliud: quolibet

Si potentiæ essent accidẽtia, principaliùs perficeretur essentia, quàm illæ beatitudine.

Potentiæ animæ non sunt accidentia, ex 2. ad 16.

Quod est principalius respectu esse, nõ ideò est tale respectu consequentis esse, maximè si mutatur ordo.

Absolutè distincta separari possunt.

Quæ ratio primitatis ad aliquid

quolibet autem alio circunscripto, ipsum eodem modo se habet ad illud: & primum simpliciter est principalius simpliciter. Hæc pro maiori declarata.

i Nunc autem, siue potentia sit perfectio vnitiuè contenta in essentia, siue sit pars essentialis ipsius essentiæ, siue aliter sic, vel sic se habeat, secundùm diuersas opiniones; essentia non reciperet beatitudinem circunscripta potentia per possibile, vel impossibile: essentia autem circunscripta per possibile, vel impossibile, potentia reciperet eam: ergo eo modo, quo est ibi possibilis principalitas re, vel ratione, potentia principaliùs recipit: & per consequens beatitudo eam priùs perficit. Minor probatur ex præcedenti solutione, quia beatitudo consistit in operatione secundùm illam opinionem: operatio autem perficeret potentiam, si sola esset sine essentia: essentiam autem nullo modo, si sola esset sine potentia. *Potentia principalius recipit beatitudinem, quàm essentia.*

16 k Si isti probationi minoris instetur per hoc, quòd nullum accidens perficit aliud accidens, sed solùm substantiam, licèt vnum accidens prius, quàm aliud, iuxta illud Aristotelis 4. Metaphys. *Non enim accidens accidenti accidit, nisi quia ambo eidem accidunt.* & post, *Nihil enim hoc magis illi, quàm illud accidat huic.* Si ergo potentia est accidens essentiæ; quomodocunque, per possibile, vel impossibile, esset sine essentia, non posset accipere accidens: essentia autem posset accipere accidens mediatum, siue posterius, licèt non reciperet prius, quia ipsa est receptiua vtriusque etiam immediatè in ratione subiecti. *Text. 14. Accidens subiectari in accidente, de quo sup. d. 12. q. 2.*

Huius instantiæ, vt dixi minorem, scilicet quòd potentia sit accidens, non reputo veram: esto tamen, sed maior est falsa, sicut dictum est *libro isto in dist.* 12. *q.* 2. & patet per Auicennam 2. *Metaph. quòd velox*, & *tardum* sunt passiones motus, & *curuum*, & *rectum* passiones lineæ: & per rationem, quia quidquid per se secundo modo conuenit alicui, est accidens eius: nam in illo modo subiectum ponitur in definitione prædicati, tanquam additum, quod non competit respectu accidentis, nisi de subiecto suo: multa autem sunt accidentia, quæ per se secundo modo insunt accidentibus, & nulli substantiæ, sicut patet de omnibus passionibus scientiarum mathematicarum, quarum nulla est de substantia aliqua, vt de primo subiecto. *Cap. 1.*

Quod autem adducunt textum Aristotelis necesse est exponi: quia si præcisè intelligat quia duo accidentia accidunt eidem subiecto, ideò vnum accidit alteri; sequitur quòd ita superficies accidet albedini, sicut albedo superficiei. Idem sequitur ex secunda auctoritate: nihil magis hoc illi accidit, quàm illud huic. Esto ergo intellectus eius non de accidentibus ordinatis, quorum alterum est ratio recipiendi alterum, sed de accidentibus disparatis, de quibus exemplificat, vt album, & musicum. Istud autem sufficit ad propositum suum ibi, volentis quòd non potest esse processus in infinitum in prædicationibus per accidens, sicut exposui alibi intentionem eius. *Non accidit accidẽs accidenti, nisi quia ambo tertio, intelligitur de disparatis, non de subordinatis. sup. dist. 12 q. 2. & in Metaph.*

17 l Ad argumenta, ad primum, maior posset concedi de perfectibilibus, & perfectionibus eiusdem ordinis: non autem comparando perfectibile perfectione vnius ordinis ad aliud perfectibile perfectione alterius ordinis: & intelligo hîc perfectiones alterius ordinis actum primum, & actum secundum: & sic inferendo, non sequitur, nisi quòd essentia si habeat aliquam perfectionem, quæ sit actus primus, illa erit perfectior quacunque perfectione, quæ est actus secundus: beatitudo autem non est simpliciter nobilissima perfectio, sed nobilissima inter actus secundos. *Ad arg. initio q. 2.*

m Aliter, & quasi redit in idem, quòd simpliciter nobiliori perfectibili, correspondet nobilior perfectio. Verum est in illo ordine perfectionum, quæ respiciunt illud perfectibile: beatitudo autem non respicit essentiam, vt essentia est pro primo perfectibili. Si autem compares ordinem perfectionum ad ordinem perfectibilium, concedo quòd perfectibili simpliciter nobiliori, correspondet perfectio simpliciter nobilior intrinseca, vel extrinseca: sed determinatè de extrinseca non oportet concedere, si istud sub ea ratione, sub qua est nobilissimum perfectibile, non est capax perfectionis accidentalis: sic est in proposito, etiam de perfectione accidentali, quæ est habitus, quæ non perficit essentiam, vt essentia est, & multò magis de perfectione accidentali, quæ est operatio. *An perfectibili nobiliori nobilior perfectio debeatur.*

18 n Ad secundum, concedo quòd si potentia posset per se esse, posset perfici ab operatione, & essentia non posset perfici sine potentia. Et ideò argumentum benè concludit contra eos, qui dicunt potentiam esse aliud realiter ab essentia: ad nos autem nihil, qui dicimus quòd idem re sub vna ratione est essentia, & habet perfectiones, quæ sunt actus primi, sub alia ratione est potentia, & habet perfectiones, quæ sunt *Ad. 2. Potentia si esset per se, posset habere operationem.*

actus secundi, nec dico illas rationes alias esse causatas tantùm per actum intellectus, sed ex natura rei, sicut dictum est in quæstione de potentiis animæ in secundo.

o Ad tertium, dico quòd non est inconueniens concedere naturam intellectualem beatificari per accidens, hoc est, non primò, siue non immediatè: & hoc loquendo de primitate, siue immediatione per rationem, licèt sit inconueniens dicere quòd beatificetur per accidens, loquendo de accidente reali aliquo mediante.

Dis. 16. Ad 3. Natura beatur per accidens; explicatur.

p Contra istas responsiones, non minùs nobilis est ratio, secundùm quam Deus est beatus, quàm illa, secundùm quam beatificat: beatificat autem sub ratione essentiæ: ergo sub nulla ratione minùs nobili beatificatur: ratio potentiæ est minùs nobilis.

Respondeo, loquendo de ratione fundamentali, secundùm quam beatificatur, verum est quòd illa non est minùs nobilis ratione fundamentali, & formali, secundùm quam beatificat. Loquendo autem de ratione formali proxima, secundùm quam beatificatur, & formali, secundùm quam beatificat, quæ secundùm aliquos est ratio veri, & boni: adhuc non est maior nobilitas hinc, quàm inde, sed ponendo tertio modo, quòd secundùm rationem essentiæ beatificet obiectiuè, non tamen fundamentaliter, sed formaliter; beatificetur autem immediatè secundùm rationem intellectus, & voluntatis, consequens est dicere quòd secundùm rationem nobiliorem immediatè beatificet, quàm immediatè sit beatus, nec hoc est inconueniens, quòd aliquid secundùm rationem minùs nobilem recipiat perfectionem secundam, quàm sit perfectum perfectione prima.

Minùs nobilis est ratio qua Deus est beatificabilis quàm beatificatiuus.

COMMENTARIVS.

15 *Explicatio terminorum & tituli.*

f *Ad quæstionem ergo dico,* &c. Explicat sensum quæstionis, & terminos. Primus sensus est, quem tenuit Henricus, distinguendo perfectiones, quarum vna esset in essentia, alia in potentia, & iuxta hunc sensum negat Doctor vllam perfectionem, quæ est primò in essentia, esse beatitudinem formaliter. Secundus sensus est, limitando quæstionem ad vnam solam perfectionem, & quærendo an illa perficiat essentiam principaliùs quàm potentiam; *principalius* etiam dupliciter accipi potest, idem enim est, & *per quod aliud*, & non è conuerso. *Per quod* autem æquiuocè sumptum potest esse nota causæ prioris, & remotioris; vel posterioris, & immediatioris. Hoc intelligendum est de causa materiali, & subiecto: nam in genere causæ efficientis aliquando sumitur *principale* pro perfectiori causa respectu eiusdem effectus, *minus principalis* pro inferiori; quamuis hæc non per superiorem sit, neque in virtute eius operetur, sed ex propria forma, licèt minùs principaliter: in causis tamen efficientibus principali, & instrumentali propriè dictis illa descriptio verificatur, in proposito autem rectè quadrat respectu essentiæ, & potentiæ respectu eiusdem formæ, vt vtrumque perficit cum subordinatione vnius ad alterum.

Secundus sẽsus quæstionis. Principalius quid sit.

Explicatur.

16 Hoc supposito, dicit iuxta sententiam, quæ tenet distinctionem essentiæ à potentiis realiter, dici posse quòd beatitudo principaliùs perficiat essentiam primo modo. Secundo verò modo potentiam, quia tamen hanc sententiam (de qua ex professo agit *in 2.d.*16.) hîc reiicit, sicut & rationem allatam: quia non sequitur ex eo quòd vnum sit causa alicuius in essendo, sit etiam causa, ex qua tertium conueniat causato v.g. generans est causa ignis, non tamen est causa vnde calor conueniat igni effectiuè; aut subiectiuè, causa albedinis non est ratio, per quam albedini conuenit esse disgregatiuum visus: neque causa trianguli est causa, per quam formaliter conueniat triangulo habere tres angulos; quia etiamsi esset improductum, haberet tres angulos. Ratio autem huius est, quia sicut quælibet res necessariò, & formaliter sua forma constituitur; ita etiam à quocunque producatur, necessariò est talis formaliter, quia essentia est indiuisibilis à re, cuius est; eodem modo dicendum de proprietatibus consequentibus essentiam, vt ab ea emanant. Non ideò enim natura humana, aut Angelica, est intellectiua, aut volitiua, quia hoc, vel illud indiuiduum eius producitur ab hac, vel illa causa in *esse*; hoc enim est contingens; sed quia nec aliter produci esset possibile, cùm ex specie sua talem rationem formalem sortiatur, & prior sit ordo, & vnio terminorum ad se, quàm ordo eorum ad *esse*, ratione cuius subiicitur res causæ productiuæ. Deinde, quia in ipso *esse*, non solùm consideratur influxus efficientis, sed etiam constitutio ex causis intrinsecis, vel Physicis, vel Metaphysicis: quia non solùm homo recipit suum *esse* à generante, sed etiam à partibus componentibus, neque vlla potentia est possibilis homo, nisi per illas partes.

Potentias nõ distingui realiter ab essentia.

Quod primũ est in vno genere, non est tale in omni.

Constitutio rei formalis.

Deinde, vt dicit Doctor, falsificatur illa acceptio præmissi axiomatis in causis, quæ in diuerso ordine causandi causant, vt si vnum sit prius in genere actiui, non sequitur vt sit etiam prius in genere passiui, finis, aut formalis causæ. Hæc exceptio est fundatissima: quia sicut diuersa causarum, & prima genera non communicant in eodem modo causandi, sic quodlibet est primum, & incausabile in suo ordine, licèt in diuerso ordine sit causatum, forma causatur ab efficiente, & materia in genere efficientis: & materialis: tamen non ideò causat in suo genere, quia sic causata; sed causat primò, & ex propria ratione formali, & sic est prima, quia etiamsi non sic causaretur: v.g. anima rationalis non causatur à materia, tamen eodem modo formaliter causat materiam, ac si educeretur de eius potentia sicut cæteræ animæ producuntur: quia homo non est minùs animal, aut viuens, quàm brutum; nec minùs corpus humanum animatur vtraque anima, quàm corpus bruti. Deinde, dicit quòd in eodem etiam ordine causandi non teneat, nisi sit prioritas essentialis talis, vt primum sit prius secundo, & tertio. Hoc declaratur, primum potest esse prius secundo, vel quoad *esse* tantùm, vel quoad virtutem 17

Ordo inter genera causarum.

Alia restrictio illius axiomatis.

tem,& *esse* simul; si quoad *esse* tantùm, sic quælibet causa est prior suo causato, inquantùm ipsi communicat existentiam, sine qua non possit agere,& hoc modo verificatur illud, *quidquid est causa causæ,est causa causati* vniuersaliter. Secundo modo aliquid est prius secundo, quatenus non solùm ipsi communicat *esse*, sed etiam virtutem causandi, vel totalem, vel etiam concomitantem,sine qua nequiret secundum, seu causa causata exire in effectum, talem communicat causa principalis instrumentali quòd agit tantùm per virtutem,& motum receptum à causa principali, & inter has est ordo essentialis: sic etiam Deus est prior causa secunda,quia licèt hæc habeat virtutem permanentem à Deo receptam, tamen hæc etiam in causando ita dependet à Deo, vt nisi coagat,& compleat illam, concurrendo ad effectum, nequeat causa secunda agere. Concomitanter autem habent aliæ causæ, v.g. intellectus ad speciem, quam producit, quia hæc non agit in virtute intellectus: sed obiecti, cuius vicem supplet: dici tamen potest causa prior essentialiter non solùm specie, sed etiam operatione, quæ est in suo ordine à specie. Causa etiam vniuersalis potest dici hoc modo prior essentialiter ad particularem ab ipsa productam, licèt hanc prioritatem dicerem concomitantiæ in ordine ad tertium,vt distinguatur ordo essentialis inter causam primam & secundam ab ordine essentiali inter causam vniuersalem creatam, & causam particularem, inquantùm in priori ordine esse, virtus,& actio communicatur, ac tandem fit influxus in effectum causæ particularis. Hic verò tantùm *esse*,& influxus concomitans ad effectum: quia non in virtute causæ vniuersalis creatæ agit particularis,sed in virtute propria. Non sic autem causa secunda respectu Dei,cuius actio, & virtus causatiua etiam dependet à Deo, non solùm dependentia se tenente ex parte effectus communis, qui nequit produci à causa secunda, non concurrente Deo,sed etiam dependentia propria ipsius actionis. Quocumque modo dicatur actus secundus, & diuersus ab ipsa causa secunda, & quidquid etiam dicatur esse,aut modus, aut relatio, aut influxus; hac ergo prioritate essentiali primi ad secundum,& tertium sublata, non verificatur illud axioma, v. g. in causis efficientibus contingentibus,quia secundum agit tertium primo destructo,aut non applicato. & ratio est, inquit Doctor, quia illa non est essentialiter,prior, aut necessaria vt ignis generans ignem, qui ab alio generari posset,& priori igne corrupto agere respectu tertij.

Ordo prioris vel primi multiplex in eodem genere.

Causa concomitans.

Differentia inter ordinem causæ primæ, & 2. ab ordine inter vniuersalem creatam, & particularem.

Dependentia causæ secundæ à prima.

19 ¶ *In proposito autem*, &c. Reducit doctrinam præmissam ad scopum præmissæ resolutionis; quia non est talis ordo essentialis in recipiendo inter essentiam animæ, & potentias. Loquitur iuxta sententiam quam reiicit,nempe potentiam realiter distingui ab essentia, & rationem assignat: quia immediatum receptiuum beatitudinis, nempe potentia, si esset per se, posset recipere beatitudinem, essentia eam non recipiente mediatè,aut immediatè. Hæc ratio est optima, quia si prima ratio recipiendi beatitudinem est potentia, secundùm id quod ipsi competit ex se, vt distinguitur ab essentia, sequitur quòd etiam separata illam reciperet. Et probatur, quia potentiæ ad essentiam ordo est vel in genere subiecti, vt est forma in essentia vt subiecto. Sed quod conuenit potentiæ in *esse* effectus, aut formæ sic comparatæ ad essentiam,est ipsi extraneum,& in diuerso genere causæ primò diuersæ conueniens, ab eo quod ipsi competit, inquantùm est subiectum receptiuum beatitudinis, vel inquantùm etiam effectiuè se habet ad beatitudinem, & separatis prioribus rationibus hæc omnino manet, quia ordo ad posterius in diuerso genere causæ, qui ordo competit potentiæ ex propria ratione sui,& immediatè, & formaliter: ergo manente potentia in suo *esse* formali,hic ordo manet: manet autem ex hypothesi,qua separabilis esset: quę hypothesis admittenda videtur ex illo generali principio à multis admisso, quòd vbi sunt duo absoluta realiter distincta in creatis,possit *esse* vnum ab alio separari realiter, nisi vnum sit prius essentialiter altero: hoc autem probandum esset, essentiam respectu potentiæ esse priorem hoc modo,magis quàm sit ignis ad calorem, aut aqua ad frigus. Negato etiam hoc principio, quoad præsens parum refert, quia cùm essentia non recipiat immediatè beatitudinem,sed mediante potentia, tanquam proprio, & immediato receptiuo, sequitur quòd recipiat beatitudinem principaliùs,quàm essentia. Quòd si dicas ad hoc quòd essentia recipiat tanquam vltimatum subiectum beatitudinem eo modo, quo substantia est vltimatum & principale subiectum qualitatis, licèt recipiat mediante quantitate,& hoc ideò est,quia omne accidens necessariò reducitur ad substantiam,tanquam ad principale subiectum,cui competit,tanquam entis ens; sed iuxta illam sententiam impugnatam,potentia est accidens, & beatitudo etiam est accidens: ergo vltima dependentia beatitudinis,atque adeò principalis,debet esse ad essentiam,& non ad potentiam. Fateor hanc responsionem esse satis apparentem, tenendo illam sententiam,quæ vt hæc destruatur completè, & cum satisfactione,deberet impugnari: sed ad alium locum pertinet hæc impugnatio.

Dato quòd potentia distinguatur ab essentia realiter posset separata beatificari.

Ordo eius ad essentiam est forma, ad operationem est subiecti, & efficientis.

Responsio.

Contra dictam solutionem aliter argumentor: ad definitionem illam accidentis saluandam non requiritur omne accidens immediatè dependere ad substantiam; quia multæ relationes non ita dependent: v. g. similitudinis, quæ eadem manet in accidente separato; quamuis alioquin relatio nequiret à suo subiecto immediato separari. Deinde, dato quòd qualitas absoluta aliqua dependeat à substantia immediatè, tanquam à subiecto principali, sequitur quòd immediatè etiam tribuat effectum formalem, & principaliùs substantiæ, quia effectum suum formalem tribuit principaliùs subiecto,ex cuius potentia educitur; educi enim & informare reciprocè se habent inter extrema subiecti & formæ: sequitur ergo quòd in aliquo gradu tribuat effectum subiecto principali, in quo non tribuit subiecto minùs principali: sed hoc est falsum in proposito, quia beatitudo nullum effectum tribuit essentiæ in vllo gradu, in quo eundem & immediatiùs non tribuat potentiæ, neque educitur de potentia essentiæ, nisi quia educitur de potentia subiecti proximi, quia potentia non agit actione transeunte in aliud subiectum realiter diuersum, qualis est essentia in hac sententia: ergo essentia neque est principale subiectum, neque etiam eductionis immediatæ, aut receptionis, nisi solùm per denominationem: ergo beatitudo non se habet ad essentiam principaliùs, quod est intentum. Confirmatur, beatitudo consistit in operatione, vel quà elicitur, vel quà recipitur, vel vtrumque,

20 *Impugnatur. Non omne accidens dependere à substantia.*

Beatitudo in est potentia primariò.

Confir.

vtrumque, vt volueris: sed neque essentia, vt distinguitur à potentia, elicit, aut recipit operationem per se, sed præcisè tantùm per potentiam, vt principium eliciens, & recipiens: ergo nullum effectum principaliter tribuit essentiæ, quà distinguitur à potentia: ergo neque beatitudo principaliter perficit essentiam. Probatur minor, quia operatio potentiæ per modum operationis illius, & solius, nata est esse, cuius est tendere in obiectum beatificum extrinsecè perficiens per modum obiecti, seu termini: sed essentia, vt distinguitur à potentia, nequit sic tendere, aut vniri obiecto beatifico: quia vnio illa consistit in amore, & visione, vel altera: hæc autem solis intellectui, & voluntati competunt principaliter, & non essentiæ, quæ neque volitiua, aut intellectiua est, nisi vt est voluntas, & intellectus: ergo, &c. Ad rationem superiùs factam respondebitur infrà.

Operatio tali potentiæ competit.

21 [h] *His ergo & aliis opinionibus*, &c. Omissa priori opinione statuit conclusionem propriam. *Dico*, inquit, *quòd simpliciter est principalius respectu A. quod, quocunque alio per possibile, vel impossibile circunscripto, eodem modo se haberet ad A. nihil autem aliud ipso circumscripto sic se haberet ad A*, &c. Declaratur, & probatur: illud dicitur principale respectu alterius, quod ratione sui immediatè, & formaliter se habet ad tale, nō autē ratione alicuius alterius adiuncti, vel cuiuscunq; quod est extra rationem formalem ipsius principalis, quod sic respicit aliud. Præterea, nihil aliud sic respicit principaliter idem, nisi ratione prioris. Hæc adæquatio principalis ad posterius in eo consistit, vt posterius nequeat esse posterius, nisi in ordine ad principale, & ratione principalis, hoc nunquam sequatur ad aliud, quod non est suum principale, vel illud includit. Exemplum est in proprietate, quæ sequitur ad differentiam, & definitionem subiecti ita adæquatè, vt ipsa saluari nequeat, nisi respectiuè ad essentiam subiecti, & vbicunque essentia saluatur, necessariò etiam saluatur proprietas: in proposito autem non sumitur principale cum mutua illa reciprocatione: sed in alia adæquatione, nempe quòd posterius si sit, nequeat esse, nisi in ordine ad suum principale præsuppositum, & per illud: v.g. intellectio licèt posset non esse, tamen nequit esse nisi per intellectum (quidquid sit an Deus, eam possit producere) intellectus ergo respectu intellectionis ita se habet, vt principale, vt nequeat intellectio esse, nisi per intellectum, licèt possit simpliciter non esse; & nihil possit intelligere mediante intellectione, nisi per intellectum, & præcisè quà intellectiuus est. Probat autem Doctor illam propositionem optimè ex alia priore, nempe ex ordine primi ad posterius essentiale: aliud enim est esse primum essentialiter ad aliud; aliud verò esse principale: quia non omne primum est principale, licèt omne à quo essentialiter, licèt partialiter est effectus, sit primum respectu eius: principale enim vltra ordinem prioris, dicit excessum in gradu influxus, & dependentiæ terminatæ, quæ est posterioris ad principale, etiam vt comparatur posterius ad alias causas priores. Probatio ergo Doctoris est talis: primum ad aliquid est, quo circumscripto, nihil est tale ad illud: quolibet autem alio circumscripto, ipsum, (id est primum) eodem modo se habet ad illud: sed primum simpliciter est principalius simpliciter: ergo, &c. Primum simpliciter intelligit secundùm gradum excessus ad alias causas concurrentes respectu posterioris.

Conclusio Doctoris.

Probatio.

Ordo essentialis.

Adæquatio proprietatis ad subiectū.

Declaratur.

Exemplum.

[i] *Nunc autem siue potentia sit perfectio*, &c. Circa distinctionem potentiarum ab essentia, videantur quæ docet *in 2. dist. 16.* an sit realis, formalis, aut rationis. Dicit ergo, quidquid in hoc dicitur, saluando distinctionem aliquam inter potentiam, & essentiam (vt sustineri possit comparatio principalis, & minùs principalis in perficiendo vtramque per beatitudinem) beatitudinem principaliùs perficere potentiam, quia consistit in operatione, quæ principaliùs respicit potentiam, quàm essentiam, quia potentia seipsa est operatiua, essentia verò non ita, sed per potentiam tantùm, ideóque potentia, si sola esset, operaretur, non ita essentia sine potentia, neque aliter quàm per ipsam potentiam. Vide præmissa. 22

[k] *Si isti probationi minoris instetur*, &c. Minor fuit quòd potentia sola perficiatur principaliter per beatitudinem; quia hæc, vt supponit etiam sententia, quæ impugnatur, consistit in operatione, quæ soli potentiæ principaliter competit. Contra hoc instat per rationem superiùs insinuatam, quam hîc etiam soluemus: nullum accidens perficit aliud accidens, sed solùm substantiā, licèt vnum accidens priùs, quàm aliud, iuxta illud Philosophi *4. Met. tex. 14. Non enim accidens accidēti accidit, nisi quia ambo eidē accidunt*, & infrà, *Nihil enim hoc magis illi, quàm illud accidat huic*, &c. Si ergo potentia est accidens essentiæ, quomodocumque separatur ab essentia, non poterit recipere beatitudinem, aut aliam operationem per possibile, aut impossibile: essentia autem posset accipere accidens mediatum, siue posterius, licèt non recipiat priùs, quia ipsa est receptiua vtriusque immediatè in ratione subiecti. 23

Obiectio.

Respondet minorem huius esse falsam: nempe potentiam esse accidens; sed quidquid de hac dicatur, maior est falsa, quia & qualitas est receptiua accidentium, etiam separata, vt probatum in prima parte huius commenti, & docet Doctor cum communi *dist. 12. huius quæst. 2.* velocitas, & tarditas sunt accidentia, & passiones motus, curuum, & rectum lineæ, ex Auicenna *1. Metaph. cap. 1.* & vniuersim quidquid competit in secundo modo accidenti, conuenit ei primò vt subiecto, & definitur per ipsum vt subiectum, tanquam additum; sic figura competit quātitati, forma qualitati, & in vniuersum omnes passiones Mathematicæ competunt, & demonstrantur de quantitate, vt subiecto. Tenendo ergo passiones distingui realiter à subiecto, & in accidentibus dari passiones, sicut & de illis est scientia, sequitur passiones accidentium recipi in ipsis accidentibus vt subiectis, & illis primò conuenire, & ratione eorum aliis. Verum est aliqua accidentia immediatè competere substantiæ, vt est quantitas, & qualitates actiuæ, vel quæ faciunt ad substantiæ conseruationem, & productionem, quia hæc sunt propriæ substantiarum, quæ secundùm naturam, & exigentiam cuiuslibet ad eam sequuntur, vt patet in qualitatibus elementorum, & mixtorum connaturalibus: aliæ quædam sunt, quæ non ita sequuntur ad substantiam, sed neutro modo se habent ad illam, vel ad alias, & hæ sunt communes, neque ita certò constat afficere subiectum aliter quàm mediante superficie, cui inhærent; aliæ sunt violentæ: hæ autem afficiunt substantiam immediatè, in quo eius appetitui repugnant, sicut & qualitati 24

Responsio.

Accidēs subiectari in accidente.

Quænam immediatè subiectantur in substātia.

Ordo diuersus qualitatum.

qualitati conseruatiuæ naturali. In substantia spirituali non dantur tales qualitates connaturales in essentia eius, quia neque ad conseruationem faciunt, cùm ipsa sit incorruptibilis; neque ad actionem, quia non est actiua, nisi tantùm respectiuè ad obiectum extrinsecum; neque perfectibilis, nisi in ordine ad illud, & per operationem circa idem. Hoc autem præcisè ipsi competit mediante potentia, sicut igni mediante calore calefacere. Vnde si posset competere essentiæ animæ operari seipsa immediatè, vel igni calefacere, ita superflueret tam potentia operatiua in illa, quàm in igne calor; superfluum autem natura abhorret: sicut ergo in substantiis est ordo, & exigentia diuersa quoad suas rationes specificas; ita in accidentibus respectiuè ad suas causas, quas proximè respiciunt, & vnum accidens alteri accidit tanquam perfectio connaturalis eius, in quo est per modum subiecti. Dato ergo quòd potentiæ essent accidentia animæ, non sequitur beatitudinem non inesse potentiis immediatè, & principaliter, & totam dependentiam beatitudinis ad potentiam non terminari, quod solum exigit, in quantum est accidens.

25 *Explicatio Philosophi.* Hinc explicatur Philosophus, quia si intelligeretur in eo rigore, quo adducitur, sequeretur nullum accidens accidere alteri, tanquam subiecto, licèt vnum priùs alio insit: hoc autem vanum est dicere; quia sic tolleretur omnis ratio subiecti à quantitate, & perinde superficies accideret albedini, sicut albedo superficiei; sequeretur etiã cùm omnis sciẽtia demonstret passiones de subiecto tantùm, & omnes passiones ex hac sententia sint accidentia, quòd nulla esset scientia, nisi de sola substantia, quod est falsum. Sequeretur tertiò, quòd omne accidens quod ex virtute causæ extrinsecæ primò inest subiecto, possit inesse secluso omni alio, & sic tolleretur ordo in accidentibus. Probatur hæc sequela, quia dato quòd nullum accidens sit subiectum alterius, nullum præsupponit aliud, neque ex parte agentis, neque subiecti. Non ex parte agentis, quia neque virtus eius, neque forma producta ex necessitate essendi supponit aliud accidens, dato quòd agens natum sit producere primò illam formam accidentalem, vt calor calorem, & non albedinem, quæ inesse posset subiecto per aliam causam; nulla est subordinatio ex parte subiecti, inquantùm est præcisè subiectum, quia immediatè se habet ad omnem formam accidentalem hoc modo philosophando, & capacitas recipiendi solùm ipsi competit, quã substantia est; & per se existens, qualis est independenter ab omni accidente; qui dixerit autem quòd vnum accidens supponat aliud, debet saluare modum aliquem ordinis, & suppositionis eiusmodi: quia neque vt sunt à suis per se causis extrinsecis subiecto, oritur illa suppositio, ex modo agendi causarum subordinatè; non ex parte subiecti, si substantia est immediatum subiectum vtriusque; non ex dependentia vnius ab alio, quia oportet huius dependentiæ fundamentum aliquod assignare ex parte causalitatis, aut causarum. Et si dicatur vnum accidens, vt operatio, oriri ab alio accidente, & sic beatitudo à potentia; contrà est, quia beatitudo in sententia, quam putamus veriorem, potest à solo Deo produci, & dato opposito, ideò non produceretur, quia debet inesse per actionem vitalem potentiæ: sed hoc dato, sequitur immanere ipsi potentiæ, tanquam subiecto principali, & primo, & non inesse subiecto realiter distincto, qualis est essentia. Philosophus ergo intelligendus est de accidentibus disparatis, quæ nullum ad se inuicem ordinem dicunt, nisi quia inhærent eidem tertio, prout etiam Doctor, & hîc *in 2.d.12.q.2.* explicat.

Inconueniens esset accidens non accidere alteri accidenti.

Sensus Philosophi.

[l] *Ad argumenta, ad primum,* &c. Primum fuit, quòd nobiliori perfectioni correspondet nobilius perfectibile tanquam proprium: sed beatitudo est nobilissima, & essentia nobilior quàm potentia, si differant: ergo beatitudo erit in essentia. 26 *Ad argumẽta, ad primũ.*

Respondet primò Doctor iuxta superiùs exposita, & præmissa de perfectione actus primi, seu essentiæ, vltra potentiam, eiúsque perfectionem, maiorem distinguendo quantùm ad perfectionem eiusdem ordinis conceditur; alterius autem ordinis negatur: si ergo conueniat aliqua perfectio essentiæ animæ primò, illa erit perfectior, quàm beatitudo, quæ conuenit potentiæ, & hoc dato, negatur minor, scilicet beatitudinẽ esse nobilissimam in omni ordine, sed tantùm in ordine actus secundi, & non primi. Contra hoc sequeretur quòd lumen gloriæ, & charitas, quæ sunt actus primus in potentia, essent perfectiores beatitudine, quia spectant ad actum. Respondetur, plures id concedere: sed negatur consequentia, quia actus est perfectior & ratione vitalitatis, & ratione finis, quem perfectiùs, expressiùs, & immediatiùs attingit, & vnit potentiæ, & quo mediante potentia, eiúsque appetitus quietatur; charitas autem, & lumen gloriæ in ratione habitus ordinantur ad beatitudinem, tanquam ad finem, & licèt eleuent potentias ad statum supernaturalem, hæc eleuatio in nostra sententia, est conueniens ipsis, vt concurrunt, & supplent imperfectionem ex parte potentiæ, tanquam causæ in operando; itaque comparando potentiam ad actum ipsum secundum, eleuatur formaliter, vt attingat finem; & vltimam suam perfectionem; per habitus verò effectiuè eleuatur. Et si dicas illos habitus esse in primo gradu supernaturalitatis quoad substantiam, concedo; non inde tamen sequitur esse in se perfectiores, quàm sit beatitudo, quæ & perfectionem habitus participat, & vlteriùs obiecti, & potentiæ estque supernaturalis formaliter in substantia, licèt concurrat causa creata. Distinctio ergo illa Doctoris de perfectione actus primi, & secundi, intelligenda est, quando actus primus non ordinatur ad aliam perfectionem maiorem, sed præcisè propter se, & in ordine ad perfectibile perfectius.

Responsio.

Beatitudo est perfectissima in genere actus secundi.

Replica.

Solutio.

Beatitudo perfectior quam habitus.

Eleuatio effectiua, & formalis.

[m] Respondet secundò, concedendo etiam maiorem in ordine perfectionum, quæ ordinantur ad perfectibile, & quarum est capax: beatitudinis autem non est capax essentia, sed sola potentia. Vel aliter, distinguendo de perfectione, intrinseca & extrinseca; concedendo quòd intrinseca perfectissima correspondet perfectissimo nobiliori, non tamen extrinseca, vel in ordine ad extrinsecum: sic se habet in proposito beatitudo & habitus, quæ respiciunt extrinsecum obiectum. Et si dicas, hoc gratis dici, negatur, quia sicut nihil aliud potest respicere extrinsecum, nisi potentia, nempe obiectum, sic etiam nulla perfectio, quã est ad extrinsecum perficiens, potest vlli conuenire, nisi potentiæ, quæ sola est perfectibilis in ordine ad extrinsecum, & ab ipso extrinseco: sic habitus, & operatio, in qua consistit beatitudo est perfectio in ordine ad extrinsecum; ideóque soli potentiæ conueniunt: nam perficiens in or- 27 *2. Responsio.*

Sola potentia perfectibilis in ordine ad extrinsecum.

dine ad aliud requirit capacitatem in perfectibili, qua poſſit coniungi ſuo fini, qualis capacitas non eſt in eſſentia, ſed in ſola potentia.

28 *Ad ſecundum.* [n] *Ad ſecundum*, &c. Secundum fuit, quòd per ſe perfectibile ab aliquo, ſi eſſet ſeparatum ab alio, poſſet à ſua perfectione perfici; ergo ſi potentia poſſet eſſe ſeparata ab eſſentia animæ, ſi eſt immediatum ſuſceptiuum beatitudinis, poſſet eam per ſe recipere, &c. *Reſpondet.* Reſpondet concedendo totum, ſi detur ſuppoſitio argumenti, nempe potentiam eſſe realiter diſtinctam ab eſſentia animæ. Vnde ſuppoſitionem excludit, negans ſic diſtingui, & dicit argumentum rectè vrgere contra eos, qui aſſerunt diſtinctionem.

29 *Ad 3.* [o] *Ad tertium dico*, &c. Tertium fuit, quòd ſequeretur quòd natura intellectualis non eſſet beatificabilis, niſi per accidens, ſi beatitudo ineſſet potentiæ primò, & principaliter, & non eſſentiæ, ſicut calefacit calore: ſed hoc eſt inconueniens: quia perfectio per accidens non eſt eſſentialis perfectio eius, cuius eſt tantùm per accidens. ergo, &c. *Reſponſio.* Reſpondet non negando minorem, ſi ſumatur *per accidens* latè, nempe quatenus id quod re idem eſt, formaliter, vel ratione diſtinguitur, vt potentia ab eſſentia, ea ratione qua eſt extremum diſtinctionis: eſſet tamen inconueniens vt per medium accidens ſtrictè ſumptum, & realiter inhærens eſſet beata, quod inconueniens ſequitur ad ſententiam, quæ docet potentias eſſe accidentia. Sed quæres, quomodo *Obiectio.* hoc inconueniens non ſequatur, dicendo potentias ſola ratione diſtingui? Nam perinde negatur hoc modo eſſentiam per ſe beatificari, ſicut ſi eſſet potentia diſtincta realiter. *Reſponſio.* Reſpondetur, eſſentiam in hoc conſiderati inadæquatè in *eſſe* rei, quia vt eſt diſtincta, ſumitur tantùm ſecundùm prædicata quiditatiua in primo modo dicendi per ſe, & non ſecundùm totum, quod in *Eſſentia ſecundùm id quod in re eſt beatificatur.* re eſt; ſumendo autem eſſentiam ſecundùm totum, quod in re eſt, includit realiter vtrumque, & ſic per ſe beatificatur ſecundùm id, quod eſt in re, non autem per medium accidens ſuperadditum, & diuerſum: inconueniens autem eſt quòd natura intellectualis ſecundùm id, quod eſt in re, non eſſet immediatè capax ſuæ perfectionis nobiliſſimæ in actu ſecundo.

[p] *Contra iſtas reſponſiones*, &c. Obiicit contra 30 *Obiectio.* ſolutiones præmiſſas, quòd minùs nobilis ſit ratio, ſecundùm quam Deus eſt beatus, quàm illa ſecundùm quam beatificatur: beatificat autem ſub ratione eſſentiæ: ergo ſub nulla ratione minùs nobili beatificatur: ratio autem potentiæ eſt minùs nobilis, ergo, &c. Per rationem, ſecundùm quam beatur, intelligit illud ex parte Dei, cui conuenit beatitudo, rationem beatificantem intelligit eſſentiam, vt eſt obiectum beatitudinis.

Reſpondet, ſi ratio, ſecundùm quam beatificatur, ſumatur fundamentaliter, & formaliter *Reſponſio.* quòd non ſit minùs nobilis, quàm ratio, ſecundùm quam beat formaliter, & fundamentaliter ſumpta: quia nempe eſſentia diuina, vt identificat ſibi potentias, ſecundùm quas beatur Deus, eſt eiuſdem perfectionis cum ſeipſa, vt ſumitur per modum obiecti beatifici fundamentaliter, & formaliter; formaliter ſumitur ſub ratione boni, & veri infiniti; fundamentaliter, vt eſt infinitum *eſſe*. *Ratio ſecundùm quam beatur Deus, & beatificãs eſt eiuſdem perfectionis.* Hanc diſtinctionem adducit; vt comprehendat in ſolutione modum dicendi aliorum, vt Henrici loco *ſuprà* citato, aſſerentis diuinam eſſentiam in ratione veri, & boni formaliter eſſe obiectum beatificum, & non ſub ratione eſſentiæ, ſi etiam vtraque ratio proxima, & formalis, ſecundùm quam beatur, & beat, comparentur ad inuicem, eſt æqualis perfectio inter voluntatem & intellectum ex vna parte; veritatem, & bonitatem ex altera. Reſpondet ſecundò ex propria *Reſponſio ſecunda.* ſententia, qua tenet Deum ſub ratione deitatis eſſe obiectum beatificum. Hoc dato, reſpondet, rationem, per quam beatur, eſſe nobiliorem potentia, ſecundùm quam beatur. Ratio huius eſt, quia licèt omnia attributa Dei ſint formaliter infinita: tamen emanat ex eſſentia diuina, & ſua infinita radicali, tanquam ex radice. *Eſſentia in Deo nobilior potentiis.* Et ideò ſub hoc modo eſſentia dicitur nobilior ſuis attributis, etiam infinitis. Videatur Doctor *in 1.d.8.q.3.*

SCHOLIVM.

Pro explicatione primæ quæſt. ponit duas concluſ. Prima, dari vnum ſupremum appetibile, & illud eſſe infinitum, de quo latè actum eſt 1. diſt. 2. quæſt 1. Secunda, illud ſupremum volibile, eſſe ſolum illud, quod propter ſe eſt volendum naturæ rationali, quod clarè explicat.

Concl. 1. [q] AD primam quæſtionem. Primò de re, ſecundò de nomine. De re ſit hæc prima concluſio: Inter [r] omnia naturæ intellectualis appetibilia aliquod eſſentialiter, & ſimpliciter eſt ſupremum. 19

Dari vnũ volibile ſupremum vide 1.d.2. q.1. Hoc probatur, quia ſi in appetibilibus eſt ordo eſſentialis, & in tali ordine non eſt ire in infinitum, vt probatum eſt *lib.1. diſt.2. quæſ.* 1. ergo propoſitum habetur. Si non eſt ibi ordo eſſentialis, iterum habetur propoſitum: quia quodcumque datum eſt eſſentialiter ſupremum, ſic quòd nihil eſt eo eſſentialiter ſuperius. Sed iſta hypotheſis eſt falſa, quia vt oſtenſum eſt ibi, nullus proceſſus in ordinatis accidentaliter poteſt procedere in infinitum, vel per continuam diuerſitatem, niſi in virtute alicuius eſſentialiter ſuperioris tota illa diuerſitate.

[s] Et ſequitur corollarium, quòd iſtud eſt infinitum, quia cuicunque non repugnat infinitas, illud non eſt ſimpliciter ſupremum, niſi ſit formaliter infinitum: appetibili, vel volibili non repugnat infinitas, cùm illud vel ſit perfectio ſimpliciter, vel concomitetur conuertibiliter aliquam perfectionem ſimpliciter: quia competit toti

toti enti, & quodcumque tale est perfectio simpliciter: perfectioni autem simpliciter non repugnat infinitas, quia tunc in aliquo, puta simpliciter infinito, esset simpliciter melius non ipsum, quàm ipsum, quod est contra rationem perfectionis simpliciter. patet *Monol.* 14. & 15. *Perfectioni simpliciter conuenire potest infinitas.*

Ex isto autem corollario potest è conuerso inferri conclusio prima, quia si aliquod appetibile, vel volibile potest esse infinitum: & infinitum non potest excedi; ergo aliquod potest esse volibile simpliciter supremum: & si potest esse, ergo est, quia si non esset, & posset esse; non posset esse, nisi ab alio in essentia, & ita non esset simpliciter supremum in aliqua perfectione simpliciter.

20 [f] Secunda conclusio: Supremum appetibile, vel volibile est solum illud, quod cuilibet naturæ intellectuali simpliciter propter se est volendum. Expono quid est simpliciter propter se volendum, scilicet cui repugnat ex natura eius, quòd sit propter aliud volendum. Vnde si appetitus sensitiuus aliquid appetit propter se, ita vt non propter aliud, hoc est secundùm *quid*, quia ex imperfectione potentiæ non potentis illud appetere propter aliud, non autem ex perfectione obiecti, cui repugnet appeti propter aliud. Aliud expono. Cuicunque naturæ intellectuali, esse volendum, & cuicunque voluntati ad propositum, conuertuntur: quia habere voluntatem, & esse naturam intellectualem conuertuntur. *Conclus. 2. Quid est esse appetibile propter se, explicatur.*

Ad probationem ergo huius secundæ conclusionis arguo sic: Cuicunque supremum volibile est obiectum volibile, ei illud solum est simpliciter propter se volendum: sed cuicunque voluntati supremum volibile est obiectum volibile: ergo, &c. Maior probatur, quia inter volibilia aliquid est propter se volendum; quia si quodlibet propter aliud, erit processus in infinitum: nullum etiam erit supremum, quia propter aliud volendum, minùs est volendum, quàm aliud propter quod est volendum, *ex primo Poster.* ergo si aliquid est simpliciter supremum volendum, ex prima illud est simpliciter propter se volendum, loquendo ex parte obiectorum. *Text. 5.*

21 Et ex hoc sequitur, quòd cuilibet sit propter se volendum, cui illud est obiectum volibile: quia vel nulli, vel omni, vel alicui sic, & alicui non: non primum, ex probato: nec tertium, quia non est maior ratio quare alicui magis, quàm alij. Probatur etiam idem à posteriori: quia etsi in potestate volentis sit velle hoc vel illud, non tamen est in potestate eius quid sit volendum, & maximè quid sit summè volendum: hoc enim præcedit omnem determinationem cuiuscunque voluntatis: ergo ad quodcunque comparetur, semper remanet illud propter se volendum: & hinc est quòd est huic volendum, quia huic volibile. Breuiter etiam probatur istud, applicando ad voluntatem, sicut & de volendo in se: quia cuilibet voluntati est aliquid volendum, cùm quælibet voluntas possit aliquid rectè velle, & non nisi sibi volendum: & nulla potest aliquid sibi volendum velle propter aliud, & aliud, & sic in infinitum.

[u] Probatur etiam illud de præcisione, scilicet quòd solum illud sit respectu voluntatis, propter se volendum: quia nulli alteri repugnat, quòd propter aliud appetatur, cùm non sit simpliciter supremum appetibile, & minus bonum possit rectè appeti propter maius bonum: & istud potest dici finis vltimus esse talis voluntatis, quia propter illud volitum est quodcumque aliud volendum. Minor probatur, quia quæcunque voluntas respicit pro obiecto volibile sub ratione communissima, quia est potentia immaterialis, & per consequens respiciens totum ens, vel aliquid æqualis ambitus cum ente. *Supremum volibile est finis vltimus voluntatis.*

COMMENTARIVS.

31 [q] AD *primam quæstionem*, &c. Hîc resoluit secundam quæstionem, & primò agit de reipsa, scilicet de obiecto beatificante, seu de fine, de natura beatificabili, & de ipsa beatitudine; secundò verò agit de nomine, & tertiò resoluit quæstionem, & respondet ad argumenta liminaria. Primò statuit hanc conclusionem: *Resolutio. Ordo, & diuisio primæ quæstionis.*

1. Conclusio. [r] *Inter omnia naturæ intellectualis appetibilia, aliquod essentialiter, & simpliciter est supremum.* Hæc conclusio optimè probatur à Doctore, sed explicemus primum intentum eius. Suarez *in 1. 2. de beatitudine disput. 4. sect. 2. num. 2.* dicit Doctorem contendere posse ratione naturali probari hominem esse capacem beatitudinis, consistentis in visione Dei, quam sententiam existimat falsam, & meritò: eam tamen non tenet hîc, cuius contrariam fusissimè probauit in quæstione prima prologi; malè ergo citatur: quia possibilitatem visionis beatificæ hîc non probat, tanquam ex lumine naturali demonstratam, sed scopus illius est probare beatitudinem naturæ intellectualis non consistere in aliquo, nisi in coniunctione ad summum bonum perfectissima. Et eo modo, quo possibilis est coniunctio. Vnde in fine huius articuli §. *Tertia conclusio*, &c. in fine: *Vnde*, inquit, *iuxta tertiam conclusionem, patet ista, quòd nulli voluntati vltimatè, & completè benè est, nisi habito illo,* quod *Explicatur.* *Suarez interpretatur Doctorem.* *Reiicitur, & explicatur scopus Doctoris.* *Non posse naturam beatificari, nisi in summum bonum.*

quod sibi propter se volendum: & hoc perfectè eo modo, quo possibile est haberi. Hoc intentum Doctoris, quod ipse demonstrat gradatim ratione naturali per viam finis, & appetitus beatitudinis, cum quo etiam concordat Suarez *ibidem.* Est communis sententia, quam tradit D. Thom. 1. *part. quæst.* 44. *art.* 4. *quæst.* 63. *art.* 2. *quæst.* 103. *art.* 2. & 3. *contra Gent. cap.* 7. Sententiarij *in hac dist.* de eadem veritate egit Doctor latè *in* 1. *dist.* 2. *quæst.* 1. Greg. *in* 2. *dist.* 1. *quæst.* 2. *art.* 4. de eodem etiam agitur, 1. 2. *quæst.* 1. *art.* 5. vbi Vasquez *disp.* 5. *cap* 4.

Sententia communis.

32 Probat Doctor conclusionem præmissam, quia in appetibilibus est ordo essentialis, & in tali ordine non est ire in infinitum: ergo datur aliquod supremum appetibile propter se, ita vt non propter aliud. Maiorem, & Minorem concedunt Philosophi; Philosophi enim non posuerunt processum in infinitum in causis essentialiter ordinatis, sed in accidentaliter ordinatis, vt patet ex Auicenna 6. *Met. cap.* 5. & patet ex demonstrationibus, quibus Philosophus probat dari primum motorem, & primam causam efficientem, à qua cæteræ dependent, & ipsa est independens. Patet etiam ratione, quia vniuersitas causarum dependentium necessariò reducitur ad aliquam causam extra ipsam, quæ est independens, & incausata: quidquid enim causatur in *esse*, necessariò supponit suam causam, si hæç est dependens, necessariò etiam supponit sui causam; ergo ad hoc vt dependentia causarum sit sufficienter terminata, necessariò deuenitur ad vltimam, in qua sit status, quia incausabilis est: quia neque à se, neque ab alio causatur; sed vbi est primum efficiens erit etiam vltimus finis: quia efficiens agit propter finem ex 2. *Phys. text. com.* 49. Præterea, si non esset status in causis essentialiter ordinatis, sequeretur dari causas infinitas in actu, quod abhorrent Philosophi. Probatur sequela, quia causæ essentialiter ordinatæ sunt alterius ordinis, & posterior in *esse* & actione, dependet à priori, & hæc ab alia, & sic in infinitū, donec detur status: ergo vt causa, v. g. vltima in ordine sit, & causet, requiritur vt superior proxima etiam sit, & causet, sine qua vltima nequit causare, neque illa perinde sine tertia, quæ est in ordine, & sic in infinitum: ergo processus in infinitum in causis essentialiter ordinatis tollit actionem contra sensum, & rationem euidentem, & hæc ipsa est ratio, per quam Philosophus colligit primam causam independentem esse, ad quam sit status.

In appetibilibus datur supremum.

Ordo causarum est ad aliquod primum.

Vbi primum efficiens ibi vltimus finis.

Ordo causarum probatur terminari.

33 Idem probatur ex ordinatione causarum per accidens, quia hæc series est successiua, qua vna aliam causat, & homo hominem, & ille alium: sed omne successiuum continuatur in virtute alicuius permanentis, & ordinantis collectionem causarum inter se, quarum nulla est prior altera essentialiter: vt ergo vna sit prior, altera posterior, non ex natura causarum prouenit, sed ex aliqua alia extra totam seriem causarum accidentaliter ordinatarum, quæ ipsam seriem ordinat, & ad quam tota series coordinatarum reducitur.

Ordo inter causas per accidens terminatur ad aliquam per se.

Sicut ergo datur supremum efficiens, eadem ratione in appetibilibus datur vltimus finis, ad quem reliqua reducuntur, neque est ire in infinitum; probatur, quia sicut causa inferior efficiens in virtute causæ superioris mouet, & agit, ita etiam finis inferior mouet in virtute finis superioris, inquantùm est eius participatio, vel vt clariùs dicam, ordinatur ad finem superiorem: quidquid enim agit causa particularis ob finem particularem, agit causa superior ob finem superiorem, quia causa superior non agit per se ob finem inferiorem se in natura, quia ille non est perficiens naturam superiorem ordine, & perfectione: ergo finis ille causæ inferioris ordinatur à superiore ad finem superiorem. Ergo in ipsa re est ordinatum, & intentum ad finem superiorem, & ipsi subordinatum. Confirmatur, quia sicut causa particularis est pars vniuersi, eiúsque perfectio quædam, sic etiam finis eius ordinatur ad finem vniuersi, & perfectionem eius: sed finis vniuersi est superior, cuius participatio est finis particularis; ergo hic in re ordinatur ad finem vniuersi: finis autem vniuersi debet esse altior, quàm sit aliqua perfectio in natura creata: quia idem est finis vniuersi, qui est causæ primæ, à quo est vniuersa creatura, & sicut omne illud, quod est ad finem, est ad ipsum tanquam ad causam, & perfectionem sui, sequitur quòd finis omnium, quæ causantur in vniuerso, sit altior, & supra totum ordinem causatorum, & consequenter vltimus finis omnium, & vnicus, ad quem est status: quia vt Aristoteles definit 1. Eth. cap. 7. *Est ille qui nunquam ob alium expetitur, cæteri autem omnes illius gratia expetuntur*, &c. hanc rationem insinuat idem 12. Met. cap. vltimo.

Ordo essentialis in causis finalibus.

Finis particularis ordinatur ad cōmunem.

Confir.

Finis prima causa est vltimus.

34 f *Et sequitur corollarium*, &c. Ex dictis deducit finem, seu supremum appetibile, esse infinitum: probat, quia cuicumque repugnat infinitas, illud non est supremum appetibile; sed appetibili, & volibili non repugnat infinitas: quia illud vel est perfectio simpliciter, vel illam concomitatur: perfectioni autem simpliciter non repugnat infinitas: quia aliàs in aliquo v. g. infinito ente melius esset non ipsum, quàm ipsum cui sic repugnaret, quod est contra vulgarem definitionem perfectionis simpliciter ex Anselmo *Monologij* 14. & 15. Hæc ratio Doctoris patet ex præmissis, quibus probatur primam causam, & vltimum finem esse extra omnem seriem causatorum, & seipsis mouere independenter ab alio priore, in cuius virtute mouerent; ex independentia autem probatur infinitas, quia omne finitum, & limitatum in perfectione, necessariò est dependens. Hinc Doctor à posteriori probat primam conclusionem, quia si aliquid volibile, & appetibile potest esse infinitum, quod nequit excedi; ergo aliquod volibile est simpliciter supremum, & si potest esse, ergo est: quia omne, quod potest esse, & non est, non potest à se esse, nisi ab alio in essentia, eiúsque virtute, quæ esset causa prior eius, & ita non esset simpliciter supremum in aliqua perfectione simpliciter. Confirmatur, quia omne ens causatum ab alio, necessariò ab eo dependet, neque per se, & à se habet *esse*, sed tantùm est possibile ab alio, quod dat *esse*, & terminat eius dependentiam in *esse*. Si dependens, ergo est finitum, & limitatum, ergo tota collectio rerum vniuersi, & causatorum est etiam finita, & limitata in perfectione, quia aggregatur ex partibus finitis, quæ non possunt simul sumptæ facere infinitum in perfectione: ergo necessariò supponitur aliquod non causatum, non dependens includens in se eminenter omnem perfectionem talem: ergo ex se formaliter sic continens, dicit naturam alterius rationis à contentis, consequenter infinitam in perfectione, & incausatam: quia in hoc nequit esse medium; illud autem ens est supremum volibile, supremum in *esse*, alioquin deficeret in eo aliqua perfectio nata conuenire enti simpliciter,

Supremum appetibile esse infinitū.

Perfectio simpliciter.

Ex independentia supremi probatur infinitas eius.

Ratio à posteriori.

Confir.

Causatum & causabile ab alio dependet.

simpliciter, quam non potest participare ab inferioribus; neque ab alio, quia ipsum est supremum, & nequit dari processus in infinitum in causis essentialiter ordinatis.

35 *2. Conclusio.* *Secunda conclusio. Supremum appetibile, aut volibile, est solum illud, quod cuilibet naturæ intellectuali simpliciter propter se est volendum*, &c. Hæc est secunda conclusio, quam statuit Doctor. In prima enim probauit dari aliquod vnum in rebus supremum in ratione finis, & illud esse appetibile per se; in hac intendit probare quòd illud sit volibile cuicumque naturæ intellectuali. Et declarat primò quid sit *esse propter se simpliciter volendum*, dicens esse illud, cui repugnat ex natura sua vt sit volibile propter aliud, & per se; hæc ergo est perfectio obiecti & finis supremi, qua ad nullum aliud bonum æquale, aut superius ordinari possit, cùm ipsum sit supremum, sequendo ordinē debitum, & naturalem in rebus, quo imperfectius ad superius reducitur, non è contra; cùm ergo omnis ratio boni, & finis includitur in supremo volibili, qui est Deus, repugnat ipsi ex natura sua vt sit volibile propter aliud, quia quidquid est volibile propter aliud, necessariò participat bonitatem, & perfectionem ab alio ex natura rei, si ita sit volibile ex natura rei, sequendo ordinem, & gradum bonitatis, vt est in rebus: Deus autem à nullo inferiori participat bonitatem: ergo non est volibile ex natura sua in ordine ad aliquid inferius, vt ad finem, propter quem, vel cuius gratia esset volendum.

Propter se volendum quid sit.

Supremum volibile nequit ordinari ad aliud vt finem.

Secunda pars conclusionis. Alius terminus conclusionis est: *cuicumque naturæ intellectuali esse volendum*, &c. Quod conuertitur cum eo, quod est esse cuicunque voluntati volendum; quia omnis natura intellectualis est volitiua, tam suprema, quàm media, quàm vltima; sensus ergo est quòd supremum volibile, qui est Deus, sit volibilis tam à voluntate diuina, quàm ab omni creata, & consequenter cadat sub obiecto voluntatis in genere.

Explicatur.

36 *Probatio secundæ partis.* Probat autem conclusionem Doctor: cuicunque supremum volibile est obiectum volibile, ei solùm est simpliciter propter se volendum: sed cuicunque voluntati supremum volibile est obiectum volibile: ergo, &c. Maior probatur, quia inter volibilia aliquid est per se volendum; quia si quodlibet propter aliud, erit processus in infinitum: nullum autem est propter se volendum, quia propter aliud volendum minus est volendum quàm aliud propter quod est volendum, ex primo Poster. text. 5. *Quidquid est propter aliud, & ipsum magis*: ergo, &c. Minor probatur, quia nulli, vel alicui, vel alicui sic; alicui non. Non primum ex dictis: non tertium, quia non est maior ratio cur alicui, quàm alij: ergo cuilibet. Confirmatur hæc ratio, & probatur minor; in qua potest esse difficultas. Canus enim *de locis lib. 9. c. 9.* inter errores Aristotelis enumerat hunc, quòd posuerit beatitudinem hominis in substantiis separatis, vt in Angelis. Pro eadem sententia D. Thomas 3. *contra Gentes, cap.* 41. & 44. citat Auenpacem, Alexandrum, & Auerroëm, & videtur consentanea, vt idem dicit 1. 2. *quæst.* 3. *art.* 7. *ad* 2. opinioni eorum qui dixerunt animas rationales creatas esse ab Angelis, qui etiam posuerunt obiectum motiuum, & essentiale cuiuslibet Intelligentiæ esse propriam essentiam tantùm fortè dicerent quamlibet etiam in seipsa beari. Probatur ergo minor ex dictis datur supremus finis, & bonum in se includens reliqua perfectissimo modo: ergo appetitus voluntatis potest ferri in illud. Probatur consequentia, quia appetitus voluntatis sequitur naturam sui obiecti perfectiui, & extrinseci: ergo potest ferri in illud, quod perfectissimè includit rationem boni sine vlla limitatione, aut imperfectione. Probatur consequentia, quia limitatio boni non potest spectare ad perfectiuum voluntatis, neque eam reducere de potentia ad actum, cùm sit mera negatio: ergo appetitus voluntatis, ex genere suo non limitatur ad aliquod bonum limitatum infra supremum. Præterea, eadem consequentia probatur ex obiecto voluntatis, quod est bonum vniuersale, & abstractum, quod conuertitur cum ente; ergo quodcumque bonum particulare est obiectum eius per se. Patet consequentia, quia obiectum vniuersale potentiæ in prædicando abstrahitur ab omnibus, circa quæ nata est operari potentia, vt sunt in *esse*, vt patet in reliquis: v.g. obiectum sensus est solum sensibile, & non aliquid communius sensibili, quia licèt detur aliquid in *esse* & abstractione communius, non tamen respectiuè ad sensum, quà natum est moueri, & perfici: ergo similiter in proposito dicendum de voluntate; sed voluntas non solùm operatur circa inferiora, sed etiam circa bonum supremum, vt patet ex principiis practicis legis naturalis, & prouidentiæ circa inferiora, vt ordinantur ad supremum, in quo sistit ratio procedens ex inferioribus ad supremum, & procedens à supremo ad inferiora, à quo principia sumuntur, vt Deum esse colendum, amandum, &c. Dictamen autem practicum ex parte intellectus est in ordine ad voluntatem, & desumitur à fine, circa quem voluntas, & cuius gratia operatur: ergo tam latè patet obiectum voluntatis, quàm finis circa quem dictat intellectus practicus; sed intellectus practicus dictat circa supremum bonum non solùm absolutè vt est sibi bonum, sed respectiuè ad voluntatem nostram, vt est bonum eius: ergo vt est appetibile ab ipsa: sed vt patet ex dictis, & probatis, *suprà* non est appetibile propter aliud, sed propter se: ergo vt finis vltimus in re ipsa est volibile propter se, & non propter aliud, & consequenter voluntas circa nullum obiectum creatum, versatur tanquam circa finem vltimum in reipsa. Patet consequentia, quia voluntas operatur circa aliquid vt finem vltimum, & quietatiuum, & vniuersale in essendo, quatenus includit omnem rationem appetibilis supremi, quem expetit: sed nihil creatum potest sic continere perfectionem supremi, quam propter se appetit voluntas; ergo nihil infra supremum potest esse finis vltimus voluntatis, quod etiam docuit Aristoteles locis *suprà* allegatis.

Supremum volibile esse volendū cuicunque voluntati.

Cōnfirmatur.

Canus.

Error quorundam Philosophorum.

Quòd voluntas creata posset ferri in vltimum finem.

Limitatio obiecti non specta ad rationem boni, aut motiui voluntatis.

Bonum vniuersale est motiuum voluntatis.

Principia practica legis naturalis.

Sumuntur ab vltimo fine.

Dictamen practicum est in ordine ad voluntatem.

Voluntas non versatur circa creatum, vt vltimum bonum.

37 Præterea, eadem minor probatur per viam efficientiæ; quia voluntas creata est solùm à primo ente, seu à Deo: ergo ad Deum, vt ad finem appetibilem. Probatur consequentia, nihil potest communicare perfectionem vltimatam voluntati, & extrinsecam, quam habet ex coniunctione ad finem, nisi quod dare potest *esse*: quia idem est finis voluntatis, qui & creantis ipsam voluntatem; sed finis creantis est sua bonitas, quam in essendo communicat voluntati; ergo eadem est finis ipsius voluntatis: Probatur consequentia, quia bonitas participata non terminatur completè quoad dependentiam, nisi vt reducitur vltimatè in suam mensuram, & exemplar, & principium, à quo procedit. Sed appetitus voluntatis sequitur

Probatio minoris per viā efficientiæ.

Illud solum dat vltimum complementū voluntati quod dat esse.

Inclinatio voluntatis creatæ secundum rationē. tur inclinationem naturæ, cuius est: ergo nequit vltimatè quietari, aut satiari, nisi vt fertur in supremum bonum, cuius solius est participatio: deinde, voluntas creata est participatio diuinæ voluntatis: ergo sequitur inclinationem diuinæ voluntatis respectiuè ad suum finem, seu perfectiuum extrinsecum: diuina autem voluntas fertur in supremum bonum, tanquam finem, seu obiectum perfectiuum, in quo quietatur; ergo etiam voluntas creata seruata proportione in idem fertur, ita vt in alio non possit tanquam in vltimo fine quietari: nam sicut voluntas creata in nullo continetur secundùm *esse*, nisi in supremo ente, ita etiam secundùm inclinationem, & appetitum in nullo potest quietari, nisi in eo, in quo continetur secundùm suum *esse*.

38 Confirmatur ex inclinatione intellectus, quæ non satiatur, nisi in primo ente, in quo includitur perfectè omnis ratio entis, & veri; quodcumque sit horum obiectum formale intellectus; sed homo non respicit alium finem secundùm intellectum, & alium secundùm voluntatem; ergo idem est obiectum quietatiuum eius secundùm vtramque potentiam; ergo solus Deus. Vide D.Thom. 1.2. *quæst.* 2. *art.* 7. *& vltimo.* Rectè itaque deducitur ex obiecto vniuersali in prædicando, quòd illud solum est finis voluntatis, & vltimum satiatiuum, quod est vniuersale in essendo: licèt in aliis hoc non sequatur, v. g. in appetitu sensibili, aut cognitiua. Ratio est, quia nullum quantumuis perfectum obiectum, & excedens alia in perfectione, continet sic vnitiuè, & eminenter perfectionem obiectorum omnium, quæ per se respicit potentia sensitiua, ideóque nequit vltimò satiare, nisi in suo gradu determinato, quia non actuat appetitum potentię respectiuè ad omnia alia, ad quæ est ipsa secundùm inclinationem per se potentiæ, & obiecti: sed in proposito, finis vltimus in essendo cõtinet in se perfectissimo, & infinito modo, omnem rationem boni, quam per se respicit voluntas inquantùm est perfectibilis à fine, & ideò actuat complete omnē eius appetitū, qui in nullo alio ex ratione iā dicta satiari potest.

Non esse aliū finem hominis secundùm intellectū, & alium secundùm voluntatem.

Finis satiatiuus, & quietatiuus voluntatis est vniuersalis in essendo.

Discrimen inter obiectū appetitus sensitiui, & rationalis.

39 Probat eandem conclusionem Doctor à posteriori, quia etsi in potestate voluntatis sit velle hoc, vel illud bonum: tamen non est in potestate quid sit volendum, aut quid summè volendum; quia hoc præcedit omnem determinationem voluntatis: ergo ad quodcumque comparetur, semper manet illud propter se volendum, & huic volendum, quia huic volibile. Declaratur ratio, quia licèt velle sit in potestate libera voluntatis, aut non velle: tamen necessitatur si velit necessitate specificationis ad volendum bonum, ita vt non possit velle malum, sic nec nolle positiuè, & per odium abominationis bonum. Deinde, nequit velle, nisi vt primò mouetur ab obiecto proposito ab intellectu, & prout mouet ipsum obiectum propositum, si proponitur vt propter se diligendum non potest voluntas, hunc modum propositionis sequendo, velle illud propter aliud; quia ordo voluntatis, & inclinatio ad operationem sequitur ordinem motionis ex parte obiecti, tanquam priorem, sicut effectus sequitur naturam; & influxum causæ. Si autem proponatur obiectum vt bonum propter aliud, idem dicendum est, quia vt in hac propositione præcisè sumptum, non est natum mouere voluntatem aliter, sed inquantùm voluntas mouetur ab alio, nempe ad finem, vt velit bonum in

Secūda ratio à posteriori.

Volūtas supponit obiectū quod est per se volibile.

Declaratur.

Inclinatio voluntatis.

Sequitur ordinem motionis.

ordine ad finem, cuius gratia: quod verò bonum illud propter aliud velit voluntas propter se, hoc prouenit ex alio ordine propositionis obiecti, & motionis, diuerso ab eo, in quo proponitur, & mouet propter aliud. Hinc ergo patet illud quod assumitur, nempe non esse in potestate voluntatis quid sit volendum, licèt in eius potestate sit velle: neque etiam, vt addit Doctor, in potestate eius est quid sit summè volendum: illud *summè* non determinat conatum voluntatis, sed appretiationem obiectiuam, ita vt sensus sit quid sit volendum vt summum, & vltimus finis, quamuis etiam intelligendo particulam *summè*, vt est determinatio, conatus, & actus, congruum faciat sensum: quia sicut inclinatio voluntatis sequitur, secluso impedimento ex parte propositionis, aut distractione per concupiscentiam (vt hic agit Doctor de voluntate secundùm se, & propria, & vt sequitur motionem regularem obiecti secundùm gradum perfectionis in obiecto) sic etiam verificatur illud *summè velle non esse in potestate voluntatis* respectiuè ad quodlibet obiectum; quia sicut summa inclinatio, & conatus voluntatis fertur ex natura rei in finem suum vltimum, & satiatiuum tam intensiuè, quàm extensiuè, ita etiam quidquid non est talis finis nequit voluntas appetere summè positiuè, quia in eo non inuenitur terminus completus appetitus voluntatis, ad quem applicari posset.

Non est in potestate voluntatis quid sit summè volendum.

Ad propositum: neque *summè* velle, siue denotet modum obiecti, siue modum operationis, est in potestate voluntatis modo dicto, quia & ex natura rei nihil mouet in reipsa vt finis vltimus, nisi quod in re est finis: quòd si in æstimatione esset finis, neque sic etiam moueret vt finis, ita vt maneret satiata per ipsum voluntas, licèt motus eius in eo cessaret negatiuè: neque etiam ex parte motionis, aut propositionis intellectus aliquid mouet vt finis vltimus, nisi quod est talis in reipsa, supposita notitia finis: quia intellectus rectificatus per primum principium practicum, qui desumitur à fine in re, nequit proponere voluntati finem vltimum, vt propter aliud diligendum: quia primum principium sicut ex terminis notum, ita non admittit deceptionem, aut errorem ex parte intellectus, qui nequit aliter concipere, aut proponere illum, nisi vt finem vltimum: sic autem propositum nequit mouere voluntatem propter aliud: ergo neque ipsum propter aliud potest voluntas velle: quia vt rectè Doctor, ordo obiecti, & motionis antecedit omnem determinationem voluntatis.

Nequit intellectus proponere finem vltimū propter aliud diligendum.

Secundò probat idem Doctor, quia cuilibet voluntati est aliquid volendum, cùm quælibet posset aliquid rectè velle, illúdque volendum vult sibi, tanquam perfectionem propriam, & non alteri, neque ab alia voluntate volendum, quatenus ipsa voluntas ordinatur ad proprium finem, vt appetitus perfectibilis ad suum perfectiuum; nulla enim voluntas satiatur ex eo, quòd altera satietur, aut quiescat in fine. Ita etiam ex eo quòd velit aliam voluntatem velle finem, non inde ipsa perficitur vltimatè, sed quà per se fertur in finem, vt est finis proprius operantis: quamuis autem ex perfectione amoris voluntas velit etiam finem aliis, hoc accessorium est, ad illud quod est velle finem sibi, non quòd illud sibi denotet affectum commodi, sed propriam operationem, 40

&

Secunda probatio eiusdē.

Voluntas non satiatur nisi vt sibi vult finem.

Quid sit sibi velle finem.

& adhæsionem ad finem, quamuis adhæreat affectu amicitiæ,& propter finem in se,qui absolutè est bonum, sed non potest velle sibi aliquid, sic volendum propter aliud, & aliud; quia sic esset processus in infinitum, quod est repugnans, & vlteriùs etiam nequit velle semper propter aliud & aliud,non sistendo in aliquo propter se, quod non est amabile propter aliud, sed propter se: quia sublato ordine voluntatis ad finem, tollitur etiam ordo ad alia propter finem, qui fundatur in intentione finis,quà finis est.

41 *Deum solum esse finem vltimum propter se volendum. Aliis non repugnat vt ea velit propter aliud.*

[u] *Probatur etiam illud de præcisione,* &c. Nempe Deum solum esse finem vltimum fruitionis, & quietationis in voluntate, ita vt non possit illud velle propter aliud, quia nulli alteri repugnat vt appetatur propter aliud:quia nullum est tale,nisi quod dicit ordinem ad aliud, præter bonum supremum: quia omne aliud à supremo bono est imperfectius supremo:imperfectius autem potest voluntas appetere propter perfectius, ad quod dicit ordinem:ergo in nullo tali est finis vltimus voluntatis. Probatur consequentia, quia in fine vltimo voluntatis est status, ita vt illud non referat, nec referre possit amando ad aliud: sed in omni ente creato non est talis status: ergo nullum creatum est finis vltimus voluntatis. Deinde,ex obiecto idem patet, quia ens communissimè sumptum est obiectum voluntatis volibile, quia est potentia immaterialis,& per consequens respicit totum,vel aliquid æqualis ambitus cum ente,vt si dicatur respicere bonum: ergo voluntas potest velle quodcumque bonum sub ente, & bono, ergo illud quod est supremum. Hæc fuit minor principalis *suprà* præmissa ad probationem conclusionis: ergo etiam in ratione vltimi finis quietantis voluntatis nihil aliud ab vltimo fine,& supremo(quod continet in se infinito modo totam latitudinem entis,& boni)statui potest, vt *suprà*,probatum est. Ex his duabus conclusionibus habetur quòd Deus sit vltimus finis in ratione volibilis, quòd etiam sit vltimus finis in ratione voliti à voluntate etiam creata, inquantùm vltimatè quietatur, & non aliquod aliud creatum. *Obiectum communissimum voluntatis.*

SCHOLIVM.

Addit tertiam conclusionem, ostendens solidè nullam naturam rationalem completè perfici,seu beari,nisi habeat supremum appetibile, vt possibile est illud habere, quod est, illud propter se amare,& omnia alia propter ipsum.

22 [x] TErtia conclusio: Nulla natura intellectualis vltimatè, & completè perficitur, nisi habendo supremum appetibile,& hoc perfectè secundùm modum possibilem sibi,habendi illud. Hoc probatur ex secunda,quia natura intellectualis nata est vltimatè,& maximè perfici: & in eo solo, quod est sibi propter se volendum: ergo non potest vltimatè perfici,nisi in illo habito, sicut est possibile ab ea haberi. Probatur etiam conclusio tertia,quia eo non habito,manet natura volitiua imperfecta.Tertiò probatur conclusio ex medio vniuersaliori, quia in habentibus quemcunque appetitum,siue animalem, siue etiam naturalem, non habetur vltimata perfectio, nisi habito eo, quod tali appetitu propter se appetitur. Vnde imperfectionem aliquam habet graue extra centrum,& appetitus sensitiuus carens summo conueniente. *Conclus.3.*

[y] Intelligendum tamen est circa istam conclusionem, quòd in entibus est aliqua perfectio prima,aliqua secũda,vel quasi secunda. Prima est,quando nihil deficit pertinens ad primum *esse* rei, scilicet essentiale. Secunda, quando nihil deficit pertinens ad *esse* secundum:hæc etiam perfectio secunda quædam est intrinseca, nec coniungit cum perfectiuo extrinseco: quædam autem sic est intrinseca, quòd in hoc perficit, quia coniungit perfectiuo extrinseco. Nec mirum quòd aliquid perficiatur in extrinseco,quia attingendo extrinsecum,& maximè si est perfectius se, habent vlteriorem perfectionem, quàm posset habere in se, & ad se. Isto enim modo ignobiliora perficiuntur in nobilioribus, non essendo illa realiter, nec habendo illa formaliter inhærentia:sed attingendo illa,& sic habendo modo sibi possibili habendi. *Duplex perfectio prima, & secunda, explicãtur.*

23 Vnde cuius appetitus est respectu ignobilioris,quàm sit natura ipsa, illud non perficitur in extrinseco, nisi secundùm *quid.* In nobiliori etiam licèt sit aliqua perfectio appetentis ignobilioris, non tamen suprema extrinseca. Si autem in aliqua natura perficiatur in nobiliori se non suprema,necesse est dare aliquam naturam,quæ immediatè perficiatur;non,nisi in supremo perfectiuo extrinseco,quia non est processus in infinitum in perfectibilibus,& perfectionibus: suprema ergo saltem perfectibilis natura,non perficitur,nisi in supremo perfectiuo extrinseco. Tota autem natura intellectualis est secundùm illam rationem suprema, sicut patet ex secunda conclusione.

Nec oportet secundùm ordinem naturarum, esse perfectiua extrinseca completiuè perficientia:sed sufficit,quòd perfectiones intrinsecæ secundæ coniungentes cum perfectiuo extrinseco, correspondeant gradibus perfectionum primarum. Licèt autem in substantiis perfectio prima sit simpliciter nobilior quacunque perfectione secunda

cunda intrinseca: tamen non est vltima perfectio, quia ipsa habita, adhuc expectatur, & appetitur vlterior perfectio.

z Secunda etiam etsi non in se formaliter, tamen vt immediatiùs coniungit perfectiori, est quodammodo appetibilior perfectio perfectione prima, inquantùm est immediatum ad aliquid appetibile extrinsecum, quod magis appetitur, quàm *esse* proprium intrinsecum: specialiter tamen istud est verum de voluntate, quia quicunque alius appetitus appetit extrinsecum propter naturam, cuius est appetitus, ideò non coniungit alicui simpliciter appetibiliori, quàm sit *esse* naturæ cuius est. Voluntas autem amat aliquid nobilius se, & plùs, quàm naturam illius cuius est, & ideò coniungit appetibiliori, & in se, & sibi, quàm sit natura cuius est. 24

Voluntas perficitur maxima perfectione intrinsecè & extrinsecè, quomodo, explicatur.

a Ista ergo conclusio, saltem de voluntate, non tantùm vera est quantùm ad hoc, quòd dicit vltimatè perfici: sed etiam perfectione maximè appetibili perfici, & perfectione etiam maxima, loquendo de extrinseco perfectiuo: & participatiuè, de intrinseco, inquantùm coniungit illi extrinseco. Sicut perfectum distinguitur, ita & bonum: vnde licèt quodcunque ens sua entitate sit bonum bonitate prima, non tamen bonitate secunda: & de ista præcipuè videtur Boëtius tangere in libello suo de Hebdomadibus, vbi vult quòd bonitas sit accidens, & quòd res non in eo, quòd sunt, bonæ sunt. Ista autem secundùm bonitatem sic signanter exprimimus, huic rei benè est. Vnde iuxta tertiam conclusionem, patet ista, quòd nulli voluntati vltimatè & completè benè est, nisi habito illo, quod est sibi propter se volendum: & hoc perfectè eo modo, quo possibile est haberi.

COMMENTARIVS.

42 *3. Conclusio. Vltimata perfectio creaturæ intellectualis est vltimus finis vt ipsi possibilis.*

x *Tertia conclusio: Nulla natura intellectualis vltimatè, & completè perficitur, nisi habendo supremum appetibile, & hoc perfectè secundùm modum possibilem sibi habendi illud*, &c. Probatur ex dictis in secunda conclusione, quia natura intellectualis nata est vltimatè, & maximè perfici & in eo solo, quod est propter se volendum, & nullo modo propter aliud: ergo nequit vltimatè perfici, nisi in eo solo, *vltimatè* inquam, id est, completè. Probatur consequentia, quia inclinatio voluntatis inquantùm est appetitus passiuus naturalis eius, vel etiam obedientialis, sequitur naturam sui motiui, & ipsam motionem specificatiuè, secundùm ordinem quem dicunt motiua inter se antecedenter ad voluntatem: appetitus etiam elicitus voluntatis, & rectus (si enim non est rectus, non est natus coniungere propriè fini, quà finis est obiectum perfectiuum voluntatis) sequitur inclinationem potentiæ, qua hæc consideratur vt posterior essentialiter suo obiecto perfectiuo: ergo hæc inclinatio nequit vltimatè perfici, nisi in eo, quod in reipsa est vltimatum eius perfectiuum, hoc autem est solus Deus: ergo in ipso nata est quiescere voluntas, vt in suo perfectiuo vltimatè, & completè.

Probatio ex inclinatione voluntatis.

appetitus elicitus sequitur innatum.

Responsio.

Dices, voluntas si esset in statu puræ naturæ, posset quiescere in aliquo fine perfectiuo sui; ille finis non esset Deus solus: sed quodlibet volibile secundùm rectam rationem, vt bonum virtutis, vel quid simile: ergo voluntas non respicit Deum tanquam vltimum finem, ita vt non alium finem. Minor probatur, quia finis voluntatis in eo statu esset secundùm modum cognitionis: sed cognitio non esset tam perfecta Dei, sicut aliorum volibilium: ergo neque Deus tam perfectè in ratione motiui applicaretur voluntati, sicut alia monentia ex genere suo: ille autem est finis vltimatus potentiæ, quem perfectè attingere potest: ergo, &c. Contrà, siue in

Impugnatur.

statu naturæ, siue in quocunque alio, nullus finis est vltimus, & quietatiuus voluntatis secundùm rectam rationem, nisi ille, in quo est status quantùm ad rationem volibilis, itaut non propter aliud sit volibile, & reliqua sint volibilia propter ipsum; sed ita contingeret in statu puræ naturæ, ergo, &c. Deinde in statu illo voluntas non posset quiescere, nisi in eo, quod est finis eius, vt procedit à Deo, & conuertitur ad suum principium, vnde perfectionem sortitur: Deus autem solus in eo statu esset talis finis, & nihil aliud: ergo, &c. Præterea quodlibet volibile, vt bonum virtutis, eatenus esset finis voluntatis, quatenus rectificaret eius intentionem secundùm debitum ad finem, sed bonum virtutis particularis huius aut illius, intantùm rectificat voluntatem, inquantùm eam determinat ad medium, fugiendo extrema: sed in hoc non rectificatur vltimatè voluntas, sed tanquam in fine sub fine: ergo finis vltimus eius non esset tale bonum. Subsumptum probatur, quia hæc rectitudo oritur à lege, & regula, quatenus in virtute continet debitum virtutis, & voluntas operatur ex debito tali. Debitum autem hoc, vel oritur à lege naturali, siue sit aliquid superadditum ipsi naturæ, vel condecentiæ naturalis, vel certè ab aliqua regula superiori ipsa lege, cui debet conformari voluntas primariò. Si primum dicatur, sicut voluntas in seipsa nequit beari, neque homo ad seipsum ordinatur tanquam ad finem: ita etiam neque rectitudo fundata, & reducta ad condecentiam naturæ potest esse eius beatitudo, sicut neque ipsa natura creata in se potest beari in ordine ad seipsam: quia sicut non est à seipsa, sed per aliud; ita ad seipsam non ordinatur, vt ad finem, sed ad aliud, quod est perfectiuum eius extrinsecum. Si secundum dicatur, probatur idem, quia voluntas nequit subesse debito ex lege, nisi vt ordinatur ad voluntatem superiorem; ad voluntatem autem superiorem eatenus ordinatur, quatenus respicit finem talis voluntatis: ergo per prius ordinatur tam ad ipsam superiorem voluntatem, quàm ad finem

Finis quietatiuus secùdùm rectam rationem.

Bonum virtutis non est vltimum.

Rectitudo regula tendit ad aliud vltimum.

Tēdit in Deū finē vltimū.

Voluntas non beatur in seipsa aut operante, vt fine vltimo.

Creatura nō est ad se vt finem.

Volūtas creata vt subest debito operādi ordinatur ad finē volūtatis superioris ex qua est debitum.

finem eius, quàm ad rectitudinem virtutis, vt ad eam est debitum in voluntate. Deinde, beatitudo diuina non consistit in eius attributis, vt respiciunt creaturam,& statuunt medium in ipsa: v.g. iustitia, & misericordia; neque etiam vt respiciunt obiectum ad intrà, iuxta condecentiam naturalem voluntatis, si ista attributa sint aliud in Deo formaliter, aut ratione diuersa à sua voluntate,& amore essentiali,quo beatur ad se:ergo etiã neque in rectitudine virtutis moralis potest consistere beatitudo vltima voluntatis creatæ: quia in natura intellectuali debet seruari proportio, quantùm ad beatitudinem. Rectitudo præterea virtutis moralis est medium ad beatitudinem, non ipsa beatitudo dicitque modum operandi: voluntas enim creata debet beari in aliquo fine,quod in re ipsa est vltimum eius perfectiuum extrinsecum physicè,& non in *esse* morali: rectitudo autem moralis est secundùm rationem, & non in reipsa. Accedit, quòd rectitudo virtutis moralis aliquando versetur in operibus circa entia inferiora ipsa voluntate, vt temperantiæ,iustitiæ, fortitudinis, quarum aliæ ad temperandum appetitum ordinantur, & euellendas,aut refrænandas passiones; aliæ ad reddendum suum alteri debitum in aliis rebus, quæ sunt extra hominem: sed in his nequit statui finis vltimus voluntatis: ergo in aliquo superiori versatur: *superiori*,inquam, in *esse* naturæ: sed neque in alio superiori, quàm in Deo solo: quia aliud superius non est,nisi natura Angelica, quæ licèt perfectior sit quàm humana,non principiat humanam: neque rectificat in ratione finis circa alia volibilia, quin possit esse deformitas in ipsa: finis autem vltimus voluntatis humanæ,& cuiusque creatæ vt possessus,debet ita rectificare, vt etiam cum eo possesso nequeat stare deordinatio vlla circa alia inferiora. Accedit quòd voluntas humana non solùm sit rectificabilis circa naturam creatam, sed etiam ipsum Deum: hanc rectitudinem nequit dare natura Angelica: ergo nequit esse finis vltimus, & completus voluntatis humanæ, vt ordinatur ad Deum; sed hæc est inclinatio perfectissima voluntatis, tam ex lege,quàm perfectione obiecti, quod propter aliud nequit expeti: ergo voluntatis finis vltimus, & completus nequit consistere in alio extra Deum. hæc eadem ratio deduci potest quoad alia creata, in quibus fingi posset vltimus finis, & completus voluntatis humanæ, vt est gloria, diuitiæ,bonum,corporis voluptas,& huiusmodi, in quibus aliqui errauerunt, sequentes viam sensus, & non intellectus.

Beatitudo diuina non consistit primò in attributis vt rationibus beandi.

Beatitudo creata non est rectitudo moralis.

Debet beatitudo esse ad finem in reipsa.

Rectitudo moralis extenditur ad ea quæ sunt inferiora homine.

Nequit natura Angelica vt finis rectificare voluntatem creatam.

Finis vltimus vt possessus rectificat.

Debet rectificari circa Deum vt finem,& obiectum.

Conclusio intenta.

Reiiciuntur errores Philosophorum.

43 Ex his sequitur veritas secundæ probationis, quam adducit Doctor,*quia*, inquit, *eo non habito*, supple Deo,tanquam vltimo fine, *voluntas est imperfecta*,supple in miseria,quantùm ad rectitudinem virtutis;quia actus eius circa quemcumque alium finem à Deo,posset esset vitiatus;& quantùm ad miseriam etiam ex priuatione vltimi finis: quia licèt quantùm ad dictamen præsens, quod tunc haberet ex opinione talis finis tanquam vltimi, diceretur in eo ita stare, vt alium vlteriorem non prosequeretur:tamen semper esset misera,quia vero fine priuata, & iis quæ sunt ad finem inordinatè vtens, quia illa referret in finem illum vltimum præstitutum, qui non est finis ipsorum in reipsa:cum errore autem practico nequit consistere beatitudo vera, & satiatiua voluntatis ex natura rei. Vnde aliàs Augustinus ex hoc capite negabat iustitiam veram fuisse in Philosophis, quamuis quædam documenta virtutum tradiderunt,quia viam in finem verum non agnouerunt absque fide,quæ est fundamentum iustitiæ:eodem modo si error sit circa finem, & ea,quæ sunt ad finem, nequit subsistere beatitudo,etiam naturalis.

Secunda probatio præmissa conclusionis.

Actus voluntatis circa alium finẽ à Deo posset esse vitiatus.

Cum errore practico nequit consistere beatitudo.

Tertiò probat Doctor conclusionem ex medio vniuersaliori: In habentibus quemcumque appetitum,siue animalem, siue etiam naturalem, non habetur vltimata perfectio,nisi habito quod vltimatè tali appetitu propter se appetitur: vnde imperfectionem aliquam habet graue extra centrum,& appetitus sensitiuus carens summo conueniẽte,&c. Fortè ex hac ratione sumpsit fundamentum Suarez *loco supra citato*,interpretandi, & citandi Doctorem in hac quæstione, quasi asseruerit bruta esse capacia alicuius beatitudinis secundùm *quid*,aut imperfectæ, quod impugnat ex Philosopho 10.*Eth.c.*8.*&*.9.Augustino 83. *q.* 11. *quæst.*5.*&* Nysseno *in lib.de beatitudine*,negantibus beatitudinem conuenire brutis. Sed ex præsenti loco non colligitur talis sententia Doctoris, neque alibi in hac quæstione occurrit mihi fundamentum,ex quo deducatur:nam superiùs in conclusione secunda,dicit appetitum sensitiuum,etsi dicatur appetere aliquid propter se, hoc esse secundùm *quid* ex imperfectione potentiæ,quæ nequit velle aliquid propter aliud, non autem ex perfectione obiecti, cui repugnet appeti propter aliud, vt designet bruta non agere propriè propter finem;quæ est sententia communis,quia appetitus non versatur circa finem, quà finis est, propriè ex imperfectione sua, cùm sit potentia materialis, quæ ducitur, & non ducit in obiectum. Hîc autem sumit argumentum ex appetitu in genere ad perfectionem proportionatam, sine qua non est in statu quietis,& perfectionis completæ,vt ostendat in specie appetitum beatitudinis non satiari completè, nisi coniungatur obiecto beatifico,eo modo, quo possibile est coniungi. & infrà,circa finem huius quæstionis, asserit naturam incapacem beatitudinis sine ipsa ex propria ratione manere imperfectam negatiuè: naturam verò capacem sine beatitudine esse priuatiuè imperfectam;subinde acceptionem beatitudinis, quam exponit in 2. articulo sequenti, non applicat ad vllam, quæ conueniat brutis. Consecutio huius tertiæ rationis est bona, quia similitudo currit:appetitus etiam passiuus, cuiuscumque est sub priuatione actus debiti, quandiu caret perfectione,ad quam est ipse appetitus: ergo appetitus beatitudinis in natura capaci donec coniungatur fini eo modo, quo possibile est coniungi, & inquantùm finis coniunctus beat communicans actum,ad quem est talis appetitus, erit imperfectus. 44

Tertia ratio Doctoris.

Nullus appetitus satiatur nisi in possessione finis sui perfectissimi.

Reiicitur Suarez.

Non dari propriã beatitudinẽ appetitus sensitiui.

Non mouetur propter finem propriè.

Scotus argumenti.

Consecutio eius bona.

Y *Intelligendum tamen est*, &c. Explicat doctrinam præmissam,distinguens perfectionem essentialem,seu actus primi, & entitatiuam rei à perfectione eius per actum secundùm consequentem. Prima perfectio consistit in plena actualitate rei in *esse* entis: quatenus nulla ei perfectio, quæ spectat ad actum primum,deficiat.Perfectio secunda est, quando nihil deficit quoad secundam perfectionem,& consequentem ipsam entitatem. Hæc autem est duplex. Quædam intrinseca, quæ spectat ad actum secundum, & respicit actum primum in ordine ad se, & non ad extrinsecum. Alia est perfectio secunda, quæ respicit 45

Duplex perfectio rei.

Perfectio actus primi.

Perfectio actus secundi.

Duplex.

Prima quæ est ad intrinsecum.

Secunda ad extrinſecum. ſpicit extrinſecum perfectiuum, licèt ipſa ſit intrinſeca; & in hoc perficit, quia coniungit extrinſeco. Talis eſt omnis operatio, per quam perficitur potentia, & maximè beatitudo, quæ eſt perfectiſſima: ex coniunctione autem ad perfectiuum extrinſecum ipſa res perficitur illam attingendo (maximè ſi in ſeipſa eſt perfectior) accipit aliquam perfectionem maiorem, quam habet ad ſe, & in ſe præciſo ordine ad extrinſecum, iſto modo ignobiliora perficiuntur in nobilioribus, non eſſendo illa realiter, nec habendo eadem in ſe formaliter inhærentia. Hoc modo Dionyſius de diuinis nom. cap. 4. dicit. *Diuinam ſapientiam coniungere fines primorum principiis ſecundorum, & ſummum inferioris naturæ contingere infimum ſuperioris.* *Dion.*

46 *Perficitur res per ſuum perfectiuũ, & ſuperius.* Hinc Doctor etiam proſequens idem, dicit quòd appetitus reſpectu ignobilioris quàm ſit appetens, non perficitur in eo, niſi ſecundùm *quid*, quia nempe ordo ipſe partium vniuerſi id exigit, & perfectio, vt fiat proceſſus ab imperfecto ad perfectum, non è contra à perfecto ad imperfectum: quia id quod eſt in actu, nequit perfici ſimpliciter ab eo, quod eſt in potentia: imperfecta autem natura, vt comparatur ad perfectiorem ſe, eſt in potentia, vt pote in priuatione, aut negatione eius perfectionis, quæ eſt in ſuperiori, ac proinde hæc potiùs eſt in actu reſpectu eius, poteſt tamen ſecundùm *quid* participare aliquam perfectionem à natura ignobiliori, reſpectu cuius eſt appetens: licèt ille appetitus non ſit potior naturæ ſuperioris, vel non ſiſtat in ordine ad naturam inferiorem, tanquam ad vltimum terminum appetitus: v. g. intellectus noſter reſpectu phantaſiæ dicit appetitum, quemdam: ſed hic appetitus, quo mouetur à phantaſia ad ſpeciem obiecti, non ſiſtit in ſola ſpecie, ſed vlteriùs tendit ad operationem. Præterea, intellectus noſter perficitur ab obiecto materiali, & dicit ad eum appetitum, inquantùm eſt cognoſcibile; cæterùm in hoc non ſiſtit talis appetitus, ſed vlteriùs tendit ad altiora ex materialibus cognoſcenda.

Cur non perficiatur ſimpliciter ſuperius per inferius.

Poteſt perfici ſecundùm quid.

Exemplum.

47 *Natura intellectualis ſumma, & vltima perfectio in Deo ſolo conſiſtit.* Secundò, ſubdit Doctor, licèt appetitus ignobilioris ſit reſpectu nobilioris naturæ ſe in genere entis creati, non tamen perfectio ſumma extrinſeca, quæ in natura intellectuali eſſe tantùm poteſt reſpectu Dei finis vltimi, quæ ſicut eſt nobiliſſima natura creata in genere perfectibilis, ita etiam nequit perfici, niſi à ſummo perfectiuo extrinſeco. Si obiicias, quòd natura Angelica ſit ſumma in genere perfectibilis creatæ; ergo illa ſola perficitur à ſupremo perfectiuo. Huic obiectioni tacitè occurrit, dicens quòd perficientia extrinſeca non ſint ſecundùm ordinem naturarum inter ſe, neque numerantur. Ad ſaluandam differentiam in naturis ſufficit vt perfectiones intrinſecæ ſecundæ, ſcilicet operationes coniungentes obiecto beatifico, ſint diuerſæ, iuxta perfectionem diuerſam naturarum. Hæc concluſio verificatur de perfectione operationum, vt in eis conſiſtit beatitudo naturalis; duo enim hîc intendit Doctor. Primum eſt, probare quòd beatitudo naturæ intellectualis non conſiſtat in aliquo fine creato obiectiuo vltimatè, & hoc demonſtrat via naturali, ex principiis accommodatis, & præmiſſis. Secundum eſt, oſtendere concluſionem fidei ex iiſdem principiis. & hæc eſt ratio Theologica, & ſuppoſitis reuelatis, eſt demonſtratio, quamuis non reſpectiuè ad

Obiectio.

Reſponſio.

Scopus Doctoris.

Demonſtrat non conſiſtere beatitudinẽ in attingẽtia entis creati ſolùm.

Philoſophos, qui ſequuntur rationem naturalem, prout extenditur pro modo cognitionis huius ſtatus ad naturam, & finem eius reſpectiuè. Vrgeret ergo aliquis contra dicta ſuperiùs. quando dicitur naturam intellectualem eſſe ſupremã in genere perfectibilium, & non poſſe conſequenter perfici, niſi in ſupremo perfectiuo, qui eſt vltimus finis; vrgeret, inquam, dari latitudinem in ipſa natura intellectuali, quantùm ad *eſſe*, & in primo gradu poſt Deum eſſe Intelligentias, ſeu Angelos, & hos reſpicere vltimum finem proximè: naturam verò intellectualem humanam, ſicut eſt inferioris gradus, ita etiam in quantùm perfectibilis eſt, non debere ipſi perfectiuum ſupremum, ſeu vltimum, ſed aliquem inferioris gradus. Probatio huius eſt, quia perfectiua correſpondent naturis perfectibilibus ſecundùm perfectionem earum, & gradum, ita vt ſuperiori correſpondeat ſupremum perfectiuum, inferiori aliud perfectiuum differens, & inferioris gradus: ergo humanæ correſpondet differens ab eo, quod eſt perfectiuum extrinſecum naturæ Angelicæ: huic autem correſpondet ſupremum. *Probatio Theologica ex reuelatis.* *Obiectio formatur.*

Huic ergo rationi occurrens Doctor ex principiis naturalibus, quibus inhæret ipſa ratio, dicit quòd non requiritur differentia finis, ſeu perfectiui extrinſeci iuxta differentiam naturarum: ſed ſufficere vt aliter ſecundùm perfectionem intrinſecam operationis coniungatur natura ſuperior perfectibilis, quàm natura inferior, quamuis vtráque natura immediatè coniungatur fini vltimo: ergo ſtat quòd natura intellectualis in genere perfectibilis coniungatur fini cum differentia ſeruata naturæ, inquantùm per finem beatificabilis eſt per operationem; quia vna ſicut eſt perfectioris gradus, ita perfectiorem habet operationem, vt ſuperior quàm inferior Angelica, & quàm humana, quamuis omnes attingant finem: hoc autem verificatur de beatitudine naturali, non ſupernaturali, & gratuita: quia hæc attenditur ſecundùm ordinem electionis, & meritorum; & in hoc ſunt æqualis Angelus, & homo, vt comparantur ad ſupernaturalem: quia æqualis regula, & lex vtrique eſt ſtatuta, & differentia tantùm attenditur ex operibus, & electione, vt dixi. Verum eſt Doctorem *in 2. diſt. 1. quæſt. 6.* diſſerere problematicè, an intellectus Angelicus, & humanus differant ſpecie; & eadem eſt ratio de voluntate: dato quòd ſic differant, inæqualitas beatitudinis naturalis, vt dicit hîc, ſaluatur per differentiam operationum, vt procedunt à potentiis ſpecie diſtinctis ſecundùm perfectionem; ſic autem diſtingui cognitionem Angelicam, & humanam pro ſtatu viæ naturalem, omnes concedunt, etiam vt eſt circa finem vltimum: quamuis idem ſit obiectum formale vtriuſque; exempli gratia, cognitiua, ſenſitiua reſpicit obiectum ſub ratione propria ſenſibili; idem etiam reſpicit intellectus; vtraque cognitio de eodem eſt obiecto formali, quamuis operatio diuerſa ſit, etiam quantùm ad attingentiam obiecti: quia potior eſt cognitio intellectualis, quàm ſenſibilis. Eodem modo de cognitione Angelica, & humana reſpectu finis vltimi, loquendo de naturali, Philoſophandum eſt iuxta ea, quæ tradunt Doctores de perfectione vtriúſque. 48 *Reſponſio. Diuerſarum naturarum idem poteſt eſſe finis obiectiuus.*

Differentia operationum ex diuerſitate naturarũ.

Beatitudo ſupernaturalis ſecundùm merita, & electionem.

Diuerſæ potentiæ habẽt diuerſã operationem circa idem.

Exemplum.

Declarata doctrina probatur ex dictis; nempe humanam cognitionem attingere finem vltimum immediatè in ſe, tanquam finem ſuum extrinſecum, & perfectiuum: quia cadit ſub eius obiecto

primo

Quòd intellectus humanus attingat Deum in se immediatè.

primo, & naturali, vt patet ex principiis primis practicis, est eius causa & principium immediatum quantùm ad intellectum,& voluntatem,&c. prout aliàs *suprà* deductum est;quod & ipse Philosophus agnouit locis *suprà* citatis:nam & ipsæ

Sententia Philosophi.

Intelligentiæ subordinatæ sunt quantùm ad perfectionem naturalem;in qua alia est superior diuersa ab inferiori;sed Intelligentiarum beatitudo

Diuersitas Intelligentiarum.

consistit in coniunctione sui per operationem ad primam, quæ est vltimus finis: ergo differentia naturarum in perfectione etiam specifica non infert differentiam finis. Deinde cum multiplicatione posterioris stat vnitas prioris; finis autem est prior in ratione causæ ad naturas perfectibiles, inquantùm sunt ad finem: ergo potest idem esse plurium naturarum,licèt differentium. Idem patet ex natura finis infiniti, quod potest communicare perfectionem proportionatam finitis pluribus,quatenus ad ipsum coniunguntur; neque est maior ratio cur omnia creata reducantur vltimatè ad vnum vltimum finem,quàm quòd natura quælibet intellectualis inquantùm in specie ipsi correspondet sua beatitudo per operationem,quæ respicit totam latitudinem entis,etiam reducatur ad finem vltimum immediatè.

Cum vnitate prioris stat pluralitas in posteriori.

49 *Inclinatio diuersa voluntatis.*

² *Secunda etiam est,& si non in se formaliter*, &c. Hîc discernit inclinationem voluntatis,seu naturæ intellectualis, inquantùm inclinat ad *esse* proprium,& ad finem extrinsecum, in eo quòd perfectio secunda consistens in operatione, licèt in genere entis non sit appetibilior,quàm ipsum *esse* primum,à quo procedit:tamen vt coniungit fini, est appetibilior,quàm *esse* proprium, ratione obiecti appetibilis,vt illud attingit, quod specialiter verificatur de inclinatione voluntatis, vt distinguitur ab omni alio appetitu:quia appetitus voluntatis semper appetit vt finem aliquid se nobilius, quando procedit secundùm rectum ordinem sui obiecti, quod amat magis, quàm proprium *esse*, vt patet ex dictis ad initium quæstionis prioris:reliqui autem appetitus amant aliud propter *esse* suum conseruandum, ideóque illud appetunt propter se,& non propter ipsum, & sic non coniungit alicui appetibiliori, quàm sit ipsum. Disparitas in eo est, quòd appetitus voluntatis sit ad bonum, quò autem magis excedit bonitas,eò etiam magis est appetibilis secundùm inclinationem voluntatis, quæ inhæret obiecto propter se, & quà bonum est. Quòd si obiicias contra hoc,quod superiùs dixit Doctor,quòd ea, quæ coniunguntur perfectiori in hoc perficiantur,& patet ex Dionysio citato. Respondetur appetitum eorum ex tali coniunctione, vel ad tale perfectius extrinsecum, cui coniunguntur, oriri ex appetitu,quo inclinantur ad proprium *esse*, & operationem consequentem, qua conseruatur in specie,vel in indiuiduo; ideò vltimatus terminus talis inclinationis est proprium *esse*: lapis v.g. inclinatur ad centrum,vt ibi magis conseruetur,& sic de aliis: voluntas autem etsi appetitu commodi inclinetur ad suum *esse*: tamen ille non est appetitus eius primarius,vt respicit finem ex ordine recto secundùm inclinationem in finem; sed appetitus vt regulatus secundùm affectum iustitiæ, & amicitiæ, ex quo redundat affectus ille commodi: quia omne commodum ideò est commodum, quia alicui conducit, illud autem cui conducit,magis inclinat, & appetitur, quàm commodum:voluntas ergo ita inclinat in finem vt præferat ipsum proprio *esse* in ratione appetibilis,& loquendo de fine vltimo, si ei adhæreat.

Volũtas magis inclinatur in finem quàm in proprium esse actu elicito.

Obiectio.

Responsio.

Qualis est appetitus aliorum ad suum finem.

³ *Ista ergo conclusio*, &c. Deducit ex dictis intentum, quòd voluntas non solum est perfectibilis vltimatè in fine vltimo, sed maxima perfectione intrinseca, & extrinseca, id est, operatione, in qua consistit eius beatitudo, quæ est perfectio eius, tam intrinseca in *esse* operationis, quàm extrinseca, qua coniungitur per ipsam vltimo fini. Perfectum enim sicut & bonum in primam,& secundam perfectionem,illa est actus primi & *esse* naturæ; hæc verò actus secundi, de qua intelligendus est Boëtius *in libello suo de Hebdomadibus*, vbi vult quòd bonitas sit accidens, & quòd res non in eo quòd sunt, bonæ sunt. Ista ergo perfectio secundùm bonitatem exprimitur in eo, quod est alicui benè esse: aliud enim est aliquid dici bonum bonitate entis, & ei bene esse:quia primum dicit rei entitatem,& substantiam;secundum dicit aliquid consequens, & supponens entitatem, quod eam perficiat. In substantiis intellectualibus contingit bene esse, quando coniunguntur fini suo completè, & perfectè, qui est vltimus earum: non coniunguntur substantialiter: quia id repugnat, cùm finis habeat rationem obiecti mouentis: ergo per operationem coniunguntur: hoc autem in ipsis est accidens sub vtroque modo, indéque concludit Doctor, quòd nulli voluntati vltimatè, & completè bene est, nisi habito illo, quod est sibi propter se volendum, id est, non propter aliud,& hoc perfectè,eo modo, quo possibile est haberi. 50

Sequela dictorum intenta.

Perfectio actus primi & secundi.

Ex his vltimis verbis, & ex dictis colligitur intentum Doctoris in hoc articulo esse, probare voluntatem beari in solo fine vltimo, & eo modo, quo est possibile eam coniungi vltimo fini, aut illum habere: non descendit autem ad probationem specialem, qua probatur non posse illum habere, vt est obiectum beatificum, nisi per visionem, & fruitionem in patria: quia huius probatio in specie petenda est ex reuelatis, quibus adhibitis optima est probatio Doctoris quoad conclusionem Theologicam, vt ex ea ostendatur id, quod docet fides non inuoluere repugnantiam respectiuè ad rationem naturalem, aut principia ex natura sumpta, vt *in §. sequenti* ostendetur; scopus enim præsentis quæstionis est ostendere beatitudinem consistere in actu secundo,atque in operatione circa finem vltimum; quænam sit illa operatio *in sequentibus quæstionibus* declaratur: hic tantùm resoluitur eam debere esse, quæ perfectissimè coniungit vltimo fini, inquantùm possibile est voluntatem creatam ei coniungi; cùm autem neque in actu primo ei coniungatur per modum finis, sed causæ efficientis, neque per identitatem realem, vt voluntas, & operatio increata eidem coniungitur, neque per vnionem aliquam substantialem, sequitur quòd per solam operationem, quà est actus secundus in re diuersus ab actu primo, & per quem voluntas, & intellectus creatus natus est cuicumque obiecto vniri, etiam propriæ entitati operantis. Ex quibus patet Suarem *suprà* citatum non rectè aduertisse ad processum, & discursum Doctoris.

Scopus Doctoris.

S C H O L I V M.

Adducit, & explicat varias deſcriptiones Philoſophorum de beatitudine, & miſeria, oſtenditque omnes pertinere ad actum ſecundum, ſeu perfectionem ſecundam, id eſt, accidentalem, non ad primam, ſeu ſubſtantialem.

Quære 1. Ethic. de ſignificato beatitudinis. Variæ deſcriptiones beatitudinis ſecundũ Philoſoph. ac etiam miſeriæ.

b DE ſecundo, ſcilicet de nomine *beatitudinis*, hoc ſupponitur notum apud Philoſophos, loquentes de ea, quòd beatitudo eſt bonum ſufficiens, excludens ſcilicet defectum, vel indigentiam: eſt bonum perfectum, vel completum excludens imperfectionem, ſeu diminutionem: eſt bonum vltimatum excludens tendentiam, & ordinabilitatem, ad aliud completius bonum: eſt bonum, quo habito completè benè eſt habenti. Hoc modo miſeria completa eſt indigentia firmata, eſt etiam carentia perfectionis ſecundæ, & in hoc diminutio boni ſecundi, & etiam excluſio illius, quod propter ſe amaretur, ſi haberetur: tandem miſero completè malè eſt. 25

c Licèt autem ſufficientia, perfectio, completio, & bonitas poſſint pertinere ad entitatem primam rei, vel ſecundam; poſſint etiam includere tam illa, quæ pertinent ad entitatem primam, vel ſecundam: tamen quia ſufficiens eſt alicui ſufficiens, ac propter hoc præſupponit illud, cui ſufficiat: completio etiam complet illud, quod iam præceſſit, quod ſine eo eſſet quaſi vacuum, ſeu non plenum.

Perfectum etiam excludit defectum, qui eſt carentia eius, quod natum eſt ineſſe. Benè eſſe etiam non conuenit alicui, niſi iam exiſtenti per aliquid, quaſi ſuperadditum: ideò hæc omnia magis pertinent ad perfectionem ſecundam, quàm primam, quia etiam vltimatè, & completè non perficitur aliquid, niſi in extrinſeco perfectiuo, quod natum eſt ſic perfici. Ideò hæc magis pertinent ad perfectionem ſecundam, inquantùm coniungit cum perfectiuo extrinſeco. 26

Vltimata completio & perfectio eſt ad extrinſecum.

Beatitudo ſimpliciter eſt coniunctio ad obiectum ſupremum, ſecundũ quid ad alia obiecta perfecta.

Ex his poſſet diſtingui beatitudo in ſimpliciter, & ſecundùm *quid*, vt illa ſit ſimpliciter beatitudo, quæ eſt perfectio ſecunda immediatè coniungens obiecto, ſiue extrinſeco perfectiuo nobiliſſimo; ſecundùm *quid* autem, coniungens obiecto minùs nobili perfectiuo; & ſi quidem nobiliori ipſa natura, quæ coniungitur, magis accedit ad rationem beatitudinis ſimpliciter: ſi autem minus nobili, magis recedit ab ea.

Poſſet etiam diſtingui aliter hoc nomen *beatitudo*, quia poteſt accipi pro coniunctione ad perfectiuum extrinſecum, vel pro fundamento proximo illius coniunctionis: ſi quidem à relationibus poſſent fieri plurimæ denominationes ordine quodam, & abſtractiones ab illis denominatis.

COMMENTARIVS.

51 *Art. 2.*

Deſcriptio beatitudinis.

b DE *ſecundo*, &c. Hîc deſcribit beatitudinem quantùm ad *quid nominis* ex Philoſophis; eámque diuidit, inde deducens eam ex communi ſententia conſiſtere in operatione. Prima eſt quòd ſit *bonum ſufficiens excludens defectum, vel indigentiam*, &c. Huic affinis eſt illa Aug. 15. de Trin. cap. 5. *Beatus eſt, qui habet omnia, quæ vult*, &c. & lib. 1. de lib. arbitrio. *Beatè viuere eſt bonis veris, certiſq; gaudere*, &c. Secunda priori affinis: quòd ſit *bonum perfectum, & completũ excludens imperfectionem, ſeu diminutionem*, &c. Concordat Boëtius 3. *de conſolatione*, dicens quòd ſit *ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus*, &c. Cicero lib. 3. Tuſculanarum, quòd ſit *ſecretis malis cumulata bonorum complexio*, &c. Nyſſenus in lib. de beatitud. *Beatitudo*, inquit, *eſt comprehenſio quædam omnium earum rerum; quæ in homine intelliguntur, à qua nihil abeſt eorum, quæ pertinent ad bonorum deſiderium, atque cupiditatem*, &c. D. Thom. 1. 2. *quæſt. 5. art. 3. & 5.* quòd ſit *perfectum, & ſufficiens bonum, omne malum excludens, & omne deſiderium complens.* Sic etiam Auguſtinus lib. 11. de Ciuit. *Status perfectus, & numerus bonorum omnium abſolutus*, &c. Tertia eſt, quòd ſit *bonum vltimatum excludens tendentiam, & ordinabilitatem ad aliud completius bonum*, &c. Quarta eſt, quòd ſit *bonum quo habito completo benè eſt habenti*, &c. Hæc vltima acceptio in vtraque deſcriptione eſt magis ſpecifica; nam priores magis exprimunt ſtatum beatitudinis quoad omnia concomitantia, quàm eius ſpecificam rationem. Hinc Philoſophus 1. *Eth. cap. 4. & 7.* dicit beatitudinem ſummum bonum hominis; & *Videtur ex diuiniſſimis rebus*, inquit, *felicitas eſſe, quippe cùm præmium virtutis, & finis, optimum quoddam, ac diuinum beatitudo eſſe videatur: ſi ergo aliquid aliud eſt à Diis conceſſum hominibus, veriſimile eſt à Diis felicitatẽ quoq; hominibus exhiberi, ac tantò magis quòd ipſa omnium humanarum rerum optima eſt*, &c. Hinc in Scripturis nomine regni cælorũ, & vitæ æternæ *Matth. 25.* deſcribitur, & appellatione gloriæ *Luc. 23.* Per oppoſitum beatitudinis deſcribit Doctor completam miſeriam, quòd ſit *indigentia firmata, & carentia beatitudinis, ſeu perfectionis ſecundæ, diminutio boni ſecundi, eiúſque excluſio, quod per ſe amaretur ſi haberetur, tandem miſero completè eſt malè*, &c.

Auguſt. Boetius. Cicero. Nyſſenus. D.Thom. Auguſt. 3. Deſcript. ſpecifica. Philoſoph. Deſcriptio miſeriæ.

52 *Deſcriptio premiſſa reſpicit actum ſecundũ pro quo ſupponit.*

c *Licèt autem ſufficientia*, &c. Præmiſſam communem acceptionem beatitudinis iuxta ſententiam tam Philoſophorum, quàm Theologorum, oſtendit propriè tantùm verificari de perfectione

ne secunda,& non prima creaturæ beatificabilis: quia sufficientia,perfectio,& bonitas, licèt etiam suo modo ad primam perfectionem,& entitatiuam spectare possint,magis propriè ad secundam spectant:quia sufficientia est alicui talis, & supponens illud, cuius respectu dicitur sufficientia, aut sufficiens, quatenus fit in actu completo: completio etiam complet illud, quod præcessit in *esse* completo, quia est integritas rei addita. Perfectum excludit absentiam defectus, qui aliàs natus esset inesse: benè etiam conuenit rei præexistenti per aliquid superadditum, sicut & eius contrarium.

53 *Diuisio beatudinis.* Diuidit mox beatitudinem in eam, quæ simpliciter beatitudo dicitur, & est coniunctio ad finem vltimum perfecta, & vltimata;& in beatitudinem, quæ est coniunctio ad aliquid perfectiuum voluntatis,licèt non summè, quæ beatitudo intantùm excedit aliam eiusdem ordinis, inquantùm coniungit perfectiori. Hæc diuisio beatitudinis est obiectiua,vel ipsius formalis, vt coniunctæ obiectiuæ. *Alia diuisio in formalem, & fundamentalem.* Alio modo diuidit beatitudinem formaliter, & fundamentaliter, ita vt formalis sit ipsa tendentia & attingentia obiecti, & quædam relatio vnitiua potentiæ ad obiectum beatificum, vel fundamentaliter pro ipsa operatione. *Diuisio in formalem & obiectiuam.* Diuiditur prætereà beatitudo in formalē, & obiectiuam, non tanquam in diuersas partes subiectiuas beatitudinis, quarum quælibet seorsim esset beatitudo: sed tanquam integrantes completam rationem essentialem beatitudinis; appellatio tamen beatitudinis vtrique tribuitur: nam de obiectiua dicitur Ioan. 11. *Ego sum resurrectio, & vita.* Et primæ Ioannis primo. *Annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.* Et cap. 5. *Hic est verus Deus, & vita æterna,*&c. August.lib. 19.de Ciuitat.cap. 26. *August.* *Vita beata hominis Deus est*, &c. Dicitur etiam beatitudo formalis vita æterna, Ioan. 17. *Hæc est vita æterna vt cognoscant Deum verum*, &c. Proprietas appellationis ex eo sumitur, quòd vtraque in suo genere est summum bonum, & finis, quamuis simul sumpta completam rationem beatitudinis complectantur. *Diuisio in naturalē & supernaturalem.* Alia est diuisio beatitudinis in naturalem, & supernaturalem, de qua Theologi inter se controuertuntur, quibusdam negantibus beatitudinis naturalis speciem, aliis asserentibus eam esse possibilem. quid autem in hoc senserit Doctor explicabitur,si occasio recurrat in sequentibus,interim videatur *q. 3. prologi.*

SCHOLIVM.

Respondet ad quæstionem primam huius dist. Beatitudinem consistere in operatione formaliter; si teneas eam esse rationem coniunctionis cum obiecto beante; vel fundamentaliter, si ponas eam esse relationem resultantem ex illa ratione coniungente, soluit argumenta illius quæst. per variam,& optimam doctrinam, omnia sunt clara.

27 d AD quæstionem ergo dico quòd beatitudo cōsistit in operatione; vel essentialiter, si *beatitudo* accipiatur pro perfectione, quæ est ratio coniunctionis ad obiectum beatificum: vel proximè fundamentaliter, si *beatitudo* accipiatur pro ipsa coniunctione; ita quòd excepta relatione ad obiectum beatificum, vltimata perfectio intrinseca beati,& proxima obiecto beatifico, est operatio. *In quo consistat beatitudo.*

Hoc probatur,quia nulla perfectio intrinseca beati est beatitudo, nisi pro quanto immediatè coniungit perfectiuo extrinseco, quod est obiectum beatificum: sed excepta relatione, immediatissimum coniungens est operatio: ergo, &c. Maior patet ex primo articulo,quia non potest alicui esse completè & vltimatè benè, nisi habendo illud,quod est summè volēdum:illud est *quasi* perfectiuum extrinsecum, vel quasi extrinsecum; *quasi* dico,pro Deo, vbi obiectum beatificum,est idem cum ipso beato: non autem habetur perfectissimè illud summè volendum,nisi immediatè coniungatur illi:beatum esse est summè sibi benè esse,ex secundo articulo: ergo nullius beatitudo consistit in aliquo, nisi quo perfectiùs, & immediatiùs coniungitur illi summè volendo. Minor probatur, quia nec essentia,nec potentia coniungitur illi extrinseco perfectiuo, nisi per operationem, quæ talis perfectio intrinseca est:quod tamen non sistit in se, & ad se, sed per se tendit in obiectum etiam immediatè excludendo quamcunque formam absolutam mediam. *Beatitudinem consistere in operatione.*

28 e Ad Argumenta. Ad primum dico quòd illa non est definitio beati,sed descriptio, & verior,cæteris improbatis: quia est pernecessaria concomitantia beatum, non sic aliæ descriptiones improbatæ ab Augustino: non ergo potest inferri abstractum de abstracto,si concretum de concreto: quia talis consequentia non tenet,nisi quando in antecedente est prædicatio concreti de concreto per se primo modo. *Ad arg. 1. qu. primæ superioris.*

f Potest dici aliter,quòd *quidquid vult*, non accipitur ibi diuisiuè pro volitis formaliter: sed pro aliquo vno,in quo sunt vnitiuè omnia rectè volita: vt sit sensus,beatus est,qui habet perfectè secundùm modū sibi possibilem, aliquod obiectum propter se volendū: in quo habet vnitiuè,& eminenter quidquid potest rectè velle:&illo intellectu concluditur propositum,quia per operationem habet hoc modo quidquid vult. *Quomodo dicitur beatus qui habet quidquid vult.*

g Ad auctoritatem Boëtij oportet exponere. Vel quòd hoc nomen *beatitudo*, est

æquiuocum, vel ad perfectionem finalem, seu completiuam extensiuè, siue intensiuè acceptam. & ista est descriptio beatitudinis acceptæ secundùm totalitatem extensiuam. Vel oportet dicere, si accipiatur pro totalitate intensiua, quòd est status perfectus aggregatione omnium bonorum in vno bono eminenter, & vnitiuè continente, vel si in illo non est aggregatio propter simplicitatem, tunc tertio modo aggregatiuè debet intelligi, tanquam præcedens, vel concomitans illum statum perfectum, non autem de eius essentia.

Ad 2.

h Ad secundum patet ex distinctione posita in secundo articulo, quòd nomen *beatitudinis* potest accipi pro relatione coniunctionis, vel pro fundamento proximo illius coniunctionis. Et ad confirmationem, concedo quòd quæcunque forma, siue perfectio secunda in creatura, quæ tamen est perfectio absoluta, absque contradictione, potest esse sine relatione coniunctionis ad obiectum beatificum. 29

Beatitudo essentialiter dicit respectum, & absolutũ, vel secundum necessariò connotat.

Si tamen hîc ponatur talis ratio beatitudinis intrinsecæ, quòd non posset esse sine coniunctione ad obiectum; sequitur quòd beatitudo, vel sit relatio, vel includat absolutum, & relationem. Si enim beatum esse quiditatiuè, est sic habere obiectum beatificum, ergo beatitudo est talis habitio: talis autem habitio illius obiecti, vel includit simul absolutum, & respectum, vel essentialiter dicit respectum, & necessariò connotat absolutum: quia si essentialiter diceret absolutum, non necessariò connotaret respectum, qui est posterior absoluto.

Ad 3.

i Ad tertium dicetur inferiùs in quæstione de securitate.

Ad 4. Beatitudo non est actio, sed qualitas.

k Ad quartum, concedo quòd beatitudo non consistit in actione de genere Actionis, quia illa non est simpliciter perfectio agentis, vt operatur, operatio autem non est actio talis, sed actio æquiuocè accepta, vt dictum est *lib. 1. dist. 3. quæst. vlt.* Ad confirmationem primam, patet per idem, quia mutatio illa de non beato ad beatum, non est de non agente ad agentem: sed de non operante ad operantem.

Gotf. quodl. 11. q. 14. & D. Thom. præsenti dist. art. 1. quæst. 2.

l Ad secundam confirmationem, dicit quidam quòd in actu duo sunt, scilicet substantia actus, & forma, à qua habet perfectionem ipsius secundùm substantiam. Principium est natura, vel potentia: sed secundùm formam principium eius, est habitus. Si ergo ille sit acquisitus, totaliter nostri actus causa erimus, si autẽ infusus, perfectio erit à causa exteriori, quæ causat habitũ: actus autẽ noster non ponitur beatitudo, nisi ratione suæ perfectionis, ideò nos non sumus nostræ beatitudinis causa, sed Deus. 30

De hoc 1. d. 17. q. 2. latè. Reiicitur Gotfred.

Contra hoc, prius essentialiter non potest dependere ab aliqua causa, à qua non dependeat posterius essentialiter; actus est prior essentialiter sua forma, alioquin illa forma non præëxigeret actum ad sui *esse*: ergo si sumus causa substantiæ, dependebit illa forma à nobis; & non nisi in aliquo genere causæ, quia nihil videtur dependere essentialiter ab eo, quod non est aliqua causa eius, loquendo de actu primo quocumque. Prætereà, illa forma non est, nisi aliqua conditio ipsius actus: potentia autem, quæ elicit actum, non elicit ipsum nudum, sed cum tali, vel tali conditione, seu circunstantia: ergo est causa non tantùm substantiæ actus, sed etiam illius formæ actus.

Habitus nõ habet effectũ distinctum à potentia.

Prætereà, quòd habitus sit causa distincta, à potentia, & alicuius distincti à potentia, non videtur probabile: tum quia non est nisi causa secunda respectu potentiæ: causa autem secunda, & prima non habent distinctos effectus sibi proprios, quia tunc respectu neutrius esset hæc prima, & illa secunda; tum quia iste effectus proprius habitui esset necessariò forma absoluta, si relatio non est per se terminus agentis, vel actionis: non est autem probabile esse actionem formatam, hoc modo, quia tunc oporteret actionem attingentem obiectum beatificum includere duo absoluta. Est ergo alia responsio, quòd beatus est causa actiua respectu beatitudinis suæ quantùm ad illud absolutum, quod est in beatitudine: & hoc si voluntas sit causa actiua suæ volitionis beatificæ: de quo *inferiùs distinct. præsenti quæst. 11.*

Beatus est causa actiua beatitudinis.

Actus beatificus perfectior habitu suo.

m Ad quintum, concedo quòd actus ille est simpliciter perfectior habitu, etiam in ratione perfectionis finalis; quia immediatiùs attingens obiectum finale: & in ratione etiam perfectionis formalis, quia tanta perfectio non posset competere habitui tali in summo, quanta actui tali in summo. 31

Ad Philosophum ergo 3. *Topicor.* dico vno modo, quòd intelligenda est illa consideratio cæteris paribus: vnde ipse vult in principio libri, quòd non considerat in multùm distantibus, id est, in habentibus multas differentias: sed in his, quæ solam illam differentiam habent, ad quæ considerat, de quibus vniuersaliter considerationes suæ tenent: & tunc minor est falsa, habitus, & actus in hoc solo distinguuntur, scilicet per permanentius, vel diuturnius, & minùs diuturnum.

Est & alia responsio in proposito, quòd actus ille est æquè diuturnus cum habitu, & ex parte potentiæ,& ex parte obiecti,& ex parte naturæ huius, & illius. Ad secundam probationem patet alibi *lib.* 1. *dist.* 17. de charitate, quòd habitus non est causa actus, nisi partialis: non est autem inconueniens causam partialem æquiuocam esse minùs nobilem suo effectu,& maximè de partiali secundaria,licèt causa totalis æquiuoca,vel partialis principalis sit nobilior suo effectu.

quæst. 2. Habitum efficere actum.

Causa æquiuoca partialis non est perfectior effectu.

n Breuiter, sic beato est simpliciter perfectè benè: nulli est sic benè, nisi in simpliciter perfecto bono perfectè habito, vt est sibi possibile: nulli alij ab illo potest sic esse benè in illo,nisi immediatè attingendo illud; illud non potest attingere, nisi per operationem: ergo in ista attingentia immediata illius boni, seu in coniunctione immediata ad illud bonum consistit beatitudo completiuè. In ipsa autem operatione tanquàm in proximo fundamento.

32 Prima propositio patet,quia beatitudo est perfectio rei secunda, non prima: quia res perfectior secundùm perfectionem primam, & sola illa potest esse miserior aliis: perfectio autem secunda propriè exprimitur per hoc, quod est *benè esse*: nam *benè esse* præsupponit bonitatem primam alicuius,cui benè sit. Vltrà in perfectionibus secundis est ordo,sicut & in primis:quia correspondentia istarum ad illas, & iterum in perfectionibus secundis cuiuscunque eiusdem,est ordo,ita quòd aliqua est vltima, citra quam ipsum est imperfectum priuatiuè,quia natum recipere vlteriorem; sed vltima sui habita,si non est simpliciter vltima,remanet imperfectum negatiuè, quia carens perfectione,licèt non nata recipi in ipso. Ad excludendum perfectionem secundam eiusdem,additur *perfectè* ad *benè*:ad excludendum autem vlteriorem perfectionem secundam simpliciter saltem in genere, additur ad *perfectè benè*, simpliciter, ita quòd beatitudo dicit perfectionem secundam excludentem imperfectionem, & priuatiuam,& negatiuam tanquàm perfectio secunda suprema, saltem in genere.

Beatitudo excludit imperfectionem, priuatiuè, & negatiuè.

Secunda propositio patet, quia illud quod potest habere illud bonum, si non habet, non est sibi perfectè benè;sed imperfectè priuatiuè:si autem non potest habere: ergo non est sibi perfectè benè, sed imperfectè negatiuè. Tertia probatur ex tribus conclusionibus primi articuli, quia tota natura intellectualis nata est sic habere illud bonum,& imperfecta est,nisi sic habeat: natura autem non intellectualis tanquàm inferior:si non est nata sic habere illud; ergo remanet imperfecta, non priuatiuè, sed negatiuè, hoc est ex imperfectione naturæ. Quarta propositio probatur, quia nulla perfectio secunda est in natura intellectuali, per quam immediatiùs attingatur bonum perfectum,quàm per operationem,quæ secundùm se videtur esse non sui gratia, sed gratia obiecti: perfectio autem prima non attingit, nisi mediante perfectione secunda.

Natura intellectualis priuatiuè imperfecta est, nisi habeat supremum volibile modo sibi possibili.

COMMENTARIVS.

54 *Quæstionis resolutio.*

d AD *quæstionem ergo dico*, &c. Hæc est resolutio huius quæstionis,in qua docet beatitudinem consistere in operatione, vt attingit obiectum beatificum, est contra Henricum,cuius sententia superiori quæstione resoluta, est impugnata. Est etiam ex parte contra B. Bonauenturam, qui in hac *distinctione art.* 1 .*quæst.* 1. *& 4.* docet consistere in habitu deificante animam, ita tamen, vt sit coniuncta operatio, licèt in habitu principaliùs consistat. Conclusio tamen posita est communis Theologorum.D.Thomæ.1. 2.q.3. *art.* 2. vbi omnes eius interpretes, & *in hac dist. quæst.* 1 .*art.* 2.*quæst.*2.*& quæst.*4.Magistri *in hac dist.* vbi Richard.*art.*1.*quæst.*4.Capreol.*quæst.* 1. *art.* 1. *concl.*1.Gabriel.supplementum *quæst.*2. Hispalensis *quæst.* 1. *art.* 1. & reliqui omnes. Fuit etiam sententia veterum Philosophorum, vt colligere licet ex Arist. 10. *Eth.cap.* 8. quam ipse docuit vbique, vt *loco citato*, & 12. *Met. cap.* 7. *& lib.* 2. *magnorum Moralium cap.* 15. Auerrois 12. *Met.cap.*17.

Beatitudo consistit in operatione.

Sententia D. Bonau.

55 *Probatio conclusionis ab authoritate.*

Probatur conclusio ex Scripturis, in quibus vel affirmatur, vel insinuatur consistere in operatione. Ioannis 17. *hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum*, &c. Hunc locum explicant plures Patres de cognitione patriæ per veram visionem. August. *de spiritu, & litera cap.* 33.& 1.*de Trinit.cap.*8.Cyrillus *lib.*3.*aduersus Iulianum.* Bernardus *serm.* 4. *in festiuitate omnium Sanctorum.* Item ibi, *Pater,quos dedisti mihi volo, vt vbi ego sum, & illi sint mecum,vt videant claritatem meam,quam dedisti mihi*,&c. Quem locum de claritate diuinitatis explicat Chrysostom. *ibidem.* Theod. Mopsuestensis, Ambros. *lib. de fide cap.* 3. August.*tract.*3.*in Ioannem.*Item,Ioannis 14.*Si quis diligit me, manifestabo ei meipsum. Domine ostende nobis Patrem,& sufficit nobis*,&c.*Beati mundo corde, quoniã ipsi Deũ videbunt*,&c.1.ad Cor.13.*Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*, & 2. ad Cor.5. *Dum sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino, per fidem enim ambulamus. & non per speciem*, &c. Id est, claram visionem. quamuis aliqua loca ex his possint interpretari, vt *infrà* dicetur, vel de cognitione per fidem,vel de visione,vt est causa fruitionis, in qua consistit beatitudo, nihilominùs præmium promissum in Scriptura satis insinuatur consistere in operatione. Eadem loca in specie percurrenda sunt *infrà*, quando agetur *in sequentibus* de ratione formali beatitudinis.

Extrauagans Bened. XII. beatitudinis. Deinde, eandem conclusionem insinuat Benedictus XII. *in definitione de beatitudine animarum*; vbi dicit in visione & fruitione Dei eas beari, *Nec non*, inquit, *ex tali fruitione, & visione eorum animæ sunt beatæ.* Quibus verbis saltē communis sensus insinuatur, quo vita beata in operatione consistere intelligatur. Patres etiam communiter vitam beatam per visionem, fruitionem, gaudium, exultationem, pacem, explicant, quæ ad actum secundum spectant.

56 *Probatio à ratione.* Probat Doctor conclusionem ex dictis, quia perfectio Beati est ex coniunctione sui ad obiectum beatificum; hoc fit per solam operationem, non verò per essentiam, aut potentiam, aut aliquid aliud ad ipsas spectans: ergo consistit hic effectus in sola operatione, & consequenter in ea est beatitudo formalis, vt coniungit obiecto. Maior patet ex iis, quæ tradita sunt de acceptione beatitudinis, vt sit completa, perfecta, & vltima perfectio hominis, & creaturæ spiritualis: vltima autem perfectio consistit in actu secundo, vt coniungit beatitudini obiectiuæ: ergo &c. Hæc summa probationis, quæ in superioribus longiùs deducta est, & reliquæ probationes à ratione huius conclusionis ad hanc reducuntur. *Responsio.* Dices ergo beatitudinem quidem esse vltimam perfectionem hominis, non tamen in sola operatione, sed in deificatione animæ primariò consistere, per quam anima assimilatur Deo; hinc aliqui dicunt præmissam rationem probabilem tantùm esse, non necessariam, nisi addatur confirmatio, qua probetur beatitudinem esse in actu vitali, quem aliqui negant à solo Deo produci posse; vel si produci possit, non ita de facto produci. *Quorundam ratio inefficax.* Quia ergo beatitudo est vita quædam nostra, non substantialis, sed accidentalis, necessariò statuenda est in actu, vt procedit à vita. Sed hæc confirmatio perinde facit ad propositum, sicut statuere beatitudinem nostram in actu secundo: quia beatitudo non ideò coniungit obiecto beatifico: quia procedit effectiuè à principio vitæ, sed quia ex natura operationis, vt recipitur in potentia, coniungit tali obiecto, in quo consistit beatitudo obiectiua: si autem non procederet etiam à vita effectiuè, non destrueretur ordo idem ad obiectum, vt si à solo Deus produceretur: ergo quòd *Beatitudo nō quà efficitur à potentia, coniungit obiecto beatifico.* sit actus vitalis illo modo, nihil facit ad naturam beatitudinis, aut effectus eius formalis, qui competit ei, quà talis forma est; quia sub illa ratione præcisa effectus, id est, vt efficitur, non habet rationem formæ constituentis: sed à ratione sua formali, à quacumque causa producatur: ergo illa ratio assignata est ipsi extranea inquantùm constituit beatum attingendo obiectum beatificum, nisi ipsa sit vltima forma, inquantùm præcisè attingit obiectum: nam procedere à potentia vitali est ipsi commune, & omni alteri actui vitali: ergo non ex hoc desumenda est eius differentia ab omni alia operatione; sed per ordinem ad obiectum: quæ ratio videtur mihi clara, & probans. Henricus autem, & D. Bonauentura dicerent dari aliam attingentiam Deitatis perfectiorem, quàm sit operationis ad obiectum, vel obiecti per operationem, in qua primariò statuunt beatitudinem ipsam, tanquàm in perfectiori, ideóque admitterent beatitudinem esse vltimam perfectionem hominis, & completam, licèt in deificatione ponatur primariò, quæ est perfectissima Dei communicatio respectu naturæ intellectualis, vt ipsi dicunt, & in qua consistit beatitudo: oportet ergo primùm probare eam consistere in actu vitali, non ex vitalitate actus, vt iam probatum est: ergo tantùm quatenus probatur beatitudinem non consistere in actu primo, sed in actu secundo, & vltimo secundùm finem, & perfectionem.

Non consistere autem beatitudinem in actu primo *suprà* probatum est per decursum quæstionis, & in resolutione secundæ quæstionis in ordine; quia neque in illapsu, neque in vnione aliqua substantiali, qua Deitas esset forma naturæ creatæ; neque in aliqua similitudine naturali, per quam assimilaretur Deo in *esse*, quà Deus est: quia forma nulla accidentalis hunc effectum tribuere potest, saltem perfectiùs, quàm gratia sanctificans illum tribuit: & pro vnica ratione sufficit, nulla authoritate, aut ratione adstrui posse; ac proinde opinionem oppositam esse inopinabilem; quia nullum pro se adducit fundamentum: restat ergo vt in operatione constituatur beatitudo, qua nihil est perfectius spectans ad actum secundum. 57 *Non consistit in actu primo.*

Si dicatur cum Henrico quòd prior est actus secundus ordine generationis: tamen non in eo sistit beatitudo, sed in deificatione consequente. 58 *Responsio.* Contrà, vel Deus deificat naturam mediante actu secundo, vt per ipsum attingitur per modum obiecti, & finis, & vt hæc ex natura rei requiratur tanquàm dispositio præuia, vel certè ex diuina tantùm ordinatione. *Impugnatio.* Non primum, quia vel illam deificationem præstaret per modum obiecti, & finis, vt obiectum est, vel per modum causæ efficientis, supposita motione per modum obiecti. Si primum, habetur intentum, quia Deus per modum obiecti nequit attingere essentiam, vt distinguitur à potentia, sicut per se notum est; quia si obiectum sic posset attingi ab essentia immediatè, frustrà poneretur potentia tanquam ab essentia diuersa, vt attingat obiectum, cùm essentiæ hoc per se conueniret. *Essentia immediatè nequit attingere obiectū.* Si dicas obiectum alio modo attingi per essentiam; alio verò per potentiam. *Responsio.* Contrà, ergo immediatè Deus per modum obiecti posset mouere essentiam, & non mediante operatione potentiæ. *Impugnatur.* Probatur consequentia, quia nequit sub alia ratione formali obiecti, nisi sub ratione propria Deitatis, in quantùm est finis beatificus: sub eadem etiam attingit potentiam: ergo etiam immediatè potest attingere essentiam, si vera est responsio. Probatur consequentia: quia essentia immediatè subiicitur Deo, quantùm ad omne illud, cuius primò & per se est capax, quantùm est ex parte subiecti, quia in hoc non dependet ab aliquo posteriori, neque consequenter à potentia: quia neque est subiectum *quo*, neque *quod* respectu eius. Ex alia parte, nulla est subordinatio necessaria ex parte obiecti mouentis, maximè sub eadem ratione formali tam essentiam non impeditam ad actum, quàm potentiam: ergo non priùs moueret potentiam, quàm essentiam: imò ordine connaturali priùs deberet mouere essentiam, vel certè æquè primò, ex intentione dandi vltimam perfectionem, secluso impedimento ex parte passi, & subordinatione in agendo ex parte agentis, quæ in proposito nequeunt interuenire. *Subiectum capax non impeditum subiicitur Deo immediatè.* Quòd si diceretur etiam agere sub diuersa ratione formali, idem sequitur, quia ex parte Dei agentis liberè nullus est ordo, quin omnem effectum agat, sine omni eo, à quo non dependet effectus; in proposito non inuenitur talis dependentia: ergo &c.

Si dicas illam beatitudinem in potentia esse dispositionem ad deificationem essentiæ: quia amor 59 *Responsio.*

Impugnatio. Beatitudo potentiæ non est dispositio ad beatitudinem essentiæ. amor est transformatiuus. Contrà, hoc *suprà* impugnatum est. Prætereà, amor non est transformatiuus essentiæ in obiectum, aliter, quàm ipse transit in obiectum, & transformat subiectum proximum in obiectum; quia eatenus præcisè transformat, quatenus vnit obiecto per modum obiecti, & non causando alium effectum diuersum, & perfectiorem se in essentia: hoc enim nequit, sicut neque vlla causa: nequit etiam vnire perfectiùs obiectum beatificum essentiæ, quàm vniat potentiæ: omnem enim effectum, quem habet in ratione formæ, tribuit subiecto suo immediato; quod tamen aliter nequit deificare, quàm amando, & adhærendo, vel coniungendo obiectum. Deinde sequeretur quòd amor ipse immediatè, & sua virtute deificaret, & non Deus aliter, quàm per modum obiecti: sicut ergo per modum obiecti primò, & principaliùs comparatur ad potentiam, quàm ad essentiam; ita etiam principaliùs deificaret potentiam.

Quomodo amor transformet.

Inconueniēs.

60 *Responsio. Impugnatur.* Quòd si dicatur hanc subordinationem esse ex mera Dei voluntate, petitur ratio ex aliqua Dei prouidentia reuelata, aut cognita ex natura rei; nequit alterutro modo horum assignari: quia quando est creatura in termino, habens debitum ex meritis respectu beatitudinis, videtur collatio præmij ex natura rei secundùm modum iustitiæ, sequi ordinem debiti: sed debitum priùs respicit beatitudinem principalem; quàm accessoriam: ergo illa priùs debet conferri.

Alterū membrum disiuncti principalis. Deificatio effectiua reiicitur. Si alterum membrum disiuncti principalis asseratur, nempe Deum deificare animam solùm efficienter; hoc etiam impugnatur, *suprà in hac, & altera quæstione:* quia sic neque deificatio consisteret in communicatione immediata Deitatis per modum formæ, & sub ratione propriæ: sed in aliquo creato, per quod illaberetur essentiæ virtute, & non formaliter; per potentiam autem perfectiùs attingeretur, per modum scilicet obiecti formalis in reipsa, & sic beatitudo principaliùs conuenit potentiæ, vt attingitur Deus; & quia Deus sub ratione finis est beatificans, & non sub ratione efficientis, potissimùm vt sumitur vt finis specialis creaturæ intellectualis. Circa hæc videantur plura, quæ præmissa sunt *in quæstione secunda.*

61 *Sententia D. Bonau. Impugnatur.* Hæc eadem ratio est contra sententiam D. Bonauenturæ: quia & habitus vulgariter ponuntur in potentiis, & habitus ille deificans, detur etiam in essentia, quæritur quomodo, aut qua ratione deificat? an sub ratione formæ, an sub ratione habitus? Si primum; sequuntur eadem, quæ explicata sunt contra Henricum. Si secundum dicatur: ergo habitus intantùm beatificat sub ratione habitus, inquantùm inclinat, aut tendit in obiectum: sed neque sic potest deificare essentiam: quia hæc nequit tendere in obiectum, neque consequenter habitus natus est inclinare essentiam in obiectum, aut ipsum vnire essentiæ, quà habitus est. Deinde, perfectiùs vnit actus obiecto, quàm habitus, & habitus dantur in ordine ad actus: ergo habitus in ratione habitus, & vt tendit in obiectum, nequit esse beatitudo: quia sic non attingit obiectum nisi remotè, & mediante actu. Distinguenda enim est in habitu ratio formæ, & ratio habitus: quia ratio formæ præscindit ab ordine ad aliud, præter quàm ad subiectum; habitus autem respicit aliud vt obiectum, & actum. Sic etiam plures admittunt aliquos habitus virtutum in patria, non in ratione habitus,

Deificatio per habitum. Reiicitur.

Vnio per habitum.

Actus perfectior est vnio.

sed formæ, & perfectionis absolutæ. Vltimò tandem probatur conclusio à sufficienti partium enumeratione: quia omnes proprietates, & perfectiones, quæ vel Scriptura exprimit, vel ratio suadet conuenire beatitudini, rectè quadrant in operationem, & ea quæ consequuntur, vt est delectatio, & eiusmodi: ergo nihil vltrà est statuendum, quod sit beatitudo. Deinde, beatitudo inchoata viæ in operatione consistit, & non in aliqua deificatione, quæ dicatur beatitudo: ergo etiam in patria idem dicendum est. *Vltima probatio. Quæ spectant ad beatitudinem, conueniunt actui.*

62 [e] *Ad argumenta. Ad primum, &c.* Hoc fuit ex authoritate Augustini 13. *de Trinit. cap.* 5. vbi reprobatis aliis definitionibus Philosophorum, dicit *beatum esse non posse nisi eum, qui habet omnia, quæ vult, & nihil mali vult*, &c. Ergo beatitudo consistit in habendo omnia benè volita; sed non solam operationem quis benè vult: ergo non in ea sola consistit beatitudo. Confirmatur ex definitione Boëtij de consolatione prosa secunda: *Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus*, &c. Ergo non in sola operatione consistit, &c. *Ad arg. Ad primum. Confir.*

Respondet Doctor, quòd illa descriptio est per concomitantia beatitudinem, non autem definitio, licèt ipsa sit verior quàm sint aliæ descriptiones reprobatæ ab Augustino, in quibus non solùm comprehenditur possessio bonorum, sed etiam tolerantia malorum, quæ nobis nolentibus accidunt: quia mala nequeunt ad beatitudinem spectare, quæ in nostra potestate non sunt, & nobis nolentibus accidunt: & negatur consequentia: quia *abstractum*, inquit, *de abstracto non sequitur, quamuis concretum de concreto:* Non valet ergo ista consequentia, *beatum habere omnia volita benè: ergo beatitudo formalis est omnia volita benè*: beatitudo enim formalis est possessio omnium eorum, quæ benè vult, quæ possessio ex parte beati non consistit in ipsis volitis abstractim sumptis, sed vt habentur, & possidentur: hæc possessio eorum fit per ipsam beatitudinem, quæ consistit in operatione: illa autem regula logicalis, quam adducit Doctor, nempe abstracti de abstracto non fieri prædicationem, nisi concreta dicantur in primo modo dicendi per se, &c. Tractatur *in* 1. *d.* 5. *quæst.* 1. quem *ibidem* consule sicut & Formalistas, qui in hoc frequentes sunt. Intelligitur præmissa regula in concretis accidentalibus, vt album est coloratum, sequitur; ergo albedo est color. *Responsio. Definitio beatitudinis explicatur. Beatitudo est possessio boni.*

63 [f] *Potest dici aliter*, &c. Respondet secundò illam descriptionem Augustini ad beatitudinem strictè sumptam, & in seipsa, non verò in concomitantibus referendam; vt si accipiatur illud *quidquid vult* non diuisiuè pro omnibus volitis, sed æquiualenter, & cumulatiuè pro aliquo obiecto vno, in quo sunt vnitiuè omnia rectè volita, vt sit sensus: *Beatus est, qui habet perfectè* secundùm modum possibile sibi aliquod obiectū propter se volendum, in quo habet vnitiuè, & eminenter quidquid potest rectè velle; & hoc modo intellectâ descriptione sequitur in operatione consistere possessionem talis boni. Breuiùs dici potest, sumendo descriptionem in ordine ad finem vniuersalem, & particularem, in consequentia illa esse fallaciam æquiuocationis à beatitudine obiectiua ad beatitudinem formalem, quia possessio obiecti, seu finis beatifici vniuersim consistit in operatione, licèt non ipse finis, qui est obiectum, & terminus operationis, non sequitur proinde, *2. Responsio. Accommodatur descriptio ad beatitudinē per se sumptam. 3. Responsio.*

proinde, beatitudo obiectiua consistit in rectè volito: ergo formalis beatitudo non consistit in operatione.

Explicatur Boëtius. g *Ad authoritatem Boëtij.* Vel intelligitur sumere beatitudinẽ æquiuocè modo dicto intensiuè,& extensiuè etiam cõprehendendo omnia,quę ad illum statum concomitanter antecedenter, & consequenter, atque etiam essentialiter spectant, Vel potest intelligi, sicut August. pro totalitate intensionis, & eminentiæ,ratione obiecti essentialis. Vel tertiò pro præcedentibus, & concomitantibus,in quibus non consistit ipsa essentialis beatitudo.

64 *Ad secundum.* h *Ad secundum patet, &c.* Secundum est,quòd beatitudo consistit in coniunctione ad obiectum beatificum: illa coniunctio est relatio, operatio verò aliquid absolutum: ergo beatitudo in relatione consistit. *Confirm.* Confirmatur, quia operatio, & omne absolutum potest consistere sine relatione posteriori: ergo operatio potest manere sine relatione: sed sine ea non est beatitudo, aliàs esset beatitudo, sine eo quòd attingeret obiectum beatificum: ergo beatitudo non consistit in operatione. *Responsio.* Respondet ex distinctione posita in secundo articulo suprà in vltima diuisione beatitudinis, vel quà sumitur formaliter pro ipsa relatione coniunctionis, vel vt connotat operationem, quæ est fundamentum talis relationis: *Ad beatitudinem requiri relationem cum operatione absoluta.* & ad confirmationem concedit quòd operatio quoad absolutum potest manere sine relatione: tamen si ratio beatitudinis consistit in attingentia actuali obiecti beatifici, & non aliter, sequitur quòd beatitudo vel includit absolutum, & respectiuum, vel dicit formaliter respectum connotando absolutum: quia si diceret absolutum,quà tale, non necessariò includeret respectum.

Ex hac responsione aliqui attribuunt Doctori illam sententiam, pro qua citatur Aureolus *apud Capreolum in hac dist.quæst.1. art. 2. contra primam,* quasi asseruerit beatitudinem consistere formaliter in relatione, & non in operatione, quà forma absoluta est: *Opinio quæ Doctori ascribitur.* quam sententiam quibusdam etiam nostræ scholæ placuisse vidi, non quòd relatio possit esse sine suo fundamento, vt operatione, sed quia beatitudo dicit formaliter coniunctionem cum obiecto beatifico, & hæc vnio seu coniunctio magis importat de formali relationem, quàm absolutum, sicut omnis vnio, ideò affirmatur primariò, & formaliter consistere in relatione; connotando tamen absolutum, omnes admittunt in proposito præter absolutum aliquem respectum. Differentia est quòd aliqui respectum constituunt eundem realiter operationi, cuius oppositum hîc docet Doctor.

65 Hanc difficultatem tangit Doctor *in quodl.q.13. conclusione prima*, vbi probat operationem consistere in absoluto,non in relatione,*& ar. 2. §. Ista autem distinctio duarum relationum,* &c. dicit operationem fundare duas relationes: alteram mensurabilis ad mensuram, quæ est prædicamentalis in tertio modo. Alteram attingentiæ,seu vnionis ad obiectum, quæ est relatio extrinseca adueniens;& §.*Nunc tertiò,*resoluit beatitudinem primariò consistere in operatione,quamuis necessariò requirat relationem, vt attingat obiectum; *Beatitudo in recto consistit in operatione.* quæ relatio est concomitans,& conditio requisita ad illum effectum:nam sicut perfectio vltimata potentiæ nequit statui in relatione, sed in ipsa qualitate,idem dici potest à fortiori de perfectissima eius operatione, quæ est beatitudo; habet autem operatio duplicem effectum subordinatum;vnum formalem in *esse* formæ absolutæ, & *Duplex effectus operationis.* ad suum effectum requirit relationem inhærentiæ ad subiectum tanquam conditionem;licèt effectus formalis sequens non sit per ipsam relationem, sed per formam: v. g. albedo constituit album formaliter;quæ denominatio est absoluta, inhærentia verò inhærentem, quæ est denominatio relatiua,ita absolutum operationis constituit supposita inhærentia,vt conditione, potentiam in genere qualitatis talis,qui effectus est innominatus, quia appellatio sumitur in operatione respectiuè ad obiectum, quod vnit potentiæ: & hic est secundus effectus operationis,nam ipsa est,quæ exprimit obiectum, si est cognitiua, si appetitiua, trahit potentiam in obiectum vt ei *Acquiritur relatio attingentiæ in operatione.* adhæreat,ad quem effectum requirit etiam relationem illam attingentiæ,tanquam conditionem per se necessariam: quia absolutum inquantùm absolutum non respicit aliud nisi per relationem, & operatio non magis nata est vnire obiectum potentiæ extrinsecè, quàm seipsam intrinsecè; sicut ergo ad hoc requiritur inhærentia; ita ad illud attingentia tanquam conditio:operatio autem quantùm ad absolutum, est quæ vnit obiectum potentiæ, aut hanc obiecto, vt visio, & amor: quia si potentia, & obiectum nata essent vniri per solam relationem tanquam totam causam formalem, non videtur necessitas statuendi aliquod ab hac diuersum, & absolutum in potentia,nisi tantùm vt fundetur relatio: sed hoc est inconueniẽs: quia potentia,& obiectum priùs dicunt ordinem ad inuicem, & immediatum,quàm mediatum per operationem: ergo relatio attingentiæ magis esset nata fundari in ipsa potentia immediatè, quàm in operatione, & sic *Vnitur potentia, & obiectum per operationem.* superflueret operatio: dicendum ergo beatitudinem primariò,& essentialiter esse operationem ipsam, dicere autem concomitanter relationem attingentiæ, quæ relatio non exprimit obiectum potentiæ, sed est conditio sine qua non exprimeretur per operationem, ita vt vnio ipsius obiecti ad potentiam, seu huius ad obiectum fiat per ipsam operationem, non per relationem,sicut & intẽsiùs videre,aut amare sunt modi operationis, non relationis. Hanc relationẽ distingui realiter *Relatio attingentia aliquando realiter distinguitur ab obiecto. Est separabilis.* ab operatione dicit, quando hæc est de obiecto præsente, & existẽte;hinc vlteriùs infert eã posse separari ab operatione:v.g. si poneretur,vt aliqui posse existimant,(licèt contrarium sit verius) in subiecto non capaci tendentiæ in obiectum, vt si poneretur in lapide, cui daret effectum formalem qualitatis, non verò operationis, vt denotat tendentiam in obiectum. Deinde, non videtur repugnantia quin Deus possit conseruare operationẽ intuitiuã,destructo,obiecto; quo casu non constitueret potentiam tendentem in obiectum; quamuis ei daret effectum qualitatis: quia tunc obiectum secundùm conditionem per se requisitam desineret,& consequẽter etiam desineret attingentia obiecti. Quòd si Deus in visione beatifica nunc hanc, nunc illam creaturam ostendere potest mediãte ipsa visione,tunc attingentia mutatur manente visione, & non vidente beato, quod aliàs vidit: videatur Doctor loco citato,vbi fusiùs hanc attingentiam explicat: hîc autem responsione ad quartum tenet beatitudinem consistere primariò, loquendo de formali, & intrinseca,

intrinseca, in ipsa operatione, non in alio.

Ad tertium. [i] *Ad tertium*, Quod tangit permanentiam beatitudinis, respondet *infrà quæst. 6.* vbi agit de securitate beatitudinis,& permanentia,licèt consistat in operatione.

66 *Ad quartũ.* [k] *Ad quartum concedo*, &c. Quartum fuit, quòd nihil fiat perfectiùs ex eo, quòd aliquid producat : quia per effectum suum non perficitur, siue vniuocè agat, siue æquiuocè : sed beatitudo est vltima perfectio, operans autem est causa suæ operationis effectiua : ergo beatitudo non erit operatio. Respondet,quòd operatio non sit actio de genere Actionis, sed actio æquiuocè accepta: hoc est dicere, actio immanens, per quam perficitur agens,non qua agit,sed qua recipit formam.

Responsio. Ad confirmationem primam ibi adductam. Respondet mutationem in proposito, quæ fit per beatitudinem,& operationem, esse de non operante ad operantem.

Ad confirm. secundam. [l] *Ad secundam confirmationem*, &c. Hæc fuit, quòd beatus non sit causa effectiua suæ beatitudinis,aliàs seipsum bearet : est autem causa effectiua suæ operationis:ergo hæc non est eius beatitudo. *Responsio quorundam.* Ad hanc confirmationem aliqui respondent distinguendo in operatione substantiam,& formam. Dicunt ergo potentiam causare beatitudinem secundùm substantiam ; sed quoad formam causatur ab habitu infuso. *Duplex ratio operationis.* Beatitudo autem nostra consistit in perfectione operationis, & non in substantia, ideóque non est à nobis, sed à causante habitum,per quem fit. Si esset habitus acquisitus, esset à nobis operatio quoad substantiam,& formam. *Impugnatur. Responsio.* Hanc solutionem impugnat Doctor : quia prius essentialiter non potest dependere ab aliqua causa,à qua non dependet posterius essentialiter:quia ad quodcumque dependet prius, dependet etiam posterius : si est ordo per se necessarius & essentialis inter vtrúmque;posterius enim supponit prius in *esse*,& consequenter causas eius essendi:sed substantia actus est prior essentialiter forma:ergo hæc est à causa,quæ est substantiæ actus;illa autem est potentia in genere efficientis actum : ergo sic etiam concurrit ad formam. *Substantia & forma actus ab eodem sunt.*

Idē probatur. Prætereà,illa forma non est nisi quædam actus conditio : potentia autem non elicit nudum actum secundùm substantiam sine tali conditione : ergo non solùm substantiam actus, sed & conditionem elicit. *Confirm.* Confirmatur ; quia illa conditio, seu forma actus est attingentia talis obiecti beatifici ; sed hæc necessariò est à potentia: quia nequit esse à potentia actus, quin sit alicuius,vt obiecti,quia potentia non est nata elicere actum,nisi circa aliquod obiectum, vt per se notum est. *Actus vt est à potentia est alicuius obiecti.*

Prætereà, habitum esse in actu secundo causam alicuius distincti,ab eo, quod est à potentia, nequit dici, quia causa prima in suo ordine, & secunda in proprio ordine comparantur ad eundem effectum,non ad diuersos, quia sic tolleretur ordo inter primam,& secundam causam respectu eiusdem effectus, cùm quælibet esset prima, si habeant separatos ; sed potentia est causa prima respectu beatitudinis, habitus verò causa secunda, vel è contrà vt volueris:ergo vt comparantur ad eundem effectum, & non diuersos. *Ordo causarũ ad eundem effectum.*

Responsio ad confirmationem. Responsio ergo ad confirmationem est, quòd beatus seipsum beat partialiter,eliciendo operationem:non tamen per modum finis, & obiecti, & vtraque illa causa concurrit ad eundem effectum indiuisibiliter, & secundùm omnes suos gradus simpliciter sumpta, illa propositio, *homo seipsum beat*,est falsa, quia facit sensum quasi ex viribus naturæ se bearet.

Ad quintum. 67 [m] *Ad quintum*,&c. Quintum fuit,quòd habitus sit simpliciter perfectior,& nobilior actu;sed beatitudo est perfectio nobilissima : ergo magis consistit in habitu, quàm in actu. Antecedens patet:quia habitus est diuturnus, & permanens: diuturnum autem ex Philosopho 3. *topicor.* est perfectius transitorio. Prætereà, habitus est causa actus, non in alio genere, quàm efficientis æquiuoci : ergo est perfectior.

Responsio. Actus perfectior habitu. Respondetur actum esse simpliciter perfectiorem habitu, ratione perfectionis finalis, & consequenter formalis : quia immediatiùs attingit finem,& modo altiori,& perfectiori,quàm habitus natus est attingere,idque conuenit actui ex sua formali perfectione. De hoc aliquid superiùs dictum est : alij enim putant habitum esse perfectiorem, sed est creatio alterius loci.

Explicatur Philosophus. Ad Philosophum : Respondetur eum esse intelligendum de iis tantùm, in quibus illa est sola differentia. *Operatio beatifica est diuturna.* Accedit quòd operatio beatifica sit etiam æquè diuturna, ac habitus ex parte potentiæ,obiecti, & finis : nam habitus in ordine ad actum datur,in quo actu consistit beatitudo,& hæreditas,sicut adoptio consistit in habitu: adoptio autem ad hæreditatem ordinatur, vt ad finem : ergo habitus ad eandem ordinatur. Ad secundam probationem, respondetur intelligendam esse de causa æquiuoca,& totali,non autem partiali,qualis est habitus respectu operationis, nisi sit partialis principalis.

[n] *Breuiter sic*, &c. Subiicit recapitulationem quandam dictorum in hac quæstione per quatuor propositiones,quas probat ex dictis : textus est clarus.

68 *An beatitudo consistat in visione increata.* Ex resolutis hactenus sequitur quid dicendum sit de illa difficultate. An scilicet beatitudo formalis creaturæ consistat in visione, & fruitione increata Dei, tanquàm in ratione formali, qua creatura beatur, & non obiectiua. *Sententia affirmatiua.* Affirmatiuam fuisse defensam Parisiis docet Gregorius *in 2.d.7.quæst.2.* eius fundamenta refert Adam *in 1.quæst.2. & in 3. quæst.* 3. Assertor eius fuit Ioannes de Ripa, & tribuitur Hugoni de sancto Victore *tract. de sapientia Christi*, *& in summa sent. tract.* 1. *c.* 16.quia videtur negare in Christo aliquam sapientiam præter increatam, & idem in Beatis : explicatur tamen à quibusdam, eum loqui de obiectiua.

Negatiua sententia, & communis. Contrariam sententiam supponit Doctor in præmissis, & vbique agens de formali beatitudine hominis,éstque communis sententia Theologorum.D.Thomæ *in hac distinctione quæst.*1.*art.*2. *quæstiunc.*1.vbi cæteri Sententiarij, *& in* 3. *d.* 14. idem D.Thom.*in* 2.*quæst.*3 *ar.*1.Hanc sententiam fusè tractat Ægidius Lusitanus *tom.*1. *de beatitudine lib.*4.*quæst.*1.*art.*2.§.3. cuius ea est resolutio, *Censura affirmatiuæ.* eam non mereri notam hæresis, aut erroris contra fidem, aut etiam temeritatis, nisi in eo solo quòd asseratur sine fundamento contra omnium Doctorum sententiam in re grauissima. Dicit prætereà non ostendi impossibilem ex ratione, licèt in se sit falsa, proinde soluit obiecta communiter contra ipsam:videtur tamen impossibilitas eius satis ostendi ratione naturali, primùm ex ratione actus vitalis, in quo consistit perfectio beatifica potentiæ creatæ : ad actum autem *Impossibilitas affirmatiuæ ostenditur.*

Potentia requirit actum intrinſecum.

vitalem requiritur vt procedat à potentia, vt principio, vel certè, quod magis eſt de ratione eiùs, vt in potentia recipiatur per modum formæ; vtrumque repugnat viſioni increatæ: ergo nequit conſtituere potentiam videntem, in qua non eſt.

Reſponſio.

Dices nòn eſſe de ratione potentiæ, vt conſtituatur per operationem, quæ eſt in ipſa recepta, & ſufficere vnionem eius intellectualem per aliquid etiam ipſi extrinſecum, licèt actio vitalis ex natura ſua exigat eſſe intrinſecum.

Impugnatur.

Contrà, actus vitalis nequit vnire potentiam obiecto intellectualiter, niſi inſit intrinſecè potentiæ: ergo neque potentia conſtitui poteſt vnita intellectualiter, niſi per id, quod eſt intrinſecum. Probatur conſequentia: quia potentiæ capacitas, ſeu ordo ad obiectum, quà ipſi vnibilis eſt, commenſuratur actui tanquàm vnioni formali, id eſt, rationi vniendi, in quo eſt ſtatus, ſicut ſtatus eſt in vnione formæ informantis ad ſubiectum, cuius eſt, ita vt aliter vniri non poſſit quàm per intrinſecam, vel ſibi, vel ſubiecto: ergo, &c. talis eſt natura potentiæ creatæ, vt intellectus.

Capacitas potentiæ limitatur ad actum intrinſecum.

Talis eſt natura huius vnionis operatiuæ, vt neque illa conſtitui poſſet niſi recipiat in ſe operationem, neque operatio conſtituere, niſi per modum formæ informantis; aliàs omnis demonſtratio à poſteriori redditur dubia, & omnis conſtitutio formarum.

Inſtantia pro oppoſito.

Video inſtari poſſe in vnione naturæ ad Verbum, & etiam in ſententia dicentium eam exiſtere exiſtẽtia Verbi extrinſeca ſibi: ergo ſimiliter in propoſito poteſt dari vnio operatiua per extrinſecum, quamuis per operationem creatam ſic nequeat vniri potentia, neque exiſtentia & ſubſiſtentia creata conſtituere, niſi vt intrinſecè afficiunt naturam.

Reiicitur inſtantia.

Contrà, hæc inſtantia non ſoluit difficultatem argumenti: quia per illud poſſemus eludere ſimiliter omnem conſtitutionem formarum intrinſecam, & dicere quòd poſſet corpus animari per animam vnione merè extrinſeca, abſque eo quòd anima informet corpus, & ſic de reliquis formis in ordine ad ſubiectum conſideratis: peculiaris ergo ratio eſt in iis, in quibus inſtatur:

Soluitur inſtantia.

quia qui concedunt naturam exiſtere exiſtentia Verbi, dicunt exiſtentiam diſtingui realiter à parte rei ab eſſentia, & hanc habere proprium actum eſſendi, in reipſa diuerſum ab exiſtentiæ actu, qui poteſt ſuppleri per extrinſecum, quod terminat *eſſe* naturæ ſingularis actuale, ſupplendo exiſtentiam; & idem de ſubſiſtentia, ſi ponatur aliquid poſitiuum diuerſum in re à natura exiſtente: quia natura habens actum proprium eſſendi poteſt conſeruari in *eſſe* illo, quoad ſecundarium complementum eſſendi per aliquid extrinſecum, ſicut etiam priùs natura habet proprium actum eſſendi, quàm adueniant modi illi poſteriores eſſendi, & incompatibiles cum extrinſeco; quamuis quoad hæc, idem doceret ratio naturalis ſibiipſi relicta de ſubſiſtentia, & exiſtentia naturæ ſingularis, & completæ, niſi fides doceret contrarium; vbi autem fides non obſtat, non ſunt peruertenda principia naturalia, & communiter ſuppoſita.

69

Impugnatur inſtantia, & oſtenditur diſparitas.

Sic ergo argumentor, ad diſparitatem operationis, & exiſtentiæ, ac ſubſiſtentiæ, dato quòd exiſtentia diſtinguatur realiter à natura, de quo iam non diſſeritur, ad oſtendendam non repugnantiam ſuppoſita fide, natura ſubſtantialis completa ſaluatur quoad omnia requiſita ad eſſendum extra cauſas, licèt exiſtentia, aut ſubſiſtentia participet ab extrinſeco: ergo datur ſufficiens ratio diſparitatis inter naturam ſic conſideratam, & operationem potentiæ, aut potentiam ipſam in ordine ad operationem. Antecedens probatur, quia ſaluatur in natura ſufficiens ratio termini primarij, & per ſe reſpectu actionis cauſarum naturalium, & priorum ipſa, ſaluatur in cauſis conſequenter virtus, & actio exercita reſpectu naturæ: ergo totum ſaluatur, quod exigitur ex parte naturæ ad *eſſe*.

Actus primarius eſſendi ſubſtantiæ creatæ intrinſecus.

Antecedens probatur: quia in natura actus eſſendi primarius, quo ipſa ponitur extra cauſas, vt à poſteriori complemento eſſendi diuerſus in reipſa, eſt ſufficiens ad terminandum actionem ſuarum per ſe cauſarum, ſicut de facto contingit in natura aſſumpta quantùm ad *fieri*: quia nulla cauſa naturalis, aut creata attingit vnionem naturæ aſſumptæ, ſed ſolam entitatem in reipſa poſitam. Deinde, natura ipſa quantùm eſt ex ſe per eundem actum entitatiuum ſicut ſufficienter eſt extra cauſas formaliter primò, ſic etiam conſeruari poteſt extra cauſas manente Dei concurſu, & accedente complemento eſſendi per vnionem ad extrinſecum; complemento dico eſſendi; quia non per illud habet primariò *eſſe*; ſed tantùm ſecundariò. Et licèt exiſtentia poſſet dari virtute cauſarum naturalium vel certè fluere in reipſa ab actu entitatiuo naturæ ex propria eius perfectione: tamen ad illam primariò, & per ſe non terminatur actio cauſarum, vt patet in natura aſſumpta, dato quòd exiſtat exiſtentia Verbi. Quantùm autem ad ſubſiſtentiam, illa fluit ab ipſa natura, tanquam modus eius, quando natura permittitur ſibi: in cauſis autem efficientibus, ſicut ſuſpendi poteſt effectus primarius, ita & ſecundarius non habens eſſentialem connexionem cum primario, vt in propoſito contingit; & ratio eſt, quia ſunt cauſæ extrinſecæ, quæ non communicant ſe effectui formaliter.

70

Diſparitas oſtenditur.

Sed in potentia quoad vnionem ſui per operationem aliud contingit: quia potentia creata nequit reduci ad actum circa obiectum, niſi per operationem creatam, & intrinſecam, quæ ipſam vnit obiecto, qui eſt actus eius primarius reſpectiuè ad obiectum, non præſupponens alium, ſicut in ſubſtantia completa ſupponitur talis actus eſſendi primarius, & entitatiuus vt diſtinguitur à poſteriori adueniente, & ab eo independens, licèt ex perfectione naturæ extra cauſas poſitæ, & ſui actus redundet neceſſariò tale complementum eſſendi, niſi præueniatur per vnionem ſui ad extrinſecum.

Potentia creata petit actum intrinſecum.

Probatur ſubſumptum, quia potentia creata paſſiua nequit per diuinam potentiam reduci in actum, niſi per formam intrinſecam; & ideò dicitur communiter non poſſe Deum ſupplere effectum cauſæ formalis primarium: ergo neque potentia intellectus paſſiua reduci in actum ſine operatione intrinſeca: quia hæc ipſa eſt eius actus.

Reſponſio.

Dices idem de natura ſubſtantiali etiam dici poſſe quoad ſubſiſtentiam, & exiſtentiam, ad quas eſt in potentia paſſiua.

Impugnatur.

Contrà, natura vt exigit complementum eſſendi, non eſt in potentia, vt dicunt, exigentiæ ad hæc determinatæ, ſed ſufficit vt recipiat terminum vltimatum eſſendi, ſiue intrinſecum, ſiue extrinſecum, per quem ſufficienter completur, quia ex ſe habet actum primarium eſſendi: ad complementum autem hoc vel illo modo eſt indifferens, ſed non ita eſt indifferens intellectus creatus in ordine ad ſuum obiectum: quia ei nequit

quit vniri nisi per operationem creatam, & sibi proportionatam, quà est subiectum vnibile: hic autem effectus est primarius, & non secundarius operationis respectiuè ad obiectum: ergo nequit esse sine operatione creata. Maior probatur, quia intellectus creatus, quà creatus est in specie, dicit rationem vnibilis ad obiectum: ergo per vnionem correspondentem, & creatam. Antecedens patet, quia *esse* creatum in intellectu dicit differentiam essentialem in ordine ad operationem, non solùm quia debet tendere finito modo, sed etiam per medium finitum, & determinatum in *esse* operationis; omnis ratio quiditatiua, & differentiæ in potentia, est propter actum: aliàs non conueniret potentiæ, quà potentia est: cuius ratio sumitur in ordine ad actum, ex quo patet consequentia præmissa: quia omnis limitatio differentialis in potentia est propter differentiam in actu potentiæ, vt patet discurrendo per singula: ergo si actio obiecti est differentia intellectus creati in ordine ad actum; etiam correspondet in actu, ad quem tantùm dicit ordinem, differentia proportionata: ergo intellectus creatus, vt dicit ordinem ad obiectum mediante actu, dicit illum præcisè mediante actu creato: hic autem necessariò est intrinsecus, vt conceditur: ergo etiam ad actum, vt intrinsecus est, potentia intellectiua creata dicit ordinem, ita vt aliter aut per extrinsecum non possit reduci formaliter ad actum.

Differentia intellectus creati dicit ordinem ad mediũ creatum attingendi obiectum.

71 *Confir.* Confirmatur per vnionem intellectus creati ad visionem, seu intellectionem Dei, nequit magis communicari Dei visio, quàm communicatur naturæ humanæ assumptæ operatio Verbi, sed hæc non communicatur naturæ assumptæ tanquàm principio: operandi, aut agendi, neque potest communicari: ergo neque visio, & intellectio Dei potest communicari intellectui creato, vt principio operandi per illam. Maior probatur: quia nulla est vnio possibilis in ordine ad operationem, & actionem, loquor de formali vnione, quàm sit vnio quoad *esse*; quoad hanc autem non datur maior vnione hypostatica: ergo, &c. Antecedens probatur, quia vnio quoad *esse* communicat entitatem, ita & consequenter virtutem, & actionem, nisi aliàs repugnent vnito: in proposito autem talis est repugnantia communicandi *esse* naturæ assumptæ in eo gradu, quo posset communicari virtus, & actio ipsi naturæ intrinsecè, aut etiam extrinsecè, tanquàm principio: ergo nulla actio diuina immanens, aut transiens ita communicatur naturæ assumptæ tanquàm principio agendi, à quo ipsa actio increata exiret, aut immanens inesset, vt principio, loquendo semper de actione increata, & in ordine ad principium; de actione, inquam, per modum actionis, vt actio, inest Deo ab intrinseco. Ex his patet minor. Consequentia probatur: quia illa vnio intellectus creati ad visionem Dei debet esse aliquid in ipso intellectu creato, qui vnitetur: nam nequit esse transitus, à contradictorio ad contradictorium sine mutatione, saltè in aliquo extremorum, in Deo esse nequit: ergo solùm fingi potest in intellectu creato. Debet præterea esse realis: quia etiam effectus, qui sequitur, est realis, nempe constituere intellectum creatum videntem visione sibi, & Deo communi: sed si illa vnio sit quoad *esse*, sequeretur omnem intellectum beatum Angelorum, & hominum vniri Deo hypostaticè, aut per modum vnionis hypostaticæ; quod fides negat,

Operatio Verbi non communicatur natura assumpta vt principio operandi.

Vnio ad visionẽ increatã debet esse intrinseca intellectui.

Non esse possibilem talẽ vnionem.

imò neque sic potest vniri intellectus creatus, quia nequit vniri nisi hypostasi communi, aut personali: neque etiam talis vnio competit intellectui ex parte sua, quia non conuenit supposìtari nisi mediante toto, aut anima, cui identificatur; aut si est accidens realiter distinctum, ei non conuenit vniri nisi subiecto, in quo est; ergo si intellectui creato repugnat immediata sui vnio quoad *esse* Deo, etiam repugnabit vnio quoad operationem, de qua loquimur. Probatur consequentia, quia non magis conuenit potentiæ, vt dicit ordinem ad operationem, vniri Deo, quàm vt dicit *esse*: sed sic nequit vniri: ergo neque quoad operationem hoc modo. Maior cum consequentia patet: quia potentia, vt supponitur prior operationi, & in sua entitate absoluta in *esse* entis, est participatio Dei eo modo, quo creatura dicitur talis, eique perfectè subiicitur quoad omne, quod non repugnat; talis vnio ipsi repugnat in *esse* entis: ergo in *esse* operatiui similiter ipsi repugnat vniri diuinæ intellectioni. Patet consequentia ab actu primo ad secundum, & ab *esse* ad *operari*.

Præthereà, eatenus vniretur, quatenus ipsa visio diuina suppleret operationem creatam per modum formæ: sed non magis hoc est possibile, quàm intellectum diuinum simul cum visione posse ita communicari, vt suppleret tam intellectum creatum, quàm intellectionem creatam, ita vt Angelus, vel homo (demus intellectum distingui realiter ab his) posset esse beatus per intellectum, & visionem diuinam, quod est absurdissimum dictu. Sequela probatur, quia non videtur maior possibilitas communicandi visionem diuinam intellectui creato, in eo gradu, quo eum bearet in *esse* operationis, quàm communicandi intellectum diuinum simul cum operatione animæ, aut Angelo in *esse* principij, & operationis simul. sicut enim intellectus natus est beari per operationem diuinam, ita vt non repugnet sic communicari operationem diuinam passiuè se habente intellectu; ita etiam beatur anima mediante intellectu proprio passiuè se habens: ergo possibilis est in ea vnio, qua vnita intellectui diuino posset mediante illo beari, vt principio sub operatione. Si dicas quòd anima non sit nata beari nisi mediante intellectu proprio, sic etiam nequit beari nisi per operationem propriam sui intellectus, & creatum; vel si contrarium asseratur de operatione, iisdem fundamentis asseritur de principio illius operationis communicato, quia intellectus creatus in ratione operatiui non magis dicit ordinem vnibilis ad intellectionem diuinam vt operationem, quàm idem in *esse* intellectus dicit proportioné vnibilis, aut certè anima cuius est, respectu intellectus diuini in ratione principij: quia sicut intellectio, & visio beata, & creata est quædam participatio visionis diuinę tanquã mensuratum mensuræ, ita intellectus creatus similiter est participatio intellectus diuini in omni gradu, quo visio creata est participatio diuinæ visionis.

72 *Idem probatur.*

Nequit intellectus diuinus vniri anima.

Præthereà, ideò intellectui creato non repugnaret operari mediante visione increata, quà intellectus est, & participatio diuini intellectus, ideò repugnat voluntati creatæ sic operari: quia non est intellectus; si ergo visio creata, quæ secundùm *quid* dicitur respectiuè ad increatam, potest per hanc suppleri, & intellectus creatus per eandem reduci ad actum, ita similiter in- *Probatio.*

tellectus creatus potest suppleri per increatum, & anima mediante increato reduci ad actum, qui natus est conuenire mediante intellectu proprio.

73 *Confirm.* Confirmatur secundò, quærendo quid sit illa vnio in intellectu creato, per quam vnitur intellectioni increatæ, quia aliquid debet esse ex dictis, & intrinsecum intellectui creato: quia intellectio increata nequit seipsa vniri intellectui creato, non interueniente aliquo actu diuinæ voluntatis immutantis intellectum creatum: intellectio enim diuina necessariò se habet quoad se, & vt procedit ab intellectu diuino, & essentia respectiuè ad omne, quod potest per ipsam constitui: quid ergo immutatur in creato, per quod formaliter vnitur intellectioni diuinæ, vt operationi? in obscuris enim procedendũ est per notiora, vt assertio vim habeat, & apparentiã. Ad propositum ergo necesse est declarari illam vnionẽ seruata proportione ad alias notas, non per modum vnionis formarum, quæ intrinsecè afficiunt subiectum, vt per se constat, & admittitur: non est per modum vnionis in essendo, qualis est vnio hypostatica; & si talis esset non conduceret ad effectum formalem operandi; oportet tandem vt sit vnio quædam intellectualis in ordine ad operationem; sed discurrendo etiam circa modum vnionis intellectualis, nequit apprehendi in proposito. Dicitur à quibusdam essentia diuina vniri intellectui creato per modum speciei intelligibilis; sic etiam dicitur ipsa species obiecti vnire intellectum, & obiectum, inquantùm assimilat ipsum obiecto illud reddens proximè intelligibile, & intellectum in proxima potentia ad intellectionem. Ad hoc genus vnionis possunt reduci omnia media operandi habitualia tam naturalis, quàm supernaturalis ordinis, & reliqua, quæ inclinant, aut concurrunt ad operationem.

Quæritur de eadẽ vnione in quo consistat.

Diuersa genera vnionũ.

Vnio intellectualis.

Sed discurrendo per hæc omnia, nequit talis vnio saluari ad operationem increatam per modum operationis potẽtiæ creatæ: ergo neque possibilitas sic vniendi potentiam creatam ad operationem increatam per modum operationis, per quam tenderet potentia in obiectum. Probatur subsumptum, quia in primis vnio diuinæ essentiæ, & sic de specie intelligibili, ordinatur ad potentiam per modum principij effectiui, & non per modum formalis tendentiæ in obiectum exprimentis potentiæ obiectum ipsum, & actuãs eius inclinationem tam actiuam, quàm passiuam ad obiectum, vt est vltimus eius terminus, & in quem nequit tendere nisi per operationem. non est similiter eiusdem generis cum aliis mediis intelligendi, quæ ordinantur tanquam principia effectiua, & inclinantia ad operationem: quæ media non exigit potentia nisi vt effectiuè elicit operationem, quæ seipsa nata est eam recipere, & per eam tendere vndecunque producatur, hic enim est effectus formalis operationis, quem præcisè communicat potentiæ, quod est præcisum eius subiectum, & non habitus, vel quodcumque aliud, quod est in ipsa potentia. Et quamuis aliqui dicunt per habitus supernaturales eleuari potentiam ad statum supernaturalem, & quasi diuinum, hoc tamen totum verificatur in ordine ad eliciendam operationem, & non recipiendam, vt *infrà* dicetur *quæst.* 10. *&* 11. Ex quibus sequitur inperceptibilem esse vnionem ad operationem extrinsecam per modum formæ, per quam potentia tendat operando: nam eo ipso, quo est extrinseca, nequit dare hunc effectum potentiæ, qui ipsi competit, quà subiectum est. Deinde, quia omnis vnio potentię ad extrinsecum est vnio eius vt ad obiectum, si spectat ad operationem talis vnio; vnio verò potentiæ ad operationem est subiecti per modum subiecti ad formam, qua constituitur in actu: hoc autem repugnat fieri per formam extrinsecam.

Remouetur à proposito.

Non est vnio per modum principij intelligendi.

Secundò probatur ab inconueniente illa impossibilitas: quia si Deus potest vnire extrinsecè intellectionem increatam intellectui creato modo prædicto, potest etiam vnire visionem lapidis intellectualem vnius Angeli animæ, & visionem animæ potentiæ visiuæ sensuali, & materiali, hoc ex se absurdum videtur, neque indigere impugnatione: quia confundit virtutem, & naturam tam operationum, quàm potentiarum. Probatur sequela: quia est par ratio ex genere operationis, si operatio potest constituere tendentem in obiectum potentiam, in qua non inest, aut hæc per operationem extrinsecam sibi possit tendere in obiectum. 74

Secunda probatio.

Ab inconuenienti.

Non potest potentia visiua vniri intellectioni.

Si dicas visionem increatam esse infinitam, non ita operationes illas creatas. Contrà, visio diuina quò magis excedit sine termino potentiam, eo minùs ei est proportionata: ergo magis repugnat. Deinde, non constituit intellectum creatum secundùm tendentiam proportionatam suæ infinitati: sed tantùm secundùm capacitatem potentiæ, quæ finita est; capacitatem autem potentiæ finitam non excedit operatio finita: quia intellectus Christi habet visionem summam, & excedentem visionem aliorum Beatorum.

Responsio.

Impugna

Dices quòd intellectio diuina sit substantialis, aliæ verò accidentales, quæ tantùm constituere possunt subiectum, in quo inhærent. Contrà, visio increata non terminat illam vnionem prætensam, quà substantialis, aut quà increata est: sed quà visio præcisè, & operatio, cui illæ rationes sunt extraneæ, vt sic præcisè consideratur; sicut esse accidens est extraneum visioni creatæ, quà visio est; ideò non constituit per suam inhærentiam ad subiectum potentiam tendentem, sed præcisè per rationem suam formalem, quam retineret etiamsi esset substantialis, eo modo, quo asserebant Philosophi Intelligentias intelligere per operationem substantialem sibi, & identificatam: ideóque etiam communiter Doctores non attendunt ad substantialitatem, aut accidentalitatem potentiarum, quæ principia operatiua sunt, dum quærunt an realiter, necne, distinguatur à subiecto. Supponunt enim eodem modo manere rationes formales earum, siue vno, siue altero modo se habent; neque impugnant prædictos Philosophos ex hoc medio, quasi destrueretur ratio formalis operationis, si esset substantia; quia neque in Deo sic destruitur.

Responsio.

Esse substantiam, aut accidens sunt extranea visioni, quà visio est.

Probatur subsumptum quoad alteram instantiam de potentia sensitiua visiua, qua dicitur constitui posse videntem per visionem intellectus, quia non obstat immaterialitas visionis intellectiuæ, cùm non inhæreat intrinsecè visiuæ sensitiuæ, nihil obstat: quia potentia visiua eadem proportione tenderet in lapidem per visionem externam sibi, quæ esset in intellectu, quo intellectus creatus proportionatur visioni increatæ: imò maior est hîc proportio, quia visus natus est videre in lapidem, & visio intellectiua non excedit in eo gradu visionis illam sensibilem 75

Probatio instantiæ de visiua sensibili.

sensibilem, neque intellectus visum externum, quo visio diuina, & intellectus, cui debetur diuinus, excedit creatas visionem, & potentiam: & licèt visio intellectualis creata in ratione visionis, & intellectualis formæ conueniat cum increata, tamen visio sensitiua in ratione visionis lapidis sensibilis conuenit cum visione creata eiusdem, vt est in intellectu creato. Si dicas quòd potentia visiua sensitiua non possit cognoscere nisi per visionem eiusdem ordinis, & intrinsecam, eodem modo dicam quòd intellectus creatus non possit operari, nisi per creatam operationem ipsi proportionatam, & intrinsecam: quin imò eadem libertate, qua contrarium asseritur, diceretur posse etiam visiuam creatam videre visione increata obiectum sibi proportionatum, quod est euertere principia magis nota, & admissa circa potentias, & earum operationes, ex quibus inuestigamus naturam rerum. Dicam etiam nullam in vniuersum dari operationem diuersam ab ipsa specie impressa; quia est repræsentatio formalis obiecti, & eam exprimere obiectum potentiæ, quando ad illam potentia se conuertit.

76 Tertiò probatur conclusio: quia vel dari potest de facto visio creata in intellectu, quo possit videri Deus: vel hæc impossibilis est. Si impossibilis; ergo superfluunt omnia media ad hunc effectum in potentia, vt lumen gloriæ; quod est contra Viennense Concilium. Vel si potest dari, imaginariè, & sine fundamento recurritur ad visionem increatam: ex quo etiam deducitur impossibilitas: quia tendentia potentiæ, & inclinatio ad obiectum limitatur ad medium eiusdem generis: ergo in potentia creata ad medium creatum limitatur. Probatur antecedens, quia ratio tendendi potentiæ in obiectum formaliter nequit excedere virtutem, & inclinationem potentiæ, & media per se ordinata ad hæc tam naturalia, quàm supernaturalia, & quibus reducitur ad actum completè, & modo proportionato suæ capacitati. Modus proportionatus potentiæ finitæ est per actum finitum, & limitatum, non per actum infinitum, qualis est operatio increata, quæ nequit constituere potentiam operantem, nisi per modum formæ, licèt extrinsecæ: tamen vt per modum formæ comparatur ad potentiam taliter constituit, qualis est; ergo repugnat constituere nisi vt infinita est formaliter, quod repugnat potentiæ creatæ. Dices constituere secundùm capacitatem potentiæ, quæ finita est, sicut etiam obiectum infinitum influit finito modo in potentiam, licèt ipsum in se sit infinitum. Contrà, obiectum vt motiuum, sicut & omnis causa efficiens limitatur per capacitatem subiecti ad effectum, seu formam, quia non seipso formaliter, sed virtute tantùm afficit subiectum, ideóque non requiritur vt subiectum sit tale formaliter per formam, qualis est agens formaliter: talis autem est formaliter, qualis est forma per quam formaliter constituitur in actu. quòd autem forma sit intrinseca, aut extrinseca non refert, inquantùm dat actum, & constitutionem subiecto formalem: quia si repugnat dare actum subiecto talem, qualis est ipsa forma, repugnat etiam constituere; quia constitutio est ipsa forma communicata formaliter: repugnat autem eam esse communicatam, & non communicatam: ergo etiam constituere formaliter, & non constituere secundùm id quod est. Deinde, falsum supponitur, nempe capacitatem passiuam in potentia esse finitam, si potest constitui per intellectionem increatam: quia terminus capacitatis in potétia talis est, qualis est forma, per quam constitui potest: nam si dicamus nullum esse terminum in operatione creata, vt multi concedunt eam esse intensibilem, in infinitum; ita etiam capacitas passiua potentiæ in infinitum extenditur, & inquantùm extenditur eius capacitas passiua, intantùm etiam extenditur possibilis eius tendentia, cùm nulla operatio possit in potentia crescere ad illum gradum, in quo non sit nata vniri potentia obiecto: aliàs secundùm gradum excedentem non esset operatio, quod est contra naturam eius, vt intensibilis est: ergo si potest capacitas passiua intellectus creati reduci ad actum per increatam intellectionem reducitur infinito modo. Quòd si instantia prædicta de obiecto vrgeatur, non tantùm quà motiuum est, sed etiam quà terminatiuum potentiæ, nihil refert: quia terminatio obiecti, & vnio intellectus ad obiectum, qua terminat, sequuntur gradum motionis, & operationis, qua vnitur potentia; cùm hæc autem sint finita, sequitur per ea finito modo attingi obiectum: ergo si essent infinita formaliter, etiam infinito modo attingeretur obiectum: sed in opposita sententia ratio vniendi, seu tendendi se tenens ex parte potentiæ est infinita: ergo infinito modo constituit potentiam tendentem: nam gradus limitatus tendendi reducitur vltimatè ad medium, quo tenditur formaliter inquantùm ipsum est finitum: à contrario ergo sensu, & sublata causa limitationis, cùm est infinitum medium, erit infinita tendentia.

Tertia probatio. Superfluè inducitur prædicta sententia.

Visio increata est improportionata potentiæ creatæ.

Responsio.

Aliter comparatur subiectum ad formam, aliter ad agens.

Capacitas potentiæ infinita & interminabilis.

Excluditur instantia.

77 Confirmatur intellectio increata, & vniuersim omnis intellectio nequit constituere potentiam operantem circa obiectum, nisi prout ipsa operatio est ad obiectum, seu ipsius obiecti primò expressiua: nam ordo operationis ad obiectum est specifica sua ratio; ordo verò ad potentiam conuenit ei tantùm ex communicatione accidentis, aut formæ, à quo etiam in actu abstrahere potest, si per possibile, aut impossibile potest extra subiectum produci, de quo iam non dissero, sed sine ordine ad obiectum, seu expressione eius actuali, & formali nequit produci extra subiectum per possibile, aut impossibile: quia est essentialis, & specificus eius. Ad propositum, talis est ordo intellectionis increatæ ad obiectum, qui est finis vltimus, vt ei repugnet attingere obiectum aliter, quàm infinito modo, quam differentiam sortitur à principiis suis, nempe intellectu infinito, & essentia diuina infinita formaliter, & sub ratione infinitæ beatificantis tam intellectum increatum, quàm creatum: ergo repugnat intellectionem increatam constituere intellectum creatum formaliter intelligentem, nisi infinito modo, quo ipsa præcisè attingit obiectum, ita vt ei repugnet finito modo attingere obiectum: ergo & finito modo vnire vllum intellectum obiecto. Hinc vlteriùs deducitur quòd necessariò vniat etiam quoad obiecta secundaria; instantia autem de vnione essentiæ diuinæ ad intellectum creatum per modum speciei intelligibilis, & cui plurimùm inhæret Ægidius, non soluit difficultatem vt *suprà* visum est: quia vnio hæc fit per influxum efficientem, & secundùm media limitata reducitur ad actum: non ita contingit in proposito.

Confir. Operatio cõstituit prout est ad obiectum. Ordo operationis ad subiectum, & obiectum.

Repugnat attingi obiectum increatum per visionẽ increatam finito modo.

Ex his patet impossibilitas illius sententiæ, quæ allegata dudum à scholis non videtur sustinenda,

ſtinenda, neque trahenda in concurſum. Rationes autem Doctorum contra ipſam, quibus oſtenditur eius impoſſibilitas, videntur etiam mihi concludere in præſenti materia, neque ſufficienter ſolui per præfatum authorem ſpectata materia, ad quam applicantur, licèt non in qualibet fortè concluderent ſine inſtantia, aut limitatione, quod lectori remitto iudicandum.

78 *Illam ſententiam non eſſe conſentaneã Theologiæ.* Supereſt probandum illam ſententiam non eſſe conſentaneam veræ Theologiæ, aut principiis fidei, aut doctrinæ traditæ, ita vt mirum ſit non poſſe eam temeritatis argui. In primis Scriptura, & Concilia, & Patres loquuntur de beatitudine noſtra, vt de facto contingit, & prout communis ſenſus Eccleſiæ ſupponit, interpretatur, & docet; hic autem ſenſus eſt ille, quem tradunt communiter omnes Doctores Theologi, & interpretes Scripturæ, quibus negandum non eſt eos attingere verum ſenſum Scripturæ, & doctrinam Eccleſiæ: ergo quidquid ſit de poſſibili, ſaltem de facto beatitudinem noſtram contingere aliter, quàm per operationem creatam, eſt contra mentem Scripturæ, & doctrinam receptam paſſim in Eccleſia. Si ergo temerarium eſt, opinione Ægidij, in re grauiſſima ſine fundamento diſcedere à communi Doctorum, etiam temerarium eſt aſſerere communem omnium ſententium, non aſſequi veritatem doctrinæ reuelatæ in materia ſupernaturali: ergo etiam perinde eſt diſcedere à ſententia vniuerſa Doctorum, & diſcedere à doctrina Eccleſiæ recepta: ergo ſtatuere beatitudinem noſtram de facto conſiſtere in alio, quàm in operatione creata, eſt temerarium, & contra verum ſenſum Scripturæ, ideóque mihi placet cenſura D. Bonauenturæ, qui dicit illam ſententiam extraneis annumerandam. *Senſus Eccleſiæ, & Doctorum idẽ eſt.*

2. Ratio. Secundò, quãuis loca Conciliorum, Scripturæ, aut Patrum non ita inueniantur expreſſa per excluſiuam huius ſententiæ, ideò eſt, quia ex natura materiæ per ſe excluditur, neque neceſſarium fuit eam exprimere, neque vllus aliàs eam inuexit, aut aliquo apparenti fundamento iam aſſeritur: ergo ad cenſuram eius non requiritur forma expreſſa verborum, & per ſe excluſiua, aut reprobatiua eius, ſed ſufficit propria eius impoſſibilitas iam probata, & repugnantia ad modum connaturalem diuinæ prouidentiæ ordinariæ, accommodatam rebus ipſis, & quæ de certitudine, & promiſſione beatitudinis exponuntur in Scriptura, & Patribus, & Conciliis. Accedit quòd hæc ſententia in ſimili fuerit reprobata ab Eccleſia, & in ſuis principiis. Omnes damnant figmentum Auerrois, & aliorum, qui dicebant hominem intelligere per Intelligentiam aſſiſtentem, quod non ſolùm eſt contra Philoſophiam naturalem, ſed etiam contra fidem, vt patet ex ſuperiùs dictis de immortalitate animæ, eiúſque operatione propria, ſed neſcio quid in reipſa plurimùm differat hoc figmentum à præſenti ſententia: nam ſi poteſt homo intelligere per intellectionem aſſiſtentem, & merè extrinſecam, ſibi, cur non poſſet etiam per intellectum aſſiſtentem intelligere? *Eius reprobatio.*

79 Deinde, quæ docuit fides de duabus operationibus in Chriſto ſatis declarant non poſſe voluntatem creatam eius, aut intellectum operari operatione increata. Reſpondet præfatus author definitionem hanc Eccleſiæ intelligi de operationibus naturalibus, non de ſupernaturali: ſed certè hæc ſolutio non rectè fundatur. nam neque Monothelitæ dicebant vnam operationem Chriſto conuenire naturaliter, quaſi operatio diuina fieret in Chriſto naturalis, quà homo erat. Perinde enim ipſis foret ad confirmationem ſui dogmatis falſi, ſi vel ſupernaturaliter voluntas humana Chriſti operaretur operatione diuinæ voluntatis, & quod iuxta vſum iam abſtractionum in ſcholis denotatur per ly *naturaliter*, hoc Patres, & Concilia denotabant per concretum naturale, imò ampliùs ex diuerſitate naturarum, & proprietatum colligebant diuerſitatem operationum, vt ea qua naturaliter, id eſt, ſecundùm diuerſitatem in natura conueniret vni, non poſſet conuenire alteri, & per hoc denotabant impoſſibilitatem ſimpliciter, vt vnius operatio fieri poſſet alterius. quòd ſi operatio diuina fieri poſſet ſupernaturaliter voluntatis humanæ, iam corruit doctrina Patrum, & principia, ex quibus fulcitur: quia ſi operatio diuina in gradu ſuo perfectiſſimo, quo reſpicit eſſentiam diuinam communicari poſſet voluntati humanæ Chriſti, aut intellectio increata ſimiliter eius intellectui per modum operationis; ita etiam poſſet vtraque operatio fieri vtriuſque quoad cætera obiecta ſecundaria, ad quæ dicunt ordinem, neque hoc dato repugnarent prædicti hæretici, neque Patres differebant tantùm de euentu, ſeu eo quod contingit in actu, quaſi voluerint tantùm docere quòd vtraque voluntas habuerit in Chriſto propriam operationem naturalem: ſed vlteriùs aſſerunt non fuiſſe poſſibile, vt operatio vnius naturalis fieret vllatenus operatio alterius ob diuerſitatem principiorum, & proprietatum. Aliqua loca huc ſpectantia citaui præcedentibus, agendo de reſurrectione: pro nunc ſufficit locus Ambroſij *lib. 2. de fide cap.* 4. vbi probans Chriſtum eſſe verum Deum, quia eadem facit, quæ Pater, & non ſecundùm naturam, in qua eſt minor Patre: *Si Chriſtus*, inquit, *eſt natura minor Patre, quomodo ea ſimiliter facit, quæ Pater facit? Nam quemadmodum eadem operatio diuerſæ eſſet poteſtatis? Nunquid ſi ſic, poteſt minor, quemadmodum maior operari? aut vna operatio poteſt eſſe, vbi diuerſa eſt ſubſtantia?* Reſpondet præmiſſus author intelligi de operatione naturali, quod denotatur per particulas *ſic*, & *ſimiliter*, quæ emphaſim habent declarandi naturalitatem. Contrà, hoc euertit vim argumenti tam Ambroſij, quàm ipſius Chriſti in Euangelio, vbi dicit, *Pater operatur, & ego operor, & ſe opera patris facere*, quo argumento vtuntur paſſim Patres contra Arrianos ad probandam diuinitatem Verbi: quod argumentum ab effectu ad cauſam præciſam probat, neque poſſibiliter illa opera prouenire ab alia cauſa, quàm à deitate, à qua ita naturaliter procedunt, vt neque ſupernaturaliter, aut poſſibiliter poſſint prouenire ab alio: nam probatio neceſſaria ab effectu ad cauſam determinatam requirit adæquationem, vt valeat conſequentia: non enim ſequitur, *calor eſt: ergo ab igne eſt*, vel *ignis eſt*: quia ſit fallacia conſequentis, cùm calor ab alia cauſa eſſe poſſit, & non ab igne: & vt conſequentia illa teneat, oportet excludere omnem aliam cauſam à qua poteſt eſſe calor, &c. Si ergo operatio deitatis poſſet eſſe à minori natura etiam ſupernaturaliter, non rectè probaretur diuinitas Verbi ab operatione. Huc ſpectant illa Verba abſoluta Ambroſij, & interrogatio facta: *Si Chriſtus natura minor Patre, quomodo ſimiliter facit, quæ pater facit?* vbi particula, *ſimiliter*, non eſt nota

Damnatio erroris Monothelitarum.

Proceſſus Patrum, & intentum contra Monothelitas.

Concluſio Patrum.

Ambroſ.

Reſponſio.

Impugnatio.

Argumentũ ab effectu ad cauſam.

nota modi agendi, ſed identitatis, & ſubſtantiæ actionis eiuſdem:nam in cauſis vniuocis, in quibus eſt diuerſitas naturæ poteſt eadem actio eſſe naturaliter,vel ab vna,vel ab altera, vt generatio ignis huius, vel ab hoc, vel ab illo igne, etiam ſimiliter denotando modum naturalem productionis, & ſimilitudinem in agendo hoc modo; quod tamen non probat conſubſtantialitatem vtriúſque agentis. in propoſito intendit Ambroſius probare conſubſtantialitatem Chriſti in Deitate,& natura cum Patre per identitatem operationis indiuiſæ, quæ per eandem deitatem ab vtróque procedit indiuiſibiliter, & probat eandem naturam deitatis in vtroque,quæ nequit diuidi, aut multiplicari. Eundem ſenſum facit ſequens clauſula:*nam quemadmodum eadem operatio diuerſæ eſſet poteſtatis?*&c. id eſt,nequit eſſe diuerſæ poteſtatis, aut virtutis eadem indiuiſibilis operatio,ſeu indiuiſa,& ſequitur:*nunquid ſic poteſt minor quemadmodum maior operari*,&c. vbi particula *ſic* ſumitur comparatiuè, quantùm ad ſubſtantiam operationis:in hoc ſenſu non poteſt minor operari æquè ac maior,neque eadem indiuiſa operatione:hinc rectè ſequitur concluſio : *aut vna operatio poteſt eſſe vbi diuerſa eſt ſubſtantia*,&c. Quod eſt negare vnam poſſe eſſe operationem, vbi diuerſa eſt ſubſtantia, quod eſt intentum. & intendit Ambroſius negatiuam abſolutè, & ſine vlla limitatione per adiectionem modi naturaliter,aut ſupernaturaliter : vnde interpretatio data non habet locum;quamuis enim eadem ſit naturalis operatio Deitatis in vtroque : de hoc nulla fuit quæſtio cum Arrianis : An ſcilicet *ſi filius eſt Deus conſubſtantialis Patri,habeat eandem operationem naturalem Deitatis:*quia data hypotheſi nulla fuit dubitatio de conſequente, neque Arrius eam negaret ; ſed de antecedente fuit quæſtio, nempe de conſubſtantialitate filij cum Patre, & an ſit Deus:eſſe autem probat Ambroſius ex operatione,quatenus nulli poſſet conuenire niſi Deo: nam & Arriani non negabant ſimilitudinem inter Filium, & Patrem, & aliqua opera Patris conuenire Filio : ſed negabant conſubſtantialitatem, & æqualitatem. Hinc rectè Patres vtuntur prædicto argumento deſumpto ex ipſius Chriſti verbis in Euangelio, ex quibus patet ſcopus Patrum in illa controuerſia de duplici in Chriſto poteſtate:Poſſemus etiam inueſtigare ſententiam Patrum ex illa fidei doctrina, qua remouent ignorantiam à Chriſto, & in quas cauſas reducunt eius ſcientiam, & quo ſenſu dixerit filium hominis neſcire horam iudicij, aut diem, in qua quæſtione plura habentur, quæ ad præſentem difficultatem, & verum ſenſum Patrum in ea ſpectant.

Probatio conſubſtantialitatis ab effectu.

Controuerſia cum Arrianis.

80 Prætereà,Paulus 1.*ad Cor.*13.Charitas manet in patria *charitas nunquam excedit*, &c. ibi autem non erit otioſa : ergo voluntas per eam fruetur ſuo fine, quæ fruitio erit ſatietas eius, & beatitudo. Reſpondet præfatus author, etſi de fide ſit charitatem manere in patria, non tamen eſſe de fide per eius operationem beari creaturam: quia, inquit, etſi illa non concurrit ad amorem matutinum, in quo conſiſtit beatitudo, concurret ad amorem veſpertinum, quo beati & Deum diligunt, & ſeipſos, & reliqua propter Deum. Contrà,ſi amor matutinus non conuenit voluntati per charitatem, neque etiam veſpertinus, quia ſicut amor increatus eſt Dei propter ſe, ſic etiam eſt reliquorum, vt ſunt ad Deum, & propter Deum : ergo ſi voluntas creata illo amore increato tendit in finem, eodem etiam tendit in reliqua,& perfectiùs tendit, quam amore creato charitatis,qui tum ſuperfluit voluntate per altiorem amorem tendente in finem, & ea quæ ſunt ad finem. Patres autem inter perfectiones illius ſtatus enumerant charitatem actualem ad Deum, & cæteros beatos,ideóque neque dicit charitatem ibi fore otioſam, imò id repugnat Paulo, qui non de dono habituali tantùm loquitur, ſed etiam de actuali. Dato ergo quòd charitas non ſit otioſa in patria, ſic argumentor : charitas immediatè tendit in Deum propter ſe per affectum amicitiæ : ergo amore matutino, & beatifico,& ſatiatiuo voluntatis, vt nata eſt ferri in finem.Antecedens eſt per ſe notum, & receptum, quia etiam in via ſic fertur in Deum propter ſe, tanquàm in finem, & obiectum intrinſecum, quem modum operandi nequit mutare in patria, ſicut neque ordinem ad ſuum obiectum, qui eſt Deus ſub ratione Deitatis. Probatur itaque conſequentia, voluntas creata nequit inclinari in Deum finem vltimum altiori,aut perfectiori modo, quàm inclinat charitas ; neque Deus ipſe ſeipſum amare poteſt, inquantùm beatur in ſeipſo, niſi propter ſe, & conſequenter ſecundùm inclinationem charitatis,ſi hoc attributum ſit in Deo diuerſum à voluntate, vel certè ſecundùm rectitudinem charitatis, ſi voluntas infinita ſua rectitudine ſola tendit in obiectum : quia nequit aliter tendere niſi propter ipſum, ſicut & charitas ſupernaturalis tendit, ſi charitas non excedit in patria etiam actualis, erit amor Dei immediatus, & immediatè tendens in ipſum propter ſe:ergo fruitio beatifica Dei præſentis,& clarè viſi inquantùm debetur, aut capax eſt voluntas creata,vt tendit in finem. Conſequentia quoad tria eſt probanda : primum, quòd ille actus ſit Dei clarè viſi ; ſecundum quòd ſit fruitio ; tertium, quòd ſit ſecundùm capacitatem voluntatis vltimam,vt tendit in finem.

Charitas manet in patria vt principium.

Reſponſio.

Impugnatio.

Amor matutinus,ſi nō eſt ex charitate, nec etiam veſpertinus.

Immediatè tendit in Deum.

Voluntas non inclinatur in finem perfectiùs quàm charitas.

Quòd ſit Dei clarè viſi, probatur : quia in patria,quia *videbimus eum ſicuti eſt* ex Paulo *ibidem.* 81
Deinde, quia cognitio hæc ſupponitur in intellectu, vt poſſit voluntas tendere in Deum, ſicuti eſt, & vt præſens eſt ; ſed charitas tendit in idem obiectum ſecundùm omnem modum, quo reſpicitur à voluntate ex natura potentiæ : ſed voluntas vt eſt ad finem, inclinatur ad Deum in ſe præſentem, tam inclinatione potentiæ actiuæ, quàm paſſiuæ, & connaturali,vt aſſerit Ægidius ex ſententia aduerſariorum, quatenus voluntati debetur fruitio finis creata : hæc autem inclinatio, actiua potiſſimùm, & ſecundùm alios,paſſiua, proxima ſaltem conuenit voluntati ex eleuatione charitatis habitualis : ergo charitas habitualis inclinat in finem, vt in re præſens,& conſequenter ad actum fruitionis debitæ voluntati creatæ, & connaturaliter, vt eſt potentia actiua in ordine ad finem.

Charitas reſpicit Deum clarè viſum.

Quòd actus elicitus circa finem præſentem per charitatem ſit fruitio, probatur : quia ille actus eſt fruitio voluntatis tendentis, & mouentis ſe in finem, in quo ceſſat omnis motus voluntatis, qui adæquatur ſuo deſiderio, & intentioni finis : ſed actus charitatis creatæ circa Deum clarè viſum, & præſentem, & propter ſe elicitum,eſt talis : ergo eſt fruitio. Minor probatur, quia nequit voluntas elicitiuè ferri in finem, appetendo, & mouendo ſe in finem, niſi

Actus elicitus charitatis eſt fruitio.

secundùm modum possibilitatis suæ actiuæ, vt redditur ei finis possibilis per media: sed voluntas, vt fertur in finem eliciti uè, nequit perfectiori modo tendere in finem, aut se mouere ad finem, nisi secundùm affectum charitatis creatæ, neque Deus potest aliter voluntatem reducere in finem, aut fruitionem eius eliciti uè, & concurrente ipsa voluntate: ergo neque voluntas eliciti uè se habens ad fruitionem, aut desiderium finis potest aliter, aut perfectiùs tendere in finem, aut eo frui, quàm per actum charitatis, & supernaturalis, & creatæ.

Fruitio per charitatem satiat voluntatē vltimatè vt est ad Deum.

Probatur consequentia principalis quoad tertium membrum, scilicet illam fruitionem creatam tantam esse, quantum debetur voluntati creatæ, & quantum capax est ipsa voluntas finis, imò quod amplius est, eam solam conuenire voluntati quoad exigit eius appetitus, & inclinatio satiari intrinsecè & extrinsecè. Probatur autem sic, non solùm voluntas dicit appetitum passiuum ad finem vltimum, sed etiam actiuum, hic actiuus reducitur in actum per fruitionem creatam: ergo cæteris paribus magis est proportionata ad quietandum voluntatem, inquantùm dicit talem appetitum, quàm fruitio increata, ad quam nullus est appetitus actiuus in voluntate, aut potest esse. Deinde, idē appetitus actiuus voluntatis eleuatæ ordinatur ad actuandum appetitum eius passiuum, tanquàm causa sufficiens: ergo passiuus voluntatis non magis se extendit, quàm actiuus concurrente causa prima, & cæteris per se necessariis seruata proportione: ergo in termino creato, & acquisito talis appetitus, nata est quiescere voluntas, & secundùm rationem rectam, & secundùm desiderium, & in reipsa secundùm inclinationem passiuam ad finem.

Appetitus passiuus voluntatis perfectè actuatur per actiuum eleuatū.

82 *Eiusdem probatio.*

Deinde voluntas eleuata per modum principij elicitiui, & operatiui nata est attingere omnem gradum fruitionis obiecti, prout hæc est nata constituere voluntatem tendentem in obiectum, hoc est, quòd attingat, vel attingere possit tam intensiuè, quàm extensiuè obiectum beati per fruitionem elicitam secundùm inclinationem tam potentiæ, quàm etiam habitus: ergo talis fruitio est vltima, & proportionata potentiæ. Probatur antecedens, voluntas creata non est nata tendere in obiectum beatificum secundùm oppositam sententiam, nisi finito modo, sed omnis finita tendentia potentiæ haberi potest per fruitionem elicitam: ergo omnis perfectio ex obiectiua beatitudine nata est haberi per fruitionem elicitam: sed fruitio increata non aliter perficit potentiam, quà beatificabilis est in fine, nisi inquantùm coniungit potentiam fini: non coniungit autem nisi finito modo; sed iuxta mensuram v.g. meritorum, electionis, & gratiæ, quæ finitum modum gloriæ respiciunt: ergo eundem gradum, quem per increatam attingit voluntas creata potest per solam creatam, & elicitam attingere: quia tendentia potentiæ creatæ, & finita, potest actuari per operationem proportionatam, quæ attingit obiectum, inquantùm in eo consistit beatitudo obiectiua: ex quo patet minor cum consequentia.

Voluntas creata finito modo attingit finem.

Hic modus habetur per charitatem habitualem, cæteris concurrentibus.

Beatitudo æquatur meritis, & gratia.

Confirmatur, voluntas creata non solùm nata est beatificari per obiectum extrinsecè, sed etiam intrinsecè per beatitudinem formalem; sed hanc perfectionem nequit recipere à beatitudine formali increata, quæ est extrinseca: ergo nequit per eam perfectè beari. Maior probatur, quia in genere actus secundi voluntas respicit suum actum perfectissimum, & illum exigit, vt vltimam perfectionem in *esse* formæ; quia non solùm beatitudo formalis est appetibilis propter obiectum, quia vnit ipsi potentiam; sed etiam in *esse* actus, & operationis. Minor probatur, quia beatitudo increata est extrinseca, & nullum dat actum potentiæ præter solam vnionem ab obiectum, & hanc finito tantùm modo; neque vnio, qua vnitur ipsi potentia, est vnio ad eam in *esse*, sed vt fingunt aduersarij, vnio quædam intellectualis, quatenus per eam vnitur obiecto: ergo non complet appetitum potentiæ, qua est ad beatitudinem formalem, vt ad actum intrinsecum, & perfectionem: ergo imperfectiùs constituit potentiam, spectata eius particulari inclinatione, quàm constituat beatitudo creata, & elicita. Ex quibus sequitur à primo ad vltimū completā beatitudinem nostrā consistere in fruitione creata, & non in increta: ergo perfectè spectat ad amorem matutinū, scilicet Dei in se charitas actualis patriæ. 83


Confirm. Voluntas inclinatur ad beatitudinem formalem intrinsecam.

Inclinatio non actuatur per increatā beatitudinē.

Ad confirmationem etiam huius spectat forma præcepti charitatis ex tota anima, tota mente, & toto corde, quod præceptum sanctus Augustinus dicit perfectè obseruari in patria. Accedit ad hæc ratio superiùs præmissa, in qua probatum est operationem increatam non posse esse rationem tendendi in obiectum, nisi potentiæ, quæ potest tendere infinito modo, qua ratione supposita, & supposito etiam quòd de fide est, charitatem in patria manere, neque attingentiam obiecti beatifici esse in creatura aliter quàm finitam, & secundùm merita, eámque esse inæqualem iuxta inæqualitatem meritorum. Sequitur ex his veritatibus, quarum tres sunt de fide, & prima satis probata lumine naturali, hanc sententiam mereri notam, quam eidem inurit Doctor Seraphicus, vel saltem esse falsam, & improbabilem, & impossibilem. Omitto alias rationes, ex quibus eā Doctores impugnant, quas collegit præfatus auctor, & nititur ea soluere. neque dubium mihi est definitionem Concilij Viennensis de lumine gloriæ, & Benedicti XII. de visione animarum, inuoluere hanc suppositionem, quòd beatitudo nostra consistat in operatione creata. Fundamenta oppositæ sententiæ sunt satis superficialia, ad quæ respondet Pater Ægidius loco præfato, qui licèt pro sua pietate conatur liberare dictam sententiam à tota: tamen eam nullo modo approbat.

Sequela dictorum.

QVÆSTIO



Qvæstio III.

Vtrùm beatitudo per se consistat in pluribus operationibus simul?

D.Thom. 1.2.*quæst*.3.*art*.4.*&* *vlt*.*&* *hìc quæst*.1.*art*.1.D.Bonau.1.*part*.*quæst*.5. Richard. *art*. 1.*q*.6.Gabr. *quæst*.2.*art*.3.Sotus *quæst*.1.*art*.3.Vasquez 1.2.*disp*.10.*cap*.1.*&* 2.Canus 12.*de loc*.*c*.14.Vega 7.*in Trid*. *cap*.3.Cord.*lib*.1.*quæst*.42.

1 VTRVM [a] beatitudo per se consistat in pluribus operationibus simul? Quòd sic Augusti.13.de Tri.cap.5.*Beatus est qui habet quidquid vult*,&c. sed non tantùm rectè vult homo operationem vnam,sed plures:quia si rectè vult fruitionem, rectè vult visionem,sine qua non est fruitio. Si etiam rectè vult visionem,rectè vult fruitionem, quia secundùm Anselm.Cur Deus homo cap.1.*Natura intellectualis ad hoc accepit intellectum ad discernendum bonum à malo,vt per voluntatem bonum diligat,& malum odiat.* *Arg*. 1. *Lib*. 2.

Præterea,ex eadem auctoritate sic. Si per vnam operationem potest habere quidquid vult:aut ergo per operationem voluntatis, & tunc sequitur quòd descriptio Augustini æquiualet isti, *Beatus est,qui vult quidquid vult*,quia *habere* est *velle*; cùm omnis operatio voluntatis sit *velle*;sed viator vult, quidquid vult: ergo habet quidquid vult:ergo est beatus;hoc est inconueniens. Si autem *habere*, sit per actum intellectus, tunc sequitur quòd beatus est,qui intelligit quidquid vult:& tunc sequitur, vt priùs, quòd viator erit beatus,quia intelligit quidquid vult. Oportet ergo dicere quòd *habere* istud,non consistit in vno actu solo,hoc,vel illo, nec per consequens in aliqua vna operatione. *Arg*. 2.

Præterea,beatitudo consistit in quocunque, per quod distinguitur per se beatus à non beato:sed distinguitur per se per actum intellectus, quia beatus videt, non beatus non videt obiectum,scilicet beatificum:distinguitur etiam per actum voluntatis, quia si causæ sunt distinctæ, & effectus: actus intellectus videtur esse causa actus voluntatis,quia eo posito ponitur ille actus,& eo remoto remouetur. *Arg*. 3.

2 Oppositum: in quolibet ordine essentiali est status ad aliquod vnum: ergo in ordine finium non tantùm erit status ad aliquem vnum finem extrinsecum, sed etiam inter fines intrinsecos erit aliquis vnus supremus: non ergo sunt duæ operationes de ratione finis intrinseci. Respondeo, vni simpliciter primo in vno ordine possunt duo esse immediata,& per consequens vtrumque est æquè primùm,licèt non simpliciter primum,sed secundò primum:exemplum de causis efficientibus,& effectibus. *Rat. ad opp.*

Contrà,secundo de Generatione. *Idem, inquantùm idem, natum est facere idem*: ergo eidem efficienti non est natum esse proximum,nisi vnicum effectum: ergo à simili in finibus. Respondeo, nisi ordo essentialis specierum concludat duas non posse esse propinquas primæ essentiæ,& ita impossibilitas pluralitatis concludatur ex ipsis productis;non apparet quomodo ex vnitate producentis,possit hìc concludi vnitas effectus, siue producti; quia non semper oportet duorum effectuum assignare duas causas,si omnis multitudo reducenda est ad vnum,sicut ad causam illius multitudinis, *Text*. 56.

Arguitur aliter ad oppositum,quia in prioribus essentialiter in aliquo ordine non est minor vnitas, quàm in posterioribus essentialiter, sed potiùs maior: nunc autem aliquis finis sub fine extrinsecus simpliciter per vnum intrinsecum sibi correspondentem attingitur.

COMMENTARIVS.

Ordo, & diuisio quæst.

[a] VTrùm beatitudo, &c. In superioribus duabus quæstionibus resoluit beatitudinem consistere in operatione, & immediatiùs afficere potentiam, quàm essentiam: in hac ergo gradatim procedens disserit. An beatitudo consistat in pluribus operationibus simul, & quæstio est de essentiali,& formali. adducit duas opiniones, quarum prima est affirmatiua, secunda negatiua. Deinde resoluit quæstionem, & respondet ad argumenta principalia.

SCHOLIVM.

Prima sententia, beatitudinem consistere in actu intellectus, & voluntatis simul, probatur à Rich. duabus rationibus, quibus Doctor addit tertiam. Hanc tenent Rich. *hìc*

hic art.1.quæst.6.D.Bonauent.1.par.quæst.5.Gabr.quæst.2.art.3.Cord.lib. 1. quæst. 42. con.1.& 2.& alij.

Opinio Ric.præsenti d.art.1. quæst.6.

b HIc dicitur quòd beatitudo consistit simul in actu intellectus, & voluntatis. 3
Ratio ad hoc,quia beatitudo consistit in perfecta vnione beatificabilis cum Deo:hæc autem includit vnionem secundùm omnem potentiam, secundùm quam natura illa est immediatè vnibilis Deo. Huiusmodi est tam intellectus, quàm voluntas: quia sicut Deus sub ratione, qua summum verum, est immediatum obiectum intellectus,ita sub ratione, qua summum bonum, est immediatum obiectum voluntatis.

Per virtutem, qua aliquid mouetur in terminum, quiescit in termino.

Prætereà,per quam virtutem aliquid mouetur ad terminum, per eandem quiescit in termino:sed tam per intellectum,quàm per voluntatem natura intellectualis mouetur in Deum: ergo per vtramque potentiam quiescit in ipso: sed beatitudo est perfecta quies naturæ intellectualis in Deo:ergo,&c.

Addo tertiam rationem, quando ad perfectionem alicuius in actu primo requiruntur plura ad perfectionem eiusdem in actu secundo,requirentur etiam plura illis primis proportionabilia;sed ad perfectionem naturæ intellectualis in actu primo requiruntur intellectus, & voluntas, quia sine alterutra esset imperfecta in actu primo: ergo ad perfectionem eius in actu secundo requiruntur actus secundi istis correspondentes: beatitudo ergo, quæ est completa perfectio naturæ intellectualis in actu secundo, includet duos illos actus secundos. Probatur maior, quia natura non potest esse perfectè quietata, nisi quodlibet pertinens per se ad eius perfectionem naturalem,quietetur(da enim quòd aliquid tale non quietetur)ergo natura non secundùm quodlibet sibi intrinsecum quietatur: ergo non perfectè: perfectio ergo quietatiua totius naturæ includit per se quietationem cuiuscunque actus primi pertinentis per se ad ipsam naturam.

COMMENTARIVS.

2 *Sententia affirmatiua.*

b H*Ic dicitur quòd beatitudo*,&c. Hæc sententia est plurium authorum. Richardi. *in hac.d.2.art.1.quæst.6.* Maioris *quæst.3.* Argent.*q.3.* Bassol.*quæst.2.* Supplem. Gabriel. *art.3.* Ocham. *in primo quæst.2.* Alensis 3.*part.quæst.23.in 2.* Henrici. *Quod.13.quæst.2.* Ægidij *quodl.3.quæst.vltima,* nostri Veg.*lib.7.in Trid.cap.3.* Cordub.*lib. 1. quæstionarij quæst.42.* Henriquez *lib. vlt. de fine hominis in principio*, & plurium aliorum. Citatur pro ea D.Bonauentura *in hac d.1. par.dist. art. 3.* vbi de ea non agit: sed de dotibus, ipse enim,vt in præcedentibus dictum est, statuit beatitudinem formalem principaliter in habitu deificante potentiam. Citari solet & noster Doctor hic propter differentiam, quam infrà assignat inter beatitudinem naturæ,& potentiæ,sed immeritò,vt mox videbimus. Hæc sententia probatur primò,quia homo secundùm intellectum,& voluntatem vnitur obiecto beatificanti,nempe Deo in se; beatitudo autem consistit in tali vnione: ergo in ea, quæ est vtriúsque potentiæ. Secundò, quia per vtramque facultatem mouetur homo in Deum: ergo per vtramque acquiritur vnio ad Deum, & fit quies succedens motui in terminum. Tertiò, arguit ipse Doctor, quia per vtramque potentiam perficitur homo in actu primo: ergo per vtramque etiam perficitur in actu secundo, seu per vtriusque actum. Quartò, probatur à modernis,vt Vega, & Cordub. tanquàm definita à Benedicto XII. *In extrauaganti de visione animarum*; vbi definitur *ex tali visione, & fruitione animæ eorum sunt beatæ*, &c. Item, *ex Clement. Ad nostrum de hæreticis*, &c. Vbi definitur lumen gloriæ esse necessarium ad videndum, & fruendum Deo. Item, Catechismus Pij V. *Solida beatitudo*, inquit, *quam essentialem communi nomine licet vocare,in eo sita est,vt Deum videamus, eiúsque pulchritudine perfruamur*, &c. Item, sancti Patres, & Scriptura nunc statuunt beatitudinem in visione, nunc in cognitione: ergo in vtraque operatione est sita.

Fundamenta affirmatiuæ sententiæ.

SCHOLIVM.

Secunda sententia, beatitudinem consistere in vnica operatione. Ita D. Thom. hic quæst.1.art 1.& 1.2.quæst. 3. art.4. & vlt.vbi Caiet. Corn. & alij Sot.hic quæst.1.art.3. Can.12.de locis cap.24.

S.Thom. hic art. 1. quæst. 1. Tex. com. 10. Beatitudinem consistere in vna operatione.

c ALia est opinio in extremo,quòd tantùm in vnica operatione consistit: quia 4
ex definitione Philosophi primo Ethic. *felicitas est operatio optima secundùm optimam virtutem,& in vita perfecta*;nunc autem impossibile est plures esse operationes eiusdem simpliciter optimas:quia nec eiusdem speciei,quia vna talis perfecta sufficit in vno. Patet etiam quòd operationes intellectus, & voluntatis non essent eiusdem speciei;nec possent esse plures optimæ alterius speciei, quia species se habent sicut numeri

numeri.8.*Meta.*& præcipuè hoc verum eſt de ſpecie proxima prima, quòd ipſa eſt tantùm vnica, quia ipſa eſt prima in genere reſpectu aliarum, ſicut primum ſimpliciter eſt primum extra genus. Similiter, non eſt poſſibile eſſe plures virtutes optimas eiuſdem naturæ, ſiue accipiatur ibi virtus pro potentia naturali, quia vnica eſt ſuprema potentia vnius naturæ; ſiue accipiatur ibi virtus pro habitu acquiſito, vel ſupernaturali, ſemper enim ſic & ſic, eſt vnicum tantùm optimum.

COMMENTARIVS.

3 *Negatiua. Sententia*

c Alia eſt opinio, &c. Hanc tenet D. Thomas 1.2.*quæſt.*3.*art* 4. vbi eius Commẽtatores, communiùs Capreolus.*in* 1.*d.* 1.*quæſt.* 1.*art.* 3. Sotus *hìc quæſt.* 1.*art.* 3. eámque tuetur Doctor *in fine huius paragrahi, & quæſtione ſequenti.* Aliqui reducunt quæſtionem ad ſolam nominis controuerſiam, ſed falluntur, quia agitur de eo, quod primò, & eſſentialiter, & per ſe vltimatè coniungit obiecto beatifico, & non de aliis perfectionibus concomitantibus, & accidentalibus, quæ ad beatitudinem eſſentialem ordinantur. Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia Philoſophus 1.*Eth.* videtur ſtatuere felicitatem in operatione optima, & vnica potentiæ vnius; quam rationem deducit Doctor in textu, quia ſpecies ſunt ſicut numeri, & ſic repugnat plures ſpecies eſſe æquales. Deinde, repugnat plures virtutes eſſe æquales in perfectione; beatitudo autem conſtituẽda eſt in operatione perfectiſſima: ergo vna, quia reliqua omnia vna operatione aſſequuntur ſuum finem. Deinde, obiectum beatificum ſub vna ratione beat; quæ ratio per vnam operationem attingi poteſt, per quam acquiritur.

Non eſſe quæſtionem de nomine tantùm.

Fundamentum.

SCHOLIVM.

Sententia Doctoris, ſi beatitudo ſumatur intenſiuè, & pro vltimata perfecta attingentia obiecti beati, quod conſiſtit in vnica operatione; ſi verò ſumatur extenſiuè, pro attingentia immediata cuiuſcunque potentiæ ad idem obiectum, eſto attingentia vnius potentiæ ſit intimior, & vltimatior, conſiſtit in operatione tam intellectus, quàm voluntatis. Simpliciter tamen concedendum eſt quòd beatitudo naturæ rationalis eſt in vnica operatione. Ita D. Thom. Scot. Sotus, Canus citati, & communis.

5 d Ad quæſtionem poteſt dici quodammodo mediando inter opiniones, quia non loquendo de beatitudine, vt dicit aggregationem omnium bonorum pertinentium ad beatificabile, ſed vt dicit illud, quo immediatè attingitur vltimatè obiectum beatificum, poſſet diſtingui de beatitudine naturæ intellectualis, & de beatitudine potentiæ; ſic, quòd licèt natura non beatificetur, niſi ſecundùm potentiam, tamen vt natura eſt aliqua potentia beatificabilis, cuius beatitudo non eſt ſimpliciter beatitudo naturæ, quia non eſt in illo ſimpliciter perfectè benè ipſi naturæ, ſed in aliquo alio nobiliori iſto, licèt ex illo ſit ſimpliciter benè huic potentiæ.[e] Secundùm hoc ergo poteſt dici, quòd beatitudo naturæ intellectualis conſiſtit in operatione vnica tantùm, quia tantùm in vnica eſt ſibi ſimpliciter perfectè benè, ita quòd nihil ſibi deſit; non tanquàm hoc includat omnia pertinentia ad *benè eſſe* naturæ, ſed dicat complementum omnium in benè eſſendo. Et iſtud probatur, quia ſicut obiectum beatificum vnicum re, & ratione eſt, in quo tanquàm in extrinſeco perfectiuo, eſt huic naturæ perfectè benè, & non niſi inquantùm attingitur ab iſta natura ſimpliciter immediatè per operationem; ita talis operatio ſimpliciter erit vnica.

Beatitudo intenſiua conſiſtit in vnica operatione.

6 f Secundo modo dicendo omnem potentiam eſſe beatificabilem, quæ poteſt immediatè attingere obiectum beatificum: diſtinguendum eſt de immediatione: aut enim excludit medium eiuſdem ordinis, quod ſcilicet ſit medium iſti attingendi in ſuo ordine, ſicut operatio eſt medium ipſi potentiæ in attingendo obiectum: aut excludit medium alterius ordinis, quod ſcilicet nihil ſit illo immediatiùs, ſiue perfectiùs attingens, ſiue illud ſit iſti ratio attingendi, ſiue non. Exemplum huius diſtinctionis, cauſa prior, & poſterior immediatè attingunt idem paſſum, ita quòd neutra cauſa agens in paſſum eſt medium: per quod alia attingat illud commune paſſum: tamen prior cauſa immediatiùs attingit, quia intimiùs, & perfectiùs, quia tota attingentia poſterioris eſt in virtute prioris.

Primo modo concedendum eſt quòd immediatè tam intellectus beatificabitur, quàm voluntas, quia immediatus terminus operationis vtriuſque potentiæ eſt ipſum obiectum, ita quòd neutra eſt media reſpectu alterius in ratione obiecti, nec in ratione attingendi obiectum, vt attingitur per iſtum actum: & ita beatitudo totalis extenſiua poſſibilis in natura intellectuali, quia eſt beatitudo duarum potentiarum, quarum

quarum vtraque est suo modo beatificabilis; ista, inquam, consistit in pluribus operationibus: & isto modo si possent esse in natura intellectuali decem potentiæ, quarum quælibet per operationem suam attingeret immediatè Deum, beatitudo totalis extensiua consisteret in decem operationibus.

g Nec obstat, si dicatur quòd Deus sub vnica ratione sola est obiectum beatificum, & sub illa non potest attingi, nisi ab vnica potentia, & per vnicam operationem, & ita potētia attingens eum secundùm aliam operationem, licèt immediatè, tamen non beatificabitur, nisi secundùm *quid*, & secundùm hoc esset dicendum, quòd beatitudo simpliciter, & totalis secundùm potentias ita consistit in vnica operatione, sicut beatitudo simpliciter ipsius naturæ. 7

Beatitudo simpliciter consistit in vnica operatione.

h Secundo autem modo, loquendo de immediatione, planum est quòd non consistit beatitudo nisi in vnica operatione: quia non nisi vnica potentia in natura perfectissimè attingit obiectum: sic ergo loquendo de beatitudine naturæ, qua scilicet ipsi naturæ simpliciter est optimè, saltem ex parte obiecti optimi, & vt optimi, cui coniungitur, beatitudo non est nisi in vnica operatione vnius potentiæ. Consimiliter etiam loquendo de beatitudine potentiæ, prout includit immediationem vtroque modo dictam: nullo ergo modo potest poni consistere in duabus operationibus, nisi ponendo quòd ad operationem beatificam non sufficiat operatio vnica sine alia, quod tamen est dubium.

COMMENTARIVS.

4 *Sentētia Doctoris media.*

d AD *quæstionem potest dici*, &c. Hîc resoluit per viam mediā distinguendo beatitudinem, quà accipitur à Boëtio pro aggregatione, & cumulo omnium bonorum, & pro ea operatione, qua immediatè attingitur obiectum beatificum. In priori acceptione non spectat ad præsentem quæstionem: sed in secunda. In hac acceptione, qua est attingens obiectum beatificum, etiam distingui potest in beatitudinem potentiæ, & in beatitudinem naturæ intellectualis, quia licèt natura mediante potentia beatificatur: tamen vt in natura est aliqua potentia beatificabilis, cuius beatitudo non est simpliciter beatitudo naturæ (id est, perfectissima, eius coniunctio ad finem, & vltimum complementum naturæ secundùm inclinationem, quam dicit ad finem, quà beatificabilis est) illa beatitudo potentiæ non est simpliciter beatitudo naturæ, per quam simpliciter benè sit ipsi naturæ: sed in aliquo alio nobiliori consistit.

Beatitudo potentia & beatitudo nara.

Impugnant aliqui distinctionem allatam.

Hanc distinctionem aliqui impugnant; eam sensit Vasquez ridiculam, quia nullus vnquam dixit accidens aliquod nostrum, qualis est intellectus, beari: hæc enim perfectio totius hominis est, & Angeli, non accidentium: cæterùm alterum membrum distinctionis de beatitudine vnica naturæ rectè admittit. Eandem impugnat Ægidius Lusitanus *lib. 4. de formali beatitudine tom. 1. quæst. 5. art. 3. §. 1.* quòd distinctio hæc pariat confusionem, & non sit philosophica: quia beatitudo potentiæ non est in immediata attingentia obiecti beatifici, sed in illa attingentia, qua attingitur, vt beatificum est, quæ vnica tantùm est. Deinde, quia potentia non est propriè beatificalis vt *quod*, sed vt *quo*. Præterea, non appetit suam operationem potentia, nisi appetitu innato, & naturali, cùm tamen non beatificetur nisi agens, quod appetitu elicito appetit bonum: ergo vna tātùm est beatitudo, qua agens ipsum beatur vt *quod*, potentiæ verò ex consequēti.

5 *Sustinetur distinctio præmissa.*

Respondetur tamen distinctionem præmissam esse fundatam; neque rectè ad scopum Doctoris intellectam, non enim intendit Doctor beatitudinem ita conuenire potentiæ, quasi non sit naturæ, vt principij *quod*: hoc enim repugnat, nam & in sententia Doctoris potentia est eadem naturæ realiter. Intendit ergo Doctor aliud esse considerare beatitudinem extensiuam naturæ; aliud considerare intensiuam secundùm rationem formalem specificam beatitudinis, quà est vltimum complementum naturæ, & vnicum, ad quod cætera ordinātur, & ad quod ipsa natura principaliter inclinatur. Primum horum patet ex prima conclusione huius §. versu, *Secundum ergo potest dici, quòd beatitudo naturæ intellectualis consistit in operatione vnica tantùm: quia tantùm in vnica est sibi simpliciter perfectè benè, ita quòd nihil sibi desit: non quòd hæc includat omnia pertinentia ad benè esse naturæ: sed dicat complementum omnium in benè essendo*, &c. Aliud ergo est esse complementum benè esse naturæ; aliud verò includere omnia, quæ spectant ad benè esse naturæ: quia comparando naturam, vt hîc comparatur ad Deum, vt immediatè attingibilem per operationem, omnis operatio siue eiusdem, siue diuersarum potentiarum circa Deum immediatè, spectat ad benè esse naturę, licèt non sit complementum naturæ beatificabilis secundùm potiorem inclinationem eius ad obiectum beatificum, & Deum in se. Vnde sequitur quòd benè sit naturæ iuxta mentem Doctoris per visionem, & fruitionem, quibus intellectus, & voluntas attingunt finem, seu Deum in se immediatè, quamuis altera harum non sit beatitudo totius, seu naturæ, essentialis, & vltima: non separat ergo beatitudinem potentiæ à natura, quasi illa non sit etiam naturæ: sed distinguit diuersas inclinationes in natura, quarum vna est principalis, & reducitur in actum per beatitudinem formalem, vltimam: quam primariò ita respicit natura (licèt mediante potentia eidem coniungatur vt principio, & subiecto) vt illa simpliciter potior ei tribuatur tanquàm propria per comparationem ad obiectum beatificum, vt hoc modo attingibile, & per comparationem ad alias inclinationes, quibus attingit Deum immediatè, & perficiuntur in natura. Alia autem est inclinatio in natura ad perfectionem recipiendam à Deo, vt attingitur mediante operatione immediata ad ipsum, & hæc est

Explicatur.

Diuersa naturæ inclinatio.

est minùs principalis in natura beatificabili, licèt perfectio eius sit, qua attingit Deum, & compleatur illa inclinatio per operationem ei conuenientem. Hanc vocat Doctor beatitudinem potentiæ (licèt etiam sit naturæ) & non naturæ ad distinctionem eius à beatitudine simpliciter, & propriè loquitur: quia in homine, v.g. omnis operatio potentiarum, per quam perficiuntur, etiam est ad benè esse, & perfectionem totius, licèt secundùm quòd dicit particularem inclinationem mediante potentia determinata: tamen si illa operatio non sit secundùm perfectissimam inclinationem totius, non dicitur operatio totius, neque perfectio totius, sed potentiæ: v.g. in homine visio dicitur operatio potentiæ visiuæ, & non operatio totius, sicut dicitur intellectio, & volitio propria totius: ergo similiter natura comparata ad Deum in se vt attingibilem per modum obiecti secundùm diuersas inclinationes, quarum vna est vltimata naturæ ad perfectionem summam, altera verò ad perfectionem non vltimã, rectè dici potest illa, quæ est potior, esse propria naturæ, illa verò, quæ est minùs principalis perfectio, esse potentiæ, quod est dicere naturæ, vt inclinatur per talem potentiam: nam vbi inuenitur ordo in subiecto, & formis ad discernendam disparitatem, rectè accommodantur nomina, & ad excludendam æquiuocationem. In proposito altera harum operationum circa Deum, in qua consistit vltimum complementum naturæ, rectè dicitur beatitudo, ad quam est potissima inclinatio; altera verò beatitudo secundùm *quid* naturæ, principaliter autem potentiæ: vt assumatur verò distinctio ex obiecto harum vtriusque operationũ ab aliis, rectè vtraque dicitur beatitudo, quia est circa obiectum beatificum, vel specificatiuè, vt illa, in qua non consistit complementum perfectionis; vel reduplicatiuè, vt illa in qua consistit ipsum complementum, rectè etiam ad discernendum inclinationem diuersam naturæ altera denominatur à principio *quo* proximo, altera verò à principio *quod*, licèt vtraque competat naturæ.

Cur dicatur beatitudo potentia.

Proprietas, & fundamentum locutionis seruatur.

6 Alterum, quod *suprà* præmisimus ad scopum huius distinctionis, & intendit Doctor, est beatitudinem sumi ab eo extensiuè, & prout natura quiescit in obiecto beatifico secundùm omnes inclinationes, quibus ipsum immediatè attingit: non verò sumitur beatitudo intensiuè, & præcisiuè pro ea perfectione, qua coniungitur obiecto beatifico, & in qua consistit eius complementum formale, & præcisum: hoc etiam patet ex iis, quæ *infrà* dicit §. *primo modo*, &c. Vbi ostendens quòd tam intellectus, quàm voluntas immediatè se habeat ad Deum, vt obiectum, ita vt neutra media altera, tanquam medio attingendi, feratur in obiectum, subdit: *& ita*, inquit, *beatitudo totalis extensiua possibilis in natura intellectuali* (supple consistit in actu vtriusque potentiæ) *quia est beatitudo duarum potentiarum, quarum vtraque est suo modo beatificabilis, & isto modo si possent esse in natura intellectuali decem potentiæ, quarum qualibet per operationem suam attingeret immediatè Deum, beatitudo totalis extensiua consisteret in decem operationibus*, &c. Hæc verba clara sunt, & exprimunt scopum Doctoris in hac distinctione quatenus sumit in vno membro beatitudinem extensiuam, & sic accedit primæ sententiæ, & quatenus in altero membro sumit beatitudinem intensiuam, & præcisiuè, in qua consistit vltimum cõplementum, & attingitur obiectum præcisè sub illa ratione, & dicit esse vnam, & sic accedit secundæ sententiæ, mediando inter vtramque. Quòd verò nomen beatitudinis dicatur de primo membro, quã sumitur beatitudo extensiuè, patet, quia & Scriptura, & Patres nunc attribuunt beatitudinem operationi intellectus, nunc voluntatis: & vtri harum competat beatitudo intensiua, etiam nunc non constat inter Doctores, vt quæstione sequenti differetur; quin etiam plures negant alterutri seorsim competere: ergo saltem beatitudo extensiua conuenit secundùm vtramque potentiam: quamuis beatitudo, vt habet rationem summæ, & vltimæ perfectionis, non possit nisi in altera harum subsistere determinatè. Dicitur autem illa beatitudo extensiua, non quòd vna in gradu, & forma sit quasi pars, aut extensio alterius; sed ex eo quòd natura non sit completè in omni sua perfectione circa Deum, nisi vtramque habeat; licèt vna excedat alteram in suo genere, quæ dicitur vltima.

Quid sit beatitudo extẽsiua, quid intensiua?

Dici rectè beatitudinẽ extensiuam & secundùm vsum Patrũ

Ex his patet ad obiecta præmissorum Doctorum, qui non differunt ad mentem Doctoris. Ad primum, quod obiicit ridiculum, vt suo verbo vtar, est, neque Doctor intendit vllam esse perfectionem potentiæ intellectiuæ, aut volitiuæ, quin sit etiam naturæ: sed dicit beatitudinem naturæ sumi & intensiuè, & extensiuè; intensiuè quidem consistit in vna operatione, ad quam potior est inclinatio naturæ, & hanc ideò vocat beatitudinem naturæ propriam ea proprietate, qua dicitur intellectio, & volitio esse propria operatio hominis: quia perfectissima, & secundùm summam inclinationem, quam habet ad perfectionem actus secundi, & ad differentiam huius, operatio sensitiua licèt sit etiam perfectio hominis: secundùm illam inclinationem non dicitur hominis propria, sed potentiæ elicientis, & recipientis, vt visiuæ, vel auditiuæ, vel eiusmodi. Ad probationem quam adducit. Respondetur ab omnibus dici intellectum, & voluntatem beari, & ex Scriptura, & Patribus, ac vera Theologia id sequi; non quòd hæc separantur à natura: sed his mediis, & earum operationibus nata sit beari natura, non vt ab his abstrahit, & in rigore Philosophico, illud, quod est *quo* respectiuè ad formam tam recipiendam, quàm etiam producendam, sumit denominationem à forma, sicut & effectum, licèt per hoc non excludatur principium *quod*: rectè enim & vulgariter dicitur superficies alba, anima intelligere, & voluntas velle, intellectus intelligere, anima beari, licèt sit *quo* respectu beatitudinis. Quòd si voluntas sit accidens, eadem etiam denominatio saluatur: quia sicut saluatur in anima denominatio prædicta, licèt sit principium *quo* beatitudinis, ita etiam rectè dicitur voluntas beari, aut intellectus, non in *esse* accidentis, sed voluntatis, & intellectus, sint accidentia vt prædictus Author quasi probatum, aut notum supponit, vel non sint, vt verior opinio tenet, ad præsens non refert. Adiicere etiam possumus hanc denominationem propriè saluari in iis operationibus, quæ ita consequuntur sua principia tam actiua, quàm passiua, vt iis conueniant immediatè in vtroque genere, & nullo alio medio tãquam ratione recipiendi, aut agendi, aut disponendi ex parte naturæ, cui mediatè conueniunt in vtroque præcisè per ipsa principia proxima; & hæc est ratio, cur anima dicatur in homine intelligere, & velle, & cur in ipsa aut Angelo

7 *Ad primam obiectionem Vasquez.*

Denominatio saluatur qua dicitur potẽtia beari.

gelo etiam dicatur intellectus intelligere, aut voluntas velle, quia operatio est ipsorum propria, & intantùm est naturæ, aut totius, vt distinguuntur à principiis, inquantùm est propria principiorum; quidni ergo intellectus, & voluntas dicantur beati, sicut & intelligere, & velle, ex quibus beatitudo redundat in animam, sicut intellectio, & volitio quæcumque: nam ipsa beatitudo in his consistit, vt sunt circa Deum, vt obiectum.

8 *Soluuntur obiectiones Lusitani.* Respondetur ex his ad rationes Ægidij, hanc differentiam esse Philosophicam, & valdè Theologicam. Ratio autem quam adducit, ne eadem replicemus, soluta est ex dictis: latiùs enim sumit Doctor beatitudinem, quàm vt sumitur pro vltimo complemento; quia sumit vt communis est extensiuæ, & intensiuæ, quam voco vltimum complementum: quod specialiter adiicit de appetitu potentiæ, quòd sit tantùm naturalis, & appetitus verus beatitudinis, qui est agentis, sit elicitus, inuoluit repugnantiam, quia omnis appetitus elicitus beatitudinis distinctus ab ipsa beatitudine, nequit esse ab alio principio, quàm à potentia; si autem intelligat ipsam beatitudinem tanquàm appetitum elicitum; dico etiam esse potentiæ: quòd si solus etiam appetitus naturalis supponeretur ad beatitudinem, sufficeret, vt patet in anima Christi, quæ non minùs fuit beata, quamuis nullus appetitus elicitus potentiæ, aut totius supponebatur ad ipsam; neque etiam ad beatitudinem infantis baptizati: ad reliqua eiusdem patet ex dictis.

9 *1. Conclus. Beatitudo essentialis cõsistit in vnica operatione* e *Secundùm hoc ergo potest dici*, &c. Est prima conclusio huius textus, quam iam declaraui, nempe beatitudinem naturæ consistere in vnica tantùm operatione. Eam tenet secunda sententia præmissa: illa autem dicitur beatitudo hoc modo sumpta, quæ est perfectissima operatio naturæ respectiuè ad alias, & secundùm perfectissimam eius inclinationem, & ad obiectum beatificum præcisè, quà beatificum est vltimatè, & prout cætera in ordine ad hanc operationem dantur, vel antecedenter, vel concomitanter, vel consequenter. *Probatio.* Probat autem hanc conclusionem, quia sicut obiectum beatificum est vnum re, & ratione, in quo tanquàm in extrinseco perfectiuo, est huic naturæ perfectæ benè, & non nisi inquantùm attingitur ab illa natura simpliciter immediatè (supple in seipso præsente) per operationem, ita talis operatio simpliciter erit vnica: ergo beatitudo hoc modo sumpta erit vnica operatio. *Responsio.* Dices obiectum beatificum, licèt sit re, & ratione vnum: nempe diuina essentia in se præsens: tamen ex parte naturæ beatificabilis respici sub diuersa ratione, & per diuersa principia, nempe intellectum, & voluntatem, mediantibus quibus natura est nata beatificari: ergo ex vnitate obiecti re, & ratione non sequitur vnitas beatitudinis. *Impugnatur.* Contrà, obiectum extrinsecum perfectiuum naturæ perficit naturam secundùm gradum inclinationis excedentem; sed in natura est diuersa inclinatio secundùm diuersas illas facultates, quarum vna est potior altera, quia repugnat ad idem obiectum esse æquales, cùm nihil superfluum contineat natura, & ordo detur in perfectionibus secundis, & primis, & consequenter in inclinationibus ad perfectiones secundas tam habitualibus, quàm naturalibus, vt rectè probat Doctor *suprà* in Paragrapho antecedenti: ergo obiectum beatificum magis perficit naturam secundùm inclinationem potiorem naturæ: ergo operatio consequens naturam secundùm hanc inclinationem, erit simpliciter perfectissima eius: ergo eius beatitudo essentialis, vt sumitur pro complemento naturæ, vt dicit ordinem ad sui perfectionem intrinsecam, & extrinsecam: ad scopum autem præsentis quæstionis nihil aliud intenditur, nisi dari aliquam perfectissimam operationem in natura, per quam nata est vniri obiecto beatifico, eo modo quo ex eo redundat vltimatè perfectio naturæ suprema; hoc autem dato sequitur intentum, nempe illam esse beatitudinem essentialiter, & probatur sequela: quia alia quæcumque operatio ad hanc ordinatur, non è contra hæc ordinatur ad alias, sed in ea fit status procedendo secundùm ordinem formæ, & actualitatis; omnis enim perfectio secunda naturæ non solùm ordinatur ad naturam, vt est actus primus eius, sed etiam ordinatur ad alias perfectiones secundùm gradum, in quo perficit naturam: nam ipsa natura ideò recipit inclinationes ad perfectiones inferioris ordinis, quo reddatur capax perfectionis supremæ, ad quam ordinatur, & ad quam perficitur: v.g. in natura substantiali est inclinatio ad quantitatem, vt ea media per actionem, & passionem disponatur ad receptionem formarum, & ad agendum in alia; recipit qualitates, & cætera consequentia ad perfectionem suæ formæ substantialis, & consequenter totius, ita vt hæc omnia ordinentur ad ipsam formam, qua constituitur; forma verò sit per se prima, propter quam reliqua conceduntur. *Datur potior inclinatio in natura intellectuali.* *Ordo perfectionum in natura seruatur.* In viuentibus eodem modo licet discurrere, in quibus sensus ad phantasiam, phantasia ad intellectum, & appetitum ordinatur.

Sed hoc ampliùs probatur ratione, quia sicut eidem naturæ repugnat ordinari ad diuersa prima, & non subordinata agentia; ita etiam repugnat eam ordinari ad diuersos primos fines non subordinatos: quia ad multiplicationem prioris sequitur multiplicatio posterioris essentialis; finis autem est prior essentialiter natura, sicut & agens: sed si posset ordinari ad eundem finem secundùm diuersas inclinationes immediatas, & non subordinatas, perinde se haberet, ac si ordinaretur ad diuersos fines non subordinatos: quia ex parte naturæ esset multiplicitas inclinationum, & perfectionum non subordinatarum, licèt in fine esset identitas in *esse*, non tamen in *esse* termini extrinsecè perfectiui per modum finis, vniformiter influentis: ergo id repugnat naturæ æquè primò respicere finem difformiter, & æquè primò perficientem sine vlla in ipsis perfectionibus, aut inclinatione perfectibilis naturæ ordine. Si autem dicatur quòd sit ordo perfectionis in natura, & actibus, & modo attingendi obiectum secundùm gradum cæteris perfectius, in ea operatione consistit beatitudo, quæ est suprema perfectio naturæ intellectualis, & in ordine ad quam obiectum præcisè habet rationem simplicem finis, & primam in genere causæ finalis, & consequenter vnica erit potentia suprema naturæ inter alias, per quam præcisè respicit finem vt finis, & eius operatio erit beatitudo essentialis: quia illa est suprema potentia, per quam natura coniungitur suo fini sub ratione finis. 10 *Idem ordo probatur.* *Nequit ordinari natura ad diuersos fines non subordinatos.*

Dices finem in *esse*, seu ad quem in reipsa reducitur natura, esse tantùm vnicum, non inde sequi finem in operatione esse vnum. Contrà, finis qui est vltimus naturæ in *esse*, idem necessariò est eius in *operari*, maximè per quod natura vltimatè 11 *Responsio.*

Quietatio natura in fine. vltimatè perficitur: quia sicut operatio consequitur ad *esse* tanquam perfectio eius secunda, ita etiam tunc est quietatiua naturæ in *esse* entis, qua reducitur in principia eius ostendi, & maximè in finem, vt ad vltimum terminum essendi: *Efficiens agit propter finem.* ergo si nequit multiplicari finis in *esse* vltimus, sic etiam nequit multiplicari finis vltimus in *operari*. Probatur antecedens cum consequentia: quia perfectio naturæ in *esse*, vt est à prima causa efficiente, est propter finem: ergo quò magis participat finem, vel ad illum accedit participando eius bonitatem, eò est perfectior, quia colligimus perfectionem supremi entis creati, non quà est à primo efficiente, quod sibi, & aliis est commune: sed quia magis participat bonitatem eius, vt finis in essendo: ergo nequit operatio, quæ est perfectio secunda eiusdem naturæ, respicere alium finem, quàm illum, qui est essendi: quia sic neque perficeret primum *esse* naturæ, si perficeret aliter quàm natura est ad finem in *esse*, à quo nequit abstrahere, neque operatio ipsa referretur ad finem suæ causæ à qua est. Deinde, *Facultates natura spectant ad actū primum, & respiciunt finem natura.* facultates, & inclinatio naturæ spectat ad actum primum eius: ergo earum operatio spectat ad eundem finem actus primi in essendo. Accedit quòd in hac ratione operationum etiam consistit in specie perfectio naturæ intellectualis ex parte, & imago, per quam assimilatur participando finem vltimum sui in *esse*, quo excedit creaturas alias intellectuales in *esse*: quia propinquior *Natura intellectualis perfectiùs ordinatur ad finem.* est fini in *esse*: tunc autem perfectè attingit, & refertur ad finem in *esse*, quando coniungitur ei per operationem beatificam. Accedit ad hæc, illam distinctionem non soluere argumentum: quia sicut finis in *esse* est prior essentialiter natura, ideóque nequit multiplicari ordo ad finem in natura, ita etiam finis in *operari* est prior essentialiter operatione, & potentia, qua per operationem beatur, tanquam perfectiuum eius extrinsecum, & supremum: ergo ex eadem ratione nequit multiplicari in *esse* finis beatificantis, quà influit in naturam, neque beatificatio ipsa in natura multiplicari.

12 *Responsio Suarez.* Dices cum Suarez 1.2.*disp.6.quæstiunc.3. in vltimo dicto*, requiri multiplicitatem operationum, quibus attingitur finis vltimus ob perfectionem excedentem obiecti in se, & ob imperfectionem subiecti, quatenus vna simplici ratione nequit attingere obiectum. *Impugnatio.* Contrà, licèt subiectum attingat obiectum sub duplici ratione: tamen non sequitur quòd beatifica attingentia consistat in illa duplici operatione, sed in altera contingente obiectum beatificans secundùm capacitatem, & exigentiam finitam naturæ beatificabilis. *Attingere obiectū beatificum per plures operationes non est ex imperfectione natura.* neque etiam illa duplex attingentia procedit ex perfectione obiecti excedente, aut imperfectione potentiarum: sed ex natura obiecti, & potentiarum, & ipsarum operationum: quia etiam in Deo, vbi nulla est imperfectio, diuersa operatione contingitur obiectum, nempe visione, & fruitione essentiali: ita etiam creatura intellectualis, si operetur in finem, etiam in creatis, necessariò operatur per intellectum, & voluntatem circa quodcumque, licèt sit inferioris ordinis, & perfectionis: vniuersim ergo natura intellectualis ita operatur, & non aliter, si exit in actum completum suarum facultatum.

Responsio Valentia. Dices cum Valentia beatitudinem essentialem vindicare sibi operationem præstantissimam, quę sit complementum naturæ, tamen non eam solam: sed etiam aliam spectare ad beatitudinem essentialem. Ita 2. *tom. disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 4. Eadem etiam est solutio Suarez. Contrà, illa *Impugnatio.* operatio perfectissima attingit obiectum beatitudinis perfectissimo etiam modo, quo attingi potest in ratione beatificantis, & termini extrinseci naturæ, & secundùm perfectissimam naturæ inclinationem: ergo in ea sola consistit vltimum complementum, & *benè esse* naturæ, quà beatificabilis est. Probatur consequentia, quia ratio superiùs facta in confirmatione perinde impugnat præsentem responsionem. Deinde, operatio imperfectior naturæ circa idem obiectum nequit integrare cum operatione illa perfectissima eandem perfectionem essentialiter, quæ est secundùm aliam inclinationem inferiorem, & non attingentem obiectum ea perfectione, qua prior, neque cum ea communicat in *esse*: ergo nequit vltimam perfectionem naturæ integrare, nisi tantùm extensiuè, prout tenet Doctor in secundo membro distinctionis. Patet consequentia, quia illa solùm est perfectio, & beatitudo naturæ, quæ est secundùm inclinationem potissimam, & supremam eius, sicut illa est perfectio intensiua, & suprema hominis, quæ competit ei secundùm inclinationem vltimam, & supremam in ipso, non secundùm inferiorem, licèt illa integret extensiuam eius perfectionem.

Alij respondent Deum in ratione obiecti beatificare sub diuersa ratione, nempe veri, & boni. 13 *Responsio aliorum.* Contra hanc est quòd Deus beat in ratione obiecti creaturam, eo modo, quo ipse in seipso est *Impugnatur.* beatus per suam essentiam: & recurrunt rationes factæ, dato quòd altero modo terminet perfectissimam operationem, ideóque hæ responsiones magis reducunt difficultatem ad quæstionem de nomine; quia admittunt quod intenditur, licèt dicant totam beatitudinem in vnica operatione illa perfectissima non consistere, quod verum est de beatitudine extensiuè sumpta, quatenus scilicet creatura attingat Deum in se, & ab ipsa per modum obiecti perficitur. Cæterùm, quia vnica, & simplex est perfectio, qua creatura perficitur à fine, vt est ad finem secundùm inclinationem potissimam, ideò statuitur eius vltimum complementum in illa operatione tantùm, & non in alia.

f *Secundo modo dicendo*, &c. Hæc est secunda 24 conclusio huius literæ, nempe beatitudinem ex- *2. Conclusio.* tensiuam consistere in pluribus operationibus, nempe in operatione intellectus, & voluntatis, *Extensiua beatitudo in pluribus consistit.* quibus attingitur Deus in se per modum obiecti beatifici immediatè. & hanc probant fundamenta primæ sententiæ, & nihil aliud. Distinguit Doctor immediationem illam attingentiæ, *Immediata attingentia qualis sit.* quia vel excludit medium eiusdem ordinis: v.g. operationem diuersam ab ea, qua attingitur obiectum, vel medium alterius ordinis, ita vt nihil *Multiplex.* perfectiùs, aut immediatiùs attingat obiectum quàm hoc quod dicit immediatè attingere. Sub- *Exemplum.* iicit exemplum in causis efficientibus priori, & posteriori, quarum qualibet attingit passum im- *Diuersa attingentia effectus per causas.* mediatè, ita vt neutra sit alteri medium attingendi: causa tamen prior immediatiùs attingit: quia intimiùs, & perfectiùs: quia tota attingentia posterioris est in virtute prioris; sicut patet in causa prima, & secunda. Quantùm ad immediationem primo modo sumptam, tam intellectus, quàm voluntas immediatè attingunt obiectum;

obiectum; quia neutra est alteri medium attingendi, neque in ratione obiecti, neque in operatione, quæ est medium attingendi, & ideò beatitudo extensiua totalis consistit in vtraque operatione: imò si essent plures potentiæ, quæ immediatè sic attingerent, beatitudo extensiua consisteret in omnibus operationibus collectiuè.

15 *Obiectio.* [g] *Nec obstat, si dicatur,* &c. Occurrit obiectioni, nempe quæ opponeretur, beatitudinem simpliciter consistere in vna operatione perfectissima, qua sola per vnicam potentiam attingitur obiectum beatificum, quà beatificum est. & licèt immediatè attingatur per operationem alterius, illa non erit beatitudo, nisi secundùm *quid.* & *secundùm hoc,* inquit, *esset dicendum quòd beatitudo simpliciter, & totalis consistit in operatione vnius potentiæ.* Hanc obiectionem non soluit; quia æquiuocat in sensu: nam loquendo de beatitudine extensiua, negandum est antecedens, de intensiua concedendum, & sic respondet in subiuncta litera, quæ est secundum membrum præmissæ distinctionis de *immediationis* acceptione.

16 *Attingentia secundū perfectionem.* [h] *Secundo autem modo loquendo,* &c. Id est, de immediatione, vt sumitur pro perfectiori attingentia, dicit sic planum esse beatitudinem consistere in vnica tantùm operatione: quia non est nisi vnica tantùm potentia in natura, qua perfectissimè attingitur obiectum beatificum, & secundùm quam attingentiam perfectè benè est ipsi naturæ ex parte obiecti perfectissimo modo, & secundùm potiorem inclinationem attingibilis: & eodem modo dicendum de beatitudine vtriusque potentiæ: illa sola intensiua est, & strictè sumpta, qua perfectissimè attingitur tale obiectum, licèt beatitudo extensiua consistat in vtraque, quæ est lata acceptio beatitudinis, prout est perfectio naturæ secundùm omnes potentias, quà respicit Deum, vt obiectum; & concludit nullo modo statuendum esse beatitudinem in pluribus operationibus, nisi teneatur quòd ad operationem beatificam non sufficiat operatio vnica sine alia, *quod est dubium,* inquit. Sustinendo itaque hanc sententiam, quæ prima est in ordine, quoad beatitudinem non solùm extensiuam, prout eam limitat Doctor, sed etiam quoad intensiuam: tenendum esset consequenter vtramque operationem æquè intensiuè attingere obiectum beatificum, neque esse ordinem perfectionis inter ipsas operationes, neque etiam inter potentias operatiuas: quia vtraque tam operatio, quàm potentiæ sunt diuersi ordinis, & sunt perfectiones simpliciter, quæ inueniuntur in Deo formaliter, quarum neutra fluit, ab alia tanquam à radice: sed vtraque æquè primò conueniunt enti simpliciter, & sic non esse comparabiles secundùm perfectionis excessum: quia vniuersitas etiam causarum creatarum, & secundarum, vt rectè Doctor *in 1. dist. 2. quæst. 2.* non reducitur ad Deum, quà est mensura earum, sub vnica & simplici ratione, sed sub diuersa: nempe causæ naturales reducuntur ad Deum, vt per intellectum producit, & operatur per modum naturæ; causæ verò liberæ reducuntur in Deum vt operatur per voluntatem, inter quas in Deo non est ordo perfectionis, sed vtraque est prima in suo genere diuerso. Sic etiam dici potest in creatura nullum esse ordinem perfectionis inter has potentias, aut operationes earum, licèt sit ordo quidam generationis, quo prior est in actu intellectus, quàm voluntas; sic ergo dicendum nullum esse perinde ordinē perfectionis in operationibus, sed vtramque æquè primò perficere in suo genere naturam, cuius est, quæ sicut dicit æquè primò inclinationem per vtramque facultatem ad obiectum, ita etiam essentialiter beatificatur per vtriusque attingentiam. Quod autem superiùs dictum est, esse nempe subordinationem in ipsis potentiis, & inclinationibus diuersis naturarum; respondendum est illud esse verum quoad eas, quæ non sunt perfectiones simpliciter, & diuersi ordinis, non verò in his. Hæc sententia hoc modo fundata est difficilis impugnationis.

Explicatur prima sententia de pluribus operationibus, & quomodo sustinenda sit.

Non esse ordinem perfectionis inter potentias rationales, & operationes

SCHOLIVM.

Soluit tres rationes positas num. 3. pro sent. Rich. D. Bonauent. & aliorum satis clarè, & rationem adductam num. 4. pro sententia D. Thom. quatenus posset aliquid concludere contra beatitudinem extensiuam, quæ in pluribus operationibus consistit. Si verò intelligatur D Thom. de beatitudine intensiua, conuenit cum eo Doct. quòd est in vnica operatione. Sed dissentiunt quoad subiectum, vel potentiam huius operationis, de quo quæst. sequent.

Refellit rationes Richardi. [i] Ad argumenta pro prima opinione. Ad primum, minor non est vera, nisi de immediatione vna sine alia: & per hoc non sequitur, nisi quòd beatitudo non 8
sit in altera tantùm, prout beatitudo includit vtramque immediationem. Similiter beatitudo naturæ non consistit, nisi in illa, qua natura immediatissimè attingit obiectum: illa autem est vnica, licèt aliqua eius potentia per aliam operationem attingat obiectum illud immediatè immediatione possibili illi potentiæ.

Tantùm appetitus propriè tendit in finē, non intellectus. [k] Ad secundum potest dici, quòd tendere in finem, non competit, nisi appetitui propriè, & hoc sicut *tendere* comparatur quasi motui: quia intellectus, licèt tendat in obiectum præsens, hoc tamen est æquiuocè accipiendo *tendere:* nunquam tamen tendit in aliquid, quasi in terminum motus acquirendum, scilicet per motum. Aliter concesso quòd per vtramque potentiam tendat in obiectum beatificum, quadam

scilicet

ſcilicet operatione imperfecta, quæ poteſt haberi circa abſens; poteſt concedi vna tendentia eſſe, qua natura tendit in ipſum principaliter: & ita illam ſequitur quietatatio vnica, quæ eſt quietatio naturæ principaliter; reliqua autem tendentia eſt minùs principalis tendentia ipſius naturæ, & ſic quietatio ſequens. Comparando etiam potentias inter ſe, illæ tendentiæ non ſunt in ipſum obiectum immediatè duplici immediatione, ſed tantùm altera, & ita erit immediata quietatio ſequens. Illa ergo beatitudo eſt naturæ prout includit duplicem immediationem operationis ad obiectum.

9 [l] Ad tertium dico, quòd talis quietatio naturæ, loquendo de totalitate extenſiua, requirit quòd quicquid eſt in natura quietabile, quietetur: & huiuſmodi beatitudo hominis non eſt ſine reſumptione, & reunione animæ ad corpus, quia aliquis appetitus eſt in ipſa anima ad corpus tanquàm ad proprium perfectibile, vel ſaltem è conuerſo in materia, ſicut in proprio perfectibili ad formam illam, ſcilicet animam, ſed inter illas quietationes, vna eſt quietatio ſimpliciter ipſius naturæ, quæ ſcilicet eſt quietatio ſimpliciter nobiliſſima in illa natura, inquantùm quietabilis eſt. *Non eſt perfecta beatitudo extenſiua vſque ad reſurrectionem.*

Dico ergo, quòd ſicut ſunt aliqua multa pertinentia ad actum primum alicuius, ita poſſunt eſſe multæ quietationes illorum multorum, & vnica totius, totalis totalitate extenſiua includens illas multas: ſed illorum omnium eſt vnica, quæ eſt vltimata quietatio in obiecto, quæ & ſola eſt ſimpliciter totalis quietatio naturæ, loquendo de totalitate intenſiua.

Ratio pro alia opinione poteſt concedi, intelligendo concluſionem de operatione vnica beatifica ſimpliciter, quantùm ad vtramque immediationem: loquendo etiam de operatione completiuè beatifica totius naturæ: ſed ſi intelligatur de beatitudine totali totius, totalitate extenſiua; non cogit, quia multæ operationes: quarum vna eſt ſimpliciter nobilior altera, poſſunt concurrere in optimo ſic, ſcilicet extenſiuè. *Soluit rationem pro opin. D. Th.*

10 [m] Ad argumenta principalia. Ad primum dico quòd ly *quidquid* non accipitur ibi pro quolibet appetibili diuiſiuè, ſed pro vno, in quo continentur omnia vnitiuè: & ſic habendo obiectum beatificum, per quemcunque actum dicatur haberi, habet quidquid rectè vult: quia eſt eminenter in illo, propter quod ſolum eſt rectè volendum; & in hoc habet omnem actum rectè volendum: cùm ergo ſumis ſub, quòd hæc, & illa operatio ſunt rectè volendæ in ſe, patet quòd non rectè ſumitur ſub maiori. *Ad arg. 1.*

[n] Ad aliud dico, ſicut dicetur in ſequenti quæſtione, quòd *habere* ſumitur ibi pro actu volendi, non quocunque, ſed perfectè ſequente viſionem nudam: & qui tali actu habet quicquid vult, hoc eſt vnum, quod eſt eminenter omne volibile, ille eſt beatus: ſed non ſequitur: ergo quicunque vult quidquid vult, eſt beatus, quia per inferius poteſt dari definitio, vel deſcriptio propria alicuius, non ſic per ſuperius, quia pluribus conuenit: vnde in forma, eſt conſequens ab inferiori ad ſuperius cum diſtributione. *Ad 2.* Beatus eſt qui habet quidquid vult, *explicatur, de quo quæſt. praeced. ad primum.*

11 [o] Ad tertium, nego maiorem, quia multa poſſunt eſſe diſtinctiua in aliquo, ab alio, nec tamen quodlibet eorum eſt de eſſentia eius inquantùm diſtinctum eſt: ſed ſolùm illud, quod primò, & eſſentialiter diſtinguit: & ſi hìc intelligas per hoc; quod dicitur per ſe, in maiori, ſcilicet eſſentialiter, & per ſe primo modo; concedo maiorem, & minor eſt falſa, quia per ſolum actum voluntatis, hoc modo per ſe, diſtinguitur beatus à non beato, de quo ampliùs dicetur in quæſtione ſequenti de fruitione. *Ad 3. Beatus per viſionē non diſtinguitur per ſe primò, à non beato.*

Argumentum in oppoſitum poteſt concedi, intelligendo de beatitudine ſimpliciter ipſius naturæ, & de operatione quacunque ſimpliciter beatifica, ſcilicet vtroque modo immediationis, attingente immediatè obiectum: & hoc apparet probabile, cùm ponentes beatitudinem eſſe in vtraque operatione, vel ambabus, dicunt alteram earum per ſe ad alteram ordinari, & per conſequens, nec vtraque, nec ambæ ſunt vna perfectio vltima ſimpliciter ipſius naturæ, quamuis vnica earum ſit ſimpliciter vltima perfectio potentiæ. *Ad rationē ad oppoſitū n. 2. Ric. ar. 1. quæſt. 6.*

COMMENTARIVS.

17 [i] AD *argumenta pro prima opinione. Ad primum,* &c. Primum fuit, quòd beatitudo conſiſtat in perfecta vnione naturæ beatificabilis ad Deum: ſed hæc includit vnionem ſecundùm omnem potentiam, qua attingitur Deus immediatè: ergo operationem intellectus, & voluntatis. Reſpondetur diſtinguendo minorem, quoad beatitudinem extenſiuam conceditur, quoad intenſiuam negatur. Vel aliter de vnione immediata primo modo ſumpta, quatenus excludit medium ex parte obiecti, & operationis, ſeu attingentiæ conceditur, de immediatione ſecundùm perfectum modum attingibilis, vt vltimi perfectiui, per quod benè eſt naturæ vltimatè, negatur; hoc autem modo non attingitur niſi per vnicam potentiam, & operationem. *Ad primum pro prima opinione. Reſponſio.*

18 *Ad secundũ.* k *Ad secundum*, &c. Hoc fuit: per eandem virtutem, qua mouetur natura in terminum, per eandem quiescit in termino; sed per intellectum, & voluntatem sic mouetur natura intellectualis: ergo per vtramque quiescit: sed perfecta quies est beatitudo: ergo, &c. Respondet primò, quòd solius appetitus est propriè moueri, non intellectus; & sic illius erit propriè quiescere in fine, quia illius est velle finem, & tendentia intellectus tantùm æquiuocè dicitur motus in finem. Respondet secundò; licèt vtraque potentia tendat in Deum, vt obiectum: tamen altera, quæ est perfectior, tendit perfectiùs, & principaliter, altera verò non ita; licèt tendentia vtraque sit immediata, altera erit secundùm *quid*, vt comparatur ad alteram. Responderi potest quòd beatur vtraque extensiuè, & natura etiam secundùm eandem sic beatur: tamen intensiuè per perfectionem beatur, ad quam perfectior est inclinatio, & perfectiùs attingitur finis, vt finis vltimatè perficiens.

Responsio. Moueri conuenit appetitui, non intellectui.

2. Responsio.

Ad 3. l *Ad tertium dico*, &c. Tertium fuit: quando ad perfectionem alicuius in actu primo requiruntur plura, etiam requiri ad perfectionem actus secundi: sed ita se habet intellectus, & voluntas quoad actum primum respectu naturæ: ergo earum etiam operationes quoad actum secundum. Respondet quantùm ad beatitudinem, & quietationem extensiuam veram esse maiorem, quoad intensiuam, falsam: quando plura spectant ad actum primum, quæ dicunt ordinem ad secundùm, sic plures sunt quietationes naturæ extensiuè; tamen in illius potentiæ actu quæ perfectissima est, erit eius quietatio intensiua quoad operationem, & actum secundum eius.

Responsio.

Quies est in actu perfectissimo.

Ad alia quæ obiiciunt moderni: communiter reiicitur illa censura, quia definitio Benedicti XII. ad præsentem quæstionem non pertinet; damnat enim, qui dicebat animas purgatas non videre Deum clarè, neque eo frui, sed habere quoddam genus beatitudinis imperfectè. Contrarium definit Benedictus, nempe eos vere frui Deo, & habere eius visionem, & non imperfectè, vt alij dicebant beari, sed beatitudine consummata, & naturaliter perfecta tam intensiuè, quàm extensiuè; sic etiam intelligitur Clementina. *Ad nostrum*, & Catechisinus Pij V. loquens de beatitudine solida, id est, integra, & completa. Eodem modo tam Scriptura, quàm Patres intelligunt cùm promiscuè nunc loquuntur de operatione vnius potentiæ, nunc alterius, attribuendo ipsi beatitudinem, non quòd vtraque sit beatitudo, vt sumitur pro vltimo complemento, per quod benè est naturæ, sed quòd vtraque per se requiratur, & extensiua beatitudo in illis consistit: aliquando enim beatitudo explicatur à Scriptura, & Patribus per gaudium, & alia quæ consequuntur beatitudinem, quamuis non in his consistit beatitudo formalis intensiua, aut extensiua, quæ consistit in attingentia obiecti per operationem vitalem. Obiiciuntur prætereà rationes in fauorem prædictæ sententiæ, sed iam ex dictis habent solutionem: quia tantùm probant beatitudinem extensiuam consistere in pluribus operationibus, quod verum est. quatenus verò sumitur strictiùs beatitudo pro vltimo complemento naturæ, consistit in vnica tantùm operatione. Quod verò *suprà* adiecimus de his perfectionibus, nempe intellectus, & voluntatis, suarúmque operationum, vt sunt perfectiones simpliciter, & diuersi ordinis, & incomparabiles secundùm excessum perfectionis, responderi potest, quòd aliud est secundùm vtramque perfici naturam in diuerso genere, & aliud est perfici eandem in determinata ratione beatitudinis, quia beatitudo essentialis intensiua naturæ, est illa, qua coniungitur finis, quà beatificatiuus est præcisè, & vltimò quietans appetitum naturæ, vt respicit finem: hæc autem in vna operatione consistit, in eáque sola, quæ est potentiæ respicientis finem, quà finis, & non tantùm quà obiectum. quænam autem sit illa, dicetur *in quæstione sequenti*. Rationem pro secunda opinione concedit Doctor cum limitatione, quæ sæpiùs expressa est, & habetur in textu.

Reiicitur censura.

m *Ad argumenta principalia. Ad primum*, &c. Primum fuit ex Augustino lib. 13. de Trin. cap. 5. *Beatus est qui habet quidquid vult, & nihil mali vult*, &c. Sed non solùm rectè vult vnam operationem, sed plures, vt visionem, & fruitionem: ergo in his duabus saltem consistit beatitudo essentialis. Respondet quòd illud *quidquid vult*, &c. non destribuat pro omni appetibili diuisiuè, sed sumi pro aliquo bono eminentissimo, & supremo, quod includit omnia vnitiuè, & sine imperfectione: sic ergo habendo obiectum beatificum, quicumque sit ille actus, per quem sic habetur, *habet quidquid vult*. Ex quo patet ad maiorem, minor transeat, & negatur consequentia: quia est processus à non distributo ad distributum. 19 *Ad arg. principalia. Ad primum.*

Responsio.

n *Ad aliud*, &c. Hoc fuit secundum ex eadem authoritate, quia si per vnam operationem *habet quidquid vult*, sit illa operatio voluntatis, & sequitur quòd descriptio Augustini æquiualeat huic: *Beatus est qui vult quidquid vult*: quia *habere est velle*: sed viator sic etiam *habet quidquid vult*: ergo erit beatus. Eadem forma vrgeri potest de actu intellectus. Respondetur quòd *habere* ibi sumitur pro actu volendi, non quocunque: sed perfectissimo sequente visionem obiecti beatifici, & negatur consequentia illa: *ergo quicunque habet quidquid vult, est beatus*, quia committit fallaciam consequentis. *Ad secundum.*

Responsio.

o *Ad tertium*, &c. Tertium fuit: beatitudo consistit in eo, per quod distinguitur per se beatus à non beato; sed per alterutrum actus, aut voluntatis, aut intellectus, sic distinguitur: ergo in vtroque consistit beatitudo. Respondetur negando minorem, quia multa possunt distinguere vnum ab alio: v. g. proprietates, & quæ consequuntur: quæ tamen non spectant ad essentiam constituti. Si autem particula *per se*, intelligitur in primo modo dicendi per se, erit vera, & minor est falsa. *Ad 3.*

Responsio.

Respondet prætereà Doctor ad argumentum in oppositum, quod est pro sententia affirmatiua; quæ responsio est clara ex litera, & videtur admittere eam, quæ statuit beatitudinem in operatione duarum potentiarum esse probabilem; quod etiam plures tenent, & certè videtur satis fundata. Adnotandum autem est quòd hîc dicit quòd vna operatio non ordinetur ad alteram, & sic nequeat in vna sola statui vltima perfectio naturæ, licèt in ea possit esse vltima perfectio potentiæ, tenendo hanc sententiam; itaque non rectè aliqui sequentes eandem sententiam dicunt vnam operationem esse altera perfectiorem. *Argumentũ in oppositum soluitur.*

Ex

20 *Reiicitur sententia quorundam.* Ex dictis hactenus sequitur non rectè quosdam statuere beatitudinem supponere collectiuè pro omnibus, quæ spectant ad perfectionem illius status, siue quoad animam, siue quoad corpus: quia in omni statu quædam sunt essentialia, & substantialia status; quædam verò perfectiones accidentales ex his redundantes; beatitudo verò supponit pro acquisitione vltimi finis, & non pro aliis, quæ ad beatitudinem, seu prædictam acquisitionem sequuntur; ideóque in definitione illa Benedicti XII. definiuntur animæ habere beatitudinem, licèt non habeant omnia, quæ ad statum beatitudinis, quam habituræ sunt in corpore. Paludanus distinguit duplicem beatitudinem, aliam speculatiuam, aliam practicam, seu actiuam: sed neque hæc distinctio facit ad propositum beatitudinis: nam esse practicum, aut speculatiuum sunt differentiæ communes, quarum vsus ad præsentem materiam est extraneus; quamuis verum sit visionem illam esse practicam, & fruitionem, sicut & omnis actus voluntatis est praxis, modò fruitio dicatur liberè elici; sed quæstio hæc de speculatiua, & practica est alterius loci, quam fusè explicat Doctor *in Prologo sententiarum libr.* 1. *quæstion.* 4.



QVÆSTIO IV.

Vtrùm beatitudo per se consistat in actu intellectus, vel voluntatis?

D.Thom.1.2.*quæst.*3.*art.*4.& 8.*& hic quæst.*1.*art.*2.Richard.*art.*1.*quæst.*7.Durand.*quæst.*4. Sotus *quæst.*1. *art.*3.Gabr.*quæst.*2.*art.*2.Maior *quæst.*5.Vasquez 1.2.*disp.*11.*cap.*3.4.*Vide in* §.Nulla potestas est.

1 TRVM [a] beatitudo per se consistat in actu intellectus, vel voluntatis? Quòd intellectus, probo, Ioan.17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant, &c.* *Arg.* 1.

Prætereà, August.1.de Trinit.cap.penult. *visio est tota merces.* *Arg.* 2.

Præterea 10.*Ethic.* ex intentione probat quòd felicitas substantiarum separatarum consistat in speculatione, & ex hoc concludit quòd nostra felicitas est in speculatione, quia magis similes illis propter hoc efficimur. *Arg.* 3. *cap.* 10.

Præterea 1. Ethic. *Beatitudo est bonum sufficiens*: sed huiusmodi est visio secundùm illud Philip. Ioan.14. *Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* *Arg.* 4. *cap.* 10.

Oppositum 1. de Trinit.cap.13. *solo illo illustrari perfruíque sufficiet.* Præterea, ibidem cap.5. *Beatus est, qui habet quidquid vult*: ergo in operatione maximè volita, maximè consistit beatitudo: voluntas magis vult operationem suam, quàm operationem intellectus, quia est perfectio propria: & vnumquodque magis appetit perfectionem propriam quàm illam, quæ est per se alterius, licèt aliquo modo sit sua. *Rat. opp.*

Præterea, August.1.de doctrina Christiana cap.6. *Summa merces est, vt ipso perfruamur*: frui est actus voluntatis, quia est amore inhærere: summa merces nostra est beatitudo: ergo.

COMMENTARIVS.

1 *Incertitudo quæstionis.* [a] VTrùm *beatitudo per se consistat*, &c. Hæc quæstio est satis controuersa, & resolutio eius dependet ex quæstione laterali sequenti. Fusè tractatur à modernis, & plerique eorum ponderatis rationibus hinc, inde, quæ ab extremis opinantibus deducuntur, cò tandem resolutionem conuertunt, vt vtramque partem sentiant probabilem: nam & Scriptura nunc vnam, nunc alteram partem fouet, sic etiam Patres, ratio autem demóstratiua nulla est: quia hæret in principiis immediatis, quæ ex terminis non sunt nota, & ambiguam habent probationem, ideóque dum hinc affirmantur, & inde negantur à Doctoribus classicis, alia notior via non occurrit ad probationem. Eam breuiter transigit Doctor *in hac quæstione*: quia fusior est in laterali, in qua radix difficultatis magis pendet: primò ergo præponit rationes pro vtraque parte. Secundò adducit opinionem, quæ statuit beatitudinem essentialem in intellectu. Tertiò eam impugnat, & soluit fundamentum eius. Quartò inducit quæstionem lateralem, à cuius solutione dependet. Quintò principalis tandem respondet ad argumenta principalia huius quæstionis, cuius maior difficultas consistit in confusione ex variis modis dicendi: nos sequemur ordinem literæ. *Ordo quæstionis, & diuisio.*

SCHOLIVM.

Sententia D.Thom.hîc quæst.1.art.1.quæstiuncula 2.& 1.2. quæst. 3.art. 4. & 8. vbi Caiet.Conrad.Sotus,Durand.& Vasq. beatitudinem consistere formaliter & essentialiter in visione,& adducitur fundamentum D.Thom.ex dist.ar.4.

Beatitudo consistit in operatione partis intellectiuæ.

b IN ista quæstione omnes tenentes beatitudinem consistere in operatione, concorditer tenent quòd non consistit nisi in operatione aliqua partis intellectiuæ, vt distinguitur contra partem sensitiuam, quia sola potentia immaterialis potest per operationem suam attingere perfectum bonum, in quo solo, vt in obiecto, est beatitudo; sed in cuius illarum potentiarum operatione sola consistat, si consistit in vnica, vel in qua principaliùs, si consistit in ambabus, opiniones sunt. 2

D.Thom. hic ar.1.q 1.

c Vna ponit quòd in actu intellectus principaliter, & essentialiter, & in actu voluntatis, sicut in quadam perfectione extrinseca superueniente visioni, in qua est substantia beatitudinis. Ratio ad hoc est talis. Beatitudo vel est finis vltimus extrà, quem res per operationem suam pertingit; aut finis vltimus intrà, & ille est operatio illa sola, quæ fini exteriori primò coniungit: actus voluntatis neutro modo est finis vltimus; ergo nec beatitudo sic, vel sic consistit in voluntate, vt actus eius, licèt sit in ipsa vt obiectum, quia ratio boni est obiectum voluntatis, & beatitudo, vt est finis vltimus, maximè habet rationem boni.

Minor probatur quoad primam eius partem; tum quia obiectum voluntatis est finis: ergo omne *velle* est quoddam ordinari ad finem: tum quia *velle* non potest esse primum volitum, præsupponit enim aliud à *velle* priùs esse volitum, quia actus reflexus præsupponit actum rectum terminatum ad aliud ab actu illius potentiæ, alioquin esset processus in infinitum. Simile huic apparet in intellectu, quia *intelligere* non est primum intellectum, sed aliquid aliud ab *intelligere* est prius, quod est obiectum actus intelligendi recti.

Secunda pars minoris probatur: quia operatio per se coniungens fini exteriori est, per quam fit primò assecutio finis exterioris; actus voluntatis non est talis, quia voluntatis est vnus actus ante assecutionem finis, scilicet desiderium, quod est, vt quidam motus ad non habitum; alius eius actus est quædam quietatio in fine. Patet quòd per primum actum non assequitur primò finem, quia caret illo, quando habet illum actum: nec per secundum: probatur, quia ille sequitur assecutionem: voluntas enim non quietatur modo aliter in re, in quam priùs tendebat, nisi quia ipsa alio modo se habet ad illam rem nunc, quàm priùs, vel è conuerso. Quod ergo facit voluntatem sic se habere ad finem, vt quietetur in ipso, in quem priùs intendebat, in illo vel per illud, est vltima assecutio finis: talis est actus visionis, quia per illam fit quasi quidam contactus Dei ad intellectum (cùm cognitum sit in cognoscente) per quem contactum sic se habet obiectum ad voluntatem, vt ipsa possit nunc quietari in eo, quod priùs non potuit. Istud confirmatur per exemplum in appetitu sensitiuo, quia si sensibile est finis extrà, sensatio est finis intrà, quia per illam primò habetur sensibile, sic vt in eo possit appetitus sensitiuus quietari. Apparet etiam in alio exemplo, quia si pecunia est finis extrà, possessio pecuniæ est finis intrà, quam sequitur quietatio voluntatis in pecunia dilecta. 3

Suadetur exemplis beatitudinẽ esse in visione.

COMMENTARIVS.

2 *Suppositio communis.*

b IN *ista quæstione*, &c. Supponit commune placitum omnium, qui docent beatudinem, consistere in aliqua operatione, & non in actu primo, aut aliquo pertinente ad actum primum; illud autem est, beatitudinem constituendam esse in aliqua operatione partis intellectualis, vt distinguitur in homine à sensitiua, quæ nequit attingere obiectum beatificum quidquid falsò existimant aliqui contrarium per potentiam absolutam posse contingere. In parte intellectiua sunt intellectus, & voluntas. Controuersia autem inter Doctores est, an in vtriusque operatione simul consistat beatitudo (de qua actum est in quæstione præcedenti, & eam sequuntur plures ex nostra Schola, tanquàm propriam Doctoris, ex iis quæ dicit de beatitudine extensiua.) An verò consistat determinatè in solo actu intellectus? An solius voluntatis?

Status controuersiæ.

3 *Sententia D.Thom.*

c *Vna ponit quòd in actu intellectus principaliter*, &c. Hæc sententia D. Thomæ est 1. 2. *quæst.* 3. *art.*4.& 8.*in prima part. quæst.* 26. *art.* 2. *in* 4. *sent. d.*49.*quæst.*1.*art.*1.*quæstiunc.*2.3. *contra Gentes cap.* 26.& *sequẽti*,& *quodl.*8.*art.*19.quam vbique constanter tenet: quem sequuntur eius discipuli, Capreolus *in* 1.*d.*1.*art.*1.& *in hac dist.quæst.*2. vbi Sotus *quæst.*1.*art.*3. reliqui Commentatores eius in summa. Vasquez 1.2.*disp.*ij.Eam vt probabilem defendit latè Ægidius Lusitanus *tom.* 1. *de beatitudine*

*tudine lib.4.quæst.*8.& Suarez 1.2.*disp.*7.& reliqui, qui tenent beatitudinem essentialem consistere in vtroque actu, fauent vtrique parti. Probatur hæc sententia : quia beatitudo vel est finis vltimus ad extrà, qui attingitur per operationem,& potentiam , vel est finis vltimus ad intrà , & illa est sola operatio, quæ coniungit cum fine ad extrà ; sed actus voluntatis neutro modo est finis vltimus : ergo nec beatitudo sic, vel sic consistit in actu voluntatis,vt actus est eius : licèt in ipsa sit vt obiectum : quia ratio boni est obiectum voluntatis,& beatitudo, vt est finis vltimus maximè habet rationem boni. *Fundamentũ.*

Minor habet duas partes , quarum prima remouet à voluntate finem vltimum ad extrà ; & probatur , quia voluntatis obiectum est finis: ergo omne *velle* est quoddam ordinari ad finem, quia *velle* non est primum volitum, quia supponit aliud prius volitum directè,antequàm ipsum *velle* sit volitum reflexè , aliàs daretur processus in infinitum , & idem dicendum de actibus intellectus.

Altera pars minoris remouet à voluntate finem vltimum ad intrà,qui consistit in ipsa operatione attingente finem ad extrà , & probatur; quia operatio per se coniungens fini exteriori est,per quam primò fit assecutio finis exterioris; sed actus voluntatis non est talis , quia actus desiderij in voluntate præsupponitur ad finis assecutionem,éstque antequàm sit assecutio;quia est finis absentis , & motus in finem non habitum ; alius actus voluntatis, per quem quietatur in fine , sequitur assecutionem finis , voluntas enim nõ quietatur modò in re aliter quàm aliàs, nisi quia nunc aliter se habet ad rem,quàm aliàs: quod ergo sic facit voluntatem se habere ad finem, vt quietetur in ipso per illud, est assecutio finis,ille autem est actus visionis, quia per illam sit quasi quidam contractus Dei ad intellectum (cùm cognitum sit in cognoscente)per quem se habet obiectum ad voluntatem , vt possit nunc quietari in eo,quod antè non potuit.Patet exemplo : quia si sensibile est finis ad extrà sensus , finis ad intrà erit sensatio , quâ positâ quietatur appetitus. Item , si pecunia est finis ad extrà, possessio pecuniæ erit finis ad intrà,in qua quietari potest voluntas,&c.

Summa huius rationis est in eo , quòd acquisitio finis ad extrà sit beatitudo,& finis ad intrà, seu formalis , quòd illa acquisitio sit per intellectum , & non per voluntatem , quæ supponit acquisitum ; quamuis operatio sequens voluntatis pertineat ad substantiam beatitudinis ; non verò ad essentiam, quæ completur in acquisitione finis. Hæc est primaria ratio huius sententiæ , & principium. Aliud est principium , quod est de perfectione intellectus, & actus eius , vt excedit voluntatem , & actum eius : ergo in intellectu debet constitui perfectissima operatio , quæ est beatitudo. Ad hæc ad duo principia reducitur totus discursus aliorum. 4 *Summa rationis præmissæ.* *Aliud fundamentum ex perfectione intellectus super voluntate.*

Tertium fundamentum est authoritas Scripturæ,& Patrum,qui videntur statuere beatitudinem in visione : ex oppositis horum procedit altera pars tribuens voluntati beatitudinem formalem, & sic hæret,vt *suprà* dixi,tota difficultas quæstionis in his principiis, videlicet in cuius potentiæ actu sit acquisitio formalis finis. Huic accedit quis actus est perfectissimus ; quæ difficultas intantùm facit ad præsentem , inquantùm admittitur consistere in perfectissimo actu acquisitionem finis , & beatitudinem formalem; quo negato, nihil spectat ad præsens,nisi probetur.Tandem quid declarat Scriptura,& Patres de hac acquisitione,& in cuius potentiæ actu consistat , hæc omina discutientur in sequentibus. 5 *Tertiũ fundamentum ex Scriptura, & Patribus.*

SCHOLIVM.

Refutat dictam sententiam D. Thomæ tribus rationibus,& destruit fundamentum eius, soluendo singulas probationes in eo adductas, & ostendendo amorem esse assequutionem summi boni.

4 d CONtra istud. Finis extrà est simpliciter optimum,& summè volendum : ergo inter ea quæ sunt ad ipsum,quod est sibi immediatius , est magis volendum: sed *velle* est sibi immediatius , quia immediatè tendit in ipsum , vt in finem vltimum, cùm finis vltimus, vt huiusmodi, sit proprium obiectum ipsius *velle*. Probo maiorem; illud est magis volendum voluntate libera, quod appetitui naturali naturaliter est magis appetendum : huiusmodi est quod propinquius est vltimo , quod simpliciter maximè appetitur naturaliter. *Velle est immediatius vltimo fine , quàm intelligere*

Prætereà,voluntas potest velle suum actum,sicut intellectus intelligit suum actum; aut ergo vult suum *velle* propter *intelligere*,aut è conuerso , aut neutrum propter alterum,& loquor de *velle* ordinato : non primum , quia secundùm Anselm. libr. 2. Cur Deus homo.cap.1.*Ordo peruersus esset velle amare,vt intelligeret*;nec tertium, quia in ordinatis per se ad eundem finem , est etiam aliquis ordo inter se,tanquam ad finem sub fine:ergo secundum,& hoc vult Anselmus vbi priùs. *Velle non est propter intelligere, sed è conuerso.*

Præterea,si beatitudo extrà sit simpliciter summè volenda;ergo illud maximè est beatitudo intrà,quod inter intrinseca est summè volendum ; huiusmodi est aliquod *velle* ; plus enim appetit voluntas perfectionem sui in fine vltimo , quàm perfectionem intellectus,& hoc rectè loquendo de *appetere* libero , sicut naturaliter plus appetit appetitu naturali.

5 e Ad rationem ergo concedo primam partem minoris, & primam partem conclusionis,quòd scilicet actus voluntatis non est finis omnino vltimus,seu extrà ; sed nec sic *Reiicit rationes & probationes D. Thom. adductas n. 2. & 3.*

ſic actus intellectus ſecundùm eos: tamen magis appropinquat ad ſimpliciter vltimum actus voluntatis, ſicut deducit prima ratio de attingentia finis, & proprij obiecti per illum actum, & tertia de maiori volibilitate iſtius actus, & ſecunda de ratione finis in iſto actu reſpectu actus intellectus.

f Nec probationes ad primam partem plùs probant, dato quòd concludunt: nam actus voluntatis ſic eſt ordinari, vel ordinabilis ad finem ſimpliciter, quod eſt immediatum ſibi in ordine eorum, quæ ſunt ad finem; actus intellectus ſic non eſt ordinari, eſt tamen ordinabilis, & mediatè, & ideò minùs participans rationem finis.

Volitio non eſt primum volitum. Secunda probatio oſtendit aliquid eſſe priùs volitum ipſa volitione; & concedo, quia obiectum extrà; ſed illud non eſt intellectio, ſaltem loquendo de priùs volito ſecundùm perfectionem, quicquid ſit de prioritate ſecundùm generationem: illa enim prioritas non concludit aliquid ad propoſitum, ſcilicet priùs volitum magis eſſe finem.

g Secundam partem minoris nego. Ad probationem, concedo quòd per actum deſiderij, qui eſt abſentis, non eſt aſſecutio finis, ſed per alium actum, ſcilicet qui eſt amor rei præſentis, eſt aſſecutio primò, loquendo de primitate perfectionis, licèt per actum intellectus ſit aliqualis aſſecutio prior prioritate generationis: nunc autem ſecundùm Philoſophum 9. Metaphyſ. *Poſteriora generatione ſunt priora perfectione*: quod verum eſt de priori, quod eſt ſimpliciter immediatius vltimo: quod vltimum eſt ſimpliciter perfectum; ita eſt hîc. *Per amorẽ beatus aſſequitur finẽ vltimum. Tex. 15.*

10. Ethic. c.4. h Cùm probatur propoſitum de ſecundo actu, quia illa eſt quietatio in fine: & per conſequens poſterior aſſecutione finis. Dico quòd quietatio poteſt intelligi, vel pro delectatione propriè dicta, quæ eſt perfectio ſuperueniens operationi, ſicut pulchritudo iuueni: & ita intelligunt aliqui rationem iſtam, quaſi opinio iſta ponat voluntatem reſpectu obiecti præſentis non habere niſi delectationem conſequentem viſionem intellectus. Et ſi ſic accipiatur quietatio pro delectatione, concedo quòd ipſa ſequitur aſſecutionem finis, non ſolùm primam generatione, ſed perfectione, quia ſequitur actum amandi, vel fruendi fine viſo, qui eſt verè actus elicitus voluntatis. Falſum eſt autem quòd voluntas circa obiectum amabile præſens non eliciat actum aliquem, ſed tantùm habeat delectationem paſſionem: dicit enim Auguſt. 9 de Trin. cap. vlt. *Appetitus inhiantis fit amor fruentis.* Ille autem appetitus, ſiue deſiderium non eſt tantùm paſſio, tum quia *paſſionibus non meremur, nec laudamur, nec vituperamur* 2. Ethicorum; in ſanctis autem deſideriis conſiſtit maxima pars meriti, & laudabilitatis iuſtorum in via: tum quia obiecto eodem præſentato quandoque voluntas elicit deſiderium intenſius, quandoque remiſſius, ſecundùm quòd ex maiori conatu, & ex minori elicit. 6

Vide Rich. diſt. præſen. art. 1. q. 6. Voluntas elicit amorẽ circa obiectum præſens. Cap. 5.

Rationabile etiam eſt quòd ſi in deſiderando voluntas elicit actum, ſicut dictum eſt *ſuprà lib. 2. diſt. 25.* ad quod eſt auctoritas Auguſt. *de Ciuit. 12. cap. 6.* de duobus ſimiliter affectis, & Anſelm. 4. *de Concep. Virg.* quòd etiam circa finem præſentem eliciat actum; quia ſic agnoſcendo mouet ſe in non habitum, rationabile eſt quòd agnoſcendo quietet ſe in illo præſente. Si ergo alio modo accipiatur quietatio pro actu elicito à voluntate quietatiuo, qui ſcilicet immediatè coniungit fini vltimo, vt in ipſo eſt quies vltima concedo, quòd illa quietatio eſt ſecundus actus voluntatis; ſed nego quòd conſequatur primam aſſecutionem finis; primam, inquam, primitate perfectionis, imò eſt ſic prima aſſecutio: ſequitur tamen aliquam aſſecutionem, hoc eſt, præſentiam ipſius obiecti fruibilis, quæ præſentia eſt per actum intellectus; loquendo autem de ſic obiecti prima aſſecutione, ſcilicet de prima præſentia obiecti, vt voluntas ſe poſſit quietare in illo per actum ſuum; nego illam operationem eſſe finem vltimum intrà, per quam eſt prima aſſecutio finis extrà: quia operatio ſic prima aſſecutiua non coniungit immediatè fini extrà, excludendo omnem mediationem alterius propinquioris illi fini. 7

Quæſt. vnica poſt oppoſitum.

Amor beatus non ſequitur conſequutionẽ finis, ſed eſt ipſa aſſequutio. Viſio eſt aſſequutio ſũmi boni aliqualis, ſeu ſecundum quid.

k Si contra hoc adducatur illa probatio, quia voluntas nunc poteſt quietari, priùs non: ergo aliter ſe habet ad finem, vel è conuerſo nunc, quàm priùs. Reſpondeo, conſequentia non valet: ſed ſufficit quòd aliqua potentia prior in operando ipſa voluntate aliter ſe habeat ad obiectum, cuius ſcilicet alteritate poſita, voluntas poteſt in actum, in quem priùs non potuit, non alteratione ſui, ſed illius præuij in agendo. 8

l Breuiter ergo prima pars deductionis non eſt contra aliquam opinionem, quia nulla ponit actum voluntatis creatæ eſſe Deum, nec ſecunda pars de primo actu voluntatis, ſcilicet de deſiderio, eſt alicui dubia. Reſtat ergo vis in hoc, ſi aliquis actus voluntatis alius à deſiderio poſſit eſſe prima conſecutio finis vltimi, & probatio ibi adducta

ducta de quietatione fallit secundùm æquiuocationem: si enim accipiatur quietatio pro delectatione consequente operationem perfectam; concedo quòd illam quietationem præcedit perfecta consecutio finis: si autem accipiatur quietatio pro actu quietatiuo in fine; dico quòd actus amandi, qui naturaliter præcedit delectationem, quietat illo modo, quia potentia operatiua non quietatur in obiecto, nisi per operationem perfectam, per quam attingit obiectum: & tunc illa propositio, *quietationem in obiecto præcedit assecutio obiecti prima*, id est perfecta, falsa est, habens tamen apparentiam veritatis ex comparatione ad motum, quo mobile assequitur terminum, & ad quietem in illo termino: siquidem motus ad terminum præcedit quietem in termino.

Assequutio obiecti non præcedit quietationē in eo per operationē.

Sed hæc comparatio ad propositum non valet, quia eadem operatio hîc est assecutiua perfectè, & quietatiua, quia quietatio est in perfecta assecutione obiecti, & vniuersaliter tales similitudines ex motibus, applicando ad operationes, non valent, sed oportet relinquere quicquid imperfectionis est in motu, sicut est hæc distinctio eius à quiete, & per oppositum in operatione sunt ista vnitiuè, assecutio obiecti quasi per motum, vel magis tendentia in ipsum, & quietatio in obiecto; siquidem tendentia talis in ipsum quietat in ipso.

Et si negetur omnis operatio voluntatis circa obiectum præsens alia à delectatione, hoc est irrationabile; quia si voluntas est operatiua circa obiectum absens, imperfectè tamen cognitum, quia obscurè; multò perfectiùs poterit operari circa obiectum perfectè præsens, quia visum.

9 Si arguitur, voluntas potest nunc quietari in obiecto priùs, non ergo aliter se habet ad obiectum volibile nunc, quàm priùs. Respondeo, consequentia non valet: sed sufficit quòd aliqua potentia alia prior in operando aliter se habeat ad obiectum, quàm priùs: nec mirum, quia potentia, quæ in operando requirit aliam operantem, non est omnino in potentia propinqua ad operandum, nisi illa alia operante.

Si arguitur, saltem per illud nouum voluntas nunc potest quietari, tunc non potuit; & hoc non nisi quia est assecutio finis, & prior quàm ipsa quietatio voluntatis; patet ergo quòd in illo alio actu est prima assecutio finis. Respondeo, verum est prima primitate generationis, non primitate perfectionis; beatitudo autem est assecutio prima primitate perfectionis. Et si omnino ante quamcunque quietationem potentiæ, arguas habitionem, vel assecutionem finis præcedere, quia scilicet potentia nunc potest operari, priùs non potuit, quod non est sine aliqua mutatione, quæ non est, nisi ad habitionem obiecti; sequitur quòd in nulla operatione etiam intellectus possit esse prima assecutio obiecti, & ita nec beatitudo: & tunc illa ratio vadit ad illam opinionem, quòd beatitudo non est in operatione; sed in aliqua habitione obiecti præcedente omnem operationem, de qua dictum est *in* 1.*quæst.*

COMMENTARIVS.

6 *Progressus Doctoris.*

d Contra istud, &c. Hîc impugnat Doctor priorem sententiam, & soluit eius fundamentum desumptum ex acquisitione formali finis, sicut in quæstione laterali impugnat alterum fundamentum, ex quo asseritur perfectio intellectus super voluntate: in neutra autem statuit conclusionem expressam, quia difficultas in toto non est terminata in vtraque quæstione: restat enim declarandum in quo actu voluntatis consistat beatitudo; quod resoluit quæstione sequenti, quæ in ordine est quinta; hîc autem deducitur ex impugnatione oppositæ sententiæ stantis pro intellectu, & solutione sui fundamenti; hæc tantùm conclusio *nempe in voluntate primariò consistere beatitudinem formalem*, &c. cuius assertores hîc subiiciam antequàm vlteriùs progrediar, & sensus est Doctoris de formali intensiua, non de formali extensiua; de qua in superiori quæstione agitur. Conclusionem hanc imprimis tenent (quantùm ad comparationem inter actus vt perfectior amor, & perfectior voluntas, quàm intellectus) quotquot in ea sunt opinione, vt præferenda sit voluntas, & amor; saluando námque illud principium vtriusque Scholę satis vulgare, & receptum, nempe quòd beatitudo sit præstantissima operatio, ita erit illius potentiæ principaliter acquisitio finis, cuius est præstantissimus actus, amorem autem, & voluntatem excedere docent non contemnendi Theologi tam antiqui, quàm moderni. Hugo. de S. Victore. *super caput* 7. est Dionysij *de cælesti Hierarchia.* Alens. 3.*p.q.*12.*mem.* 2.*art.*3.*quæst.*8.*o.m.*1.*ad* 5.*&* 4.*p.q.*92.*m.*1.*art.*4. Alberti Magni *in* 1.*dist.*2.*art.* 14. Ægidij, *quodl.*3. *quæst. vltimâ ad primum.* Richardi *in hac dist. art.*1. *quæst.*6. Henrici *quodl.*1.*quæst.*14. Ochami *in* 1.*dist.* 1.*quæst.* 2. Maioris *in hac dist. quæst.* 5. ita supplementum Gabrielis *quæst.*2.*art.*1.*notab.*2.*art.*3. *conclusione* 4. Bassolis *ibidem quæst.* 3. *art.* 1. & plures alij.

Assertio Doctoris.

Assertores secundæ sententiæ.

Acquisitio finis est in actu perfectissimo.

Item, quotquot statuunt beatitudinem in actu vtriúsque potentiæ docent acquisitionem finis, non fieri per solum intellectum, sed etiam per voluntatem. Hos magna ex parte citauimus in quæstione præcedenti; quantùm ergo ad authoritatem Doctorum, non est infirmior hæc sententia: nam quod affirmant alij iuxta oppositam sententiam de intellectu, idem etiam nos affirmamus de voluntate, quantùm ad primariam rationem beatitudinis, & intensam, licèt admittamus

mus in intellectu beatitudinem extensiuam, prout alij docent fruitionem, aut actum voluntatis spectare ad substantiam beatitudinis: supposito ergo communiter recepto principio, quòd beatitudo consistat in perfectissima operatione hominis, & perfectior sit tam voluntas, quàm eius actus ex mente Doctorum, quos citauimus, sequitur acquisitionem finis consistere in actu voluntatis principaliter. Sequitur præterea acquisitionem non esse solius intellectus, ex altera frequenti, qua docent alij beatitudinem essentialem non esse vnius tantùm potentiæ, nec consistere in vno actu, sed in pluribus, prosequamur deinceps discursum Doctoris.

7 *1. Ratio.* Probat ergo primò non consistere acquisitionem finis in solo actu intellectus, sed principaliùs conuenire voluntati: finis extrà est simpliciter, & summè omnium volendum: ergo inter ea, quæ sunt ad ipsum, quod sibi est immediatius est magis volendum: sed *velle* est sibi immediatius quia immediatè tendit in ipsum vt in finem vltimum, cùm finis vltimus, vt huiusmodi, sit proprium obiectum ipsius *velle*. Probatur maior: illud est magis volendum voluntate libera, quod appetitui naturaliter est magis appetendum; huiusmodi est, quod est propinquius obiecto, quod simpliciter maximè appetitur naturaliter.

Assecutio finis non est actus intellectus.

Actus voluntatis immediatior fini.

Responsio Caietani & Vasquez. Dices cum Caietano, & Vasquez beatitudinem obiectiuam integrari ex visione, & obiecto; cuius visio est assecutio, quæ ita attingit obiectum vt cum ipso faciat vnum obiectum, quod sit beatitudo integra obiectiua adæquatè beans: negatur itaque minor, quia voluntas non attingit obiectum immediatè, sed iam acquisitum per visionem, ita vt ipsa visio integret obiectum beatificum voluntatis: quæ delectatur de Deo vt possesso per visionem, & visio sit obiectum *quo*, Deus autem obiectum, *quod*, idque non per accidens, sed per se, quasi voluntas nequeat ferri in Deum nisi mediante visione, vt obiecto *quo*.

Impugnatio. Contrà, & hæc solutio falsa est, & contra ipsos respondentes: nam & Caietanus 2.2.*quæst.* 17.*art.*5. docet visionem habere rationem solius conditionis ad actum amoris, amicitiæ, & concupiscentiæ in patria, & non obiecti. Vasquez licèt priori solutioni adhæreat *cap.*6. tamen contrarium docet contra Caietanum *cap.*9. *illius disp.* 11. nempe visionem habere meram rationem conditionis, & non obiecti. Probatur falsitas solutionis sub nulla ratione potest intellectus attingere Deum immediatè per modum obiecti immediati, quin voluntas illum attingere potest immediatione obiecti, id est, non sub alia ratione formali, vt *qua* præter solam diuinam bonitatem in reipsa, & propter se volibilem: ergo non fertur in Deum sub sola ratione formali visionis, vt obiecti formalis *quo*.

Voluntas immediatè operatur circa Deum.

8 *Deus ex se omne bonum.* Antecedens probatur, quia sicut Deus ex se includit omnem rationem obiecti intellectus tam motiui, quàm terminatiui, vt est præsens ante visionem respectiuè ad intellectum: sic etiam in ratione boni, & finis includit præcisè ratione sui, & ex se, secluso omni alio mediante quo, vt ratione formali attingeret Deum in se, propter se, omnem rationem obiecti formalis motiui, & terminatiui voluntatis; quod autem motiui, probatur; quia infinitum bonum actualissimum potens mouere tam obiectiuè, quàm effectiuè voluntatem: ergo etiam terminatiui: & probatur vtrumque, quia visio ideò esset ratio formalis mouens facultatē, qua est actus antecedens voluntatem, & actum eius, ita vt nunquam voluntas feratur in obiectum suum, nisi mediante actu priori intellectus, vt obiecto *quo*, quod est falsum, & contra principia: quia nunquā voluntas amaret honestatem: v.g. propter honestatem, aut obediret legi propter legem præcisè, & qua est voluntas superioris obligans, & ita etiam de cæteris discurrendo, sed præcisè amaret honestatem, qua cognita est ab intellectu: quia omnis actus intantùm extenditur ad materiale obiectum, inquantùm participat rationem obiecti formalis, & sub hac ratione præcisè mouente; quis autem dicit aliquod obiectum in re extrà esse honestum, aut commodum, aut bonum, quacumque bonitate, per solum actum intellectus cognoscentis tanquàm constituentem præcisè ipsum in ratione boni respectiuè ad voluntatem.

Perfectum motiuum voluntatis.

Voluntas amat bonum quà bonum non qua intellectum.

Deinde, voluntas nequit ferri in obiectum suum formale, nisi cognita sit ratio formalis obiecti mouentis voluntatem: sed cognitio directa rei extrà in ratione boni conuenientis ex se sufficit ad actum voluntatis elicitum, & eliciendum circa illud; hæc autem cognitio neque seipsam directè, aut reflexè repræsentat intellectui, aut voluntati, tanquàm obiectum formale, aut materiale cognitum, cùm non sit suipsius expressio, sed obiecti extrà mouentis, & terminantis ipsam sub propria formali ratione: ergo nequit esse obiectum formale, quo voluntas velit obiectum extrà. Si dicatur quòd visio non in ratione actus, sed in ratione attingentis obiectum sit ratio formalis obiectiua voluntatis: contrà vrgent eodem modo rationes præmissæ: quia si intelligatur de attingentia formali ex parte ipsius actus se tenente, quæ est ipsa expressio obiecti, aut similitudo eius, hæc non potest esse ratio mouens: quia obiectum non ideò est conueniens voluntati, tanquam quietans ipsam, & vltimum perfectiuum extrinsecum; quia videtur tanquàm per visionem, vt rationem formalem haberet obiectum esse bonum conueniēs voluntati, & non propria bonitate: quia hoc non videtur esse secundùm Scripturam, & Patres, & veritatem fidei, quòd Deus nequeat esse bonum voluntatis nostræ, vt eleuatur ad finem supernaturalem, nisi sub ratione alicuius perfectionis creatæ, per quam constitueretur bonum nostrum: nihil enim est bonum immediatum, & ex se respectu voluntatis, nisi per rationem præcisam, & formalem, per quam constituitur, & natum est proximè mouere voluntatem; si ergo Deus tantùm est bonum voluntatis per visionem, vt est forma creata, & expressio, aut similitudo formalis condistincta ab obiecto viso, ita vt ratio formalis ex parte obiecti, quam attingit voluntas, sit sola visio, sequitur illud inconueniens. Accedit quòd ipsa visio non sit sui visio in proprio genere, neque aliter nisi tantùm, vt ipsa sibiipsi obiicitur in Verbo per modum obiecti secundarij: ergo voluntas, vt fertur in obiectum visum primariò, quod est Deus in se, non fertur in visionem, vt rationem formalem sui obiecti, neque in visionem aliter fertur, nisi vt relucet in Verbo per modum obiecti secundarij, ad quod extenditur voluntas ratione Deitatis tanquam primarij, & formalis obiecti, vel certè vt intellectus per alium actum reflectitur in ipsam visionem, vt cognoscit eam in proprio genere: ergo non apparet qua ratione visio esset obiectum voluntatis, vt tendit in Deum

Sufficit cognitio directa ad actum voluntatis.

Cognitio seipsam non repræsentat.

Bonum est conueniens voluntati non quà cognitum, sed quà bonū est.

Nihil creatū est ratio mouendi, aut terminandi voluntatem ex parte finis vltimi.

Quomodo visio seipsam repræsentat.

Deum vltimum finem; obiectum, inquam, formale. Quòd si dicatur voluntatem tendere in vtrumque æquè primò per eundem actum, qui dicitur fruitionis, aut quietationis eius in fine vltimo. Contrà, hoc repugnat, vt idem æquè primò tendat in creatum, & increatum sub ratione propria vtriusque, aut in vlla diuersa formalia obiecta primò, quarum quodlibet sub ratione propria moueat potentiam, sicut repugnat eundem actum tendere in duos fines vltimos æquè primò, & non subordinatos: nam quodlibet si mouet sub ratione propria, sic non communicat alteri in sua ratione formali, nisi in hoc tantùm, quòd in proposito visio per modum operationis sit ad Deum, vt obiectum, sítque eius similitudo intentionalis.

Responsio *Impugnatur.*

Quòd si dicas tertiò, quòd ista integratio obiecti vnius tam ex visione, quàm obiecto viso respectiuè ad voluntatem, vt obiecti motiui ita contingat, vt Deus in se, & ex propria bonitate moueat voluntatem, visionem tantùm mouere inquantùm afficit Deum, vel attingit per modum possessionis. Contrà, si Deus per se mouet voluntatem, datur intentum, quia sic visio non mouet, vt est attingentia Dei, nisi inquantùm Deus mouet, quidquid propter aliud tanquàm rationem formalem mouet, illud non ex propria ratione mouet, sed ratione alterius inquantùm ipsum participat: ergo voluntas ex inclinatione sua ad Deum finem vltimum à Deo mota sub hac ratione præcisè, non respicit visionem, nisi inquantùm applicat finem, & inquantùm est aliquid finis, & ex præciso motiuo finis mouens. Quòd si dicas visionem mouere voluntatem inquantùm est possessio quædam finis: hoc nihil est, quia etiam voluntas nata est possidere perfectionem quamcumque suæ naturæ, & secundùm omnem inclinationem ipsi conuenientem, tendere in finem vltimum sub ratione finis propria, inquantùm voluntas ad ipsum inclinatur, vt attingibile per ipsam immediatè tanquam suum perfectiuum proprium, & extrinsecum. Ex quibus patet impugnatio dictæ responsionis ex omni modo imaginabili, quo voluntas posset ferri in visionem, vt obiectum formale, vel alia quacumque ratione.

Responsio. *Impugnatio.*

9 Secundò impugnatur amore amicitiæ, qualis est fruitio, nequit amari Deus aliter quàm propter se: ergo non ratione visionis tanquam obiecti formalis, quæ potiùs cadit sub obiecto commodi, quatenus est perfectio personę per intellectum, vel certè sub affectu amicitiæ, qua quis aliquo modo ordinatur ad seipsum. Antecedens probatur; amor amicitiæ respicit bonum alterius, quà ipsius proprium est bonum, & prælatum bono amantis, amor autem charitatis est respectu Dei, vt patet ex forma præcepti charitatis; & sicut in via est amor amicitiæ, sic tendens in Deum propter se super omnia diligibilem, ita à fortiori in patria sic tendit in Deum, cùm ibi charitas non sit otiosa vt *suprà* dictum est *quæstione præcedenti*, & loca Patrum, & Scripturæ, quæ in fauorem conclusionis adducuntur, intelligantur de hoc amore charitatis. Quòd si loquamur etiam de voluntate, vt habet affectum commodi, etiam nullum commodum immediatiùs respicit, quàm obiectum beatificum, in quo eminenter includitur omne bonum secundùm affectionem tam amicitiæ, quàm commodi afficiens voluntatem; ideóque sicut charitas, & spes habitualis in via

Secunda improbatio dictæ responsionis. *Amor amicitiæ fertur in Deum immediatè.* *Voluntas ex charitate respicit Deum propter se.*

perficiunt voluntatem in ordine ad Deum: illa secundùm affectum, & inclinationem amicitiæ, hæc secundùm inclinationem, & affectum commodi, & respiciunt Deum immediatè sub ratione propria, ita voluntas secundùm vtramque inclinationem respicit Deum sub ratione propria: quia obiectum habitus nequit excedere obiectum, aut inclinationem potentiæ, cuius est habitus; qui in ordine ad operationem datur. Si ergo voluntas in via perficitur à Deo immediatè sub vtraque ratione, à fortiori perficitur sub vtráque ratione à Deo in patria, etiam omnis eius appetitus completur, & satiatur; sed in via non integrat actus fidei diuinæ rationem obiectiuam charitatis, aut spei, sed habet præcisè rationem applicantis obiectum: ergo etiam visio in patria non integrat beatitudinem obiectiuam voluntatis, quæ consistit in immediata adhæsione ad Deum in seipso, & propter seipsum. Probatur consequentia: quia voluntas vt operans vniformiter operatur circa suum obiectum, & sicut *secundùm quid* ad *secundùm quid* ita *simpliciter*, *ad simpliciter*: ergo si in via operatur circa Deum in se immediatè, & non circa aliud, tanquam obiectum formale, ita etiam in patria eodem modo operabitur, vbi perfectiùs coniungitur suo fini: Ex his sequitur tertium, nempe delectationem etiam esse in voluntate de ipso obiecto beatifico, siue delectatio illa dicatur passio impressa ab obiecto priùs amato, siue certè actus elicitus voluntatis (de quo iam non dissero) perinde est: quia ex fine applicato rectè sequitur delectatio de ipso, cùm sit vltimum bonum potentiæ: ex quibus sequitur intentum, nempe voluntatem tendere in Deum immediatè propter seipsum, & secundùm vtrámque affectionem commodi, & amicitiæ, & secundùm dilectionem, & gaudium consequens.

Affectus amicitiæ, & commodi in voluntate respiciunt Deum immediatè. *Sicut in via, ita & in patria.* *Actus fidei in via non integrat obiectum voluntatis.* *Delectatio est de Deo possesso.*

Vera ergo est minor illa, quam subsumpsit Doctor: nempe quòd suum *velle* est immediatius voluntati, & fini, cùm finis vltimus sit voluntatis, vt immediatum obiectum.

Respondent alij aliter, nempe dato etiam quòd voluntas immediatè attingit Deum in se, & propter se, non inde sequitur beatitudinem essentialem consistere in actu voluntatis, quia beatitudo essentialis consistit in acquisitione finis; voluntas autem supponit Deum acquisitum per visionem, per quam Deus in se fit præsens. Contrà, illa acquisitio, in qua fundatur opposita sententia æquiuocat: quia si loquamur de præsentia Dei in actu primo respectiuè ad intellectum, & voluntatem, non fit sic præsens per actum alterutrius potentiæ, sed fit præsens in actu primo per suam voluntatem ex parte obiecti, per dona, & eleuationem ex parte potentiarum, quæ à Deo solo sunt, loquendo de actu primo: quia in illius virtute est præsens obiectum, in cuius redditur virtute proximè volibile, & intelligibile, & sic non fit actu intellectus. Quòd si loquamur de præsentia formali in *esse* termini extrinseci perficientis vtramque potentiam, sic fit præsens voluntati per fruitionem, & non per visionem: quia visio supponitur ad actum voluntatis ostensiuè, vt applicat ei obiectum, & non aliter: ergo per solam visionem non fit præsens formaliter voluntati præsentia, quæ sit eius attingentia per voluntatem: ergo neque fit eius acquisitio totalis, & completa per visionem. Probatur vtraque consequentia; prima; quia voluntas, vt in confesso est, non amat neque attingit formaliter Deum, aut

10 *Responsio aliorum.* *Impugnatur.* *Acquisitio finis in actu primo.* *Acquisitio finis in actu secundo per voluntatem, & intellectum est.* *Intellectus vt se habet ad voluntatem.*

aut vllum obiectum per actum intellectus, tanquam per rationem formalem tendendi. Probatur secunda consequentia: quia acquisitio, qua Deus fit præsens in actu secundo, adæquatur præsentiæ eius in actu primo; sed in actu primo non est præsens soli intellectui, sed etiam voluntati: ergo neque in actu secundo est præsens soli intellectui: ergo si acquisitio sit in hoc, quod est Deum esse, aut fieri præsentem, nequit esse solius intellectus, & consequenter hac ex parte non probatur beatitudo essentialis esse solius intellectus, neque assecutionem finis vltimi in eius actu consistere solo.

Responsio. Quæritur ergo quid specialiter habet intellectus, aut eius actus vt in eo ponatur beatitudo essentialis? Dices quòd actus intellectus sit assimilatio formalis obiecti, & sic intellectus trahit ad se obiectum, non ita voluntas. *Impugnatur.* Contrà, hoc nihil est, quia voluntas perfectiùs etiam trahit ad se obiectum, quàm intellectus, & intellectus etiam quamuis trahat obiectum ad se, non trahit tamen adæquatè obiectum vt natum est à voluntate trahi, vel attingere voluntatem: ergo illa differentia assignata non subsistit. Probatur antecedens quòd intellectio sit similitudo expressa intentionalis, prouenit ex natura potentiæ, & modo eius operandi circa obiectum per modum naturæ, & oppositum prouenit in voluntate etiam ex natura potentiæ, non solùm circa obiectum beatificum, sed etiam circa omnia obiecta; non magis tamen per hoc adhæret intellectus obiecto, quàm voluntas, neque magis quietatur in ipso: sed vtraque in tantùm quietatur inquantùm inhæret obiecto ipsum attingendo sub ratione propria. Deinde, non ipsa similitudo expressa se tenens ex parte intellectionis est beatificans intellectum, sed obiectum, vt in se attingitur; quod perinde competit voluntati, mediante suo actu.

Obiectum magis trahit quàm trahitur. Deinde, per illam metaphoram, quidquid intenditur, non rectè saluatur assecutio obiecti beatifici esse solius intellectus, nisi ostendatur perfectiuum magis communicare suam perfectionem intellectui, quàm voluntati: quod probari nequit: perfectiuum enim magis ad se trahit subiectum perfectibile, quàm per subiectum trahitur, & ita contingit in proposito: quia tractio in proposito est vnio potentiæ ad obiectum, séque tenens non ex parte obiecti, sed potentiæ: ideò dicimus attingi obiectum in se per actum potentiæ (vt in reipsa contingit) & non attingi potentiam per obiectum: nam si propriè loquamur, illud magis trahitur, in quo est vnio in ordine ad alterum, & constituitur ad alterum, vt extra se tendens, cum sui mutatione, & quasi motum ad alterum, quàm obiectum, quod sine vlla sui mutatione terminet tendentiam, & motum alterius. *Illud trahitur, in quo est vnio, & tendentia ad alterum.*

11 Sed ne vis in verbo fiat, licèt solutio magis verbalis videatur, quàm realis, sic argumentor: In hoc conueniunt visio, & fruitio Dei, quòd vtraque sit Dei in se, vt obiecti immediati differétia prætensa nequit ex hoc, quod commune est vtrique sumi, idcóque statur in solutione data, quòd visio ad se trahat obiectum, & sic sit assecutio eius, nòn ita volitio; sed illa est assecutio vera obiecti, quæ firmiùs adhæret obiecto in se, & in *esse* rei, & quæ consequenter magis communicat obiecto: sed ita adhærere, & communicare obiecto competit amori, & non cognitioni: ergo perfectior est assecutio per amorem, quàm per cognitionem. Maior probatur, quia nihil est assecutio, aut tractio in proposito, quàm vnio ad obiectum beatificum, inquantùm est perfectiuum potentiæ, eíque communicat: ergo quò perfectior, & firmior est vnio, eò etiam perfectior est assecutio, & tractio. Minor probatur: quia in ordine, qui est perfectionis, inter infimum, & supremum, perfectior longè est accessus ad supremum, quàm accessus ad infimum, & perfectius est transire, aut transformari in supremum, quàm infimum aliquo modo trahere ad se supremum: sed voluntas per amorem transformatur in amatum, intellectus verò non ita transformatur, sed potiùs transfert in se similitudine intentionali obiectum cognitum: ergo perfectior est vnio voluntatis ad Deum amatum, in quem transformatur, vt fiat affectu idem, & inseparabile ab amato, quàm intellectus qui è cótra potiùs transferri in se obiectum per similitudinem illam expressiuam obiecti. Probatur minor ex Dion. *de cælesti hierarchia cap.*7. vbi dicit amorem esse virtutem transformatiuam, & conuersiuam amantis in amatum. & Hugo de sancto Victore super eodem capite *calidum, & acutum significat impetum quendam amoris feruentis in amatum, & intrantis, & penetrantis, vt vbi est ipsum quod amatur, ibi cum ipso, & in ipso sit*, &c. *& sit vnio quodam modo per viam amoris, vt expelli incipiat* (supple amans) *& exire extra se, & incipiat esse, quod amat*, &c. *quoniam dilectio supereminet scientiæ, & maior est intelligentia: plus enim diligitur quàm intelligitur, & intra dilectio, & appropinquat, vbi scientia foris stat*, &c. *Videtur quidem refectio magis necessaria esse; quemadmodum magis est tibi bonum, quod in te est, quàm quod extra te est bonum*, &c. Voluntas ergo tracta per amorem, intrat, & penetrat amatum, vt cum ipso, & in ipso sit, & ita vnitur, vt exeat extra se, & incipiat esse, quod amat, supereminet dilectio scientiæ, & maior est; intrat dum scientia foris stat, & appropinquat cuius, refectio perinde est magis necessaria: ergo maior est vnio voluntati ad finem, quàm visionis, & firmior: ergo magis acquiritur per amorem, & eminentiorem habet gradum vnitatis, & vnionis, qua transfertur in amatum, quàm visio, aut scientia. Quòd dicas hæc metaphoricè dici, liberum est: quia vnio inter potentiam, & obiectum non est metaphorica, sed realis intentionalis: significatur autem per prædicta maior vnio, & penetratio esse amoris cum amato, magísque ipsi communicare, quàm sit vnio visionis, aut communicatio.

Voluntas per fruitionem firmiùs adhæret obiecto quàm cognitio. *Ordo perfectionis.* *Voluntas transformatur per amorem, non ita intellectus per cognitionem.* *Dion.* *Hugo.*

Confirmatur; illa potentia firmiùs adhæret obiecto secundùm inclinationem hominis perfectam, quæ magis applicat reliquas hominis facultates, & trahit ad operandum circa illud absens, sicut & alia quæuis media; sed hoc competit voluntati, cui reliquæ in hoc famulantur, alioquin indifferentes ex se, donec applicentur per voluntatem, & ea applicata necessariò adhærent: ergo, &c. Sed non est alia inclinatio voluntatis circa obiectum absens, & præsens, sed eadem: ergo sicut circa absens per desiderium firmiùs inhæret ex eadem inclinatione, etiam circa præsens firmiùs adhæret: nam ideo desiderat absens, vt fruatur præsente. *Confirm.* *Appetitus voluntatis superior est, & alias potentias applicat.*

Ex his ergo patet ratio prima Doctoris: nempe illud esse summè volendum, quod est finis obiectiuus, & suo gradu illud magis volendum, 12
quod

Ratio summaria Doctoris.

quod immediatiùs se habet ad finem ; sed voluntas immediatiùs se habet ad finem ; quia est obiectum ipsius : ergo magis est volendum ipsum *velle* per voluntatem , quàm visio ; sed hoc esset falsum , si essentialis beatitudo consisteret in sola visione , quia ordinatè volens finem, debet magis velle ea , quæ immediatiùs attingunt; beatitudo autem essentialis immediatiùs attingit finem , quàm aliquid aliud : ergo si illa consisteret in visione,magis volenda esset visio voluntati,quàm fruitio : qua ipsa voluntas tendit in finem : hic est scopus discursus Doctoris : sed falsum est voluntatem magis,aut immediatiùs,hoc est, principaliùs velle visionem , quàm fruitionem , aut suum *velle* , prout tendit in Deum immediatè:ergo falsum est beatitudinem formalem totalem consistere in visione. Antecedens probatum est *suprà* , nempe non tendere voluntatem directè,& vt *quo* in visionem tanquam rationem formalis obiecti , vt voluntas tendit immediatè in Deum. Vnde ad saluandam totalem rationem beatitudinis formalis in visione, authores, quos *suprà* impugnauimus , videntur sententiam sustinere ; & vt effugiant difficultatem argumenti.

Voluntas magis amat fruitionem quàm visionem.

Nunc ergo solùm superest probandum, quòd neque reflexè etiam voluntas tendat in visionem principaliùs quàm in ipsum amorem attingentem finem vltimum immediatè,imò principaliùs amet hoc modo suum *velle* , siue vt virtualiter per amorem finis reflectit in ipsum amorem, siue vt reflectit per alium actum. Probatio huius rectè sumitur ex illa ratione Doctoris , sic immediatiùs se habet *velle* ad finem vltimum, vt finis est bonum,quàm visio, licèt enim deitas in se perficiat tam intellectum , quam voluntatem : perficit tamen aliter : quia intellectum perficit , quà intellectus est , & secundùm propriam eius inclinationem ad intelligibile , quà intelligibile est,siue intelligibile obiectũ dicatur ens quantum,aut ens sub ratione entis , aut sub ratione veri : sub alterutra ratione Deus per modum obiecti intelligibilis perficit intellectum,mediante visione. Dicatur hoc modo visio acquisitio,aut possessio obiecti intelligibilis, & Dei sub illa ratione, aliter nõ est eius possessio formalis,quæ magis propriè spectat ad voluntatem ; sicut & apprehensio,seu tentio obiecti ; vt fatetur etiam D.Thomas 1.2.*quæst*. 4. tentionem propriè spectare ad voluntatem. Videatur *art*.3. *ad* 2.*&* 3. Ita etiam sanctus Bonau. *in hac dist. in prin*.1.*par.art*.1.*quæst*.5.*sic currite, vt comprehendatis*,1. ad Cor. 9. quod denotat actum voluntatis: nam sicut currere denotat meritum , quod propriissimè,& radicaliter est in voluntate, imò simpliciter iuxta sententiam scholæ D. Thom.(quæ non admittit actum externum superaddere differentem bonitatem actui interno) ita etiam comprehensio,quæ denotat præmium,spectat ad eandem potentiam principaliter, ac proindè ipsa etiam beatitudo.

Deus aliter perficit intellectum,aliter voluntatem.

Possessio ad voluntatem spectat & tentio.

Voluntas vt perficitur à Deo.

Ad propositum,prosequendo discursum, Deus perficit voluntatem sub ratione boni , & finis; quia respicit bonum quà tale est formaliter ; & finis quà finis, constituitur formaliter , in quantùm est bonus:ergo *velle* est immediatius,& intimius fini vltimo , quà talis est , & quà bonum, quàm visio : ergo voluntas, vt tendit in bonum, & finem,magis per se,& immediatiùs amat suum *velle*,quo tenditur , quàm visionem. Probatur vltima consequentia ratione Doctoris : illud est magis volendum voluntate libera , quod appetitui naturali est magis appetendum;sed huiusmodi est *velle*,quod est propinquius vltimo fini:ergo magis est volendum. Probatur minor : nihil est bonum respectiuè ad voluntatem,nisi vt includit rationem sui obiecti,id est , quòd sit conueniens voluntati:conueniens autem solùm est , ad quod voluntas inclinatur : nam si nulla est inclinatio in voluntate , nulla etiam est conuenientia in obiecto ad voluntatem , & quò maior est in obiecto conuenientia, eò maior supponitur in voluntate inclinatio ; sed potior est inclinatio voluntatis ad suum *velle* , vt per ipsum coniungitur fini , vt obiecto : ergo etiam actus eliciens eius primariò respicit suum *velle*, & non visionem ; si est actus rectus , aut voluntas ordinatè amans. probatur minor;inclinatio naturalis voluntatis, & eum sequens elicita , tanquam perfectio eius, & coniunctio cum obiecto, ad quod inclinatur voluntas in *esse* potentiæ, & perfectibilis (sic intelligo quoad præsens inclinationem naturalem, vt tollatur controuersia inferiùs circa hoc tractanda, si debeat dici obedientialis , si naturalis, parùm ad propositum spectat , hìc agitur de illa inclinatione , qua voluntas eleuata, est nata perfici per modum perfectibilis passiui)primariò , & immediatè respicit vltimum finem in ratione finis,vt obiecti perfectiui potentiæ , & sic etiam obiectum quà finis est,& bonum appetibile respicit voluntatem:ergo tam ex inclinatione potentiæ , quàm ex ordine obiecti ad eandem , atque adeò ex proportione perfectiui , & perfectibilis immediatiùs se habet *velle* voluntatis ad finem, vt dicit ordinem prædictum,quàm aliquid aliud, vt comparatur ad voluntatem : & patet consequentia:quia ipsum *velle* est vnio formalis perfectiui,& perfectibilis,obiecti,& potentiæ; & ipsa attingentia obiecti per potentiam : ergo magis nata est voluntas velle ipsum suum *velle*, quo fruitur,quàm visionem,per quam non fruitur, & merè se habet respectiuè ad voluntatem , vt applicans obiectum.

Appetitus liber sequitur naturalem.

Conuenientia obiecti est eius bonitas.

Inclinatio propria voluntatis ad finem.

Ordo finis ad eandem.

Responsio 13

Respondeti potest ad hoc , quòd alia sit inclinatio in voluntate ad bonum naturæ,& vniuersale totius ; alia verò ad bonum particulare potentiæ , vel ipsius voluntatis, quà talis est : licèt ergo voluntas inclinetur ad amandum bonum suum particulare,& actum , magis , quàm actum intellectus , vt præcisè est perfectio intellectus, tanquàm potentiæ particularis,& diuersæ:tamen vt in actu intellectus formaliter consistit beatitudo naturæ ; inde est vt voluntas ordinatè volens,& secundùm inclinationem,quæ potior est, & respicit totum,seu naturam,magis amat visionem , in qua consistit tale bonum , quàm amet suum *velle*,quod est bonum particulare:immediatiùs autem coniungitur visio obiecto, quia est beatitudo formalis , immediatione perfectionis, & participationis obiecti , quàm *velle* , licèt *velle* immediatiùs coniungatur , quatenus est tendentia voluntatis.Contrà;hoc est petere principium: quia ipsum est quod quæritur;& impugnatur ex inclinatione potentiæ , & ordine obiecti ad potentiam:& sic argumentor:inclinatio vniuersalis in voluntate ad bonum naturæ debet habere actum , per quem ordinetur , & qui sit eius proprius perficiens voluntatem,secundùm illam inclinationem;sed nullus est actus in voluntate secundùm illam inclinationem diuersus ab actu, qui

Inclinatio voluntatis vniuersalis, & particularis.

Impugnatio.

Petitio principij.

Inclinatio vniuersalis exigit actum proprium.

qui est secundùm inclinationem particularē voluntatis ad obiectum in se, & propter se: ergo hæc erit inclinatio propria naturæ, quæ est ipsius voluntatis: & consequenter *velle* est potior beatitudo naturæ, & immediatiùs se habet ad finem, id est, perfectiùs. Maior probatur; quia inclinatio distincta est propter actum distinctum: ergo si inclinatio vniuersalis est distincta in voluntate ad bonum naturæ, ab inclinatione particulari, habebit actum etiam distinctum, sicut inclinatio eius diuersa secundùm affectum amicitiæ habet proprium actum diuersum ab eo qui est ad affectum commodi,& delectabilis inquantùm delectabile est;sed nullum actum habet diuersum voluntas,qui sit proprius inclinationis vniuersalis. & probatur; quia si haberet, esset actus perfectissimus voluntatis; sed hoc est falsum, dari scilicet talem actum in voluntate diuersum ab eo,quo ipsa immediatè tendit in finem per fruitionem, quæ ipsi competit secundùm inclinationem particularem: ergo inclinatio particularis voluntatis est illa ipsa,qua respicit bonum naturæ;& cōsequenter in actu huius qui est proprius voluntatis, consistit perfectio naturæ principaliter. Probatur subsumptum,quæ fuit etiam minor principalis;nullum habet voluntas actum perfectiorem, quàm sit ille, quo attingit Deum propter se, & in se; sed sic attingere competit voluntati secundùm inclinationem particularem: ergo hæc erit propria naturæ. Maior patet; quia perfectius est attingere Deum in se, & propter se absolutè, & simpliciter, quàm attingere Deum cum aliqua limitatione,qua influit in naturam mediante intellectu, eámque perficit: quia priori modo attingitur secundùm se absolutè, & propter se tantùm & sine vlla limitatione se tenente ex parte obiecti, quàm obiectum attingere sub ratione limitante ex parte obiecti: perfectius etiam est Deum attingere in se, & ad intrà, quàm vt dicit ordinem limitatum ad extrà; sed voluntas secundùm inclinationem propriam ad Deum attingit ipsum immediatè, &absolutè vt est bonum in se, & proprium suum, id est, Dei: attingit enim affectu amicitiæ: attingere autem Deum, quà confert beatitudinem mediante intellectu, est attingere sub ratione limitante, vt influit ipsam visionem per modum mouentis, & terminantis: ergo sic attingere non est secundùm inclinationem vniuersalem, & perfectissimam voluntatis: ergo illa non est in voluntate distincta ab inclinatione particulari, & consequenter hæc erit vera, & perfectior inclinatio naturæ ad beatitudinem.

Non datur talis actus in voluntate.

Attingere Deum absolutè dicit perfectionem.

Sic voluntas attingit Deū absolutè propter se, & sine limitatione.

14 Probatur tandem hæc consequentia sæpiùs deducta: illa est perfectior, & magis propria inclinatio naturæ, quæ magis sistit in Deo absolutè, & secundùm se, & propter se; hæc autem est inclinatio voluntatis, non intellectus: ergo illa erit inclinatio magis conformis naturæ, vt inclinatur ad perfectionem. Probatur maior, quia est vniuersalior inclinatio, & magis tendens in bonum secundùm eminentiam, quà est ipsius in se, & propter se absolutè, & sine ordine ad aliud; talis autem inclinatio debet esse totius: ergo, &c. Quòd verò illa sit voluntatis, iam probatum est: quòd non sit intellectus, probatur: qua intellectus non solùm est obiecti beatifici quà intelligibile, & visibile est, sed etiam quà est obiectum voluntatis, & quà hæc ad ipsum ordinatur vt perfectibilis: quia est ostensiuus obiecti, & applicatiuus voluntati, quoniam ipsa visio, & Theologia Beatorum est practica, vt rectè Doctor in quæstione quarta prologi; de ratione autem cognitionis practicæ est, vt proponat obiectum voluntati, quæ hæc nata est circa obiectum praxim exercere, quæ est sua operatio, sed quoniam in hoc etiam est controuersia de acceptione cognitionis practicæ, & ipsius praxis: saltem illud notum est intellectum ferri in obiectum, non solùm absolutè, quà est perfectiuum ipsius per visionem, sed etiam respectiuè ad voluntatem, quà perfectiuum est voluntatis, è contra voluntas fertur amore amicitiæ in ipsum obiectum absolutè in se, & propter se, qui est perfectior modus attingendi obiectum; licèt eadem voluntas feratur etiam in obiectum, & sub ratione commodi, & secundùm hunc affectum; præterea, in omnem perfectionem, qua perficit obiectum tam intellectum, quàm ipsam voluntatem: immediatiùs tamen qua perficit voluntatem, quia hæc perfectio, vt dicit Doctor, immediatiùs attingit finem. Ex quibus colligitur intentum principale, nempe & inclinationem naturæ mediante voluntate esse perfectiorem, & beatitudinem ad intrà non consistere essentialiter in visione, seu finem ad intrà; sed in fruitione, quæ magis diligitur à voluntate ordinatè agente. Huc spectat ratio Doctoris principalis ad oppositum quæ eadem est, & quam confirmat in litera authoritate Augustini 1. *de Trinit. cap.* 13. & *de doctrina Christiana cap.* 6.

Inclinatio voluntatis est inclinatio totius ad finem.

Non esse intellectus illā inclinationē.

Theologia Beatorum practica.

Visio applicat obiectum voluntati.

Secundò probat Doctor idem; & est confirmatio prioris:voluntas potest velle suum actum, sicut intellectus intelligere suum actum: aut ergo vult suum actum propter *intelligere*, aut è conuerso, aut neutro modo; hoc est, vult suum actum vt intellectio ad ipsum ordinatur tanquam ad perfectiorem, aut vult sine ordine perfectionis vnius ad alterum, & intelligitur de volitione ordinata, quæ sequitur ad naturam rerum iuxta perfectionem gradus, in quolibet, & ordinem perfectionis secundùm quem non debet voluntas operans aliter operari, quia operatur propter bonum,& finem,& secundùm gradum, quo participatur illa bonitas à quolibet; sed non vult suum *velle* propter *intelligere*,quia vt Anselm. *lib.* 2. *cur Deus homo cap.* 1. *ordo peruersus est velle amare, vt intelligeret*, &c. Non vult neutro modo: quia in his, quæ sunt ad finem, est aliquis ordo, vt etiam nobiscum supponit Angelicus Doctor: ergo vult suum *velle* vt ad ipsum ordinatur *intelligere*; quod etiam intendit *ibidem* Anselmus.

15 2. *Ratio.*

Voluntas ordinata sequitur gradum perfectionis in rebus.

Anselm.

Vult fruitionem propter se.

Respondent Aduersarij ad hanc rationem variè. In primis Caietanus *locis citatis in D. Thomam* 1. *part. quæst.* 26. *art.* 2. & defendit ampliùs 1. 2. *quæst.* 3. *art.* 4. Dicens actum voluntatis ordinari ad visionem tanquam perfectiorem, & finem. Fundat solutionem in eo, quod suprà impugnatum est, nempe Deum visum amari à Beatis, in quo amore non se habet visio per accidens, sed per se per modum obiecti; ideóque amor ordinatur ad visionem, vt ad finem. Hæc responsio quoad fundamentum, quo sustinetur, est impugnata in priori argumento.

16 1. *Responsio.*

Reiicitur ex dictis.

Respondet Vasquez *c.*9.præmittendo Anselmū non

Responsio Vasquez.

non dixisse vniuersim ordinem peruersum esse amare, vt intelligas, nec solùm dixisse ordinem rectum esse intelligere, vt ames, etiamsi hoc verum sit: solùm ergo contendit Anselmus creaturam rationalem esse factam participem rationis, vt Deum propter se amaret, vt summum bonum, & non propter aliud, quod facit per charitatem: Ex hoc autem colligit nè amor iste frustrà habeatur, fore vt aliquando summum illud bonum sit consecutura in patria: solùm ergo contendit institutam esse cognitionem huius viæ, vt amaret creatura, & consequeretur summum bonum in patria: non dicit autem summum illud bonum possideri in patria per amorem; quamuis etiam doceat creaturam rationalem ideò fuisse institutam à Deo, vt Deo fruatur in alia vita, & tandem concludit ex sola Anselmi authoritate nihil contra suam sententiam concludi, &c. Contrà, hæc interpretatio mentis Anselmi potiùs confirmat oppositum; nam si cognitio ad amorem ordinatur à Deo, & vterque ad fruitionem in patria, quæ est voluntatis, habemus Anselmum pro nobis: quod etiam in fine non obscura admittit præfatus author, neque aliud ex verbis, aut ratione Anselmi haberi potest, & hac in parte stat probatio.

Impugnatio. Cognitio ad amorem ordinatur.

Alia responsio eius.

Respondet ad rationem, non omne illud, quod ordinatur ad aliud, esse perfectius eo, ad quod ordinatur; instat, quia substantia ordinatur ad operationes, quæ non sunt perfectiores substantia: Incarnatio ordinatur ad nos, quæ tamen perfectior est; quibus positis, distinguit de ordinatione, quæ est à voluntate diuina neutrum actum ad alium ordinari; sed vtrumque ad Deum, quia Deus non respicit alium finem, quàm seipsum: si verò loquamur de ordinatione, vt respicit voluntatē creatam, quatenus amaret voluntas creata vnum propter aliud, nihil probat argumentum; quia si amet quis visionem, & amorem, vt bona propria, non debet amare visionem propter amorem tanquam finem; quia visio perfectior est: si tamen aliquis putaret amorem esse perfectiorem, tunc ordinatè amaret visionem propter amorem. Quòd si aliquis velit videre, vt amet, non gratia sui, sed amici; quia amor propinquiùs accedit ad amicum, tunc non inordinatè amaret, quia tunc amor non desideratur, vt proprium bonum, sed vt amici: superest ergo, vt visio suapte natura ordinetur ad amorem sicut causa ad effectum, vt *suprà* dictum est, nempe in responsione, quam impugnauimus; & inde non sequitur quin visio sit in se perfectior.

18 *Impugnatio.*

Contra hanc responsionem: si visio non sit causa amoris, vt probatum est non esse eius causam in genere obiecti formalis, prout præfatus author cum Caietan. affirmat esse causam eius, responsio in suo fundamento corruit. Deinde, si amor charitatis, vt hìc supponit, sit immediatior, & propinquior Deo, quàm visio, sequitur quòd amicitiæ, seu charitatis in patria non sit de Deo viso, tanquàm obiecto formali, quà visus est, transferendo visionem in rationem formalem obiecti, quod est contra idem fundamentum. Deinde si amor est propinquior Deo propter se amato, quàm visio; sequitur etiam amorem esse perfectiorem quàm sit visio: quia immediatiùs attingit obiectum, ex quo vtriusque perfectio redundat, & quæ sunt viciniora fini, sunt perfectiora, & priùs ordinatè debent amari, vt dictum est. Quod ergo supponit primum quòd non omne, quod ordinatur ad aliud, sit ipso imperfectius, & instantiæ ad probationem eius allatæ non faciunt ad propositum: nam hìc præcisè agitur de ordine perfectionis inter res ipsas inquantùm vnum, vt imperfectius ordinatur ad aliud, tanquàm ad finem in genere perfectionis: suppositio vtriusque sententiæ hunc ordinem admittit inter visionem, & fruitionem: & sicut in ordine essentiarum quantùm ad actum primum; species enim sunt sicut numeri, ita vt duæ non sint eiusdem perfectionis, sicut neque eiusdem quiditatis: ita in perfectionibus actus secundi talis ordo datur, & maximè in proposito, in quo agitur de attingentia finis, quæritur vtra perfectior sit, vt per quam summum bonum magis vltimatè secundùm perfectionem communicat se creaturæ; aliàs si diceremus cum sententia superiùs allegata, prout aliqui eam defendunt, non esse talem ordinem, sed integram beatitudinem essentialem constitui in vtraque attingentia, nemo diceret eam totaliter consistere in visione, aut in fruitione: licèt etiam sectatores illius hunc ordinem admittunt, ita vt dicant alteram operationem esse perfectiorem: non ergo agitur de ordine alicuius ad alterum inquantùm illud perficit communicando ei *esse*, aut perfectionem essendi, sicut actus primus ordinatur ad secundum, vel Incarnatio ad Redemptionem: sed de ordine, qui est inferioris ad superius in perfectione, qualis est actus secundi ad primum, nostri ad Incarnationem. Hunc ordinem statuit Anselm. inter visionem, & fruitionem; intellectionem, amorem, tanquam inter diuersa bona appetibilia, & in diuerso gradu bonitatis, asserens Deum instituisse creaturam cognoscentem ad finem amoris, non è contra amorem ad finem cognitionis, & vltimatam perfectionem finis sub ratione finis tribuit amori, vt institutus est à Deo sic intendente.

Inter diuersas species est ordo perfectionis.

Excluduntur instantiæ.

Ex quo patet falsitas illius responsionis, qua dicit neutram perfectionem, vt cadit sub intentione Dei, dicere ordinem ad alterum tanquam finem, quia Deus non habet finem ad extrà: sed omnium finis immediatus sit sua bonitas; quæ doctrina non rectè subsistit: nam licèt finis vniuersalis, & vltimatus omnium, vt intenduntur à Deo, sit propria bonitas: tamen sic in omni opere eius elucet etiam iustitia, vt *suprà* ostensum *dist. 46. quæst.* 1. & in creatura reperiri debitum exigentiæ diuersum, secundùm quòd Deus in intensione, & executione distribuit proportionatam singulis perfectionem; ita etiam ex intentione vnius vt finis in *esse* rei respectu alterius, vult alterum: voluit enim meritum in intentione propter præmium, vult iustificationem peccatoris ob finem saluandi, & ad gloriam Christi vult hanc creaturam in hac perfectione creare, quia voluit vniuersum creare in *esse* perfecto, vult sacramenta propter gratiam: ergo ex hoc fundamento non rectè negatur Deum in sua prouidentia voluisse alteram ex his operationibus, in ordine ad alteram, quæ sit perfectior: nam sicut voluit se communicare per fidem, & dilectionem in via ex fine communicandi se in patria perfectissimo modo, sic etiam illa operatio, per quam primariò constituitur beatus in patria secundùm intentionem communicandi se hoc modo, voluit primariò, & alteram tantùm vt ordinatur ad ipsam.

19 *Deum constituere ordinem perfectionis in rebus.*

Constituit ordinem medij, & finis, & intendit vnum propter aliud.

Intendit vnū propter aliud.

Reiicitur aliud dictũ. ipsam. Tandem quòd dicit si voluntas velit tam visionem, quàm fruitionem vt bonum proprium; non posse velle visionem propter fruitionem, quia est perfectior: si tamen velit affectu amicitiæ,& charitatis, tunc posse velle ordinatè fruitionem vt finem visionis; hoc inquam,non subsistit, quia ratione obiecti vtraque est perfectio creaturæ; vt eam constituit in ordine ad beatitudinem obiectiuam, eo autem ordine, quo obiectum beatificum se communicat perfectiùs per vnam, quàm per alteram, eodem ordine perfectionis vna est magis perfectio propria,quia maior beatitudo intensiuè,quàm altera; sed quod est immediatius, & propinquius obiecto beatifico,magis percipit perfectionem obiecti vt beat, quàm quod est remotius:sic se habet hîc,vt idem admittit,amor amicitiæ: ergo magis est perfectio propria, quàm visio: ergo sic visio ordinatur ad illum amorem, sicut imperfectiùs, & remotiùs attingens finem quoad gradum perfectionis, & consequenter sic est volibilis propter amorem,vt finem;non ècontra amor propter visionem: nam talis ordo est inter actus, qualis est motionis obiecti:cùm ergo principaliùs moueat ad amorem amicitiæ,quàm ad visionem sui, & magis fiat vnum amans,& amatum, quàm videns,& visum, sequitur intentum. *Ordo perfectionis in actu ab obiecto.*

20 *Responsio aliorum reiicitur.* Ex his etiam reiicitur responsio aliorum, qui dicunt Anselmum loqui de his affectibus, vt sunt in via,non verò in patria:quia in patria non sequuntur eundem ordinem, quem habent in via. Contrà, Anselmus ex ordine ipsorum in via quantùm ad perfectionem colligit ordinem, quem dicunt in patria, etiam quantùm ad perfectionem,ita vt dicat intellectionem, & amorem viæ ordinari præcisè ad fruitionem, & non ad visionem: & probatur; vtraque potentia in via eleuatur vt operetur in ordine ad finem; sed in via perfectior est amor, quàm cognitio circa finem:ergo etiam in patria. Probatur consequentia;quia eodem ordine perfectionis, quo potentiæ operantur circa finem absentem,eodem etiam operantur circa præsentem: ergo, &c. Probatur antecedens, ideò debetur in via voluntati perfectior operatio, quàm intellectui, quia perfectior est inclinatio voluntatis in finem, ob quam exigit perfectiori modo,& operatione, attingere finem prout est possibile vtrique potentiæ illum attingere in via: sed in patria remanet eadem & inuariata perfectio vtriusque potentiæ:ergo magis exigit voluntas in patria quiescere in fine, & perfectiori operatione ordinari ad finem, quàm intellectus: vtraque autem in patria quiescit iuxta exigentiam cuiúsque. Suppositio hîc admissa de perfectione amoris in via super cognitione viæ, non admittitur ab omnibus aduersariis, & meo videri consequenter negatur: sed de ea agitur in quæstione laterali ex professo, vbi plura argumenta huc spectantia, quæ probant perfectionem voluntatis super intellectu,probant operationem perfectissimam (in qua debet constitui beatitudo) esse voluntatis. *Perfectior est amor in via, quàm in patria. Exigentia perfectioris actus ex inclinatione potentiæ.*

21 *Vasquez. An finis sit præstantior medijs.* Addit præterea Vasquez interpretationem illius principiis communiter recepti: *finis est præstantior iis, quæ sunt ad finem*, &c. id intelligi: quia bonitas finis est præstantior bonitate mediorum; accidere tamen potest, vt id quod in re est præstantius consideratum, tantùm vt vtile ad aliud, sic assumatur à voluntate, ea autem ratione, qua assumitur vt medium, minùs perfectum est, nec semper inordinatè procedit,qui magis perfectum ordinat ad minùs perfectum:nam interdum operando secundùm rectam rationem, opus perfectioris virtutis assumitur,vt medium ad imperfectiorem.

Impugnatio. Veritas axiomatis. Contrà, hæc doctrina non soluit difficultatem, & axioma illud vniuersaliter intelligendum est de fine in re, non verò de fine hîc & nunc præstituto à voluntate ex sua libertate,qua contingit eam velle vnum propter aliud,& velle etiam, ac ordinare contra rectam rationem id quod bonum est ad malum,vt dare eleëmosynam propter vanam gloriam. Instantia adducta,nempe voluntatem sic aliquando operari regulariter, & ordinatè, non facit ad propositum: quia etsi voluntas operatur hîc & nunc quantùm ad effectum præsentem, assumendo magis bonum propter minùs, non operatur tunc propter finem in re,neque principaliter perficientem;sed operatur ordinando causam perficientem ad effectum,quo habeat completam bonitatem tam ex obiecto, quàm circumstantiis:v.g.assumit actum charitatis ad finem eliciendi actum pœnitentiæ, licèt ex vi actus imperantis sistat motus in actu pœnitentiæ: tanquàm in fine proximo: tamen in eo non sistit motus completus voluntatis, sed vlteriùs respicit ipsum finem charitatis tanquam vltimatum; sic etiam quando vult actum temperantiæ in ordine ad finem cultus, potest velle circulariter ipsum cultum proximè ad actum temperantiæ, licèt remotè redeat ex vi anterioris voluntatis ad idem motiuum tanquam ad finem vltimatum: sic etiam quando præceptum alicuius virtutis vrget, cuius obseruantia impeditur per vitium oppositum alteri virtuti, vtitur actu, & rectitudine illius virtutis ad tollendum impedimentum actus præcepti,qui si est inferioris virtutis,dignificatur ampliùs per actum alterius,cuius etiam honestatem acquirit. Cæterùm voluntas sistendo in debito ordine finis in reipsa numquam vtitur perfectiori virtute in ordine ad imperfectiorem, tanquam finem: quia perfectior virtus est medium omnino improportionatum ad hunc finem, nisi vt præcisè sumitur tanquam causa communicans perfectionem actui inferioris. In beatitudine autem ordo, quem sequitur voluntas, est finis in re, & respectiuè ad ea,quæ ei sunt magis vicina, siue vt media, siue etiam vt finis sub fine, & sic recta ratio dictans per principia desumpta à fine vltimo ordinat, & deducit sicut in finem propter se summè diligendum;sic etiam conclusiones proximas,& practicas deducit quoad dilectionem eorum, quæ immediatiùs & perfectiùs attingunt bonitatem finis. Deinceps procedit ad alia iuxta gradum: reliquorum; inordinatus autem processus esset dictare ea, quæ minùs participant perfectionem finis,esse magis diligenda,quàm alia, quæ immediatiùs, & perfectiùs adhærent fini, quando intellectus sequens veritatem principij practici, vt est Deum esse summè diligendum, procedit deducendo conclusiones in iis,quæ finem attingunt secundùm ordinem perfectionis quoad gradum participationis finis, & veritatis primi principij: ideóque ex hoc principio procedit sententia,quam defendit Vasquez,asserendo fruitionem ordinari ad visionem, quia hæc immediatiùs attingit finem, éstque sola eius assecutio, vt prædicta sententia tenet, ad quam ordinatur fruitio tanquàm perfectio consequens: tota ergo controuersia *Reiicitur interpretatio Vasquez. Qualiter voluntas velit actum vnum propter alium. Ordo finis in re. Processus intellectus practici.*

Status controuersiæ. controuersia est in hoc puncto, in quo nos cum Doctore defendimus oppositum; nempe assecutionem finis quà finis est, consistere in fruitione principaliter, atque ad eam ordinari visionem.

22 *3. Ratio Doctoris.* Tertiò tandem argumentatur Doctor, assumens principium sententiæ oppositæ, & commune: si beatitudo extrà, id est, obiectum beatificum sit simpliciter summè volendum: ergo illud maximè est beatitudo intrà, seu intrinseca, & formalis, quod inter intrinseca est summè volendum. *Beatitudo consistit in summè volibili.* Antecedens conceditur: consequentia rectè tenet ex dictis: quia voluntas ordinatè operans circa finem illud, maximè vult inter reliqua, quæ sunt ad finem, quod magis est propinquum fini; quia inter reliqua illud magis participat bonitatem finis; sed quoad intrinseca voluntas magis vult suum *velle*, quàm visionem: *Talis est fruitio præ visione.* plus enim diligit perfectionem propriam, quàm alterius iuxta inclinationem naturalem, qua ordinatur ad propriam perfectionem magis, quàm ad perfectionem intellectus: nam appetitus elicitus est propter perfectionem, appetitus innati vt compleatur: ergo, &c. Hanc rationem superiùs in confirmatione primi argumenti deduximus; neque habet aliam responsionem, quàm eas, quæ iam impugnatæ sunt, & petunt principium. Rationes hæ Doctoris procedunt à priori & ex inclinatione naturali potentiæ, tanquàm per notiora, vt inde ex modo operandi immediatiùs circa finem, & perfectione tendendi in illum, colligatur quid sit, & in cuius operatione consistat perfectio intensiua beatitudinis.

23 *Ad rationes D. Thomæ. Ad primam. Responsio.* e *Ad rationem ergo concedo*, &c. Respondet ad fundamenta D. Thomæ desumpta à ratione. Ad primam (in qua consistit fundamentum desumptum à ratione) respondet Doctor concedẽdo maiorem, & minorem quoad secundam partem concedit: nempe actum voluntatis non esse finem ad extrà, sicut etiam neque actus intellectus est finis obiectiuus. Cæterùm negatur minor quoad secundam partem; scilicet quòd actus voluntatis non coniungat immediatiùs, & perfectiùs vltimo fini, vt patet ex rationibus præmissis. Concedit ergo iuxta ea, quæ præmisit in quæstione præcedente, actum intellectus attingere Deum finem vltimum: sed propriùs, & immediatiùs attingi per actum voluntatis, & ita magis principaliter consistere beatitudinem in actu voluntatis; *Vera sententia Doctoris.* quod aduertendum est: quia non defendit Doctor suam conclusionem in eo rigore; quo aliqui interpretantur, quasi voluerit totam rationem essentialis beatitudinis consistere in solo actu voluntatis, quo modo dicit opposita sententia eam consistere in sola visione, sed sequitur sententiam mediam, quam tuetur in antecedente quæstione, cuius sensum meliùs assecuti sunt meo videri Ioannes de Colonia, Nicolaus de Nisa, & Angles, quàm alij, qui oppositum quasi ex mente eius tenent: hæc igitur eius sententia beatitudinem extensiuam, & completam creaturæ intellectualis consistere in operatione vtriusque potentiæ, per quam immediatè attingitur finis; sed comparando vtramque ad inuicem, perfectiùs consistere in actu voluntatis, ac proinde sumendo beatitudinem pro vltimo, & essentiali complemento actus secundi, magis conuenire fruitioni, quàm visioni.

24 *Ad probationem minoris.* f *Nec probationes ad primam partem*, &c. Respondet ad probationem primæ partis illius minoris, qua dicitur *velle* ordinari ad finem, neque posse esse primum volitum, quia præsupponit aliud à *velle* priùs esse volitum, quia reflexus actus præsupponit actum rectum terminatum ad aliud ab actu illius potentiæ, aliàs esset processus in infinitum. Similiter intellectus ad suum *intelligere* præsupponit aliquid aliud, quod est ipsum obiectum. *Responsio* Respondet Doctor actum voluntatis esse ordinatum, & ordinabilem ad finem simpliciter, qui est fini inter reliqua immediatissimum, *Actus voluntatis ordinatur simpliciter ad finem.* actus intellectus non est sic ordinabilis, sed tantùm mediatè, & ideò minùs participans rationem finis. *Declaratur.* Declaratur prima propositio: actus voluntatis est ordinabilis in finem vltimum, & ordinatur de facto immediatè; non intendit ordinari per alium priorem voluntatis in termino, neque per actum reflexum, sed immediatè ex natura potentiæ, cuius est finis; & *Qualis sit hæc ordinatio.* omnis ordinatio in finem & immediatè attingere ipsum finem vt obiectum: hoc ergo modo ordinatur actus voluntatis in finem vltimum immediatè; quamuis autem intellectus operatur circa finem vltimum, eius tamen actus non ita ordinatur, nisi sub ratione intelligibilis, vel vt *Visio non sic ordinatur ad finem quà finis est.* alij dicunt, veri, & sic non attingit finem, quà finis est, id est, bonum sub ratione boni: quia sic tantùm attingitur per amorem: quamuis ergo intellectus attingat priori modo, non ordinatur in finem nisi mediatè secundùm modum attingendi finis, quà finis est, id est, sub ratione formali boni, quà constituitur finis, & hoc est tantum mediate attingere finem, quà finis est, nempe mediante veritate, aut intelligibilitate, quæ *Obiectum, seu finis mouet intellectum quà intelligibile est, & verũ.* sunt rationes formales, quibus intellectus terminatur, & mouetur ex parte obiecti, quæ diuersæ sunt à bonitate, inquantum mouet, & terminat sub ratione bonitatis, vt bonitas est. Alio etiam modo se habet mediatè, quatenus tantùm ostensiuè applicat voluntati finem sub ratione finis, & amabilis, ad quam ipsa voluntas formaliter vnitur, & per quam mouetur: vnde ratio illa, quà dicitur non esse primum volitum, distinguendà est, in ratione obiecti conceditur, in ratione tamen voliti, vt volitio est eorum, quæ sunt ad finem, negatur: quia sic vult suum *velle* voluntas priùs & perfectiùs, quàm visionem ex dictis: licèt etiam diceretur visio priùs volita ordine generationis, non refert, quia hîc agitur de priùs volito secundùm ordinem perfectionis, & sic volitio est priùs volita tam ex parte obiecti primarij, scilicet finis mouentis priùs ad ea, quæ magis sunt propinqua, vt competit volitioni, quàm ex parte potentiæ, & eius inclinationis, quæ fertur in finem, & coniunctiora ad finem. 25

2. Pars minoris principalis. g *Secundam partem minoris, nego* &c. Secunda pars fuit quòd actus voluntatis non sit assecutio finis: quia nec actus desiderij, qui antecedit consecutionem finis, nec delectatio, quæ est quietatio potentiæ in fine, quæ sequitur consequutionem finis: quia potentia nullo modo se habet aliter ad finem, quem antè intendebat per actum desiderij, nisi quia præcessit assecutio finis, per quam fit quidam contactus Dei ad intellectum (cùm cognitum sit in cognoscente) per quem contactum sic se habet obiectum ad voluntatem, vt ipsa possit nunc quietari in eo quod priùs non poterat. Hanc rationem prolixè satis prosequitur Vasquez *cap. 7.* tanquam quæ sit à priori; *Deductio eius per Vasquez.* summa discursus eius consistit in præmissa ratione, quam format Doctor ex D. Thoma: dicit beatitudinem consistere in obiecto extrinseco, loquendo de

de obiectiua, nempe in Deo: formalem verò in illa operatione, quæ est propriè assecutio Dei: qui beare nequit nisi vt possessus: quemadmodum si pecunia esset beatitudo obiectiua, illa tantùm vt possessa bearet, possessione, inquam, quæ manu, & reipsa fieret: respectu autem obiecti beatifici; ipsa visio clara est talis possessio: ergo, &c. Subiungit maiorem concedi ab omnibus, nempe formalem beatitudinem consistere in possessione obiecti beatifici; sed reiicit tanquam inutilem dissertationem Doctoris, & aliorum, qua discutiunt vtra potentiarum sit perfectior, nempe an intellectus, & voluntas, & idem quoad operationes, consequenter asserens, non esse ad præsens institutum, quia etsi de facto operatio perfectissima sit beatitudo, non tamen inde habet rationem beatitudinis, sed quà est possessio obiecti. Probat ergo hanc consecutionem finis non esse aliam operationem à visione clara: quia vel esset dilectio charitatis in voluntate, vel delectatio: non dilectio, quæ indifferens ad Deum visum, & obscurè cognitum, præsentem, & absentem, & supponit Deum præsentem vt est amor præsentis per visionem, & respicit ipsam etiam visionem vt *suprà* ex eo dictum est, non est delectatio ex ratione iam præmissa. Quòd sit sola visio, probat; quia nulli operationi voluntatis conuenit esse possessio obiecti; sed visioni quatenus ipsa facultate, & potentia intellectiua, tanquam manu, & operatione possidet obiectum: quia intellectui conuenit habere obiectum præsens vi sua, & non operatione alterius potentiæ, ipsi competit possessio, eo quòd sit actualis repræsentatio rei cognitæ: hinc etiam desumit perfectionem intellectus supra voluntatem. De hac difficultate agetur in quæstione laterali. Respondet Doctor ad probationem secundæ partis minoris, concedendo non per actum desiderij, qui est absentis, possideri obiectum beatificum: sed per alium actum, qui est Dei præsentis; & hæc est assecutio primaria prioritate perfectionis, licèt per intellectum sit quædam eius assecutio prior prioritate generationis, posteriora autem generatione sunt perfectiora ex Philosopho 4. *Met. text.* 15. quod verum est de priori secundùm perfectionem, quod est simpliciter immediatius vltimo, supple perfectiuo, quod vltimum est simpliciter perfectum, vt in proposito se habet actus voluntatis, vt proximus, & immediatior ad Deum vltimum finem. per hoc responsionem habet illa probatio Vasquez, qua dicit charitatem, & eius amorem abstrahere à re præsente, vel absente, visa, vel credita. Respondetur amorem charitatis circa Deum præsentem non ita abstrahere, quin sicut tam intellectus, quàm voluntatis abstractio hoc modo sumpta non intelligitur respectiuè ad eundem actum, sed ad diuersos; ita etiam se habet abstractio charitatis in ordine ad diuersos actus, ita vt idem nequeat esse Dei præsentis, quà præsens est, & Dei absentis, vel clarè visi, & obscurè cogniti; aliter enim bonitas in se visa, & præsens mouet, & terminat voluntatem, aliter verò ipsa vt absens, & obscurè cognita; quidquid sit an hi actus charitatis sint distincti specie, quod verius est iuxta sententiam Doctoris *in* 3. *dist.* 31. *ad* 1. id certum est quòd voluntas nequeat satiari vltimatè per amorem absentis, quo mouetur ad assecutionem præsentis, eiúsque fruitionem: nam vt optimè Aug. 9. de Trin. cap. vlt. *Appetitus inhiantis fit amor fruentis*, id est, mutatur in

Possessio finis.

Statuitur in visione.

Responsio Doctoris.

Soluitur deductio Vasquez.

Qualis sit abstractio charitatis.

Diuersus actus est voluntatis circa finem præsentem, & absentem.

Augußt.

amorem fruentis; ita adhæsio voluntatis ad finem vltimum præsentem, vt finis eius est, est terminus motus eius in eundem absentem, éstque vera possessio præsentis, quæ competit voluntati perfectiori modo, quàm intellectui, vt probatum est à Doctore; neque suppositio illa vera est, quam præferre videtur ratio præmissa, vt vtroque modo formatur, nempe essentialem beatitudinem tam viæ, quàm patriæ in nullo communicare secundùm speciem, modò dicamus vtrumque amorem esse eiusdem speciei, & intelligatur communicatio secundùm speciem, & non in indiuiduo: quia beatitudo actus primi, & in habitu eadem est, siue ponatur charitas eadem cum gratia, siue diuersa forma à gratia: quia vtráque immutabiliter manet secundùm habitum: ergo non repugnat etiam, cùm charitas non sit otiosa, si vniformiter etiam dicatur secundùm speciem tendere in obiectum, habere in patria eundem specie actum, seclusis imperfectionibus concomitantibus in via: sicut autem ad finem vltimum in particulari eadem est inclinatio potentiæ volitiuæ, quæ vno modo reducitur in actum, quantùm ad modum tendendi in ipsum obiectum, nempe per amorem ipsius propter se, ita in patria per suum amorem beatur principaliter. Sicut etiam in via per amorem principaliter beatur, & adhæret fini, qui amor nequit consistere cum vlla auersione actuali à fine, neque obliquari, sicut potest obliquari actus fidei, & intellectus: magis ergo, & perfectiùs adhæret creatura rationalis per amorem in via Deo, quàm per intellectum; vnde idem sequitur etiam de adhæsione ad Deum in patria perfectiùs tendere voluntatem per eundem amorem, quàm per visionem intendat intellectus: nam beatitudo viæ, & patriæ proportionantur quoad perfectionem, ita vt illa sit potior beatitudo in patria, quæ est potior in via, & quæ perfectiùs coniungit: nam quòd varientur media attingendi Deum per intellectum in via, & in patria vt lumen fidei, & gloriæ, non autem ex parte voluntatis, loquendo de medio intrinseco, & eleuante potentiam ad suum finem, id magis arguit perfectionem voluntatis super intellectu, & amoris super cognitione: quia intellectus ex sua imperfectione id habet quòd in perfectissimum obiectum suum tendat in via modo imperfecto, & obscuro per reuelationem in ænigmate; voluntas autem nequit tendere nisi absolutè, & propter se, spectando supremam inclinationem eius, quæ est secundùm affectum amicitiæ, & non propter aliquam rationem extrinsecam obiecto formalem, sed propter ipsum: ex hoc autem potentiarum illa videtur perfectior, quæ aliter nequit tendere in perfectissimum obiectum suum, nisi propter rationem intrinsecam formalem obiecti, quàm illa, quæ potest imperfecto modo tendere, licèt aliàs possit per alia media tendere sub ratione formali obiecti. Ratio autem est: quia illa quæ nequit aliter tendere in obiectum quàm propter se, & sub ratione propria formali magis determinatur ad obiectum sub perfectissimo modo attingentiæ, & secundùm completam rationem suæ inclinationis (completam dico, id est, totalem, ita vt aliter nequeat respicere obiectum sub imperfectiori modo) subiicitur tanquàm perfectibilis perfectiuo per vltimam, & formalem rationem obiecti; alia verò potentia, quæ licèt possit esse obiecti sub perfecta, & propria ratione formali

In fruitione consistit possessio finis.

Suppositio aliorum reiicitur.

Beatitudo voluntatis est amor.

Perfectior adhæsio amoris.

Proportio inter beatitudinem viæ & patriæ.

Perfectio voluntatis ex modo tendẽdi colligitur.

Ratio deductionis.

formali

formali, tamen quia potest esse eius etiam sub imperfecta ratione, non ita totaliter est determinata ex sua inclinatione ad obiectum sub modo perfectissimo. Exemplum huius possumus assumere in habitu charitatis, cuius est ita immediatè operari circa vltimum finem, & propter rationem eius formalem, vt nullo modo actus eius physicè possit compati cum auersione actuali, & positiua à fine, in quo excedit alios habitus virtutum, quia eius solius est coniungere virtutes in suis operationibus ad vltimum finem in re: ergo etiam seruata proportione in potentiis, & considerata eorum inclinatione ad obiectum suum perfectissimum in re ipsa, attendenda est & colligenda earum perfectio ex modo inclinationis; & sicut in via supereminet voluntas, eiúsque inclinatio, atque actus, intellectui, & eius tam inclinationi, quàm actui, ita etiam in patria quantùm ad modum adhæsionis obiecto, & coniunctionis creaturæ ad ipsum.

Exemplo declaratur.

Inclinatio charitatis super reliquis habitibus.

26 Ex his negatur illa minor Vasquez, scilicet quòd ipsa visio sit sola possessio obiecti, aut perfectior eius possessio; licèt enim sit possessio obiecti penes intellectum, quam intendit Doctor, & admittit dicendo esse aliqualem possessionem, mediante scilicet facultate intellectiua, & obiecti sub ratione intelligibilis; non est tamen possessio eius adæquata, neque perfectior, quà est vltimus finis; quia sic possidetur mediante fruitione; quod autem dicit Vasquez obiectum esse præsens per visionem, æquiuocat: nam obiectum vt consideratur in actu primo, fit præsens seipso, & per media eleuantia vtramque potentiam, & sic perinde se habet ad intellectum, & voluntatem: quòd verò intellectus prioritate generationis respiciat obiectum per visionem, quà formaliter dicitur possideri, aut vniri intellectui, non inde fit obiectum formaliter vnitum, aut possessum esse à voluntate; vnde si, posita visione, Deus suspenderet fruitionem, negando concursum, aut aliter, certè sic videns non esset beatus, non solùm completè, sed neque absolutè, vt concedunt aliqui cum Soto *in hac dist. quæst. 1. art. 4. in fine*, & cum Medina 1.2. *quæst. 3. art. 4.* quorum ratio est: quia visio, licèt sit tota beatitudo, non tamen beatificat vt solùm consideratur in *esse* formæ; sed etiam vt causat amorem, quem si non causat, non explet rationem absolutam beatitudinis; quæ ratio seipsam destruit: nam beatitudinem essentialem necesse est constituere in aliqua forma, qua possidetur obiectum beatificum; & cuius effectus formalis est ipsi obiecto vnire potentiam, quæ in eo præcisè beatificabilis est, inquantùm vnitur obiecto: omnis autem alia ratio huic extranea, est etiam extranea beatitudini quà beatitudo formalis, & essentialis dicitur: hæc ergo ratio confirmat magis sententiam nostram, licèt in seipsa dubia est. Dicimus itaque quòd neque visio sit formalis possessio obiecti per voluntatem, cui specialiter debetur, neque obiectum fieri præsens voluntati per visionem, præsentia etiam obiectiua, sed seipso: quod sic declaro; quia licèt illud vniuersaliter sit verum, quòd nihil volitum, quin præcognitum, & in eo consistat ordo potentiarum in sua operatione: non tamen obiectum, quà cognitum mouet, aut terminat voluntatem, sed specificatiuè, quod est cognitum sub ratione sua, & propria, quam non participat ab intellectu, mouet voluntatem: ex eo autem quod obiectum sit præsens intellectui formaliter per cognitionem, fit præsens in actu primo voluntati; in actu verò secundo per proprium suum actum fit ei præsens in *esse* voliti: quòd si obiectum in reipsa sit præsens intellectui, vt contingit in proposito per visionem in patria; ita etiam fit præsens voluntati in reipsa, in quod præcisè sic tendit propter se, & non quà terminat intellectum, aut visionem. Ad fruitionem etiam obiecti supponitur præsentia in reipsa, & ex ordine potentiarum ipsa visio, quæ ad summum habet rationem conditionis applicantis ostensiuè obiectum in re voluntati.

Visio non est sola possessio obiecti.

Tollitur æquiuocatio.

Posita sola visione non beatetur creatura.

Ratio quorundam ad idem.

Reiicitur.

Explicatio.

Obiectum non mouet volũtatem quà cognitum, sed quod est cognitum.

Ad probationem autem illius minoris, qua remouetur à voluntate essentialis beatitudo, iam responsum est, & negatur quoad primam partem; quoad secundam æquiuocat, vt infrà videbimus super textu sequenti, in quo Doctor ad eam respondet. Ad alteram probationem ostensiuam minoris. Respondetur illam alludere ad possessionem iuris, & facti, vt conuenit Domino; quæ acceptio transfertur ad propositum vt mediante operatione possidetur obiectum beatificum; hæc autem possessio non soli intellectui, neque primariò competit; nihil enim est in reipsa, quàm attingentia immediata, & perfecta obiecti, quæ non est solius intellectus, sed etiam voluntatis, quæ perfectiùs vnitur obiecto. Vnde si translatio illa vocabuli seruata proportione ad possessionem rerum facto, aut iure, propriè accommodari posset proposito, sic spectare magis ad voluntatem, quàm ad intellectum, quia sicut in voluntate residet ius, & dominium, & dispositio, per quemcumque actum de re possessa procedit à voluntate, ita etiam principaliter in voluntate residet possessio, & non in vlla alia facultate; vnde vt significatur per tactum, visum, aut pedum positionem rei dominium, totũ fit in virtute voluntatis, per quam acquiritur, & retinetur dominium, & possessio, & fit etiam alienatio rei per actus eius cõtrarios; neque acquisitio, aut possessio rei fit per solam præsentiam, aut præsentantem, sed per actum voluntatis ministerio sensus. In proposito sicut nullum est dominium creaturæ in obiectum beatificum, ita etiam nulla est possessio propriè dicta, & qualiscumque sit per attingentiam obiecti in reipsa, ad differentiam modi operandi potentiarum circa ipsum, vt est absens, dicitur tantùm possessio, non verò ad modum dominij, aut actus iuridici: hæc, in quam, attingentia competit etiam voluntati primariò; sicut & ipsum ius, quod fundatur in merito, per quod acquiritur beatitudo: si ergo dicatur beatitudo possessio finis quasi acquisitio præmij ex medio quodam institiæ, magis sic competit voluntati propriè, in qua ipsum ius fundatur, & sequitur finis, seu præmium per fruitionem. Quod autem vlteriùs vrget præfatus author, nempe hoc esse peculiare intellectui vt à nulla alia potentia dependeat quoad hoc, quod est habere suum obiectum præsens, quia id competit illi ex sua operatione formaliter expressiua obiecti; voluntas est potentia cæca dependens ab intellectu, vt habeat obiectum præsens: qui modus operandi est multò imperfectior; hoc inquam, probat & responsum habet ex dictis, & ratio redit in idem, quod impugnatum est in probatione conclusionis, & falsum est quod assumit, nempe ex subordinatione potentiarum colligi perfectiorem modum operandi intellectus esse: quia hæc subordinatio potentiarum est ex ratio-

27 *Responsio ad probationes minoris.*

Possessio iuris & facti, sicut dominium residet in voluntate.

Sicut meritũ, ita & præmium est voluntatis.

Subordinatio potentiarum non arguit perfectionem, quia est etiã in Deo.

ne

ne generali ipsarum, & est in Deo vbi nulla potest esse imperfectio, subordinatio intellectus in nobis ad cognitiuam sensitiuam non probat perfectiorem esse modum operandi sensus, quàm intellectus: perfectior est in via actus voluntatis: v.g. charitatis, quàm fidei, quamuis hoc negaret Vasquez, prioritas operandi non magis probat excessum intellectus, quàm imperfectionem, quia prioritas generationis procedit ab imperfecto ad perfectum, vt *suprà* ex Philosopho probat Doctor.

Ordo secundùm generationem.

28 Præterea, magis subordinatur intellectus obiecto, quàm voluntas ex genere suo: quia intellectus, vt comparatur ad obiectum motiuum, est causa incompleta, & partialis respectu sui actus, non sic voluntas, in quam physicè non influit obiectum, sed tantùm metaphoricè alliciendo ipsam. Item, necessitatur intellectus per obiectum suum: non ità voluntas, quæ est alia subordinatio magis arguens imperfectionem. Deinde, æquiuocat ratio, quia si intelligatur de præsentia in actu primo, falsum est intellectum habere ex se obiectum præsens: si autem intelligatur de præsentia in actu secundo, sic falsum est voluntatem non habere actum suum circa obiectum præsens, & eo mediante habere obiectum præsens; comparatio autem illa in eo æquiuocat, quòd sumat præsentiam obiecti intellectus in actu secundo, voluntatis in actu primo: si fiat autem vniformis comparatio quoad actum secundum, sic voluntas per nullam aliam potentiam habet obiectum sibi præsens: si comparatio sumatur in actu primo, obiectum fit præsens vtrique ex propria ratione, licèt cum ordine moueat vtramque: hæc ergo ratio, quam facilem asserit prædictus author, nullam in reipsa difficultatem nobis ingerit, magísque commoda est illa ratio, quam contemnit aliorum, qui ex maiori abstractione intellectus colligunt eius perfectionem.

Maior subordinatio intellectus, ad obiectum quàm voluntatis.

Æquiuocatio discursus, & comparationis ostenditur.

29 [h] *Cùm probatur propositum*, &c. Hîc respondet Doctor ad alterum membrum illius argumenti, seu probationis minoris qua excludit à beatitudine formali quietationem voluntatis in fine, quia sequitur finis acquisitionem; æquiuocat autem ratio præmissa, quia hæc quietatio potest intelligi, vel pro delectatione propriè dicta, quæ est perfectio superueniens operationi, vt pulchritudo iuueni, & sic aliqui interpretantur quasi voluntas non habeat alium actum circa finem præsentem, nisi solius delectationis: sic ergo intellecta quietatio conceditur quòd in ea non consistat beatitudo formalis: quia delectatio propriè dicta supponit finem acquisitum: falsum autem est quòd voluntas non habeat actum elicitum circa finem præsentem priorem delectatione, quia *appetitus inhiatis fit amor fruentis* secundùm Augustinum, & in genere passio non habet rationem meriti, quia nec passionibus meremur, aut laudamur, aut vituperamur iuxta Philosophum in litera citatum, meritum voluntatis in via consistit in desiderio, vt comprehendit actum circa absentem finem, & circa præsentem: nam permanere in bono acquisito est meriti, & circa finem præsentem etiam voluntas intensiùs operatur, quia perfectiùs applicatur suo perfectiuo in reipsa coniuncto: rationabile etiam est quòd voluntas in desiderando eliciat actum, vt probauit *in 2. d. 25.* & probat etiam hîc ex August. *lib. 12. de ciuit. cap. 6.* & Anselm. *4. de Conceptione Virginali.* Imò hoc de fide est, quia liberum arbitrium est potentia actiua, vt patet ex Trid. *sess. 6. c. 5. & can. 4.* & supponitur per totam sessionem: si ergo voluntas elicit actum circa finem suum absentem, idem dicendum de fine, vt est præsens, actum, inquam, priorem delectatione: quod facilis est probationis, quia quò perfectiùs applicantur potentia, & obiectum, eò perfectiùs etiam nata est sequi operatio; finis autem absens amatur sub ratione propria, & propter ipsum. Hæc ratio eadem est finis præsentis respectiuè ad voluntatem, & sub eadem ratione perficiens potentiam: ergo perficit mediante amore elicito diuerso à passione, nam conuenientia finis ad voluntatem in hoc primariò attenditur, quatenus voluntas amando à fine perficitur: rectitudo etiam voluntatis in actu secundo sumitur ab amore elicito finis, & non à passione consequente; & inclinatio voluntatis ad finem potissima est secundùm hanc rectitudinem. Accedit quòd superiùs adnotauimus amorem amicitiæ esse in patria perfectissimum, & communicationem affectuum, & bonorum, in qua consistit amicitia.

Ad aliam probationem D. Thomæ.

Æquiuocatio.

Voluntas habet actum priorem delectatione.

Actus voluntatis in via.

Ipsa elicit desiderium finis.

Quòd actus amoris sit elicitiuè à voluntate probatur.

[i] *Si ergo alio modo accipiatur*, &c. Hîc transit ad aliam acceptionem quietationis potentiæ, vt sumitur pro actu elicito eius, qui dicitur amor fruitionis, & non pro delectatione, negatur assumptum, nempe hanc quietationem potentiæ supponere finé acquisitum primaria assecutione secundùm ordinem perfectionis: quia hæc consistit in actu voluntatis, licèt supponat assecutionem finis non sub ratione finis, sed obiecti intelligibilis per intellectum. Quòd si dicas finem coniungi intellectui per visionem. Respondetur aliud esse coniungi finem sub ratione finis reduplicatiuè, & aliud coniungi specificatiuè: coniungitur specificatiuè intellectui, licèt etiam coniungatur, vt perfectiuum intellectus per modum vltimi, & perfectissimi intelligibilis, & sic dici posset finis intellectus, sumendo finem latè pro vltimo perfectiuo cuiusque; sed aliter sumendo finem strictè sub ratione finis, vt particulariter est finis, & vltimum conueniens naturæ per affectum solius voluntatis, in ordine ad quam hoc modo dicitur præcisè finis, & bonum, tum quia se mouet in ipsum, & ordinat media ad eius consecutionem; tum quia bonum sub ratione boni est ratio formalis constitutiua finis, & formalis ratio etiam obiecti solius voluntatis; ideò finis sub hac ratione est solius voluntatis, sicut & assecutio eius, qui est eius amor elicitus circa finem, quo formaliter fit præsens voluntati, vt perfectiuum beatificans. 30

Quietatur voluntas fruitione.

Duplex finis acceptio.

[k] *Si contra hoc adducatur*, &c. Respondet ad rationem factam pro D. Thoma ex principiis contradictionis. Voluntas potest nunc quietari, priùs non; ergo aliter se habet ad finem nunc, quàm priùs, vel è conuerso, scilicet non se habet aliter. Respondet consequentiam non valere, quia sufficit vt aliter se habeat potentia intellectiua prior operans, ad hoc vt finis in actu primo sit præsens præsentia proxima, & requisita ad actum per quem quietatur voluntas: posita autem priori operatione, voluntas per actum elicitum iam formaliter quietatur; quod est dicere, finem in actu primo, & proximo fieri præsentem voluntati sine vlla ipsius voluntatis mutatione; in actu verò secundo esse præsentem perfruitionem eius positiuá qua coniungitur potentiæ in ratione perfectiui sub ratione formali finis. 31

Responsio ad obiectionem.

Finis redditur præsens voluntati in actu primo per solam mutationem intellectus.

[l] *Breuiter*

32 Recapitulatio dictorum. ¹ *Breuiter ergo prima pars deductionis*, &c. Hic per recapitulationem subiicit totius responsionis summarium. Dicit primam partem deductionis non esse contra aliquem, nemo enim statuit beatitudinem obiectiuam in alio, quàm in Deo, neque secunda pars de primo actu voluntatis est alicui dubia, nempe beatitudinem vltimam non consistere in actu desiderij circa absens. Restat ergo tota difficultas in hoc: si aliquis actus voluntatis alius à desiderio posset esse prima consecutio finis (supponit delectationem propriè dictam non esse actum elicitum voluntatis, ideò discrimen actus eliciti reuocat ad desiderium absentis, & actum circa præsentem finem vltimum) & probatio adducta fallit secundùm æquiuocationem: quia si accipiatur quietatio pro passione consequente operationé perfectam circa finem, illa supponit finem acquisitum; si autem sumatur pro ipsa operatione, est perfecta quietatio potentiæ, & non supponit finem acquisitum, sed est ipsa eius acquisitio perfectior: & ideo illa propositio, *quietationem in obiecto præcedit assecutio obiecti prima*, id est *perfecta*, falsa est, cuius comparatio sumitur ex proportione ad motum, quo mobile assequitur terminum, & quo posito in *esse* sequitur quies, & cessat motus. Hæc comparatio, vt dicit, non est ad propositum, quia quietare, & acquirere hîc competit eidem operationi, & vniuersaliter nequit motus comparari ad operationes, nisi seclusis imperfectionibus, quæ coniunctæ sunt motui, quarum vna est distinctio eius à quiete: *motus* enim *est actus entis in potentia*, ideóque incompletus: adueniente autem completo, qui est ipse terminus in *esse*, cessat motus ex natura sua: quia est productio termini, quo producto cessat *fieri* eius; operatio autem est actus completus, & perfectus, per quem quietatur potentia in obiecto.

Non rectè comparatur quies per motum habita ad operationem quietatiuã.

33 Deinde, probat dari medium inter actum desiderij absentis, & delectationem strictè sumptam, quæ est passio, per quem actum acquiritur finis, quà finis est. Respondet quæ ad illud argumentum ex contradictione, quæ dicitur nunc finem esse præsentem, & possessum, anteà non fuisse, &c. Respondet, inquam, per solutionem *suprà* datam, nempe duplicem *esse* assecutionem finis; aliam primitate generationis, & hanc esse per intellectum: aliam primitate perfectionis, & hanc esse per voluntatem. Et si dicas, inquit, potentiæ assecutionem finis præcedere, ante omnem operationem, & quietationem potẽtiæ: quia nempe potentia nunc potest operari, anteà non potuit; quod nequit esse sine aliqua mutatione potentiæ; sequitur hoc inconueniens, nempe quòd in nulla operatione consistit acquisitio finis, nequidem ipsius intellectus operatione, & ita nec beatitudo: & tunc inclinatur in illam sententiam, qua dicitur in nulla operatione potentiæ consistere beatitudinem, sed in aliqua habitione finis supposita potentiæ, & eius operationi, quæ sententia impugnata est *quæst. prima huius*. Sequela hæc probatur ex eadem forma argumenti applicata ad intellectum, quia intellectus nunc operatur, & quietatur in fine præsente, qui antè non habuit finem præsentem: ergo hæc eius quietatio supponit aliquam priorem mutationem, per quam finis nunc fit præsens, qui anteà non fuit præsens: ergo operatio, per quam quietatur formaliter in fine, vt præsens est, supponit finem aliàs præsentem, & acquisitum, antequàm vt præsens quietat potentiam. Responsio est eadem quoad vtramque potentiam, nempe acquisitionem finis præsentis, & quietationem cõtineri vnitiuè, & formaliter in ipsa operatione potentiæ, ideò non valet consequentia de mutatione vlla, quæ antecedit actum potentiæ.

Obiectio reiicitur.

Inconueniens.

Retorquetur obiectio ad inconueniẽs.

Acquisitio, & quietatio continentur vnitiuè in actu potẽtia.

Hactenus Doctor in hac quæstione quoad illam difficultatem de assecutione finis, in qua consistit beatitudo creaturæ rationalis, & licèt alij de eius intentione certent, ego discursum eius perpendens, nihil aliud colligere potui, quàm eum sequi sententiam mediam inter duas extremas superiori quæstione discussas; nempe beatitudinem completam extensiuè consistere in operatione vtriusque potentiæ, in quo conuenit cum sententia Richardi, & aliorum; beatitudinem verò intensiuam, & vltimò complentem cõsistere in vna operatione; in quo conuenit cum D. Thoma: hanc autem beatitudinem conuenire actui voluntatis perfectiori gradu, quàm actui intellectus: quia actus voluntatis est finis propriissimè sumpti in ratione boni vltimi, & perfectiui sub ratione boni, licèt actus intellectus sit de eodem obiecto sub ratione etiam propria sibi inquantùm est obiectum intelligibile. In hoc tantùm discedit à D. Thoma in duobus punctis. Primũ est, quòd totalis beatitudo essentialis non sit in solo intellectu; secundum verò est quòd sit propriùs in voluntate, quàm in intellectu; ac proinde quòd acquisitio finis non sit solius intellectus. Reliqua argumenta, quibus hæc sententia Doctoris impugnatur, adduceraus in fine quæstionis lateralis, vbi respondendum erit ad argumenta etiam principalia; interim procedemus ad ipsam quæstionem lateralem, in qua altera probatio conclusionis desumpta à perfectione potentiæ tractatur, &c. 34

Vera sententia Doctoris.

QVÆSTIO



QVÆSTIO EX LATERE.

Vtra potentia sit nobilior, intellectus, an voluntas?

SCHOLIVM.

Primam rationem, qua D. Thom. 1. part. quæst. 82. art. 3. Probat intellectum esse ratione obiecti simpliciter nobiliorem voluntate, & hanc secundùm quid *nobiliorem intellectu, refutat Doctor. Primò, quia secundùm D. Thom. verum & bonum tantùm ratione, seu per intellectum differunt. Secundò, verum, & bonum non sunt obiecta harum potentiarum, de quo 1. dist. 3. quæst. 3. primam rationem D. Thom. ducit ad oppositum; secundam demonstrat nihil valere.*

S. Thom. 1. p. q. 82. a. 3.

Ratio 1.

[a] IVxta hoc quasi ex latere quæritur, quæ potentia sit nobilior? Ad istam quæstionem ex multis mediis arguitur ad vtramque partem. Vnum medium est ex obiecto pro intellectu sic: *verum* est propinquius enti, quàm *bonum*: ergo perfectius. Pro voluntate sic. Ratio boni est nobilior, quia est bona per essentiam: verum autem est bonum per participationem. Similiter bonum vniuersale est nobilius bono particulari: *verum* est quoddam bonum, quia bonum intellectus. 10

Vide Henr. quodl. 1. quæst. 14.

Vide Var. in prin. d. 3. quæst. vlt.

[b] Hoc medium pro neutra opinione videtur esse efficax, quia maior vtrobique videtur falsa, quia ista non sunt realiter distincta, *verum* & *bonum*, & per consequens neque vnum realiter nobilius altero. Si autem dicatur vnum nobilius altero secundùm rationem, intelligendo rationem pro causato ab intellectu (hæc est relatio rationis per intellectum comparantem ista ad alia) hæc nobilitas non facit ad propositum: quia relatio rationis non est formalis ratio primi obiecti intellectus, vel voluntatis.

Verum & bonum fortè dicunt tantùm respectum. dist. 8. q. 4.

Similiter ad quæ fiet ista comparatio? Si ad personas diuinas, Filium scilicet, cui correspondet *verum* in ente, & Spiritum sanctum, cui correspondet *bonum*, personæ diuinæ non habent differentiam nobilitatis. Si autem comparentur ad posteriora, puta ad actus, quorum sunt obiecta, iam est circulus in arguendo. [c] Si autem ponantur differre ratione reali, sicut dictum est de attributis in primo libro, tunc benè potest saluari aliqua nobilitas in vno secundùm propriam rationem eius respectu alterius, & hoc ante actum intellectus: quia sicut est distinctio inter aliqua alterius rationis, sic est etiam inæqualitas, maximè si sit distinctio quiditatiua, non hypostatica, & inter absoluta: sed fortè, nec *verum*, nec *bonum* vltra ens dicunt rationes absolutas. Minor etiam vtriusque rationis est dubia quantum ad illam partem, quod bonum est obiectum voluntatis: falsa autem quantùm ad illud, quod verum est obiectum intellectus, sicut dictum est *in primo lib. dist.* 3. *quæst.* 3. tam ergo maior, quàm minor requirunt prolixiorem discussionem, quàm ad præsentem quæstionem spectet: pro neutra ergo parte ponenda valet hoc medium.

Ducit primam rationem D. Th. ad oppositũ.

[d] Ad rationes ergo ex illo medio sumptas. Ad primam infertur oppositum: quia sicut ens est potentiale respectu cuiuscunque rationis specialis, ita propinquius sibi erit potentialius. Sed contra hæc. Ratio entis præcisè accepta est nobilior quacunque ratione superaddita præcisè accepta, sicut ratio subiecti est nobilior ratione passionis: ergo quod sibi tanquam perfectissimo est propinquius, illud est perfectius. Vnde falsum est quòd ens se habet ad alia, sicut materia ad formam: sed magis in potentia, quasi actiua, sicut subiectum ad passionem. 11

Quomodo propinquius perfectiori, est perfectius minus propinquo.

Text. 31. Text. 3. Cap. 1. & inde.

Aliter dicitur, quòd perfectissimo potest aliquid esse propinquius in vno ordine, & aliud in alio ordine; sicut substantiæ immediatior est quantitas in vno ordine, quàm qualitas: tamen qualitas est perfectius, & per consequens propinquius in alio ordine: illud autem est simpliciter perfectius, quod in ordine nobiliori, vel secundùm conditionem nobiliorem est propinquius perfectissimo: sicut bonum est propinquius enti in ordine communicandi perfectiones, siue finaliter terminandi, & complendi perfectionem alterius, iuxta quod bonum vno modo dicitur communicatiuum sui secundùm Aug. 1. *de Doctrina Christiana:* alio modo finis 2. *Phys.* & 5. *Metaph.* & 1. *Ethic.* licèt verum sit propinquius enti in ordine ad potentias operatiuas cira totum ens.

Ad

c Ad rationem in contrarium primò instatur, quia similiter posset argui de vero: nam verum est verum per essentiam: bonum autem est verum per participationem: ergo verum verius: ergo & maius, & sic arguit Augustinus negatiuè. 8. de Trin. cap. 2. *Si non verius, nec maius:* vbi non est locus, nisi à conuertibili. Ideò respondeo, quòd omnia ista transcendentia denominant se mutuò, & ideò æqualis perfectionis est esse essentialiter verum, sicut est esse essentialiter bonum, nisi probetur quòd ratio veri, est nobilior ratione boni, & è conuerso.

Transcendentia denominant se mutuò.

13 Alia responsio realior, quòd ly *magis*, potest referri ad inhærentiam, vel ad prædicatum; inhærentia sequitur identitatem extremorum: ergo quod essentialiter inest magis inest, prout determinat inhærentiam, vel identitatem; non autem prout determinat extremum inhærens. Exemplum, album non est albius, quàm homo qui est albus.

Quia albũ prædicatur de albo essentialiter, & de homine accidentaliter. Reducitur ad oppositum simili forma.

COMMENTARIVS.

35 a IVxta hoc quasi ex latere quæritur, &c. Quæ scilicet potentia ex duabus sit nobilior, an intellectus, an voluntas? Hæc difficultas mouetur accessoriè ad principalem, in qua hactenus actum est de beatitudine, & in qua operatione potissimùm consistat: nam operatio perfectissima hominis est illa, quæ perfectiùs coniungit fini, & consequenter quæ est perfectioris facultatis. Vnde quod aliqui dicunt impertinens esse, an operatio coniungens fini sit perfectissima, modò in ea consistat acquisitio finis, & eo ipso esse beatitudinem; hoc, inquam, non subsistit constituendo beatitudinem in operatione: nam sicut creatura spiritualis non beatur nisi per operationem suam, perfectio autem operationis consistit ex obiecto, & modo tendendi in obiectum, & prout est secundùm perfectissimam inclinationẽ creaturæ, quæ est illa, quæ est ad finem, vt ei coniungitur in reipsa, inde sequitur quòd illa operatio sit perfectissima, quæ coniungit obiecto beatifico sic sumpto.

Ordo quæstionis ad priorẽ.

Aliquorum dictum reiicitur.

Beatitudo consistit in operatione perfectissima.

36 Hoc supposito pro intellectu certat D. Thom. 1. *part. quæst.* 82. *art.* 3. vbi Caiet. & cæteri eius commentatores. Idem sentit *de veritate quæst.* 8. *art.* 1. *& quæst.* 22. *art.* 11. *& in* 3. *lib. sent. d.* 27. *quæst.* 1. *art.* 4. *contra Gentes lib.* 3. *cap.* 25. Capreolus *in* 1. *dist.* 1. *q.* 1. *art.* 3. *ad* 7. *& in sequent.* Sotus, Durandus. *in hac dist.* Vasquez *sup. cap.* 8. Media autem, quibus probatur perfectio intellectus supra voluntatem ordinatè disponit Doctor, & ad singula respondet.

Sententia affirmans intellectum esse perfectiorem voluntate.

37 Opposita sententia non minoris notæ habet assertores. Eam tenet Alensis 3. *part. quæst.* 12. *m.* 2. *art.* 3. *& quæst.* 80. *m.* 1. *ad* 5. *&* 4. *p. q.* 92. *m.* 1. *art.* 4. Albertus Magnus *in* 1. *dist.* 1. *art.* 14. Doctor *in præsenti.* Richardus *art.* 1. *quæst.* 6. Ægidius *quodlib.* 3. *quæst. vlt. ad.* 1. Henricus *quodlib.* 1. *q.* 14. Ochamus *in* 1. *dist.* 1. *q.* 2. Maior, Argentinas, Bass. & reliqui nostræ Scholæ *in præsent. dist.* Cordubensis *quæst.* 42. *art.* 1. & vt cæteros omittam, hæc est sententia communissima antiquorum ante & post D. Thomam, quam latè tractat Bassolis: eius autem tractatus hic à Doctore nobis sufficit.

Sententia præferens voluntatem, quæ est Doctoris.

Primum argumentum pro sententia opposita est ex perfectione obiecti intellectus. Verum quod est obiectum intellectus, est propinquius enti, quàm bonum, quod est obiectum voluntatis: ergo est perfectius, quàm bonum. Similiter arguitur etiam pro voluntate: ratio boni est nobilior, quia est bona per essentiam, id est, seipsa formaliter est talis; verum est bonum denominatiuè, & per participationem. Item, bonum vniuersale est nobilius, quàm bonum particulare: sed verum est quoddam bonum particulare: quia intellectus bonum: ergo, &c.

Prima ratio ex obiecto.

Verum esse propinquius enti quàm bonum.

38 b *Hoc medium pro neutra opinione*, &c. Reiicit hoc tanquàm inefficax: quia maior vtrobique est falsa, quia verum, & bonum non sunt realiter distincta, & consequenter neque vnum realiter nobilius altero. Si dicantur esse distincta ratione distinctionis, quam non habent in reipsa, sed per operationem collatiuam intellectus, & alterum vt distinctum ab alio, esse nobilius. Contrà, hæc comparatio per intellectum nihil constituit in reipsa, éstque sola relatio rationis, per quam nequit constitui, aut distingui obiectum intellectus, & voluntatis primum & distinctiuum potentiarum: ergo hæc distinctio non facit ad propositum. Deinde, quæritur ad quæ fiet ista comparatio, si ad aliquid prius: v. g. ad Personas diuinas, vt ad Filiũ, quod est verum in ente, & ad Spiritũ S. qui est bonum appropriatè, in his non est differentia nobilitatis, aut perfectionis, si fiat ad posteriora, nempe ad actus, quorum vnus diceretur perfectior altero, fit circulus probando perfectionem actus ex perfectione obiecti, & perfectionem obiecti ex perfectione actus. Hic discursus est ex suppositione, quòd in reipsa nulla sit distinctio inter verum, & bonum in ente: nam sic non subsistit comparatio secundùm perfectionem inter ipsa, vt antecedunt intellectum; data autem distinctione per solum intellectum, nequit sumi fundamentum maioris perfectionis vnius præ altero ex reipsa indistincta: debet ergo hæc distinctio sumi per comparationem ad alia, in quibus verum, & bonum aliquo modo discernuntur: nequit autem sumi talis distinctio in ordine ad aliquid superius perfectione, vt in ordine ad Deum, aut personas diuinas, in quibus illæ rationes solo intellectu distinguuntur, & nulla admittitur inter eas inæqualitas perfectionis; si sumatur in ordine ad potentias, & actus committitur circulus in probatione: quia nobilitas, & perfectio horum sumitur ex obiectis, & perfectio obiectorum probatur ex perfectione actus, & potentiæ. Deinde contingere potest perfectionis excessus in potentia, & actu cum vnitate eiusdem obiecti formalis, vt v. g. potentia superior, & actus eius est perfectior potentia inferiori, & similiter suo actu, vt etiam determinatè respiciunt idem obiectum.

Reiicitur ratio tanquàm inefficax pro alterutra parte.

Responsio impugnatur.

Distinctio per intellectũ non facit ad rem ipsam.

Fundamentũ illius.

Non subsistit comparatio.

39 c *Si autem ponantur differre*, &c. Subiungit quid dicendum sit, si admittatur distingui formaliter inter se, & ab ente; docet sic vnam esse posse nobiliorem altera, si distinctio sit quiditatiua, & non

Si verum & bonũ distinguantur formaliter ex se, quid dicendum.

non hypostatica, id est, sola indiuidualis, vel suppositi: quia inter diuersas quiditates non reperitur æqualitas in perfectione, quæ est suppositio huius quæstionis, sicut & difficultatis principalis, vt visum est; inter indiuidua verò, & supposita reperitur æqualitas in eadem natura, vel quoad speciem, vel quoad eandem in numero, vt in diuinis. Addit prætereà aliam limitationem, vt sint absoluta: quia in relationibus non attenditur perfectio, aut excessus perfectionis, quamuis aliàs dicuntur etiam à Doctore contineri sub ente quanto finito, loquendo de creatis. *Sed fortè*, inquit, *nec verum, nec bonum vltra ens dicunt rationes absolutas.*

40 *Proprietates distingui in se, & secundū perfectionem.*

Contrarium huius videtur docere *in 2. dist. 16.* & suppositio huius quæstionis id denotat: nam etiam comparatio ipsarum potentiarum ad inuicem secundùm perfectionem supponit distinctionem earum à subiecto, cuius sunt proprietates, & à se inuicem, quod perinde de reliquis proprietatibus positiuis dicendum est. Quòd si sumat absolutum in rigore, vt dicit differentiam entis, verum est quòd sicut ipsum ens abstractè sumptum abstrahit ab absoluto, & relatiuo, ita & proprietates eius conuertibiles abstrahunt, quales sunt verum, & bonum. Cæterùm sicut ipsum ens dicit perfectionem transcendentalem, qua dicitur perfectius suis proprietatibus, sic etiam proprietates dicunt aliquam perfectionem quiditatiuam diuersam, secundùm quam ad se inuicem comparantur; & potest esse excessus secundùm hanc vnius præ altera: ideò ergo reuocat in dubium hoc Doctor, propter ineuidentiam rei. Cæterùm ex principiis eius in hac quæstione, & principali, satis colligitur bonum esse perfectius vero, quia posterius generatione, sicut inde ex Philosopho probat amorem perfectiorem esse visione, quod suo modo ad passiones entis accommodari potest.

Minor dubia.

Subiungit prætereà minorem vtriusque rationis præmissæ esse dubiam, in qua dicitur bonum obiectum voluntatis; *hoc*, inquit, *dubium est, & verum esse obiectum intellectus*, hoc esse falsum, vt probauit *in 1. dist. 3. quæst. 3.* & tandem concludit, cùm tam minor, quàm maior requirat longiorem discussionem, quàm spectet ad præsentem quæstionem; hoc medium desumptum ab obiecto pro neutra parte est assumendum, & huc tendit discursus Doctoris, vt probet illis rationibus dubiis non esse magnopere insistendum pro vna, vel pro altera parte.

Obiectum primum intellectus.

Scopus discursus.

41 *Responsio ad rationes præmissas.*

[d] *Ad rationes ergo ex illo medio sumptas*, &c. Soluit rationes præmissas ad vtramque quæstionis partem. Ad primam, qua probatur perfectio intellectus ex perfectione obiecti, quia verum propinquiùs accedit ad ens. Respondet deducendo rationem ad oppositum, quia ens est potentiale respectu cuiuslibet entis in specie, sic illud quod est ipsi propinquius, erit magis potentiale: sub ratione autem potentialis consideratur ens vt imperfectum, seu imperfectius, quàm ens in actu per superadditum: quia sicut species est perfectior genere, ita & omni prædicato transcendenti: si ergo obiectum intellectus sic accedit propinquiùs ad ens, sequitur ipsum esse imperfectius, quàm alia remotiora. Mox elidit fundamētum colligendi perfectionem ex abstractione potentiali: quia ens est perfectius, quàm aliqua sua passio conuertibilis cum ipso, sicut subiectum perfectius est sua passione: ergo illud quod est

Perfectio ab actu non à potentia sumitur.

propinquius enti secundùm conditionem nobiliorem entis, illud erit nobilius in se; sed quod propinquius est enti secundùm generationem, remotius est ab ente secundùm perfectionem: ergo oppositum eius quod intenditur. *Vnde*, inquit, *falsum est ens se habere ad passiones, sicut materia ad formam*, scilicet vt causat passiones; *sed se habet quasi in potentia actiua sicut subiectum ad passionem.*

Propinquius perfecto quà perfectum, est nobilius.

42 *Diuersus ordo propinquitatis.*

Secundò, respondet aliquid dici propinquius in diuerso ordine, sicut quantitas est propinquior substantiæ in vno ordine, nempe subiecti, & sic dicitur quantitas sequi materiam; in alio verò ordine propinquior est qualitas, quæ perfectior est quantitate: comparando autem vtrumque ad inuicem, illud est simpliciter perfectius, quod secundùm nobiliorem ordinem, & conditionem propinquius est perfectissimo. Hanc instantiam de perfectione qualitatis supra quantitatem probauimus *in prima parte huius commenti dist. 12. quæst. 2.* & versatur in eo, quòd qualitas sequatur actualitatem, & formam, quæ est perfectior materia; sequatur, inquam, quantùm ad perfectionem; vnde quantitas nullo modo transfertur ad Deum, aut ad entia perfectissima, vt sunt substantiæ immateriales; in his tamen inuenitur qualitatis genus: in Deo quidem per modum attributi substantialis, vt sunt illa, quæ consequuntur voluntatem, & intellectum in ipso, in Angelo verò & anima sub ratione etiam accidentis: qualitas ergo, quæ sequitur ad substantiam etiam secundùm gradum perfectissimum eius, est perfectior, quàm quantitas, quæ sequitur substantiam dumtaxat materialem, & secundùm gradum imperfectum substantiæ.

Perfectior qualitas quantitate.

Ratio huius.

Transfertur qualitas ad entia spiritualia, non quantitas.

In proposito ita se habet bonum in ente, quia propinquius enti secundùm gradum perfectissimum entis, ita etiam est perfectius vero, licèt verum propinquius sit secundùm alium ordinem: quia bonum est propinquius enti in ordine communicandi perfectiones; siue finaliter terminandi, & complendi perfectionem alterius, iuxta quod bonum vno modo dicitur communicatiuū sui ex Aug. *1. de doctrina Christiana cap. 32.* Alio modo finis à Philosopho *2. Phys. text. 32. & 5. Met. text. 3. & 1. Ethic. cap. 3.* Verum autem est propinquius enti in ordine ad potentias operatiuas circa totum ens, nempe in ordine ad intellectum.

Bonum propinquius enti quoad perfectionem.

[e] *Ad rationem in contrarium*, &c. Scilicet qua probatur perfectio excedens voluntatis; respondet retorquendo argumentum, quod fuit bonum est bonum per essentiam, verum tantùm participatione; quod ad oppositum formari potest: quia verum est verum per essentiam, bonum tantùm est verum per participationem: ergo verum verius; ergo maius. Sic arguit Augustin. 8. de Trinit. cap. 2. *si non verius, nec maius*, &c. Vbi non est locus nisi à conuertibili: dicit enim August. quidquid plùs veritatis non habet, non habet plùs etiam magnitudinis: *Porro quidquid plus veritatis habet perfectò verius est, sicut maius est quod plus habet magnitudinis: hoc ergo ibi est maius, quod verius*, &c. Agit enim de æqualitate diuinarum personarum. Respondet ergo ad formam argumenti, quòd omnia illa transcendentia se mutuò denominant, & ideò æqualis perfectionis est esse essentialiter verum, sicut esse essentialiter bonum, nisi probetur alterum esse perfectius: nam ex hoc quòd aliquid formaliter sit tale seipso, & reliqua

43 *Ad rationem pro opposito de perfectione boni.*

August.

Transcendentia se mutuò determinant.

liqua denominentur talia per ipsum, non probat ipsum secundùm se esse perfectius, quia etiam quibuscumque imperfectis hæc competit, vt sint suæ rationes formales primò, & cætera ab eis denominatiuè dicantur, &c.

44 *2. Responsio ad idem.* Respondet secundò, quòd ly *magis* potest determinate, vel inhærentiam, vel ipsum inhærens, seu prædicatum, quantùm ad inhærentiam, seu modum essendi prædicati, quæ respicit identitatem, verum est magis verum, quàm bonum: & è conuerso si ly *magis* denotet inhærens, seu prædicatum, verum non est magis verum, quàm bonum, aut ens sit verum, neque albedo est magis alba, quàm subiectum albedinis. Ratio est, quia constituit, & denominat secundùm se totum id, cui competit. *Denominatio æquat formã.*

Hactenus Doctor de primo medio probandi excessum perfectionis ex obiecto. Cæterùm Doctores alterius Scholæ prædictam rationem mordicùs sustinent, adeò vt rationes Doctoris contrarias, opus posthumum Suarez *de anima lib. 5. cap. 9.* eas appellet cauillationes, remittens solutionem ad Caietanum *in 1. part. quæst. 82. art. 3.* Sed censura magis redundat, quam opinor non esse Suarez; sit ipsius, vel alterius, modò suus veritati locus detur. Probabiliorem duntaxat sentit author sententiam D.Thomæ, & non certam. Probationes hinc inde certant contradictoriè, circa primarium fundamentum, quod est illud in Schola D.Thomæ desumptum ab obiecto perfectiori, quod tamen Vasquez *suprà* citatus contemnit, & Doctor infirmum, aut dubium hîc iudicat, sicut & Bassolis, ac proinde decisionem controuersiæ magis ex aliis petendam esse: interim videamus qua ratione fulciatur contra dicta.

45 *Responsio Caietani.* Respondet ergo Caiet. ad primam rationem Doctoris, distinctionem illam veri, & boni esse per intellectum, quamuis rationes ipsæ formales supponantur in re, & secundùm se; ad distinctionem autem earum per intellectum sufficit distingui eas virtualiter; quia distingui virtualiter est habere omnia, ac si in reipsa essent distincta. Contrà manet ratio Doctoris: quia comparatio inter illa secundùm perfectionem maiorem, aut minorem nequit fieri nisi vt sunt distincta, & nullo modo communicantia, prout comparantur secundùm diuersa: ergo non attenditur maior perfectio vnius præ altero in reipsa, & vt supponuntur in actu primò ante operationem potentiarum, & vt sic supposita sunt obiecta prima ipsarum independentia à potentiis. Quòd autem dicantur distincta virtualiter, talis distinctio non sufficit ad specificandum potentias diuersas per obiecta formalia inquantùm diuersa sunt formaliter, quia obiectum formale distinguit inquantùm diuersum est formaliter, & non inquantùm idem formaliter alteri: ergo distinctio illa virtualis, vt dicit Doctor, debet sumi per comparationem ad alia, & tunc sequitur ratio contra hoc facta: nempe in ordine ad superiora non dari fundamentum distinctionis; in ordine ad inferiora. Similiter non est fundamentum distinguendi, quia illa pariformiter se habent in inferioribus, nempe veritas, & bonitas, & indistincta formaliter, sicut talia sunt in ente, ita in quolibet ente; neque institui potest comparatio ad potentias, quia esset circulus ergo, &c. Si autem tantùm valeat apud Caietanum illa distinctio virtualis, quantùm illa ratio-

Impugnatur.

Comparatio supponit distinctionem extremorum.

Distinctio virtualis non sufficit ad obiecta formalia potentiarum.

nis obiectiuè quam Doctor adducit, restat probandum verum esse perfectius bono.

Respondet Caietan. verum esse abstractius bono: abstractionem dicit esse rationis formalis, quæ nullam potentiæ, aut materiæ rationem includit, ita vt quantò sit abstractior, tantò sit perfectior, aut nobilior; cùm enim omnes rationes formales ordinem inter se dicant, & ad vnum primum, scilicet ad ens abstractissimum; inde fit vt quantò aliqua ratio sit minùs abstracta, sit vicinior admixtæ potentialitati; & quantò abstractior sit, tantò remotior, & perfectior; verum ergo cùm sit vicinius enti, ideò est magis abstractum, & perfectius, quàm bonum. Hanc abstractionem ampliùs declarat Caietanus in eo esse, quòd ratio rei, id est, essentia vt ab existentia distinguitur re, vel ratione, si sit obiectum intellectus, res vt existens sit obiectum voluntatis, quia intellectus fertur in rem, siue existat, siue non existat, & in hoc consistit obiecti eius abstractio, voluntas non fertur nisi in obiectum, vt existit realiter in re, vel in spe, vel possibiliter, quod fusiùs *ibidem* deducit Caietanus, sistens in eadem præcisione. Alij deducunt hanc abstractionem ad modum operandi intellectus, quasi simplicior sit, & magis spiritualis; vt inde colligatur perfectio potentiæ: quia abstrahit. 46

Alia responsio. Verum esse abstractius, & quid sit hæc abstractio. Declaratur.

Diuersus modus, quo intellectus & volũtas versantur circa obiectum.

Aliorum sententia circa abstractionẽ intellectus.

Contrà primò, manet ratio Doctoris insoluta: Processus secundùm abstractionem procedit à perfecto ad imperfectum, & de actu ad potentiam, & per conceptus inadæquatos rei; vt est in se: ergo quò magis abstrahit obiectum ab actualitate, & perfectione conuenienti, in reipsa, eò est imperfectius in *esse* entis, & intelligibilis: perfectior enim multò est cognitio hominis sub ratione hominis, quàm sub ratione entis, & sic vniuersaliter de cæteris: ergo quò magis receditur ab actu, & perfectione rei, eò magis acceditur ad potentiam, & consequenter vltimum, & supremum abstractum est magis potentiale, qualis est ratio entis. Et probatur consequentia cum antecedente, potentiale nihil dicit nisi indifferentiam cum negatione actus; sed inter cætera, enti vt ab omnibus abstracto conuenit maxima indifferentia passiua in ratione contrahibilis, & nulla in vniuersum perfectio differentialis, modalis, aut alicuius actus, à quibus abstrahit; ergo vt sic sumptum, licèt sit primum quantùm ad vniuersalitatem prædicationis, non tamen est primum primitate actus, & perfectionis, sed solius potentiæ passiuæ, quà contrahibilis est ad omnia, eo modo quo sumitur hîc potentia metaphysicè.

Impugnatio præmissorum.

Processus abstractionis de perfecto in imperfectum.

Ens abstractissimum est prima potentia.

Confirmatur, in compositione metaphysica datur suo modo potentia, & actus, ita vt determinabile sit per modum potentiæ, determinans per modum actus, vt patet in animali, & rationali, quorum illud se habet vt potẽtiale, hoc verò vt actus: hinc locus ille Topicus à toto potentiali ad partes, quas non includit, nisi potestate passiua, qua per se est contrahibile, ideóque totum potentiale dicitur: ergo illud quod est maximè & primum contrahibile, est vltimum in potentia; sed ens est vltimum hoc modo: ergo quod accedit viciniùs ad ens sub hac ratione est magis potentiale, & imperfectum. Probatur consequentia cum subsumpto, processus per abstractionem intellectus comparatur processui resolutiuo per naturam inquãtùm procedit via corruptionis: sed hic processus est in 47

Confirm. Compositio ex actu & potentia.

Abstractio æquiparatur resolutioni.

ordine ad primam potentiam physicam, nempe materiam: ergo etiam processus per viam abstractionis tendit in vltimam & supremam potentiam metaphysicam; hic autem processus est imperfectus, vt sistit ad merum potentiale in natura: ergo similiter ille processus abstractiuus similiter erit imperfectus, & ad non perfectum: quia recessus ab actu, & perfectione ad non actum, & merum potentiale: vnde solutio illa Caietani, & aliorum videtur non subsistere.

Eius imperfectio.

Processus cōpositorius est ad actum.

Deinde, sicut se habet processus compositorius, in natura, qua procedit de potentia ad actum via generationis, ita se habet processus scientificus in intellectu vt procedit à causis, & definitione ad subiectum, & eius effectum; sed prior est de potentia ad actum: ergo & posterior, prior secundùm perfectionem, & finem causarum, & naturæ vt in eo perficitur hoc solo, quòd potentia eius reducatur ad actum: ergo posterior scientialis est perfectissimus processus intellectus, & secundùm inclinationem supremam, & perfectissimam eius, qua quietatur in cognitione sui obiecti perfecta, quod & verissimum est, vt mox probabitur.

Æquiparatur scientifico qui est perfectissimus intellectus.

48 Confirmatur itaque secundò; inclinatio potentiæ maximè quietatur in suo obiecto primo, & perfectissimo; sed nulla eius inclinatio quietatur in præciso conceptu entis, vt est vltimum abstractum, nisi illa tantùm, qua procedit de actu ad vltimam potentiam resolutiuè, in qua nullo modo quietatur intellectus secundùm inclinationem perfectam, quam habet ad inquirendā veritatem, nisi quatenus iterū descēdit sub ente ad cognoscēdas naturas, & proprietates obiectorū contentorum, quibus cognitis quietatur eius inclinatio ad cognoscendum verum, vt experientia patet, & ratione: ergo quò magis intellectus recedit ab hac cognitione reiū in actu, & secundùm proprias rationes, eò magis fit inclinatio eius suspensa ab actu perfectissimo, ad quem est, & redditur in potentia: ergo & obiectum sic consideratum præcisiuè, & abstractè, etiam magis includit potentiam in genere obiecti, & minùs natū est actuare potentiā secundùm inclinationem passiuam eius, siue vt mouet, siue vt terminat potentiam, & sicut in ratione sua est vltimum, & supremum potentiale, ad quod fit status resolutionis, & abstractionis, ita etiam cognitio eius est remotissima ab ea, ad quam inclinat maximè intellectus, & consequenter quòd ipsi sub hac ratione est propinquius, erit in genere obiecti intelligibilis, & reducentis potentiam intellectiuam ad actum, ad quem inclinatur, imperfectissimum, vel non perfectum negatiuè. Probatur consequentia; quia considerando intellectum secundùm inclinationem suam talis est ordo, vt apprehensio subordinetur iudicio, & iudicium scientiæ, secundùm ordinem perfectionis, in quo præceditur de potentia ad actum, tam ex parte intellectus cognoscentis, quàm ex parte obiecti cognoscibilis; potior autem est inclinatio indicatiua, & scientialis, quàm apprehensiua, quia quòd illa excedit cognitiuam sensitiuam, non inde actuat complete intellectum. Quamuis autem iudicium sit secundùm perfectam inclinationem intellectus, tamen non complet totam inclinationem eius, quoad vltimum quod scibile est, nisi adueniat discursus maximè in nostro intellectu; qui per varias rerum, & causarum collationes peruenit ad finem completæ cognitionis, sine qua manet intellectus in potentia ad suam perfectionem, ad quam inclinatur; sed quatenus intellectus procedit per viam abstractionis ad cognitionem vltimi, & supremi abstracti, non attingit alium terminum suæ inclinationis, & perfectionis, quàm simplicem apprehensionem circa vltimum abstractum, quod est ens communissimè sumptum: neque potest aliter ipsum attingere via abstractionis: ergo neque ens sic sumptum est eius perfectissimum obiectum, seu primum prioritate perfectionis, licèt sit primum prioritate communitatis, potentiæ, & prædicationis.

Confir. 2. Ex inclinatione perfectissima potentia ad actum & obiectum.

Quietatio intellectus in quo sistit.

Ordo inter actus intellectus secundùm perfectionem.

Scientia est vltimus actus in perfectione.

Terminus abstractionis est sola apprehensio.

Confirmatur tertiò; quò magis recedit intellectus ab obiecto perfectissimo contento sub suo primo obiecto communi, eò magis recedit à perfectione, & accedit ad potentiam; sed quantò magis accedit ad ens abstractum, & communissimum, sic magis recedit à suo obiecto perfectissimo, nempe à Deo, & substantiis separatis: ergo processus per abstractionem vltimatam obiecti communissimi, non est secundùm perfectionem, sed imperfectionem.

Confir. 3. Abstractio est recessus ab obiecto perfectissimo.

Deinde, nullam habet intellectus cognitionem, in qua magis perficitur, quàm sit Dei, quam habet per viam inquisitionis Metaphysicæ, abstrahendo rationes communes ab imperfectionibus, quas habent in creatura, & componendo cum iis summam perfectionem, per quam deuenit via compositionis ad conceptum proprium Dei, qui non sit alterius. Quamuis autem interueniat hîc astractio, & diuisio conceptus obiectiui ab imperfectione, non ad eam est status, sed ad compositionem perfectionis summæ: hinc etiam metaphysica licèt dicatur perfectior cæteris ex modo abstractionis à materia secundùm rem, & rationem, quæ est abstractio ab imperfectione, quā includit materia tam sensibilis, quàm mathematica: non tamen abstrahit ab existentia sui obiecti magis, quàm aliæ scientiæ; neque ea ratione, qua agit de solo ente abstractissimo, est scientia perfectissima, sed qua agit de substantiis separatis, etiam sub propria, & peculiari ratione. Vnde metaphysica beatorum, & substantiarum separatarum hac ratione excedit nostram, quia attingit substantias separatas sub propria ratione; & causas essendi certiores, & in virtute, & perfectione magis vniuersales: vnde maior eius certitudo sumitur præ aliis sententiis; quo modo etiam fuit in Angelis viatoribus, & est in anima separata: ergo processus secundùm abstractionem non est secundùm perfectionem, aut ordinem perfectionis, sed èconuerso. 49

Cognitio Dei per inquisitionem Metaphysicam.

Vnde sumitur perfectio metaphysica.

Confirmatur ergo ratio Doctoris quartò; mensura perfectionis in intellectu, vt redundat ex obiecto, desumenda est à perfectissimo actu intellectus, & quietatiuo eius; sed actus intuitiuus secundùm speciem suam, & cæteris paribus, tam quoad distinctam comprehensionem obiecti, quàm etiam completam, est perfectissimus actus intellectus secundùm speciem: ergo perfectissima attingentia obiecti: sed hic actus est obiecti præsentis, & existentis: ergo obiectum sic sumptum magis communicat perfectionem potentiæ. Maior videtur irrefragabilis: quia perfectio obiecti, vt comparatur per modum perfectiui ad potentiam, eámque perficit, sumenda est ab eo gradu, secundùm quem maximè perficit potentiam quoad speciem, & perfectionem actus, quo perficitur: nulla enim alia est 50

Confir. 4. Intellectus intuitiuus perfectior abstractiuo.

Obiectum præsens, & existens magis perficit potentiam.

est perfectio potentiæ necessaria ab obiecto, nisi inquantùm tribuit operationem. Minor probatur, quia & in genere cognitionis intellectualis, & claritatis, & modi attingendi obiectum actus intuitiuus excedit abstractiuum; ipsum etiã obiectum in se præsens, & existens, sicut habet perfectiorem sine comparatione in ratione entis; sic etiam & cognoscibilitatis; & hoc modo etiam perfectiùs in seipso applicatur potentiæ, & magis adæquatè, quia vt applicatur in specie, neque adæquatè, neque distinctè, & secundùm omnes suos gradus applicatur: quia species acquisita hominis repræsentat illum præcisè gradum, & non vllum alium inferiorem, aut superiorem, neque illum ipsum sub determinatione vltimæ actualitatis repræsentat: contrarium contingit in cognitione intuitiua, & clara. Hinc etiam negatur discursus in Angelis formalis, circa plura saltẽ, ad quæ nos discurrimus, quia ipsa cognoscunt vel in seipsis, vel etiam, vt aliis placet, in speciebus per se infusis, & æquiualentibus intelligibilitati obiectorum: in nobis autem discursus est necessarius ob absentiam obiecti, & imperfectum, & confusum modum repræsentandi specierum: si ergo obiectum in se existens, & præsens dicitur simpliciter tale in *esse* entis, & intelligibilis, vt comparatur ad abstractum, quod est secundùm *quid* tale (quia ipsa ratio entis, vt in reipsa est, dicitur simpliciter, vt comparatur ad seipsam abstractam, vt habet *esse* tantùm in intellectu) sequitur quòd quò magis aliquid accedit ad obiectum, sic sumptum, sit ipsi *esse* propinquius secundùm ordinem perfectionis; illud verò quod sequitur *esse* abstractum, quod est secundùm *quid* obiecti, esse omnino imperfectius, quò propinquius.

Discursus in nobis cur sit necessarius.

Ex imperfectione est.

51 *5. Confir.* Confirmatur quintò; ille est processus perfectissimus intellectus, qui est eius ad beatitudinem, per quam vnitur obiecto vltimo, & perfectiuo extrinseco, in quo quiescit; sed hic processus, seu ordo non est in ordine ad vltimum, per abstractionem: v.g. ad ens, vt sic abstractum, neque ad aliquod aliud transcendens: ergo perfectio intellectus non est ab obiecto secundùm ordinem abstractionis, sed compositionis, & actualitatis. Maior est per se nota; quia perfectio intellectus debet sumi secundùm eum ordinem, in quo habetur completus appetitus eius: repugnat autem appetitum intellectus determinari per se primò ad contradictorios modos tendendi in suum obiectum perfectiuum, quia est appetitus naturalis per se tendens ad vnum, & idem: ordo autem abstractionis, quo tenditur ad vltimum abstractum, contradictoriè opponitur ordini compositionis, qui è conuerso tendit ad actum, & non ad potentiam. Minor principalis probatur: quia si loquamur de beatitudine merè naturali, intellectus, quam cognouerunt Philosophi, illam constituerunt vel in contemplatione substantiarum separatarum, vel in operatione virtutum, qui probabiliùs senserunt: nullus autem in vniuersum eam constituit in consideratione entis abstracti, quà abstractum hoc modo, vt nunc loquimur de abstractione ab ente in specie: si verò loquamur de beatitudine supernaturali viæ, ea constituitur ex parte intellectus obiectiuè in fine vltimo in particulari, vt cognoscitur per fidem, & in aliis, quæ conducunt ad finem vltimum. Si loquamur de beatitudine patriæ, etiam illa constituitur in visione clara Dei, sub ratione propria; sed potentia intellectiua ita est inclinata, vt nullo modo perficiatur eius inclinatio, nisi vt ordinatur ad vltimum perfectiuum, & eò magis perficiatur, quò magis accedit ad idem; cognitio autem entis, & veri abstracti maximè recedit à fine vltimo, seu perfectiuo intellectus: ergo processus abstractiuus, quo tendit ad vltimum abstractum, non solùm non est perfectiuus potentiæ, sed contrario modo se habens.

Perfectio intellectus attenditur secundùm modum, & ordinem attingendi obiectum beatificum.

Probatio minoris ex communi sensu de beatitudine in genere.

Deinde, intellectus nequit vltimò perfici nisi in eo, in quo vltimatè perficitur voluntas, quia idem quocumque modo perficit alterutram potentiam, necessariò respicitur tanquam vltimum, & perfectissimum ab vna, quod respicitur ab alia: patet hoc in beatitudine patriæ, & viæ quocumque modo sumatur. Patet etiam ratione, quia creatura rationalis, vt beatur, nequit ad duos vltimos fines in re ordinari, & in quocumque saluatur vltimum perfectiuum vnius facultatis, in eodem consequenter saluatur vltimum perfectiuum alterius: nam quod est vltimum bonum, est vltimum verum, & vltimum ens. Item, quia facultates ipsæ tales sunt, vt quando simul operantur circa idem, intensiùs, & perfectiùs operentur; vnde vna intensè operante circa suum obiectum, alia nequit intensè operari circa aliud, quod non reducitur in idem obiectum; sed vtraque nequit intensiùs operari quàm circa vltimum suum, & perfectissimum perfectiuum: ergo nequit in re ipsa esse diuersum ex eadem ratione: ergo necessariò idem est in re finis vtriusque. Accedit quòd perpetuitas, & firmitas sit de ratione beatitudinis: qua de causa Doctores, qui asserunt visionem communicatam fuisse quibusdam sanctis viatoribus, negant eam fuisse veram beatitudinem, quia non fuit permanens, sed transitoria; sed si finis in re esset diuersus vtriusque facultatis, voluntas, quæ subordinat intellectum, traheret secum intellectum, vt intensiùs consideraret suum appetibile, quàm finem intellectiuum, seu ipsius intellectus diuersum: ergo nequit vtriusque finis esse diuersus in re: sed aduersarij admittunt voluntatem respicere finem suum quoad *esse*, & actualitatem; sic ergo respicit etiam intellectus non verum abstrahens, & transcendentale; sed verum, quod est appetibile vt vltimum à voluntate, secundùm ordinem perfectionis, siue sumatur ex parte potentiæ, siue sumatur ex parte obiecti secundùm vtriúsque inclinationem tam perfectiui, quàm perfectibilis, ita vt potentia magis perficiatur per verum determinatum, quàm transcendens. Ex quibus patet fundamentum illud Caietani, & sententiæ oppositæ rectè impugnari à Doctore. vnde hanc consequentiam admittit Augustinus loco citato, vt dicat *illud quod est maius & perfectius, esse verius*, & è contra *quod est verius, esse etiam maius*, &c. Processus ergo ad abstracta non est secundùm perfectionem, & actualitatem, sed secundùm imperfectionem, vel non perfectionem, & potentiam, quod ex præmissis rationibus videtur constare.

52 *Idem est vltimum perfectiuum intellectus, & voluntatis.*

Probatio.

Applicatio discursus.

Perfectiuum vltimum intellectus est idem, quod voluntatis.

53 *Simplicitas vt dicit perfectionem.* Quod autem adducitur ab eodem Caietano quòd abstracta sint magis simplicia obiecta, ac proinde perfectiora, æquiuocat: & potiùs contrarium sequitur: quia simplicitas, quæ est perfectio, est illa, quæ opponitur compositioni, & denotat actualitatem essendi sine compositione, qualis inuenitur in Deo; in creaturis autem inuenitur actualitas, sed non simplicitas, vt opponitur compositioni;

positioni; ipsa autem compositio ideò dicit imperfectionem, quia includit potentiam, & limitationem essendi quoad perfectionem, & actualitatem: cæterùm in creaturis actualitas est perfectior, quamuis includat potentiam; potentia autem non actuata: v. g. materia vt sub actu perficitur, dicit actum, & est perfectior quàm materia nuda. Eodem modo quod se habet vt potentia, & determinabile, qualia sunt prædicata abstracta, dicunt quidem vt contracta potentiam quandam, sed in statu perfectiori, nempe actualitatis, quàm est illa ipsa sine vlla determinatione, & actualitate, vt est abstractum à suis contrahentibus: quia sic dicit meram potentiam sine actualitate vlla, & *esse* in intellectu, quod est *esse* eius secundùm *quid*, vt comparatur ad *esse*, quod habet in inferioribus, & in reipsa: quis enim dicit animal esse perfectius in conceptu quàm in homine & in Petro existens? Prætereà *esse* abstractum obiecti, quod sequitur operationem solius intellectus, nequit dici *esse* obiecti intellectus, vt antecedit ipsum intellectum in genere causæ perficientis ipsum, & reducentis intellectum de potentia ad actum; perfectio autem alicuius perfectibilis debet desumi à perfectiuo, vt prior est causalitate, & *esse*, & non vt est posterior; sic autem se habet obiectum, vt præcedit intellectum: ergo sic magis proportionatur intellectui secundùm rationem perfectiui.

Potentia perfectior est sub actu.

Obiectum antecedit, abstractio sequitur intellectum.

54 Hinc patet ad illud, quod dicunt alij, vltimum abstractum esse simplicius, & immaterialius; & hinc argui simplicitatem, & immaterialitatem intellectus super voluntate. Contrà, hæc differentia sumitur per ordinem ad cognitiuas materiales, quatenus ex abstractione operationum à materia colligitur immaterialitas, & spiritualitas, & simplicitas potentiarum rationalium, & animæ rationalis in *esse*: sed non videtur ad propositum: quia licèt colligatur hinc immaterialitas intellectus, & voluntatis perinde ex hoc capite; quia in suis operationibus abstrahunt à materia, debet intelligi abstractio à differentia opposita, seu à materia, vt opponitur immateriali, quatenus dicit imperfectionem, & speciem oppositam materiali, quod diuidit ex opposito eius, & includit imperfectionem oppositam spirituali, seu immateriali, vt dicit perfectionem, sed processus ille, de quo nunc agimus per præcisionem conceptuum vsque ad vltimum abstractum, non est recessus à materiali, vt est differentia opposita immateriali: quia hæc est materia Physica, & quanta, & perinde omnis actus tam intellectus, quàm voluntatis est hoc modo essentialiter immaterialis; & ille actus, qui est de obiectis spiritualibus sub ratione propria, & actuali, tam ex parte obiecti, quàm potentia magis recedit à materia opposita, quàm actus, qui est circa vltimum abstractum præcisiuè: ergo intellectus etiam vt dicit ordinem ad obiectum spirituale, magis sequitur differentiam perfectionis, quæ est per abstractionem, quàm procedendo per viam abstractionis præcisiui conceptuum inadæquatorum vsque ad vltimum abstractum. Probatur antecedens quoad secundam partem cum consequentia, quia conceptus ille obiecti spiritualis sub ratione propria sequitur naturam obiecti; sed obiectum ita se habet, vt neque permissiuè possit esse materiale, hoc est per contractionem sui nequeat esse materiale in seipso, aut in aliquo alio; ens autem & verum permissiuè possunt esse materialia, scilicet vt contrahuntur ad hoc, & illud ens materiale: ergo processus, qui terminatur ad ens abstractum, & primum, tendit, magis est secundùm materiam, vt opponitur immateriali, quàm processus, qui est in ordine ad substantias separatas, etiam quoad vltimam actualitatem, cui perinde repugnat differentia opposita immaterialitatis: si sumatur autem materia Metaphysicè pro potentiali, iam probatum est illum processum esse ab actu in ordine ad potentiam. Quòd si vlteriùs sumatur potentiale, seu materiale pro supposito, vt constituitur per *quod quid est*, id est, per formam totius, aut essentiam speciei, hoc impropriè dicitur in proposito materia, à qua abstrahendo, probatur immaterialitas, & simplicitas tam obiecti, quàm potentiæ, vt simplicitas dicit perfectionem tam in obiecto, quàm in potentia; quidquid ergo horum dicatur, impugnatur.

Responsio aliorum impugnatur.

Abstractio intellectus à materia quomodo sumitur.

Cognitio substantiæ separatæ est magis abstracta, quàm cognitio entis vltimi.

Immaterialitas, & simplicitas potentiæ infimæ in eodem ordine entis, & secundùm perfectionem attingendi obiectum perfectissimum, in quo simplicitas, & immaterialitas secundùm perfectionem attenditur, assumenda est, & coniicienda ex modo, quo superior, & suprema in eodem ordine attingit suum obiectum, & non ex imperfectione eius in statu determinato; aut certè ex natura potentiæ, quà imperfecta est; sed primum ens immateriale non attingit obiectum habens *esse* sub vlla abstractione ab *esse*, neque attingere potest obiectum, nisi prout est: scientia enim abstractiua nulla est in Deo nisi respectiuè ad obiectum possibile, & indifferens ad *esse*, & *non esse*. Sed intellectus Dei est summè immaterialis, & simplex: ergo simplicitas, & immaterialitas intellectus nostri non sumitur ab obiecto abstracto, quà illæ differentiæ sunt perfectionis. Maior est nota, quia mensura intellectus creati quoad perfectionem, & modum perfectum attingendi obiectum, sumitur ex perfectione, & modo attingentiæ intellectus diuini, cuius est participatio.

Hæc differentia vt dicit perfectionem sumenda est in ordine ad primum intellectum Dei.

Ille non est abstractiuus.

Confirmatur hæc ratio; quia scientia abstractiua prouenit ex imperfectione, aut intellectus, aut obiecti: ergo ordo secundùm abstractionem non est perfectionis simpliciter, neque secundùm *quid*, nisi vt supplet imperfectionem obiecti; aut intellectus. Consequenter ordo cognitionis intuitiuè est perfectio simpliciter intellectus, vt *suprà* probatum est: quia est adæquata cognitio obiecti, & in se quoad vltimam actualitatem. Probatur antecedens ex parte intellectus: quia cognitio abstractiua ideò competit intellectui creato respectiuè ad obiectum existens: quia creatus est, & consequenter nequit habere obiectum præsens, neque ferri in omnes differentias obiecti, qua vel vt est existens, vel certè existit; si aliàs existentiam eius non cognouerit, vel vt est futurum; quia est limitatus quoad intellectualitatem, & media cognoscendi: & similiter obiectum eius nequit semper, & in quacunque distantia mouere intellectum. Probatur idem ex parte obiecti tam ex ratione præmissa, quàm etiam ex eius indifferentia ad *esse*, & *non esse*, qua ratione scientia possibilium dicitur in Deo abstractiua, quia obiectum eius est ens non existens, quamuis possibile; quia etiam hæc scientia in Deo nequit abstrahere ab existentia ita vt non sit obiecti per ordinem ad existentiam possibilem, non solius essentiæ, vt præscindit ab omni ordine ad existentiam:

55 *Confirm.*

Cognitio abstractiua est ex imperfectione obiecti, aut intellectus.

stentiam : ergo ordo obiecti ad existentiam non derogat eius intelligibilitati perfectæ ; scientia autem per visionem in Deo est existentis vt existentis pro illa differentia temporis , pro qua existit scientia , etiam abstractiua in Angelis per species infusas , est obiecti determinati quoad speciem, & indiuiduum , & non solius transcendentis , quin etiam per eandem speciem iuxta placitum D.Thomæ, cognoscit obiectum etiam existens , & præsens sine vlla sua mutatione : ergo perfectio eius intellectus exigit tale medium quod repræsentat obiectum sub propria actualitate , & non tantùm sub ratione transcendenti, & ideò hæc species per ipsas requiritur in Angelo , quia est medium necessarium ex parte eius quoad alia extra se cognoscenda , ideóque ad propriam essentiam cognoscendam non requiritur in eo talis species , quia perfectiùs eam attingere potest per visionem , & semper est sibi applicata ; quidquid autem est, an Angelus abstrahat species , & conceptus , saltem non inde colligitur prima perfectio sui intellectus. Si loquamur de scientia abstractiua in nobis habet maiores imperfectiones , quàm in Angelo , quia nequit intellectus pro hoc statu attingere alia obiecta in seipsis præter quiditatem rei sensibilis: per vsum autem specierum abstractarum ab hac quiditate, & varias collationes , & discursus attingit alia obiecta , ad quorum cognitionem ob imperfectum modum intelligendi , & motionis obiecti , vtitur abstractionibus , in quibus non persistit tanquam in perfectissimo suo obiecto sed ex necessitate cognoscendi res sub ratione propria per collationes, & diuisiones abstractorum transcendentium , & aliorum , & compositiones tendit in obiecta in specie, quorum conceptum aliquem format, licèt non imperfectum, qualem habet in *esse* separato , & quo habito cessat inquisitio rei per viam abstractionis , sicut de facto etiam in habituato , & sciente cessat talis collatio , & abstractio in ordine ad cognitionem rei scitæ ; quia superflua esset.

Scientia abstractiua in Angelo.

Scientia abstractiua in nobis, & eius necessitas.

56 Quòd ergo ex eo probemus intellectum nostrum esse immaterialem , quia versatur circa obiecta , quæ abstrahunt à materia , non inde sumitur hunc ordinem abstractionis esse perfectissimum , neque ex parte obiecti , neque ex parte intellectus , qua terminatur ordo ad transcendentia ; sed denotare quidem diuersitatem intellectus à sensu , & immaterialitatem eius argutiuè ; sed magis probatur eius immaterialitas, quatenus versatur circa entia merè spiritualia ; quibus repugnat materia , quæ diuiditur contra immateriale. Colligitur proinde perfectio intellectus, vt procedit ad actualitatem obiecti , & secundùm perfectissimum actum in specie , ad quem ex superiori inclinatione determinatur, & in quo quietatur ; ; sed voluntas sic tendit, prout concedunt aduersarij : ergo voluntatis obiectum est vicinius enti secundùm perfectionem , qua vt obiectum communicat perfectionem , quàm sit verum , quod generationis, & non perfectionis ordine , aut prioritate est immediatiùs enti.

Immaterialitas intellectus magis colligitur ex cognitione perfecta rerũ spiritualium quàm transcendentium.

57 His ergo positis quoad fundamentum sententiæ oppositæ, restat etiam probandum ex obiecto voluntatem excedere intellectum , licèt Doctor difficilem hanc probationem asserat pro alterutra parte. Probatio sumitur ex hoc quòd obiectum voluntatis sit finis; sed finis perfectiùs mouet per modum finis , quàm obiectum intellectus per modum causæ efficientis : ergo obiectum voluntatis est perfectius obiecto intellectus. Dices esse perfectius secundùm *quid* , & non simpliciter. Contrà, inter causas extrinsecas finis est perfectissima : quia efficiens agit propter finem , & dependenter à fine ; at finis ex se , & propter se mouet : ergo status perfectionis est in fine tanquàm perfectissimo , & quo acquisito cessat motus , & à quo , & propter quem mouet efficiens , & motus ipse ab efficiente incipit in executione. Dices causas naturales agere propter finem, nempe suum affectum , quo assimilant sibi passum communicando perfectionem, quæ non excedit perfectionem agentis; imò aliquando minor est. Contrà, finis causæ naturalis proprius est ille , qui est authoris naturæ : v. g. finis vniuersi, & perfectio, & conseruatio speciei; hic finis est perfectior agente particulari : ergo in vniuersum finis est perfectissimus inter causas. Dices in creatura rationali finem ex electione non esse perfectiorem causa mouente ad finem ; imò aliquando esse imperfectiorem , vt quando est finis inferior. Contra, agitur hîc de fine in reipsa , cuius participatione reliqua ordinata in finem sunt bona , vt attingunt suo ordine finem : comparando ergo finem ex electione tam ad intellectum, quàm ad voluntatem , vt est obiectum vtriusque, perfectior est vt mouet voluntatem , quàm vt mouet intellectum : & probatur, bonitas finis , vt respicit præcisè voluntatem , subordinat sibi intellectum in cognoscendo, quia verum praticum, quo dictat de fine, sumitur præcisè ex bonitate finis in ordine ad voluntatem, & quà respicit ipsam voluntatem , & eius perfectionem , seu rectitudinem in sua operatione : neque intellectus versatur circa finem hoc modo practicè propter verum , sed propter opus , ad quod mouet finis : ergo motio intellectus à fine per modum obiecti , est in ordine ad voluntatem hîc & nunc, & non præcisè ob perfectionem intellectus. Deinde, regula obiectiua , ex qua dictat intellectus operandum hîc & nunc : v. g. lex , aut consilium , si non sit opus præcepti , respicit præcisè voluntatem , & eius subiectionem , aut conformitatem ad legem , quæ datur respectiuè ad voluntatem & non ad intellectum : ergo dictamen ex lege respicit præcisè perfectionem voluntatis, & non intellectus: ergo potior est motio finis in ordine ad voluntatem , quàm in ordine ad intellectum, quando vtraque potentia concurrit in obiecto eodem. Dices operationem intellectus sic dictantis de fine esse perfectiorem in *esse* entis, & perfectionis, quàm sit operatio voluntatis , licèt operatio voluntatis in *esse* morali sit perfectior. Contrà, finis est proprium, & per se obiectum voluntatis in *esse* finis, & mouet intellectum propter operationem voluntatis præcisè hîc & nunc , & secundùm modum cognitionis, quæ proponitur, prosequendus ; sed obiectum primum , & per se potentiæ alicuius non est natum in *esse* entis , aut operationis magis perficere aliam potentiam, quàm propriam, quam primò, & per se respicit, & maximè quando aliam respicit vt medium quo applicetur propriæ potentiæ, ad quam primò inclinat ; sed finis , vt finis, est proprium obiectum voluntatis, quam respicit medio intellectu vt applicante: ergo finis non perficit intellectum magis in *esse* entis, quàm voluntatem : perficit autem vtrumque per modum obiecti : ergo magis voluntatem

Perfectio voluntatis ex obiecto probatur.

Finis est obiectum voluntatis, & perfectissima causa.

Mouet efficientem.

Responsio.

Impugnatio.

Finis causæ naturalis.

Responsio.

Impugnatur.

Finis vt obiectum mouet intellectum subordinatum voluntati.

Regula operandi est ad perfectionem voluntatis vltimatè.

Responsio.

Impugnatio.

Obiectũ primum per se potentiæ eam magis perficiunt quàm aliam.

luntatem, & consequenter voluntas est perfectior ex obiecto. Dices finem concurrere cum intellectu Physicè per modum obiecti, non ita cum voluntate, sed per modum finis obiectiuè, & metaphoricè. Contrà, hoc nihil obstat: quia ille concursus finis vt obiecti physicè cum intellectu arguit imperfectionem, seu potiùs potentialitatem, & incompletionem ex parte intellectus, qui dependet à concursu obiecti physico: ex parte autem voluntatis, quæ est virtus completa in genere efficientis non exigitur talis concursus: sed de hoc non agitur in proposito, sed de perfectiuo extrinseco, seu de fine, vt per modum termini perficit vtramque potentiam, vt per eas attingitur, & ipsis vnitur: sic autem magis perficit voluntatem: ergo vt vtriusque perfectio hoc modo sumitur, finis magis perficit voluntatem, & secundùm se, intellectum verò solùm per ordinem ad voluntatem, & non propter se, vel æqualem gradum attingentiæ secundùm perfectionem.

Responsio. *Impugnatio.* *Ex motione arguitur imperfectio intellectus.*

58 Prætereà, si in *esse* morali magis perficitur voluntas, sequitur etiam magis perfici physicè. Probatur sequela: quia rectitudo moralis magis coniungit Deo, secundùm debitam subiectionem, & ordinem inter creaturam, & Deum, magísque per se primò facit ad societatem, & hierarchiam instituendam, & seruandam: ergo operatio physica hominis, in qua magis consistit hæc rectitudo, est perfectissima eius, quia illa immediatiùs attingit finem vniuersalem, & particularem; vnde in ipsa resultat rectitudo, & perfectus ordo ad finem, qui excedit ordinem ad causam efficientem, quà efficiens est. Vnde creaturæ vt reducuntur etiam in Deum, vt in finem, & in causam efficientem præcisè, perfectiùs attingunt eum vt finem, quàm vt causam efficientem; quia & Deus vt efficiens est, propter finem operatur, quatenus sua bonitas est prima radix, & motiuum communicandi *esse*, & perfectionem creaturis; & quia creaturæ vt reducuntur in Deum causam efficientem præcisè, reducuntur in ipsum, quà continet virtute creaturas; vt autem reducuntur in finem, reducuntur formaliter, quasi participatio eius formalis, & non solùm virtualis; quia vel per modum imaginis vt creatura rationalis; vel per modum vestigij, vt cæteræ, vel certè mediante actu secundo, vt respicit Deum in se formaliter, & quà est summũ, & perfectum bonum, non verò quà efficiens est, quia vt sic præcisè consideratus non est terminus vltimus, & primarius inclinationis potentiarum rationalium, nec beatitudo obiectiua: sed quà est in se formaliter, quod perinde similiter de aliis obiectis dicendum, inquantùm se habent ad potentias tanquàm formale perfectiuum extrinsecum mediante operatione, qua vniuntur obiecto, perfectiùs se habere ad voluntatem: nam quòd obiectum intellectus producat operationem partialiter, nihil facit ad inclinationem potentiæ, vt actuatur, & quiescit suo modo in obiecto perfectiuo; quia vndecumque habeat operationem, siue à Deo, siue ab alia causa, perinde illa vnit obiecto; in qua vnione consistit eius formalis perfectio, & actus inclinationis, ita vt si per impossibile sine operatione elicita posset vitaliter, seu operatiuè vniri potentia obiecto, sicut dicebat *suprà* Ioannes de Ripa, electos beari de facto in patria per visionẽ, & fruitionem increatam, inclinatio potentiæ esset terminata perfectè ad suum perfectiuum: ergo cùm finis perfectiùs moueat, & sit proprium obiectum voluntatis, sequitur voluntatem accedere ad ens prioritate perfectionis, quà nempe ens est natum communicare perfectionem, quia hæc communicatio primariò, & radicaliter est à fine, licèt virtualiter, & executiuè à causa efficiente, vt mouetur per finem.

Ex perfectione morali arguitur perfectio physica actus, & potentia. *Ordo creaturæ ad Deum vt finis est, excedit ordinem ad Deũ, vt est efficiens.* *Quietatio potentia in obiecto, vt perfectiuo quomodo attenditur.*

Responderi potest finem quidem perfectiùs se habere ad voluntatem, quàm ad intellectum practicum, sed non valere consequentiam hactenus intentam, nempe simpliciter voluntatem esse perfectiorem, quia ad huius probationem requiritur conferre obiectum, & operationem perfectissimam intellectus, cum operatione, & obiecto voluntatis: perfectissima verò operatio intellectus, & obiectum non est finis, sed obiectum speculatiuum, & ipsa speculatio veri, vt abstrahit ab *esse*, & praxi. Contrà, huius solutionis impugnatio commodior erit in sequentibus. Interim sumendo praxim latè, vt est operatio voluntatis, licèt non de obiecto operabili, & factibili; sed de ipso fine priore, quà est bonum, & obiectum voluntatis amabile propter se: sic argumentor ex dictis. In primis probatum est quòd modus abstractionis, neque ens, aut verum, vt est obiectum, seu terminus abstractionis sit perfectio obiectiua intellectus suprema: ergo speculatio entis vt sic, & veri, nequit esse perfectissima operatio, aut suprema intellectus: ergo perfectissima operatio eius est circa ens determinatum, & substantias separatas sub propria ratione, & *esse*, inquantum per intellectum attingi potest, sed tam Deus, quam aliæ substantiæ separatæ sub propria actualitate, & *esse* attingitur vt voluntatis obiectum, & per modum finis: ergo nequit in his speculari aliqua veritas propria ipsorum, quæ non est amabilis à voluntate, ergo non perfectiùs attinguntur ab intellectu, quàm à volũtate. Consequentia patet: quia quando vtraque potentia potest circa idem obiectum operari perfectiùs attingitur à voluntate, quia attingitur ab ipsa sub ratione finis, quæ est prima ratio mouendi vt suprà deduximus, & admittit solutio data. Prior consequentia probatur, quia in his est operatio perfectissima intellectus in quantùm attingit ipsas substantias separatas secundùm perfectum modum actualitatis ipsarum, ideóque vt constat inclinatio perfectissima intellectus nequit quietari per vllam cognitionem primi entis, nisi per visionem eius vt existentis, & præsentis. Quoad etiam substantias separatas non quiescit nisi attingat vltimam actualitatem earum, saltem in specie; neque hæc etiam sufficit quietare intellectum, nisi extendatur ad *esse* earum, quia vt probatum est, cognitio intuitiua est vltima perfectio intellectus, vt respicit suum obiectum; & abstractiua est semper inadæquata rei: quamuis enim sit scientifica, est tantùm de re vt abstrahit ab *esse*, & præsentia.

59 *Responsio.* *Impugnatio.* *Operationem perfectissimam intellectus non esse, speculationem entis abstracti.* *Cognitio perfecta substãtiæ separata non excludit amorem.*

Restat probandum subsumptum: omnis veritas, quam cognoscit intellectus de substantiis separatis, vt est perfectio earum excedens alia entia, potest amari à voluntate, amore amicitiæ: ergo speculatio intellectus concludentis aliquam perfectionem de substantiis separatis non excedit obiectum voluntatis. Deinde speculatio quæcumque intellectus subest voluntati: ergo est amabilis, vel contrarium; & hoc ordinatè: ergo & obiectum speculationis. Probatur consequentia, voluntas non fertur primo actu, & non

60 *Probatio subsumpti.* *Speculationẽ & obiectum eius mouere voluntatem.*

non reflexo in ipsum actum intellectus, sed in obiectum: ergo si speculatio est conueniens, & appetibilis à voluntate, etiam eius obiectum à fortiori est appetibile; sed quodcumque appetibile perfectiùs ordinatur ad voluntatem, quàm ad intellectum ex præmissa solutione: ergo & obiectum speculationis. Deinde, ipsa visio beatifica secundùm plerosque aduersæ sententiæ, est formaliter speculatiua, vt ipsi sumunt speculationem, hoc non obstante, tam visio, quàm obiectum est appetibile à voluntate, & perfectiùs ab ipsa attingitur, vt patet ex præmissis in quæstione principali. Sicut ergo perfectissimus actus in genere speculationis, qualis vt ipsi dicunt, est visio Dei, in se ordinatur ad voluntatem, & exceditur per fruitionem, sequitur voluntatis obiectū esse perfectius, quàm obiectum speculabile, inquantùm speculabile. Sequela probatur applicando solutionem prædictam, quia visio est perfectissimus actus intellectus, & inquantùm extenditur ad obiecta secundaria perfectiùs cognoscuntur in verbo, quàm in proprio genere per actum ab ipsis causatum: ergo si exceditur visio à fruitione quoad perfectionem, idem dicendum de quacumque alia cognitione speculatiua, & in specie, vt comparatur ad actum non solùm perfectissimum voluntatis, sed ad actum etiam circa idem obiectum. Quòd si contendas voluntatem non posse habere actum circa idem obiectum speculabile, quà tale est; probatum est contrarium huius, & dato opposito inde sequitur tale obiectum esse imperfectum, cùm nullam includat, aut participet rationem finis ex se, vt cadit sub consideratione merè speculatiua: ergo tantùm erit ex fine extrinseco, ad quem ordinatur; ille autem finis est vel voluntatis ipsius operantis, vel certè causæ extrinsecæ superioris ordinantis, vt saluetur concursus finis ad ipsum, & causam efficientem agere, etiam naturalem propter finem, vt subest directioni alicuius volentis finem: si ille actus sortitur finem per voluntatem operantis: ergo cùm illa sit ordinata, necessariò finis ille erit perfectior obiecto speculabili, vt attingitur per intellectum præcisè, cùm finis in re sit perfectior iis, quæ sunt ad finem. Si est ordinatus per causam superiorem, idem à fortiori sequitur, nempe finem vniuersalem esse, & consequenter perfectiorem. Si dicatur non intendi alium finem illius actus præter solam perfectionem intrinsecam potentiæ, sequitur idem: quia cùm actus ille sit liber, & volitus: sine qua libertate intellectus non specularetur, aut applicaretur perfectè ad obiectum, tunc voluntas vult actum non præcisè quà intellectus est perfectio, sed quà est perfectio totius per intellectū: & sic voluntas vt potentia superior, cuius est prouidere perfectionem totius, attingit illum actum sub perfectiori ratione, nempe sub ratione finis vniuersalis, & boni totius, qua ratione etiam intendit perfectionem aliarum potentiarum, non præcisè propter ipsas, sed propter bonum totius. Hæc autem vniuersalitas operandi voluntatis circa finem inquantùm respicit bonum completum, & vltimum totius, illúdque prouidet applicando potentias inferiores ad suos actus, est perfectior vniuersalitate abstractionis, vt est in intellectu, & quæ magis prouenit ex imperfectione intellectus nostri (licèt probet eius excessum supra sensum) quàm ex perfectione. Hinc ergo patet mediū hoc ex perfectione obiecti desumptū magis fauere sentētię nostrę, quàm aduersariorū. Deinceps procedendū erit ad alia media.

Visio Dei secundùm aliquos est speculatiua.

Speculatio non est bona quà nō est ad finem aliquē appetibilem.

SCHOLIVM.

Secundò probat Doctor ex nobiliori habitu, scilicet charitatis, voluntatem esse nobiliorem, & refutat responsionem, D. Thom. ad illum locum Pauli, Tria hæc, maior horum est charitas: *soluit etiam id Philosophi, scilicet* Sapientia est nobilissimus habitus, *quatenus fauet D. Thomæ.*

13 f SEcundò arguitur ex habitu, quia actus est nobilior, ad quem disponit nobilior habitus; aliquis habitus intellectus est nobilior quocunque habitu voluntatis, quia secundùm Philosophum *primo Metaphysicæ*, sapientia est nobilissimus habitus, & idem *6. Ethic.* & expressè 10. nullus autem habitus voluntatis est nobilior apud Philosophum iustitia, vel saltem amicitia, de quibus patet quòd longè sunt infra sapientiam, secundùm ipsum.

Secunda ratio.
In proœm.
Cap. 8.
Cap. 8. & inde.

Contrà 1. ad Cor. 13. *Maior horum est charitas*; & August. 5. de Trin. cap. 19. *In donis Dei nullum est maius donum charitate, nec æquale.* Patet de dono alterius rationis.

Respondetur ad Apostolum; & Augustinum, quòd intelligunt pro statu viæ; sed pro statu patriæ lumen gloriæ est nobilius. Hoc probatur, quia illud est perfectius, cui propter perfectionem suam repugnat competere imperfectio, quàm illud cui propter imperfectionem suam non repugnat; lumen gloriæ propter perfectionem suam repugnat inesse viatori, non autem charitati. Confirmatur, perfectius est, quod distinguit perfectum ab imperfecto illo, quod est commune vtrique: lumen gloriæ distinguit comprehensorem à viatore: charitas est communis.

S. Thom. in 4. vbi supr.

14 Contra illam responsionem arguitur. Primò per auctoritatem Hugonis super Angelica Hierarchia, cap. 7. super illud Dionysij. *Super acutum, super feruidum, & dilectio supereminet scientiæ.* Vnde & supremus ordo denominatur ab ardore, proximus sibi à scientia. Præterea, per rationem; perfectissimus habitus voluntatis in via perficit eam secundùm

Vide Ric. vbi supr.

Ex præstãtiori habitu volun tatem esse nobiliorem intellectu.

secundùm capacitatem, quam habet pro tunc: ergo si ille est nobilior quocunque habitu intellectus, capacitas voluntatis pro via est maior, vel aliquid maius, quàm capacitas intellectus: ergo & pro patria: quia vel eadem capacitas hîc & ibi, loquendo de capacitate remota, quæ est secundùm gradum naturæ capacis: vel illa ibi correspondebit proportionaliter isti hîc, loquendo de capacitate propinqua, quia capacitas prima non potest totaliter satiari, nisi per aliquid proportionaliter perficiens eam: ergo non nisi per nobilius, si illa est ad aliquid nobilius. Hoc medium videtur magis concludere pro voluntate, maximè loquendo de habitibus infusis, qui disponunt ad beatitudinem illam veram, de qua loquuntur Theologi. Ad auctoritatem Philosophi posset dici quòd licèt sapientia esset nobilior habitus acquisitus, non sequitur quòd disponat ad nobiliorem actum, loquendo de actu supernaturali, cuiusmodi est beatitudo.

Sapientia imperfectior omni habitu voluntatis acquisito.

Sed contrà, voluntas est potentia habitualis per habitum acquisitum, sicut intellectus: ergo habitus voluntatis supremus acquisitus potest excedere sapientiam, sicut supremus infusus in voluntate excedit supremum infusum intellectui.

Posset aliter dici, quòd Philosophus communiter non distinxit intellectum à voluntate in ratione principij operatiui, siue operatione ad extrà: vnde pro eodem habet principium distinctum contra naturam; nunc vocat artem, vel intellectum, nunc propositum. Similiter neque in operatione ad intrà respectu finis: vnde & illam speculationem sapientiæ non distinguit à dilectione, sed magis speculatio illa includit dilectionem: vel saltem non asserit intellectionem non posse sufficere sine volitione, quia vt distinguitur de altero actu; qui est minùs manifestus, nec affirmat, nec negat.

Arist. non excludit dilectionem à speculatione, vel sapientia.

COMMENTARIVS.

61 *Secundum medium probandi perfectionem ex habitu. Præfertur habitus intellectus.*

SEcundò arguitur ex habitu, &c. Hoc est secundum medium, ex quo colligi potest perfectio vnius potentiæ super altera, nempe ex perfectione habitus. Actus est nobilior, ad quem disponit nobilior habitus; sed aliquis habitus intellectus est nobilior quocunque habitu voluntatis, quia sapientia est nobilissimus habitus 1. *Met. cap.* 8. *&* 6. *Eth. cap.* 4. *&* 10. apud Philosophum; nullus habitus voluntatis est nobilior iustitia, aut amicitia, de quibus constat esse inferiores sapientia: ergo, &c.

Impugnatio. Hanc rationem impugnat Doctor ex Augustino, & Apostolo, qui superexaltant charitatem. *Responsio.* Respondetur autem intelligendos esse pro statu viæ, non patriæ: quia lumen gloriæ in patria excedit charitatem, quia propter suam perfectionem repugnat statui viatoris, non ita charitas; & distinguit statum comprehensoris à statu viatoris. Hanc responsionem impugnat ex auctoritate Hugonis *in cap.* 7. *Dionysij.* Præterea, quia supremus ordo in Hierarchia Angelica denominatur à charitate, vt Cherubim, proximus ipsi à scientia, vt Seraphin. Deinde probat à ratione voluntatem etiam in patria perfici nobiliori habitu, atque adeò charitatem perfectiorem esse lumine gloriæ: probat, inquam, ex proportione, quam habet perfectio potentiæ in via ad perfectionem eiusdem in patria: quia nobilior habitus in via perficit, & supponit perfectiorem capacitatem in potentia: ergo, & in patria, seruata eadem proportione: & dato quòd alius habitus secundùm gradum perfectionis excedentem datur. Hinc resoluit hoc etiam argumentum magis facere pro perfectione voluntatis. & ad authoritatem Philosophi, qua dicit sapientiam esse perfectissimam, respondet intelligi posse respectiuè ad alios acquisitos: sed quia responsio non placet, dicit per modum replicæ, quòd sicut habitus infusus perfectissimus debetur voluntati in via, ita habitus acquisitus perfectissimus eidem debetur, & negatur sapientiam esse perfectissimam, vt spectat ad intellectum, ideóque explicat Philosophum non distinxisse inter intellectum & voluntatem in ratione principii operatiui; ideóque principium distinctum contra naturam nunc vocat intellectum, nunc artem: nunc propositum, loquendo de hoc principio, vt operatur ad extrà: eodem modo, vt operatur circa finem ad intra, non discernit intellectum à voluntate, ita vt speculatio, in qua ipse statuit beatitudinem ad vtramque potentiam referatur, vel certè per illud, quod est notius, & spectat ad intellectum indicet quod est ignotius, nempe actum voluntatis, licèt in se sit perfectior.

Charitatem excedere lumen gloriæ. Ordo supremus Angelorum denominatur à charitate.

Ratio ex perfectione ad perfectionem in patria. Soluitur ratio in oppositum.

Explicatur Philosophus.

Appellationi intellectus venire voluntatem.

Circa hanc rationem imprimis reiiciendus est modus probandi quorundam, quo existimant perfectiorem esse charitatem, quia nempe est habitus supremus voluntatis, quæ perfectior est intellectu: è contra alij probant habitum intellectualem esse perfectiorem, quia est potentiæ intellectiuæ, quæ excedit voluntatem; hæc namque probatio est petitio principij, prout scopus præsentis difficultatis tendit ex perfectione excessiua habitus ad colligendum eadem proportione perfectionem potentiæ. Itaque perfectio habitus aliunde probanda est, ne fiat circulus. 62 *Modus deductionis quorumdam reiicitur.*

In primis ergo Vasquez, *cap.* 8. *ad* 3. *&* 4. respondet cum distinctione, dicens in *esse* entis perfectiorem esse fidem in via, quàm charitatem; in *esse* verò moris perfectiorem esse charitatem; quia ex eo quòd ex voluntate; tanquàm ex fonte oritur omne genus moris, & meriti. & hanc distinctionem vniuersaliter sumit, nempe in genere perfectiorem esse operationem intellectus, quàm voluntatis, ita vt quæcumque intellectio perfectior sit in *esse* entis quacumque volitione. Vnde sub finem illius capitis reiicit doctrinam aliorum, qui admittunt stare excessum in genere, qui non extenditur ad singulas species eadem proportione: quod declarat exemplo corporis incorruptibilis, quod genere, & perfectione excedit corpus corruptibile. Secundùm speciem autem *Responsio Vasquez.*

autem excedere corpus viuens cælum inanimatum.

3 *Impugnatur.* Cæterùm,communis Theologorum admittit charitatem excedere fidem in perfectione absolutè,& sine huiusmodi limitatione ad genus moris, & entis *in* 3. *& prima* 2. *quæst.* 66. *art.* 6. vbi D.Thomas etiam *art.* 2. *&* 2.2.*quæst.* 23.*art.* 6. *& prima part.quæst.*82.*art.*3. *ad* 3. & reliqui Doctores, quos pro nostra sententia citauimus suprà *in quæstione principali.*Quinimò Med.1.2.*quæst.*66. *art.*6.Bannes,Aragon.2.2.*quæst.*23.*art.*6. Bellarm. *lib.*2.*de iustificatione cap.*4.Valentia *tom.*3.*disput.*3. *quæst.*1.*de charitate punct.* 3. *in prima assertione*, referunt hanc sententiam inter veritates catholicas;& quidquid sit de censura, saltem ita interpretatur communis sine noua illa distinctione;& responsio aduersæ sententiæ hìc proposita à Doctore,admittit absolutè charitatem esse præstantiorem fide, ideóque recurrit ad lumen gloriæ in patria,vt perfectiorem ostendat habitum intellectus,quàm voluntatis. Fundamentum huius sententiæ communis, desumitur in primis ex Paulo 1.*ad Cor.*12. *&* 13.vbi absolutè,& sine limitatione præfert charitatem cæteris donis, & virtutibus etiam fidei,& spei Theologicis:quam doctrinam sequuntur Interpretes in eundem locum, & Patres, qui absolutè hanc doctrinam tradunt; omitto alia loca Scripturæ,in quibus prærogatiua charitatis exprimitur. Quod autem dicit Vasquez,& post eum Ægidius Lusitanus, *tom.*1. *de beatitudine lib.*4.*quæst.*10.*art.*4.§. 3. qui vtrámque partem quæstionis sustinet: vterque autem dicit Paulum agere de charitate in genere moris tantùm,& non entis.Contrà,neque genus moris, aut entis distinxit Paulus agens de charitate tam actuali,quàm habituali, & sub vniuersa eius ratione tam entis, quàm moris; & eodem modo etiam Patres agunt de ea absolutè: quòd ergo comprehendat Paulus genus moris, vel aliqua loca eius huc spectant, non excludit considerationem charitatis sub ratione entis.Quod probatur expresè ex illo loco eius, *Nunc manent tria hæc,fides,spes,charitas, maior autem horum est charitas:*ex quibus verbis,sicut & ex aliis præcedentibus:*charitas nunquam excidit,siue prophetiæ euacuabuntur*, &c. probant Patres fidem, & spem non manere in patria, charitatem autem manere. Chrys.hom.34.*in Apostolum* declarans illa verba, & dicit fidem non manere succedente visione clara, spem non manere succedente tentione, charitatem autem manere,& reddi perfectiorem; inde colligens specialem eius excellentiam, quam intēdit Apostolus. Ita etiam Theodoretus, & Beda,& reliqui omnes, quin etiam Scholastici ex hoc loco colligant euacuari in patria fidem, & spem habitualem, quamuis aliqui eorum admittant posse in patria haberi actum vtriúsque circa aliquod obiectum secundarium:hæc comparatio charitatis ad fidem, & spem,est in genere entis,non moris, quia charitas in patria non habebit meritum, quidquid sit de actu eius primario,an sit liber;cuius resolutio dependet ab ea quæstione, quæ definit modum operandi voluntatis ad finem clarè visum.

Charitas excedit fidem in esse entis.

Probatio communis sententiæ.

Responsio.

Impugnatur.

Paulus agit de charitate in esse entis.

In patria nō erit principium merendi.

64 *Vnde dicitur genus moris.* Deinde,hæc differentia assignata, & expositio in ea fundata,parùm facit ad institutum; & probatur: genus moris competit à voluntate, à qua præcisè dicitur actus moralis,seu,quod idem est, liber; hæc autem perinde extenditur ad omnes actus voluntatis in materia cuiuscumque veritatis, ita vt vnus præ alio non sit necessariò magis liber: ergo perfectio charitatis nequit hac in parte esse excedens. Si autem sumatur genus moris strictiùs pro bonitate actus, aut habitus, vt desumitur ab obiecto intrinseco, & specificatiuo, eo modo, quo habitus dicitur esse perfectior,aut nobilior,quia respicit obiectum perfectius in reipsa,aut certè perfectiùs ex modo operandi tendit in obiectum;qua ratione D Thomas asserit charitatem esse perfectiorem fide,quia hæc respicit Deum in se sub ratione extrinseca reuelantis, charitas autem sub ratione intrinseca essendi,& bonitatis:considerando ergo bonitatem, & perfectionem habitus hoc modo, est entitatiua,& substantialis, & essentialis, sicut ordo ad obiectum dicitur ipsi competere in genere entis, quod maximè verum est de habitu Theologico,& per se infuso, qui comparatur potentiæ, non solùm,vt dat facilitatem, sed etiam simpliciter posse,in quo distinguitur ab acquisito: ergo comparatio charitatis ad reliquas virtutes, & dona secundùm excessum hoc modo,est in genere entis;imò repugnat comparationem abstrahere à charitate in ratione entis: omnis enim perfectio in ratione habitus conuenit charitati ex obiecto, vt ad ipsum operatur, vel circa ipsum mediante suo actu,& hoc modo etiam competit charitati omnis perfectio excedens,de qua Apostolus, nempe ex inclinatione propria ad obiectum,& ex inclinatione obiecti respectiuè ad reliqua. Quòd si detur aliquis actus charitatis necessarius,vt procedit à potentia,ille habebit omnem perfectionem secundùm inclinationem debitam tam habitus,quàm obiecti, vt patet in patria,si necessariò agit voluntas circa finem. Patet etiam in Deo, si admittatur in eo attributum charitatis diuersum à voluntate, cuius actus est perfectissimus: quod ergo actus liber charitatis dicatur bonus ex obiecto bonitate moris,non denotat aliquem alium modum specificandi actum, aut habitum,diuersum ab eo, qui competit ei in genere entis,& quando agit necessariò:sed denotat differentiam ex parte modi agendi potentiæ liberè cum indifferentia, quatenus bonitas actus inquantùm sic agit,sicut & ipse actus potuit non esse. Denotat prætereà subiectionem potentiæ ad legem, & regulam obiectiuam, ex quibus, præter bonitatem naturalem actus, redundat quædam alia,quæ dicitur conformitatis;hæc tamen supponit necessariò bonitatem naturalem actus ex obiecto,& in *esse* entis, sine qua nequit esse; neque hæc bonitas excedit bonitatem aliorum actuum, nisi quia actus ipse ex obiecto ita excedit in *esse* entis; reliqua enim possunt esse æqualia,vt libertas,& conformitas, & obligatio suo modo.

Perfectio charitatis ex obiecto.

Comparatio charitatis ad reliqua dona non abstrahit ab eius entitate.

Perfectio charitatis ex obiecto in esse habitus.

Libertas actus charitatis non est specificatio ex obiecto.

Bonitas moralis supponit bonitatem naturalem actus.

Prætereà, in charitate est quædam alia bonitas, quæ dicitur meriti, inquantùm excedit secundùm hoc *esse* morale,reliquas virtutes nequit abstrahere à bonitate entitatiua: nam esse perfectius meritum in charitate,quàm in aliis prouenit tam intrinsecè,quàm extrinsecè ex perfectione eius entitatiua. Intrinsecè,inquam, quia charitas ex inclinatione sua naturali operatur immediatè circa finem, & propter ipsam finis bonitatem,vt obiectum proprium,quod nulli alteri virtuti competit. Hinc oritur,quòd nulla alia virtus possit ordinare proximè, & immediatè in finem opus meriti,nisi sola charitas,quæ est finis vt obiecti: sic ergo complet meritum in aliis inferioribus 65

Bonitatis meritoriæ excessus in actu charitatis.

Est ex perfectione entitatiua.

ferioribus secundùm perfectissimam rationem meriti, nempe circumstantiam finis, & vltimum complementum: ideóque dicitur forma virtutum inquantùm ordinantur ad finem vltimum in re, quod attingunt solum mediante charitate, & sine qua in genere meriti propriè dicti, sunt mortuæ; vt fides, hoc totum competit charitati secundùm perfectionem, quam habet in *esse* entis ex se, vt est ad suum per se obiectum.

Ordinatio charitatis extrinseca supponit perfectionem entitatiuam. Extrinsecè competit charitati esse principium meriti, inquantùm Deus primariò acceptauit, & ordinauit rationem meriti in nostris operibus mediante charitate tanquàm principio, & complemento meriti modo dicto: sed neque hæc diuinæ prouidentiæ ordinatio abstrahit ab entitatiua perfectione charitatis. Quod probatur; quia diuina prouidentia, qua ordinauit meritum & præmium in nostris operibus, processit immediatè ex fine, tanquàm principio, seu motiuo, disponens ordinem in reliquis in ordine ad finem, & propter finem, in *esse operari*, & quiete; quæ dispositio est secundùm exigentiam rerum, & mediorum, quibus reducitur creatura in finem. In primis electio ad gloriam, seu ad finem tam obiectiuum, quàm formalem, licèt iuxta sententiam Augustini, & communiorem Scholæ, præscindat à meritis, non præscindit à charitate vt est principium operandi immediatè circa finem: in qua operatione consistit beatitudo supernaturalis formalis, & per quam vnitur potentia fini obiectiuo in se; præscindit tamen à fide spe, & reliquis principiis meriti quà sunt eius principia. Quamuis autem Deus posset velle gloriam absolutè creaturæ, & conferre seipso: tamen electio eius ad gloriam non necessariò sic interpretanda est præcisiuè, sed respectiuè ad modum magis connaturalem creaturæ, qua ipsa concurreret ad propriam operationem, & consequenter vt eleuata per principium habituale.

Electio non abstrahit à charitate sicut ab aliis.

Ordo adoptionis ad charitatem. Deinde, sequitur adoptio per iustitiam habitualem, quæ consistit vel in ipsa charitate, vel certè in aliquo, cui necessariò connexa est charitas, de quo iam non dissero: hîc ergo actus diuinæ prouidentiæ primariò respicit charitatem, cui incompatibile est de facto peccatum graue, quod est ad mortem. & si dicatur adoptionem respicere etiam alia dona, vt fidem, & spem, quæ integrant iustitiam nostram habitualem, vt decernit Trid. *sess. 6. cap. 7.* non tamen eodem modo neque in eodem gradu attingit fidem, & spem, sicut attingit charitatem; quia has potiùs vt partes integrantes; charitatem verò vt iustitiam essentialem, & illæ manent cum peccato mortali, non ita charitas. Vnde charitatem respicit adoptio ex altiori modo, & principio diuinæ prouidentiæ, quàm reliqua duo: immediatiùs enim se habet ad finem, & perfectiùs coniungit non compatiendo peccatum, quàm reliqua duo, quæ ad charitatem ordinantur, siue vt habitus sunt, siue vt principia operandi proxima.

66 *Prædestinationis ordo ad charitatem.* Deinde, sequitur tertius actus, qui est prædestinationis per merita, quatenus creatura in operando ordinatur ad finem acquirendum: hoc actu principalius determinatur charitas vt principium operandi, vt patet ex supradictis, ex quo est meritum completiuè, & in ordine, ad quem tam virtutes, quàm dona ordinantur completè, ideóque dicitur plenitudo legis *Matth. 22.* & *loco præfato* ab Apostolo dicuntur reliqua nihil valere sine charitate; & Aug. *lib. 15. de Trin. cap. 19.* ait *In donis Dei nullum est magis donum charitate, aut æquale.* Tandem in ipsa retributione manet charitas, euacuantur cætera vt fides, spes, prophetiæ, &c. Ex quibus sequitur charitatem esse perfectissimam etiam in genere entis, & habitus tam ex extrinseca inclinatione, & obiecto; tam etiam ex ordine diuinæ prouidentiæ, quæ ex altiori principio, nempe ex ipso fine, inquantùm immediatiùs attingitur à charitate ex propria inclinatione respicit; & ordinat charitatem, spectando eius perfectionem; quantùm ad primum electionis, vt est principium beatitudinis: quantùm ad secundum adoptionis, vt immediatiùs se habet ad finem ex natura sua, & magis repugnat peccato; nec potest in suo actu obliquari, quantùm ad tertium ex eadem ratione, *charitas* enim non *agit perperam, non inflatur, non quærit quæ sua sunt, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet* &c. 1. ad Cor. 13. & vniuersalitate sui motiui, & perfectionis cætera ordinat, quod ipsi competit ex perfectione entitatiua; & idem de vltimo actu eius in retributione. Ex quibus apparet interpretari non posse Apostolum per distinctionem præmissam; excessus enim secundùm *quid* non est sufficiens vt absolutè dicat Apostolus charitatem esse maiorem. Vnde expressè D. Thomas *locis citatis*, & potissimùm 1. 2. *quæst. 66. art. 2.* dicat charitatem esse perfectiorem fide secundùm speciem. Accedit prætereà, vt censent Doctores grauissimi, sententiam oppositam de perfectione fidei in *esse* entis super charitate accedere in aliquo ad extremum errorem hæreticorum, qui fidem superexaltant, & negant omne meritum ex parte nostri in rigore meriti. Itaque tenendo sententiam oppositam, magis insistendum est solutioni quam ex aliis adducit Doctor sustinendo lumen gloriæ excedere charitatem. Hanc solutionem rectè impugnat Doctor in litera, & improbatio eius partim dependet ex perfectione obiecti, partim ex perfectione potentiæ, quatenus intellectus præfertur voluntati. Primam rationem *suprà* ad oppositum deduximus, *in quæstione principali* probando fruitionem excedere visionem: secunda probatio ex perfectione potentiæ nec nobis, neque aduersæ parti fauet, quia est ipsa conclusio controuersa.

Augus. Ordo retributionis.

Charitatis excessus.

Charitatem excedere lumen gloriæ.

Prosequemur probationem ex ordinatione Hierarchiæ, in qua Seraphim, qui est supremus ordo, denominatur specialiter ab excessu charitatis, & sic argumentor: superior ordo sumit denominationem à perfectione superiori illi conuenienti, & per quam excedit inferiorem ordinem, & denotat sicut gradum superiorem in Hierarchia, ita etiam perfectionem propriam illius, secundùm quam in eo gradu constituuntur in ordine ad Deum, & in ordine ad inferiores; sed Seraphim est supremus ordo secundùm omnes, & denominatur à charitate, Cherubini à scientia, qui proximè accedunt: ergo suprema perfectio est charitas. Maior probatur: quia licèt ex vario modo, & ordine, quo Patres enumerant diuersas Hierarchias Angelorum, & ordines ad singulos spectantes, oriatur aliquod discrimen quoad inferiores ordines; tamen vno consensu statuunt Seraphicum ordinem esse supremum, & immediatiùs se habere ad Deum: Patres autem enumerant per illas proprietates, spiritus Angelicos, vt constituant in eis discrimen gradus, & dignitatis 67

Ratio ex ordinatione Hierarchiæ sustinetur.

Distinctio Hierarchiæ secundùm perfectionem.

dignitatis iuxta modum, quo eandem differentiam designat Scriptura, & tradit, cuius locutiones communi Patrum consensu receptæ, & in eum sensum declaratæ, accedente traditione, probant præmissum ordinem esse dignitatis per denominationes diuersas discretæ. Videatur Dionysius *de cælesti hierarchia cap. 5. & sequentibus.* Iustinus Martyr *epistola ad Trallianos*, Hippolytus Martyr *in orat. de consummat. Mundi.* Clemēs Roman. *constit. Apost. lib. 8. cap. 12.* Hilar. *in Psalm.* 134. Cyrillus Alexandrinus *lib. 1. in gent.* Martialis Papa *in epistola ad Tolosan. cap. 12.* Chrysost. *homil. 4. in Gen.* Gregorius 32. *Mor. cap.* 18. aliàs 25. & *homil. 34. in Euangelia.* Isidorus *in lib. sentent. cap.* 10. Beda *in lib. Variarum qq. quæst. 9.* Sedulius *in cap. 1. ad Ephes.* Bernardus *serm. 27. in Cantica* Rupertus *lib. 2. in Gen. cap.* 15. Videantur Interpretes in Paulum *ad Romanos 8. ad Colossenses 1. & 1. ad Corinth. 15. ad Ephes. 1. & 1. ad Thessal. 4. ad Heb. 9.* & Sententiarij *in 2. dist. 9. & 1. part. quæst.* 108.

Diuersitas appellationis designat diuersum gradum dignitatis in Hierarchia Angelica.

68 Ex his patet minor, & probatur consequentia gradatim; nam Angeli, vt patet, dicuntur missi, & administratorij spiritus, quod nomen licèt commune sit omnibus Angelis infimæ Hierarchiæ, tamen appropriatur infimo ordini illius Hierarchiæ, qui communi vocabulo generis designantur, & præsunt priuatis personis: ab his ascenditur ad Archangelos, quod est nomen designans principalitatem ministerij, & præsunt bono communi, vt regnis, ciuitatibus, prouinciis. Ab his ascenditur ad Principatus, qui sic dicuntur, quia præsunt in ministerio duobus reliquis, & vniuersitati, & particularibus, ideóque congruitate muneris, & dignitatis maioris dicuntur Principes. Sequuntur Potestates, ad quos ex Dionysio pertinet determinare omnia, quæ fiunt à tribus ordinibus infimæ Hierarchiæ, & secundùm dispositionem diuinæ voluntatis, & prouidentiæ spectant; ita vt executio ad inferiores spectat: & addit Gregorius eorum potestati maximè subesse aduersas virtutes, & ab eis maximè refrænari. Mox enumerantur Virtutes, ad quas spectat ex Gregorio operatio miraculorum. Dion. autem cap. 8. dicit *virilem quandam fortitudinem designare, qua in omnibus diuinis suis actionibus ad imitationem Dei potenter assurgunt*, &c. His supereminent Dominationes: *Intelligentia quadam superiores omni inferiori submissioni libera, & omni seruili, & imminutioni obnoxio opere superiores*, &c. vt ait Dionysius, hoc denotans, eos non esse missos ad aliqua opera externa, aut mundi gubernationem: sed præesse omnibus inferioribus in mysteriis inuisibilibus. Gregorius autem explicat dominationem dici à subiectione reliquorum inferiorum, & designare præeminentiam.

Probatio consequentiæ discurrendo per singulas Hierarchias & Ordines.

3. Hierarchia.

Tertia, & suprema Hierarchia non intendit diuinæ prouidentiæ, sed Deo ipsi immediatiùs assistunt, quorum diuersitatem in perfectione colligunt Patres ex modo, quo ipsi vniuntur, vel ex perfectione, & excellentia actuum: quos circa Deum exercent, & per immediatam influentiam, quam ab illo recipiunt. Throni dicuntur ex eo quòd sint Dei sedes. Supra hos statuuntur Cherubini, quia perfectione diuinæ scientiæ pollent. Vltimus autem, & perfectissimus ordo est Seraphinorum, quia ardentissimo amore, & charitate in eum feruntur. Ergo cùm diuersitas ordinum in Angelis designetur secundùm perfectionem, ex eminentia vnius super altero, ita vt incipiendo ab vltimo secundus dicat & perfectionem

Distributio eius.

Conclusio ex dictis.

infimi, & gradum eminentiorem, sequitur charitatem, quæ suprema est Seraphinorum, ex sensu Patrum excedere perfectionem scientiæ, quæ est Cherubinorum.

Respondent aliqui, vt Ferrariens. sufficere vt amor in patria secundùm *quid* sit perfectiùs, vt ab eo sumat distinctionem ordo. Contrà, in primis hanc perfectionem amoris secundum *quid*, vel intelligis moralem, vel certè quatenus amore magis adhæret voluntas, quàm intellectus visione; vtrumque horum iam probauimus arguere perfectionem amoris simpliciter super scientia, & non tantùm secundùm *quid*. Accedit in sententia asserentium amorem in patria esse necessarium, non inueniri moralitatem hanc in amore beatifico: si ergo Deus perfectiùs communicatur per amorem, quàm per visionem, sequitur etiam amorem præstare visione; hanc autem rationem excessus in amore docet Ferrariensis, quam sic retorqueo: perfectio beatitudinis obiectiuæ consistit in communicatione Dei mediante operatione: ergo si perfectiùs communicatur mediante amore, amor perfectiùs vnit, & consequenter est præstantior beatitudo in se, & perfectior actus. 69

Responsio Ferrariens.

Impugnatur.

Deinde, ex gradato progressu, quo Patres distinguunt Hierarchias, & ordines Angelorum, volunt designari distinctionem eorum secundùm substantialem perfectionem, per quam ex gradu dignitatis, & perfectionis in actibus accedunt ad Deum magis. Dionysius cap. 5. *Enunciant*, inquit, *sanctorum voluminum traditiones superiores substantias esse graduum inter se celsitudine differentes*, &c. Hanc autem differentiam graduum, & celsitudinis non aliter explicat Scriptura, quàm ex appellatione cuique, & munere assignato, prout etiam ipse Dionysius, & Gregorius explicant. Isidorus: *Pro graduum dignitate ministeria sunt illis distributa*, &c. Item, Gregorius Nazianzenus *in orat.* 49. & Damascenus *lib. 2. cap.* 3. sub disiunctione indecisum relinquunt, an pro splendoris dignitate sedes cuique constituta est, an etiam contrà pro sedis, classísque suæ discrimine splendorem ipsum receperint, ita vt non dubitent excessum esse in sede, & splendore proportionato; atqui in cæteris ordinibus designatur discrimen perfectionis absolutè, & simpliciter, non autem secundùm *quid*: ergo in supremo ordine differentia gradus etiam sic debet esse secundùm perfectionem absolutam, & simpliciter, & non tantùm secundùm *quid*. Probatur consequentia; quia quantò magis acceditur ad vltimū, quod est in perfectione secundùm differentiam extremorum; quoad perfectionem, tantò magis attenditur perfectio simpliciter, & absolutè, quia reliqua comparata ad vltimum, tanquam ad mensuram per participationem aliquam eius, dicuntur perfecta: v.g. in speciebus sub eodem genere, illa dicitur cæteris perfectior, quæ magis accedit ad speciem perfectissimam, quæ est metrum, & mensura aliorum, & ita etiam contingit in reliquis, quando proceditur ad perfectionem vltimam, & supremam: ergo nequit illa dici perfectio secundùm *quid* in comparatione aliorum inferiorum: mensura enim est extra totum genus mensurati: ergo si Archangeli simpliciter, & non secundùm *quid* excedunt Angelos, quantùm ad perfectionem ministerij, & hos excedit Principatus; ita etiam in reliquis idem ordo est seruandus. Eodem etiam modo

70 *Distinctio dignitatis designat distinctionem substantialē.*

Dion.

Isidorus. Nazianz. Damascen.

Quò magis acceditur ad vltimum, eò magis designatur discrimen perfectionis.

ſicut vna Hierarchia excedit aliam; qui exceſſus ex ſanctis Patribus denotatur per ſedes, & gradus illuminationis, aliarúmque perfectionum, perinde ſeruatur idem ordo perfectionis in reliquis omnibus, vt ipſi inter ſe ordines comparantur; cùm itaque Scriptura,& Patres per eiuſmodi nomina,& dignitates diuerſas abſolutè loquantur tanquam de gradibus perfectionis differentis,per quos differentia Angelorum, & ordo deſignatur; ſic etiam abſolutè accipienda eſt in omnibus: ergo ordo ipſe dignitatis, & perfectionum debet attendi ſecundùm progreſſum gradatim ad ſupremum, & perfectiſſimum.

Reſponſio aliorum. Impugnatur. Alij reſpondent Seraphinos habere nomen à charitate,& amore beatifico non ſimpliciter, ſed vt habent rationem dotis. Contrà, hæc ſolutio libera eſt:quia amor beatificus non habet ratioñe dotis,aut gloriæ accidentalis:ſicut neque ſubſtantia rationem accidentis conſequentis. Deinde, hæc differentia potiùs reducenda eſt ad amorem ſimpliciter, quàm ad amorem ſub ratione dotis: quia in amore ſimpliciter conceditur Seraphinos eminere: differentia autem ſumenda eſt ab eo, quod ſimpliciter ſe habet, & non ab aliquo accidentali: id eſt,ſumi debet ab eo quod immediatiùs ſe habet ad ſubſtantiam,qualiter ſe habet amor beatificus.

71 *Reſponſio aliorum.* Alij reſpondent Seraphinos ſumpſiſſe nomẽ,& differentiam ab eminẽte charitate includente ſimul eminentẽ ſcientiam,ita vt ſicut in amore ſuperant Cherubinos,ita etiam in ſcientia.Contrà, quamuis admittatur etiam in Seraphinis exceſſus ſcientiæ non à ſcientia,ſed ab amore ſumunt nomen,& differentiã:ergo ſiue in ſcientia,ſiue non, excedunt alios, ſequitur amorem eſſe perfectiorẽ ſcientia; ſi autem comparatio fiat amoris vt includentis ſcientiam,ad ſcientiam nudè ſumptam; cõparatio eſt inutilis: quia in Cherubinis eſt etiã amor proportionatus ſciẽtiæ beatificæ:quia viſio, & fruitio adæquantur,vt cõmuniter ſupponitur

Reſponſio aliorum. Impugnatur. Alij reſpondent hanc diſtinctionem conuenire Seraphinis ex amore,quia familiariùs ad Deum accedunt. Contrà: ergo amor, in q o fundatur illa familiaritas, etiam excedit in Seraphinis, & conſequenter perfectior eſt ſcientia. Probatur, quia in Republica benè inſtituta nobiliore magis accedunt, & familiariùs vtuntur Principe, eiúſque ſecretis communicant.

Reſponſio aliorum. Alij reſpondent Hierarchias non ſumere appellationem,aut diſtinctionem ab actibus, & donis,in quibus habuerunt ſubordinationem in via: quia in actibus beatificis non dicunt ſubordinationem, quos immediatè à Deo recipiunt. Hanc ſequitur Vaſquez *cap.*8.Molina 1.*p.q.*63.*art.*7. & *Impugnatur.* quidam alij. Contrà, Patres non loquuntur de Hierarchia, eiúſque ordine,vt fuit in via, ſed vt modò eſt in patria reſpectiuè ad Deum,vt ſecundùm alium,& alium gradum perfectionem diuinam participant, & etiam influxum. Deinde, vt ſunt adminiſtratorij in ſtatu beatitudinis ad procurandam ſalutem hominum,ex Paulo *ad Heb.*1. prout recipiunt diſpoſitionem diuinæ voluntatis, & reuelationem ſecretorum Dei in ordine ad executionem diuinæ prouidentiæ. Vnde ex perfectione, quam habent in patria declarat Dionyſius,& reliqui Theologi appellationem, & differentiam eorum, & prout de facto ſunt adminiſtratores diuinæ prouidentiæ in ordine ad homines, quod ipſis competit in termino, & ſtatu beatitudinis, quem receperunt antequàm homo crearetur.In hac prouidẽtia principaliùs verſatur Scriptura,quæ hominibus data eſt, & in qua ordo perfectionis inter Angelos beatos,vt ſunt in termino,declaratur; quòd autem aliqua Hierarchia inſtituta ſit inter ipſos Angelos viatores quoad ſe,nihil facit ad ſalutem hominum,neque ad prouidentiam ſupernaturalem Dei, vt reſpicit ſalutẽ hominũ, in qua verſatur Scriptura. *Hierarchiã Angelorum tradit Scriptura vt ſunt in termino.* Hæc etiã ipſa diſparitas perfectionis inter Angelos in via probat diſparitatem eorum in patria,quia dona gratuita Dei in ipſis perſeuerantibus non fuerunt infructuoſa;ſed in eo gradu quoad perfectionẽ excedebant, & dabantur ad finem ſalutis ipſorum, in eodem gradu etiam perduxerunt ad finem ſeruata eadem proportione, quem vt pertigerunt, perfectiùs ordinat Hierarchias reſpectiuè ad Deũ & inter ſe, & maximè quoad adminiſtrationem prouidentiæ,vt concernit hominẽ:ex perfectione itaque qua attingunt finem in patria ſumpta eſt appellatio,& diſtinctio miniſterij,ita vt quò perfectiùs & immediatiùs attingunt finem,eò perfectior eſt eorum influxus in hominem, & altiora media attingunt, & miniſteria. *Diſparitas inter electos Angelos in via probat eandem ſeruari in patria.* Quod probatur, quia vt Angeli præcisè ſunt in termino,communicant nobiſcum, tanquam ciues eiuſdem reipublicæ ordinatæ ad eundem finem, quo iam potiuntur Angeli; ſed in via nulla fuit, aut potuit eſſe communicatio Angeli ad hominem:ergo nomen,& diſtinctio reuelata eorum in Scriptura ad ſtatum ſpectat,in quo cõmunicant de facto Deo, vt fini,& hominibus electis inſcriptis ciuibus in ciuitate cæleſti. *Angeli in via non cõmunicarunt hominibus.* Quod patet: v.g.Throni dicuntur à Dionyſio, *ſubſtantia ab omni terreni affectus humilitate longiſſimè remota*,&c. *Diuinum illius aduentum abſque vllius perturbationis, aut materiæ impedimento ſuſpiciunt*,&c. *ad ipſius ſuſcipiẽdos fulgores ſemper patent*, &c. *Dion.* Quod maximè de ipſis in termino verificatur. *Suſcipiunt*,inquit,*apti ſunt*, &c. Non dicit ſuſcipiebant.Similiter Gregorius dicit *Thronos eſſe vocatos,quibus ad exercenda iudicia ſemper Deus omnipotens præſidet,quia iam Thronos Latinè ſedes dicimus,qui tanta diuinitatis gratia replentur,vt in eis Dominus ſedeat, & per eos ſua iudicia decernit Throni dicuntur*,&c. *Gregor.* Iudicia autem intelligit Gregorius præcisè reſpectiuè ad prouidentiam præſentem circa homines: ergo ſimiliter Seraphini dicuntur à charitate in patria, & ſecundùm hanc excellunt cæteros eiuſdem Hierarchiæ ſupremæ: ergo & ipſa charitas excedit reliqua dona. Ratio etiam pro oppoſita reſponſione non conuincit: *Soluitur ratio aliorum.* nam perfectio Hierarchiæ primariò ſumitur ex communicatione ad Deum,eiúſq; influxu in Angelos, ex cuius radice oritur alia perfectio excedẽs qua Angeli influũt in inferiores,vt homines, & etiam Angelos, non ipſam beatitudinem, ſed ſecreta Dei, & diſpoſitiones ſuæ prouidentiæ in ordine ad ſalutẽ hominum:à poſteriori etiã ex hac perfectionis excellẽtia,colligitur perfectio beatitudinis,ex qua redũdat; vnde ſequitur intentum: nẽpe cùm amor, & charitas ſit exceſſus Seraphinorũ vltra inferiores, in iis conſiſtere ſupremum gradũ perfectionis in patria.Quod autẽ aliqui dicunt explicando prædictã reſponſionẽ,nẽpe amorẽ excellere ſcientiã,quia ex altiori principio per ſe colligitur perfectio effectus, nõ vrget ex dictis.

72 *Reſponſio quorundam.* Reſpondent tandem alij ex perfectione quidem amoris colligi perfectionem ſupremi ordinis: tamen non inde inferri diſtinctionem,ſed à proprietatibus quibuſdam nobis ignotis:ſed hæc *Impugnatur.* ratio nihil facit: quia ſi ex perfectione amoris colligitur

colligitur excessus supremi ordinis in dignitate, sequitur amorem esse supremam perfectionem, quidquid de alia differentia ignota dicatur, neque alios ordines accedere ad tantum gradum perfectionis, ac proinde quoad hoc differre.

Discretio perfectionis huius quomodo secernitur, & explicatur. Quod ergo aliqui vrgent de commensuratione scientiæ beatificæ, & amoris, id concedimus: sed asserimus maiorem esse scientiam beatificam in supremo ordine, quàm in aliis: quòd autem perfectio Cherubinorum sumatur à scientia eminente, in qua excellunt: id intelligendum est quoad reliquos ordines inferiores, non autem quòd excellant ordinem superiorem: nam in processu ad perfectionem, & dignitatem, quidquid habet inferius continetur perfectiori modo in superiori, & aliud excellentius superaddit; in quo excedit, vt patet in subordinatione Hierarchiarum, & ordinum, & perfectionibus enumeratis: nam Archangelis competit altiori modo cura etiam priuatarum personarum, quàm Angelis: quia ex perfectiori fine boni communis, & vniuersalis, & sic de reliquis dicendum.

73 *Explicatio Philosophi data sustinetur.* Superest tertium membrum præmissæ literæ Doctoris, circa intelligentiam Philosophi, de eo, in quo statuit beatitudinem, & tam prima, quàm secunda solutio est vera. Quoad primam superiùs diximus in primo paragrapho huius quæstionis: quoad secundam optimè respondet Doctor, nempe per contemplationem vtriusque potentiæ actum comprehendi: nam Philosophus pro eodem sumit potentiam rationalem, mẽtem, propositum, artem, electionem, intellectum, appetitum, *in lib. Eth. 9. Met. & 3. de anima, & 2. Phys.* per contemplationem ergo intelligit vtramque mentis operationem, vt etiam expressè docet, D. Thomas *in 3. dist. 27. quæst. 1. art. 4. ad 1. & de veritat. quæstione 22. art. 11. ad 12.* quin priori loco asserit ita intendere Augustinum, quod verissimum est, vt patet variis in locis, & specialiter 12. *de Trinit. cap. 3. & cap. 4.* vbi agit de portione superiori, & inferiori mentis, ita vt superior in contemplatione æternorum, & incommutabilium sit inferior circa gubernationem temporalium. *Cùm igitur disserimus*, inquit, *de natura mentis humanæ, de vna quadam re disserimus, nec eam in hæc duo, quæ commemoraui* (supple portionem inferiorem, & superiorem) *nisi per officia geminamus. Itaque cùm in ea quærimus Trinitatem, in tota quærimus, non separantes actionem rationalem in temporalibus à contemplatione æternorum, vt tertium aliquod iam quæramus, quo Trinitas impleatur, sed in tota natura mentis ita Trinitatem reperiri opus est, vt si desit actio temporalium, &c. in vna nusquam dispertita mente Trinitas inueniatur, & facta ista distributione, in eo solo quod ad contemplationem pertinet æternorum* (nempe in portione superiori) *non solùm Trinitas, sed & imago Dei, in hoc autem quod deriuatum est in actione temporalium, etiamsi Trinitas possit, non tamen imago Dei possit inueniri*, &c. In ea ergo portione mentis, quæ spectat ad contemplationem æternorum est Trinitas, & imago Dei secundùm Augustinum; quarum neutra sine voluntate, & eius operatione consistit. Videantur Doctores *in 2. dist. 24.*

Eadem appellatione cõprehendi intellectum & voluntatem à Philosopho.

Cõtẽplatio ad vtramque potentiam spectat.

August.

Imago, & Trinitas in mente.

S C H O L I V M.

Tertiò ex comparatione actus ad actum, voluntatem esse nobiliorem intellectu. Primò, quia imperat intellectui. Secundò, actus eius est posterior generatione. Tertiò, est finis intellectionis.

16 g Tertium medium est ex comparatione actus ad actum. Primò sic: Causa æquiuoca efficiens est nobilior effectu; actus intellectus respectu finis est causa actus volũtatis, quia hoc posito ponitur ille, & amoto amouetur; & æquiuocatio patet. *Tertia ratio.*

Contrà ex eodem medio, voluntas imperat intellectui: ergo actus voluntatis est causa efficiens æquiuoca respectu intellectionis. Confirmatur per Anselmum *de Concep. Virg. cap. 4.* vbi dicit, quòd voluntas mouet se contra iudicium aliarum potentiarum: & quòd omnes alias mouet secundùm imperium suum, & Augustinus 19. *de Ciuit. cap. 14.* dicit, quòd voluntas vtitur omnibus aliis potentiis. Prætereà, 9. Metaph. *Posterius generatione est prius perfectione:* volitio est posterior generatione, nec hoc solùm, sed habet rationem finis respectu intellectionis secundùm Anselm. lib. 2. Cur Deus homo, cap. 1. & August. 19. de Ciuit. cap. 14. *Homini rationalis anima inest vt mente aliquid contempletur, & secundùm hoc aliquid agat, & pòst vt aliquid vtile cognoscat, & secundùm eam cognitionem vitam, moresque componat.* *Voluntas quia imperat intellectui, nobilior est ipso. Text. 15.*

h Respondeo, nec actus intellectus est totalis causa actus voluntatis, sed partialis causa; si est aliqua, nec è conuerso voluntas est totalis causa intellectionis. Maior autem illa vera est de totali causa effectiua æquiuoca: & si de partiali, hoc erit de causa superioris ordinis: & hoc modo voluntas imperans intellectui est causa superior respectu actus eius. Intellectus autem si est causa volitionis, est causa subseruiens voluntati, tanquam habens actionem primam in ordine generationis: & ideò istud medium concludit probabiliter pro voluntate, pro intellectu nihil. *Dubium an intellectio causet volitionem, vel è cõtra.*

17 Quod autem intellectio non sit totalis causa volitionis, patet, quia cùm prima intellectio causetur à causa merè naturali, & intellectio sit non libera, vlteriùs simili necessitate causaret quicquid causaret, & sic quomodocunque circuli fierent in actibus intellectus, & voluntatis, totus processus esset merè necessitate naturali: quod cùm sit inconueniens, vt saluetur libertas in homine, oportet dicere posita intellectione, non habere causam totalẽ volitionis, sed principaliorem respectu eius esse voluntatẽ quæ *Si intellectio esset causa totalis volitionis, tolleretur libertas.*

sola libera est. Ad probationẽ, *posito ponitur*, &c. illud antecedẽs negatũ est *lib.* 1 *.d.* 1 *.q.* 4.

Quarta ratio. *In quibusdam editionibus ponitur hoc medium vt additio.*

i Aliter arguitur, illud est melius, quod sine alio esset eligibilius; sed intellectio sola est eligibilior volitione sola, quia intellectio sola esset actus perfectus, & proprius naturæ intellectuali, volitio sola non esset, nisi quædam inclinatio, sicut grauis ad centrum. Contrà, ex eodem, eligibilius est, quo habens est simpliciter bonus, illo, quo habens non est simpliciter bonus, sed ij. de Ciuit. cap. 28. *Neque vir bonus meritò dicitur, qui scit quod bonum est, sed qui diligit*, & ex hoc concludit ibi, quòd in hominibus, qui rectè amant, ipse amor magis amatur; quod est conclusio hîc intenta.

COMMENTARIVS.

74 *Tertium medium colligendi perfectionem ex actu.*

g *Tertium medium est*, &c. Tertia ratio sumitur ex cõparatione actus ad actũ, sic: causa æquiuoca efficiens est nobilior suo effectu; sed actus intellectus est causa actus voluntatis: quia illo posito ponitur actus volũtatis, eóque sublato, aufertur. Patet etiam quòd sit causa æquiuoca.

Retorquetur ratio præmissa.

Contrà, retorquet hoc medium ad oppositum: voluntas imperat intellectui: ergo actus voluntatis est causa æquiuoca respectu actus intellectus. Hæc ratio duplicem sensum habet: nempe vt intellectus solùm per modum applicantis finem per cognitionem, seu ipsa cognitio sic applicans, inquantùm præcisè applicat, dicatur causare volitionem, & non influendo intrinsecè, & physicè *esse* in volitionem: vel certè vt non solùm applicet, sed etiam influat physicè in ipsam volitionẽ: qua in re variæ sunt sententiæ, vt *infrà* videbitur; vtroque modo potest intelligi reductio argumenti ex parte voluntatis, nempe vt vel applicando, vel simul influendo causat actum intellectus: quia non est maior ratio cur intellectio influat in sequentem volitionem, quàm volitio in sequentem intellectionem.

Explicatur.

Confir.

Confirmat ergo rationem præmissam; primùm ex Anselmo, & Augustino, qui docent voluntatem vti aliis potentiis; deinde ex Philosopho 9. *Met. cap.* 15. dicente *posteriora generatione esse perfectiora*. Item, quia volitio habet rationem finis respectu actus intellectus, ita vt cognitio ad amorem, nempe practica, non è contra amor ad cognitionem ordinetur. Quod patet ex Anselm. *cap.* 1 *.lib.* 2 *.cur Deus homo.* & Aug. 19 *.de Ciuit. c.* 14.

75 Circa difficultatem non est quòd diutiùs inhæreamus, quia est principalis quæstionis argumentum, ideóque tantùm explicandum erit quid dicendum est consequenter. Potest esse difficultas de amore amicitiæ, vel de amore concupiscentiæ, an scilicet voluntas amet alterutro modo visionẽ propter se vt finem amoris, vel è contrà. Potest esse difficultas etiam de amore viæ, aut patriæ, quantùm ad amorem viæ, qui charitatis est, & amicitiæ. Plerique aduersariorum nobiscum consentiunt hunc esse finẽ cognitionis practicæ, & in via non amari scientiam boni propter se, sed propter prosecutionem, ad quam ordinatur; admittúntque charitatem esse perfectissimum donum in via, & perfectiùs coniungere nos Deo: quàm scientiam, quia ipsa est plenitudo legis, ad quam cætera media ordinantur tanquam ad finẽ vltimum in via, à qua dependet per se beatitudo in patria: finis autem vltimus non ordinatur ad alium finem ex Philosopho, 1. *Eth. cap.* 7. *&* 2. *Met. text.* 8. De hac difficultate satis dictum est *in præcedenti paragrapho.* Addi solùm potest gratiam excitantem, & adiuuantẽ ordinari in via vltimatè ad præparationẽ volũtatis, vt amore inhæreat Deo.

Scientia ordinatur ad amorem.

Loquendo ergo de amore amicitiæ in patria, ille primò, & directè ordinatur ad finem obiectiuum tantùm, vt probatum est contra Caietanũ: & aliqui negant aut visionẽ; aut amorẽ esse propter finẽ; sed hîc loquimur de fine vt obiecto mouẽte ad se, eo modo, quo dicitur se habere ad intentionem; non verò de fine *cuius gratia*, vt est ad ipsum electio mediorum: amor ergo amicitiæ in patria directè tantùm respicit obiectum beatificũ in se, & propter se. Quòd si autem loquamur de amore reflexo ex motiuo amicitiæ, aliqui dicunt sic magis amari visionẽ, quia est perfectior in se, in *esse* entis, & quia est ipsa beatitudo, & magis bonum Dei, quatenùs per visionẽ magis nobis, & perfectiùs communicatur, & habeat *esse* in creatura rationali. Alij etiam, qui in opposita sententia sunt, attribuẽtes visioni rationẽ formalem, primariam saltem beatitudinis, docent amorẽ concupiscẽtiæ magis amari visionem, quia est maius bonũ totius & voluntas sit appetitus vniuersalis primò inclinans in bonũ totius, amore verò amicitiæ magis amari actum voluntatis. Hæc non sunt consentanea: nam amor amicitiæ sicut respicit bonũ amici, & maius eius bonum, si bonum extrinsecũ Dei, vel honor magis cõsistat in visione, quàm in amore, & visio sit perfectior Dei cõmunicatio, seu participatio, videtur ex affectu amicitiæ præferenda.

Amor amicitiæ.

Amor reflexus.

Quorundam sententia.

Dicendum ergò est, sequendo scopum resolutionis hactenus defensæ, quòd amor sit finis visionis, & hanc ordinari ad amorem, non è contrà. Hanc probauit Doctor sub initio quæstionis principalis contra sententiam aduersam; nam rationes eius huc tendunt, vt probent amorem magis diligi à voluntate, quàm visionem. Declaratur ergo, quia si considerentur in *esse* entis, amor est perfectior in *esse* formæ, & seruato ordine inter formas, quo status fit ad vltimum in perfectione; hinc status est in amore. Si considerentur prætereà secundùm perfectionem, qua vniunt obiectum operanti, amor excedit: quia est perfectior beatitudo, & vltimum complementum, per quod perfectiùs communicatur finis in *esse* finis. Si considerentur præterea vt sunt bonum extrinsecum Dei, ex quo laus, & honor in ipsum redundat, sequitur amorem præferri. Similiter si considerentur præterea vt bonũ ipsius creaturæ secundùm affectum concupiscentiæ, sequitur idem. Probatio horum petẽda est ex dictis in tota quæstione, nè hîc repetẽda sint; & reducitur ad fundamentũ principale totius quæstionis.

76 *Amor finis est visionis.*

Variæ rationes, ex quibus amor sit præferendus.

h *Respondeo, nec actus intellectus*, &c. Docet actum intellectus non esse causam totalem volitionis, si vllo modo est causa (de hac difficultate ex instituto disserit *in* 2. *dist.* 25. *& aliis in locis*, quam hîc ex instituto prosequi non libet, quia ad propositum parùm refert) sed est causa partialis subordinata voluntati, & non ipsi prædominans, nè destruatur libertas: nam alterutro modo præiudicaret libertati, & potissimùm si esset causa totalis, vt probat benè in textu: demus ergo intellectionem esse causam partialem subordinatam voluntati, vt seruetur libertas; quamuis etiam

Intellectio an sit causa volitionis.

Ex causis perfectio effectus. etiam neque hoc putem esse de mente Doctoris, sequeretur volitionem excedere intellectionem: nam quò plures causæ perfectæ requiruntur ad productionem actus vitalis, eò magis concluditur eius perfectio. Patet discurrendo per singula: ergo idem in proposito. Ad aliud, quod in probatione præmissa adducitur pro efficacia intellectionis respectu volitionis. Respondet iuxta ea, quæ disserit *in primo dist.* 1. *quæst.* 4. vbi probat voluntatem non necessariò fine sibi ostenso frui, quamuis ostensio necessaria sit.

Alia ratio ad idem. i *Aliter arguitur*, &c. Adducit aliud argumentum pro excessu actus intelligendi super amore, quia nempe intellectio est magis eligibilis sola quàm volitio sola: intellectio enim est actus naturæ intellectualis, non ita volitio, sed quædam inclinatio, sicut grauis ad centrum. Hanc rationem retorquet: quia ille actus est eligibilior, quo habens est simpliciter bonus, præ eo actu, quo non fit simpliciter bonus; sed August. lib. 11. de Ciuit. cap. 28. *Neque vir bonus meritò dicitur, qui scit quod bonum est, sed qui diligit*, &c. Inde concludens in iis qui ordinatè amant ipsum amorem magis amari, quod est intentum. Quòd si dicas, in via id intelligendum est: non refert: quia ex modo se habendi actus ad actum in via colligimus etiam perfectionem vnius potentiæ præ alia. *Retorquetur.* *August.*

SCHOLIUM.

Quartò suadetur excellentia voluntatis præ intellectu, quia actus eius est eligibilior, cùm faciat simpliciter bonum, & quia oppositum volitionis, scilicet odium, est odibilius, quàm oppositum scientiæ: & ratio Thomistarum ducitur ad oppositum. Quintò, intellectio est quasi dispositio, seu medium, vel prærequisitum ad volitionem: & ratio aduersariorum ostenditur falsa, & ducitur ad oppositum, quia intellectus dependet à voluntate imperante, vt à causa superiore, voluntas verò ab ipso vt à causa inferiore.

k Præterea in bonis, quæ non includunt se, illud est eligibilius, cuius oppositum est odibilius: sed præscindendo ista, quomodo non includunt se, oppositum intellectionis non potest esse ita odibile, sicut oppositum dilectionis. Hoc probatur primò de opposito contrariè, quia nulla ignorantia Dei, etiam infidelitatis, potest esse ita odibilis, sicut odium Dei, si posset voluntati inesse. Secundò, de opposito contradictoriè, quia non diligere Deum est vituperabile, & peccatum, quando scilicet potest haberi potentia propinqua: quia actu intelligens Deum, & nullo modo diligens, peccat. Similiter, actu cogitans peccatum, & sine omni displicentia, peccat: non intelligens autem, quando tamen est in potentia propinqua ad intelligendum, non est vituperabile, nec peccatum. *Scilicet nec habitualiter, nec actualiter, diligens, vel dolens.*

l Hoc medium probabiliter concludit pro voluntate. Ad rationem pro intellectu, respondeo, si dilectio sola esset, non esset tantùm inclinatio naturalis, sicut grauis ad centrum, sed esset operatio propria naturæ intellectualis: quod enim nunc sit operatio, & talis operatio, non habet formaliter ab intellectione, sed concomitanter.

81 m Aliter arguitur. Perfectius est quod in perfectione minùs dependet; quia dependere est imperfectionis: actus intellectus non dependet à voluntate, sed è conuerso. Respondeo, posteriora generatione dependent à prioribus, & tamen sunt perfectiora, 9. *Metaph.* Similiter finis in *esse* dependet ab eo, quod est ad finem, & non è conuerso: forma etiam à materia, & non è conuerso: qualitas etiam corporalis à quantitate, in tantùm secũdùm illos, quòd contradictio est esse albedinem sine superficie: & tamen in omnibus istis est opposita maior vera: & vniuersaliter in istis generationibus, vbi est dependentia ad aliud prius ordine generationis. Verum est tamen, quòd simpliciter perfectum est omnino independens, quia sicut est primum perfectione, ita generatione, 9. *Metaph.* omnem potentiam præcedit actus tempore, quia etsi sit circulus in prioritate actus ad potentiam, & è conuerso: tamen status est ad eum, qui est semper mouens primum: sed vbi duæ primitates non concurrunt, opposita maior communis vera est. *5. Ratio.* *Text. 15. Non eò semper res perfectior, quò minus dependens.* *Text. 13. & 15.*

Similiter posset dici, quòd intellectus dependet à volitione, vt à causa partiali, sed superiori: è conuerso autem voluntas ab intellectione, vt à causa partiali, sed subseruiente.

COMMENTARIUS.

77 *De perfectione amoris super visione, & intellectione.* k *Præterea in bonis*, &c. In hac litera prosequitur Doctor idem argumentum de perfectione amoris super intellectione, & confirmat rationem vltimam præmissam, quam retorsit in sententiam contrariam: confirmat autem primò ex loco à contrario sic. Illud est eligibilius, cuius oppositum est magis fugiendum, & detestandum, seu odibilius: sed præscindendo intellectionem, & volitionem, ita vt non in-

cludant se mutuò; oppositum intellectionis non est ita odibile, sicut oppositum volitionis, seu amoris Dei: ergo, &c. Probatur minor de opposito contrario, quia nulla ignorantia Dei, etiam infidelitas, quæ positiuè opponitur scientiæ Dei, est ita detestanda, sicut est odium Dei, vt opponitur charitati, si illud dari potest. Secundò probat eandem minorem de opposito contradictorio; quia non diligere Deum, quando dilectio in potentia propinqua haberi potest, est vituperabile, & peccatum: quia intelligẽs Deum, & nullo modo diligens, peccat: similiter actu cogitans peccatum, & sine omni displicentia peccat; non intelligens autem, quando tamen est in potentia propinqua ad intelligendum, non est vituperabile, nec peccatum.

Odium Dei magis fugiendum, quàm ignorantia.

78 *Responsio.* Ad hoc argumentum variè respondent Doctores; nam qui docent visionem esse perfectiorem, quàm sit amor patriæ, dicunt etiam odium Dei esse minus malum, quàm sit error prauæ dispositionis, vt opponitur contrariè visioni; quia visio est amabilior, quàm sit fruitio. Vnde quidquid sit in via, vbi amor habet rationem actus moralis, & sic excedit in malitia odium quodcumque aliud peccatum: tamen in patria, vbi amor non habet rationem actus moralis, & exceditur à visione, odium non est maius malum quàm sit ignorantia positiua Dei, vt est error prauæ dispositionis, si cum visione dari possit. Eodem modo responderunt alij, qui dicunt fidem esse perfectiorem in genere entis, quàm sit amor viæ; quia licèt amor in genere morali excedit, tamen in genere entis excedit fides, & sic infidelitas in genere entis est maius malum, quàm odium, licèt sit hoc malum morale maius.

Responsio aliorum.

79 *Impugnatio.* Contra vtramque solutionem probatum est hactenus amorem etiam in genere entis excedere cognitionem; quo supposito argumentum rectè concludit, & confirmatur; magis opponitur odium Deo in *esse* entis, quàm infidelitas, aut error positiuus circa veritatem: ergo odium est maius malum, quàm sit error. Probatur antecedens: quia odium opponitur immediatè Deo, vt est in se finis, & omne bonum, & quantùm est ex natura rei tollit quantùm est in se finem quoad *esse*, & totum ordinem creaturarum ad finem; hoc autem non facit error circa veritatem Dei: ergo &c. Maior probatur: quia odium est velle *non esse* Dei formaliter; quidquid enim odio habemus, volumus id non esse: quia abominamur illud in *esse*, & omnem eius perfectionem, & participationem in aliis, & cætera inquantùm ad ipsum ordinantur: ignorantia autem non tollit nisi veritatem rei in ordine ad intellectum prauè dispositum, & prout hîc & nunc decipitur ex falsa apprehensione, aut modo, quo habitu inclinatur ad errorem, qui redundat ex defectu applicationis, & veræ repræsentationis obiecti; sed hic actus neque obiectum in se attingit formaliter, neque opponitur tam vniuersaliter obiecto, modò aliter repræsentetur, sicut odium, quod respicit obiectum quoad totum suum *esse*, & vniuersaliter, & immediatè attingens obiectum etiam rectè propositum, & in se: ergo odium (demus esse actum necessarium, & non liberum) in *esse* entis, vel ipsum quod liberè elicitur, seclusa consideratione eius in *esse* morali, vt sit liberè, & sola consideratione eius in *esse* entis, & actus, vt versatur circa obiectum, magis opponitur Deo, quàm actus infidelitatis:

Odium magis opponitur Deo, quàm ignorantia.

Odium maius malum naturale.

ergo magis est malum naturale, quàm actus ille infidelitatis, & probatur consequentia; quia ille actus potentiæ, qui magis repugnat inclinationi eius, & obiecti vt respicitur immediatè à potentia: magis etiam in *esse* actus est difformis potentiæ, & obiecto, quàm actus alterius potentiæ, qui licèt sit difformis obiecto in reipsa, non est ei difformis in *esse* quoad modum, quo obiectum applicatur potentiæ in aliquo extrinseco difformi obiecto in reipsa, aut difformis etiam inclinationi potentiæ hîc, & nunc, vt dicit ordinem ad causam proximam, per quam mouetur; sed odium Dei priori modo se habet ad obiectum, & potentiam, non ita infidelitas, aut error prauæ dispositionis, sed secundo modo: ergo odium Dei magis destruit ordinem naturalem quàm infidelitas. Maior probatur: quia in Deo clarè, aut perfectè cognito secundùm se, nullum potest dari motiuum odij, aut detestationis: quia est summum bonum nihil includens mali: in voluntate ex altera parte est inclinatio naturalis, & necessaria etiam quoad specificationem ad bonum, maximè summum: ergo odium ex se repugnat tam obiecto immediato, & vt proponitur, quàm inclinationi naturali potentiæ ad obiectum, & sic magis destruit in *esse* entis, & formæ ordinem naturalem quàm error. Minor cum consequentia probatur: quia infidelitas, aut error non attingit obiectum in se immediatè, neque ex aliquo motiuo intrinseco, sed merè extrinseco, & apparenti: quod autem repugnat alicui vt est in seipso formaliter, magis repugnat, quàm quod repugnat eidem materialiter; formaliter verò vt est in alio apparenter, & secundùm *quid*, non repugnat, sed infidelitas tantùm repugnat materialiter veritati rei, formaliter verò repugnat, inquantùm adhæret opposito; quod ipsi tamen apparenter applicatur. Deinde, considerando naturam, & inclinationem intellectus, natus est sequi motionem prout hîc, & nunc fit per causam proponentem, aut propositam: ergo infidelitas non in eo gradu destruit ordinem naturalem, sicut & odium, neque ita repugnat Deo, seu ipsi opponitur.

Maior repugnantia odij.

Destruit ordinem naturalem.

Repugnantia infidelitatis ad Deum minor, quàm odij.

Idem probatur.

Deinde, iuxta modum differendi, & principia Aduersariorum, inclinatio intellectus est abstrahens ab *esse* obiecti, non ita inclinatio voluntatis, quæ tendit ad rem in se, & sua actualitate: ergo considerando actum odij, vt fertur in obiectum, magis determinatè opponitur, quàm actus erroris, loquendo de vtroque in *esse* actus, & entis. Quod ergo aduersarij confugiunt ad illam distinctionem *esse* moralis, & *esse* entis in actibus, nihil conducit, licèt distinctio ipsa sit vera; quia etiam in *esse* entis, & actus magis opponitur odium, quia immediatiùs, & sub ratione particulari essendi, & obiecto in se quoad substantiam: non ita actus infidelitatis, qui tantùm opponitur materialiter, vel secundùm aliquid particulare incompossibile eius perfectioni: quia præterea error habet aliquam causam in apparentia, nullam autem in re, aut apparentia, causam habet odium Dei; ideóque magis repugnat enti, & *esse*, & possibilitati, quàm error; quod enim magis recedit ab ente, & possibilitate, magis repugnat.

Distinctio esse entis, & moris non conducit.

Confirmatur secundò ex dictis aliàs; odium in *esse* vitij est supremum, malum, odium, inquam, Dei: ergo in *esse* actus, & entis est supremum malum. Probatur consequentia: quia ideò *Confir. 2.* 80

est

Odium in esse vitij moralis est supremum malum.

est prohibitum, quia malum, & disconueniens in *esse* entis,& actus,& peruertens ordinem naturalem in finem: præceptum enim supponit hæc tanquàm rationes, ex quibus inhibetur odium: quia sicut inclinatio elicita in finem est naturali inclinationi creaturæ debita, per modum perfectionis naturalis, quà coniungitur suo vltimo perfectiuo siue naturali, siue supernaturali; ita præceptum inhibens supponit hanc exigentiam naturæ, & debitum, ita vt ex eo sit iuris naturalis indispensabilis: ergo odium non solùm in *esse* morali, quo opponitur regulæ morum, sed etiam in *esse* entis est supremum malum naturale in *esse* actus secundi, & ideò est contra primũ præceptũ naturale de amore Dei in genere, siue naturali, siue supernaturali, & contra inclinationem tam naturalem in finem, & elicitam, quàm supernaturalem eleuatam, & hoc loquendo de inclinatione tam actiua, quàm etiam passiua creaturæ rationalis ad Deum vt finem naturalem, & supernaturalem, ideóque prohibetur: actus enim prohibitus lege naturali supponitur in *esse* entis vt declinans, aut aduersans ordini naturæ, & bono eius, & prout declinat, aut aduersatur, sapit naturam, & gradum prohibitionis secundùm mensuram: ita minùs declinans,& à minori perfectione naturæ, sit etiam prohibitum ex inferiori motiuo boni; summè declinans sit prohibitus ex motiuo superioris boni,& maioris naturę: sed odium prohibetur primò, & supremo præcepto,& secundùm modum perfectissimum præcepti, vt immediatè determinat ad finem: ergo est supremum malũ naturale in genere actus secundi.

Cur prohibetur.

Fundamentum præcepti naturalis.

81 Dices alia peruertere ordinem naturalem, quæ non sunt prohibita: ergo non rectè astruitur motiuum præcepti naturalis. Contrà, quia alia sic declinantia, vt quæ præcedunt voluntatem, ideò non sunt prohibita, quia non sunt in nostra potestate: de quibus nequit proinde esse lex; sed si sunt in nostra potestate, sine dubio sunt prohibita, si peruertunt ordinem debitum naturæ, & qua peruertunt. Ad propositum itaque actus infidelitatis est prohibitus, sicut & odium, sed non æquè: quia illud est contra regulam, & præceptum fidei; hoc autem contra primum præceptum. Deinde, amor amicitiæ, cui opponitur actus odij Dei, magis communicat nobis Deum, quàm visio, quia infert mutuam redamationem, ex qua redundat communicatio bonorum, & affectuum: ergo odium priuat hominem maiori bono, quàm actus infidelitatis, & erroris, qui perinde opponitur visioni, & actui fidei, per quem non communicatur nobis Deus æquè perfectè. Patet consequentia ex Arist. 2. *Topicor. c.*3 *& lib.*3.*cap.*1.*&* 8.*Eth.cap.*10.vbi dicit quòd *illud est melius, cuius oppositum est peius*, &c. Hinc sequitur quòd amor sit eligibilior, quàm scientia, vt patet etiam ex Augustino *loco citato in litera.*

Disparitas inter odium, & infidelitatem.

82 Respondent alij illam regulam Aristotelis, & rationem non concludere, quando aliqua duo ita se habent, vt vnum includat alterum, vel necessariò supponat: quo casu non oportet quòd illud quod est peius opponatur meliori. Hæc solutio est plurium aduersæ sententiæ: & instant: quia iuuenilis flos,& valetudo est melior, quàm sanitas simpliciter sumpta: & tamen ægritudo, quæ opponitur sanitati, est maius malum. Item, viuere hilariter, aut lætanter, melius est quàm viuere simpliciter; & tamen non viuere est maius malum, quàm miserè viuere: eodem modo in proposito amor patriæ necessariò supponit visionem Dei claram, & ex illa regula non rectè infertur amorem esse maius bonum, quamuis odium sit magis malum. Contrà, hæc solutio licèt plurium sit, nihil habet momenti; malum ita opponitur bono, vt sicut nihil est malum nisi quà tollit bonum, ita nihil est peius, aut maius malum formaliter, nisi quà tollit maius bonum formaliter: aliàs cresceret malum in differentia sui generis, absque eo quòd daretur oppositum: sicut ergo nequit concipi malum, nisi quia disconueniens per sublationem boni, ita nequit concipi maius malum, nisi quia tollit maius conueniens, & perfectius bonum; aliàs gradus excedens mali non esset malum; quia non corresponderet ei bonitas opposita: ergo si odium est maius malum, correspondet ei aliquod maius bonum, quod tollit: nam oppositorum eadem est ratio quoad hoc, & maximè eorum oppositorum, quæ immediatè opponuntur & indiuisibiliter, vt amor,& odium eiusdem, & implicant in seipsis extrema contradictionis tam in modo, quo tendunt in obiectum, quàm etiam ex sua ratione formali; sed odium ita præcisè opponitur amori, vt nulla ratione sua formali opponitur visioni, neque alicui causæ amoris, quæ supponitur extrinseca in intellectu,& perinde opponeretur amori, etiamsi non supponeret visionem per possibile, aut impossibile, ab intrinseca sua ratione, vt vterque actus tendit in obiectum: & si possibile esset odium, vt multi possibile esse concedunt, posset stare cum visione: quia visio quantùm est ex parte visionis, seu quà intellectio est, indifferenter se habet quantùm est ex parte sua ad omnem actum, quem voluntas potest habere circa obiectum ostensum: applicat enim tantùm obiectum, non necessitat voluntatem ad hunc, vel illum actum: si enim est aliqua necessitas, est ex parte inclinationis ipsius voluntatis,& finis; non est ab intellectu: quia cum ipsa visione, vt dixi, stare potest quicumque actus possibilis voluntatis circa obiectum, qui eius inclinationi compatitur ab intrinseco circa ipsum obiectum. Vnde colligitur quòd odium formaliter opponatur amori, & non visioni: sicut vniuersaliter contrarium contrario opponitur formaliter secundùm proprias rationes, vt comparantur ad subiectum idem, & non ratione alicuius præsuppositi: ergo si odium est maius malum, non ideò est tale, quia opponitur visioni, sed quia ipsi amori: ergo amor non ideò est maius bonum vt opponitur odio tanquàm maiori malo, quia amor supponit visionem: sed quia amor est præcisè illud bonum quod tollitur per odium, quà est maius malum, ad quod impertinenter se habet præsuppositio visionis, nisi inquantùm est conditio essentialis requisita, vt voluntas possit operari, vel amore, vel odio circa obiectum applicatum: nam etiam in via non ideò odium est maximum malum, quia amor in via necessariò supponit cognitionem, quæ tam ad odium, quàm ad amorem obiecti requiritur,& sufficit eadem.

Responsio aliorum.

Exemplo.

Malum dici respectiuè ad bonum, & maius malum ad maius bonum

Oppositio odij.

Non opponitur visioni neque per eam amori.

Ex hoc patet instantias illas esse extra propositum, vel falsas: quia flos iuuenilis, aut valetudo, est sanitas substantialis cum aliquo decore, aut meliori dispositione corporis, & temperamento humorum; hoc totum includit intrinsecè sanitas iuuenilis, non in æquali tamen gradu ad conseruationem viuentis, in qua viuens est in bona dispositione, vltra quam nihil aliud dicit valetu- 83

Reiiciuntur instantia.

Fallacia instantiarum.

do;flos autem iuuenilis dicit quemdam excessum, aut perfectionem superadditam valetudini, tanquàm accidens substantiæ valetudinis, comparando vtrumque, vt diuersa sunt, multò melior est ipsa valetudo substantialis,quàm flos iuuenilis, & magis requiritur ad conseruationem viuentis, & naturæ, quæro ergo an ægritudo vtrique opponitur,vel solùm valetudini substantiali? Si vtrique,instantia non est ad propositum, quia hæc duo faciunt vnum bonum naturæ perfectius,quàm valetudo sola,aut alterum seorsim: si autem opponatur valetudini substantiali, hæc est maius bonum viuentis,vt probatum est; quia ad vitam eius, & fruitiones vitales magis per se requiritur,& vt maius bonum, quàm flos iuuenilis; ægritudo ideò maius malum est, quàm lapsus floris iuuenilis, quanquam & hic ipse per ætatem decidat sine vllo naturæ, aut virium detrimento,modò maneat valetudo: sed quid totum hoc ad propositum facit de amore, & odio? Quia concludit amorem esse maius bonum, quàm visionem, quia maius malum amori opponitur. Per idem patet ad secundam instantiam:quia viuere simpliciter est maius bonum, quàm commoditas vitæ, vt *suprà* diximus substantiam esse perfectiorem suo actu secundo,hilaritatem habere significat actum secundum, viuere actum primum:ergo ideò mors est maius malum, quia opponitur vitæ substantiali, ad quam vt perfectio accidentalis ordinatur commoditas, aut exultatio ex commoditate: concludit ergo instantia adducta nostram conclusionem, sicut & præcedens; illud autem effugium per distinctionem *esse* moralis,& *esse* entis superiùs impugnatum est, ideò hîc ampliùs non est prosequendum.

Valetudo substantialis melior quàm flos præcisè sumptus.

84 Secunda probatio Doctoris de opposito priuatiuo, seu contradictorio, quòd sit maius malum,quàm contradictorium scientiæ actualis,aut intellectionis. Argumentum est morale,quod sic formari potest.Illud contradictorium,cui annexa est malitia moralis, ex genere suo est maius malum,quàm contradictorium negatiuum (de quo loquimur) cui talis malitia non est annexa; sed contradictorio amoris est annexa ex genere suo malitia moralis,non ita contradictorio scientiæ: ergo illud est maius malum, quàm hoc. Maior patet, quia præceptum inducens obligationem supponit conuenientiam actus secundùm inclinationem,& exigentiam naturæ, vt ordinatur in finem:ergo actus ille,qui est in præcepto naturali,& diuino est magis secundùm perfectam inclinationem naturæ, & consequenter maior eius perfectio in *esse* entis,quàm actus,qui non continetur sub præcepto tali: quia lex naturalis, & quidquid secundùm eam decernitur lege positiua, supponit principia, & inclinationem naturæ respectiuè ad operationem conuenientem.

Priuatio amoris maius malũ quàm scientiæ.

Minor præmissa probatur à Doctore: quia omissio dilectionis diuinæ quando haberi potest potentia propinqua, nempe quando Deus proponitur vt vltimus finis, & amandus, est vituperabile, & peccatum. Item actu cogitans Dei offensam, & peccatum,& non detestans, peccat. De hoc casu *suprà* disseruimus aliquoties, & quoad vtrumque membrum est satis frequens assertio Doctoris apud antiquos Scholasticos, quos *in 2. parte commenti suprà citauimus.* Probatur autem quoad primum membrum, quia talis non implet præceptum diligendo ex toto corde, tota anima, totis viribus, &c. aliàs in eo casu proposito practicè fine eum diligeret; ideò ergo non diligit, quia est frigidus,neque habet veram charitatem, & perfectam. Deinde, non est rectè ad finem ordinatus: qui proposito fine non afficitur erga finem, maximè qui est vltimus; sed proposito fine vltimo vt amabili proximè sic proponitur finis practicè, & in ordine ad operationem voluntatis: ergo si voluntas non amat sic propositum finem, non est ordinata.

Omissio dilectionis,quãdo haberi potest, est peccatum.

Probatio.

Maior probatur: quia data illa sententia, quæ frequẽs est in Schola D.Thomæ,nempe non dari omissionẽ puram liberam; sed necessariò voluntatem debere habere aliquem actum hîc & nunc, nullus est actus, ad quem magis inclinatur voluntas tam ex parte propositionis intellectus, quàm ex inclinatione propria, vt subest regulæ, ad quem actum magis solicitatur, quàm ad amorem finis propositi vltimi, & propositi vt amabilis proximè: ergo nullus est actus magis hîc & nunc conueniens voluntati, vt sequitur dictamen rectæ rationis, quàm sit amor finis. Deinde, nullum aliud obiectum proponitur voluntati æquale,vel quod non debet amare ex fine, & ordinate in finẽ hîc & nunc,vt proponitur per modum amabilis: ergo operando circa quodcumque aliud obiectum, à fine, hîc, & nunc, sine sic proposito, agit inordinatè. Probatur antecedens, quia vt voluntas ordinatè agat secundùm dictamen præsens, debet referre illud obiectum in finem aliquo modo: quia proponitur ipsi vt vltimus finis respectiuè ad se, & ad reliqua (loquor de fine per modum obiecti, vt proponitur in se amabilis, per modum verò finis, vt cætera ad ipsum ordinantur) si enim amat aliud obiectum non referendo in finem sic propositum, fruitur vtendis, quod est summæ peruersitatis;& recedit à recta inclinatione rationis, ostenso nempe fine,ad quem referre debet actum ex dictamine rationis,si non referat, contemnit. 85

Conueniẽtia amoris hic & nunc.

Voluntas proposito fine debere ferre actum in finem.

Aliàs fruitur vtẽdis.

Confirm.

Confirmatur, quia saltem præter præceptum in casu operatur, non amando finem, vel contra consilium, & dictamen rationis: ergo saltem habet venialem malitiam. Probatur consequentia, quia peccatum veniale fit hoc modo, vt docet Alensis *2. part. quæst.* 106. *m.* 1. D. Bonau. *in 2. dist.* 42. *art.* 2. *quæst.* 1. & D.Thom. 1. 2. *q.* 88. *art.* 1. Caiet. Conrad. *ibid.* qui dicunt peccatum veniale esse præter præceptum, quod aliqui interpretantur, vt sit contra media: sed hoc intelligi debet non de mediis necessariis ad finem; quia hæc cadunt sub ipsa finis obliquatione; sed de conducentibus ad finem: nam mortale fit contra finem, & media necessaria ad finem: siue etiam spectatur sententia Doctoris *in 2. dist.* 21. *quæst.* 1. §. *Dico ergo*, &c. vbi dicit veniale esse contrà consilium; quæ sententia in reipsa non differt à priori vsu Scripturarum, quæ præcepta propria tantùm exponunt de fine, contra quem est peccatum mortale:quia plenitudo legis est charitas, quę tamen compatitur cum peccato veniali;ideóque non est contra legem strictè sumptam, cuius plenitudo est charitas. Hanc sententiam tuetur Gabriel. *in 4. dist.* 16. *quæst.* 5. *art.* 1. *not.* 1. Bassolis *in 2. dist.* 22. *q.* 1. *art.* 3. *dub.* 1. siue ergo veniale vno, vel altero modo dicatur esse peccatum; in proposito quando finis proximè proponitur vt diligendus, & non diligitur, peccatur venialiter saltem,quod sufficit ad veritatem præmissæ probationis; ex qua sequitur altera probatio,nempe dolendum esse de peccato vt offensa

Malitia venialis.

Quomodo cõtingit.

sa Dei, quoties sic proponitur, quia ad hunc dolorem inclinat charitas Dei.

86 *Non sic obligatur ad actum cognitionis.* Quod ad alterum est; nempe cognitionem Dei non sic obligare, quamuis intellectus sit in potentia proxima respectu eius: quia non cadit obligatio proximè in cognitionem, nisi vt subest voluntati; hæc autem obligatio non cadit in voluntatem, quia nec semper tenetur imperare: v. g. actum fidei, neque etiam semper amare Deum, & pro semper, licèt teneatur amare quando proponitur per modum finis, & diligibilis ab intellectu: ergo actus intellectus, qui non cadit in obligationem, nisi respectu voluntatis, est ordinatus ad actum amoris, tanquam ad finem perficientem; ex quo recipit ordinem ad finem, quà finis est, & consequenter voluntas est perfectior, cuius est, se, & alias potentias mouere in finem, & per quam primariò conseruatur rectitudo rationis; quæ est suprema hominis perfectio. Si dicas esse moralem, non refert, quia rectitudo moralis est ad conseruandam rectitudinem; & perfectionem naturalem actus secundi quantùm ad substátiam, & modum eius, vt fertur in perfectiuum extrinsecum tanquam in finem, vel medium, & prout præcipitur à lege, quæ est secundùm rectitudinem naturalem, & regula eius conseruandæ, & perficiendæ. Si dicas intellectum etiam dirigere in finem. Respondetur dirigere præceptiuè ratione obiecti, qui est finis, aut legis, quæ immediatiùs respiciunt voluntatem, & primò; vt verò procedit dictamen, seu directio ab intellectu, est merè ostensiua, & non præceptiua.

Rectitudo moralis ordinatur ad conseruandã naturalem.

87 *Ex prædicto medio deducit voluntatem esse perfectiorem.* [l] *Hoc medium probabiliter*, &c. Concludit hoc medium probabiliùs concludere perfectionem voluntatis præ intellectu, & respondet ad rationem oppositam dicens; si dilectio sola esset in voluntate, non esset tantùm inclinatio naturalis actus primi, scilicet actiua, & passiua; sed etiam elicita, quia esset operatio (non sic est inclinatio lapidis ad centrum) esset, inquam, in voluntate operatio propria naturæ intellectualis; quod autem concomitetur actus intellectus de facto, non ex eo habet dilectio vt sit operatio, neque etiam vt talis sit operatio in se, sed ex ratione formali propria, vt procedit à suo principio elicitiuo proximo.

[m] *Aliter arguitur*, &c. Subiicit aliud argumentum pro perfectione intellectus, & actus eius: quia minùs dependet: quia non dependet à voluntate; ècontra actus voluntatis dependet ab intellectus actu: non dependere autem est perfectionis. Respondet instando multipliciter ad oppositum: quia posteriora generatione sunt perfectiora 9. *Met.* dependent à prioribus. Finis in *esse* perfectior est iis, quæ sunt ad finem, forma perfectior materia, qualitas quantitate, ita vt impossibile sit albedinem separari à superficie; quia in Schola D. Thomæ quantitas est principium indiuiduationis: videatur Caietanus *in tractatu de ente & essentia*. In his omnibus id quod dependet, est perfectius, sicut vniuersaliter secundùm ordinem generationis (quæ procedit de potentia ad actum) posterius semper, & dependens à priori est perfectius: verum est tamen quòd in eo quod est simpliciter perfectum, vt est Deus, independentia est perfectionis: quia sicut est primum generatione, à quo cætera sunt, & perfectione, sicut dicit Philosophus *9. Met. text.* 13. & 15. omnem potentiam (supple passiuam) præcedit tempore actus: quia licèt sit circulus inter actum, & potentiam passiuam: tamen status est ad eum, qui est semper mouens primum; sed vbi duæ illæ prioritates secundùm perfectionem, & generationem non concurrunt, posterius regulariter est perfectius. Addit prætereà dici posse intellectum, vt subest voluntati, dependere à voluntate, vt motore, & causa superiori: èconuerso autem voluntas ab intellectu, vt causa partiali, & subseruiente: ideóque Bernardus *de libero arbitrio* dicit *rationem esse pedissequam voluntatis, &* Anselmus *in libro de Conceptu virginali* ait *voluntatem vt reginam mouere cæteras potentias, solámque de seipsa pronunciare*, &c.

88 *Aliud arg. ad idem.*

Responsio.

Instantia.

Dependentia non arguit imperfectionem in omnibus.

Independentia in Deo est perfectionis.

Bernard. Anselm.

SCHOLIVM.

Sextò, & vltimò ostendit excellentiam voluntatis, quia illud est purius, & melius, cuius corruptio est peius, sed malum velle *est peius malo* intelligere. *Primam rationem aliorum ad hoc ostendit dupliciter peccare. Secundam, quæ est D. Thom. ducit ad oppositum. Ex his tenet Doctor voluntatem esse nobiliorem intellectu. Idem tenent Alens. 3. part. quæst. 80. m. 1. & 4. part. quæst 92. m. 2. Albert. 1. dist. 1. quæst. 14. Henric. quodl. 1. quæst. 14. Bonauent. Gabr. Maior. hîc & Occam quæst. 2. & D. Bernard. lib. de lib. arb. vocat rationem pedissequam voluntatis, & Anselm. de Concept. Virg. cap. 4. ait quòd voluntas vt regina mouet cæteras potentias, soláque de se pronunciat.* Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas. *Oppositum tenet D. Thom. 1. part. quæst. 82. art. 3. & hîc, quem sui sequuntur.*

19 [n] ALiter sic: actus intellectus est purior, quia nullam impuritatem contrahit ab obiecto, quia intelligere malum non est malum: sed actus voluntatis contrahit impuritatem, quia velle malum est malum. Præter hoc, alia est impuritas in volitione, quia est motus animæ ad rem in se: intellectus non sic, sed est rei ad animam, vel rei, vt est in anima, ex primo de Anima, & 6. Metaphys. *Verum & falsum sunt in anima, bonum & malum in rebus extrà.*

Text. 62. & inde. Idem 2. de anima cap. 28. 2. Top. c. 24.

Contra, *ex primo Topicor.* illud est purius, & melius, cuius corruptio est impurior, & peior; sed corruptio volitionis est talis, quia malum *velle* per se malum est, non sic

intelligere

Illud est melius cuius corruptio peior.

intelligere. Et similiter illa ratio peccat dupliciter; vno modo, quia debet comparare *intelligere* corruptum, quod est falsum, ad *velle* corruptum, quod est malum: & tunc concluditur propositum per rationem iam dictam: alio modo, quia circa quodcunque obiectum potest voluntas habere bonum actum, sicut intellectus: potest enim benè odire malum, sicut intellectus benè intelligere malum esse odiendum.

Si tandem accipiatur ista propositio; ille actus est impurior, qui redditur impurus ex impuritate obiecti. Respondeo, actus intellectus est talis, quòd necessariò est falsus ex eo, quòd est falsi obiecti; actus autem voluntatis non est impurus, id est, malus, quia est obiecti mali, nisi concomitanter.

o Quòd si dicas actum voluntatis esse impurum ex obiecto, impuritate malitiæ, non sic actum intellectus; hoc non concludit, quia tunc actus sensus esset nobilior actu voluntatis, quia minùs impurus sic.

S. Thom. 1. part. sum. qu. 82. art. 3. 3. Top. cap. 4. *Si optimũ melius optimo, & genus genere, & species specie.*

Secunda ratio, scilicet de tendentia in rem in se, concludit oppositum; primò, ex dictis eorum: quia concedunt, quòd actus voluntatis respectu superiorum ipsa voluntate est nobilior actu intellectus: ex hoc sequitur, ergo ille in genere est nobilior isto in genere, quia si optimum est nobilius optimo, & genus genere, vel species speciei: tota enim species vna est superior quacunque alia specie tota. Secundò, actus non est perfectior, nisi quia coniungit obiecto perfecto: actus autem voluntatis coniungit rei in se, vt in se est, actus autem intellectus non nisi rei, vt obiectũ est in cognoscente, obiectum autem beatificum simpliciter est nobilius in se, quàm vt est in cognoscente: ergo actus voluntatis coniungit obiecto beatifico simpliciter sub nobiliori ratione. 20

Quomodo actus voluntatis perfectiùs iungit obiecto, quàm actus intellectus. *Voluntas tendit etiã in rem vt est in intellectu.*

Ad auctoritatem Aristotelis *6. Metaph.* Dico quòd tam cognitio intuitiua, quàm dilectio sequens tendit in obiectum, vt est existens in se: cognitio autem abstractiua, & dilectio sequens tendunt in obiectum habens *esse* cognitum: ideò in hoc non est differentia inter intellectum: & voluntatem, quia vtraque potentia potest tendere in obiectum suum, vt in se, & in obiectum, vt habet *esse* diminutum in intellectu: tamen Philosophus communiter loquebatur de intellectione abstractiua, & de voluntate, vt est desideratiua, quomodo tendit in rem non iam existentem, sed futuram, & hoc vt in terminum actus desiderij, seu effectum: in eandem autem rem, vt obiectum, non tendit, nisi vt habet *esse* in intellectu, quia quando desideratur, nullum aliud *esse* habet, secundùm quod possit obiici.

Ad arg. 1. Tex. 39.

p Ad rationes principales. Ad primam dico, secundùm quòd dictum est *in quæst. 1. dist. præced. & 12. Metaph.* actus intellectus est vita, & vita æterna, si est actus æternus. Si accipias quòd est vita æterna beata, hoc non est in Euangelio, sed additur: ita addo vt cognoscant te, & ament: nec magis est secunda additio contra textum, quàm prima. 21

Ad 2. al. in tellectiua.

Ad aliud, quod est Augustini, concedo quòd visio est tota merces hominis intelligentiæ, sed non summa merces totius hominis: & sic possunt glossari multæ auctoritates sonantes pro intellectu, quòd intelliguntur de suprema potentia, vel de natura secundùm potentiam, non autem de simpliciter suprema perfectione naturæ.

Ad 3. n. 15.

Ad illud de habitu patet in secunda via, quæ procedit ex medio sumpto ex habitu.

Ad 4.

Ad aliud dico, quòd dilectio est bonum magis sufficiens, quàm intellectio, quia eo habito habens minùs eget. Ad probationem minoris dico, quòd dictum Philippi intelligendum est quantùm ad institutionem fidei de Trinitate: hanc enim tunc non completè intellexerat: frequenter enim audierat sermonem de Patre, & ideò concepit quòd Patre sibi ostenso sufficienter caperet, & alij cum eo, veritatem fidei de Trinitate: non autem loquebatur de visione beata, quasi illa per se sufficeret sine dilectione, sicut apparet per responsionem Christi: *Tanto tempore vobiscum sum*, &c. *Philippe, qui videt me.* quasi dicat, si iam me secundùm veritatem vidistis, etiam perfecta visione fidei, & Patrem meum simili visione vidistis. Non autem intellexit, quòd Apostoli vidissent eum visione beatifica, iam enim supponeret eos fuisse beatos.

COMMENTARIVS.

89 *Sextum medium ex puritate actus.*

n Aliter *sic*, &c. Hoc est vltimum medium desumptum ex paritate, & imparitate actus, ita vt actus purior sit perfectior; sed talis est actus intellectus, qui est purior actu voluntatis: quia intelligere malum non est malum, velle autem malum est malum. Prætereà, est alia impuritas in volitione; quia est motus animæ ad rem in se: intellectus non sic, sed est rei ad intellectum ex illo Philosophi 6. Met. textu 60. *Verum & falsum sunt in anima, bonum & malum in rebus extrà*, &c.

Retorquetur idem pro voluntate.

Hoc argumentum retorquet: quia illud est purius, & melius, cuius corruptio est impurior, & peior: sed corruptio volitionis est talis: quia malum velle per aduersarios est malum, intelligere

Defectus comparationis. gere verò non est malum. Deinde, comparatio peccat in duobus, primò, quia deberet velle corruptum comparare cum intellectione corrupta & difformi obiecto, vt comparatio rectè quadraret: sic autem comparando sequitur oppositum, quia corruptio amoris est peior corruptione intellectus. Secundò peccat: quia voluntas potest habere actum bonum circa malum, ipsum nolendo, & detestando, sicut intellectus: ergo comparatio non fit secundùm idem determinabile. Deinde, actus intellectus malus necessariò est malus, id est, falsus, quia tendit in rationem difformem obiecto intrinsecè: actus autem volũtatis specificatur ad obiectum, qua bonũ est, licèt concomitanter sit malus ex difformitate ad regulam; quæ difformitas non specificat actum in *esse* entis; sed bonitas rei delectabilis. Si dicas actum voluntatis esse impurum impuritate malitiæ, non sic actum intellectus, vt procedit ab intellectu; hoc, inquit, non concludit; quia etiam hac ratione actus sensus esset perfectior actu voluntatis. Præterea, sicut actus intellectus vt procedit ab ipso intellectu, non est capax malitiæ, sic neque bonitatis, quia vtraque differentia procedit à voluntate ratione libertatis, in qua excedit intellectum, & reliquas potentias.

Primus defectus.

2. Defectus.

Alia diuersitas.

90 *2. Ratio seu probatio ex eodem medio.* ° *Secunda ratio*, &c. Hanc rationem in superioribus deduxi, & concludit oppositum, vt benè probat Doctor in litera; hîc autem Doctor eam torquet ad hominem ex fundamentis D. Thomæ, vide locum citatum in margine.

Responsio. Respondet tandem ad authoritatem Philosophi citatam, dicens tam cognitionem intuitiuam, quàm dilectionem sequentem tendere in obiectum, vt in seipso est existens; cognitio verò abstractiua, & dilectio sequens in obiectum habens *esse* cognitum: in hoc ergo non est differentia inter voluntatem, & intellectum. Philosophus, vtplurimùm loquitur de cognitione abstractiua, & actu sequente desiderij, qui actus in voluntate non respicit rem in existentia, sed futuram. Et si dicas hoc ipsum *esse* respicere obiectum in ordine ad *esse*, & sic *velle*. Respondetur sic etiam intellectum dictantem de obiecto proponere illud, vt est possibile secundùm media, & causas applicabiles, & de his dictare in ordine ad existentiam obiecti. Accedit præterea voluntatem posse habere complacentiam simplicem de obiecto tam possibili, quàm impossibili: intentionem verò efficacem habet de fine vt obiecto nondum existente, non per modum finis, sed obiecti; electio verò mediorum, & executio respiciunt finem *cuius gratia*, id est, iam desideratum, & amatum per intentionem; & hæc est differentia, quam insinuat Doctor, quando voluntatem dicit tendere in finem vt effectum; quà est futurus in *esse*: in eundem verò, antequàm est, tendere per desiderium secundùm *esse*, quod tum habet, vt ostenditur in intellectu.

Voluntas non est solius præsentis, & existentis,

91 *3. Ratio. Voluntatis perfectionem arguit libertas.* Hactenus Doctor. Quoad quæstionem lateralem addi potest argumentum desumptum ex libertate formali voluntatis, quæ est perfectionis, nempe habere dominium sui actus, & non necessari ab obiecto mouente, vel ab alio; quidquid dicatur de prima causa; quam difficultatem hîc omittimus infrà tractandum, saltem voluntas nulli creato subest; & hæc differentia libertatis est perfectio simpliciter: ergo ratione eius voluntas excedit intellectum. Probatur consequentia, quia formalis differentia libertatis arguit perfectionem in ente spirituali: ergo in potentia, cui primò conuenit. Dices inde probari amoré liberum creaturarum in Deo esse perfectiorem, quàm sit amor necessarius suiipsius. Contrà, amor necessarius inde prouenit ex perfectione talis obiecti, & voluntatis; sed perfectius est in Deo circa alia obiecta agere liberè, quàm necessariò, quia denotat omnem independentiam, circa obiectum tanquàm à perfectiuo necessitante voluntatem; vel ad quod necessitaretur voluntas tanquàm ad perfectiuum, vel quasi perfectiuum: ergo etiam in voluntate creata agere liberè circa quodcumque obiectum, quod non est saltem vltimus eius finis clarè propositus, est perfectionis. Dices perfectiorem esse libertatem intellectus; quia est radicalis libertas, quàm sit formalis libertas voluntatis. Contrà, in intellectu non est vlla libertas, aut dominium sui actus, sed est tantùm indifferentia potentiæ passiuæ, vt comparatur ad plura motiua, per quæ reduci potest in actum, & necessariò per quodlibet reducitur, & mouetur, & ipse etiam ad actum necessariò se habet vt eliciens. Quidquid autem sit de illa controuersia; an voluntas necessitetur per bonum purum sine admixtione mali determinatè propositum, vt hinc aliqui colligant radicem indifferentiæ eius esse in intellectu, quia nempe vt possit indifferenter agere, requiritur ex parte obiecti propositi indifferentia ex permixtione alicuius imperfectionis; omissa, inquam, hac controuersia, sic argumentor; quidquid competit voluntati in ordine ad suum obiectum; vel ex differentia obiecti, sic ipsi competit ex propria inclinatione, & natura obiecti; non verò per intellectum: quia intellectus ostensiuè se habet sequens modum, & naturam sui motiui, provt ab ipso mouetur: ergo agere indifferenter, & cum dominio sui actus conuenit voluntati ex propria inclinatione, & radice obiecti, & non intellectus: ergo voluntas agens cum dominio sui actus dicit perfectionem, qua excedit intellectum, & per quam minùs subiicitur obiecto; siue enim bonum, siue malum sit obiectum, siue verum, siue falsum quandoque, vt subiicit intellectum, necessariò se habet ob dependentiam eius vt potentia, quà actiua, quà passiua.

Libertas perfectio simpliciter.

Responsio.

Impugnatio.

Responsio.

Impugnatio.

Indifferentia intellectus passiua est.

Libertas competit voluntati non ex radice intellectus.

92 *Confirm.* Confirmatur: quia per hanc differentiam ordinatur perfectè homo in suum finem, & ea, quæ sunt ad finem: ergo inclinatio voluntatis secundùm libertatem est perfectissima, & vniuersalissima, secundùm quam homo tendit in finem. Probatur tam antecedens, quàm consequentia, primò: quia solius voluntatis est applicare, & ordinare reliquas facultates in suis operationibus, & abstrahere ab his, vel illis obiectis, quæ sunt contra rectam, & vniuersalem inclinationem totius, & moderari ipsas facultates in suis operationibus. hinc Bernardus *suprà* asserit rationem esse pedissequam voluntatis: & Anselmus eam esse velut Reginam inter alias facultates. Philosophus autem distinguens 2. *Physicor*, &c. agens à natura, ab agente à proposito sumit denominationem à voluntate, & non ab intellectu: quia differentia agentis est à voluntate, quamuis etiam sumat appellationem ab intellectu, vt notiore, vt comprehendit vtramque potentiam, quæ consequuntur spiritualem substantiam; esse autem agens à proposito est differentia perfectionis in natura spirituali substantiali; quia

Per voluntatẽ ordinatur homo ad finem.

quia agit perfectiùs & explicitè propter finem, suppoſita cognitione finis: ergo cùm hoc primariò competat voluntati, denotat eius perfectionem ſuper intellectu, licèt intellectus concurrat vt proponens finem, atque vt prior eſt vai generationis. Deinde, omnis regula operandi, & directiua in finē reſpicit primariò volūtatem, vt auxilia, & gratia operatiua: v.g. fides vt operatiua eſt, dependet à voluntate per actum piæ affectionis; reliqua quæ ſunt ad finem immediatè ſub ratione finis, vt charitas, & ſpes, ad quæ ordinantur cætera dona, reſpiciunt proximè voluntatem ſicut & lex: ergo voluntatis primariò eſt ordinare hominem in finem, inclinatio autem hominis in finem eſt primaria eius, & vniuerſaliſſima vniuerſalitate perfectionis, vt comparatur ad perfectiuum extrinſecum: ergo inclinatio eius potiſſima, & vniuerſalis attenditur penes voluntatem.

Regula reſpicit primariò voluntatem.

Inclinatio hominis ad finem.

93 Deinde inclinatio potiſſima hominis, aut creaturæ rationalis, eſt illa, quæ ſubordinat ſibi cæteras eius inclinationes, quia hoc poſtulat ordo rerum, & entis ad finem, vt eſt ad finem; ſed reliquæ omnes inclinationes hominis ſubordinantur voluntati, & per eam ducuntur, eámque ſequuntur: ergo voluntas eſt potiſſima inclinatio hominis, per quam reguntur eius facultates, & ratione cuius imputantur ei opera reliquarum, quæ aliter non ſunt in euis poteſtate, niſi vt ſubſunt voluntati: in omni autem toto illud eſt potiſſimum, ad cuius perfectionem ordinantur reliqua membra: ergo in homine ſeruato, & attento rerum ordine id dicendum eſt de voluntate. Deinde, id ipſum patet quia nulla potentia reſpicit finem ſub ratione finis immediatè, niſi ſola voluntas, ſub ratione boni. Ex his facilis eſt reſponſio ad obiectiones modernorum in fauorem intellectus.

Illa eſt qua ſubordinat reliquas facultates.

Eſt voluntas.

Reſpicit finem ſub ratione finis.

94 Obiiciunt primò intellectum perfectiùs mouere voluntatem, quàm voluntas moueat intellectum: quia intellectus mouet voluntatem per modum finis, non ita voluntas intellectum. Reſpondetur negando antecedens cum ſua probatione; cuius oppoſitum eſt veriſſimum: nam agens à propoſito, & propter finem eſt ſic agens per voluntatem; cuius eſt ferri in finem. Deinde, motio intellectus reſpectiuè ad voluntatem eſt motio ſecundùm *quid*, qua repræſentat ei finem. Quòd ſi agat etiam ad volitionem, agit vt cauſa partialis, & ſubordinata, agit prætereà prius generatione ad poſterius, quod eſt prius perfectione.

Obiectio.

Reſponſio.

Motio voluntatis eſt perfectior.

95 Obiiciunt ſecundò naturam ſpiritualem conſtitui in *eſſe* ſpiritualis per intellectum, vel intellectuale. Ita Suarez: 11. *de Trinit. cap. 6.* Deinde intellectus priùs emanat ab eſſentia, quàm voluntas: quod autem priùs emanat ab eſſentia eſt quaſi principium alterius, per quod demonſtratur: ergo, &c. Reſpondetur negando antecedens, niſi intelligatur fundamentaliter, & perinde dicendum eſt de *eſſe* volitiuo fundamentaliter ſumpto: nam ſpiritualis ſubſtantia conſtituitur per hoc quod eſt eſſe immateriale, & quia talis eſt in *eſſe* ſubſtantiæ, conuenit ei *eſſe* intellectiuum, & volitiuum. Ad ſecundum reſpondetur, dubium eſſe antecedens: ſed eo dato concluditur oppoſitum: quia quod poſterius eſt generatione, prius eſt perfectione. Hoc competit voluntati, vt ex aliis mediis probatum etiam eſt in decurſu huius quæſtionis: probatio autem adducta nihil probat, niſi intellectum vt priorem nobis, & notiorem eſſe medium demonſtrandi voluntatem, quæ perfectiùs demonſtratur per *eſſe* immateriale ſubſtantiale. Obiicies intellectum eſſe per eſſentiam rationalem, vnde ſumitur differentia animæ. Reſpondetur, ſi loquamur de rationali fundamentaliter, æquè etiam voluntatem eſſe rationalem, & à Philoſopho in multis locis per rationales potentias deſignari vtramque. Si loquamur de principio diſcurſus, licèt hic conueniat intellectui, tamen alia differentia perfectior cōpetit voluntati; nempe eſſe volitiuum, & appetitū rationalē, qui ex ſe & ab intrinſeco ſe ducit.

2. Obiectio.

Reſponſio De conſtitutiuo ſubſtantia ſpiritualis. Eſt immaterialitas.

Ad ſecundum. Dubium eſt ſi intellectus priùs emanet, quàm voluntas.

Replica ſoluitur.

96 Obiicies tertiò, in ſuppoſitis rationalibus maximè ducitur differentia perfectionis ab intellectu, vt in Angelis: ergo perfectior eſt intellectus. Reſpondetur negando antecedens: nam Patres, & Scriptura differentiam ſupremi ordinis Angelorum ducunt ex voluntate, eiúſque actu, vt viſum eſt. Deinde, tranſeat in nobis ita fieri, qui ſolùm differentiam à notiori duximus ignota rei ratione in ſeipſo, cæterùm non inde ſequitur quin voluntas ſit perfectior.

3. Obiectio.

Reſponſio

97 Obiiciunt quartò cognitiuam ex genere ſuo eſſe perfectiorem appetitiua: ergo ſuprema cognitiua eſt perfectior ſuprema appetitiua.

4. Obiectio.

Reſpondetur negando antecedens: quia appetitus ſenſitiuus eſt perfectior cognitiua ſenſitiua in brutis, eámque ſubordinat, ſicut & potentiam motiuam progreſſiuam. Idem dico in homine, in quo appetitus eſt ſubiectum habitus virtutis maximè in ſententia eorum, qui ſtatuunt virtutes acquiſitas morales in ſolo appetitu. Dato etiam oppoſito, negatur conſequentia; quia voluntas vltra perfectionem appetitus in genere, addit libertatem formalem, quæ eſt perfectio ſimpliciter.

Reſponſio.

Appetitus perfectior cognitiua.

98 P *Ad rationes principales*, &c. Hîc reſpondet Doctor ad rationes liminares quæſtionis principalis; quarum prima fuit ex illo Ioan. 17. *Hac eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*, &c. Reſpondet Doctor actum quidem intellectus eſſe vitam, & eſſe etiam æternam vitam, ſi permaneat: ſi autem accipies quòd ſit vita æterna beata, hoc non habetur in Euangelio; ſed additur. Hæc ſolutio ab aliquibus contemnitur; quia ſic etiam pœnæ damnatorum eſſent vita æterna. Reſpondetur Doctorem inſinuare illam expoſitionem non eſſe literalem, ſed deſumptam ex quadam gloſſa, quæ addit vitam æternam beatam intelligi; ita *in hac diſt. quæſt. 1.* Ad confirmationē reſpondetur, alioquin rectè etiam ſequitur quod dicit Doctor, nempe actum intellectus eſſe vitam æternam; ſi in æternum duraret: ita etiam contingit in damnatis, licèt ille actus non ſit vita æterna antonomaſticè, vt vſu Scripturarum ſumitur pro ipſa beatitudine, vel pro fundamento beatitudinis, vt eſt fides, quæ ſicut dicitur iuſtificare, ita etiam eſſe vita æterna, quia fundamentum, ex quo habetur vita æterna: ſenſus ergo Doctoris in illa reſponſione eſt ironicus, quia expoſitio illa non eſt literalis, ſed ex addito, quia vt ipſe indicat, *infrà reſponſione ad vltimum*, vbi ſimiliter agitur de cognitione patris (de qua etiam hîc Chriſtus loquitur) intelligi cognitionem per fidem, quæ in præmiſſo loco Ioannis appellatur vita æterna, quia ducit in vitam æternam. Talis locutio habetur *Ioan. 3. qui credit in Filium Dei, habet vitam æternam*, vbi actus credendi dicitur

Ad primum principale.

Reſponſio.

Fidem appellari vitā æternam.

tur vita æterna. Ita similiter in præfato loco *Ioan.*17.fides in Deum intelligitur, & appellatur vita æterna: quod patet ex circumstantia literæ per totum caput: nam petit clarificari à Patre, & dicit se recepisse potestatem omnis carnis, vt eis quos dedit Pater ei, det vitam æternam: quæ tunc non fuit data Apostolis nisi tantùm in fide. Deinde subdit: *Hæc est vita æterna vt cognoscant te*, &c. *& Iesum Christum, quem misisti*, &c. Hoc additum nequit referri ad vitam beatam, cuius obiectum non est Christus: sed ad vitam fidei, qua crederent tam in Deum, quàm in Christum, & ita intelligunt Cyprianus *epistola ad Demetriam*, & *epistola* 73.*ad Iubaianum.* Ambrosius *lib.* 5. *de fide, cap.*1. eandem expositionem tradit, sicut & Rupertus *lib.*12.*in Ioann.* sequitur Hilarius *lib.* 3. & 9. *de Trinit.* August. *tract.* 105. *in Ioann.* Maldonatus, & Toletus *in Ioann.* & plures alij.

Probatio expositionis ex contextu.

99 *2. Responsio.* Respondetur secundò, licèt etiam sequeremur primam interpretationem, non sequi vitam æternam principaliter consistere in visione, sed in ipsa vt fundamento, & primo actu beatifico.

3. Responsio. Aliter etiam dici potest non solam visionem intendi à Scriptura, sed etiam vt coniuncta est amori beatifico; declarari tamen per visionem tanquam per principium notius distinguendi status patriæ à statu viæ; quia visio est propria status patriæ; amor autem etiam in via coniungitur fidei: per hæc respondetur ad cætera loca Scripturæ.

Obiectio. Obiicit Iansenius *in concordia* verba illa ex eodem capite *vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi*, &c. Quem locum dicit apertissimum pro S. Thoma, sed non assequitur:

Responsio. quia etiam dato quòd intelligeretur de visionis claritate, non inde sequitur beatitudinem consistere in visione, nisi vt in fundamento, sicut dicitur iustitia consistere in fide, quia est causa originaria, & radicalis, ex qua est iustitia, sic visio se habet ad fruitionem, in qua principaliùs consistit beatitudo.

Quid sit claritas de qua agitur. Explicari etiam potest hoc de beatitudine inchoata, & extensiuè sumpta iuxta ea quæ præmisit Doctor in quæstione hac circa initium, vbi tenet sententiam mediam inter duas extremas, locum autem prædictum aliqui Patres interpretantur de gloria corporis, vt Cyrillus *lib.* 11. *in Ioann. cap.* 28. quam interpretationem probat August. *Tract.* 3. *in Ioannem* Leontius, & Theodorus Heracleota, qui illam claritatem, & dilectionem referunt ad Christum, quà fuit homo, & secundùm ordinem electionis ante mundi constitutionem. Ab hoc non multùm distat Ambrosius *lib.* 5. *de fide cap.* 4. qui hanc claritatem intelligit de gratia, quam Christus habuit per vnionem. Eandem etiam probant alij, vt Tolet. *annot.* 5. *in Ioan.* Et Euthymius explicant illam claritatem de gloria, & potestate miraculorum, & animorum concordia:

Interpretatio ex textu. quòd si contextum totius capitis quis aduertat, potest intelligi de propagatione fidei, & veritatis in fidelibus, aliísque donis concomitantibus, per quæ exaltatur nomen Patris, & Christi cognitio in Ecclesia, & de manifestatione, quæ per aduentum Spiritus sancti facta est in discipulis. Nè ergo diutiùs inhærendum sit per hæc, quæ præmissa sunt, interpretari possunt cætera Scripturæ loca: quæ vel probant dari visionem Dei in patria, vel beatitudinem intellectus, & inchoatam consistere in visione; & sicut alij interpretantur loca, quæ pro amore beatifico afferuntur vt: *Intra in gaudium Domini tui* Math. 25. *Beati qui esuriunt, quia saturabuntur*, &c. & Luc. 12. *Dispono vobis regnum, vt edatis, & bibatis supra mensam meam in Regno meo*, &c. Psalm. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, torrente voluptatis tuæ potabis eos*, &c. Et plura similia intelligunt de complemento beatitudinis, non verò de substantiali.

Ex his patet ad Patres, qui aliquando beatitudinem exponunt per visionem, aliquando per contemplationem: qui modo præmisso explicantur: Patres enim variè loquuntur, & nunc per visionem, nunc per gaudium, & amorem, & voluptatem beatitudinem exponunt: non loquuntur autem cum illa præcisione, & stricta acceptione, qua vtūtur Scholastici: ideóque moderni, vt Vasquez, & alij huius argumenti ex Patribus in alterutram partem vsum non magni esse momenti dicunt ad propositum, ex eóque tantùm conuincitur dari visionem, & fruitionem in patria, non autem vtra sit potior; per contemplationem autem Patres intelligunt tam visionem, quàm fruitionem, vt suprà ex Augustino probatum est; & patet ex Gregorio *homil.* 14. *in Ezechiel.* Ireneus *lib.* 4. *cap.* 75. *Deus est*, inquit, *qui habet videri; visio autem Dei efficax est incorruptela: incorruptela autem proximum facit esse Deo*, &c. cuius incorruptelæ est efficax visio? Nempe illius, quæ excludit peccatum, nempe amoris; & per hanc incorruptelam fit quis proximus Deo, & *cap.* 37. *Vita æterna vnicuique euenit ex eo quòd videat Deum*, &c. *ibidem* verò dicit: *participatio Dei est videre, & frui benignitate eius*, &c. Vbi coniungit vtrumque actum. Sic Nazianzenus, *orat.* 10. *in Cæsarium fratrem*: *Par mente, inquit, puram veritatem intuentes, atque hanc labore exhaustam mercedem inueniamus, vt perfectiùs summi boni consortio, & contemplatione fruamur*, &c. Vbi etiam coniungit vtrumque, & contemplationi adscribit.

100 *Interpretatio Patrum.*

Ireneus.

Nazianz.

Nyssenus *lib. de beatitudine in sexta. Quoniam ipsi Deum videbunt; promissio tanta est, vt superet extremum terminum beatitudinis, quid enim aliquis potest huiusmodi boni; aliud desiderabit, cùm omnia habeantur in eo, quem videt: nam videre in vsu Scripturæ sacra idem significat quod possidere*, &c. Quibus verbis denotat possessionem summi boni designari per visionem ex vsu Scripturæ; quæ possessio ad voluntatem, in qua est desiderium boni, spectat; respicere enim, aut videre sicut ex vsu Scripturæ in Deo non designant actum nudum intellectus; sed etiam coniunctam prouidentiam voluntatis, & affectum vel iustitiæ, vel misericordiæ; ita etiam videre Deum comprehendit ex parte creaturæ adhæsionem vtriúsque potentiæ. Sic August. *lib.* 1. *de lib. arb. cap.* 13. dicit *ipsum velle nihil aliud esse, quàm habere.* quod repetit *lib.* 1. *Retract. cap.* 9. & *capite* 14. dicit *hominem assequi voluntate vitam beatam, eámque deberi voluntati.* Accedit prætereà quòd August. *variis in locis* designat beatitudinem consistere in amore, vt 8. *de Trinit. cap.* 9. & *de moribus Ecclesiæ Catholicæ cap.* 23. *lib.* 1. *de doctrina Christiana cap.* 32. & 33. *lib.* 10. *confess. cap.* 21. Anselmus *lib.* 2. *Cur Deus homo: cap.* 1. & Chrysostomus *hom.* 46. *in Math. voluntas* inquit, *est qua renumeratur pro bono*, &c.

August.

Ex his etiam patet ad reliqua argumenta principalia. Ad secundum, quod est August. respondet, quòd visio sit tota merces intelligentiæ, sed non tota merces hominis: quæ responsio datur ad intentum arguentis magis, quàm Augustini, qui non loquitur de visione abstractè sumpta, sed vt coniunctum habet amorem. *Ad aliud de*

Ad secundum.

de habitu patet, inquit, *in secunda via*, nempe in secundo medio, quo probatur perfectio charitatis super lumine gloriæ, & aliis habitibus intellectus.

101 Ad vltimum, quod fuit *ex* 1.*Eth.c.*10. Beatitudo est bonum sufficiens, iuxta illud *Ioan.* 14. *Domine ostende nobis Patrem*, &c. *& sufficit*, &c. ergo, &c.

Respondet Doctor quòd dilectio sit bonum magis quàm sufficiens, qua habita, habens minùs eget. Ad probationem autem ex verbis Philippi; Respondet dictum Philippi intelligendum esse quantùm ad instructionem de Trinitate; hanc enim non complete intellexerat. Quod probat ex responsione Christi ad Philippum: *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum*, &c. Id est, non cognouerunt perfecta visione fidei Christum: vnde ex hac responsione Christi rectè sequitur agi de cognitione fidei: nam certum est Christum non ostendisse eis diuinitatem suã per visionem claram: ergo intelligenda petitio, & reprehensio Christi, & correptio Philippi de cognitione conueniente viatori; vnde minùs congruè aliqui referunt hanc authoritatem ad visionem beatam, aliqui interpretantur Philippum petiisse visionem sensibilem, & corporalem Patris. Alij Patres referunt ad visionem fidei; illud certum est Philippum errasse in sua petitione, correctúmque fuisse à Christo: vnde authoritas nihil concludit: benignè autem interpretatur Doctor dictum Philippi, quæ interpretatio non repugnat literæ: videantur Maldonatus, & alij expositores in dictum caput. Contra conclusionem huius quæstionis principalis, moderni Scriptores multiplicant rationes: sed iam ex decursu quæstionis sunt impugnatæ, & solutæ; vel enim desumuntur ex natura ipsius beatitudinis, vt est assecutio finis, quòd sit operatio præstantissima, quòd integret vnum obiectum cum beatitudine obiectiua; vel desumuntur ex natura intellectus, & eius perfectione ex natura visionis, & eius proprietatibus; omnia hæc resoluta sunt tam in quæstione principali, quàm etiam laterali, ideóque non est quòd ipsis ampliùs inhæreamus. Quæstionis prolixitas variis dicendi modis insistit. Quod fidei est ab omnibus tenetur, nempe vtramque facultatem beari in patria, in cuius autem operatione potissimùm consistit beatitudo, dissertatio est scholastica, & vtraque pars à grauibus viris propugnatur: reiiciendi sunt censores alterutrius sententiæ, qui non rectè fundamenta quæstionis perpendunt.

Quam visionem petit Philippus. *Reliqua argumenta soluuntur ex dictis.*



QVÆSTIO V.

Vtrùm beatitudo simpliciter consistat in actu, qui est fruitio?

D.Thom. 1.2.*quæst.*11.*dist.*3.Richard. *hîc art.*3.*quæst.*5.*& omnes citati pro quæst.præced.*

Arg. 1. Trùm beatitudo [a] simpliciter consistat in actu, qui est fruitio? Quòd non: Ille non distinguit beatum à non beato, quia competit etiam viatori ex definitione *frui*. Respondeo, viator tantùm habet desiderium, quod est respectu non habiti, & ideò non fruitur. Contrà, non minùs vult viator Deo bonum, quod sibi inest, quàm comprehensor: ergo non minùs habet actum amoris amicitiæ respectu boni habiti ab amato, quàm comprehensor: frui autem est actus amicitiæ, non concupiscentiæ. 1

Arg. 2. Præterea, non habens charitatem, si nudè videret essentiam diuinam, quod non includit contradictionem, potest ea frui: & tamen sine charitate non potest esse beatus, 15.de Trinit.cap.9.*Charitas sola est quæ diuidit inter filios regni, & perditionis.*

Arg. 3. Præterea, omnia inferiora natura intellectuali suo modo, hoc est secundùm *quid*, beatificantur in completione actus concupiscendi: ergo & voluntas in simili actu, licèt perfectiori; sed fruitio non est aliquis actus concupiscendi.

Præterea, tentio succedit spei: ergo est actus voluntatis: ergo in illo est beatitudo: quia voluntas secundùm se est potentia, secundùm quam beatificatur natura intellectualis, sed tentio non est fruitio.

Rat. opp. Oppositum 1.de Doctrina Christiana, cap.6.*summa merces est, vt eo perfruamur*

COMMENTARIVS.

1 [a] VTrùm beatitudo simpliciter, &c. In Superiori quæstione disseruit. An beatitudo consistat in actu intellectus, aut voluntatis, & resoluit consistere beatitudinem, vt est vltimum cõplementum creaturæ intellectualis, in actu voluntatis. Controuersia præsens est de actu amoris amicitiæ, & amoris concupiscentiæ, non verò de gaudio, aut delectatione, si est actus elicitus: de hoc enim differit *infrà quæst.*7.

Sensus quæstionis.

Prima sententia est amorem concupiscentiæ spectare ad essentiam beatitudinis: ita tenuit Richardus *in hac distinctione art.*1.*quæst.*6. nec displicet Bassoli *quæst.*2.*art.*3. Vasquez 1. 2.*disp.*11.*cap.* Ita tenuisse refert aliquos Modernos. Secunda sententia est eorum: qui statuunt beatitudinem esse in solo intellectu, ac proinde vllum amorem non spectare ad beatitudinem essentialem de hac actum est in superiore quæstione. Tertia sententia

1. Sentent. *2. Sentent.* *3. Sentent.*

sententia admittit in actu intellectus & voluntatis consistere beatitudinem: de hac actum quæstione tertia superiori. Quarta sententia est nostri Doctoris hîc, vbi docet in solo actu amicitiæ consistere beatitudinem, & non in actu concupiscentiæ. Diuiditur quæstio in duas conclusiones: quarum prima docet in sola fruitione constitui beatitudinem. Secunda verò non in quacunque fruitione, sed in illa, quæ supponit claram Dei visionem.

4. *Sent.*

Ordo, & diuisio quæst.

SCHOLIVM.

Beatitudinem consistere in fruitione, id est, in amore obiecti beati propter ipsum. Probat primò, quia non potest consistere in aliquo nolle, *quod ostendit dupliciter: secundò, non potest consistere in amore concupiscentiæ, quod ostendit quadrupliciter; ex quibus habetur consistere in fruitione, quia ex quæst. præced. non potest esse in visione.*

2 [b] AD quæstionem sunt duæ conclusiones. Prima, quòd in solo actu, qui est fruitio, consistit beatitudo simpliciter naturæ intellectualis. Secunda, in qua fruitione, quia non in omni. Prima ostenditur diuisiuè sic, in genere non est nisi duplex actus voluntatis, *velle*, & *nolle*: *velle* etiam est duplex in genere, aut propter volitum, siue propter bonum voliti, aut propter volentem, vel propter bonum volentis. Primum *velle* dicitur esse amoris amicitiæ: secundum amoris concupiscentiæ, & solum primum *velle* est *frui*, quod est amore inhærere propter se, scilicet amatum. *Conclus. 1.* *Conclus. 2.* *Frui est aliquid amare propter ipsum.*

Contra illam secundam obiicitur per illud, de Trinit. cap. vlt. *appetitus inhiantis fit amor fruentis.* Appetitus inhiantis pertinet ad amorem concupiscentiæ: ergo. Respondeo, viator *velle* concupiscentiæ vult sibi bonum, & *velle* amicitiæ vult Deo benè esse: primus appetitus respectu boni habendi, fit amor complacentiæ boni habiti sibi, & ita amor fruentis, non tamen quo fruitur formaliter, sed eius qui fruitur alio amore, illo eodem obiecto in se, quod amat sibi illo amore. Secundus appetitus, id est, imperfectus amor, fit amor perfectus fruentis, id est, quo fruitur. *Appetitus inhiantis fit amor fruentis, explicatur.*

[c] Præmissa diuisione probo principalem conclusionem, non includendo, nec excludendo passiones, de quibus posteà quæretur, sed tantùm de istis actibus voluntatis, hæc loquendo. Patet quòd beatitudo non potest consistere in aliquo *nolle*: tum quia *nolle* habet pro per se obiecto malum, quod non potest esse obiectum beatificum: tum quia actus beatificus est primus, & immediatus respectu vltimi finis, & ita non habetur virtute alicuius actus voluntatis prioris; *nolle* autem patet quòd non est prius respectu finis vltimi, imò nec simpliciter prius inter actus voluntatis. Patet, quia quod non habetur, vel communiter non nisi virtute alicuius *velle*, secundùm Anselm. 3. cap. de Casu Diab. *nullus deserit iustitiam, nisi volendo aliquid, quod non stat cum iustitia*, sicut exemplificat de auaro, & nummo, & pane. *Beatitudo non consistit in nolle.*

3 Secundò, non consistit beatitudo in actu concupiscentiæ, tum quia licèt ille posset esse bonus, si sit debitè circunstantionatus: tamen non est bonus ex ratione sui, vel obiecto, etiam Deo, quia potest esse immoderatus; quod apparet. 83. quæst. quæst. 30. *Peruersitas est in vtendo fruendũ*: sic etiam dictum *in secundo lib. disp. 6.* Angelum peccasse primò immoderatè, concupiscendo sibi obiectum beatificum, sicut vult Anselmus *de Casu Diab. 6. cap.* vbi vult quòd aliqui appetebant, quod habuissent, si stetissent: nihil autem priùs, vel magis appetebant; quàm beatitudinem, quia ad illam primò etiam summè inclinat affectio commodi, actus autem amicitiæ respectu Dei ex ratione sui, & obiecti, est bonus, saltem non potest esse immoderatus excedendo, sed fortè deficiendo: tum quia actus concupiscentiæ non est, nec esse potest primus actus voluntatis respectu finis, quia omne concupiscere est in virtute alicuius actus amicitiæ: ideò enim concupisco huic bonum, quia amo hunc, cui concupisco: tum quia actus amicitiæ inest voluntati, secundùm quod habet affectionem iustitiæ, quia si solam affectionem commodi haberet, non posset, nisi sibi summè commoda velle, secundùm Anselmum 14. *de Casu Diab.* actus autem concupiscentiæ inest voluntati secundùm quòd habet affectionem commodi, quia necessariò inest secundùm illam, etiamsi sola illa esset: nobilior autem secundùm rationem est affectio iustitiæ affectione cõmodi, quia regulatrix eius, & moderatrix secundùm Anselmũ, & propria voluntati inquantùm libera est, cùm affectio commodi esset eius, etiamsi voluntas libera non esset: tum quartò, quia actus amicitiæ tendit in obiectum, vt est in se bonum; actus autem concupiscentiæ tendit in illud, vt est bonum mihi, *Beatitudo nõ est amor concupiscẽtiæ, probatur quadrupliciter.* *Actus concupiscentiæ inest secundùm affectionem commodi.*

nobilius est autem obiectum in se, quàm vt ab aliquo habitum: saltem illa habitio obiecti ad habentem, quæ est formalis ratio in obiecto, vt concupito, diminuit ab illa perfectione obiectiua, quam habet istud bonum, vt in se.

COMMENTARIVS.

2 *Conclusio prima: beatitudo consistit in fruitione.* *Diuisio actus voluntatis.*

b AD *quæstionem, sunt duæ conclusiones*, &c. Prima conclusio est: *in solo actu fruitionis consistere beatitudinem, in natura intellectuali*, &c. Ad probationem conclusionis præmittit diuisionem actus voluntatis in genere in *velle*, & *nolle*; *velle* autem duplex est in genere, aut propter volitum, aut propter bonum voliti; aut est propter volentem bonum ipsum; aut propter bonum volentis. Primum *velle* dicitur amoris amicitiæ; secundum amoris concupiscentiæ, & primum *velle* dicit *frui*, *quod est amore inhærere propter se*. Id est amatum hoc amore. *Quid sit fruitio.* Distinctio communiter recepta est, quamuis sit quædam controuersia de distinctione amoris concupiscentiæ ab amore amicitiæ: supponit autem Doctor eodem amore nos velle amico bonū quo volumus ipsum amicum: & eodem etiam nos amore velle nobis bonum, quo nos ipsos volumus, quia nempe ex ratione boni primarij secundariò volumus amico, aut nobisipsis bonum. *Sententia Nominaliū.* Nominales distinguunt amorem amicitiæ, & concupiscentiæ realiter, ita vt velle amicum, & velle bonum animo distinguunt realiter. Communis tenet oppositum, quam hîc proinde supponit Doctor, non sumit *concupiscere* latè, vt distinguitur contra irascibile: sed vt distinguitur in diuersos hos affectus primarios, qui secundariò, & eodem actu tendunt in bonum secundarium, quod est amici, aut volentis. *Reiicitur. Vno actu volumus bonū primarium, & secundarium.* *Obiectio.* Obiicit contra secundum membrum diuisionis illud Augustini 9. *de Trin. cap. vltimo. Appetitus inhiantis fit amor fruentis*, &c. Sed hic appetitus pertinet ad affectum concupiscentiæ: ergo etiam & fruitio. *Responsio.* Respondet viatorem velle Deum vtroque modo, nempe amore concupiscentiæ, quo sibi vult Deum per actum spei, & amore amicitiæ, quo vult Deum propter se, & *bene esse* Deo. *Vterque amor amicitia, & concupiscentia sunt in viatore.* Primus amor concupiscentiæ sit complacentia boni habiti, & possessi per amorem amicitiæ, per quem beatur, & possidet finem; & hæc complacentia non est ipsa fruitio, aut possessio boni; sed eam supponit: & dicitur amor fruentis specificatiuè, id est, eius qui fruitur, non quo fruitur: secundus autem appetitus, seu amor imperfectus, id est, amor amicitiæ, qui in viatore est imperfectus, vt comparatur ad fruitionem patriæ, transit in ipsam fruitionem, & fit perfectus amor fruentis, seu quo formaliter fruitur: itaque illa particula: *Secundus appetitus, id est, amor imperfectus*, &c. non est intelligenda de amore imperfecto secundùm speciem, id est, differentiam imperfectionis, quæ competit amori concupiscentiæ, vt distinguitur per affectum inferiorem ab amore amicitiæ, qui est secundùm perfectiorem affectum: sed sumitur pro amore amicitiæ in via, qui imperfectus est, vt comparatur ad amorem fruitionis, in quem transit in patria.

3 *Probatio conclusionis.*

c *Præmissa diuisione*, &c. Probat conclusionem quoad primum membrum, non concludendo, neque excludendo passiones, de quibus *infrà* disserit *quæst.* 7. *Beatitudo nō consistit in nolitione.* Quòd ergo beatitudo non consistat in aliquo *nolle*, probat: quia *nolle* habet malum pro obiecto, quod nequit esse beatitudo, quia hæc immediatè respicit vltimum finem, neque habetur virtute alicuius actus prioris; *nolle* autem non est immediatum respectu finis, neque primus actus voluntatis: quia non habetur communiter nisi virtute alicuius *velle*, ex Ansel. *de casu Diab. c.* 3. *nullus deserit iustitiam, nisi volendo aliquid, quod non stat cum iustitia*, &c. Anselm. *Nolitio oritur ex amore.* Patet etiam, quia ideò etiam aliquis fugit malum, quia inclinatione, aut habitu, aut actu elicito fertur in bonum, ergo actu, vel virtute supponit fuga mali appetitum boni.

4 *2. Ratio. Non consistit beatitudo in actu concupiscentiæ.*

Secundò probat non consistere in actu concupiscentiæ: quia licèt possit esse bonus, si debitè circonstantionatus: tamen non est bonus ex ratione sui, vel obiecto, etiam Deo, indefectibiliter, qui potest esse immoderatus: quod apparet ex Aug. 83. *qq.* 30. *Peruersitas est in vtendo fruendis*, &c. *Amor concupiscentiæ est defectibilis.* Sic etiam Anselmus *de casu Diaboli cap.* 6. dicit Angelum peccasse primò immoderatè, concupiscendo sibi obiectum beatificum, quod aliqui appetebant, & habuissent si stetissent: nihil enim æquè ac priùs appetebant quàm beatitudinem, ad quam est summa inclinatio ad commodum; *Amor charitatis est indefectibilis.* status autem amicitiæ ad Deum ratione sui, & obiecti, est bonus, nunquam potens esse immoderatus excedendo, licèt fortè deficere possit. *Confir.* Confirmatur ratio, quia actus charitatis est regula cæterorum, & nequit obliquari positiuè in finem, quia ex natura inclinationis supremæ ad finem, ex natura obiecti, & modi tendendi in finem, vt est immediatè circa Deum in se; & propter se bonum, non dependet ab vllis circumstantiis præter solam cognitionem finis, neque alium priorem supponit, per quem ordinaretur in finem; *Seipso tendit in finem, & est regula cæterorum.* sed exclusis aliis extrinsecis tendit in finem absolutè: actus verò concupiscentiæ licèt tendat in finem, tamen regulatur per charitatem, & dicit ordinem ad media acquirendi finem, vt actus spei, sine quibus nequit esse ordinatus; *Differentia inter amorē charitatis, & spei.* beatitudo debet consistere in actu perfectissimo, qui est assecutio finis, & qui nequit obliquari; sed sit finis absolutè propter se, & non respiciens conditiones extrinsecas: ergo, &c.

5 *3. Ratio. Actus concupiscentia supponit actum amicitiæ.*

Tertiò probat conclusionem, quia actus concupiscentiæ non est, nec esse potest primus actus voluntatis respectu finis: quia omne *concupiscere* est virtute alicuius amicitiæ; quia ideò concupisco huic bonum, quia hunc amo, ita vt velle alicui bonum sit obiectum secundarium, & ex motiuo primarij ad illud inclinatur voluntas: sublato ergo amore amicitiæ, vel tendentia in bonum absolutè, tollitur etiam tendentia in illud quod ad bonum dicit ordinem, inquantùm hunc ordinem dicit; & quod tantùm inclinat voluntatem, inquantùm ipsa afficitur circa bonū absolutè.

Actus amicitia est in voluntate. Præterea probat: quia actus amicitiæ est in voluntate secundùm affectum iustitiæ, & superiorem; nulla autem inclinatio est in voluntate superior illa, qua immediatè, & absolutè tendit in finem: hinc Anselmus *cap.* 14. *de Casu Diaboli* dicit, si solus esset affectus commodi in voluntate eius, non posset non summè sibi velle commoda: nobilior autem affectio secundùm rationem est illa, iustitiæ est regulatrix, & moderatrix

trix voluntatis inquantùm libera est, cuius esset affectio commodi, etiamsi esset necessaria. Deinde, actus amicitiæ tendit in bonum absolutè, & propter se; affectus commodi in bonum volentis, perfectior autem est ratio boni in se, quàm boni mihi, vel ordo boni ad aliquod extrinsecum tanquam perfectiui ad perfectibile, &c.

6 Tandem conclusio quoad primam partem patet, quidquid dixerit Vasquez allegando hanc esse sententiam solius Scoti, & suorum discipulorum: quia quotquot statuunt beatitudinem, tam in actu intellectus, quàm voluntatis, principaliùs eam dicunt spectare ad voluntatem, vt secundùm affectum charitatis adhæret fini clarè viso; quoad secundam verò partem exclusiuam, scilicet *amoris commodi*, consequenter idem dicendum est, supposito principio communi vtrique tam D. Thomæ, quàm nostræ Scholæ, beatitudinem consistere in vno tantùm actu perfectissimo, quà beatitudo est vltimum complementum hominis, quia per vnum actum possidetur finis, quem necessariò supponit amor commodi. De hoc puncto satis est dictum in præcedentibus, & soluta sunt argumenta, quibus adstruitur beatitudo esse in solo intellectu.

4. Ratio. Reiicitur Vasquez.

SCHOLIVM.

Viatorem posse frui Deo, quia potest eum amare propter se. Disputat vtrùm fruitio viæ, & patriæ specie differant, & probabiliùs putat quòd sic; quia requirunt diuersas specie intellectiones; quod sufficit, siue intellectio sit causa efficiens, siue causa sine qua non *amoris, quia eiusdem speciei indiuidua non petunt diuersas essentialiter causas, vel conditiones.*

4 [d] SEcunda conclusio principalis patet; quòd viator potest frui Deo, quia amore inhærere sibi propter se. Si dicas non amore, sed desiderio; hoc fallum est, quia etsi Deus sit non habitus ab amante, & ideò possit desiderari, vt habendus; tamen non desidero aliquod bonum habendum à Deo, quod non habet, sed tantùm complacet mihi infinita bonitas eius, cui volo acceptando, & complacendo inesse omne bonum, quod sibi inest.

Patet etiam propositum per illud. 83. *q. quæst.* 30. quòd virtus consistit in fruendo fruendis.

[e] Sed est hîc difficultas quomodo distinguantur fruitio beatifica, & non beatifica? Videtur quòd non specie, quia quando per se causæ sufficientes sunt eiusdem speciei, & effectus; sic est in proposito, quia eadem voluntas, eadem charitas, idem obiectum fruibile, & sub eadem ratione ex parte obiecti: secundùm hoc ergo poneretur quòd non differunt, nisi sicut magis, & minùs in eadem specie.

Amor beatus & non beatus an specie differant.

Si contra hoc obiicitur, quia tunc viator esset beatus, licèt minùs beatus, quàm comprehensor. Respondeo, consequentia non valet, quia beatitudo non imponitur ad significandum illam naturam secundùm speciem, sicut imponitur hoc nomen *fruitio*: vnde benè conceditur, quòd vterque fruitur, sed alter magis, alter minùs, imò imponitur hoc nomen *beatitudo* ad significandum fruitionem, in determinato gradu, ita quòd non infra: & illum nunquam habet viator, nec secundùm magis, nec secundùm minùs, sed sic habent illum diuersi comprehensores: ideò vnus eorum est beatior altero.

Quod ostenditur sic, quia si tantùm sint gradus eiusdem speciei, accipiatur infimus beati, & supremus viatoris, si æquantur: ergo viator est beatus: si ille actus deficit ab illo non in infinitum, patet: pone ergo quòd per quatuor gradus possibile est fruitionem viatoris crescere per quatuor gradus, quia & cognitionem, cùm etiam cognitio eiusdem speciei tot gradus habeat, quot & fruitio: posita autem intensione cognitionis, possibile est fruitionem cognoscentis proportionaliter intendi: ergo adhuc possibile est viatorem pertingere ad illum gradum, & esse beatum. Vnde hîc consimiliter potest argui de aliquo gradu dato fruitionis beatificæ, à quo distat supremus gradus viatoris, putà beatæ Mariæ per aliquot gradus: tamen si est eiusdem speciei infra speciem fruitionis beatificæ descendatur ad minùs & minùs, tandem erit aliqua beatifica æqualis isti non beatificæ, vel minor ea.

5 Aliter potest dici, & probabilius, quòd fruitio beata, & non beata differunt specie, se ipsis quidem formaliter, sed à causis, vel habitudine causarum causaliter: si enim ponatur quòd intellectio est causa, licèt partialis ipsius volitionis, & intellectio viatoris, & visio beati differunt specie: ergo & effectus qui necessariò requirunt istas causas diuersas: nunquam enim indiuiduum eiusdem speciei necessariò requirit causam alterius speciei, ab illa quam requirit aliud indiuiduum. Si autem intellectio dicatur

Fruitiones viæ, & patriæ differre specie.

causa *sine qua non*, saltem essentialiter requiritur, & tunc sicut priùs, diuersa eiusdem speciei, non necessariò requirunt in causis, aliqua alterius speciei: ita in hac opinione habet concedere volitiones penes obiecta distingui specie, & tamen obiectum secundùm eos est causa *sine qua non.* Tunc autem potest saluari distinctio fruitionum ex distinctione vnionum, sicut ex diuersa approximatione agentis ad passum variatur effectus: aliter enim agit agens, quod per lineam rectam opponitur, & approximatur passo, quàm quod per reflexam, vel fractam: cognitio autem hæc est quasi approximatio obiecti ad voluntatem.

Tenendo istam secundam viam, non oportet concedere quòd de potentia absoluta diuina possit causari in anima viatoris, saltem non videntis nudè Deum, aliqua fruitio æqualis infimæ fruitioni, possibili cuicunque beato: quia supremum infimæ speciei non potest æquari infimo superioris speciei; quia tota hæc est infra totam illam. Difficile est autem secundùm viam priorem prohibere quin in anima viatoris stante cognitione ænigmatica tantùm, vel tantùm intensa, possit inesse aliqua fruitio æqualis alicui fruitioni beatificæ datæ.

Infimum superioris excedit summum inferioris speciei.

Ad arg. 1. & 2.

[f] Ad argumenta. Ad primum, patet *ex 2. artic.* Ad secundum [g] dicitur quòd sine charitate si videret aliquis Deum, non haberet fruitionem supernaturalem: quia nec actum aliquem primum supernaturalem, sine quo nec pati potest, nec agere, nec per consequens habere *frui* beatificum. Aliter dictum est *dist. 1. primi quæst. 4.* quòd habitus non est, quo habens simpliciter potest elicere actum; & ideò posita quasi præsentia obiecti, voluntas potest in aliquem actum circa illud obiectum, & ille actus supernaturalis est ex obiecto, & præsentia obiecti; sed non est ex aliquo in potentia elicien-te: nec tamen illa fruitio est beatifica, quia non est tanta, quanta nata est haberi à tali voluntate circa obiectum sic ostensum; maior enim haberetur, si charitas inesset, per quam aliquo modo intenderetur actus, sicut dictum est *dist. 17. primi quæst. 1.* beatitudo autem voluntatis non est in alquo actu, nisi supremo, quem potest habere circa obiectum taliter sibi præsentatum. 6

Posset voluntas ex se amare Deũ clarè visũ, de quo 1. d. 1. q. 4.

Ad 3.

[h] Ad tertium dico, quòd sola voluntas inter omnes appetitus potest velle alicui bonum propter ipsum volitum, & ideò non est simile de aliis appetitibus, & illo: sicut nec generaliter quando illud, de quo arguitur est solum tale, imò est argumentum ad oppositum, quando arguitur de aliquo pertinente ad perfectionem istius solitarij, conueniens est cum imperfectioribus se in aliquo, & differens ab eis in alio sibi proprio: perfectius est secundùm illud proprium, quàm secundùm illud commune: quia commune non potest esse perfectius quocunque imperfecto includente ipsum. Et ideò si perfectio excellens, vtpote beatitudo, conueniat illi solitario, magis concluditur quòd conueniat sibi non secundùm illud, in quo assimilatur inferioribus, quàm concludatur oppositum.

Ad 4.

[i] Ad quartum, non omne quod succedit virtutibus Theologicis in via, vel actibus earum, est de essentia beatitudinis, sed tantùm vnicus actus perfectissimus. Ideò esto quòd tentio sit actus voluntatis succedens actui speciei, non sequitur quòd in ipsa consistat beatitudo: sed sufficit quòd ipsa concomitetur beatitudinem.

COMMENTARIVS.

7

2. Conclus. Fruitio latè sumpta est in viatore.

[d] SEcunda conclusio principalis, &c. Hæc est, quòd viator possit frui Deo, quia amore inhæret sibi propter se. Si dicas non amore, sed desiderio: contrà, quia etsi Deus non sit habitus ab amante, & ideò possit desiderari vt habendus; tamen non volo aliquid Deo affectu amicitiæ, & absolutè, quod non est in Deo; complaceo igitur in infinita bonitate eius, vt ipsius est, & accepto vt ipsius est, quod est frui, seu per amorem inhærere: omnia enim huius status reducuntur ad charitatem tanquàm ad finem, vt virtutes, præcepta, dona. Hinc beatitudo huius status potest sumi extensiuè, vel intensiuè; si extensiuè sumitur, non excludit omnia quæ faciunt ad salutem, vt fidem, & reliqua bona opera; si autem sumatur intensiuè pro vltimo complemento, & perfectione prima, & summa hominis, per quam adhæret Deo vltimatè, illa est charitas: beatitudo ergo supernaturalis viæ, prout habet rationem beatitudinis pro statu viæ, vt alterutro modo consideratur, includit charitatem tanquàm perfectissimum. Vide August. *lib. de quantitate animæ capite* 37. Gregorium 6. *mor. cap.* 17. & 18. Bernard. *serm.* 67. *in Cant. vsque ad* 72. quibus in locis tam Gregorius, quàm Bernardus primum gradum, & perfectissimum tribuunt charitati; & fauet Paulus 1. *ad Cor. cap.* 13. eadémque est via probandi hanc conclusionem, qua probata est quæstionibus superioribus beatitudinem nostram in patria consistere in operatione perfectissima potentiarum, & potissimùm in operatione charitatis, quæ est fruitio; quia sicut in via beatitudo maximè attenditur ex coniunctione ad finem, & per exclusionem miseriæ, quæ est peccatum, sic maximè omnium competit charitati, quæ immediatè, & absolutè circa finem operatur, & cætera dirigit in finem, & maximè omnium repugnant peccato. Suarez *d. 7. citata* aliàs *sect. 2. opinione 3.* allegat quosdam dicentes beatitudinem huius

Omnia status viatoris reducuntur in charitatẽ.

status

status non consistere in alio, quàm in iure quodam morali ad patriæ beatitudinem, sed meritò, cuiuscumque sit hæc opinio, ab eodem reiicitur; quia exorbitat à communi modo loquendi sapientum; quomodocumque enim consideratur beatitudo formalis, consistit in operatione, vt patet ex Scriptura de beatitudine viæ, quam tribuit obseruantiæ mandatorum Math. 19. Item Ioannis 6. *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* ad Rom. 14. *Non est regnum Dei esca, aut potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto*, &c. Et si beatitudo hoc modo sumeretur, sic esset infans baptizatus beatus, quod est absurdum, & contra communem modum loquendi tam Theologorum, quam Philosophorum de beatitudine, vt consistit in operationibus. Vnde illud quod adducit Doctor ex August. *lib.* 83. *quæst.* 30. virtus consistit in fruendo fruendis; in virtute autem statuitur vltima hominis perfectio in hoc statu. Accedit quòd ius ad beatitudinem fundetur in operibus; sed mediante iure illo morali non perficitur primò homo, aut potentiæ eius, sed per operationes vitales, vt coniungunt perfectiuo extrinseco per modum actus.

Opinio quorundam reiicitur.

8 [e] *Sed est hic difficultas*, &c. Quærit quomodo distinguatur actus fruitionis in via, & in patria. Ratio difficultatis est, quia sunt eadem principia fruitionis proxima: ergo ipsa secundùm speciem est eadem. Si hoc sit verum: ergo viator etiam beatur. Respondet nequando consequentiam, intelligendo beatitudinem simpliciter, vt est vltimus terminus, quia sic tantùm sumpta non dicitur comparari secundùm magis aut minùs cum fruitione viæ, quia supponit pro actu voluntatis, ad quem prærequiritur visio clara, & vt est differentis status; quia ratione ad actum eiusdem status comparari tantùm potest, vt cùm beatitudo vnius in patria comparatur ad beatitudinem alterius. Hæc est resolutio communis etiam in Schola D. Thomæ, in qua tenetur actum charitatis in patria, & via esse eiusdem speciei: Doctor autem *hic & in* 3.*d.*31.*ad* 1. docet probabiliter differre specie, aliàs difficulter sustineri potest quin actus charitatis in via non possit esse æqualis, si reddatur summus, actui in finem comprehensoris, licèt non bearet sine visione clara Dei, quia non esset possessio. Finis in reipsa præsentis; quòd si visio, & quicumque actus intellectus antecedens volitionem sit causa partialis volitionis, licèt minùs principalis, tunc ex diuersitate principij, vt actus fidei, & actus visionis potest colligi differentia specifica inter fruitionem viæ, & patriæ. Quòd si verò negetur talis concursus, recurrendum est ad diuersitatem applicationis finis in reipsa, & clarè, ac finis absentis in re, & præsentis in cognitione ænigmatica, ex quibus tanquàm à posteriori colligitur differentia actus sequentis in voluntate. Vtramque hanc viam sustinet Doctor probabiliter: negando autem distinctionem, negandum est etiam actum perfectissimum viæ accedere ad actum infimum patriæ; & hoc duobus modis sustinere potest, vel admittendo in ratione formæ actum viæ perfectissimum posse esse æqualem actui minimo beatifico: licèt non in ratione beatitudinis, aut tendentiæ in obiectum beatificum, & vnionis ad ipsum, quia in via quantumlibet crescat actus, nequit coniungere obiecto in reipsa, nisi vt applicatur; applicatio autem est omnino diuersa.

Obiectio. Distinctio actus fruitionis in via, & in patria.

Responsio.

Differre specie fruitionē in via, & in patria.

Colligitur differentia à posteriori.

Vel possit dici actum in patria ex perfectione illius status esse semper perfectiorem, & intensiorem, quàm in via, & concursum à Deo exhiberi secundùm differentiam, & perfectionem ipsius status, maiorem; nam etiam in differenti statu legis quoad viatorem Deus etiam concessit diuersa media salutis, eáque perfectiora, quoad legem, & alia, quò lex ipsa, & status hominis sub lege erat perfectior: ergo ex eadem congruentia potest idem dici in patria, perfectiora ita esse media fruitionis intrinseca, & extrinseca; ac proinde ipsam perfectiorem esse; de qua re nunc non dissero, sed remitto controuersiam ad materiam de charitate.

Principium distinctionis. Ex concursu Dei & mediis.

Variatur perfectio cócursus, & mediorū etiam in differenti statu via.

Hinc etiam aliqui disserunt de beatitudine naturali, tam Angeli, quàm hominis, si in statu naturali permanerent à Deo creati sine eleuatione ad finem supernaturalem; sed hanc quæstionem commodiùs ad alium locum transferendam iudico, quam insinuat Doctor *quæst.* 3. *Prologi, & in* 2.*dist.*7. & prout occasio dabit infrà de statu paruulorum aliquid erit dicendum.

[f] *Ad argumenta. Ad primum*, &c. Primum fuit, fruitio non distinguit beatum à non beato: ergo beatitudo non consistit in fruitione. Responsio patet *ex* 1.*articulo*, in quo ostenditur fruitionem latiùs se habere, quàm beatitudinem propriè, & per se dictam. 9

Ad primum.

Responsio.

[g] *Ad secundùm*, &c. Hoc fuit: si quis haberet nudam visionem, sine charitate posset frui; primum non includit contradictionem: sed sine charitate nequit esse beatus: quia secundùm August. 15. *de Trinit. cap.* 9. *charitas sola est quæ diuidit inter filios Regni, & perditionis*, &c. Respondet primò negando antecedens pro secunda parte: quia fruitio est actus elicitus voluntatis circa obiectum supernaturale, ad quod eleuatur: ideóque sine charitate eleuante nequiret voluntas agere ad obiectum, neque etiam consequenter pati per actum vitalem per modum operationis. Respondet secundò, etiamsi voluntas per amorem naturalem ferretur in Deum clarè visum, non esset fruitio beatifica supernaturalis, quæ supponit eleuationem ex parte principij elicientis, & non tantùm ex parte applicantis, aut applicationis: quia, vt dicit, hæc fruitio beatifica esset maior, & perfectior quàm fruitio illa naturalis: maior, inquam secundùm speciem, & modum actus, quam influeret charitas supernaturalis. Hæc diuersa solutio dependet ab illa controuersia, an scilicet dentur actus naturales correspondentes actibus virtutum Theologalium, vel dari possint, vt fides diuina, naturalis, aut charitas naturalis, quæ sit immediatè ad Deum. Hanc remittimus ad propriam materiam *in* 3. *sent.* vbi agitur de his virtutibus. Videatur Doctor *in* 1. *dist.*1.*q.*4.*& in*3. *dist.* 28. vbi saltem in patria asserit dari hunc amorem.

Ad secundū.

Responsio prima.

Respondet. secunda.

[h] *Ad tertium*, &c. Hoc est, quòd omnia inferiora natura intellectuali suo modo beatificantur in completione actus concupiscendi, hoc est, in commodo: sed fruitio non est actus concupiscentiæ commodi: ergo in illa non debet consistere beatitudo: sed in amore commodi. Respondet hoc proprium esse voluntatis secundùm affectum amicitiæ velle bonum propter se, in quo perfectione excedit reliquos appetitus; ideóque argumentum est ad oppositum, quia vltima perfectio alicuius rei ipsi competit secundùm naturam, & perfectionem suæ speciei, in qua reliqua

Ad 3.

Responsio.

Beatitudo soli appetitui rationali competit. liqua excedit: ergo ſicut fruitio ſic conuenit voluntati, ita etiam beatitudo eius debet conſtitui in fruitione, aliàs ſequeretur quòd ſecundùm differentiam ſpecificam conueniret ei aliqua operatio ex ſpecie ſua perfectior, quàm ſit beatitudo; ſi hæc eidem conueniret tantùm ſecundùm rationem communem ſibi, & reliquis.

Ad quartũ. [i] *Ad quartum*, &c. Quartum eſt, quòd tentio ſuccedit ſpei: ergo eſt actus voluntatis: ergo in eo conſiſtit beatitudo: tentio autem non eſt *Reſponſio.* fruitio. Reſpondet quòd non in omni eo, quod ſuccedit actibus virtutum Theologalium in via, conſiſtat beatitudo patriæ, ſed in vno actu perfectiſſimo, & hic eſt fruitio, vt probat ex Auguſt. *lib. 1. de doctrina Chriſtiana cap. 6. Summa merces eſt, vt eo perfruamur*, &c. Auguſt. Quod patet etiam ex eo, quòd in ipſo Deo, quà beatus eſt, non conſiſtat beatitudo niſi in viſione, & fruitione, quia in eo non eſt actus commodi, aut appetitus, ſicut in nobis, quorum perfectio ab extrinſeco participatur.



QVÆSTIO VI.

Vtrùm ad eſſentiam beatitudinis pertineat ſecuritas?

D.Thom. 1.2.*quæſt.*5.*art.*4.*(vbi* Caiet.Conrad.*)& hîc quæſt.*2.Gabr.*quæſt.*2.*art.*3.Occam. 4.*quæſt. vlt.art.* 4.*dub.*6.Palud.*quæſt.*7.Sotus *quæſt.*3.*art.*4.Vaſquez 1.2.*diſp.*21.*cap.*3.*Vide* Scot.9.*Met.quæſt.* 15.

Arg. 1.  TRVM ad [a] eſſentiam beatitudinis pertineat ſecuritas? Quòd ſic. 13. *de Trinit.cap.*7.poſt alia pertinentia ad beatitudinem enumerata, ſubdit, *& quod eſt omnino beatiſſimum, ita ſemper fore certiſſimum erit.* 1

Arg. 2. Præterea, de eſſentia beatitudinis eſt, quòd ſit vltimata perfectio: ergo ex ratione ſui excludit à ſubiecto omnem priuationem oppoſitam: ergo ex ratione ſui conſtituit ſubiectum incorruptibile, & intranſmutabile ſecundùm eam.

Arg. 3. Cap. 8. & inde. Præterea, 1.Ethicor. *Felicitas eſt operatio optima ſecundùm vitam perfectam*: hoc ſecundùm ipſum includit perpetuitatem quandam, alioquin felix poſſet miſer fieri, quod habet pro inconuenienti.

Arg. 4. Præterea, ad perfectionem viatoris primam concurrunt eſſentialiter fides, ſpes, & charitas, & ad ſecundam, actus illorum: ergo ad perfectionem apprehenſoris concurrunt eſſentialiter actus perfecti correſpondentes iſtis. Conſequentia probatur, quia non minorem integritatem requirit perfectio ſecunda beati in ſuo gradu, quàm viatoris in ſuo; alioquin beatus vnde beatus, non haberet omnem perfectionem per ſe, cuius eſſet capax: nunc autem actui ſpei non ſuccedit, niſi tentio; tentio non videtur niſi ſecuritas: ergo, &c.

Rat. opp. Text. com. 52. Oppoſitum 1.Ethic.cap.6. *nihil eſt perfectius ex hoc, quòd diuturnius.* Exemplificatur de albo vnius diei, & vnius anni; quod omninò verum eſt de perfectione permanente, quia tali accidit tempus, vel quæcunque duratio maior, vel minor: ergo cùm ſecuritas includat perpetuitatem durationis, non pertinet per ſe ad beatitudinem, quæ eſt perfectio ſimul tota.

Præterea, iſta ſecuritas, ſi eſt actus, aut intellectus, aut voluntatis. Si intellectus, non pertinet ad beatitudinem, niſi vt præuium, *ex quæſt.*3.*&* 4.*huius diſt.* Si voluntatis, non eſt fruitio, imò habet fruitionem pro obiecto: in ſola autem fruitione eſt beatitudo, *ex quæſt. præcedente*: ergo, &c.

COMMENTARIVS.

1 *De ſecuritate beatorum.* [a] VTrùm *ad eſſentiam beatitudinis*, &c. Superiùs explicuit quæ ad eſſentiam beatitudinis formalis ſpectant: hîc autem examinat illud, quod intrinſecum eſt beatitudini tanquam perfectio, ſine qua non conſiſteret in *eſſe* beatitudinis, vt eſt ſecuritas beati ex perpetuitate ſui ſtatus non interrumpendi, & impeccabilitate qua excludit miſeriam. Primam neceſſariò coniunctam eſſe beatitudini ſimpliciter docet Aug. *lib.*3.*de Trinit.cap.*8.*lib.* 1. *de Ciuitate Dei cap.*10. *& lib.*12.*cap.* 20. quæ fuit ſententia Philoſophorum, vt Ariſt. 1.*Ethic.cap.*5. 6.9. *&* 18. *& lib.* 10. *cap.* 7. & docent communiter Theologi. *Error quorundam.* Error contrarius de circulatione temporum ſuperiùs impugnatus eſt, attribuitur quibuſdam ab Hieronymo *epiſtola ad Oceanum* 30. multi etiam tribuunt Origeni, à quo eum alij excuſant, *in præſenti quæſtione.* Primum præmittit Doctor, quod eſt fidei, nempe beatitudinem electorum fore perpetuam. *Beatitudo perpetua.* Secundò, proponit dubium ex qua cauſa conueniat beatitudini perpetuitas: qua in re adducit ſententiam D. Thomæ, quæ aſſerit beatitudinem eſſentialiter eſſe per ſe, & ex ſe perpetuam, & formaliter neceſſariam: cauſaliter verò à voluntate, quæ neceſſitatur ad finem vltimum clarè viſum. *Ordo quæſtionis.* Tertiò impugnat primum aſſertum. Quartò, impugnat ſecundum. Quintò, reſpondet ad quæſitũ per concluſionẽ oppoſitã primæ aſſertioni. Sextò, reſpondet etiam negatiuè quoad ſecundã aſſertionem. Septimò reſoluit in quo ſit ſecuritas, & reſpondet ad argumenta principalia.

SCHOLIVM

SCHOLIVM.

Beatitudinem fore perpetuam probat ex Scriptura, & August. definitur in 6. Synodo epistola Sophronij, quæ est in act. 11. & approbata act. 13. & in Lateran. ex cap. Firmiter *de sum. Trinit. Oppositum errorem fuisse Origenis, refert Hieron. epist. 56. & August. 21. Ciuit. 17. & de hæres. cap. 43. Ruffinus etiam tribuit Hieron. eundem errorem lib. 1. contra ipsum, propter quædam verba eius, in c. 1. & 2. ad Ephes. & dial. contra Pelagianos, sed Hieron se expurgat in Apol. contra Ruff. dicens se transtulisse tantùm ex aliis, quæ habet in illis commentariis. Alia loca Hieron explicat Sixtus Sen. lib. 6. Bibliot. annotat. 290. de pœnis Purgatorij, quæ secundùm fidem non sunt perpetuæ.*

2 [b] HIc duo sunt videnda. Primò, de perpetuitate beatitudinis. Secundò, de securitate beati. De primo patet, quia ita est ex Scriptura Matth. 25. *Ibunt iusti in vitam æternam.* & 22. *Erunt sicut Angeli Dei.* & in Psalm. 83. *In secula seculorum laudabunt te,* & alibi sæpè. Similiter ad hoc sunt dicta Sanctorum multa. Sufficiat adducere illud August. 13 de Trinit. cap. 8. *Beata vita esse non potest, nisi sit immortalis.* Quod probat, quia si amitti potest; aut ergo beatus amittit eam nolens, & tunc non est beatus, quia non habet quicquid vult: aut volens: aut neque nolens, neque volens. Et ad vtrumque illorum duorum membrorum sequitur quòd non est beatus, quia non amat beatitudinem: imò si volens amittit, odit eam. Si neuter, non appretiat eam: nec ergo est vita beata.

Idem Marci 12. & Luc 20. Beatitudinem esse æternam.

Consimiliter potest argui, si amittatur beatitudo per amissionem vitæ naturalis, quia aut amittit vitam volens, aut nolens, aut neutraliter. & videtur ista distinctio trimembris August. intelligenda, non pro instanti, quo poneretur amittere beatitudinem, quia consequens non esset inconueniens, scilicet quòd tunc non sit beatus: sed debet intelligi pro illo primo *nunc*, vel pro tempore, pro quo est beatus: quia siue tunc nollet amittere, & tamen amitteret, non habet quicquid vult; siue tunc vellet amittere, vel non curat, non diligit pro futuro illam vitam, etiam dum habet eam: ergo non est beata.

3 Nec est rationabile instare, quòd amittat eam; sed hoc non considerat dum est beatus, & ideò est neuter quoad voluntatem, non quidem non curando illud bonum apprehensum haberi pro semper, sed nihil intelligendo de illo haberi, hoc, inquam, irrationabile est, quia quomodo nunquam consideraret de perpetuitate illius vitæ, quam summè diligit, si beata est: aut si considerat, & credit eam perpetuandam: ergo decipitur: nihil autem inconuenientius, quàm quòd falsa opinione aliquis sit beatus, secundùm Augustinum *de Ciuit. Dei* 11. c. 4.

Ad hoc etiam consonat auctoritas Philosophi in secundo de Generatione in fine. *In omnibus inquimus, naturam desiderare quod melius est:* melius est autem semper esse, quàm non esse, saltem eo modo, quo semper esse est possibile: est autem possibile naturæ perpetuæ, quòd sit perpetuò perfecta vltimata perfectione: ergo hoc naturaliter desiderat, & per consequens in beatitudine, vbi desiderium naturale complebitur, ne sit frustra, hoc habebitur.

Secundùm Philos. beatitudo est perpetua.

Sed de causa istius perpetuitatis dubium est, similiter qualis sit illa perpetuitas: & tertiò qualiter insit beatitudini.

COMMENTARIVS.

2 HIc duo [b] *sunt videnda,* &c. Beatitudinem fore perpetuam est de fide; quam breuiter probat ex Matth. 25. *Ibunt Iusti in vitam æternam,* &c. & 22. *Erunt sicut Angeli Dei.* & Ps. 58. *In secula seculorum laudabunt te,* &c. Patet etiam *Eccles.* 24. *Sap.* 5. *Isa.* 33. *Matth.* 6. *Ioan.* 17. *ad Rom.* 6. 1. *ad Corinth.* 9. 2. *ad Cor.* 3. 1. *ad Thessalonicen.* 4. 1. *Petri* 1. & 5. *Apocalyp.* 3. 7. & 20. *ex Symbolis fidei, vt Apostolorum Constan. Athan. ex 6. Synodo Act. 11. in Epistola Sophronij approbata Act. 13. cap. firmiter de fide Catholica,* &c. Est etiam Patrum passim, vt asserit Doctor; quam probat ex Augustino 13. de Trinit. cap. 8. *Beata vita esse non potest, nisi sit immortalis,* &c. Quod probat sic Augustinus, quia si amitti potest: vel beatus eam amittit nolens; & tunc non est beatus: quia non habet quidquid vult: aut neque nolens, neque volens, & sic etiam sequitur quòd non sit beatus: quia non amat beatitudinem, imò si volens amittit, odit eam: si neque nolens, neque volens, non appetit eam: ergo nec est vita beata. Consimiliter potest argui, si amittatur beatitudo per amissionem vitæ beatæ: quia aut amittit vitam naturalem, nolens, aut volens, aut indifferenter se habens, & videtur sic intelligenda ratiocinatio Augustini, vt referatur ad instans habitæ beatitudinis, & non ad instans amissionis sequens: quia

Veritas fidei probatur.

August.

Ratio eius.

Explicatur.

quia ſic non eſſet inconueniens quòd pro illo non eſſet beatus; debet ergo intelligi pro tempore, quo eſt beatus: quia diſtinctio præmiſſa ſic rectè quadrat, quia ſi non habet beatitudinem pro futuro, non eſt beatus; ſi amittat eam nolens, non habet quidquid vult. *Reſponſio.* Quòd ſi dicas quidem eum amittere beatitudinem, ſed neque nolle, neque velle actu amiſſionem eius; quia non conſiderat de ſtatu futuro, aut beatitudine continuanda, aut amittenda, quia neſcit; hoc irrationabile eſt: *Impugnatio.* quia nequit non conſiderare, aut cogitare de perpetuitate illius vitæ, quã ſummè diligit, ſi eſt beata, aut ſi conſiderat, & credit perpetuandam, beatus erit in falſa opinione; quod omnino falſum eſt ex Aug. 11. *de Ciuitat. cap.* 5. ſi autem ſuſpenſus eſt de eius amiſſione, aut incertus, tunc etiam timet, neque eſt ſecurus: ergo non eſt beatus: quia non quieſcit vltimatè.

Tandem probat ex Philoſopho *in* 2. *de gen. In omnibus*, inquit, *natura deſiderat quod melius*, &c. *Philoſoph.* Sed melius eſt eſſe ſemper, & in vita æterna, quæ perpetuari poteſt: ergo hoc deſiderat beatus, & amat: hoc autem deſiderium naturale completur in beatitudine, quia eſt ſtatus omnium bonorum cumulo perfectus.

Patet hoc idem ex definitionibus beatitudinis, quas *ſuprà ſub initio huius diſtinctionis* propoſuimus: & patet ex ratione præmiſſa Doctoris neceſſariò ad vltimam ſatietatem naturæ beatificabilis requiri, vt omnis eius appetitus naturalis compleatur; hic autem appetitus eſt ad beatitudinem, vt perpetua eſt: ergo talis ſecuritas neceſſaria eſt in beato, vt conditio neceſſaria ſtatus, & perfectio eius extenſiua, qua excludatur timor & anxietas de eius amiſſione, & vt ſit de ſe ſufficiens ad completam ſatietatem, vltra quam nemo appetere poteſt ordinatè.

S C H O L I V M.

Refert tres opiniones de cauſa perpetuitatis beatitudinis. Prima, ait perpetuam, quia eſt neceſſaria in ſe formaliter, licèt ab alio cauſaliter. Probatur primò, quia propria perfectio accidentalis cæli, vt perſpicuitas, eſt incorruptibilis. Secundò, beatitudo tollit omnem priuationem à beato. Tertiò, alioquin beatus poſſet eſſe miſer, & ſic non beatus.

Henr. quodl. 12. *q.* 15. *D. Thom.* 1. 2. *q.* 10. *art.* 1. & 2. [c] DE primo autem ponitur beatitudo eſſentialiter ex ſe neceſſaria, & tunc non poteſt non eſſe perpetua, formaliter quidem ex ſeipſo, cauſaliter autem aliqua cauſalitate à cauſa extrinſeca: aut ſecundò ponitur quòd beatitudo eſt perpetua ex voluntate neceſſariò fruente aliquo viſo, quia non oſtenditur in eo aliqua ratio mali, aut defectus boni: & differt iſta propoſitio à prima, ſicut illa, qua ponitur cælum neceſſariò moueri ex neceſſaria habitudine vniformi mouentis ad mobile, ab illa, quæ poneret motum cæli ex ſe formaliter neceſſarium. Primum poneret Philoſophus, non ſecundum, ſicut patet 11. *Metaph. Comm.* 41. *12. Ariſt. & 12. Commentatoris.* Tertiò ponitur potentiam neceſſariò determinari ad agendum, & ex habitu neceſſario, putà intellectum ad videndum ex lumine gloriæ, & voluntatem ad fruendum ex charitate conſummata. 4

Pro prima poſitione illarum arguitur ſic: Aliqua forma corporalis eſt ſimpliciter incorruptibilis, nec ſolùm ſubſtantialis, vt forma cæli, ſed etiam accidentalis, dummodò ſit propria perfectio corporis incorruptibilis, vt perſpicuitas in cælo, & luminoſitas in ſtellis: ergo ſuprema perfectio naturæ ſpiritualis eſt formaliter incorruptibilis. 5

Præterea, forma, quæ tollit à ſua materia omnem priuationem, conſtituit compoſitum incorruptibile. Patet de cælo; ſed beatitudo tollit à natura beatificabili omnem priuationem, quia omnem imperfectionem, & potentialitatem, cùm ſit actus vltimus in ſuo ordine, magis quàm forma cæli in ordine formarum ſubſtantialium. Confirmatur ratio, quia finis extrinſecus, pro eo quòd includit eminenter perfectionem omnis alterius finis, tollit omnem priuationem, ſeu carentiam reſpectu finis extrinſeci, hoc eſt, non deficit aliquis finis extrinſecus habenti perfectè illum: ergo à ſimili, vel à cauſa, finis vltimus intrinſecus coniungens iſti fini, tollit omnem priuationem finis alterius intrinſeci, & ita conſtituet compoſitum formaliter incorruptibile intrinſecè, & in coniunctione ad finem extrinſecum.

Præterea tertiò, ſi beatitudo eſſet de ſe formaliter poſſibilis: ergo poſſet deſtrui, & tamen manente natura, quia ipſa eſt incorruptibilis, & per conſequens poſſet beatus fieri miſer, & ita beatus non eſſet beatus, quia non haberet quicquid vult: vult enim nunquam fieri miſer.

COMMENTARIVS.

3 *Prima ſent. de radice perpetuitatis.* DE *primo* [c] *autem ponitur beatitudo*, &c. Hîc ſubiicit tres ſententias de radice perpetuitatis, quarum prima neſcio cuius potiſſimùm ſit, quamuis margo præferat D. Thomam *in quodlibeto primo*, vbi nihil tale habet, citatur Ægidius, qui mihi non eſt ad manum: cuiuſcunque ſit, tribuit beatitudini neceſſitatem formalem, & ex parte

2. Sent. parte causæ extrinsecæ. Secunda statuit necessitatem ex parte voluntatis necessariò fruentis bono viso, cui non est annexa, aut admixta aliqua rationali. *3. Sent.* Tertia, quæ in idem penè concidit, tribuit necessitatem ex habitu tam luminis gloriæ, quàm etiam charitatis consummatæ; vterque modus est D. Thomæ 1.2.*quæst.*5.*art.*4. *&* *quæst.*10.*art.*2. Videantur eius Interpretes locis citatis.

4 Prima sententia fundatur in eo, quòd perfectiones accidentales, & intrinsecæ corporis incorruptibilis sint incorruptibiles: ergo suprema perfectio creaturæ intellectualis debet esse per se incorruptibilis. *Fundamenta primæ sent.* Deinde, quia beatitudo tam formalis, quàm etiã obiectiua tollit à beato omnem priuationem ad formam contrariam: ergo beatitudo nequit compati cum priuatione formæ oppositæ, & consequenter est per se incorruptibilis. Deinde, si beatitudo esset possibilis: ergo destrui posset: ergo non est beatitudo, quia per eam non haberet beatus quidquid vult, &c. Hanc partem videtur sequi Sotus *in hac. d. quæst.* 3.*art.*4.& Vasquez 1.2.*disp.*21.*cap.*2. asserit teneri à quibusdam modernis absolutè, & sine vlla distinctione. Alij verò distinguunt incorruptibilitatem in ordine ad agens creatum, & formam, quam virtute sua potest introducere, & sic dicunt operationes beatificas esse incorruptibiles virtute agentis creati, sicut sunt Angeli incorruptibiles: tamen esse corruptibiles in ordine ad Deum. *Diuersi modi eius defendenda.* Hæc interpretatio est magis congrua, & contra eam non procedunt rationes Doctoris in sequenti paragrapho: nam certum est de facto non esse corruptibiles virtute agentis creati: quia siue voluntas liberè se habeat ad finem, siue non, supposita visione, & mediis ad fruitionem, infallibiliter fruitur, nunquam destituta, & supposita fruitione in *esse*, & Dei conseruatione speciali respectu eius, etiam voluntas nequit intermittere in exercitio fruitionem. Hæc autem necessitas essendi non conuenit fruitioni in ratione formæ, nisi vt subest suis causis, & influxui, vt probant rationes Doctoris.

SCHOLIVM.

Refutat dictam opinionem, probans beatitudinem, manente natura beatificabili, corrumpi posse. Dicitur tamen incorruptibilis, quia à nullo creato destrui potest: an verò hoc ei conueniat ex natura, vel ex Dei beneplacito extrinseco, posteà dicetur. Soluit rationes illius opinionis.

6 d Contra illud, beatitudo creata est accidens: ergo non minùs dependet quàm suum subiectum: sed subiectum dependet ex conseruatione Dei contingenter ipsum conseruantis, & per consequens non habet *necesse esse* formaliter: ergo multò magis nec accidens. Respondeo, etsi absolutè beatitudo habeat *esse* contingens: tamen ex quo semel inest naturæ, necessariò inest manente natura, & ita habet *necesse esse*, ex quo producta est in *esse*, & hoc quantùm est in ordine suo essendi, licèt non absolutè sit necessarium, sicut probat ratio. *Refutat primam opin. de perpetuitate beatitudinis.*

Contra hoc, Deus potest conseruare prius essentialiter sine posteriori: illa natura est prior essentialiter beatitudine, quia subiectum, imò etiam prior tempore: patet ergo, &c. Confirmatur, nunquam est maior necessitas tertij ad primum, quàm tertij ad secundum: hîc autem tertij ad secundum est tantùm habitudo contingens, patet ex ratione extremorum: ergo, &c. *Prius potest esse sine posteriori.*

e Concedo ergo quòd nihil aliud à Deo habet *esse* formaliter necessarium, sed simpliciter contingens, tamen aliquod creatum dicitur habere *esse* incorruptibile, pro quanto non habet contrarium, vel non potest destrui ab aliquo creato, sed tantummodò potest annihilari à Deo non conseruante: & hoc modo potest concedi beatitudinem esse incorruptibilem: sed sic incorruptibile non est ex se perpetuum, nisi possibiliter: quia sicut *esse* suum habet contingenter à Deo conseruante, sic & perpetuitatem.

7 Ad rationes pro prima opinione. Ad primum patet ex dictis, quòd nec cælum, nec aliquod accidens eius est incorruptibile, nisi modo prædicto. Ad secundum dico, quòd nulla forma potest auferre priuationem à susceptiuo, quod scilicet natum est recipere aliam formam, nisi eminenter contineat formam ipsam: quia manente in aliquo aptitudine ad recipiendum, non potest tolli carentia, nisi ponatur illud: nec aliter tollitur, nisi sicut illud tollitur. Forma ergo cæli cùm non includat in se formas inferiorum simpliciter, sed nec eminenter, eo modo quo ens infinitum includit omnia alia, sequitur quòd non tollet à sua materia priuationes illarum formarum, si tamen sua materia est capax illarum. Vnde illa via ponendi cælum incorruptibile, videtur irrationabilis: quia per illam viam non tollitur corruptibilitas quantùm est ex principiis intrinsecis, licèt saluetur, quòd non possit corrumpi ab agente naturali, quia illa forma ita continet alias, quòd non potest per aliquod agens naturale expelli. *Formam cæli non tollere omnem priuationẽ. Contra Ægid. qui ponit in cælo materiã eiusdem rationis cum materia inferiorum.*

Exemplum huius patet in intellectiua, quæ est forma perfectior quàm forma cæli: & tamen non tollit à materia aliquam priuationem aliarum formarum, imò nec constituit

tuit incorruptibile respectu agentis naturalis pro quanto aliquam formam concomitantem requirit ad sui *esse*, ad quam potest agens naturale attingere corrumpendo: sola ergo forma infinita, si posset materiam perficere, posset per illam viam auferendo scilicet priuationem, compositum incorruptibile constituere; tamen adhuc esset dubium, an susceptiuum esset in potentia ad illas formas sub propriis rationibus, quas habet eminenter in illa vna forma infinita. Patet ergo, quod antecedens est falsum, loquendo de incorruptibili, hoc est indestructibili: si autem sit sermo de incorruptibili ab agente naturali: aut à contrario, concedo antecedens, & sic conclusionem.

Finis extrinsecus vltimus tollit omnem priuationem, quare non sic intrinsecus.

Ad confirmationem dico, quòd non sequitur de fine intrinseco; quòd tollat omnem priuationem formaliter à subiecto, sicut finis extrinsecus tollit omnem defectum finis extrinseci: quia finis extrinsecus est formaliter infinitus, finis intrinsecus est formaliter finitus, & ideò non potest sic ille includere intrinseca, sicut ille extrinseca. 8

Contrà, non potest finis intrinsecus alius succedere isti, nisi coniungat alij fini extrinseco: ergo si ille coniungit extrinseco, qui excludit omnem defectum, etiam ille intrinsecus excludit intrinsecè omnem defectum finis coniungentis. Respondeo, ille, dum manet, excludit defectum, sicut albedo, dum inest, excludit defectum nigredinis; sed ille non simpliciter necessariò inest, quia non est in se necessarius: ille autem extrinsecus est in se necessarius. Et cùm dicis, alius finis intrinsecus potest coniungere alij fini extrinseco; concedo: sed tunc finis extrinsecus non est huic finis, nec supplens omnem defectum cuiuscunque finis extrinseci. Per hoc patet ad confirmationem, quia tunc non est coniunctus huic.

Ad tertium dico, quòd si natura ista maneat eadem natura, semper est capax beatitudinis, & miseriæ: & per consequens non est contradictio, quò cessante beatitudine, quæ est sibi accidens per accidens, insit miseria. Et cùm dicis, tunc non habuit priùs quicquid voluit. Respondeo, habuit quicquid voluit vnitiuè, non distributiuè accipiendo, sicut dictum est suprà, hoc est Deum, in quo eminenter habuit omne rectè volibile.

q. 1. & 3 huius dist.

COMMENTARIVS.

5 *Impugnatur dicta sententia.*

Contra [d] *illud*, &c. Hanc eandem sententiam confutat etiam Bassolis hic. Primò vrget Doctor quòd beatitudo cùm sit accidens, non possit dicere maiorem necessitatem essendi, quam suum subiectum, quod tamen dependet à conseruatione perpetua causæ primæ; & consequenter non habet necesse esse formaliter. Dices hanc necessitatem esse ex suppositione quòd sit, quia licèt contingenter recipit *esse*: tamen supposito quòd semel insit naturæ, necessariò conseruatur, vel inest. Contrà, Deus potest conseruare prius essentialiter sine posteriori; tale est subiectum respectu beatitudinis; imò etiam prius tempore. Confirmatur, nunquam est maior necessitas tertij ad primum, quàm tertij ad secundùm; sed beatitudo comparata ad subiectum se habet vt accidens, & contingenter: ergo etiam sic se habet ad primum, nempe ad Deum: ex quo patet actus beatificos non esse natura sua, & ab intrinseco simpliciter incorruptibiles in *esse* formæ ex natura sua, sicut sunt incorruptibiles Angeli, aut substantiæ spirituales: quia nempe actus vitales sunt, & non exigunt permanentiam ex ratione formæ, sicut patet in visione transitoria Dei, quam dicitur habuisse Paulus: Angeli autem sunt natura sua permanentes, & à nullo creato dependentes, cuius virtutes impediri posset ab actione, sicut se habent operationes beatificæ dependentes à potentiis, quæ simpliciter, & ab intrinseco impediri possunt, licèt nequeant impediri de facto, vt subsunt influxui causæ primæ, per quem influxum euenit, vt operationes semper durent, & hoc modo sint incorruptibiles ex efficacia causarum, non verò ex natura formæ, quæ est alioquin dependens à tali perpetuo influxu.

Beatitudo non excedit subiectum quantùm ad necessitatem essendi.

Responsio.

Impugnatio.

Beatitudo minùs dicit intrinsecè necessitatē essendi, quàm Angelus.

[e] *Concedo ergo*, &c. Concedit omne aliud à Deo esse simpliciter contingens; *tamen aliquod creatum*, inquit, *dicitur habere esse incorruptibile, pro quanto non habent contrarium, vel non potest destrui ab aliquo creato, sed tantummodo potest annihilari à Deo non conseruante, & hoc modo potest concedi beatitudinem esse incorruptibilem*, &c. Quibus verbis tenet quod superiùs diximus esse de mente eius, ideóque hoc modo intelligendo primam sententiam, nulla erit quantùm ad hoc discrepantia; & responsio ad argumenta est plana, & rectè fundata: in aliis modis explicandi est maior difficultas. 6

Incorruptibilitas beatitudinis.

Reconciliatio sententia præmissa.

SCHOLIVM.

Refutat secundam opinionem quæ est D. Thom. 1. 2. quæst. 10. art. 2. tenentis necessitari voluntatem ad amandum obiectum visum, in quo nulla apparet ratio mali, quia voluntas non tendit naturaliter in tale obiectum, sicut intellectus. Secundò, Deus etiam ipsum intellectum creatum naturaliter non mouet, sed contingenter, quia omnia ad extrà liberè facit. Adde rationem D. Thom. tantùm suadere, quòd Deus clarè visus non potest

potest

potest odio haberi. Vide Doct. 1. dist.1.quæst. 4. vbi de hoc agit. Refutat etiam tertiam sententiam, ostendens perpetuitatem beatitudinis non prouenire ex habitibus necessitantibus potentias ad perpetuò operandum.

9 [f] Contra secundam positionem arguitur *lib.1.dist.1.quæst.* 4. & concedo quòd licèt intellectus naturali necessitate videat obiectum præsens proportionatum: tamen voluntas non naturali necessitate fruitur illo obiecto viso, sicut ibi dictum est: neque etiam illa necessitas videndi est simpliciter necessitas, sed tantummodò necessitas, si obiectum præsens moueat: & istud est sic merè contingens, quia obiectum istud voluntariè, & contingenter mouet quemcunque intellectum creatum; sed etiam voluntas contingenter fruitur illo viso contingenter, & copulat intelligentiam cum memoria, si tamen ibi habet actum. Ad argumentum, quòd in obiecto non ostenditur aliquid mali, nec defectus boni, responsum est vbi priùs. *Voluntatē non necessitari ad amandum Deum, clarè visum.*

Contra tertiam positionem argui potest, quòd habitus non potest esse prior causa operationis, quàm potentia, sed semper secunda, quia illud est potentia, quo simpliciter possumus: vnde habitus non vtitur potentia, sed potentia habitu, sicut causa secunda, & instrumento: causa autem prior non determinatur ad agendum, nec per consequens necessitatur per causam secundam, sed è conuerso. *Ad tertiā opin. Perpetuitatem beatitudinis non esse ex habitibus.*

Præterea, Beata Virgo habuit in via maiorem charitatem charitate alicuius beati inferioris gradus: & tamen illa charitas non necessitauit eam ad fruendum etiam quando contemplabatur Deum.

[g] Præterea, esto quòd lumen gloriæ necessitet illum ad videndum obiectum præsens: tamen si voluntas sit causa imperans illam visionem; potest non imperare: contingenter enim coniungit intelligentiam memoriæ illius obiecti, quod contingenter amat. Videtur autem quòd sic ibi habeat sic coniungere, quia secundùm Augustin. *de Trinit. in multis locis*; in gignitione Verbi perfecti concurrit voluntas sic copulans: illa autem visio est Verbum secundùm ipsum 15. *de Trinit.*

Concedo ergo quòd non est necessitas, siue perpetuitas necessaria ex habitibus determinantibus potentias ad actus, sed tantummodò ex habitu gloriæ est necessitas secundùm *quid*, quia habitus est naturaliter inclinatiuus; nec ex charitate talis necessitas est in voluntate, quia talis liberè potest vti charitate, vel non vti. *Cap. 3.*

COMMENTARIVS.

7 *2. Sentent.* Contra [f] *secundam positionem*, &c. Secunda sententia est voluntatem necessitari ad finem vltimum clarè visum ex propria inclinatione. Huius tractatum remittit Doctor ad ea, quæ tractauit *in* 1.*d.*1.*quæst.* 4. & persistit in sententia contraria, quam *ibidem* defendit. Resolutio huius quæstionis dependet à modo, quo statuitur, & definitur libertas voluntatis, an scilicet sit per differentiam intrinsecam, & modum connaturalem agendi voluntatis per se; an verò radicaliter oriatur ab indifferentia intellectus proponentis obiectum sub ratione indifferenti boni, & mali, ita vt si sub ratione determinata boni proponatur, auferat libertatem, seu indifferentiam voluntatis ad prosecutionem talis boni sic propositi. D. Thomas, eiúsque discipuli tenent secundum: nempe libertatem oriri radicaliter ab intellectu, & non à radice intrinseca ipsius voluntatis. Doctor noster contrarium vbique defendit, asserens hanc esse differentiam essentialem voluntatis creatæ, & modum eius operandi ab intrinseco. Hinc ergo consequenter D. Thomas rectè defendit voluntatem necessitari ad vltimum finem clarè visum; quia visio clara Dei, & ipse visus continet determinatè omnem rationem boni sine admixtione, aut differentia mali, aut indifferentia ad malum; quanquàm autem resolutio huius quæstionis dependeat maximè à priori, quæ est de natura libertatis, ideóq; eam visum est omittere, tamen ne difficultatis excusatio hæc offenderet lectorem, ideò sequentem, quæ immediatiùs tangit difficultatem subiicere visum est, vt potissimùm modernis scriptoribus occurratur: interim intermissa explicatione textus quæritur, *Explicatur. [a]*

Vtrùm voluntas necessitetur ad finem vltimum clarè visum?

Prima sententia est, voluntatem ab intrinseco necessitari ad amandum Deum clarè visum. est communis in Schola D.Thomæ, pro qua citatur ipse sanctus 3.*contra Gentes cap.*62.tenet Capreolus *in* 1.*dist.*1.*q.*3. Ferrariensis *in D.Thomā loco citato.* Caiet.1.*p.quæst.* 82. *art.* 10. vbi Conradus, & Medina, *&* 1.2.*q.*10.*art.*2. Sotus *in* 4.*d.*49.*quæst.*3. *art.*4. Durandus *in* 4.*d.*48.*quæst.*2.*&* *d.*49.*quæst.* 8. Richardus *art.*1. Maior. *q.* 8. Henricus de Guandauo *quodlib.*12.*quæst.*5. Ægidius *quodlib.*3. *quæst.* 6.*art.*3. licèt hi ampliùs procedant asserentes de potentia Dei absoluta non posse separari visionem Dei ab amore. Vasquez 1.2.*disp.* 16.*cap.*2. probabiliorem censet. Eandem tenet Suarez *in met.disp.*19.*sect.*8.*num.*10. Valentia *tom.*2. *disp.* 1. *quæst.*4. & alij. 8 *1. Sentent. affirman.*

Prima conclusio voluntas non necessitatur ab vltimo fine clarè viso; sed liberè elicit actum quoad exercitium; necessitatur autem quoad specificationem. Hanc tenet Doctor. *in* 1.*d.* 1.*quæst.* 4.*art.*3. 9 *1.Concl.*

4.*art.*3.*& hic.* Eandem ſupponit *in* 3.*d.* 18. *de merito Chriſti,& libertate*; & vbicumque agit de modo operandi voluntatis creatæ, ſupponens agere liberè eſſe ei differentiam eſſentialem: quem ſequuntur omnes eius diſcipuli, Lychet. *in* 1.*d.* 1. *quæſt.*4. Tartaretus *ibidem,& in* 4.*loco citato.* Bargius *in ead d.*1. Ouandus *in* 4.*d.*49.*propoſitione* 14. Mayrones *in* 1.*d.*1. *quæſt.*7. Anglez *in* 4. *de beatitudine art.* 3. *difficultate*, 4. Orbellus, Niſa, Petrus de Aquila, & alij in præfata loca Doctoris.

10 Eandē ſententiam docent Nominales: Ocham *in* 1.*d.*1.*quæſt.*6.*concluſ.*5. Gabriel. *art.*2.*concl.*4. ſupplementum *in* 4.*d.*49 *quæſt.*2.*dub.*3. & 4. Toletanus *in* 1.*d.*1.*quæſt.*6. *art.* 1. *concluſ.* 2. citans Iacobum de Viterbio *in tract. de diuinis prædicamentis.* Citari etiam poteſt D.Thomas .12.*quæſt.*10.*art.*2. quidquid dicant eius Interpretes; ibi enim quærit vtrùm voluntas moueatur de neceſſitate à ſuo obiecto? & reſpondet *in Corpore*, à nullo obiecto moueri voluntatem quoad exercitium ex neceſſitate; quoad ſpecificationem autem moueri ex neceſſitate ab obiecto, quod habet in ſe omnem rationem boni. *Inde inquit, ſi proponatur aliquod obiectum voluntati, quod ſit vniuerſaliter bonum, & ſecundùm conſiderationem ex neceſſitate voluntas in illud tendit, ſi aliquid velit*, &c. Loquitur de neceſſitate ſpecificationis. Vnde ſubdit illam particulam conditionatam, *ſi aliquid velit*: & infrà, *& ideò illud ſolum bonum, quod eſt perfectum, & cui nihil deficit; eſt tale bonum, quòd voluntas non poteſt non velle quod eſt beatitudo*, &c. Citari poteſt Altiſiodorenſis *lib.*3.*tract.*1.*c.*7. Almainus *in* 3.*d.quæſt. vnica, not.* 5. qui docent Chriſtum meruiſſe per ipſam Dei fruitionem.

11 *Probatio concluſionis.* Probatur concluſio, primò authoritate Aug. *Enchiridij cap.* 26. & 29. docet ſanctos Angelos accepiſſe cum vita æterna certiſſimam ſcientiam de ſua ſtabilitate nunquam caſuros *cap.*28. *Cæteri pia obedientia Domino cohæſerunt, accipientes etiam quod illi non habuerunt (id eſt mali) certam ſcientiam, qua eſſent de ſua ſempiterna, & nūquam caſura à ſtabilitate ſecuri*, &c. & *cap.* 29. idem habet: loquitur autem de certitudine, quam nunc habent in gloria, in qua fundatur ſecuritas; hæc autem ſcientia diuerſum donum eſt ab ipſa beatitudine, & accipitur reuelatione Dei. Vnde *de Ciuit. Dei lib.*11.*cap.*11. negat Angelis viatoribus, ſaltem lapſis ante peccatum, eam ſcientiam fuiſſe, & ait neceſſariam eſſe ad beatitudinem, eámque de facto ineſſe Angelis beatis, per quam timor, & ſolicitudo de euentu excluditur: imò neque præſcientiam ſui caſus habuiſſe docet Adamum in ſtatu innocentiæ ob eaſdem cauſas *lib.* 11. *de Gen.ad lit. cap.* 18. Item, *de correptione & gratia cap.*10. Item, *præfato lib.de Ciuit.cap.*13. docet ad beatitudinem requiri, vt *creatura intellectualis bono incommutabili, quod Deus eſt, ſine vlla moleſtia perfruatur, & in eo ſe in æternum manſurum, nec vlla dubitatione cunctetur, nec vllo errore fallatur: hanc habere Angelos lucis pia fide credimus*, &c. Non ergo certa ſcientia per cauſam euidentem colligit S.Auguſtinus hanc ſcientiam ſecuritatis non cadendi habere iam Angelos, ſed pia fide colligit. Vnde hoc ipſum probat ſubiungens: *Aut ſi durum videtur, quando facti ſunt Angeli alios credere ita factos, vt non acciperent præſcientiam, vel perſeuerantiæ, vel caſus ſui: alios autem ita factos vt veritate certiſſima æternitatem ſuæ beatitudinis noſſent; ſed æqualis felicitatis omnes ab initio creati ſunt; & ita fuerunt, donec iſti qui nunc mali ab illo bonitatis lumine ſua voluntate cecidiſſent: procul dubio multò eſt durius nunc putare Angelos ſanctos æternæ ſuæ beatitudinis incertos; & ipſos de ſemetipſis ignorare, quod nos de illis per Scripturas ſanctas noſſe potuimus. Quis enim Catholicus Chriſtianus ignorat, nullum Diabolum ex bonis Angelis vlteriùs futurum: ſed nec illum in ſocietatem bonorum Angelorum vlteriùs rediturum; veritas quippe in Euangelio ſanctis fidelibus promittit, quòd erunt æquales Angelis Dei; quibus etiam promittitur quòd ibunt in vitam æternam: Porrò autem ſi nos certi ſumus nunquam nos ex illa immortali felicitate caſuros, illi verò certi non ſunt, iam potiores non æquales eis erimus: ſed quia nequaquàm veritas fallit, & æquales eis erimus, profectò ipſi certi ſunt ſuæ felicitatis æternæ, cuius illi alij, quia certi non fuerunt, non enim erat eorum æterna felicitas, cuius certi eſſent, quæ erat finem habitura: reſtat vt aut impares fuerint, aut ſi pares fuerunt poſt illorum ruinam, illis certa ſcientia ſuæ ſempiternæ felicitatis acceſſerit*, &c.

Auguſt.

Scientia in qua fundatur ſecuritas.

Diuerſum donum eſt de beatitudine.

Durum ergo aſſerit Sanctus vel aſſerere malos Angelos habuiſſe ante lapſum ſui caſus præſcientiam, vel etiam bonos ſuæ perſeuerantiæ, quia nempe ſequeretur illos habere timorem, qui non conueniebat felicitati illius ſtatus, in quo creati ſunt, & poſſent deſperare iuxta ſententiam plurium Theologorum aſſerentium eum, cui ſui caſus, & damnationis fieret reuelatio, licitè poſſe deſperare, aut non applicare media ad ſalutem neceſſaria, aut non conari ingredi vitam, aut aſſequi finem, ad quem vocatus eſt, imò aliqui, vt S.Bonauentura, putat hoc impoſſibile eſſe, vt Deus ſui damnationem alicui in particulari reuelet: quia eſſet contra prouidentiam ſuauem, & bonitatem Dei. Accedit modò ex prouidentia etiam, quam circa prædeſtinatos exercet, quibus ſui perſeuerantiam in particulari non reuelat, communiter loquendo, vt cum timore & tremore ſoliciti operentur ſuam ſalutem, de perſeuerantia incerti, vt idem Sanctus Auguſt. docet *de dono perſeuerantiæ cap.*13. & 22. *de correp. & gratia cap.*13.*lib.*11.*de Trinit.cap.*12.*Proſp.lib.* 2.*de vocat. Gentium cap. vlt.* Hieron. *lib.*2. *contra Pelagianos.* Gregor.*lib.*6.*in* 1.*Reg.* Bernardus *ſer.* 1.*in Septuag.* nouiſſimè Trident.*ſeſſ.* 6. *cap.*13. & communiter Doctores: eadem proinde debuit ſeruari lex circa Angelos viatores, quibus propoſita eſt vita æterna vt merces bonorum operum, & perſeuerantiæ in bona voluntate, in qua creati ſunt, non ſecus ac homines comprehendit, & ipſum Adamum in ſtatu innocentiæ; quod obiter dixerim, ad declarandam mentem Auguſtini, qui duriùs cenſet non eſſe iam in ſanctis ſcientiam de ſtabilitate ſuæ beatitudinis, quam nos cognoſcimus ex Scripturis perpetuam. Loquitur autem de ſciētia illi ſtatui proportionata, & ipſis propria, atque à Deo communicata; quia nec dubium eſt eos habere eandem, quam nos ex Scripturis habere poſſumus: quæ tamen nobis primùm propoſitæ ſunt, & non Angelis: conuenit ergo ipſos Angelos habere propriam ſcientiam à Deo reuelatam, aut propoſitam de ſtabilitate ſuæ beatitudinis: propriam dico illi politiæ, & Hierarchiæ, & hanc perpetuitatem permanſuram, eſſe de ratione beatitudinis perfectæ, notúmq; eſſe beatis Sanctus Auguſtinus *locis citatis* 5.*de Trinit.cap.*8. & *lib.* 1. *de Ciuit. cap.* 10. & *lib.* 12. *cap.*20. probat contra Platonicorum, &c. circuitiones; & requiritur ad enarrandum ſolicitudinem, & timorem, cum quibus beatitudo, quæ eſt cumulus bonorum omnium 12

De eo cui reuelatur ſua damnatio.

Perſeuerantia in actu viatori.

nium, non esset completa, & perfecta; vnde visio Pauli, aut Moysis, non fuit beatitudo completa, aut permanens. Videantur Theologi hîc & 1.2. *quæst.*4. *art.*4. vbi aliqui docent beatitudinem ab intrinseco vindicare sibi hanc perpetuitatem ex natura actus. Alij negant, sed à lumine permanente, qui statuunt beatitudinem in visione: alij à Deo conseruante, atque eius voluntate sic statuente; perpetuam autem fore omnes de fide docent, cum symbolo Apostolorum *credo vitam æternam.* Item, 6. *Synodo, act.*11 *in Epistola Sophronij approbata act.*13. *cap.* firmiter *de summa Trinit. & fide Catholica*, atque ex sacris literis latè probant. *Eccles.*24. *Sap.*1. *Petri.*1. & 5. *Apocalyp.* 3. 7. & 20. *Matth.*6. *Ioan.*17. *ad Rom.*6. 1. *ad Corinth.* 9. 2. *ad Cor.*5. & aliàs sæpiùs. Vnde autem hæc perpetuitas conueniat beatitudini ab intrinseco: nam includere voluntatem, & statutum ferè omnibus pro concesso habetur? Neque enim duratio illa à Deo conseruante præscindit, neque quærit Augustinus de certitudine beatitudinis, aut scientiæ: de eius stabilitate ex parte Dei quærit, quia hæc nota supponitur, supposito quòd vt merces operum proposita sit ex promissione Dei Angelo, & homini, qui nec fallere potest, nec falli; quærit de causa stabilitatis ex parte beati, ne deficiat, & de scientia, quam habet de sui perseuerantia in beatitudine, ne cadat per miseriam peccati ab ipsa, rectificatus, & confirmatus in ea. Quod confirmat propositum argumenti, nempe voluntatem beati non necessitari per modum naturæ ad operandum circa Deum clarè visum: loquitur enim Augustinus de dono speciali scientiæ dato Angelis, se nunquam casuros: nam *cap.* 11. negat lapsos habuisse eam certitudinem, aut scientiam, quæ communicata est beatis. & *cap.*12. negat primos homines in paradisi felicitate habuisse certitudinem scientiæ de sua perseuerantia, neque electos in via, quamuis de præmio sint certi. Vnde eum cui esset reuelata sua perseuerantia, dicit esse beatiorem quantùm ad spem, licèt non quantùm ad delectationem, quàm fuerit primus homo sui casus incertus, in magna illa felicitate paradisi constitutus: constat ergo tam Angelos viatores, quàm hominem in paradiso habuisse eam certitudinem de præmio, si perseuerassent, quam habent fideles viatores, quia habuerunt fidem, & spem, & reuelationem explicitam huius, quod ipsis perseuerantibus propositum est: ideò ipse sanctus *in Enchiridio suprà* & alibi sæpè vt *de correptione, & gratia cap.* 10. ait *Deum sic ordinasse Angelorum, & hominum vitam, vt in ea priùs ostenderet quid potest eorum liberum arbitrium; deinde, quid potest sua gratia beneficium, iustitiaque iudicium*, &c. *Denique, Angeli quidam, quorum princeps, qui dicitur Diabolus, per liberum arbitrium à Domino Deo refuga facti sunt*, &c. *Cæteri autem per ipsum liberum arbitrium in veritate steterunt. eámque de suo casu nunquam futuro certissimam scire meruerunt*, &c. Vnde manifestè constat Augustinum non loqui de scientia permansionis beatitudinis quãtùm est ex parte Dei, quia hanc habuerunt Angelus, & homo viator in illo statu, supposita perseuerantia, fore certam retributionem eius, ad quam instituti sunt quantùm erat ex parte Dei, cum mediis requisitis, & dependentibus à suo libero arbitrio; sed de alia scientia, quam acceperunt Angeli perseuerantes, de casu suo nunquam futuro per peccatum: ergo supponit sanctus libertatem arbitrij perseuerasse in Angelis beatis cum beatitudine, ac recepisse hanc scientiam, tanquam diuersum donum à visione, & fruitione, atque ab illa, quam habuerunt in via, aliàs nullus esset locus quæstioni, neque probationibus, & argumentis, quibus sanctus asserit talem datam esse Angelis ex meritis suæ perseuerantiæ in via: sed si visio necessitaret voluntatem ad amorem patriæ, vel si ipsa voluntas necessariò amet, & non liberè ea libertate, de qua est quæstio, euacuaretur hoc donum tanquam diuersum à beatitudine substantiali: ergo non necessariò voluntas, sed liberè amat Deum clarè visum in patria ex mente Augustini. Probatur subsumptum, quia fuit certitudo in Angelis viatoribus de stabilitate beatitudinis, quantùm est ex parte Dei influentis, & promittentis ea quæ est in fidelibus viatoribus nunquam Deum subtracturum concursum, aut media necessaria ex parte sua, si beatus perseueret ex parte beati, si visio trahit necessariò voluntatem, aut obiectum visum, vt non liberè, sed necessariò agat circa ipsum ex natura actus, & potentiæ tanquàm ex causa, clarè cognoscitur, & certò indefectibilitas beatitudinis in beato; ergo euacuatur necessitas doni superadditi, per quod beatus certificaretur nunquam se casurum, quod est contra mentem Augustini. Vnde *cap.* 13. *lib.* 11. *de Ciuit.* concludit in initio hæc duo spectare ad beatitudinem, nempe vt Deo sine molestia fruatur, & se mansurum in illa fruitione certò sciat. *Quocirca*, inquit, *cuiuis iam non difficulter occurrit vtroque coniuncto effici beatitudinem, quam recto proposito intellectualis natura desiderat, hoc est, vt bono incommutabili, quod Deus est, sine vlla molestia perfruatur, & in eo se in æternum mansurum, nec vlla dubitatione cunctetur, nec vllo errore fallatur*, &c. Probat autem deinceps verbis citatis hanc scientiam esse in beatis Angelis: illa autem particula *mansurum* intelligitur de mansione per perseuerantiam liberi arbitrij, & liberè, vnde infrà subiungit ad propositum illius liberæ permansionis, & perseuerantiæ. *Quis enim Catholicus Christianus ignorat nullum nouum Diabolum ex bonis Angelis vlteriùs futurum*, &c. Diabolus autem fieret per lapsum peccati: ergo Augustinus intendit mansionem Angeli in beatitudine etiam prouenire ex voluntate sua libera, per quam nihil vnquam peruersè affectabit: ergo donum illud scientiæ in beato refertur ad stabilitatem voluntatis liberæ in bono incommutabili, atque vt hæc doctrina eius, quã non obiter, aut incidenter amplexus est, sed ex proposita resolutione magis appareat, ne coactè in nostram sententiam eam interpretari iudicemur; adiiciam eandem ex alio loco eiusdem, quasi ad verbum assertum.

Perpetuitas beatitudinis.

Ex Aug. deducitur conclusio.

Confirmatur ergo præmissa Doctrina, & sententia Augustini ex alio eius libro *de correptione, & gratia c.* 10. vbi post præmissa verba paulò superiùs adducta, subiungit probando Angelis datam esse scientiam certam de sua stabilitate, & perseuerantia in gloria: *si enim nos de Scripturis sanctis nosse potuimus sanctos Angelos iam nullos esse casuros* (nota particulam *casuros*, quod designat libertatem, non vsum eius in malum) *quantò magis hoc ipsi reuelata sibi sub limiùs veritate nouerunt? nobis quippe beata sine fine vita promissa est, & æqualitas Angelorum. Ex qua promissione certi sumus cùm ad illam beatam vitam post iudicium venerimus, non inde nos esse lapsuros*: (nempe per peccatum, & propriam libertatem) *quòd si de ipsis Angeli nesciunt,*

15 *Confirm.*

August.

nesciunt, non æquales, sed beatiores erimus (nempe in spe) *veritas autem nobis eorum promisit æqualitatem; certum est igitur hoc eos per speciem, quod nos per fidem, nullam scilicet iam ruinam cuiusquam sancti Angeli futuram*, &c. Loquitur ergo de ruina, quantùm est ex parte ipsorum per peccatum, non autem de instabilitate beatitudinis ex parte Dei, non oblata causa ex parte beati per subtractionem concursus, aut mediorum, clarè constat; & ex sequentibus, in quibus causam perseuerantiæ ex parte beati subiungit plenitudinem charitatis *Diabolus verò, & Angeli eius, etsi beati erant antequàm caderent* (loquitur de beatitudine in via, sicut aliàs locis citatis, & beatitudinem hanc tribuit sæpè primo homini) *& se in miseriam casuros esse nesciebant: erat tamen adhuc quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent, donec istam summa beatitudinis plenitudinem tanquam præmium ipsius permansionis* (nota quomodo permansionem intelligit liberam, sicut *suprà*, mansionem, non aliter quàm vt est perseuerantia libera in voluntate) id est *vt magna per Spiritum sanctum data abundantia charitatis Dei cadere vlteriùs omnino non possent, & hoc de se certissimè nossent hanc plenitudinem beatitudinis non habebant*, &c. Subiungit habuisse aliquam, nempe rectitudinem, in qua creati sunt cum ignorantia sui futuri casus, quem si scirent, non possent esse beati, *quos huius tanti mali metus iam tunc miseros esse compelleret.*

14 Ex his habemus intentum, nempe scientiam illam esse donum diuersum à substantia beatitudinis, vt est fruitio summi boni, atque visio; recipere autem confirmationem in beatitudine, quatenus per eam redditur securus beatus, se nunquam casurum per peccatum: quod supponit in eo voluntatem liberè, & non necessitate naturæ operari circa obiectum beatificum. Habemus secundò ex Augustino voluntatem, neque seipsa esse in illo statu indefectibilem (esset autem defectibilis, si necessitate operaretur, & non vt voluntas, aut liberè) neque rectificari per visionem tanquam necessitatem ad obiectum, quantùm ad exercitium; neque denique per ipsum obiectum clarè visum; ex eadem ratione. per quid ergo? Respondet Augustinus: *Magna per Spiritum sanctum data abundantia charitatis Dei cadere vlteriùs omnino non possent, & hoc certissimè scirent:* ergo si gratia, & charitas Dei, eiúsque abundantia hoc tribuit, non in visionem, aut necessarium modum operandi voluntatis circa obiectum clarè visum id tribuitur, sed per charitatem superadditam, ac proinde voluntas seclusa illa abundantia charitatis defectibilis esset, cuius rectificatio in Spiritum sanctificantem est reducenda per abundantiam charitatis Dei, quæ non destruit naturam voluntatis, sed promouet in bonum, vt ampliùs deficere non posset. Quòd si aliqui, obiiciat illa verba; *vt peccare ampliùs non posset*, &c. Quasi inde probaret necessariò operari circa finem clarè visum, & non liberè adiungat etiam reliqua, quæ sequuntur, nempe, *Et hoc certissimè sciret*, quæ ex dictis insinuant modum operandi voluntatis circa finem, esse liberum. Vnde infrà idem adiungit sanctus loquens de eo, quod reciperet Adamus si perseuerasset: *Acciperet illam merito permansionis* (hoc est perseuerantiæ) *beatitudinis plenitudinem, qua & sancti Angeli sunt beati*, id est, *vt cadere non posset vlteriùs, & hoc certissimè sciret*, &c. Non sequitur ergo tolli

Confirmatio in statu beatifico est ex charitate.

libertatem ad bonum in doctrina Augustini, quamuis tollatur potestas ad peccandum. Vnde in beatis circa obiectum secundarium manet libertas ex communi consensu; non autem manet potestas ad peccandum: separari ergo possunt, etiam ex Augustino, qui negat in beatis, aut Deo esse libertatem ad peccandum, quamuis maneat liberum arbitrium, quod magis liberum est, quantò minùs peccato seruire potest: quod qua ratione intelligendum, aliàs explicuimus. neque mirum est, quia ad veritatem huius propositionis & similium sufficit tolli exercitium, seu vsum talis libertatis, & potentiam proximam, quamuis maneat remota; quæ talis dicitur, quia reducetur ad actum; ac proinde negatur simpliciter potentia nempe proxima, quæ in comparatione remotæ dicitur simpliciter, illa autem secundùm quid. Ex opposito declaratur, quia in homine lapso liberum arbitrium amisit potestatem boni operis, retinens potentiam ad peccandum secundùm Patres, & Concilia; & ideò dicunt eum non posse non peccare sine gratia Dei, aut resistere posse tentationi: ergo ex opposito potest remanere cum potestate ad bonum, quamuis sic dispositus sit per abundantiam gratiæ, vt non possit proximè peccare: sic dicitur etiam de iis, quibus datur donum perseuerantiæ per confirmationem in gratia: vnde saluatur potestas ad bonum cum impossibilitate peccandi. Id certum est in Christo contigisse etiam in Beata Virgine, vt credit Ecclesia. Vnde euacuatur scrupulus præmissus in verbis Augustini, & hîc, & alibi, vbi astruit impeccabilitatem beatorum, seu non habere eos potestatem peccandi; non destruit enim liberum arbitrium, quod in ipsis manet ad bonum, & reformatur à fomite, qui definit ab errore, & infirmitate per abundantiam diuinæ charitatis, per quam habent indefectibilitatem per ipsum. Nec secùs loquitur *hîc* de efficacia diuini amoris, & charitatis, quàm *infrà cap.* 11. *&* 12. de efficacia gratiæ Christi ad vincendum peccatum, & tentationes in electis viatoribus. *Tantum quippe ait, Spiritu sancto accenditur voluntas eorum, vt ideo possint, quia sic volunt, ideò sic velint, quia Deus operatur vt velint* cap. 12. & infrà. *Infirmis seruauit, vt ipso donante inuictissimè, quod bonum est velint, nec hoc deserere inuictissimè nollent.* Subiungens hoc donum ex misericordia Dei esse, vt *qui gloriatur, in Domino glorietur.* & *cap.* 13. Dicit sanctos misericordia Dei præseruatos, ideò non habere certitudinem, aut securitatem ne euacuetur timor: quod non expedit viatori inter tentationes, ne succedat ex securitate superbia. *Quæ præsumptio*, inquit, *in isto tentationum loco, non expedit, vbi tantùm est infirmitas, vt superbiam possit generare securitas*, &c. Et posteà ostendens quomodo misericordia Dei, & gratia Christi cooperetur sanctis in via, & patria, eadem subiungit: *Numerus ergo sanctorum per Dei gratiam Dei regno prædestinatus donata sibi etiam vsque in finem perseuerantia illuc integer perducitur, & illic integerrimus iam sine fine beatissimus seruabitur adhærente sibi misericordia Saluatoris sui, siue cùm conuertuntur, siue cùm præliantur, siue cùm coronantur: nam & tunc esse illis misericordiam necessariam sancta Scriptura testatur.* vbi S. Dauid *Psalm.* 102. De Domino Deo tuo dicit animæ suæ: *Qui coronat te in miseratione & misericordia*; & infrà, *ac per hoc etiam ibi Dei misericordia necessaria est, qua fiet beatus, cui non imputauit*

Quis sit effectus confirmationis in bono.

imputauit Dominus peccatum, &c. Posteà docet hanc misericordiam aliter tribui viatori, aliter beato; quia viatori tribuitur sine meritis, vt præueniens, & per eam liberaretur à malis, quæ fecit, & facturus erat, nisi Dei gratia regeneraretur: beato etiam ob meritum operum, quæ fecit in via, per misericordiam intelligens gratiam, vel qua statuitur in via, ne pereat, vel qua coronatur in patria plenitudine beatitudinis illius, quam suprà dicit duo includere, nempe adhæsionem summi boni, & securitaté, ac certitudinem se nunquam inde casurum; & eam asserit superiùs esse abundantiam charitatis diuinæ datę à Spiritu sancto, per quam vlteriùs cadere non possent, & hoc certissimè sciant: ergo, quod est intentum, hæc misericordia supponit indigentiam, non aliam, vt comparatio rectè sequatur, inter Sanctos in via & in patria, quàm quæ est liberi arbitrij sibi relicti, & defectibilis ad casum à bono: ergo supponit beatum frui liberè bono, quamuis indefectibiliter, non autem necessariò. Hæc charitas, vt infrà deducemus, non necessitat voluntatem, quà habitus est, quia sic subordinatur voluntati; non quà actus, nisi formaliter, hoc est, quà forma, non autem quà effectus procedens à voluntate, sub qua ratione comparatur ad voluntatem, quà efficiens est, sicut & priori modo, quà subiectum dicitur: quæ ratio est extranea ipsi quà libera, quia sic est potestas actiua; ergo quà prior actu, liberè ipsum elicit, licèt indefectibiliter ex assistentia Dei.

15 *2. Probatio ex August.* Secundò probatur conclusio ex Doctrina Augustini libro de perfectione iustitiæ cap. 17. *Cùm adhuc*, inquit, *aliquid carnalis concupiscentiæ, non omni modo ex tota anima diligitur Deus: caro enim nō concupisceret, nisi quia anima carnaliter cōcupiscit; cùm autem venerit quod perfectum st, vt destruatur quod ex parte est*, idest, *vt iam non ex parte sit, sed ex toto: charitas non auferetur, sed augebitur, & implebitur: in qua plenitudine istud præceptum charitatis implebitur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*, &c. *Tunc erit iustus sine peccato; quia nulla erit lex* (supple concupiscentiæ: alludit ad Apostoli verba loco præmisso, vbi appellat concupiscentiam legem membrorum repugnantem legi mentis) *repugnans menti. Tunc prorsus toto corde, tota anima, tota mente diliges Deum, quod est summum præceptum*, &c. Sed præceptum supponit libertatem; nam in iis, quæ nequeunt aliter fieri, non est lex, quæ est regula extrinseca directiua voluntatis liberæ ad bonum; manet præceptum dilectionis Dei in patria respectu beatorum ex Augustino, & tunc perfectè impletur, quia nullum habet voluntas impedimentum, non est alius amor in patria erga Deum quàm beatificus sequens visionem; quidquid dicant aliqui de amore sequente scientiam infusam, quorum opinio non admittitur in propria Schola, neque hîc est locus eam impugnandi; & quidquid sit, non facit ad mentem Augustini, qui loquitur de plenitudine charitatis, quæ non ex parte est, sed ex toto, quæ augebitur, & implebitur: quod de charitate in ordine ad amorem beatificum intelligitur, sicut & locus Apostoli, ad quem alludit idem Augustin. 1. *ad Corinth.* 13. vt patet ex omnibus expositoribus: ergo amor beatificus, quæ est adimpletio præcepti, est liber, & consequenter voluntas non necessitatur in patria ad obiectum beatificum clarè visum. Hoc idem docet Magister *in* 3. *d.* 17. §. *Illud autem præceptum*, &c.

Præceptum charitatis impleri in patria.

Quem meritò pro conclusione citare possumus, & Doctor *ead. d. quæst. vnica art.* 3. *& in* 2. *d.* 21. *quæst.* 1. §. *Ad primum pro opinione*, dicit Beatum habere præceptum de continuanda beatitudine; ex quo sequitur quòd teneatur semper ad optima operandum, & quæ magis sunt conformia fini charitatis erga Deum.

Tertiò probatur conclusio ratione Doctoris, 16 *3. Probatio. Ratio Doctoris.* necessitas non potest esse nisi per aliquod intrinsecum principio agendi; sed per hoc quòd intellectus nunc videat obiectum, quod antè non vidit, nihil fit intrinsecum voluntati: ergo voluntas non necessitatur circa obiectum beatificum clarè visum. Maior probatur; necessitas in agendo est à principio actiuo: ergo si talis necessitas est ab extrinseco, actio erit ab extrinseco, & non à voluntate. Hactenus Doctor alteram probationem supponit, nempe non esse ab intrinseco, quia alias in via nō ageret liberè circa Deum. *Necessitas fit per aliquod intrinsecum.*

Responsio. Respondent aliqui hanc necessitatem oriri ex parte visionis, & obiecti radicaliter, quatenus in obiecto ostenditur omnis ratio boni, formaliter autem competit voluntati non absolutè, sed respectiuè ad illud obiectum, in quo ostenditur omnis ratio boni, & nulla ratio mali. Contrà, hæc solutio hæret in principiis, de radice libertatis in intellectu, & obiecto consistente; ideò requirit aliam prolixam impugnationem: quia si quæras quare id competit voluntati? Respondebunt ex iisdem principiis: quia nempe intellectus est determinatè proponens obiectum, & ipsum obiectum non est indifferens ad bonum, & malum, sed determinatè bonum: omissis ergo iis, quæ *suprà* adducta sunt. Contrà, voluntas in via circa Deum propositum sub ratione omnis boni, & seclusâ omni imperfectione, liberè operatur, ergo etiam in patria liberè diligit. Antecedens est fidei, & conceditur. Consequentia probatur; si necessitas prouenires ab intrinseco, etiam respectiuè proposito obiecto sufficienter, & determinatè in ratione diligibilis, & secluso impedimento, necessariò diligeretur; hîc obiectum proponitur determinatè sub ratione omnis boni sine errore, quia fides talem non patitur, sine impedimento frustrante actionem, quia actio ipsa sequitur: v. g. in iusto eleuato per actualem, & habitualem gratiam: neque impedimentum variat modum agendi causæ, quia eadem necessitate, qua respicit actionem, respicit quodcumque repugnans, & eodem modo: eatenus enim tollit impedimentum, quatenus agit ad formam principalem, intentam, & seu disponendo ad ipsam, seu agendo ipsam formam: ergo actio voluntatis circa finem est libera: quia voluntas liberè respicit obiectum quomodocumque propositum. *Impugnatio.* *Voluntas non necessitatur in via ab intrinseco ad finem.*

Quòd autem neque ab extrinseco statuatur 17 necessitas operandi voluntatis in patria, patet, quia visio ideo necessitaret, quia determinatè proponit; sed sic fides etiam in via determinatè proponit, visio sub ratione omnis boni: sic fides neque ipsum obiectum necessitat: quia est idem formale viæ, & patriæ, & continet omnem rationem boni, & sub ratione vltimi finis proponitur in via; neque denique visio, quia non influit in voluntatem physicæ: & est diuersa tantùm obiecti applicatio, quæ supponit principium operandi extrinsecus se habere ad ipsam, & consequenter modum eius operandi, supponens tam virtutem actiuam, quàm modum eius operandi: nam *Non necessitari per visionem.* *Non ab obiecto.*

nam applicatio,& applicans accedunt causæ tanquam conditio : non autem vt pars, aut modus virtutis, aliàs non solùm haberent rationem applicationis,& applicantis; sed etiam causæ integrantis virtutem totalem agendi. Non necessitatur à lumine gloriæ; quia non respicit voluntatem nisi mediante visione, ad quam tota eius efficacia terminatur, neque extendit se vltra efficaciam intellectus, sicut neque habitus excedit potentiam : hæc denique necessitas non oritur ex habitu charitatis; quia idem est in via, & in patria:non ex assistentia Dei inquantùm mouet effectiuè ad actum : quia hæc assistentia non exigit necessitari voluntatem, vt sequatur infallibiliter effectus, sicut neque in via per gratiam efficacem, quæ inuictissimè, & certissimè facit in nobis vt faciamus, dans posse, & velle simul, quamuis voluntas libero consensu sequatur. vnde Augustinus loco præfato de correptione, & gratia cap. 14. *Non est itaque dubitandum voluntati Dei, qui in cælo, & in terra omnia quæcumque voluit, fecit, & qui etiam illa, quæ futura sunt, fecit, humanas voluntates non posse resistere, quominùs facit ipse quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus quod vult, cùm vult, facit*, &c. Quod probat mox in electione Saülis,& Dauidis, quam perfecit mediis voluntatibus populi, aliàs repugnantis,& subiungit : *& ambulabat Dauid proficiens, & magnificabatur, & Dominus omnipotens erat cum illo, ac per hoc Dominus omnipotens erat cum illo; adduxit illos vt eum Regem constituerent. & quomodo adduxit? Nunquid corporalibus vllis vinculis alligauit? intùs egit, corda tenuit, corda mouit, eósque voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, traxit: si ergo cùm voluerit Reges in terra Deus constituere, magis habet in potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas, quis alius facit?* &c. Ex hoc ipso facit, quòd neque ad stabilitatem, seu perpetuitatem beatitudinis requiratur necessitari voluntatem; quia idem influxus continuatus sufficit ad continuandum beatitudinem, qui sufficit vt certò, & infallibiliter, & inuictissimè media ipsa voluntate libera eliciatur, vt patet in iis, quibus datum est donum perseuerantiæ, siue in fine, siue vsque in finem, & confirmationis in gratia, siue à peccato mortali, vt habuisse existimant plures Apostolos post aduentum Spiritus sancti; siue à veniali, vt statuit Ecclesia habuisse beatam Virginem : siue quoad stabilitatem in fide, vt habet Ecclesia; siue directionis certæ in iis, quæ ad eandem fidem, & mores definienda spectant, vt habet Vicarius Christi in terris; in quibus omnibus, remanente libertate, & sine vllo eius præiudicio, voluntas Omnipotentis infallibiliter, & certò reducitur in effectum medio consensu, & cooperatione voluntatis creatæ, quando, quomodo, & prout statuit. Hoc etiam magis congruit prouidentiæ diuinæ, vt causis secundùm connaturalem modum operandi vtatur in ordine ad effectum, neque alioquin ex natura causarum, aut ipsius beatitudinis exigitur diuersus concursus necessitans: ergo ex nulla causa colligitur necessitari voluntatem in patria, quin ex eadem colligatur necessitari in via, quod nemo admittit.

Non à lumine.

Non ab habitu charitatis.

Non à concursu Dei.

Infallibitas effectus non tollit libertatem.

18 Dices ergo secundò, finem vltimum, quamuis proponitur in via sub ratione omnis boni, & sine errore in intellectu, non necessitari voluntatem, quia proponitur obscurè, in patria proponi clarè. Contrà, neque solutio euacuat argumentum Doctoris: quia siue obscurè, siue clarè proponatur, proponitur sub ratione vltimi finis, & omnis boni, & quà terminat, & mouet ad actum charitatis, qui idem est in via, & in patria secundùm speciem, ex mente D. Thomæ, & distinguitur secundùm intentionem, aut gradum : ad eundem autem actum in specie non variatur modus connaturalis potentiæ in operando, sed quia de hoc est controuersia,

Responsio

Impugnatur.

Argumentor aliter; principium agendi est prius omni conditione agendi, quia ab intrinseco est tale, siue agat, siue non : ergo & modus connaturalis eius agendi, qui oritur ex differentia virtutis, aut principij *quo. 2. Phys.* est prior conditione sine qua non ageret : voluntas enim, licèt vt agat, supponit intellectum esse obiectum; quia intellectio est conditio (vt admittunt etiam contrarium opinantes) sine qua non : antequam tamen intellectus actu intelligat, voluntas in actu primo, & appetitiuo, & est liberè appetitiua, & hanc libertatem non participat ab aliquo posteriori; qualis conditio, vt conditio, quæ nequiret esse conditio formaliter nisi respectiuè ad causam, cuius est conditio: tunc sic, vel voluntas nata est determinatè agere circa finem vltimum spectatâ ratione tam obiecti, quàm causæ, quia eiusdem potentia ad idem obiectum, & per eandem in specie actionem non multiplicatur ordo, sicut neque species (nihil enim ad hoc cogit, sed magis ad oppositum, maximè in opinione, quæ dicit potentiam mediante actu, vel immediatè sumere speciem ab obiecto.) Vel certè voluntas ad finem vltimum non dicit ordinem agendi determinatè, sed indifferenter cum libertate: alterum enim horum, quæ sub extremis contradictionis sunt, debet inesse : ergo siue obscurè, siue determinatè clarè proponatur, modò proponitur sub eadem ratione vltimi finis, qua terminat eundem in specie actum, secundùm ipsos, non variat modum agendi voluntatis. Patet consequentia, quia conditio, quæ non variat actionem in specie, non variat modum agendi causæ; sed in via voluntas mediante propositione obscura fidei indifferenter amat finem vltimum, & sufficienter applicatur in ordine ad actionem : ergo etiam in patria amat eundem indifferenter : nam quòd in patria sit perfectior applicatio, non variat actum, per ipsos, in specie, neque consequenter modum agendi debet variare. Deinde, in via obscuritas non obstat, quia proponitur vt obiectum formale charitatis, vt diligendum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente per præceptum; hæc ipsi conueniunt sub ratione summi boni, & vltimi finis, quod lex præscribit ita diligendum : ergo proponitur sine admixta ratione mali, aliàs non esset toto corde, &c. diligendum ex præcepto.

Causa prior conditione extrinseca.

Virtutem, & modum agendi ab intrinseco prouenire independenter à conditione.

Conditio, qua non variat actum in specie, non variat modum agendi causa.

Dices tertiò propter impedimenta, quæ occurrunt in via : v. g. infirmitatem voluntatis ad bonum, & repugnantiam fomitis, trahendo ad oppositum, prouenire vt voluntas sit indifferens, licèt etiam proponatur per fidem vltimus finis sub ratione omnis boni, seu finis vltimi sine admixtione mali; tamen ex infirmitate oritur, vt idem bonum concipiatur conceptu naturali per intellectum, vt difficile, & repugnans commodo, ad quod inclinatur voluntas ex se, & sympathia ad appetitum. Contrà, quidquid necessariò agit, necessariò etiam ex eadem necessitate determinatur ad summouenda impedimenta actionis, si sunt 19

Responsio ex impedimentis agendi.

Impugnatur.

sunt in eius potestate; sed agere circa finem vltimum propositum per fidem in via, est in potestate voluntatis eleuatæ, vt fides, & præcepta operandi docent: ergo si necessitatur ad finem vltimum seclusis impedimentis præfatis; necessitatur etiam ad submouenda, aut vincenda illa impedimenta; sed hoc tam falsum est, quàm quòd necessitetur in via circa finem vltimum: ergo neque etiam ex causa assignata indifferenter agit circa ipsum, sed ex modo connaturali operandi, quem tenet in patria. Deinde, non semper insurgunt illæ difficultates, sed quandoque, respectu hominis suffulti gratia abundanti, & non efficaci: sed etiam tunc liberè operatur, & perfectiùs habet potestatem operis: ergo quando insurgunt, non ex eis oritur operandi libertas, aut indifferentia.

Causa necessariò agēs, necessariò tollit impedimenta agēdi.

Deinde gratia efficax Christi in eum finem datur, non solùm vt eliciatur actus supernaturalis charitatis, sed etiam vt vincantur impedimenta, siue intrinseca, siue extrinseca operandi, & tantus per eam ardor voluntatis excitatur: v.g. in Martyribus, vt dicit Augustinus *suprà*, vt illa impedimenta contemnant, & plenè subdantur eorum voluntati: ergo non tollunt modum connaturalem eius operandi, quin necessariò ageret circa finem vltimum, si sic necessariò inclinaretur.

Finis gratiæ.

Deinde, in beata Virgine, in qua non fuit fomes, neque suggestio intrinseca, aut extrinseca ad malum, vel si fuit fomes, fuit extinctus, iuxta D. Thomæ etiam doctrinam, quomodo saluatur libertas, & indifferentia operandi circa finem: in ea tamen fuit, & creuit meritis, iuxta omnes; & secundùm alios etiam in gratia sanctificante, de qua difficultate actum est *in 1. part. huius operis distinct. 4. quæst. 6.* Ergo in ea fuit plena libertas ad operandum circa finem sine indifferentia, quam ab eiusmodi impedimentis participaret sua sanctissima voluntas.

Libertas Virginis operandi.

Deinde perinde saluatur libertas in Christo Domino requisita ad meritum, in quo fuit tam visio, quàm plenitudo scientiæ, & fruitionis beatæ, sine huiusmodi indifferentia ex difficultate operandi, vndecumque suboriatur; in Christo enim non fuit, sicut neque in Virgine.

Libertas Christi.

Vltimò tandem voluntas Beati circa alia obiecta, vt secundaria liberrimè operatur, quamuis difficultatem non habeat operandi, neque fomitem, neque errorem, aut inaduertentiam: ergo illa ratione non saluatur voluntatem in via circa finem vltimum liberè se habere; quia neque ad libertatem requiritur, neque eius oppositum tollit libertatem: manet ergo ratio Doctoris, vel dent aduersarij causam, quare voluntas in via operetur circa finem vltimum liberè &, indifferenter, in patria autem non sic operatur.

Libertas beatorum.

20

4. Ratio. Quartò, libertas est perfectio simpliciter, quia est in Deo formaliter; & per liberum arbitrium, vt comprehendamus totum, constituitur homo imago Dei: sed neque perfectio simpliciter, neque imago destruitur in patria, sed reformatur, & perficitur: ergo manet in patria liberum arbitrium, neque ei repugnat visio, aut fruitio.

Manet imago in patria.

Maior probatur ex Tertulliano lib. 2. aduersus Marcionem cap. 5. *Liberum & sui arbitrij, & suæ potestatis inuenio hominem à Deo institutum, nullam magis imaginem, & similitudinem Dei in illo animaduertens, quàm eiusmodi status formam; neque enim facie & corporalibus lineis, tam variis in genere humano ad vniformem Deum expressus est, sed in ea substantia, quam ab ipso Deo traxit; id est, anima ad formam Dei spondentis, & arbitrij sui libertate, & potestate signatus est*, &c.

Tertullian.

Consistit in libero arbitrio.

Bernardus serm. 1. de Annuntiatione: *Ad imaginem, & similitudinem Dei factus est homo: in imagine arbitrij libertatem, virtutem habens in similitudine.* Bernard.

Damascenus lib. 2. fidei Orthodoxæ, cap. 12. *Hominem ex visibili, & inuisibili natura Deus manibus suis ad imaginem, & similitudinem suam condidit*, &c. *Animam autem ratione, & intelligentia præditam per insufflationem suam ei tribueret id quod diuinam imaginem appellamus: his enim verbis (ad imaginem) vis intelligendi, arbitriique libertas significatur: his autem, ad similitudinem, virtutis quoad eius fieri potest expressa similitudo*, &c. Ergo liberum arbitrium spectat ad imaginem. Damasc.

Minor principalis probatur, quia perfectio simpliciter manet in patria, vt patet ex definitione eius, quæ sit *melius esse, quàm non esse*, &c. Imago etiam non destruitur, sed perficitur, vt patet ex Augustino variis in locis vt lib. 11. de Ciuitate Dei cap. 26. *Et nos quidem in nobis*, &c. *Imaginem Dei: hoc est, summæ illius Trinitatis agnoscimus ad reformationem perficiendum, vt sit etiam similitudine proxima*, &c. Nempe in patria.

Perfectio simpliciter.

August. *Imago perficitur in patria.*

21

Dices remanere quidem imaginem in patria, sed non erit ibi libertas respectu obiecti primarij, sed secundarij. Contrà, hoc liberè videtur dictum, si Patres dicunt libertatem spectare ad imaginem, ac proinde eam statuunt in creatura rationali, quà rationalis, vt denotent voluntatem, quà rationalis est, integrare imaginem: sic autem liber est in nobis: si ergo perficienda est, & non destruenda, sequitur libertatem eius manere in patria etiam respectu obiecti primarij, sicut in via.

Responsio impugnatur.

Vnde August. 12. *de Trinit.* cùm diuiserit mentem in partem superiorem, & inferiorem, seu portiones diuersas, tanquam in diuersas functiones, quibus respicit, quà superior est, sempiterna, quà inferior, temporalia c. 4. dicit *In mente secundùm imaginem Dei esse portionē superiorē, & facta*, inquit, *iam ista distributione in eo solo, quòd ad contemplationem pertinet æternorum; non solùm Trinitas, sed etiam imago Dei: hoc autem quod deriuatum est in actione temporalium, etiamsi Trinitas possit, non tamen imago Dei possit inueniri*, & cap. 7. idem repetit subdens: *& quoniam quantumcumque se extenderit in id, quod æternum est, tantò magis inde formatur ad imaginem Dei*, &c.

Portio superior & inferior mentis.

August.

Lib. autem 13. vbi eandem doctrinam superioris libri ex Scripturis differit *cap.* 4. agens de beatitudine, & variis circa ipsam sententiis *cap.* 5. reiecto errore Philosophorum, qui dicebant beatitudinem consistere in eo, quod est viuere quemque vt vult, concludit *omnes beatos habere quod volunt, quamuis non omnes, qui habent quod volunt, continuò sint beati*, inde definiens miseriam oppositam beatitudini; *continuò autē*, inquit, *miseri, qui non habent quod volunt, vel id habent quod non rectè volunt*, subiungit definitionem eius qui est beatus. *Beatus igitur non est nisi qui & habet omnia quæ vult, & nihil malè vult, &c. cùm ergo ex his duobus beata vita constet, atque omnibus nota, omnibus cara*, &c. Quærit quid causæ sit cur horum duorum, quando vtrumque non possunt, magis eligunt homines, vt omnia quæ volunt, habeant quàm vt omnia benè velint, etiamsi non habeant: *cap. 6.* docet esse prauitatem hominum: qui autem eligit bonum, quamuis in hac vita illud non habeat, docet habere alteram partem beatitudinis, nempe quòd nihil vult malè, & *cap. 7.* docet ideò necessariam esse in vita mortali fidem, & concludit: *Cùm autem ex hac vita ab eo, qui in*

Beatitudo in quo consistit.

miseriis fidelis,& bonus est,ventum fuerit ad beatam, tunc erit verè, quod nunc esse nullo modo potest, vt sic homo viuat quomodo vult, non enim volet malè viuere in illa felicitate, aut volet aliquid, quod deerit, aut deerit quod voluerit: quidquid amabitur, aderit: nec desiderabitur quod non aderit: omne quod ibi erit, bonum erit, & summus Deus summum bonum erit, atque ad fruendum amantibus prasto erit, & quod est omnino beatissimum, ita semper fore certum erit: Ergo sicut imago Dei & Trinitatis in nobis maximè cernitur secundùm portionem superiorem, ex Augustino, vt respicit sempiterna, tunc maximè perfecta erit, cùm respiciat ipsum Deum, & plenè reformabitur. Manet ergo libertas voluntatis in ordine ad obiectum beatificum, sicut ipsa imago in mente, & similitudo; quod etiam ex illa definitione beatitudinis, & miseriæ ab ipso assignata, & probata clariùs constat; & idipsum declarat in verbis adductis: *Tunc erit verè, quod nunc esse nullo modo potest, vt sic homo viuat, quomodo vult: non enim volet malè viuere in illa felicitate*, &c. & sequentibus verbis. In his ergo supponit libertate sua voluntatem vsuram in ea felicitate, *amando quod aderit, non desiderando quod non aderit*, &c. & *cap.* 8. Hanc definitionem beati confirmat, vt omnia habeat, quæ vult, & nihil mali velit; colligens inde immortalitatem beati, & felicitatis ex amore beatitudinis & immortalitatis; *Vt enim homo beatè viuat, oportet vt viuat, quem porro morientem vita ipsa deserit, beata vita cum illo manere quomodo potest? Cùm autem deserit, aut nolentem ipsa deserit, aut volentem, aut neutrum*, &c. *Non igitur potest & vita beata esse, & volentem deserere, quia beatus nolens nemo fit*, &c. *si autem volentem deserit, etiam sic quomodo beata erat, quam perire voluit, qui habebat? Restat vt dicant neutrum esse in anima beati, id est, eum deseri à beata vita, cùm per mortem deserit tota vita, nec nolle, nec velle, ad vtrumque enim parato, & æquo animo consistere; sed nec ista beata est vita, quæ talis est, vt cùm beatum facit eius amore indigna sit*, &c. & infra. *Deinde, quomodo erit vera tam illa perspecta* (aliàs perfecta) *tam examinata, tam eliquata, tā certa sententia, beatos esse omnes homines, si ipsi, qui iam beati sunt, beati esse nec nolunt, nec velūt, aut si volunt vt veritas clamat, vt natura compellit, cui summè bonus, & immutabiliter creator indidit hoc, si volunt, inquam, beati esse, qui sunt, beati vtique non esse nolunt*, &c. Hîc autem loquitur de voluntate libera, vt est ad extrema contrarietatis, & contradictionis, vt patet ex discursu, in quo sententiam Philosophorum impugnat, quam in præcedentibus submittit; clarum ergo est per ipsum beatum habere voluntatem elicitam, & liberam suæ beatitudinis, & immortalitatis, & nolitionem oppositi: vnde initio capitis 8. cùm beatum dicat *eum qui habet quod vult, & nihil mali vult*, vt ostendat voluntatem, seu amorem beatitudinis non esse malum, sed rectum, subiungit: *Nemo autem malè vult immortalitatem, si eius natura capax, & Deo donante natura: cuius si capax non est, nec beatitudinis capax est*, &c. Colligens inde esse rectam voluntatem, & bonam, consequenter liberam; sed eadem necessitate beatus vult suam beatitudinem, qua elicit suam beatitudinem: ergo cùm liberè velit eam ex Augustino, & rectè, sequitur etiam liberè elicere. Subsumptum patet, quia ipsa beatitudo est vt *quo*, obiectum eius beatificum vt *quod*: neque ad obiectum inclinatur, nisi mediante actu, in quo consistit beatitudo. Accedit quòd Augustinus loquatur de beatitudine integrè considerata, vt comprehendit amorem, & amatum, visionem, & obiectum visum, quæ separari non permittit quæstio, quam mouet, quærens qui sit beatus.

Aug. (margin)

Beatus liberè vult beatitudinem. (margin)

22 *Confirm.*

Confirmatur primò *ex eodem cap.* 13. præmittens in præcedentibus quomodo homo redemptus est iustitia, & Diabolus victus, non autem potentia, quia ordo seruandus erat, vt primùm antecederet iustitia in mortalibus, qua vincerent ipsi Diabolum ad imitationem Christi, mox subsequeretur potentia, seu iudiciaria potestas in immortalibus in beatitudine. *Teneant ergo*, inquit, *mortales iustitiam, potentia immortalibus dabitur.* Applicátque ad hoc illud Ps. 93. *Quoadúsque iustitia conuertatur in iudicium, & qui habent eam omnes recto sunt corde: ergo tempore, quo differtur potentia populi Dei, non repellet Dominus plebem suam, & hæreditatem suam non derelinquet*, &c. *Quoadusque iustitia, quam nunc habet infirmitas piorum, conuertatur in iudicium, hoc est, iudicandi accipiat potestatem, quod iustis in fine seruatur cùm præcedentem iustitiam ordine suo fuerit potentia subsecuta; potentia quippe adiuncta iustitiæ, vel iustitia accedens potentia iudiciariam potestatem habet*, &c. Subiungit autem quid sit illa iustitia: *Pertinet autē iustitia ad bonam voluntatem. vnde dictum est ab Angelis nato Christo: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, &c. Ergo si potētia accedit iustitiæ, quæ est bona voluntas, in beatis manet bona voluntas; bona autem voluntas, quæ est bona voluntas in beatis vbique, per Augustinum est illa, quam facit charitas Dei diffusa in cordibus nostris. vnde de natura & gratia cap. 42. *Charitas est verissima, perfectissima, plenissima iustitia*, &c. quam in locis suprà citatis de creatione hominis, & Angelorum appellat bonam voluntatem, in qua sunt creati, in qua etiam *suprà cap.* 10. statuit iustitiam nostram, & merita. Prosequitur autem probationem cōsequentiæ nostræ; *Cùm enim beatum faciant, inquit, sicut superiùs disputauimus, duæ res; benè velle, & posse quod velis; non debet esse illa peruersitas* (supple in beatis) *quæ in eadē disputatione notata est, vt ex duabus rebus, quæ faciunt beatum, posse quod velit, homo eligat, & velle quod oportet, negligat, cùm priùs debeat habere bonam voluntatem, magnam verò posteà potestatem.* Ergo bona voluntas integrat beatitudinem per Augustinum. Addit: *Bona ergo voluntas purganda est à vitiis, à quibus si vincitur homo, vincitur vt malè velit, & bona iam voluntas eius quomodo erit?* &c. Purgatur ergo à vitiis in beato bona volūtas, vt semper benè velit, seu nihil mali velit, quæ est altera pars beatitudinis eius: ergo ipsa manet; non maneret, nisi libera esset: ergo, &c. Vnde *infrà lib.* 14. *cap.* 9. dicit cum Cicerone in vita beata euacuari alias virtutes cardinales, quibus in eo statu non erit necesse, quantùm ad ea, quæ connotant periculum; iustitiam autem manere. *Cui*, inquit, *regenti* (supple Deo) *esse subditum, si iustitia est immortalis est omnino iustitia: nec in illa beatitudine desinet, sed talis, ac tanta erit, vt perfectior, & maior esse non possit*, &c. Quod de aliis etiam seclusa imperfectione tenet dici posse. de qua ergo subiectione creaturæ ad Deum intelligi potest Augustinus, nisi de illa, quæ est fundamentum iustitiæ, nempe voluntatis liberæ, qua rectum tenetur, & iustitia manet perfectior: & maior in ratione virtutis, neque euacuatur. Sed hæc subiectio primariò attenditur penes charitatem, vt est ad obiectum primarium, & cætera

August. (margin)

Potestas iudiciaria in beatis. (margin)

Iustitia est bona voluntas. (margin)

Iustitia manet in beatitudine. (margin)

Perficitur. (margin)

Illa est charitas actualis. (margin)

cætera ordinat ad ipsum, siue in via, siue in patria, quod est propositum, nempe sic manere in patria imaginem, & similitudinem Dei, quæ ex Damasceno, & Bernardo, & aliis multis attenditur penes virtutem, vt patet ex verbis eorum, & integratur per liberam voluntatem, quæ perficitur in patria, non destruitur.

23 *Confir. 2.* Confirmatur secundò ex eodem Augustino lib. 13. Confessionum cap. 15. *Laudent*, inquit, *nomen tuum; laudent te supercælestes populi Angelorum tuorum, qui non opus habent suspicere firmamentum hoc; & legendo cognoscere verbum tuum: vident enim faciem tuam semper, & ibi legunt sine syllabis temporum, quid velit æterna voluntas tua, legunt, eligunt, & diligunt: semper legunt, & nunquam præterit quod legunt, eligendo enim, & diligendo legunt ipsum incommunicabilitatem consilij tui, non clauditur codex eorum, quia tu ipse illis hoc es, & es in æternum*, &c. Hæc verba clarissima sunt. *Vident*, inquit, *faciem tuam semper, & ibi legunt, eligunt, & diligunt*, &c. Ergo electio est in ipsis respectu obiecti primarij; sed quomodo legunt? Respondet *eligendo, & diligendo legunt, nunquam præterit quod legunt, nec codex eorum plicatur, aut clauditur, quia tu ipse illis hoc es, & es in æternum*: manet itaque in ipsis electio Dei, & eligendo dilectio: ergo libertas.

Electio est in beatis circa Deum.

Alcuin. Item Alcuinus in procemio in lib. 3. de Trinit. *Duas creaturas rationales condidit creator: vnam cælestem, alteram terrestrem, & vtramque liberi arbitrij potestate nobilitauit, vt voluntariè in dilectione Dei, & diuina potentia laude perpetualiter, atque beatè permaneret*, &c. Et similia habet Rupert s de victoria Verbi *lib. 2. cap. 6.* Sed sufficit quod præmissum est.

24 *5. Probatio.* Quintò probatur conclusio, supposita sententia D. Augustini suprà, qua impeccabilitatem beatorum statuit ex abundantia diuinæ charitatis, quam Spiritus sanctus tribuit voluntatibus ipsorum. hoc supposito sic argumentor. De potentia absoluta potest separari visio clara Dei ab ab amore eius, seu fruitione, vt omnes concedunt contra Henricum, Ægidium *suprà* citatos. Potest etiam à donis supernaturalibus, quia in hoc non patet repugnantia ex terminis: sicut enim in via potest manere intellectus eleuatus per fidem in peccatore sine eleuatione voluntatis per gratiam habitualem, aut actualem, efficacem saltem, non videtur repugnare, supposita illa sententia communi, posse etiam creari Angelum cum sola visione clara Dei sine fruitione, aut consequentibus visionem ex parte voluntatis; in eo casu voluntas non necessitaretur ad finem vltimum, neque ad bonum: ergo neque visio, neque obiectum infert voluntati necessitatem operandi de facto. neque etiam voluntati circa obiectum sic propositum inest illa necessitas, alias non posset auertere se ab obiecto sic proposito. Minor probatur, quia illa voluntas esset peccabilis in eo casu, quia haberet infirmitatem, quæ est ex affectione commodi, esset in appetitu inclinatio in delectabile, si esset voluntas humana; quæ inclinatio non subderetur voluntati aliter, quàm de facto subditur in viatore: ergo voluntas in eo casu posset sequi appetitum, vel saltem non elicere actum præcepti. Probatur consequentia; quia in eo statu esset magis infirma, & minùs rectificata ad bonum, quàm fuerit voluntas Angeli viatoris, aut hominis in statu innocentiæ: sed hæc fuit peccabilis: ergo. Maior

Posse esse visionem sine fruitione de potentia absoluta.

Tunc non necessitaretur voluntas.

Posset in eo casu auertere se à fine voluntas.

patet; quia in illa non fuit aliqua difficultas operandi ab intrinseco, aut extrinseco, fuit scientia perfecta boni, & fides in intellectu sine vlla deceptione, aut errore; in casu autem posito licèt præcedat perfectior cognitio voluntatem, non rectificat proximè, neque supplet dona, sicut nec tollit repugnantiam appetitus, neque infirmitatem ipsius voluntatis, quæ oritur ex inclinatione ad commodum, & sympathia ad appetitum: ergo voluntatem relinquit in maiori indifferentia ad malum, quàm fuerit cum dono iustitiæ originalis, & aliis in statu innocentiæ. Sed si voluntas necessitaretur ad finem vltimum claré visum, siue ex natura sua, siue ex natura visionis, & obiecti, necessitaretur in eo casu, ita vt supposita visione fieret impeccabilis: quia non posset mouere se contra inclinationem naturalem, qua duceretur in obiectum visum, & proinde fieret impeccabilis, ita vt non solùm non posset velle finem vltimum, aut cætera quantùm ad ipsum sunt, sed neque auertere se à fine vltimo contra inclinationem obiecti visi, atque ipsius visionis. Hoc videtur absurdum, & contra illa principia, ex quibus desumitur necessitas gratiæ efficacis, quæ perinde concludunt de illa voluntate defectibilitatem in opere sine gratia, sicut in voluntate viatoris, quæ præter scientiam faciendorum determinatam, & certam, exigit gratiam, vt resistat fomiti, & auertatur à malo, conuertatur ad bonum rationis. Item, est contra id quod supposuimus ex Augustino, nempe impeccabilitatem beatorum oriri ex abundantia charitatis diuinæ, quæ est donum voluntatis, non verò intellectus.

Magis esset indifferens voluntas in eo casu quàm in statu innocentia.

Confirmatur ratione: quia in voluntate tali, potest esse dolor, & timor, & pœna, & ab intrinseco, & extrinseco passio, circa quæ voluntas non rectificatur, nisi tantùm ostensiuè per visionem: ergo potest deficere sibi relicta, & habere actum connaturalem obiecto. Patet consequentia, quia visio in tali casu non infert suspensionem diuini concursus circa alia obiecta, neque ex parte voluntatis, neque ex parte obiectorum, quin alliciant. Quod probatur, quia si visio haberet præcisè sumpta illam assistentiam Dei, vt necessariò inferat ipsam, magis includeret assistentiam respectu prosecutionis obiecti visi, quàm fugæ respectu aliorum, quia fruitio illius obiecti maiorem habet connexionem cum visione, quàm fuga aliorum, & eatenus visio inclinat ad fugam aliorum, in quibus consistit deordinatio, quatenus inclinat ad prosecutionem obiecti visi, cuius prosecutio repugnat actui inordinato circa quæcumque; sic enim de facto gratia efficax rectificat voluntatem, quatenus determinatè inclinat ad bonum primò, consequenter ad fugam mali: visio autem non infert maiorem, neque magis certam assistentiam Dei, quàm gratiæ, quæ includit voluntatem Dei efficacem; sed visio non habet illam assistentiam respectu fruitionis, vt supponit casus: ergo neque respectu ordinandæ voluntatis circa obiecta secundaria, quæ remotè respicit, & mediante fruitione: quin etiam neque obiecti primarij: eatenus enim ordinat ad obiectum primarium, quatenus rectificat voluntatem ad fruitionem; hoc nequit nisi quoad specificationem, non autem quoad exercitium: quia non influit in fruitionem aliter, quàm alliciendo, mediante obiecto, & per modum suasionis, vel repræsentationis motiua, quæ alliciunt: suasio autem ex Hieronymo

25 *Confirm. Voluntas esset in dicto casu subiecta pœna, timori, & fomiti.*

Visio iuxta casum positum magis inclinat ad fruitionem, quàm ad fugam mali.

Non rectificat voluntatem.

nymo *suprà* non necessitat voluntatem: quia neque est causa eius physica, sed solùm moralis, quæ supponit libertatem in consilia; aliàs frustrà fieret suasio, si aliter contingere non potest. Deinde, suasio est inefficax respectu eius, in cuius potestate non sit actus; in potestate autem voluntatis non est actus sine donis supernaturalibus, quæ desunt ex hypothesi.

26 *Admittitur casus.* Accedit ad hoc, quòd multi contrariam sententiam tenentes admittunt casum, nempe vel dari posse visionem claram Dei sub ratione alicuius attributi, vel, vt ipsi loquuntur, tam tenuem, vt si ostendat se Deus damnato sub ratione vindicantis iustè peccata; quo casu non solùm salua manebit libertas contradictionis, sed etiam contrarietatis: quia licèt visio proponat Deum sub ratione omnis boni absolutè: tamen respectu damnati ab extrinseco, qua infligit pœnam, potest concipi sub ratione incommodi, ac proinde odio haberi. *Quomodo possit odium Dei vindicantis inesse damnato.* Alij etiam, qui docent impeccabilitatem beatorum fundari proximè in dilectione, remotè tantùm in visione, admittunt casum, dicentes voluntatem esse liberam quoad contrarietatem, vt circa obiecta secundaria agat, quia non infertur voluntati necessitas; quod perinde dici potest quoad primarium, quia licèt Deus absolutè in se proponitur sub ratione omnis boni, respectu tamen voluntatis non eleuatæ extrinsecè potest habere rationem mali: quia illa propositio erit merè speculatiua, & non practica; ac proinde non determinat ad prosecutionem proximè, cùm hæc non sit in potestate voluntatis, sicut neque in potestate cæci est videre, aut claudi ambulare: quamuis concipiant interiùs actum, prout dicit ordinem ad suas causas positas in *esse*; quæ in potestate voluntatis eorum non sunt: potest ergo in ipsis non obstante tali propositione esse voluntas efficax respectu actus oppositi prosecutioni, vt in claudo sessio, in cæco somnus, vel eiusmodi, vt est occlusio oculorum: ergo etiam in voluntate non eleuata videntis Deum, potest stare fuga ipsius Dei per prosecutionem obiecti incompatibilis cum amore Dei, & etiam nolitio ipsius Dei, qua hîc & nunc videtur vt inferens aliquod incommodum, & impedimentum respectu actus, quem affectat, vel effectare potest taliter volẽs. *Suppposita visione stare auersionem à fine in voluntate non eleuata.* Neque refert dicere quòd voluntas ab intrinseco necessitatur circa Deum clarè visum: qui videtur sub ratione omnis boni: quia, vt dixi, licèt in se absolutè videatur omne bonum esse, quantùm ad effectum iustitiæ, seu inclinationem rationis; hic affectus non est in potestate voluntatis, nempe eum sic diligere, ac proinde in eo statu non est bonum, id est conueniens respectu illius voluntatis, non potentis eum diligere; & ex altera parte potest videri vt malum respectiuè ad ipsum, id est inconueniens, quatenus illa voluntas hæret in affectu commodi circa alia obiecta, & solicitatur vel ad prosecutionem ipsorum, vel ad fugam alicuius miseriæ, quam Deus infligit in eo casu, aut infligere potest, vt doloris, infirmitatis, pœnæ; applicando homini exteriùs causas, à quibus patiatur. *Bonum vt sit conueniens, debet esse in potestate voluntatis, vt ipsi sit bonũ.* vnde necessariò consequenter id admittere debent quotquot docent ex vna parte voluntatem non posse habere exercitium suæ libertatis sine actu; & ex altera parte rectificari in operatione per dona propria, quæ simul cum ipsa concurrunt ad actum eius. *Ratio ad hominem.* vnde contra ipsos moueri potest difficultas sic; visio non rectificat voluntatem nisi quæ necessitat ad actum circa obiecta secundaria; non necessitat autem ad vllum actum siue circa primarium, siue circa secundarium: ergo, &c. Maior probata est superiùs, sicut & minor; & patet quoad secundam partem, quia voluntas nequit habere exercitium suæ virtutis nisi agendo; supponitur enim voluntas habere paratum Dei concursum circa obiecta secundaria, & virtutem operandi, & obiectum applicatum: quidquid enim sit, an visioni Dei repugnet error in intellectu, non repugnat tamen actus repræsentans obiecta secundaria motiua voluntatis secundùm rationem propriam cuiusque, vel alicuius, & quà commodum est, & quà delectabile: *Visio non necessitat voluntatem nẽ agat circa commodum* *Probatio.* in eo itaque casu visio eatenus necessitaret voluntatem, qua vel suspenderet eam ab omni actu circa delectabile prohibitum, vel certè necessitaret ad actum conformem rectæ rationi: neutrum est verum, quia saltem circa obiecta secundaria, in quibus non repræsentatur omnis ratio boni, manet voluntas indifferens, & datur propositio determinata obiecti sufficiens ad vtrumlibet: ergo cum visione stat indifferentia obiectiua; aliter autem non necessitat visio nisi obiectiuè: ergo nullo modo necessitat: neque consequenter statuit impedimentum operandi ex libertate circa obiectum sic propositum voluntati, quæ non est rectificata: & quæ patitur motiua impellentia, & determinantia ad prosecutionem, & fugam, vt sunt passiones, quas non impedit visio. *Cum visione stat indifferentia obiectiua delectabilis.* Si dicas intellectum mediante visione habere imperium in voluntatem, illud satis improbatur suo loco de ratione libertatis ex Bernardo, & aliis; quam difficultatem huic non admiscemus.

27 *Responsio. Dilectio naturalis.* Dices ergo aliter ex principiis satis communibus, quòd sicut fides in peccatore quamuis non sufficiat ad actum supernaturalem dilectionis diuinæ, sufficere ad actum naturalem eiusdem dilectionis; sic in proposito voluntas supposita visione necessitetur ad actum naturalem dilectionis diuine etiam super omnia, qua posita, repugnat actus quicumque auersionis à Deo. Hæc solutio videtur mihi satis consequens ad principia opinionis contrariæ. Contrà, hypothesis etiam formari potest in eo casu, quòd neque amor naturalis sequeretur visionem, Deo non concurrente; quia hîc quærimus de efficacia visionis, aut obiecti visi suprà voluntatem, & an voluntas necessitetur per visionem: *Formatur casus aliter, & impugnatur solutio.* sed quia responderi potest suspensionem actus referri in Deum non concurrentem, quamuis voluntas necessariò ageret, si offerretur concursus; sicut etiam suspensio actionis causarum naturalium non infert libertatem in ipsis, sed dependentiam in agendo, à causa prima; *Cessatio ex suspensione concursus nõ infert libertatem.* sic etiam non probari ex illa suspensione voluntatem non necessitari, si adsint quæ sunt necessaria: atque eodem etiam modo diceretur voluntatem necessitari circa finem vltimum amandum supernaturaliter, si adessent principia operandi, vt gratia actualis, & habitualis. Contrà, si voluntas necessitaretur ad finem vltimum clarè visum siue naturaliter, siue supernaturaliter diligendum, necessitaretur voluntas ad fugiendum quodcumque contrarium; *Libertas ad auersionem ab obiecto probat libertatem prosecutionis.* sed non necessitaretur ex dictis ad fugiendum contrarium, quia potest esse deordinatio actualis in voluntate in eo casu ex dictis: ergo neque necessitatur ad finem antecedenter ad actum ipsum dilectionis, ergo in omni priori est libera. Minor iam probata manet ex dictis. Maior probatur

batur, quia eadem necessitate, qua respicit bonum, quoad prosecutionem, respicit etiam malum oppositum, quoad fugam: ergo eadem necessitate, qua fertur in Deum clarè visum, fertur etiam ad fugiendum in omnem auersionem Dei, aut id quod auertit à Deo: prosecutio enim est mensura fugæ, & modus fugæ sequitur modum prosecutionis, quia sequuntur naturam eiusdem motiui, quod ad vtrúmque inclinat ex eadem bonitate, & inclinationem eandem potentiæ. Hoc patet clariùs in appetitu sensitiuo, qui agit per modum naturæ, non secus ac voluntas circa finem vltimum clarè visum, quantùm ad modum operandi per modum naturæ: appetitus autem sicut necessariò fertur in bonum delectabile, ita necessariò fugit oppositum: ergo rectè colligitur modus operandi voluntatis circa finem vltimum ex modo operandi eius circa ea, quæ auertunt à fine vltimo: quia eadem est inclinatio ex parte voluntatis ad vtrumque, idem motiuum ex parte obiecti; sed voluntas, vt probatum est, in eo casu esset libera ad prosecutionem obiecti contrarij: quia per solam visionem non fieret impeccabilis: ergo etiam liberè respiceret obiectum primarium, quando circa ipsum operaretur. Patet consequentia ex dictis, & à posteriori, quia de facto in beato eatenus rectificatur voluntas eius circa obiecta secundaria, quatenus rectificatur circa primarium: ergo rectè modus operandi circa primarium obiectum colligitur ex modo operandi circa secundarium, qua reducitur in primarium ex motiuo operationis, quod desumitur à primariò; modus enim operandi circa finem rectè colligitur ex modo operandi circa medium: (quidquid aliqui dixerint) saltem quoad substantiam. Quidquid sit, an maior attendatur indifferentia circa medium, quàm circa finem voluntatis in operando: quia in finem inclinatur propter se, in medium verò solùm propter finem: si tamen liberè inclinatur in medium, sequitur etiam liberè inclinari in finem, quia eadem necessitate finis mouet ad medium quo mouet ad seipsum: imò ratione intentionis magis determinatè in medium, siue indeterminatè, vt quando plura offeruntur, vel certè determinatè, quando vnicum tantùm est medium. Eadem etiam ratione colligitur modus operandi indifferens voluntatis efficacis circa obiectum formale ex modo operandi eius circa obiectum materiale connexum, quia repugnat ipsam esse indifferentem circa materiale per se connexum formali, & determinatam efficaciter ad formale; sicut & hæc separari in re; siue ergo creaturæ, vt referuntur in finem vltimum clarè visum, se habeant vt materiale obiectum, siue vt medium respectu voluntatis, qua vult Deo omne bonum ex affectu amicitiæ, siue sibi ex affectu concupiscentiæ omne bonum in fine, rectè colligitur modus operandi eius circa Deum, ex modo operandi circa creaturas: sed hic liber est secundùm concessa, & in casu proposito, defectibilis: ergo etiam modus operandi circa finem liber erit, & etiam in casu dicto defectibilis non obstante visione: hoc autem repugnaret, si necessitaretur voluntas per modum naturæ ab intrinseco circa Deum clarè visum, aut ab extrinseco ab ipsa visione, aut obiecto clarè viso: ergo non necessitatur quoad amorem naturalem, aut supernaturalem ad finem vltimum.

Exemplum ex modo operandi appetitus.

Rectitudo voluntatis beata circa secundarium oritur ex primario obiecto.

Libertas circa medium probat libertatem circa finem.

Determinatio ad formale infert determinationem ad materiale.

28 Ampliùs probatur quoad amorem naturalem in exercitio non necessitari voluntatem: nihil tollit indifferentiam voluntatis quoad exercitium, per quam habet moueri, & operari circa quodcumque obiectum sui motiuum per se, nisi quod est vltimum quietatiuum eius; sed finis vltimus, vt est obiectum dilectionis naturalis tantùm, non est vltimum quietatiuum voluntatis: ergo neque necessitans eandem. Maior probatur, quia siue dicamus cum plerisque oppositæ Scholæ indifferentiam voluntatis radicari in intellectu, & obiecto indifferenti (abstrahendo à cæteris, quæ aliàs impugnari solent de modo determinandi voluntatem per iudicium practicum, seu imperium, quod non probatur omnibus discipulis D. Thomæ) illud solum est obiectum determinatum respectu voluntatis, quod in se continet omnem rationem diligibilis, per quod habet quietare potentiam in ratione appetitiuæ: quia continet in se, vt attingibile est à potentia, vel formaliter, vel eminenter, & sine imperfectione quidquid appetere potest; sed Deus, vt attingibilis per amorem naturalem tantùm, non continet in se omnem rationem diligibilis, quia non continet rationem diligibilis supernaturaliter, vt attingitur à potentia non eleuata: ergo respectu aliorum obiectorum manet adhuc indifferens potentia. Si autem dicamus voluntatem ab intrinseco esse indifferentem, eodem modo hæc indifferentia eius nequit tolli nisi similiter in ordine ad obiectum, ad quod per modum naturæ inclinatur: hoc autem est vltimus finis inquantùm quietatiuum potentiæ, quia alioquin nisi sit quietata, manet indifferens ad alios fines, & obiecta accedente infirmitate, & passione. Adde etiam pœnam, quod à fortiori vrget in opinione eorum, qui dicunt consistere posse visionem aliquam, vt iam præmisimus, cum peccato actuali odij etiam Dei: ergo nec voluntas necessitatur ad dilectionem Dei naturalem, siue vt eam producat, siue vt in ea perseueret. Patet consequentia, quia Deus potest in ordine ad extrinseca considerari à tali volente secundùm affectum commodi, vt inconueniens: manet ergo indifferentia obiectiua requisita ad auersionem: ac proinde conuersio per amorem naturalem non necessaria. Accedit quòd ille actus per accidens supponit visionem claram Dei: quia in via potest haberi secundùm plerosque supposita tantùm cognitione naturali: ergo sicut in via non necessitatur voluntas ad ipsum, ita neque in patria; quod amplius probabitur in sequenti argumento.

Non necessitari voluntatem, ad amorem naturalem finis vltimi.

Non est quietatiuus voluntatis finis per amorem solum ordinis naturalis.

Obiectum quietatiuum voluntatis.

Deus si non quietat voluntatem, nō necessitat.

Voluntas non satiata completè manet indifferens.

Amor naturalis non exigit visionem

29

Sextò probatur conclusio, quamuis Canus *lib.9. de locis Theolog. cap. 9.* & expressiùs Vasquez *1. parte d. 226. cap. 2. & disp. 12. cap. 3.* probare conantur non dari posse aliquam beatitudinem naturalem hominis aut de facto, aut constituti in statu puræ naturæ; tamen communior fert sententia oppositum, distinguens beatitudinem in naturalem, & supernaturalem; illam quæ conuenit homini, aut Angelo viribus naturæ; hanc autem quæ conuenit eleuato per dona supernaturalia. Eam supponit Doctor *in 1. quæst. prologi §. Contra istam volitionem*, & specialiter §. *Ad argumenta pro opinione ad confirmationem, & quæst. 3. in 4. d. 43. quæst. 2. respon. ad 2. argumentum*, & aliàs sæpè supponit illud, quòd Philosophus 10. *Ethicorum* disserit de speculatione altissimarum causarum, tanquàm beatitudine nota lumine naturali. D. Thomas *1. p. quæst. 23. art. 1. quæst. 62. art. 1. quæst. 75.*

Sexta probatio ex beatitudine naturali.

Communis sententia.

Eam tenet Doctor.

1. *quæst.* 75. *art.* 1. *ad* 3. & aliàs sæpè Caietan. *ibid.* Medina 1. 2. *quæst.* 3. *art.* 8. Bellar. *in lib. de gratia primi hominis cap.* 7. Suarez *in met. disp.* 30. *sect.* 11. quidquid sit de veritate huius controuersiæ, quam refero in suum locum, suppono partem affirmatiuam: quia homo habet appetitum ad beatitudinem in genere, vt docet sæpiùs Augustinus: ergo ad aliquam in indiuiduo, & consequenter ad illam saltem, quæ ipsi possibilis est, & connaturalis viribus propriis. Deinde, si crearetur in statu puræ naturæ cum mediis saltem requisitis ad finem illius status, & rectitudinem seruandam propter seipsam (vt definit Anselmus liberum arbitrium esse *quo rectitudo propter seipsum seruatur*) haberet aliquem finem, nempe actum perfectissimum, & statui possibilem, in quo quietaretur voluntas eius ordinatè volens, quia non extenderetur vltra finem præfixum statui, & media, seu adiutoria eius consequendi. Neque puto hoc esse contra Augustinum, qui videtur negare Deum constituere posse hominem in pura natura; quia loquitur de eo statu naturæ, in quo consideratur cum solo libero arbitrio defectibili, sine adiutoriis ad obseruandam legem. Demus ergo ipsa adiutoria homini ad seruandum legem, & non repugnabit Augustinus: præscindamus autem electionem eius ad finem supernaturalem saltem in patria, & maneat cum perfectione viæ, & Philosophi concesserunt talem beatitudinem, vt patet 1. & 10. *Ethi.* & ipse Augustinus locis suprà citatis admittit hominem in statu innocentiæ, & Angelos habuisse beatitudinem quandam viæ, licèt non plenitudinem, & consummationem, quam habent in patria. Aliqui etiam Theologi eam concedunt pueris decedentibus ante Baptismum, vt Catherinus *in opusculo de hoc, & in caput 5. ad Romanos* Sauarola *in lib. de triumpho Crucis.* Pighius *in controuersia.* Probabilem putat Medina 1. 2. *quæst.* 83. *art* 4. *& in 2. opinione ad finem commenti*, dicens placuisse multis Theologis. Lyranus *in cap.* 4. *Ecclesiastes* in illa, *qui nondum natus est.* Videtur etiam Medinæ suprà esse D. Thomæ *in* 2. *d.* 33. *quæst.* 2. *art.* 2. *& de malo quæst.* 5. *ar.* 3. Eam tenet Argentina *in* 2. *d.* 33. *quæst. vnica art.* 3. *conclus.* 2. *ad* 1. Viguerius *in suis institutionibus c.* 14. Quam sententiam nec approbo, neque nunc improbo eam, quæ ratione solum adducta est, vt suppositio huius argumenti magis fulciatur ex sententia Theologorum.

Supponitur beatitudo naturalis possibilis.

In statu puræ naturæ esset.

Explicatur Augustinus.

Quomodo possibilis in statu viæ.

De statu paruulorum post iudiciū qui non saluantur.

30 Hoc ergo supponendo, sic argumentor ad conclusionem: si voluntatis modus operandi colligitur ex inclinatione eius actiua, aut passiua, videtur maius fundamentum esse: vt circa finem vltimum naturalem, & sibi debitum necessitaretur, quàm circa finem supernaturalem, aliàs indebitum (quia ex opinione contraria sentientium, non est inclinatio naturalis aut actiua, aut passiua in voluntate ad finem supernaturalem; sed tantùm obedientialis: & quamuis nos admittamus cum Augustino inclinationem passiuam summam, & naturalem respectu beatitudinis, & finis supernaturalis in creatura spirituali, tamen actiuam non habet nisi mediante gratia) sed non necessitatur ad finem naturalem liberè se habens: ergo neque ad supernaturalem clarè visum. Maior probatur, quia maior est connexio potentiæ ad illum finem, ad quem ex inclinatione naturæ in quocumque statu ordinatur tam actiua, quàm passiua, quàm ad alium, licèt perfectiorem, ad quem se habet obedientialiter, vt volunt, vel certè vt eleuatur, secundùm omnes; quia ad primum determinatur ex duplici inclinatione prædicta, quam dicit ex sua specie; ad alium dicit non repugnantiam, & quæ subiicitur causæ primæ: vel si dicat inclinationem ad ipsum, quà actus vitalis est, hæc erit transcendentalis, aut generica, non specialis. Accedit quòd non dicat ordinem ad eundem finem nisi per media, quæ ex natura, & efficacia sua non inducunt finem, nisi accedat acceptatio Dei; talia sunt merita, aut propria, aut capitis, vt contingit in infantibus baptizatis, qui non accipiunt gloriam, & coronam iustitiæ sicut adulti; finis autem naturalis acquiritur per media ex naturę rei efficacia: ergo siue respiciat media, siue finem, voluntas creata magis determinatur ad finem naturalem, quàm supernaturalem.

Formatur argumentū.

Magis necessitari voluntatem ad finem naturalem, quàm supernaturalem.

Ad finem naturalem ex duplici inclinatione actiua, & passiua determinatur.

Ad supernaturalem aliter inclinatur.

31 Confirmatur, quia eatenus colligitur esse beatitudo necessaria quatenus voluntas necessitatur secundùm inclinationem suam ad beatitudinem in genere, & consequenter ad aliquod eius indiuiduum inclinatur necessariò, eatenus etiam dicitur necessitari ad finem vltimum supernaturalem, quatenus inclinatur ad bonum vt sic necessariò: ac proinde ad bonum quod includit omne bonum: ergo vbi maior erit inclinatio eius naturalis, ibi erit maior necessitas operandi; hanc autem inclinationem maiorem esse ad finem naturalem ex natura potentiæ, & obiecti patet ex dictis; quia sequitur naturam, à qua inseparabilis est talis inclinatio in quocumque statu. vnde in ordine ad perfectionem naturalem debitam potentiæ Theologi docent scientiam infusam datam esse Christo, & reliquas perfectiones, ex quibus perfectio naturalis consurgit, in qua hæc beatitudo consistit. Sic etiam Angelis species infusas concreatas, & primo homini, nè quid deesset, quod ad naturalem perfectionem spectat. Deinde, dicitur peccare contra finem naturalem, qui peccat contra finem supernaturalem ex coniunctione eorum de facto: quamuis in statu naturæ puræ posset esse peccatum contra finem naturalem, quod non esset contra supernaturalem. Item, quòd gratia supponat naturam, non destruit, sed perficit. Dices ergo ex hoc argumento magis probari oppositum, quia magis subiicitur creatura Deo per potentiam obedientialem, quàm propriæ inclinationi: ergo potiùs ratione huius subiectionis magis necessitatur. Contrà, subiectio creaturæ ad Deum est respectu suæ omnipotentiæ, & quà causa prima efficiens est: sed hæc necessitas voluntatis præsumpta non ponitur in ordine ad Deum, quà efficiens est, sed in ordine ad ipsum quà est finis, & omne bonum clarè visum, & applicatum potentiæ in actu primo; & colligitur ex inclinatione potentiæ ad finem, seu bonum: ergo quòd dicat voluntas subiectionem per potentiam obedientialem ad Deum efficientem, non arguit inclinationem in ea, qua est ad finem clarè visum, quæ ipsam necessitet. Patet consequentia manifestè; quia hæc inclinatio potentiæ obedientialis vel est voluntatis vt subiecti, secundùm quam subiicitur Deo efficienti in ea quamcumque formam, quæ non repugnet: vel est inclinatio eius vt causæ particularis, & instrumenti (vt cum ipsis loquar) vt per eam Deus efficiat quidquid non repugnat, & ita ad hęc duo pręcisè terminatur virtus omnipotentiæ circa creaturā vniuersim, vt dicit potētiam, hæc

Fundamentū necessitatis in volūtate.

Finis scientia infusa.

Omne peccatum contra finem supernaturalem est contra naturalem.

Gratia supponit naturam.

Responsio.

Impugnatio. Potentia obedientialis respicit Deum, quà efficiens est.

Non arguit inclinatio necessitatem ad finem.

hæc obedientialem, illa verò rationem causæ principalis potentis quidquid non repugnat, terminans ordinem causarum inferiorum essentialem, seu obedientialem: voluntas autem non sic ordinatur ad finem, sed in alio genere, nempe cuius gratia, vt perfectibilis ad formam perficientem extrinsecam, seu terminum sui appetitus, quocunque modo dicatur terminari ad illum, in quo quiescit, & cuius gratia operatur secundùm affectum, vel amicitiæ, vel concupiscentiæ, eidem inhærendo per amorem. Hæc ergo est inclinatio diuersæ rationis, ex qua colligunt aduersarij necessitatem in operando: sicut & sanctus Thomas necessitatem specificationis loco citato ad conclusionem; sed minor est hæc inclinatio in voluntate ad finem supernaturalem ex doctrina ipsorum, quàm ad naturalem: ergo minùs infert necessitatem operandi circa illum, quàm circa hunc. Deinde, demus inclinationem voluntatis oriri ex potentia eius obedientiali, qua reducitur in finem per causam primam. Probatur intentum; quia etiam in via per eosdem voluntas mediante potentia obedientiali eleuatur ad actus supernaturales circa finem; sed hoc non obstante liberrimè agit, & secundùm meritum, quamuis plenè subdatur Deo obedientialiter, & eius gratiæ efficaci, vt visum est suprà: ergo inclinatio fundata in potentia obedientiali, siue dicatur ipsa potentia obedientialis, aut quidpiam consequens, non destruit eius libertatem, sed non aliter in patria eleuatur intrinsecè, quàm in via: quia eadem charitas habitualis manet commensurata meritis, quamuis magis adiuuetur extrinsecè; quod nequaquam destruit in ipsa libertatem necessariò: quia Deus ea vti potest in gloria tanquàm instrumento libero, vel causa principali libera, & inferiori: ergo non colligitur ex inclinatione eius, quà potentia obedientialis est, hæc necessitas, de qua agitur.

Alius ordo voluntatis ad finē, alius ad efficientē.

Voluntas in via dicens potentiam obedientialem, non necessitatur.

Eadem est eleuatio eius in via, & in patria.

32 *Responsio.*

Dices ergo aliter, quòd ex inclinatione vniuersali potentiæ ad beatitudinem in genere, & ad bonum, colligatur hæc necessitas operandi circa illud obiectum, quod includit omne bonum sine vlla imperfectione, qualis est finis vltimus clarè visus. Hæc responsio consentanea est principiis iam aliàs impugnatis, & fundamento opinionis oppositæ. Contrà replicare possumus quòd in via etiam cognoscatur, & proponatur sic finis vltimus, vt omne bonum continens siue per fidem, siue per cognitionem naturalem sine vlla necessitate operandi.

Aliter argumentor: quia id aliàs deductum est in primo argumento: Inclinatio vniuersalis ad bonum non inducit necessitatem exercitij, & plerique oppositæ sententiæ etiam admittunt, & infrà probabitur, aliàs sequeretur quòd magis saluaretur ratio boni secundùm genus, speciem, & indiuiduum in aliquo, necessitare vel simpliciter vel certè magis voluntatem ad electionem, quod est falsum, quia minus eligitur, relicto meliori, vt experientia constat: ergo neque voluntas ad bonum in indiuiduo magis necessitatur ex inclinatione vniuersali præcisè, quàm ad ipsum bonum in vniuersali quoad exercitium: supposita autem conceptione beatitudinis, aut boni vt sic, non necessitatur voluntas ad exercitium, volendo ipsam; ergo neque in indiuiduo ex vi inclinationis vniuersalis præcisè; sed non est inclinatio particularis in voluntate per ipsos ad beatitudinem supernaturalem: & consequenter ne-

Inclinatio vniuersalis ad bonum non infert necessitatem.

Bonum, aut finis in vniuersali non infert necessitatē exercitij.

que ad finem supernaturalem: ergo neque fundamentum adstruendi necessitatem operandi, sumptum ex inclinatione naturali potentiæ; neque ex inclinatione etiam supernaturali ratione gratiæ eleuantis, aut habitus, quia neque in via talis inclinatio infert necessitatem. *Responsio*

Dices, saltem in sentētia Doctoris datur inclinatio particularis in potentia, & summa ad finem supernaturalem: ergo saltem necessitas operandi. Respondeo, ipsi concedant hoc cum Doctore, & in parte consequentiam; sed ego negabo consequentiam cum eodem Doctore. Argumentum hoc est ad hominem, destruendo principia, ex quibus colligitur talis necessitas operandi in patria circa finem vltimum ex inclinatione potentiæ ad bonum sine imperfectione, & simpliciter includens omnem rationem boni.

Impugnatio.

33 *Responsio*

Dices ergo aliter, nempe ex inclinatione vniuersali ad bonum, & particulari voluntatis, siue obedientialis, siue quocumque alio modo dicatur, colligi simul necessitatem operandi, quatenus coniungitur bono, quod est vltimum quietatiuum potentiæ, & vltra quod non inuenitur aliquid aliud. Contrà, etiam in via secundùm statum, quem *suprà* formauimus, puræ naturæ, cum mediis requisitis: v. g. Angelus secundùm illum statum, quem putant aliqui Theologi habuisse ex dono creationis antequàm infunderetur ei gratia, aut dona supernaturalia, cognoscebat Deum esse finem vltimum naturalem, & beatitudinem suam naturalem, in aliqua operatione consistere, ad quem ordinabatur potentia tanquàm ad summum ipsi possibilem, & vltra quem non erat processus vlterior secundùm inclinationem suæ voluntatis ad bonum, siue ordinatè (quia ponimus præceptum naturale in ipso diligendo finem, qualem plerique statuunt primum præceptum Decalogi esse naturale) siue vltimum in *esse* pro eo statu, & secundùm capacitatem potentiæ, & regulam operandi; quia alium non cognoscit possibilem; Angeli sic liberè operabantur, vel certè operarentur, si in eo statu crearentur. Patet infrà in probatione minoris principalis: ergo inclinatio ad bonum in genere, & ad summum in particulari possibile attingi per potentiam, & quod tale apprehenditur, & secundùm statum reipsa est, non infert necessitatem operandi. Dices diuersam esse rationem: quia finis vltimus supernaturalis est vnus, & simplex, & cōtinens in se omne bonum, siue naturaliter, siue supernaturaliter attingibile per potentiam; ideò terminatur ad ipsam omnis capacitas eius siue naturalis, siue obedientialis, atque inclinatio; ac proinde necessitatur. Contrà, recurritur ad ea, quæ præmissa sunt; & specialiter argumentor, si liceret formare casum per impossibile, vt essent duo, aut plura entia simpliciter infinita, voluntas ad quodlibet referretur tanquam ad finem, quamuis non in quolibet includeretur alterum, in quolibet tamen quietaretur, tanquam in bono supernaturali, & simpliciter: sed formemus casum aliter; Deus potest ostendi sub diuersis attributis de potentia absoluta, quorum quodlibet est infinitum, ac proinde includens omne bonum; sed in eo casu voluntas non quietaretur in vno attributo sic, quin etiam aliud vt bonum infinitum & simpliciter amaret, & sub formali sua ratione: ergo adhuc manet potentia obedientialis sine adæquato suo actu. Maior non includit aliquid impossibile, & con

Impug.

Angelus in via liberè dilexit finē naturalem.

Etiamsi creatus dicatur in pura natura.

Responsio

Impugnatio.

Casus impossibilis.

Posse esse diuersas visiones Dei sub diuersa ratione attributali.

concedunt eam, qui aſſerunt non per omnem viſionem Dei ſub ratione attributali: v. g. neceſſitari voluntatem etiam quoad ſpecificationem, & quidquid ſit de illa quæſtione, an Deus poſſet videri non viſis perſonis, aut attributis ſaltem non repugnat videri Deum de potentia abſoluta ſub ratione aliqua attributali, tanquam obiecti formalis, ſiue videatur deitas ipſa vt materiale, ſiue non: quia quodlibet attributum continetur ſub obiecto formali intellectus, quia eſt ens, & ſimpliciter infinitum, & ſicut in via poteſt eſſe obiectum formale alicuius intellectionis: quare etiam non in patria de potentia abſoluta obiectum viſionis? Minor probatur, quia capacitas obedientialis tunc eſt in actu terminata quando habet actum adæquatum, in eo caſu non haberet actum adæquatum circa bonum ſimpliciter, quia non haberet actum circa ipſam deitatem vt obiectũ formale, neque circa vnum attributum terminaretur eius capacitas, quia etiam alterum amaret amore, qui eſſet ad ipſum vt obiectum formale: ergo eſſet indifferens ad vtrumq; bonum, & conſequenter liberè amaret quãtùm ad indifferentiã ex parte obiecti, in qua plurimùm ſiſtunt aduerſarij: ergo etiam de facto non eſt capacitas eius terminata, ſeu inclinatio obedientialis. Probatur conſequentia, quia non habet amorem attributorum, qui poſſibilis eſt vt obiecti primarij, & ſpectat ad perfectionem potentiæ, ſed ipſius eſſentiæ vt obiecti primarij: ergo non amat Deum omni modo, quo amabilis eſt, à creatura dico: quia ſi inſtaret quis, quòd ipſe Deus non poſſet ſic amare attributa, vt obiectum formale primarium, ſed eſſentiam, quæ eſt ratio mouendi ad ſe, & ad alia, non refert, quia Deus, ſeu diuina voluntas eſt ad ipſam deitatem ex peculiari ratione, per quam neceſſariò mouetur ad ſe, & attributa, creatura autem non ita limitatur ex imperfectione ſua, ſed reſpicit latitudinem boni tanquam motiuum formale, & contingenter mouetur à voluntate diuina proximè vt cauſante amorem huius, aut illius, quod continet in ſe rationem ſui obiecti motiui, vt continent attributa diuina: nam quare ſapientia amor, & intellectio creata poſſint amari per ſe, & propter ſe, non autem in creata ſupernaturaliter? Manet ergo potentia obedientialis voluntatis creatæ in patria adhuc indifferens, & interminata quoad aliquẽ actum, quem poteſt habere, & appetere voluntas ex motiuo formali obiecti.

Tunc amor eſſet indifferens.

Probatio

Differentia inter obiectũ formale voluntatis diuinæ, & creatæ.

In attributis continetur obiectum formale amoris creati.

34
Confir.

Confirmatur: actus terminans inclinationem obedientialem ſequitur menſuram appetitus; hîc autem appetibilis, ſed voluntas in patria, quamuis attingat perfectè Deum, finem ſupernaturalem clarè viſum, non attingit ſecundùm omnem modum, quo attingibilis à creatura ſecundùm inclinationem obedientialem, & perfectionem operationis: ergo non eſt in actu adæquato, & conſequenter manet indifferens, quantùm ad aliquid, quod ineſſe poteſt, & appeti. Antecedens probatur; quia hic appetitus, ſeu minùs beatus non attingit finem tam perfectè, quàm magis beatus, quia vterque ſecundùm menſuram meritorum, vt fides eſt: quia *in domo Patris mei manſiones multæ ſunt, & ſtella differt à ſtella ſecundùm claritatem.* Neque ipſe Chriſtus attingit finem tam perfectè, quin perfectiùs attingere poſſet in infinitum de potentia abſoluta, ſecundùm ſententiam communem in Schola D. Thomæ, quæ negat in qualitatibus dari terminum intrinſecum ſuæ perfectionis, & intenſionis, vltra quem intendi non poſſit; ideò quamuis Chriſtus habeat ſummam gloriam ſecundùm ſtatum ordinariæ prouidentiæ, non tamen ſummam de potentia abſoluta, qui ampliùs creſcere poſſet in fruitione, & viſione, iuxta hæc principia, licèt contrarium ſuo loco oſtendimus: videt ergo beatus poſſibile eſſe Deum attingi perfectiùs à ſua voluntate, & de facto à beato ſuperiori in gloria ſic attingi ex inæqualitate meritorum: ergo videt inclinationem ſecundùm potentiam obedientialem, aut quocumque modo dicatur ad finem vltimum non eſſe completam ſimpliciter, quamuis ſecundùm ſtatum ſit completa per reſpectum ad merita, & menſuram ſuæ electionis: ergo ſimpliciter poteſt appetere ſic attingere Deum. Quòd autem non appetat, referendum eſt in impeccabilitatem, qua fit, vt ordinatè velit; non autem in neceſſitatem operandi, quæ fundatur in inclinatione potentiæ ad finem vltimum: qua indifferens eſt ad modum attingendi perfectiorem: vnde in via poteſt appetere illa perfectiorem attingendi Deũ, ſicut & conari applicare media, cumulando meritum; & hic appetitus eius erit ordinatus, appetẽdo gratiam & merita, per quæ ſic attingeret.

Non attingi in patria obiectum beatificum ſecũdùm omnem modum poſſibilem.

Aliter ſecũdùm perfectionem attingitur à beatis.

Gloria Chriſti iuxta ſententiã aliorũ non eſt ſumma poſſibilis abſolutè.

His ſuppoſitis, ad probationem Maioris, probatur etiam minor principalis; quia in ſtatu puræ naturæ remanerent omnia, quæ ad libertatem requiruntur in quacumque opinione: neque Philoſophi, qui diſſeruerunt de illa felicitate, aliud vnquam ſomniarunt, quàm quòd conſiſteret in ſpeculatione, & in operatione ſecundùm rectam rationem: ergo non neceſſariò, ſed liberè voluntas fertur in finem naturalem vltimum. Antecedens patet: quia maneret inclinatio ad bonum commodi, nec magis in eo ſtatu rectificaretur voluntas ad amandum finem naturalem, quàm iam per fidem, & gratiam Chriſti rectificatur in viatore ſine præiudicio libertatis, neque media ibi eſſent magis efficacia, quàm nunc ſunt, neque obiectum magis quietans, aut alliciens voluntatem, neque attingeretur perfectiùs quàm attingebatur à primo homine in ſtatu innocentiæ & Angelo in via, imò hi multò perfectiùs attingebant finem naturalem, quantùm ad intellectum & voluntatem: liberè tamen.

Probatio minoris principalis.

In ſtatu puræ naturæ eſſet libertas ad finem.

Perfectior ſtatus viæ in homine eleuato quàm pura natura.

35
Reſponſio

Dices, in Angelo, & in homine fuiſſe ſcientiam finis ſupernaturalis, ad quem fuerunt eleuati; ac proinde non potuiſſe eos ordinatè ſiſtere in fine naturali tanquam vltimo. Contrà, hæc eleuatio non ſuſtulit modum connaturalem operandi circa finem naturalem, cùm fuerit extrinſeca: ergo magis probat voluntatem liberè ſe habere ad illum, quàm neceſſariò, ſi ſuppoſita eleuatione ad ipſum liberè ſe habet. Dices, per eleuationem, & reuelationem eius per fidem cognouiſſe finem naturalem vt bonum indifferens, quia cognouerunt ſe ordinatos ad finem ſupernaturalem, quæ cognitio iam non proponebat finem illum ſub ratione determinata, ſed indifferenti; homo autem, aut Angelus in pura natura apprehenderet finem naturalem vt bonum determinatum, & vltimum, ad quod ordinaretur ex inclinatione naturæ. Hæc reſponſio ſatis conformis eſt principiis oppoſitæ ſententiæ, quibus ſtatuitur libertas in intellectu, aut indifferentia obiecti. Contrà, perfectiùs cognouerunt connexionem naturæ, & inclinationis naturalis ad finem vltimum naturalem,

Impugnatio.

Reſponſio.

Impugnatio.

ralem, quàm cognouerunt Philosophi, aut cognosceret homo in pura natura viribus propriis, quia habuerunt scientiam infusam, & perfectiorem, quàm ille homo haberet ex phantasmatibus, & per discursum: ergo perfectiùs proponebatur ipsius talis finis secundùm rationem bonitatis suæ, quàm in pura existenti saltem homini, quidquid sit de Angelo: ergo sicut visio clara Dei, quia magis determinata, & perfecta applicatio obiecti necessitat voluntatem, per ipsos, quæ non necessitatur in via per fidem: ita etiam perfectior scientia finis naturalis magis argueret necessitatem voluntatis, & maximè illa scientia, quæ fuit perfectissima eius in supremo Angelo, quæ haberi posset in proprio genere.

Scientia finis naturalis perfectior in homine eleuato.

36 Deinde, quidquid dicatur, non apprehenderetur finis vltimus naturalis vt continens omne bonum secundùm affectum commodi in eo statu: ergo non vt simpliciter determinatum, nisi tantùm secundùm iustitiæ & rectæ rationis affectum, ac proinde ab hoc statu non excluderent Philosophi operari secundùm commoda, quæ supponūt libertatem; neque tolleretur omne impedimentum operandi per ipsum, quia neque concupiscentia appetitus, neque confusio cogitationum, & phantasmatum, neque passiones consequentes naturam sibi relictam, & passibilem subiectam causis tam intrinsecis, quàm etiam extrinsecis; neque necessitaret intellectum semper ad considerationem sui, interueniente distractione, per fortius mouens, aut voluntaria, aut per somnum, neque actus circa ipsum haberet ab intrinseco, aut extrinseco perpetuam stabilitatem, neque tolleret solicitudinem de morte, & sui desitione, aut aliis motiuis: neque efficaciùs ipse moueret voluntatem, quàm finis supernaturalis in via mouebat Angelum, & hominem in priori statu innocentiæ. Ex quibus sequitur non esse bonum determinatum ea determinatione, quam etiam aduersarij exigunt ad determinandum voluntatem, si fine errore apprehenderetur etiam vt vltimus finis negatiuè, vltra quem non esset alius secundùm statum, aut inclinationem naturæ, sicut non necessitaret ad continuandam beatitudinem, & eundem actum semper: quamuis esset in potentia inclinatio naturalis ad ipsum.

Finis in statu puræ naturæ non posset necessitare voluntatem.

Non esset efficatior, quàm finis supernaturalis in statu innocentiæ.

Sequitur ergo consequentia principalis & intenta, ex inclinatione voluntatis non probari ipsam necessitari ad finem supernaturalem.

37 *7. Probatio conclusionis.*

Septimò probari potest conclusio; nequit dari aliqua creatura, quæ natura sua habeat quòd sit impeccabilis, id est, habeat voluntatem indefectibilem ex se, in quocumque statu ponatur: ex se dico, hoc est, seclusa protectione Dei, & gratia superaddita, ita vt in hæc debeat refundi rectitudo eius, & non in naturam propriam: ergo voluntas in patria non agit ad finem vltimum per modum naturæ, vel non necessitatur ab intrinseco ad finem vltimum, etiam clarè visum ex se. Consequentia patet: quia aliàs haberet ab intrinseco indefectibilem connexionem, & necessariam omnino ad finem clarè visum amandum, quod proprium est voluntatis diuinæ indefectibilem esse ex natura sua; quidquid enim conuenit voluntati creatæ per inclinationem propriam potentiæ ad finem vltimum, conuenit ipsi ex se, & natura sua, posita applicatione obiecti debito modo. Antecedens probatur, quia hac potissimùm ratione negatur possibilis esse substantia

Non dari posse substantiam supernaturalē, & indefectibilē in volūtate.

Si voluntas creata necessitaretur ab intrinseco ad finem clarè visum, esset indefectibilis.

Repugnantia substātiæ supernaturalis.

supernaturalis, cui essent dona supernaturalia connaturalia, & quæ sit creata, nè ex natura concedatur ei indefectibilitas, & impeccabilitas, quod proprium est Dei. Vide Doctorem *in 2. d. 23.* D. Thom. 3. *contra Gentes cap. 52. & 1. part. quæst. 12. art. 4. & 5.* vbi Caiet. & alij. Etsi instes de voluntate Christi, quę est impeccabilis per vnionem hypostaticam, vt multi volunt, non facit ad propositum, quia agimus de beato non vnito hypostaticè; neque Doctores asserentes impeccabilitatem ex vnione, refundunt ipsam in voluntatem, quasi primò ipsi competeret, sed in ipsam vnionem, cui repugnat peccatum physicè, vt aliqui volunt; quinimò aliqui hunc effectum non tribuunt vnioni, nisi vt trahit secum assistentiam, & protectionem tanquam debitam, & inseparabilem ex natura sua. Probatur antecedens ex Patribus. Athanasius orat. contra Idola: *Creatarum rerum natura, quia ex nihilo constat, fluxa, imbecillis, & morti obnoxia est, si ex se in æstimationem veniet. Deus contrà vniuersitatis istius bonus, & plusquam bonus est natura*, &c. Et in compendio de spiritu sancto ex immutabilitate Christi probat ipsum esse Deum; *quia in creatis nihil est immutabile natura*, &c. quod subinde probat exemplo Angelorum, & primi hominis; *& in lib. de passione & cruce* subiicit rationem: *Rerum creatarum natura id proprium sibi habet; vt mutationi subiecta sit, & diuersis viribus agitetur, id inde nimirum illis venit, quòd cùm non essent per se, immutationem acceperunt ex gratia, & humanitate sui Conditoris.* Damascenus lib. 2. de fide cap. 3. *Angelus porrò est essentia intelligens perpetuo motus, atque arbitrij libertate prædita*, &c. & infrà: *est igitur Angelus natura sua rationis, & intelligentiæ particeps, intelligens, arbitriique libertate præditus, voluntatis ac sententiæ ratione mutabilis, hoc est, liberam in vtrámque partem voluntatem habens, quidquid enim creatum est, mutationi quoque subsit necesse est: id enim vnum extra mutationis aleam est, quod nihil, à quo sit creatum*, &c. Loquitur autem de mutatione ratione voluntatis, & libertatis eandem rationem eius cum Athanasio inferens: sic Greg. *lib. 5. moralium cap. 2.* eandem rationem adducit super illud: *in Angelis suis inuenit prauitatem. Natura Angelica etiamsi contemplationi authoris inhærendo in statu suo immutabiliter permaneat, eo ipso tamen quòd creatura est, in semetipsa vicissitudinem immutabilitatis habet*, &c. Atque vt cæteros omittam, Sanctus Augustinus *in libris contra Manichæos* causam peccati, seu defectibilitatis refert in voluntatem creatam, eo quòd ex nihilo sit: quam rationem repetit 14. de ciuitate cap. 13. & lib. 12. cap. 1. *Dicimus itaque immutabile bonum non esse nisi vnum verum Deum beatum, ea verò quæ fecit, bona quidem esse, quòd ab illo, verum tamen mutabilia, quod non de illo* (supple Deo, *Deus de Deo, lumen de lumine*, vt canit Ecclesia) *sed de nihilo facta sunt*, &c. Loquitur autem de mutabilitate, quæ est propositi, & voluntatis; & quia ordinantur ad bonum, & beatitudinem, vt ex antecedentibus, & consequentibus quis facilè legerit, quæ clara sunt: ergo persistentia, & immutabilitas in bono non est ex voluntate creata, tanquam ab intrinseco in illo statu; quia in quocumque non desinit esse ex nihilo secundùm se. Quæ ratio communis est Patrum, quæ probant eam mutabilem, & defectibilem esse, & sui arbitrij ad bonum sequendum.

Responsio. *Impugnatur.* *Athan.* *Damasc.* *Gregor.* *August.* *Volūtas creata defectibilis quia ex nihilo est.* *Persistentia in bono non est ex voluntate creata.*

38 *Confirm.*

Confirmatur ex alia assertione Patrum, quæ referunt immutabilitatem eius in beatitudine, non

Ambrof.

Stabilitas in bono ex gratia Dei non ex voluntate orixta est.

non in ipsam voluntatem, sed in gratiam. Ambrosius in lib. meditationum orat. 7. *Creatura tua, cui aliud est viuere, aliud beatè viuere, omne quod viuit, & quod beatè viuit, non debet nisi gratiæ tua*, &c. Postea docens Angelicam naturam ex eo quòd creatura sit, esse variabilem, & mutabilem, sed ex gratia, & dono Dei habere inuariabilitatem, & immutabilitatem. Augustinus lib. 3. cap. 12. *Cuicumque natura rationali præstatur vt peccare non possit, non est hoc natura propria, sed gratia, & per hoc solus Deus habet immortalitatem, qui non cuiusquam gratia, sed natura sua, nec potuit, nec poterit aliqua mutatione peccare.*

Augult.

Damafcen.

Damascenus suprà citatus: *Ac sunt quidem illi ita comparati* (supple Angeli) *vt ad malum agrè moueri, non tamen omnino non moueri possint; nunc verò ea iam conditione, vt ne vix quidem moueri, atque inflecti queant: quod tamen non eorum natura, sed gratia, eique qua Deo vnicè bono adhærent constantia, tribuendum est*, &c. Nazianzenus etiam oratione in sanctam Pentecosten hoc idem adstruit tribuens Spiritui sancto illam immutabilitatem eorum, non propriæ naturæ, quæ alioquin tribuenda esset voluntati, si necessitaretur ab intrinseco ad finem clarè visum. Si ergo in gratiam Dei referenda est hæc immutabilitas, non in Deum, quà finis est, sed in ipsum, quà efficiens debet refundi, & potiùs recurri deberet ad prædeterminationem physicam, aut formalem, aut moralem ipsius voluntatis, quà subest Deo efficienti, quàm ad inclinationem eius in finem, aut certè ad ipsum finem, quà finis est, & sic haberet magis fundamentum in Patribus hæc opinio, quæ aliarũ ratione impugnata esset.

Nazianz.

Hæc gratia est à Deo quà efficiens est.

39 Sed aduertenda sunt illa verba Damasceni, in quibus causam huius immutabilitatis Angelorum expressit, *nunc verò ea iam conditione* (supple comparati sunt) *vt ne vix quidem moueri, atque inflecti queant*, &c. Sed quare? Respondet, *quod tamen non eorum natura sed gratia, eique, qua Deo vnicè bono adhærent constantia, tribuendum*, &c. Ergo gratiæ Dei, & constantiæ voluntatis Angelicæ, qua adhæret Deo vnicè bono tribuit Damascenus immutabilitatem, & impeccabilitatem beatorum Angelorum. Eodem modo August. cap. citato ex lib. 12. de Ciuitatę. *Angelorum*, inquit, *bonorum, & malorum inter se contrarios appetitus, non naturis, principiisque diuersis* (*cùm Deus omnium substantiarum bonus author, & conditor vtrosque creauerit*) *sed voluntatibus, & cupiditatibus extitisse, dubitare fas non est: dum alij constanter in communi omnibus bono, quod ipse illis Deus est, atque in eius æternitate, veritate, charitate persistunt*, &c. Subiungens malos Angelos sibiipsi, non Deo peruersa cupiditate adhærere, *Constanter*, inquit, *persistunt*, &c. Nempe in Deo, eius æternitate, & veritate. Vnde infrà subiungit ideò beatos esse, quia *adhærent Deo sine quo miseri essent*: Constantia autem denotat affectum liberum voluntatis, & perseuerantem in bono. Vnde D. Thom. 2. 2. *quæst.* 137. *art.* 3. Statuit eam esse speciem fortitudinis. & Stoici, vt est apud Ciceronem *lib.* 4. *Tusculanarum quæstionum*, posuerunt tres constantias in sapiẽte contra tres animi perturbationes, voluntatem supple rectam contra cupiditatem, gaudium contra lætitiam, quæ est inanis, & effusa animi exultatio, quæ dicitur elatio; gaudium verò motus cum ratione placidus, & temperatus in bonum præsens: pro metu verò cautionem, vt ex ratione non animo fracto, & deiecto declinentur mala: quorum dogma amplectitur S. Augustinus *lib.* 14. *de Ciuit. cap.* 8. in hoc reprehendens quòd tristitiam in sapientem cadere negauerint; ideò contra eam non opposuerunt constantiam affectus quartam: ergo per *adhærere Deo* significat Augustinus, & Damascenus motum voluntaris in ipsum. Per *constanter adhærere* significant libertatem voluntatis in adhæsione. Vnde suprà Augustinus dicit *bonos, & malos Angelos non natura, aut principiis, sed voluntatibus, & cupiditatibus differre*, & infrà in fine capitis. *Ab illa igitur, qua adhæret Deo non natura differt ista, sed vitio.* & infrà. *Ita cùm vitium creaturæ Angelicæ dicitur quòd non adhæreat Deo, hinc apertissimè declaratur eius natura, vt Deo adhæreat non conuenire*, &c. Et subiungit per antithesim: *Quàm porrò magna sit laus adhærere Deo, vt ei viuat, inde sapiat, illo gaudeat, tantóque bono sine morte, sine errore, sine molestia perfruatur, quis cogitare dignè sit posse, aut eloqui?* Si ergo vituperiũ est in malis Angelis, quòd non adhæreant Deo, sed sibi vt *suprà* Aug. asserit; magna autem laus in sanctis Angelis, quòd adhæreant Deo constanter, sequitur in eis admitti libertatem voluntatis in hac adhæsione (quod & ipsum verbum indicat, quando refertur ad voluntatem creatam proprietate Scripturarum: iuxta illud *mihi adhærere Deo bonum est*, &c.) Et constantia eius: laus enim & vituperium supponunt libertatem, & ex iis probatur è Patribus, Theologis, & Philosophis, quod probatione non indiget. Videantur Patres. Iustinus orat. ad Gentiles. *Illa quippe*, inquit, *orta cuiusque rei natura est, vt virtutis, & vitij sit capax, neque quicquam eorum, quæ creata sunt, laude dignum esset, nisi vim, & potestatem alteroversum se conuertendi obtineret*, &c. Loquitur de virtute liberi arbitrij. Tatianus orat. contra Græcos. *Iusti contra laudes de præclaris actionibus merito auferant, qui liberè, & ingenuè Dei voluntatem non sunt aspernati: hac de hominibus, & Angelis dixerim*, &c. Gregorius Nyssenus orat. Catechetica cap. 31. *Rationis autem particeps, & intelligens natura, si liberum deposuerit arbitrium, simul etiam intelligit gratiam intelligentiæ. Ad quid enim sua vtetur mente, & cogitatione, si potestas eius eligendi quod suo arbitratu constituit, sita sit in alio? si manet autem inefficax, & nullius vsus liberum animi arbitrium, & electio, necessariò etiam abolita est virtus impedita immobilitate liberi arbitrij, si non sit virtus, honore priuata est vita, & facto procedit ratio, ablata est laus eorum, qui rectè se gerunt*, &c. Hi sufficiant; laus enim, vt in confesso est, virtutem sequitur, cuius honestas si per necessitatem euacuatur in beatitudine respectu charitatis diuinæ: hæc desinit esse virtus, neque beatus adhærendo laudem meretur, contra Augustinum; neque voluntas creata habet subiectionem ad regulam extrinsecam, quæ est rectitudo ipsi conueniens ex genere suo: supposita enim beatitudine necessitatur ad reliqua etiam ad extrà, vt operetur secundùm inclinationem beatitudinis; ita vt repugnet eam stante beatitudine aliter agere. vnde multi ex hac ratione negant libertatem in Christo respectu operum præcepti, quia per vnionem factus est impeccabilis; sed non minùs beatus per charitatem, seu beatitudinem redditur impeccabilis ad obiectum tam primarium, quàm secundarium, si necessitatur ad finem, quia eadem necessitate, qua fertur in finem, fertur etiam in media per se connexa, qualia sunt obiecta secundaria, vt multis placet.

August.

Quid designet constantia.

Est species fortitudinis.

Stoici tres eius species statuunt.

Voluntas recta.

Gaudium.

Cautio.

Augult.

Beati quòd adhæreant Deo laudem merentur.

Laus, vituperium supponunt opus liberum.

Iustin.

Tatian.

Inconueniens quod ex opposito sequitur.

Beatum non subesse legi, si necessitatur ad finem.

Libertas Christi.

Confirmati

40 *Confirm.* Confirmari potest argumento D. Thomæ *suprà 1.part.q.63. ar.1.& 3.contra Gentes*, vt meritò à quibusdam censeatur tenere conclusionem, quam probamus. Probat autem nullam voluntatem creabilem esse, quæ sit indefectibilis, cuius ratio trahitur eadem forma, applicando eam ad propositum: modus coniunctionis voluntatis cum regula in operando sequitur modum coniunctionis earum in essendo; sed sola diuina voluntas habet connexionem cum regula in essendo necessariam, quia idem sunt; nec habet aliam regulam superiorem, quàm suum intellectum, cui identificatur: omnis autem voluntas creata habet pro regula principali Deum, à quo realiter distinguitur: ergo non habet necessariam connexionem cum sua regula in essendo, aut operando; sed hæc ratio currit de voluntate creata in quocumque statu, etiam beatitudinis, comparata ad actum beatificum: ergo defectibilis est ex se, & consequenter libera respectu illius actus: non ergo necessitatur ab intrinseco. Hanc autem rationem D.Thomæ, licèt soluat Doctor *d.23.quæst. vnica §. Dico quòd rationes istæ non concludunt*, &c. §.tamen *dico igitur ad quæstionem*, &c. Licèt inhæreat negatiuæ opinioni propter authoritatem Patrum magis ex euidentia rationis conuincentis, admittit, & confirmat rationem præmissam D.Thomæ tanquam veram.

Applicatur ratio D.Thomæ ad propositum.

41 *Octaua ratio ex libertate Christi.* Octauò probari potest conclusio, quia si necessitaretur voluntas ad finem vltimum clarè visum, difficulter saluaretur meritum in operibus Christi Domini perfectissimum ex circumstantia finis, & perfectione charitatis, quæ maximè in Christo commendatur ex Scriptura variis locis: sed quia hoc argumentum proprio loco examinatur, in quo non conueniunt omnes Doctores, sufficit insinuasse, quia facilem habet deductionem.

42 *Vltima ratio.* Vltimò probatur ex eo quòd vltimus finis clarè visus moueat vt finis, & metaphoricè: ergo antecedenter ad actum nihil influit in voluntatem, per quod necessitaretur, si voluntas aliàs est libera in operando. Maior patet, tum ex ratione generali causalitatis finis, tum ex speciali; quia finis vltimus non agit ad extrà nisi mediante voluntatem, quæ est principium efficiendi, non finalisandi: ergo quà finis est, tantùm allicit, seu mouet obiectiuè, non autem producendo aliquid in voluntate antecedēter ad actum. Quòd autem voluntas sit libera ex se ad quemcumque finem, patet ex dictis; & confirmari potest ex Anselmo *de libero arbitrio*, asserente defectibilitatem, seu peccabilitatem esse differentiam essentialem liberi arbitrij creati: ergo competit ipsi in ordine ad quodcumque obiectum suum, quantùm est ex se, à fortiori autem in ordine ab finem vltimum, qui quantò perfectior est in se, tantò magis excedit vires voluntatis consideratas etiam per se: ergo propter eminentiam obiecti magis defectibilis est circa ipsum potentia, quàm circa alios fines; quia non ita excedunt virtutem potentiæ; & sicut libertas eius in virtute actiua consistit, sic etiam defectibilitas: vnde ex hoc capite probant Patres defectum liberi arbitrij ad bonum nisi adiuuetur à gratia, quia deficit potestas ad bonum eligendum ex peccato, quamuis potens maneat ad malum; quantò ergo magis deficit potestas voluntatis in ordine ad finem, tantò magis est defectibilis, quantò magis defectibilis, tantò magis inclinatur ad oppositum actum, & consequenter tantò minùs determinatur ex se necessariò ad ipsum finem, aut actum circa ipsum. Consequentia patet ex doctrina Patrum contra Pelagianos, qui ex defectu potentiæ, vt dixi, sine gratia excitante, & adiuuante, colligunt voluntatem nostram determinatè ferri in malum, quantùm ad electionem in vsu, licèt liberè, succumbendo tentationi, aut concupiscentiæ, & affectui commodi: ergo similiter quantò minùs voluntas habet potestatem boni determinati ex se propter eminentiam eius, & infirmitatem voluntatis ex alia parte, tantò minùs arguitur in ea inclinatio necessaria virtutis actiuæ, in qua consistit eius libertas, aut necessitas in agēdo, in ordine ad tale obiectū; quod non derogat obiecto, cùm propter eminentiam, & perfectionem, ei conueniat excedere vires potentiæ, quas alioquin si non excederet, non esset tam perfectum, ex alia parte, quamuis detrahat perfectioni potentiæ, non detrahit quidpiam, nisi quod necessarium est, vt constituatur in suo proprio genere voluntati creatæ, & quæ ex nihilo est in essendo, sicut & operando, vt Patres dicunt, ac proinde defectibilis, ac proinde non debetur ei necessaria connexio ad finem vltimum ex natura potentiæ, quæ tantùm competit illi voluntati, quæ indefectibilis est, nempe diuinæ.

Anselm.
Differentia liberi arbitrij creati est defectibilitas.
Finis metaphoricè mouet.
Finis vltimus agit mediante voluntate.
Non sufficit ad bonum.
Quò minor est facultas voluntatis ad finem, eò magis indifferens est ex se. Probatio.

Si autem dicas finem vltimum includere omnem rationem boni, ac proinde necessitare voluntatem creatam, non refert. Proba primùm voluntatem creatam indefectibilem esse, & habere necessariam connexionem cum sua regula, aliquid erit; sed ex hoc ipso probatur contrarium, quia ex eo quòd voluntas sit defectibilis ab intrinseco, non habet connexionem necessariam ad bonum iustum, seu rationis in exercitio, ad bonum, inquam, in genere, aut specie; sed non est maior connexio voluntatis creatæ ad finem vltimum, quà includit omne bonum, quàm ad bonum in genere, & specie: ergo si non necessitatur ad omne bonum, sic sumptum, neque ad finem necessitatur in exercitio. Maior patet, quia dicit inclinationem etiam ad bonum commodum in genere, & specie: v. g. ad bonum delectabile sensus, secundùm quam inclinationem potest agere circa ipsum, deficiendo à bono contrario, quod est secundùm rationem rectam: sed quamuis hoc etiam bonum includatur in Deo fine vltimo, non includitur in eo sub formali ratione motiui voluntatis, sed tantùm eminenter: mouet autem finis vltimus voluntatem secundùm rationem expressam formalem suæ bonitatis, non autem secundùm aliquid quod eminenter tantùm includit, quia illud nullum habet esse formale proprium in Deo, sed est ipse Deus: neque consequenter aliquid ratione cuius moueret, aut terminaret voluntatem beati, quà sic præcisè includitur, sicut neque videtur aut cognoscitur ab intellectu beati, quia nihil est in se; Deus autem vt sic includit alia bona à se, est omne bonum in se, & in ordine ad voluntatem, non loquēdo in sensu distributiuo de aliis bonis ab ipso, sed vnitiuè: ergo inclinatio actiua voluntatis respectu boni commodi creati, & in sua ratione formali tanquam motiui per se, & terminatiui voluntatis in suo *esse*, vt dixi, formali, quod respicit voluntas, vt dicit inclinationem dictam præcisè, non habet omne bonum in fine vltimo secundùm quòd est ordinatum ad ipsam voluntatem,

Responsio reiicitur.
Diuersa inclinatio voluntatis.
Bonum creatum includitur in Deo eminenter, non formaliter.

tatem, vt bonum eius, id est, conueniens ipsi, quæ conuenientia fundatur, & sequitur ad *esse* formale obiecti, quod non habet in Deo: quamuis in altiori actu dicatur habere actum inferioris ordinis non solùm æquiualenter quantùm ad quietationem, sed in eminentiori & perfectiori, non tamen omni modo, quo conuenit voluntati ex inclinatione sua: neque sic necessitatur voluntas ad bonum superioris ordinis, quamuis contineat eminenter bonum inferius; quin circa ipsum inferius sit libera: ergo neque Deum esse omne bonum, quod respicit voluntas modo dicto, scilicet eminenter, probat necessariam connexionem voluntatis ad ipsum, sicut non probat desinere in voluntate inclinationem ad alia bona, cuius actum explicitum & formalem non habet in Deo, qui est omne bonum conueniens voluntati tantùm eminenter, non formaliter; & prout illa bona respiciuntur à voluntate, sicut neque bonum iustitiæ includēs bonum commodi eminenter, quia est superioris ordinis, est necessitat voluntatē, quin sequi possit inclinationem commodi, & redeundo ad eandem rationem, hoc ideò est, quia voluntas ab intrinseco defectibilis non aliter ordinatur ad obiectum illud in exercitio suæ virtutis respiciendo, quàm prout habet innatam virtutem, quæ ex se defectibilis est: ergo neque obiectum respicit potentiam aliter, quàm potentia est nata circa ipsum operari, ac proinde ... nequit ipsi conuenire, quà obiectum est præcisè, necessitare potentiam ad seipsum ab intrinseco, ita eam rectificando vt non possit circa alia operari, & defectibiliter exercere suam virtutem. Hæc rectè explicant vim argumenti Doctoris *in 2. dist. 23.* quo probat ex affectu commodi innato voluntati creatæ, non posse eam fieri impeccabilem ex natura; quod æquè ad propositum applicatur.

Voluntas inclinatur ad bona formalia creata.

Hæc inclinatio formalis & particularis non terminatur in Deo, vt est omne bonum.

Ratio.

Ordo obiecti ad potentiā limitatur per ordinem potentiæ ad obiectum.

44 Probatur minor *suprà* subsumpta, quòd scilicet non maiorem habeat connexionem voluntas ad Deum finem vt includit omne bonum, quàm ad omne bonum in genere, & specie, distributiuè loquendo, quia maior est connexio potentiæ ad suum obiectum primum, & specificatiuum, quàm ad aliquod contentum sub ipso, quamuis perfectissimum, quia à suo primo specificatur, non ab aliquo contentò, & respectu sui primi obiecti potest habere actum, respectu autem inferiorum, quatenus illud continent; voluntas autem creata dicit inclinationem ad bonum in genere, & ad quodcumq; ad bonum siue apparens, siue verum: ergo non est alius modus operandi eius, qui fundetur in ordine ad bonum, aut connexione ad obiectum, circa obiecta inferiora, quàm sit eius circa primum specificatiui suū; sed hæc connexio non inducit necessitatem exercitij circa primum obiectum: ergo neque circa quodcunque particulate. Et confirmatur: hæc causalis, *ideò finis vltimus necessitat voluntatem, vel ideò voluntas necessitatur ad finem vltimum*; quia finis vltimus includit omne bonum: ideò, inquam, hæc est vera, quia voluntas ad bonum in genere necessitaretur ex inclinatione sua actiua, aliàs si finis vltimus non includeret omne bonum, causalis non esset vera: ergo per prius habet voluntas necessariam connexionem ad bonum in genere, & specie; quàm ad finem vltimum, quà continet omne bonum, qualis est ipsius vt ad omne bonum: hæc autem contingens est, & indifferens libertate exercitij: ergo etiam connexio eius ad finem vltimum erit sic indifferens. Deinde, vt dictum est in probatione maioris, aliter respicit voluntas creata bonum in genere, & specie quà suum obiectū est in *esse* formali, aliter verò vt respicit finē vltimū, quà includit omne bonū, vel respicit omne bonū in fine vltimo; quia respicit finē vltimū secundùm rationem propriam eius, & bonitatem infinitam deitatis, reliqua verò tantùm implicitè, & prout includitur, scilicet eminenter, & non sub ratione propria, ad quæ tamen in suo *esse* formali posita dicit inclinationem tanquam ad per se motiua: respicit ergo finem vltimum tanquam contentum sub suo obiecto primo, non tanquam primum motiuum, quia sic tantùm respicitur ab ipsa voluntate Dei siue ad intrà, siue ad extrà: videtur ergo non solùm distinguendas esse voluntates Dei, & creaturæ, quantùm ad motiua primaria, sed etiam quantùm ad modum operandi, qui est defectibilitas, & indefectibilitas in ordine ad quodcumque motiuum, & maximè circa illud quod est proprium diuinæ voluntatis, cum quo non subsistit, quòd voluntas ex se habet necessariam illam connexionem cum fine vltimo etiam clarè viso, quam habet diuina voluntas; sed maneat semper principium operandi defectibile quantùm est ex se, & consequenter liberum: neque sufficit dicere quòd voluntas est defectibilis ex eo, quòd nō habet in potestate actum nisi eleuetur, neque etiam obiectum, nisi detur etiam visio eleuando intellectum; sed vlteriùs debet saluari in ipsa, suppositis quibuscumque principiis operandi, sua differentia, qua influit, vt non habet necessitatem ab intrinseco suo circa obiectum indefectibiliter operandi, sed quòd rectè operetur de facto, & habeat rectitudinem in operatione, esse ex gratia Dei, non ex necessaria connexione, quæ sit innata voluntati: & sic habeatur doctrina Patrum cum maiori proprietate, quæ per antithesim loquitur, distinguendo illud quod est voluntatis ex se, tribuendo ipsi defectibilitatem, quæ tollit necessariam annexionem eius ad quodcumque bonum (quantò magis ad infinitum bonum, quod est perfectissimum simpliciter) & ex altera parte refundunt rectitudinem eius in gratiam, & dona Dei, vt in exercitio vtatur sua potestate ad bonum consentiendo liberè: saluatur etiam rectitudo, quæ ex genere conuenit voluntati creatæ, nempe moralis tantùm, & non essentialis, qualis est rectitudo, quam habet voluntas diuina.

Confirm.

Voluntas indifferens est ad bonum in genere.

Aliter volūtas diuina respicit finem, aliter creata.

Volūtas creata ab intrinseco defectibilis.

Saluatur doctrina Patrū cum maiori proprietate.

Confirmatur tertiò, quia voluntas creata respectu finis vltimi clarè visi, & supernaturalis, non habet nisi potentiam inchoatam: ergo inclinatio eius actiua non fundat necessariam connexionem cum fine supernaturali. Antecedens est fidei: consequentia probatur; quia quantò magis principium est in actu completo, tantò magis habet connexionem cum effectu; & eodem modo de potentia in ordine ad obiectum: quia sicut potentia inchoata est tantùm potentia remota, & secundùm *quid*, ita magis recidit ab effectu, quàm potentia proxima, quæ dicitur potentia simpliciter in comparatione ad remotam: ergo connexio, seu ordo eius ad effectum, & obiectum, quæ fundatur in tali potentia, est minùs necessaria, quàm ordo potentiæ proximæ; sed voluntas respectu eius, ad quod est in potentia completa, non dicit necessariam connexionem in agendo: ergo neque etiam ad vltimum finem, & fruitionem dicit connexionem necessariam, ad quæ ordinatur 45

Confir. 3.

Voluntas habet potentiā inchoatam tantùm ad finem supernaturalem.

Minor est cōnexio potentia remota ad actum, & obiectum, quàm proximæ.

dinatur vt potentia tantùm remota: arguendo ergo ex potentia actiua voluntatis in ordine ad connexionem necessariam sui ad obiectum, videtur magis concludi indifferentia voluntatis, quàm eius necessitas in operando: nec valet instantia, quæ fieret in causis partialibus, quæ agunt per modum naturæ, quia siue remotè, siue completè considerantur, sic semper agunt; agimus autem hîc de voluntate creata, quæ est principium operandi liberè, etiam in supernaturalibus, inquirendo ex virtute eius actiua modum, quæ se habet in exercitio ad actum secundum; & obiectum: vnde sicut virtus completa operandi magis constituit principium in actu, quàm incompleta, sic magis videtur inclinare determinatè ad actum secundum, & obiectum, quàm virtus incompleta: toto autem hoc discursu agimus de inclinatione voluntatis, qua integrat liberum arbitrium secundùm potentiam actiuam, atque adeò de inclinatione ipsa actiua, non passiua. Ex qua etiam formare posset argumentum in sententia contraria; nam hæc est inclinatio mera obedientialis, vt docent communiter assertores prioris sententiæ; sed virtus actiua potentiæ, quà est principium vitale, magis sequitur inclinationem naturalem passiuam, quàm obedientialem quam ex se non respicit, sed tantùm vt assumitur à causa principali: ergo sicut voluntas non necessariò sequitur inclinationem naturalem in agendo, sic etiam à fortiori minùs necessitatur, vt sequatur obedientialem. Hoc argumentum fusiùs deduci posset, sed dicta sufficiant; superest vt respondeamus fundamentis oppositæ sententiæ.

Reiicitur instantia.

Virtus actiua magis sequitur naturalem inclinationē passiuam, quàm obedientialē.

46 Obiicies primò secundùm Augustinum, & alios Patres; beati sunt impeccabiles; sed hoc esset falsum si voluntas beati liberè in exercitio vellet finem vltimum: ergo non liberè, sed necessariò vult. Respondetur negando minorem, quia alia est impeccabilitas Dei, alia creaturæ; illa est ex natura, hæc gratiæ; per illam Deus habet vt non possit deficere; quia eius voluntas infinitè, & essentialiter recta est; per hanc autem beatus habet vt nunquam deficiat, quamuis ex se defectibilis sit; sed per gratiam recipit vt nunquam deficiat, & constanter (vt dicit Augustinus & Damascenus suprà) adhæreat Deo. Sic etiam Diabolus non potest velle bonum, aut non peccare semper; non quòd necessitetur ad peccandum; sed quia nunquam vtitur libertate naturali ad bonum, quamuis ex Dionysio naturalia in ipso perseuerant integra: Sic etiam confirmatus in gratia dicitur non posse peccare; non quia non habet liberum arbitrium, de cuius ratione est ex Anselmo potestas peccandi, sed quia nunquam Dei gratia præuentus, eo vtetur ad peccatum, quod est gratiæ Dei, non inclinationis propriæ, aut necessitatis ad bonum; talis est impeccabilitas, aut indefectibilitas Beatorum.

Obiectio. Ex impeccabilitate beatorum. Responsio. Impeccabilitas Dei naturalis, creaturæ verò ex gratia.

47 Obiicies secundò: si voluntas posset cessare ab amore circa finem clarè visum; vel hoc posset cessante visione, aut ea persistente; sed neutrū dici potest: ergo nequit cessare, & consequenter non est libera. Patet minor, quia cessare à visione non est in potestate voluntatis, cùm semper stent eius causæ, lumen gloriæ, & præsentia obiecti; nec cessare à fruitione, quia nemo potest velle se non esse felicem. Deinde, nemo potest discedere à bono, nisi ob aliquam rationem mali; hîc non est ratio vlla mali, sed omne bonum sine tædio vllo: ergo, &c. Respondeo quòd voluntas possit suspendere actum suum in exercitio, quantùm est de se, & secundùm potentiam physicam, vt comparatur antecedens ad actum, non tamen quantùm ad potentiam moralem, quam sic intelligo, vt scilicet vtatur sua libertate ad contradictorium actus, vnde torqueri potest argumentum dando instantiam de voluntate confirmati ad gratiam in gratia, vel de eadem, vt promouetur per gratiam efficacem: quæ licèt habeat potentiam non consentiendi executioni, tamen infallibiter consentiet; & nunquam vtetur illa potentia, quatenus excitatur determinatè ad actum, & disponitur, cuius obiectum etiam in opinione opposita, quæ reducit radicem libertatis ad intellectum, proponitur determinatè sub ratione boni per iudicium practicum, aut imperium intellectus: saluant tamen ipsi libertatem, quæ eodem modo in proposito saluatur: ad continuationem autem beatitudinis accedit manutenentia Dei extrinseca ad conseruationem iam positę, quamuis respectu eius voluntas beati vt prior ipso consideretur, liberè inclinetur in actum; siue autem dicatur hæc manutenentia actus respicere liberum influxum voluntatis creatæ, ita vt desinente illo desineret, quasi ex suppositione consequentis, siue dicatur absoluta respectu ipsius actus positi in *esse*, & non dependens ab influxu voluntatis, ita vt si per impossibile suspenderet voluntas influxum, maneat tamen conseruatio posita ex parte causæ primæ, non refert quantùm ad saluandam libertatem, & influxum voluntatis liberum, quia licèt actus secundo modo continuatus participet necessitatem essendi à causa prima, non destruit quin, vt refertur ad voluntatem conseruantem, sit quantùm est ex parte influxus eius indifferens, & non necessarius; & quamuis voluntas vt subiectum necessitaretur ad actum vt forma est conseruata à Deo, non tamen necessitatur ad eundem vt principium effectiuum est. Hæc doctrina supponit principia nostra, nempe operationem vitalem consistere in receptione formæ, non autem in eius productione, sicut saluatur eadem in operationibus diuinis, quod non est huius loci disserere: & loquimur etiam de voluntate in sensu diuiso, & quantùm est ex parte influxus, vt est ab ipsa, non in sensu composito, quia vt actus habet necessitatem à Deo, & inest potentiæ, simpliciter non est in potestate eius contradictorium actus: sed in sensu diuiso, & secundum *quid*, quantùm scilicet est ex parte voluntatis liberè influentis. Ad probationem minoris, concedo non esse in potestate voluntatis visionem, quæ simpliciter antecedit, neque auertere potest intellectum, qui fortiùs mouetur à lumine, & obiecto; quàm à voluntate retrahente, etiamsi contraniteretur voluntas, cui subest intellectus politicè, non seruiliter: quamuis fortè aliqui negarent etiam quod assumitur; & si negaretur, non derogat perpetuitati visionis, aut fruitionis, quia dicerent voluntatem ita dispositam esse in patria, vt nunquam contranitatur, sed potiùs velit ipsam visionem ex inclinatione ad rectam rationem, qua quærit bonum proprium, & bonum tam intellectus, quàm suppositi. Ad secundum membrum, negatur antecedens, quantùm ad potestatem physicam, vt iam dictum est: ad cuius probationem concedo quantùm ad specificationem, non quantùm ad necessitatem exercitij: authores autem, qui putant

2. Obiectio.

Responsio

Potestas & vsus differūt.

Instantia.

De confirmatis, & operātibus per gratiam efficacem.

Manutenētia Dei.

Operatio cōsistit in receptione formæ.

Quomodo est in potestate voluntatis actus beatificus.

Visio non subest voluntati.

Aliqua visio Dei non excludit peccatum secundùm aliquos. cum aliqua visione Dei posse consistere peccatum in actu, id est, actuale, responderent, quòd neque quoad specificationem quæcumque visio Dei necessitet voluntatem etiam circa Deum visum, quin odio haberi possit ratione connotati extrinseci, qua videretur vt iustus iudex vindicans malum, inferendo pœnam: & ad probationem dicerent hominem non posse velle se non esse felicem aliqua felicitate, quæ esset secundùm affectum commodi; posse tamen velle non esse se felicem hac in particulari, quæ incompatibilis est cum eo, quod affectat: sic peccator, licèt habeat felicitatem apparentem, quam sequitur cupiditas; tamen non vult sequendo cupiditatem, felicitatem veram, saltem interpretatiuè, quia obsequitur cupiditati, quam nouit non posse consistere cum incontinentia: quam sibi præstituit vt finem. Ad secundam probationem, negatur assumptum, cuius contradictorium spectat ad quæstionem de radice libertatis. Dices, saltem videtur spectare ad perfectionem vltimi finis, vt necessitet voluntatem creatam. Respondetur negando assumptum, quia finis supponit naturam voluntatis, non destruit; destrueret si necessitaret eo modo, quo Bernardus loquitur de intellectu, qui si necessitaret voluntatem, ipsam destrueret, non instrueret: finis autem, vt moueat, supponit virtutem in causa, qua ad finem mouetur, & modum, quo attingat finem: vnde quod magis est, dico finem vltimum non necessitare voluntatem diuinam, sed necessitari ab intrinseco, quia est infinitè, & à se recta, non habens aliam regulam extrinsecam operandi, cui conformari deberet; aliàs si à fine necessitaretur, cùm idem sit mouens ad intrà, & extrà, neque sub diuersis rationibus, sed sub eadem: sic etiam necessitaret voluntatem ad extrà, vt produceret creaturas, quod nemo admittit: quod ergo voluntas diuina ad intrà necessariò agit, ad extrà indifferenter, ex natura, & modo operandi voluntatis est, non autem ex natura finis. ex quo soluitur argumentum à paritate, quod fieri potest, nempe voluntatem diuinam necessitari ad intrà, liberè verò se habere ad extrà: ergo sic etiam agere non repugnat creatæ, nempe necessariò quoad finem vltimum clarè visum, liberè circa alia. Respondetur ex dictis assignari disparitatem; quia voluntas creata defectibilis est, ad quodcumque comparetur, nec proinde habens necessariam ab intrinseco connexionem ad bonum simpliciter, vt D. Thom. *suprà* argumentatur; voluntas autem diuina essentialiter recta quoad se & finem; quoad alia verò, licèt prima regula bonitatis, & rectitudinis in ipsis, tamen libera: quia nullam habet connexionem necessariam cum ipsis, sed ipsaècontra ad voluntatem diuinam.

Finis supponit modum agendi voluntatis.

Voluntas diuina ab intrinseco necessitatur ad finem vltimũ non verò per ipsum finem.

Disparitas inter ipsum & voluntatẽ creatam.

48 *3. Obiectio.* Obiicies tertiò, voluntas necessariò vult id, cuius participatione cætera vult; sed participatione vltimi finis vult omnia: ergo necessariò vult ipsum vltimum finem. *Responsio.* Respondetur negando maiorem: aliàs etiam in via necessariò vellet vltimum finem. Minor est falsa, quia vel per participationem intelligitur ordo causæ, & principij efficientis ad volitionem, aut volitum, & sic non est verum, quòd voluntas necessariò, aut semper etiam velit illud, cuius participatione volitio, aut volitum est, aut velit: vel intelligitur de participatione quasi bonitatis obiectiuæ, & primi obiecti, eo modo, quo quis dicitur amore charitatis amare proximum propter Deum, aut medium propter finem, & sic voluntas non participatione vltimi finis vult cætera, sed aliquando propter bonitatem propriam cuiusque, in ea sistendo, neque referendo eam ad vltimum finem in re, quæ aliquando non est referibilis, vt quando habet annexam deordinationem. Si intelligatur omnia bona esse participationem finis, verum est.

Voluntatem velle omnia quæ vult participatione vltimi finis, quo modo verificatur.

Secunda conclusio: licèt voluntas beati quantùm ad potestatem physicam habeat dominium sui actus circa Deum clarè visum; tamen nunquam suspendet actum, neque vtetur sua libertate, sibi etiã relicta, quin semper aget ad eius conseruationem: intelligo autem voluntatem sibi relictam, non separando eam à requisitis, sed quantùm est ex parte voluntatis, etiam beatitudinem fore perpetuam; licèt in ea namque sit potentia non fruendi posito Deo clarè viso, non vtetur illã potentia, sed semper manebit in actu quantùm est ex se. Hæc non est contra Doctorem, vt hîc reducit perpetuitatem beatitudinis in voluntatem diuinam præuenientem voluntatẽ beati, in ordine ad actum continuandũ, quia differit de necessitate actus quantùm ad *esse* physicum, & perpetuitate consequente; non autem de morali, quam etiam participare potest à volũtate; creata sic etiam agente, licèt cõtingenter ex propria inclinatione ad conseruationem sui actus beatifici, in quo quietatur vnitiuè in Deo tanquam in bono infinito, imò hoc ipsum supponit hîc Doctor, & sequitur ad ea, quæ tradit *in 2. d. 7. q. vnica art. 3. §. Quantùm ergo ad istum articulum,* &c. Vbi docet in Angelo malo esse potestatem naturalem ad aliquod bonum volendum, & subiungit: *Probabile tamen est quòd secundùm hanc potentiam non exeant in actum propter vehementem malitiam, secundùm quam magis probabile est quòd agunt, quàm secundùm potestatem naturalem, secundùm quam possint in actus aliquo modo oppositos,* &c. Item §. *Ad primum argumentum,* &c. *responsione ad vltimum argumentum cum duobus præcedentibus,* vbi docet pœnam, quæ consistit in ipso peccato, quà est auersio à Deo maximo bono, iuxta illud Augustini lib. 1. Confess. cap. 12. *Iussisti Domine, & ita est, vt sit sibi pœna omnis peccator*; quod crescit in infinitum extensiuè, licèt non intensiuè. & in principio, argumento ad oppositum ex Ps. 23. *Superbia*, inquit, *eorum ascendit semper; sed hoc non potest intelligi intensiuè, quia ita non esset, aliquod malum intensiue, quo non esset maius malum: ergo debet intelligi extensiuè, & ita semper peccant*, &c. Videatur etiam *in 4. d. 46. q. 4. de obstinatione damnatorum.* Maior autem est ratio vnde voluntas beati ab intrinseco ex electione sistat in bono, & maximè beatifico, quàm quòd damnatus nunquam vtatur sua libertate naturali benè, sed malè.

49 *2. Conclus.*

Voluntas ex parte sua continuat fruitionem.

Sequitur etiam ad ea, quæ habet *in 2. d. 29. quæst. vnica*, vbi docet §. *Potest ergo dici*, voluntatem non amare finem, nisi reddatur ipsi delectabilior, quàm sit bonum concupiscibile, alioquin voluntatem non retrahi à condelectando appetitui, nisi maiori delectatione finis, & honesti: qua ratione docet necessarium fuisse donum supernaturale in primo homine ad ordinandas potentias, vt voluntas tranquillè, & sine repugnantia sequeretur rationem: quæ est doctrina Patrum communis contra Pelagianos de efficacia gratiæ Christi ad vincendas tentationes ex Augustino, qui hanc efficaciam tribuit charitati

sicuti

sicuti & voluntatem succumbere concupiscentiæ,& tentationi, nisi adiuuetur diuina gratia, quod cum fit, quando iustitia redditur ipsi per victricem amorem,& delectationem, magis suauis, quàm bonum delectabile, quod retrahit. His suppositis, probatur conclusio; summum bonum clare visum positis aliis requisitis, vt adiutorio, & assistentia Dei,& charitate habituali,& sublato fomite, qui non est in beatis, magis ex natura rei trahit in ratione amabilis, & delectabilis, quàm aliquod bonum creatum delectabile: ergo si ita fertur voluntas ex doctrina Patrum, in creatum delectabile fortiùs mouens, vt nunquam sibi relicta suspendat actum, quamuis liberè in ipsum prorumpat, à fortiori operabitur circa Deum clarè visum infallibiliter,& indefectibiliter; sed ita fertur in delectabile, vt si nihil aliud, vt timor. pœna, fastidium, aut ratio retraheret, sed semper maneret eadem motio, & delectatio, eius seclusis impedimentis,& semper eidem adhereret, quantùm est ex parte sua, quia omnia, quæ determinant ipsam ad productionem actus determinarent ad continuationem sine vlla resistentia voluntatis: ergo à fortiori in patria, vbi omnia concurrunt ad quietationem potentiæ in summo sine vlla resistentia, quæ ab extrinseco, aut intrinseco oriri potest, sine vllo impedimento adhærebit summo bono ex natura tam actus, quàm potentiæ & obiecti, quantùm ad continuandam fruitionem. Confirmatur, quia efficacia delectabilis circa voluntatem ad ipsam deordinandam de facto, eò maximè prouenit ex parte voluntatis, quia infirma est,& ducitur per appetitum, vt condelectetur ei in proprio obiecto, neque possit sine difficultate ipsum auertere, aut eidem non condelectari, cùm non sit aliud fortiùs mouens; ex parte verò obiecti idem prouenit; quia in se, & propria existentia applicatur per sensum, è contra bonum virtutis in vniuersali, & imperfectè; hæc autem ratio cessat in proposito, sicut & omnis difficultas operandi circa finem vltimum in patria: ergo magis trahitur voluntas ad finem vltimum amandum,& simul continuandum eundem amorem in patria, quàm in via ad bonum delectabile, quod nullo modo est quietatiuum eius; neque prosequitur ipsum sine remorsu, qui oritur ex turpitudine actus,& aliis consequentibus ex repugnantia rationis.

Probatio conclusionis. *Infirmitas voluntatis.* *Inclinatio eius in patria.*

50 Secundò, voluntas ex natura potentiæ non magis ducitur per affectum commodi in ordine ad bonum sensus, quàm affectu iustitiæ ad bonum rationis: ergo sublata inclinatione ad sensibile bonum inordinata, & difficultate operandi, & applicato fine vltimo in se, magis determinabitur ad ipsum amandum quàm aliàs in statu infirmitatis,& peccati ad bonum sensus. Probatur consequentia, bonum iustitiæ, quod est summum, est quietatiuum eius secundùm affectum iustitiæ, siue quoad amicitiam, siue quoad commodum, éstque perfectissimus eius finis; bonum sensus non ita, quia nec quietat, nec perficit, si inordinatum est. Patet etiam antecedens; quia voluntas est appetitus rationis: ergo ex sua ratione specifica, qua distinguitur ab appetitu sensibili, respicit magis bonum rationis, vt proprium, in quo perficitur,& qui est superioris ordinis, quàm bonum quod est proprium sensus, aliàs esset superfluus appetitus rationis, si non excederet sensualem, cùm hic sufficiat ad bonum proprium tanquam principiũ mouendi ad assecutioné eius.

2. Ratio. Ex inclinatione ad bonũ rationis. *Potior eius inclinatio,*

Tertiò, finis appetitus est perfectio potentiæ, aut suppositi mediante ipsa, qua coniungitur bono extrinseco sibi, siue vt operatiua est circa ipsum, siue vt patitur ab ipso recipiendo actum, aut delectionem, in quibus consistit eius perfectio, prout mediante ipsa quiescit in fine possesso, aut certè, mouetur in ipsum per desiderium; vtrumque magis participat sine comparatione ab vltimo fine, quàm ab aliis, quæ in comparatione vltimi finis sunt participata, & omnino nihil: ergo magis determinatur voluntas ad operandum circa finem vltimum, quàm circa alia quæcumque. 51

3. Probatio. *Magis inclinatur in finẽ vltimum, quàm ad alia.*

Quartò, affectus commodi, seu concupiscentiæ summi boni, id est, vt sibi bonum est, est in voluntate,& respicit portionem superiorẽ,& perficitur per virtutem supernaturalem spei in via, in patria per tentionem: ergo est perfectior quàm affectus concupiscentiæ circa obiectum sensus; sed potentia magis inclinatur ad finem vltimum secundùm affectum commodi, quàm circa alia diuersa,& retrahentia: sed hæc ita trahunt voluntatem in via, vt nisi adiuuetur, infallibiliter & cum effectu sequatur suam inclinationem ad talia: ergo in patria magis inclinabitur ad commodum quietatiuum. 52

4. Ratio. *Ex affectu commodi.*

Hæc conclusio tollit scrupulum, quem aliqui concipiunt, quasi voluntas si liberè ageret, tolleretur stabilitas,& securitas in beatitudine; quia ex dictis declaratur quomodo ex parte voluntatis connaturali modo operantis maneat stabilis ille status, quia ex potestate deficiendi saltem remota, qualem statuit Doctor *suprà* in voluntate, non sequitur vsus, sicut nec in Angelo, aut homine damnato ex potestate naturali ad aliqum actum in genere moris, sequitur vsus, neque ex potestate eadem, quam habet voluntas viatoris ad resistendum concupiscentiæ, & tentationi, quibus liberè succumbit, (aliàs succumbendo non peccaret) sequitur resistentia in effectu, neque ex potestate dissentiendi vocationi efficaci diuinæ gratiæ, sequitur dissensus.

Perpetuitas beatitudinis vt est à voluntate.

Si obiicies contra dicta, voluntatem creatam dependere à Deo: ergo magis videtur necessitari ad finem, quàm voluntas increata, quæ necessitatur; quia dependentia infert maiorem necessitatem in essendo. Responsum est *suprà*, & negatur consequentia, & paritas: quia diuina est beata per actum improductum, & eundem sibi, ad quem proinde nequit esse indifferens: non ita creata, quæ per accidens productum, & diuersum à se, quod potest adesse,& abesse, beatificatur: diuina est indefectibilis; non ita creata ex se, sed ex gratia Dei, qua rectificatur. Ad probationem consequentiæ, respondetur sequi oppositum, quia dependentia non infert in extremo dependente necessitatem, vel in operando, vel in essendo, quæ fundetur in actualitate, & perfectione; sed magis oppositum, nempe potentialitatem, quæ sequitur imperfectionem; quia arguit potentiam passiuam, quæ per extrinsecum reducitur in actum, quo carere potest, ac proinde contingentiã: & si loquamur de dependẽtia, quæ reducitur in voluntate ad Deum causam efficientem, eadem etiam est in via, sine præiudicio libertatis: si autem de dependentia, quæ est ad Deum vltimum finem omnium creaturarum, qua sunt ad ipsum, non est ad propositum, quia communis est,& manet etiam in via: si autem de dependentia, quæ est voluntatis, vt appetitus est rationalis,

53 *Obiectio.* *Responsio.* *Discrimen inter increatam,& creatam voluntatem.* *Quid infert dependentia in voluntate.*

nalis, & ordinatur ad bonum extrinsecum perfectiuum, eadem est in via, neque solùm ordinatur voluntas ad Deum vltimum finem, quà obiectum motiuum, sed etiam ad alia, quamuis ex modo connaturali operandi liberè: neque eadem libertas detrahit perfectioni eius in fine vltimo, quin hîc perficiat voluntatem, & quietet ipsam quoad intensionem, & extensionem actus: ergo nulla est necessitas ad hunc effectũ inducere voluntati modum necessarium operandi: nam etiãsi ille actus beatitudinis esset à solo Deo, æquè quietaret voluntatem, ac nunc quietat ipsam, & quòd liberè, aut per modum naturæ producat actum beatificum, non variat intensionem actus, aut coniunctionem cum vltimo fine mediante ipso, sicut actus, qui ab aliquibus dicitur primò primus, in voluntate per modum naturæ productus, accedente aduertentia rationis, idem manet, & eodem modo coniungit voluntatem obiecto, licèt primùm voluntas per modum naturæ (vt dicunt) adhærebat: mox autem liberè, quæ non sunt differentiæ actus, quantùm ad entitatem physicam, sed tantùm, quantùm ad moralem. Accedit, vt superiùs deductum est, voluntate liberè se habente ad fruitionem saluari bonitatem moralem actus, & voluntatis, quæ est perfectio eius; saluari etiam subiectionem eius ad regulam, & præceptum diuinæ charitatis consequens ad naturam spiritualem, & indispensabile in quocumque statu eius, quod perfectiùs seruatur in patria ex Augustino *suprà*. Item, seruari eundem modum prouidentiæ diuinæ ordinarium, quà respicit liberum arbitrium in via, & in patria; modum etiam eundem assequendi finem, & possidendi quantùm ad operationem in genere, & plures locutiones Patrum, & maximè illud dogma de defectibilitate voluntatis ex se, confirmatione eius per gratiã, & consequẽte impeccabilitate, quæ est ex gratia, non aliũde.

Libertas, & necessitas non variant intensionem actus.

54 *An necessitetur ad visionem beatus?*

g *Præterea esto*, &c. Reliqua huius textus sunt examinata in præmissa quæstione, in qua diximus etiam necessitari intellectum ad visionem, eiúsque continuationem ex causis antecedentibus voluntatem, nempe lumine gloriæ, & obiecto: hîc ergo videtur de hoc dubitare Doctor ex principiis Augustini: quia dari tam imaginem, quàm Trinitatem in portione superiori, admittit locis citatis in textu; in libris autem de Trinitate dicit voluntatem copulare cum parente prolem, id est, intelligentiam cum memoria, & hoc liberè: ergo subest intelligentia, in qua est visio, voluntati beati liberæ: ergo non necessitatur ad visionem: ideò concedit Doctor non esse necessitatem ab habitibus, nisi secundùm *quid* à lumine gloriæ. Respondetur omissa pro nunc illa quæstione, an visio clara de Deo sit Verbum, quam differit Doctor *quodl.* 14. *ad* 4. *pro opinione*: tenendo ita necessitari intellectum, vt diximus, sufficere acceptationem obiecti consequentem per voluntatem, nempe ipsius visionis, & in se, & vt dicit ordinem ad causas, & maximè ad obiectum, quod placet, & acceptatur à voluntate, & amatur, vt patet ex August. *lib.* 9. *de Trinitate cap.* 10. quem sequitur Doctor *in* 1. *dist.* 29. *quæst. prima* §. *Ideò istis opinionibus omissis*, &c. Sufficit ergo ad copulationem prædictam, vt fiat per actum voluntatis acceptantis, & concomitanter, vel consecutiuè, quando notitia ipsa est perfecta, & clara, quando autem imperfecta, & confusa, requiritur alius actus voluntatis, quo determinatur intellectus ad perfectam notitiam inquirendam & hic antecedit: voluntas ergo determinationi intellectus per alias causas priores complacendo supponit iam determinatum. Quòd si radicem huius determinationis quæramus, dici potest prouenire à motione obiecti, seu diuinæ voluntatis antecedenti, & non ab habitu luminis gloriæ, quia habitus, licèt inclinet ad obiectum, & eleuet potentiam, non tamen necessitat: quia intellectus, vt dicit rationem mobilis, respicit obiectum, & voluntatem magis, quàm proprium habitum, qui nequit inclinare nisi consequenter ad virtutem potentiæ, ipsámque potentiam, vt mouetur ab obiecto, vel etiam à voluntate, vt hæc antecedit; & sic habitus quicumque intellectus, cùm non sit concurrens ex parte obiecti, aut obiectum repræsentans nequit necessitare potentiam contra imperium voluntatis, cui subiicitur, vel contra inclinationem obiecti motiui applicati; ideóque stante habitu luminis gloriæ, atque ipsa visione clara Dei, potest adhuc beatus cognoscere plura in genere proprio: hinc ergo radix necessitatis non in habitum reducenda est, vt dicit Doctor.

Responsio.

Actus consequens visionem copulat parentem cum prole.

Quomodo est necessarius actus antecedens.

Radix necessitatis visionis non est habitus.

SCHOLIVM.

Perpetuitatem beatitudinis prouenire ex Dei decreto de conseruanda fruitione, & non ex natura operationum, potentiarum, vel habituum determinantium. Item, manere in beato potentiam intrinsecam, & remotam peccandi, & ideò non posse reduci ad actum, quia Deus statuit conseruare actum fruendi: quod exemplis declarat.

Perpetuitas beatitudinis, ex Dei beneplacito.

h DIco ergo, quòd causa huius perpetuitatis nec est forma beatitudinis, quasi per ipsam beatitudo formaliter sit necessaria: nec natura potentiarum illarum, quasi circa obiectum necessariò perpetuò operentur: nec habitus in potentiis, quasi necessariò determinans potentias ad perpetuò operandum: sed est ex sola voluntate diuina, quæ sicut perficit naturam intensiuè, ita conseruat eam in tali perfectione perpetuò.

i Sed tunc occurrit dubium quomodo Michaël beatus erit impeccabilis? nam per nihil intrinsecum sibi habet quin contingenter operetur, & per consequens potest non frui, & ita peccare, consequens est falsum, cùm dicat August. 3. de Trinit. contra Maxim. cap. 13. *Cuicunque naturæ præstatur, vt peccare non possit, non est hoc naturæ propria, sed Dei gratiæ.*

Idem

Idem in Ench. 86. vel 73. *Anima nostra, sicut habet nolle infelicitatem, ita nolle iniquitatem semper habitura est*, nunc autem sic habet nolle infelicitatem, quod non potest eam velle: vnde dicit ibidem, *miseri esse non solùm nolumus, sed nequaquam velle possumus.*

11 Respondeo, patet quòd beatus est impeccabilis in sensu compositionis, hoc est, non potest simul esse beatus, & peccare: sed in sensu diuisionis, quòd manens beatus non habeat potentiam, & possibilitatem ad peccandum, potest intelligi dupliciter: vel per aliquid sibi intrinsecum, quod excludit potentiam talem: vel per causam extrinsecam, quod excludit potentiam propinquam ab illo: verbi gratia, etsi habens visum habeat potentiam intrinsecam videndi quodcunque corpus, tamen potest per aliquam causam extrinsecam fieri perpetuò impossibilis ad videndum de potentia propinqua, vtpote si illa causa faciat perpetuam distantiam visus ab illo corpore: sicut si esset obstaculum perpetuum inter cælum empyreum, & oculum damnati, ille oculus non posset videre cælum empyreum, loquendo de potentia propinqua, & hoc per causam extrinsecam prohibentem potentiam perpetuò: posset tamen videre potentia remota, & intrinseca, ita quòd nulla esset causa intrinseca impossibilitatis. *Cum beatitudine manet potentia intrinseca peccandi.*

Sic dico, quòd nulla est causa intrinseca in voluntate Michaëlis nunc beati, per quam excludatur potentia ad peccandum pro aliàs, in sensu diuisionis, non est autem causa intrinseca prohibens illam potentiam omnino reduci ad actum: sed per causam extrinsecam est impossibilis potentia illa propinqua ad peccandum, videlicet per voluntatem Dei præuenientem illam voluntatem, vt semper continuet actum fruendi, & ita nunquam possit potentiam suam remotam non fruendi, vel peccandi, reducere ad actum: siquidem nunquam causa secunda præuenta à causa superiori agente ad vnum oppositum potest potentia propinqua, exire in aliud oppositum. *Causa secunda præuenta à prima determinatè ad vnum, non potest in oppositũ.*

Concedo ergo quod infert, quòd Michaël beatus, & sit peccabilis in sensu diuisionis loquendo de potentia remota.

12 Ad auctoritatem Augustini. Ad primam dico, quòd intelligit, quòd peccare non posse potentia propinqua non est hoc naturæ, sed gratiæ Dei, hoc est gratuitè præuenientis, & conseruantis illam naturam in recto actu.

Ad aliam, non dicit Augustinus quòd sicut nunc habet necessariò nolle infelicitatem, ita tunc necessariò nolle iniquitatem (neutrum est enim verum, loquendo de *nolle*, vt est actus elicitus) sed sicut nunc habet perpetuò nolle habitualiter infelicitatem, ita tunc habebit nolle iniquitatem.

Et cùm arguis; sic habet nunc *nolle*, quòd non potest velle; Dico quòd ideò non potest velle infelicitatem, non quia necessariò habet nolle eam: sed quia infelicitas non potest esse obiectum actus volendi: ex alia parte non sequitur quòd sic nunquam possit velle iniquitatem: quia iniquitas, loquendo de illo, quod substernitur in peccato, potest esse obiectum voluntatis creatæ. Vel potest dici breuiter, quòd sicut nunquam nunc vult infelicitatem, sed semper habet *nolle* habitualiter: ita tunc nunquam volet, & sic est simile hinc inde de facto. *Infelicitas non potest esse obiectũ volitionis, nec felicitas nolitionis.*

Et si arguas, nunc non potest velle infelicitatem: ergo tunc non poterit velle iniquitatem: consequentia non valet, quia benè potest esse similitudo quantùm ad *non esse* hinc inde, licèt non quantùm ad *posse*.

COMMENTARIVS.

55 Dico,[h] *ergo quòd causa*, &c. Hæc est conclusio huius articuli, in qua reducit perpetuitatem beatitudinis non in potentias, & habitus, sed in diuinam voluntatem, quæ sicut perficit naturam intellectualem intensiuè, ita etiam conseruat in tali perfectione perpetuò. Hæc conclusio probata est in præcedentibus, & intelligenda est de causa physica, ex qua redundat perpetuitas beatitudinis: nam ipsæ potentiæ ex inclinatione sua etiam libera semper permanebant in operatione: vel demus etiam necessitari ad suos actus, vt sententia contraria vult: non sufficit virtus potentiarum, & habituum ad continuandum semper effectum, & ineuitabiliter, nisi accedat concursus continuatus obiecti, qui concursus est merè liber mediante diuina voluntate, cùm Deus non agat necessariò ad extrà, sed liberè; ideóque radix hæc perpetuitatis reducéda est in diuinam voluntatem, vt inducit perpetuitatem, quæ non subest potentiis in sensu composito; neque alioquin continuatio effectus potest abstrahere à causa prima, & principali eius, à qua primariò dependet, quacumque ratione, aut modo procedit à causis secundis: superiùs autem ex Augustino ostensum est spectare ad rationem beatitudinis scientiam, in qua fundatur securitas beatorum de nunquam intermittenda beatitudine, aut amittenda; quam scientiam ipse reducit in reuelationem diuinam, atque donum diuersum ab ipsa operatione, eiúsque, ac potentiarum natura. *Conclusio. Radix necessitatis est diuina voluntas. Intelligitur physic. Scientia in qua fundatur securitas beatorum.*

Sed tunc, [i] *occurrit dubium*, &c. In hoc resoluit quo pacto beati sint impeccabiles. Ratio dubitandi est ex iam decisis: nam si voluntas ab intrinseco liberè elicit beatitudinem, & quantùm *Impeccabilitas beato-rũ.*

est

Ratio dubitandi. est ex se, vt actiuè agit ad continuationem eius, etiam eam liberè continuat: ergo potest non cõtinuare, & sic peccare. Consequens est falsum ex *August.* August. 3. de Trinit. contra Maxim. cap. 13. *cuicumque naturæ præstatur, non est hoc naturæ propria, sed Dei gratiæ*, &c. Item Enchiridij cap. 86. vel 73. *Anima nostra sicut habet nolle infelicitatem, ita nolle iniquitatem semper habitura est*, &c. Sed primum est necessarium ineuitabiliter: ergo & secundum: vnde subdit; *Miseri esse non solùm volumus sed nequaquam velle possumus*, &c. *Responsio* Respondet impeccabilitatem conuenire beato in sensu composito, hoc est, non potest simul esse beatus, & peccare: in sensu autem diuisionis non habere possibilitatem ad peccandum potest intelligi dupliciter: vel ab aliquo intrinseco, quod excluderet talem possibilitatem; vel per causam extrinsecam, quod excludit potentiam propinquam: *Potentia remota & propinqua peccandi.* v.g. habens visum ab intrinseco est potens videre; sed ab extrinseco potest impediri per aliquam causam elongantem visum huius visibilis, vt etiam oculus damnati impeditur, ne videat cælum, posset quidem videre potentia remota, non tamen propinqua; sic in Michaële nullum est intrinsecum, per quod in sensu diuisionis excludatur potentia ad peccandum pro aliàs, sed per causam extrinsecam impeditur, ne posset potentiam suam remotam reducere in actum, nempe per voluntatem Dei præuenientem voluntatem creatam, vt semper continuet fruitionem; *Impeccabilitas beatorũ.* sic autem præuenta voluntas à causa prima non potest potentia propinqua agere in oppositum: sic ergo beatus ex natura sua peccabilis est ab intrinseco in sensu diuisionis potentia remota; in sensu autem compositionis est impeccabilis potentia propinqua.

56 *Declaratio.* Declaratur: stante fruitione repugnat voluntati agere deordinatè, formaliter & ex scientia, quidquid sit an materialiter possit ex aliquo errore, si talis quoad agibilia posset stare cum visione clara Dei, & hæc incompossibilitas peccati actualis cum fruitione, & amore perfecto & *Repugnantia physica inter fruitionem, & peccatum actuale.* intenso Dei est contradictionis physicæ, quia conuersionis, & auersionis respectiuè ad idem obiectum, quod repugnat voluntati physicè: quatenus enim sub actu est, repugnat ipsi habere contradictorium actus, & sic etiam antecedenter ad actum non habet potentiam siue naturalem, siue liberam prodeundi in actum, & eius contradictorium simul; amare autem perfectè Deum propter se, & auerti à Deo, & eius voluntate, & lege, seu repugnare per actuale peccatum, sunt contradictoria: necessitatur ergo voluntas componendo cum ea fruitione ad non peccandum, quæ necessitas ipsi competit tam vt elicit, quàm vt recipit ipsum actum: actus ergo fruitionis semper vt continuatus excludit potentiam peccandi proximam, & remotam in sensu compositionis actus cum voluntate: & sic simpliciter, & ineuitabiliter voluntas vt sub actu, fit impeccabilis hoc modo; actus autem, vt dictum est, semper continuatur à Deo; & inde fit impeccabilitas simpliciter voluntatis in sensu composito, sensus autem diuisus est, quatenus secundùm naturam propriam, & liberum modum agendi consideratur voluntas vt prior natura suo actu, & sic vt est libera, ita etiam non est impeccabilis physicè, licèt in effectu, vt subest diuinæ gratiæ præuenienti, & influxui, non vtitur in effectu tali libertate. Ad Augustinum intelligitur prima *Explicatur August.* eius authoritas, peccare non posse potentia proxima non esse naturæ, ipsius, sed gratiæ Dei gratuitè præuenientis, & conseruantis illam naturam in recto actu.

Ad secundam authoritatem. Respondet Doctor non dicere Augustinum voluntatem pro 57 *Ad secundã authoritatẽ.* nunc habere necessariò *nolle* elicitum infelicitatis, aut in patria necessariò, & non liberè nolle iniquitatem) quia neutrum verum est de actu elicito: quia neque semper habet viator *nolle* elicitum infelicitatis, neque quando habet, necessariò habet necessitate exercitij, sed liberè, licèt habeat necessitate specificationis, si operetur: *Voluntas infelicitatis nequit esse.* ideò ergo nunc non potest habere velle infelicitatem, non quia necessariò nolit, sed quia infelicitas nequit esse obiectum volitionis; non sic autem se habet ab intrinseco ad iniquitatem pro substrato: quia substratum potest esse obiectum voluntatis sibi relictæ, & suæ libertati: verum tamen est quòd sicut viator nunquam habet velle infelicitatem, sed habitualiter semper *Habitualiter velle & nolle infelicitatem.* est nolens, ita beatus semper est habitualiter nolens iniquitatem, & nunquam actu volens. Vnde est similitudo hinc inde quantùm ad *non esse* vnius, & alterius, non quantùm ad *non posse*.

SCHOLIVM.

Disputat, & resoluit, quare determinatio causæ superioris non tollat contingentiam simpliciter effectus, quæ tamen tolleretur si voluntas ab habitu, aliòue sibi intrinseco ita determinaretur ad vnum, vt non posset, sensu compositionis, in oppositum. Sed non dicit manere voluntatem simpliciter liberam, etiam quando à superiori causa determinata est, quia oppositum expressè ait num. 12. & alibi sæpè, sed tantùm ait, eam posse sic determinari à causa prima, non ab illa causa secunda.

De hac materia vide d. 17. lib. 3. k Contra hoc, non minùs tollit indifferentiam voluntatis determinatio eius à causa superiori, quàm à causa inferiori: ergo si ex ratione causalitatis suæ est 13
indeterminata ad operationem, ita repugnat naturæ suæ, quòd illa indifferentia tollatur per causam superiorem, sicut per inferiorem: sicut ergo est contra naturam voluntatis, quòd habitus determinet eam necessariò, ita est quòd Deus determinet. Confirmatur, quia magis determinat causa superior inferiorem, quàm è conuerso: ergo superior determinans magis tollit indifferentiam inferioris in agendo, quàm si inferior determinaret.

Prætereà

Præterea, non erit in potestate voluntatis sic agere, vel non sic agere, quia ad quod determinatur aliquid à causa superiori, non potest esse in potestate determinati : agit enim sicut motum à determinante : ergo ille actus non erit laudabilis, nec propriè voluntarius.

Nota quòd potentia operatiua non concludit habentem posse operari, nisi intelligendo secundùm quid, scilicet quantùm est ex parte sui : sed posse simpliciter requirit, quòd ex parte omnium aliorum concurrentium sit possibilitas, vt scilicet requisita possint concurrere, & impedimenta cessare: sed vltra istam possibilitatem potentia, vel magis possibilitas propinqua requirit, quòd conuenientia adsint, & impedimenta cessent. Sicut enim nihil est in potentia propinqua passiua. 9. Metaph. cap. 6. nisi quando nihil prohibet, nec oportet aliquid addi, aut remouere, aut permutare intelligendo aliquid aliud, à forma inducenda: sic operatiuum non est in potentia propinqua ad operandum, nisi quando nihil extrinsecum deficit, vt operetur.

Additio *Habens potentiã operatiuã non ideò potest simpliciter operari, nisi a sint reliqua requisita, & cessēt impedimenta.*

14 *Ad propositum, voluntas beata est eadem in potentia, quæ fuit non beata, & habens eam : per consequens potest quantùm est ex parte potentiæ in actum, quem priùs: vltra simpliciter possibile est ipsum sic agere, quia nihil simpliciter necessariò impedit, vel deficit requisitum : sed non potest possibilitate propinqua peccare, quia impedita, vel præuenta, vel suspensa, quod est propter actionem causæ superioris præuenientis, & continuè agentis ad oppositum, scilicet ad actum beatificum. Et sicut causa superior potentia absoluta potest non agere ad oppositum : non tamen ordinata : sic simpliciter possibile impedimentum cessare, & voluntas potest peccare, sed non est possibile potentia ordinata, impediens cessare : nec etiam est in potestate voluntatis propinqua peccare, quia non est in potestate eius, quòd impediens cesset, sicut non est in potestate causæ secundæ, actus primæ.*

Sed contrà, quia contra libertatem est, quòd determinetur necessariò sic, quòd oppositum non sit in potestate eius ad benè volendum, per habitum charitatis : per te, igitur æquè est contra libertatem. Respondetur absolutè determinari, sic quòd non possit in oppositum, non est simpliciter contra eius libertatem : sic enim determinatur modò à voluntate diuina; alioquin ipsa simpliciter posset nunc exire in actum peccati, sicut in via, licèt nunquam exibit, & hoc fixum sit per legem, & hæc de potentia ordinata : sed quòd sic determinaretur ad benè velle per habitum sibi inhærentem, hoc esset contra eius libertatem, hoc modo, quia ipsa non esset voluntas, nisi esset causa prior respectu habitus sui, & ita nata vti habitu, & determinare ipsum ad agendum, & non ab ipso determinari, sic quòd oppositum non sit in sua potestate : quia sic ipsa totaliter quantùm ad illud subiaceret habitui, & determinaretur: non sic autem est contra libertatem, vel naturam eius, quòd impediatur ab vna actione, & quòd determinetur ad alias à causa priori se, cuiusmodi est voluntas diuina.

Sed nunquid habet potentiam peccandi? Respondeo, abstractum notans principium actus constructum cum gerundiuo significat principium actus, vt egredientis ab illo supposito: & sic potentia cum gerundiuo significat potentiam propinquam, sic 9. Metaph. cap. 4. nullo exteriori prohibente, non oportet adiungere: potentiam enim habet, vt est potentia faciendi : est autem non omnino, sed habentium aliquo modo vim, in quibus excluditur, quod exteriùs prohibet. Aliter potentia visiua & potentia videndi, non idem dicunt, quia primum dicit principium, secundum, possibilitatem ad videndum, & tunc distinctè remotam, & propinquam.

15 Respondeo quòd voluntas in suo ordine causandi hoc causet, hoc est proprium huius causæ, quòd vlterius cum contingentia ex parte eius sit omnimoda contingentia ex parte effectus; hoc requirit contingentiam omnium aliorum concurrentium ad effectum. Repugnat autem libertati eius, quòd contingentia, quæ necessariò est ex parte ipsius, non ponat contingentiam simpliciter, quantùm est ex parte omnium inferiorum, quia tollit ipsam esse causam in ordine superiori: sed non repugnat sibi, quòd contingentia eius non ponat contingentiam ex parte effectus simpliciter, quantùm est ex parte causæ superioris : quia causa superior non determinatur ab ipsa; non est ergo simpliciter contra naturam eius, quòd determinetur à causa superiori, hoc est, quòd non sit contra naturam eius oppositum agere : sicut esset contra naturam eius determinati ab habitu, siue à natura inferiori.

Ad formam ergo, contra naturam eius est determinari in suo ordine, & nihil aliud primò repugnat sibi: sed ex consequenti est contra naturam eius determinari à causa inferiori, quia tunc ipsa non esset superior: non est autem contra naturam eius determinari à causa superiori, quia cum hoc stat, quòd sit causa in suo ordine. Contrà, si causa superior determinat, ergo voluntas in suo ordine causandi determinatur : ergo in suo ordine causandi non est contingens. Respondeo, propter determinationem eius in suo ordine est æqualis contingentia: sed quòd effectus, qui prouenit ab ipsa, & aliis, non omnino contingenter prouenit ex contingentia eius, hoc est, quia alia causa prior est determinata ad illum effectum.

Est contra naturã voluntatis determinari à creatura vt non possit in contrariũ, vel oppositum.

Ad secundam, laudabilis est pro quanto ipsa voluntas in suo ordine contingenter se determinat. Aliter potest dici, quòd contingentia voluntatis in suo ordine concludit contingentiam simpliciter effectus, quia cuiuscunque est contingentia, concludit contingentem effectum, & per consequens simpliciter contingens est, quòd non peccet, tamen nunquam eueniet, quia causa superior semper præseruat.

Simpliciter contingens est quod voluntas beati non peccet.

Sed dices saltem in potestate voluntatis est, vt eueniat. Posset dici, quòd non ideò est minùs beata, si in potestate eius sit, quòd eueniat, quod tamen nunquam eueniet: & ideò nunquam eueniet, quia voluntas diuina semper præueniet.

COMMENTARIVS.

58 *Obiectio. Determinatio tollit libertatem.*

Contra [k] *hoc*, &c. Impugnat doctrinam præmissam argumento difficili satis; quia non magis est contra libertatem indifferentiæ, vt causa determinetur ab inferiori quàm à superiori: si ergo causa superior determinet voluntatem, tollit eius indifferentiam. Confirmatur, quia magis determinat causa superior quàm inferior: ergo determinatio superioris magis derogat libertati. Deinde, actus beatificus non erit in potestate voluntatis, si ad illum continuandum, aut eliciendum determinatur à causa superiori, ita vt non sit in potestate eius proxima agere oppositum, vel actum omittere: ergo contra resoluta, actus non erit laudabilis, quia non est voluntarius libertate requisita.

Confir.

Vt est à causa superiori, magis tollit libertatem.

Responsio.

Omissa doctrina additionis; quæ non est improbanda. Respondet Doctor non esse contra naturã voluntatis, vt determinetur à causa superiori, licèt sit contra eius naturã vt determinatur à causa inferiori: quia ipsa est prima causa in suo ordine, & determinans reliquas inferiores ad effectum, vt habitus, & cætera adiutoria, & intellectum vt ipsi subest; è contra verò sicut est inferior respectiuè ad causam primam, ita non est contra naturam eius determinari à prima, ita vt non possit in oppositum: licèt ergo voluntas sic determinata quantùm est ex parte sua liberè libertate exercitij influit in actum, & consequenter actus sit liber, & contingens quantùm est ex parte voluntatis: tamen non est liberum voluntati simpliciter, & absolutè tollere actum, vt subest determinationi causæ extrinsecæ, quia contingentia actus debet considerari in ordine ad suas causas, à quibus primariò dependet: primariò autem dependet à causa prima determinatè, & influente ad continuationem actus, cuius influxus non est in potestate voluntatis. Si dicas, ergo necessitatur voluntas. Respondetur necessitari formaliter quantùm ad *inesse* ipsius actus, vt est à Deo, & hæc necessitas est voluntatis per modum subiecti, non autem vt ipsa prior influit effectiuè in actum; ideóque dicit Doctor actum, vt est à voluntate, vt efficiente, esse contingentem, & liberum, non esse liberum in *esse* suo (voluntati scilicet, quatenus plenè subiicitur ei actus quantùm ad *esse*, & *non esse*, actus) prout præuenitur à Deo conseruante semper actum in *esse*. Per hoc patet ad secundam obiectionem, actum, nempe esse laudabilem, quia vt imputatur voluntati liberè agenti, est contingens.

Qualis sit determinatio voluntatis à causa superiori.

59 *2. Responsio.*

Respondet secundò, quòd actus simpliciter est contingens, & per consequens est contingens, quòd voluntas non peccet, tamen nunquam peccabit: *quia causa superior semper præseruat. Dices quòd saltem in potestate voluntatis sit vt eueniat peccatum. Posset dici quòd non ideò est minùs beata, si in potestate eius sit quòd eueniat; quod tamen nunquam eueniet: quia voluntas diuina semper præueniet*, &c. Intelligit de potestate remota, non proxima, sicut superiùs præmisit in corpore: vnde, vt rectè notauit additio: aliud est voluntatem habere possibilitatem, vel esse ex se potentiam peccabilem; & aliud est esse potentiam peccandi: quia prima propositio denotat differentiam intrinsecam voluntatis, vt ipsi per se competit; secunda verò exercitium potestatis, vt coniungitur, vel coniungi potest in euentu ipsi actui: quia gerundium constructum cum principio agendi denotat actum, vt egreditur à principio, atque adeò potentiam proximam ad actum, vt rectè Doctor *in 2. dist. 7. q. 1.* cuius ibi est doctrina, quam adducit additio hæc præmissa in fine.

Potentia peccandi quid denotet.

Ex prima responsione, & ex dictis *num.* 12. huius quæstionis in corpore de potentia remota & propinqua, atque etiam iis, quæ disserit Doctor aliàs, colligunt plures eum esse in ea sententia, vt patet voluntatem posse necessitati ad exercitium actus à causa prima; quod si ita est, non videtur ad alium magis necessitari posse, quàm ad actum beatificum, & supposita hac necessitate saluatur & perpetuitas beatitudinis, & impeccabilitas beatorum; quia ad nihil magis determinat causa prima, quàm ad statum felicissimum, & finalem per modum retributionis, & præmij concessum electis, eorúmque operibus: ergo quæ resoluit Doctor, non videntur subsistere saltem quoad libertatem respectiuè ad causam primam, admittendo non esse contra naturam voluntatis, vt ab ea determinetur, ideóque sine fundamento asseritur actum manere contingentem respectiuè ad voluntatem: siue elicientem, siue continuantem supposita determinatione priori causæ primæ, in qua fundat ipse impeccabilitatem physicam quantùm ad potentiam proximam, & perpetuitatem beatitudinis. Constans sententia Doctoris est hìc voluntatem non necessitari ab aliis, & voluntatem, vt agit, semper liberè agere, vt supponunt fundamenta eius in hac quæstione contrà sententias iam impugnatas, imò hanc esse differentiam voluntatis creatæ, & ab intrinseco: si ita est, consequenter negandum est posse voluntatem necessitari effectiuè à Deo de potentia absoluta, licèt possit necessitari formaliter, vt habet rationem subiecti; ideóque hæc quæstio subiicienda videtur pro completa resolutione huius difficultatis, abstrahendo ab aliis modis, & causis, quibus iuxta varias sententias infertur voluntati necessitas, vt agat per modum naturæ determinatè; abstrahendo etiam ab illa quæstione, in qua disseritur de radice libertatis, quam in proprium locum remittimus.

Difficultas ex aliorum interpretatione, & ex dictis, circa sensum Doctoris.

Necessitas & ordo quæstionis sequentis.

Vtrùm voluntas possit necessitari simpliciter ad actum elicitum, à Deo?

Prima sententia affirmat: est Soto *de natura & gratia, cap.* 16. Medinæ 1. 2. *quæst.* 6. *art.* 4. *ad* 1. Valentiæ 60

1. Sentent. affirmatiua.

Valentiæ *disp.2.q.2. punct.3. & quæst. 5.puncto.4.* Sumel. *in opusculis tom.3. disp.2. asser.4.* Cabreræ *3.p.q.18. art.4. disp.1.* Suarez *tom.1. de gratia prolegom. 1. cap. 4. & 1. 2. loco suprà citato sect. 4. puncto 3.* asserentis esse communem Theologorum nemine discrepante : quod etiam Salust. *1. 2. tract. 3. disput.3. sect. 1.* In eadem generalitate asserit solùm excipiens Richardum *in 2.d.25. ar.3.q.2.* Vbi asserit quòd licèt Deus posset determinare voluntatem quocunque voluerit, non posse tamen necessitare. *Contra*, inquit, *quia necessitari, & determinari idem sunt*, &c. Hæc impugnatio nihil conuincit:quia certũ est voluntatẽ ex Augustino, & Cõciliis fieri de nolente volentẽ diuina gratia, & sic recipere determinationem infallibilem, & indeclinabilem à Deo præbente ei consensum nouum, & præparando ipsam, quamuis liberè consentiat: quod autem asserunt hi authores hanc sententiam esse omnium Theologorum, in ea proprietate, qua proponitur, mihi non probatur, neque puto eam ab omnibus ita indiscriminatim teneri; neque adeò fundatã esse, vt sine scrupulo asseri possit, aut supponi vt certa.

61 *Sententia negatiua.* Secunda sententia ergo est negatiua, nempe stante iudicio rationis indifferenti, quòd vnum est ex prærequisitis ad libertatem in Schola D. Thomæ, non posse Deum de potentia absoluta inferre necessitatem voluntati. Hanc supponit Vannes *1.p.q.19.art.10.dub.1. in fine:* Sumel *in eodẽ art.10.* quamuis *suprà* pro opposito citetur Aluarez *disp.126.conclus.5.* non me immisceo modo, quo explicant, & defendant hi authores libertatem : quia alia est quæstio; neque ad præsens spectat, supponitur enim : sed eos adduco tanquam asserentes negatiuam in termino contradictionis, quanquàm in reipsa citati soleant pro priori sententia, quantùm ad modum, quo dicunt necessitari voluntatem, supposito iudicio determinato, & conclusione practica, saluant enim libertatem ex indifferentia intellectus: sed Vasquez magis propriè pro hac sententia facit *disp.99.cap.8.* dicens libertatem formalem seruari semper in voluntate, neque posse eam ab extrinseco necessitari, quamuis intrinsecè possit per vnionem hypostaticam propter repugnantiam formalem, quam habet ad peccatum, reddens naturam, in qua est, impeccabilem formaliter : quod non est necessitari effectiuè per influxum causæ efficientis; de quo loquimur. Tertio loco citari possunt, qui dicunt Deum necessitare posse voluntatem formaliter, producendo in ipsa volitionem, & conseruando, agnoscendo hunc modum necessitandi duntaxat. Ita Gabriel. *in 2.d.25.art.3.propos.5.* vbi videtur in terminis asserere quòd Deus non possit cogere voluntatem vt inuitè velit : & admittit tãtùm genus coactionis formalis Ochã. *q. 19. ad 2.* negant autem necessitari effectiuè, aut cogi ad actum suum elicitum. Idem in terminis docet Richardus de media villa *in 2. dist. 25.* tanquam communem Doctorum, dicens quamuis Deus annihilare possit liberum arbitrium, manente tamen libero arbitrio, non posse cogi à Deo, vt aliquid necessariò velit mouendo seipsum Idem S.Bonau. *eadem d.2.p.dist.art.1.q.5.* asserens liberũ arbitrium induci posse à creatura, immutari à creatore, imprimendo ei aliquem motum; cogi tamen non posse neque à creatura, neque à creatore, quia implicat contradictionem. Idem insinuat Alensis *2.p.q.72.art.5.m.4.& 5.* Guilielmus à Rubione *eadem d.25.concl.2. primi quæsiti* : posse quidem necessitari liberum arbitrium à Deo vt subiectum ad aliquid recipiendum : non tamen posse cogi ad aliquid efficiendum, aut necessitari : quod *ibidem* fusiùs probat ex eo, quòd causa naturalis nequit aliquid producere nisi naturaliter secundùm modum agẽdi proportionatum sibi, eo modo; neque liberum aliquid agere nisi liberè, & contrarium implicare. Hanc esse opinionem Doctoris infrà ostendemus : non solùm ergo non est contrarium Theologis non posse liberum arbitrium manens, & positis requisitis ad agendum necessitari, sed videtur omnino communior antiquorum : quamuis id concesserim, si sumatur necessitas in ordine ad subiectum, quatenus immutari possit voluntas à Deo passiuè, communiter asseri eam posse sic necessitari, vt infrà dicetur; quæ tamen necessitas non propriè spectat ad primarium intentum huius quæstionis, in qua agitur de necessitate, vt cadere potest in voluntatem, quà est principium actiuum, & voluntarium & sermo est non de voluntate (vt in principio dixi) si agat ad aliquid per modum naturæ ex necessaria inclinatione ad obiectum ex natura obiecti, & perfectione eius, vel ex modo determinatæ propositionis eiusdem; sed respectu illius operationis, ad quam est indifferens, supposita deliberatione; neque difficultas est respectu suspensionis actus, quia de hac nulla est difficultas, quàm per suspensionem diuini concursus, & remotionem alicuius per se requisiti, voluntas impediri possit ab actu elicito, aut eliciendo. *Sensus quæstionis.*

62 *1. Conclusio. Voluntas potest necessitari formaliter.* Prima conclusio; voluntas potest necessitari formaliter Deo producente, aut conseruante in ea actum, ita vt non possit non velle, aut ab eo desistere: hæc est communis nostræ Scholæ, quam tenent omnes, quotquot asserunt actum vitalẽ produci à solo Deo, & consistere in qualitate. Doctor *in 1.d.3.q.7.& q.8.& 9.* vbi *q.8.* dicit totalem causam beatitudinis posse esse obiectum, *& in 3. d.13.q.4.d.14.q.2.& hîc & quodl.15.* visionem beatificam posse esse à solo Deo, &alibi sæpè Henric. *quodl.11.* Durand. *in 1.d.27.art.2.* Ocham, & Gabriel. *suprà* citati. Molina *1.part. disp.12. art.2.* & plures alij : citari potest Alens. & D.Bonau. *suprà* Gulielm. de Rubione, & plerique alij, quotquot docent actum vitalem posse esse à solo Deo in voluntate; quæ est frequens opinio apud Modernos. Hæc conclusio confirmatur de facili supponendo actum vitalem eatenus vitalem esse, quatenus constituit vt forma potentiam tendentem in obiectum : non verò quà producitur actu ab ipsa potentia. Deus continet virtualiter, & eminenter omnem formam, cuius capax est voluntas, nisi aliàs includit defectum, aut repugnantiam; sed talis est volitio; v.g. boni honesti : ergo eam potest communicare voluntati passiuè se habenti : in eo autem casu non subest libertati eius: ergo sic potest necessitare voluntatem formaliter circa obiectum cognitum. Minor probatur, quia est vltima perfectio, ad quam voluntas dicit inclinationem, neque eius productio inuoluit repugnantiam, aut inclinationem; quin etiam Augustinus videtur insinuare de Ciuitate Dei, & alibi Angelum fuisse productum cum voluntate bona, & primum hominem. Dices, de ratione actus vitalis est, vt procedat effectiuè à principio vitæ. Contrà, quamuis procedere possit, vitalitas eius in hoc non consistit, sed quatenus ipse actus est vita in actu secundo, per quam constituitur operans in ordine ad alia vitaliter ab ipsis recipiens perfe *Deum posse producere se solo actum vitalem.* *Responsio* *Impugnatio.*

perfectionem. Deinde suppetit instantia de operatione diuina. Tertiò improbatur, quia actus vitalis producitur in instanti: ergo si inquantùm producitur, constituit operantem, sequitur quòd post productionem, quamdiu manet potentia, non operaretur, quod est falsum, & contra experientiam. Dices quòd vt continuatur à potentia, semper producatur. Contrà, vel intelligis nouum influxum, & nouum per eandem continuationem, seu conseruationem; sed hoc est falsum: quia & sic actus esset successiuus, & nouus; & aliter constitueret potentiam tendentem in obiectum, quod est contra experientiam; & de ratione entis instantanei est, vt totum simul producatur; tale ens est actus vitalis; si intelligas quòd maneat dependentia actus semper ad potentiam, quamdiu manet, sicut effectus in *facto esse* ad causam. Contrà, hæc dependentia licèt maneat, non manet per modum actionis, & influxus in *fieri*, cùm actio per modum actionis non sit ad terminum in *esse*: sed quà producitur de *non esse*, & in *fieri*: ergo saltem qui tenent actionem, & conseruationem esse diuersas, sequitur si in actione sub ratione actionis, & fluxus consistat *intelligere*, quòd non in conseruatione; quod si adhuc instetur in eodem.

Producitur in instanti.

Responsio.

Impugnatio.

63 Argumentor aliter, supponendo actionem dupliciter dici, vt est ad formā productam; vel enim sumitur in proposito pro respectu producētis formam illam ad ipsam formam, vt terminum: vel è contra formæ in *esse* effectus ad producens, vel in vtroque simul; vel sumitur productio pro ipsa forma in *fieri*, vt vocant, pro re acta: non primum, quia vterque respectus consequitur formam positam in *esse*, quia supponunt fundamentū, & terminum, & consequenter obiectum intellectum; quia nihil aliud requiritur ad esse intellectū, quàm intellectionem esse productam in intellectu, sunt relationes disquiparantiæ: ergo vnus idémq; effectus ipsis non competit, neque etiam alteri ipsorum, quia effectus perfectissimus formę absolutæ, qualis est operatio, non potest refundi in relationem, tanquam in rationem formalem; intelligere autem, aut constituere potentiā tendentē, est talis effectus: ergo non relatio, &c. aliàs sequeretur, vel quòd effectus perfectior illo competeret ipsi formæ, quæ perfectior est, vel certè excederetur à respectu. Deinde, respectus ille in ratione formæ nullam habet similitudinem, aut expressionē obiecti, aliàs esset ad ipsum obiectū primò, quòd repræsentaret, non ad formam in ratione effectus, quod falsum est: quia respectus producentis: v.g. completè terminatur ad formam sub ratione effectus; secundùm quam rationem ipsa forma reciprocatur ad producens per relationem oppositam quæ in referendo adæquat oppositam, quod est de ratione oppositorū, quorum vnum tot modis dicitur, quot & reliquum; sed forma in ratione effectus producti præcisè est ad producens, & non ad obiectū, inquantùm producta: ergo & producēs ad formam in ratione effectus, & non ad obiectum.

Secunda impugnatio.

Constituere intelligentem non est per relationem.

Relatio non exprimit obiectum.

Neque aliud membrum suprà præmissum dici potest, quia forma in *fieri*, & fluxu participat de vtroque extremo, nempe terminum *à quo*, & *ad quem*: vt includit negationem, aut eam connotat in intellectu, nequit constituere intelligentem; quia hic est effectus realis, qui non potest esse per negationem contradictoriam formæ: ergo præcisè quà participat terminum *ad quem* in ratione entis, constituit formaliter intelligentem: esse enim intelligentem est denominatio formalis ab actu secundo, siue sit productio ipsa, id est forma in *fieri*, aut in *facto esse*: Tunc sic: si forma in *fieri* vt est ens, constituit intelligentem: ergo à fortiori ipsa forma in *facto esse* constituit eundem effectū quia *propter quod vnumquodque est tale, & ipsum magis*; & forma in *fieri*, vt est ens, & ipse terminus in *facto esse*, vt est ab agente, & connotat terminum *à quò*; esse autem ab agente non est ratio denominationis absolutæ, qualis est intelligentis, quæ non importat respectum ad agens, sed ad obiectum, si aliquem includit; neque terminus *à quo* est ratio denominationis realis formæ, cùm sit negatio formæ: ergo restat hanc denominationem, & effectum esse ab ipsa forma, quà ens est; & quocumque modo consideretur in *fieri*, aut *facto esse*, esse effectum formalem respectiuè ad subiectum, quà afficitur intellectione in *fieri*, aut *facto esse*: forma enim non dat denominationem formalem nisi respectiuè ad subiectum, in quo est: ergo denominat potentiam, quà subiectū est eius. Tertiò denique, dato casu, quem admittit Doctor, nempe circa locutionem Angelorum, si memoria fœcūda produceret intellectionē in intellectu alterius, non intelligeret producens illa intellectione; & si Deus produceret volitionem in voluntate creata, non diceretur Deus velle illa volitione: & quidquid sit de hoc; Pater non intelligit formaliter per dictionem Verbi in diuinis, siue illa dictio sit intellectio per modum notionalis præcisè sumpta, siue aliud formaliter: ergo productio Verbi mentalis, aut intellectionis non eo est intellectio per modum operationis, quo productio est: aliàs in quolibet intellectu seruata proportione idem dicendum foret; quia repugnat eundem effectum formalem esse à diuersis formis, quà formaliter diuersæ sunt.

Operatio vt est in fieri non constituit intelligentē.

Denominatio intelligentis est ab ipsa forma.

Si dicas requiri ad intellectionem, vt sit permanens producenti. Contrà, non est aliter permanens nisi vt habet rationem formæ, quæ inest producenti; hoc autem indicat rationem causæ, & non conditionis: quia conditio prior est quocumque effectu suo, & exigitur ex parte causæ antecedenter ad effectum; sed intellectio vt immanens posterior est sua productione saltem causalitate; quia causa efficiens est, à quo est motus, & actio: ergo ideò requiritur vt intellectio sit immanens ad hoc, vt constituat intelligentem non per modum integrantis effectum, quia nulla causa partialis integrat effectum nisi respectu alterius eiusdem generis, quod non datur in proposito. Hæc sententia confirmari potest ex patribus, qui dicunt primam gratiam fieri in nobis sine nobis, quæ gratia plerumque consistit in aliquo per modum actus secundi, & illa particula *sine nobis* non debet intelligi tantùm per exclusionem liberæ cooperationis, sed etiam per exclusionem cooperationis; neque inde sequitur necessitari voluntatem, in cuius potestate est consentire, vel dissentire vocationi ipsam continuando, aut certè reiiciendo; & sic subest eius libertati: nam quantùm ad hoc, impertinens est vt ipsum producat per modum naturæ, vel non producat, cùm per hoc non constituatur sub potestate voluntatis, sed in quantùm liberè tendere potest, vel non tendere mediante eodē actu. Conclusio præmissa de facili probari potest de receptione habitus, qui non est in potestate volūtatis. 64

Responsio. Impugnatur.

Gratia vocationis.

Secunda conclusio, procedendo ex iis, quæ de facto cognoscimus, siue per rationem, siue per reuela 65

2. Conclus.

Eligitur negatiua sententia. reuelationem, probabilius est voluntatem non posse necessitari effectiuè supposita deliberatione. Hæc est Doctorum, quos in fine secundæ sententiæ citauimus; éstque magis secundùm principia Doctoris, & malè citatur hîc pro opposito: non differit enim quæstionem præsentem, sed quærit radicem impeccabilitatis beatorum, quam refundit, non in naturam voluntatis, quasi necessariò ageret, neque in naturam ipsius operationis, tanquam ex se necessariæ; quas sententias impugnat, & resoluit §. *Dico ergo quòd causa huius perpetuitatis*, &c. Non sit ipsius beatitudinis necessitas in essendo, neque voluntatis in eliciendo, aut operando, neque alicuius habitus subordinantis voluntatem, & necessitatis: refundit autem radicem impeccabilitatis in voluntatem Dei extrinsecam, quæ semper determinatè agit ad conseruationem beatitudinis, & sic dicit quòd beatus potentiam proximam ad peccandum non habeat Deo agente, & præueniente gratuitè voluntatem ad oppositum peccati, conseruando actum fruitionis, cum quo nequit consistere peccatum, vt rectè Doctor *in 3. dist.* 18. *q. vnic.* agens de impeccabilitate Christi: cùm autem hic admittit quòd ille actus est liber, vt procedit à voluntate in suo ordine §. *Respondeo quòd voluntas*, &c. Vnde dicit actum illum esse laudabilem vt est à voluntate in suo ordine causandi; quod etiam asserit *in 3. dist.* 18. *quæst. vnica*, vbi tractat an Christus potuerit mereri per actum portionis superioris, atque adeò per ipsam fruitionem beatificam: vnde quando hîc dicit esse contra naturam voluntatis determinari à causa inferiori, non autem à superiori, non intelligit de determinatione auferente libertatem voluntatis simpliciter; sed de determinatione statuente necessitatem ex parte effectus, & tollente simpliciter eius contingentiam, ita vt non possit potentia proxima non esse, vt procedit à suis causis: quamuis enim vt procedit à voluntate, sit contingens, & potens non esse, quia voluntas liberè se habet ad ipsum: tamen vt procedit à causa superiori, cuius determinatio non est in potestate voluntatis, & semper manet respectu actus, sequitur quòd non est simpliciter contingens: quia necessitatur voluntas formaliter, vt sub actu est à Deo conseruante in ea actum, non autem effectiuè necessitatur; nulla autem causa inferior voluntate in suo ordine causandi nata est tribuere illam necessitatem actui voluntatis: quia voluntas sic non esset causa superior in suo ordine, inquit, quia nempe causa illa tribuens necessitatem simpliciter effectui, seu actui, non esset in eius potestate, neque sequeretur eius determinationem eo modo, quo de facto subsunt tales causæ voluntati vt habitus quibus vtimur quando volumus, & vocatio diuinæ gratiæ, & intellectus, qui subsunt determinationi voluntatis. *Voluntatem non necessitari constans sententia Doctoris.* Hæc est vera sententia Doctoris, vt patet ex eius discursu; vnde in fine concludit quòd actus ille potest dici simpliciter contingens, ac proinde simpliciter est contingens quòd voluntas beati non peccat, quamuis nunquam eueniet vt peccet, Deo illam præueniente, & conseruante beatitudinem. Colligitur hanc eandem esse constantem sententiam Doctoris ex locis eius citatis in quæstionibus præcedentibus, in quibus asseritur non necessitari voluntatem ad finem vltimum in particulari clarè etiam visum, neque ad finem in vniuersali, neque habere inclinationem vllam voluntatem creatam, qua agat per modum naturæ, & necessariò; & hanc esse differentiam eius essentialem, & modum operandi, qua in productione sui actus agit contingenter, & liberè: loca eius *ibidem* citauimus: videantur quæ dicta sunt in iis controuersiis.

Declaratur sententia Doctoris.

Probatio ostensiua huius conclusionis difficilior est, recurrente semper illa distinctione, nempe de potentia absoluta, seu de possibili, & de facto, seu de potentia ordinaria; quia multa inuoluunt contradictionem, & non inuoluunt, quæ nos neque per rationem, neque per reuelationem possumus penetrare; quia neque fundamentum possibilitatis, aut impossibilitatis penetrare possumus ex parte rei: neque etiam ex parte diuinæ omnipotentiæ, quid circa creaturas ordinare possit. Cæterùm procedendo ex cognitis de facto, quacumque via illa cognoscamus, concludendum erit quod magis consentaneum videtur. *Difficultas probationis.* *Sumenda ex facto.*

66 Probatur ergo conclusio, primùm ex sancto Bernardo, qui eam videtur expressè docere, (cuius authoritatem potissimùm secuti sunt antiqui Theologi, quos citauimus in hac quæstione) de gratia & libero arbitrio, vbi ostendens cætera, quæ carent libertate, carere etiam merito, subdit, *Ipsam verò* (supple voluntatem) *quia impossibile de seipsa sibi non obedire*, (nemo quippe non vult quod vult, aut vult quod non vult) *etiam impossibile est sua priuari libertate. Potest quidem mutari voluntas, sed non nisi in aliam voluntatem, vt nunquam amittat libertatem: iam ergo non potest priuari illa quia nec seipsa*, &c. Loquitur autem Bernardus de libertate voluntatis, quæ nunc in quæstione versatur, quia eam opponit necessitati; quæ excludit meritum, & demeritum. Deinde in sequentibus dicit ea carere insanos, infantes, & dormientes: quia sicut non sunt compotes rationis, sic nec retinent vsum propriæ voluntatis; ac proinde non habent meritum, aut demeritum; loquitur etiam de voluntate, vt comparatur ad gratiam, ac proinde vt libera est, neque ergo intelligi de libertate à coactione, seu spontaneïtatis, qualem habet voluntas diuina ad intrà; nequit etiam intelligi locutus de potentia ordinaria, quia illa verba excludunt hunc sensum: *Iam ergo non potest priuari illa, quia nec seipsa*; supponit ergo voluntati creatæ tam essentialem esse libertatem, quàm esse voluntatem: neque loquitur de voluntate sumpta in actu secundo, prout consuetum est Augustino dicere bonam, aut malam voluntatem; sed de ipsa potentia; vt patet ex toto contextu; agit enim de subiecto libertatis per modum potentiæ dominantis suo actui; vnde infrà distinguens triplex genus libertatis, nempe à peccato, à miseria, à necessitate, dicit liberum arbitrium sic vocari vt excludit necessitatem; quam libertatem nobis in conditione tribuit natura, aliam nempe à peccato gratia; aliam à miseria vitæ, & gloria. *Probatio conclusionis.* *Bernard.* *Voluntatem mutari posse, non priuari sua libertate.* *S. Bernardus loquitur de libertate ad propositum conclusionis.* *Triplex libertas.*

Item infrà postquàm disseruit de libertate à peccato, & miseria, loquens de libertate, vt opponitur necessitati. *Verùm libertas à necessitate aequè, & indifferenter Deo, vniuersæque tam malæ, quàm bonæ rationali conuenit creaturæ; nec peccato nec miseria amittitur, vel minuitur, nec maior in iusto est, quàm in peccatore, nec plenior in Angelo, quàm in homine*, &c. Quod mox probat comparans Angelum bonum & malum, in hoc pares, quòd sicut non necessita-

te in bonum fertur bonus, sed libertate, ita etiam malum eadem libertate Angelum ferri in malum, *& sicut*, inquit, *cælestis Angelus, aut etiam ipse Deus permanet liberè bonus* (propria videlicet voluntate, non aliqua extrinseca necessitate) *sic profectò Diabolus æquè liberè in malum & corruit, & persistit suo vtique voluntario nutu, non alieno impulsu*, &c. Si ergo æquè indifferenter hæc libertas est in creatura rationali, & in creatore secundùm Bernardum, sequitur priuari ea non posse creaturam, sicut neque creator ea priuari posset; vnde infrà concludit in hæc verba: *Manet ergo libertas voluntatis, vbi etiam sit capacitas mentis, tam plena quidem in malis, quàm & in bonis, sed in bonis ordinatior, tam integra quoque pro suo modo in creatura, quàm in creatore*, &c. id est, secundùm priuationem, vt exponit Sanctus Bonauentura, qua excluditur, nempe necessitas, non secundùm positionem, qua importatur perfectio, & potestas, quod innuit ipse Bernardus per sequentia: *sed in illo*, inquit *potentior* supple in creatore.

Æquiparatur libertas creaturæ, & creatoris.

Libertas quoad priuationem necessitatis plena est in creatura.

Item infrà. *Cæterùm libertas arbitrij (vt suprà liquidò apparuit) cunctis pariter ratione vtentibus conuenit: non minor quantum in se est in malis, quàm in bonis, tam plena in hoc sæculo, quàm in futuro*, &c. Infrà docet hanc libertatem ex creatione sui conuenire voluntati, per quam recepit entitatem, supponens inseparabilem esse ab ea, & ex natura sua conuenientem.

Libertas inseparabilis à voluntate.

67 *2. Probatio.*

Secundò probatur ex Augustino, qui dicit, nemo potest credere nisi volens, & alibi, quòd nullo modo potest inuitùs credere. Item, *in libro de libero arbitrio* doctrina eius plurimùm facit ad hanc conclusionem: *lib. 3. cap. 1.* dicit motum voluntatis, quo conuertit se ad commutabile bonum, ita proprium esse voluntatis, sicut motus deorsum est proprium lapidis; *Nihil tam in nostra potestate, quàm ipsa voluntas est, etenim mox nullo interuallo, mox vt volumus, præsto est*, &c. *Quòd si fieri non potest, vt dum volumus, non velimus, adest vtique voluntas volentibus, nec aliud quidpiam est in potestate, nisi quòd volentibus adest: voluntas ergo nostra, nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate; porrò quia est in potestate, libera est nobis: non enim est nobis liberum, quod in potestate non habemus, aut potest non esse, quod habemus*, &c. & infrà, *nec voluntas esse poterit, si in potestate non erit*, &c. & cap. 17. *Sed quæ tandem esse poterit ante voluntatem causa voluntatis? aut enim ipsa voluntas est, & à radice ista voluntatis non receditur, aut non est voluntas, & peccatum nullum habet*, &c. Vide alia, quæ sequuntur. Augustinus disserit contra Manichæos, qui peccatum necessitate fieri dicebant, & ex extrinseca compulsione necessitante; vt patet lib. 1. Retract. cap. 9. *Propter eos itaque disputatio illa suscepta est, qui negant ex libero voluntatis arbitrio mali originem duci*, &c. & prima interrogatio libro 1. est talis *Dic mihi quæso te, vtrùm Deus non sit author mali? ergo quando dicit voluntatem nostram voluntatem esse non posse nisi libera sit*, loquitur in sensu contradictorio Manichæis, qui negabant liberum arbitrium. Supponit ergo, aut intendit voluntatem creatam non posse necessitari ad actum efficiendum: ratio enim Augustini vniuersalis est. Huc etiam reuocari potest Tertullianus, Bernardus, & Damascenus *suprà* citati, imaginem Dei statuentes in creatura rationali, comprehendentes voluntatem, quæ libera est, vt *suo lato argumento 4. pro conclusione* deductum est; sed hæc imago est indelebilis vt dicit substantiam: ergo ita per se competit voluntati tanquam essentiale esse liberam, sicut & intellectui esse principium naturale.

August.

Tertiò probatur conclusio ratione: voluntas non potest agere modo opposito suæ naturæ; natura autem voluntatis est, vt agat liberè, supposita deliberatione, & ita ex natura sua ad talem modum agendi determinatur, vt non possit ex se necessariò, & non liberè agere: ergo hic modus agendi est ei essentialis, supposita deliberatione. Confirmatur, causa naturalis nunquã potest agere liberè: ergo neq; causa libera quà libera, poterit agere necessariò. Probatur cõsequentia, agere liberè, & indifferenter, & agere necessariò, vt sub determinata ratione diuidunt causas, opponuntur contradictoriè, sed agere liberè competit voluntati respectu eius, ad quod est indifferens, ergo respectu eius non potest necessitari in agendo. Patet consequentia, quia cuicumque per se competit extremum contradictionis, neque per se, neque per accidens potest eius oppositum eidem conuenire; hac enim ratione causa naturalis, & necessariò agens non potest etiam per accidens agere liberè, vt actio ab ipsa egreditur, quamuis applicari possit liberè à causa superiori: v. g. oculus elicit visionem necessariò præsente obiecto, & intellectus intellectionem, quamuis vterque actus liberè imperetur à voluntate; ex quo excluditur responsio Suaris, qui dicit potentiam motiuam liberè moueri à voluntate, quæ tamen est potentia naturalis; ac proinde causa libera poterit saltem à Deo moueri necessariò: sed hæc instantia non soluit argumentum; dato enim quòd potentia motiua esset potentia naturalis in agendo, quamuis liberè moueretur à voluntate ad eliciendum motum, non tamen liberè ipsa eliceret motum, sed necessariò: neque motus ille diceretur liber, vt in motiuam refunditur, sed vt in voluntatem; nam sicut repugnat libertatem communicari intrinsecè potentiæ motiuæ, aut alteri à voluntate diuersæ; sic etiam repugnat motum esse liberum, vt refertur ad causam, cui repugnat libertas: quia esse liberum in effectu est denominatio eius à causa, quà libera est. Deinde, instantia illa non rectè adducitur ad propositum: quia potentia motiua non habet ex se determinationem hîc & nunc ad actum, sicut causa naturalis, aut libera; quia causa motus est appetitus, & imaginatio, quamuis exerceatur in potentia motiua quoad actum, qui subest voluntati, aut appetitui, in ordine ad quem non mouetur vnquam ex se potentia motiua nisi per appetitum; in ordine autem ad alios actus, qui nulla ratione subsunt voluntati, mouetur per modum causæ naturalis, in quibus nequit à voluntate recipere determinationem, aut libertatem: v. g. in palpitatione cordis, aut huiusmodi.

68 *3. Ratio.*

Diuisio causa in liberã, & naturalẽ.

Instantia de potẽtia motiua reiicitur.

Motiua est indifferens, & indeterminata.

Quòd ergo per se competat voluntati agere indifferenter, probatur ex omnibus locis, quibus probatur eius libertas, quia virtus, & vitium supponunt aliquam per se causam, non aliam quàm voluntatem, quà imputabiles sunt; nec illam nisi quà est liberè agens: ergo sic agere per se competit voluntati. Confirmatur, quia hac ratione distinguitur per se voluntas ab appetitu sensitiuo, & homo à bruto, vt operatur, circa bonum, quòd homo cum indifferentia, brutum cum necessitate, vt constat ex Philosopho, & Damasceno, & reliquis *suprà* citatis; nemo autem negat hanc

69 *Agere liberè per se competit volũtati.*

Confirm.

Differentia appetitus rationalis.

hanc distinctionem esse per se vtriusque. Secundò, homo supposita deliberatione nequit aliter agere quantùm est ex se, nisi liberè respectu eius, ad quod est indifferens: quia esse indifferentem ad aliquid, & determinatum implicant expressam contradictionem respectu eiusdem subiecti, & sub eadem ratione: ergo hic est modus essentialis agendi voluntatis respectu indifferentis: quia aliàs in aliqua operatione, & in ordine ad aliquod obiectum posset agere determinatè post deliberationem. *Responsio.* Responderent Molina, & alij, quos aliàs impugnauimus, concedendo voluntatem de facto supposita deliberatione agere necessariò quoad primas affectiones, quæ fiunt in ipsa per vocationem diuinam; *Reiicitur.* sed quidquid sit, an voluntas quoad istas affectiones elicitiuè se habeat, & necessariò non intendit argumentum quæstiones illas particulares, sed præcisè agit de voluntate respectu actus; & obiecti indifferentis.

70 *4. Ratio.* Quartò itaque patet idem, quia diuisio causæ per *indifferens*, & *necessarium* est causæ per se, & sic eam sumit D. Bernardus *suprà* citatus, dicens reliquas præter voluntatem potentias in homine agere necessariò, voluntatem autem liberè: sic sanctus Augustinus etiam distinguit motum voluntatis à motu lapidis per *voluntarium*, & *naturale*. *Causa libera & necessaria opposita.* Peto ergo an hæc distinctio sit causæ per se? quis hoc negabit? ergo eodem modo se habet quælibet species ad sua constituentia, & ad per se actum, seu differentiam: ergo indifferentia in eodem gradu constituit indifferentem, sicut necessitas causam necessariam; hæc autem tolli nequit in operando à causa, cuius est: ergo neque illa. *Responsio.* Dices quòd hæc ratio concludit de facto, non autem de possibili. *Impugnatur.* Contrà, non potest illa impossibilitas aliter ostendi, quàm reducendo rationem ad extrema contradictionis per se conuenientia, & absolutè, *Via probandi impossibilitatem.* sed comparando voluntatem ad finem vniuersum, siue in particulari, siue in communi, & ad quoscumque suos actus iuxta principia nostræ Scholæ probatur per se indifferenter agere: iuxta principia autem omnium, & sanctos Patres, ac Concilia, quæ definiũt liberum arbitrium esse, *Libertas voluntatis ab omnibus asserta tanquã differentia per se eius.* probatur saltem supposita deliberatione agere indifferenter circa obiectum indifferens, & sic agere per se tanquam ex natura sua respectiuè ad tale obiectum: ergo probatur hic modus agendi reduci per se in rationem constitutiuam volũtatis, qui variari nequit manente voluntate, sicut neque principij naturalis constitutum, *Tolli necessitatem scientia.* aut modus agendi manente principio, aliàs possemus semper dubitare de veritate demonstrationis, an scilicet talis sit effectus ex ratione præcisa causæ, & effectus; an verò ex conditione aliqua limitata in hoc, aut illo: quod tolleret certitudinem scientiæ, quod maximum esset inconueniens; posset enim, quidquid de causis particularibus eorúmque effectu necessariò consequente differitur, & modis causandi, sic eludi per illam distinctionem potentiæ absolutæ, & ordinariæ tanquam effectus sit necessariò connexus de potentia ordinaria, non autem de potentia absoluta ita connexus, quin stare posset oppositum, & modus oppositus causandi, quod tollit certitudinem scientiæ per causam efficientem, & finalem, quidquid sit de scientia per causas intrinsecas.

71 *Responsio.* Dices aliter negando paritatem inter causam naturalem, & voluntatem: quia necessitas agendi est modus determinatus agendi causæ naturalis: non ita voluntatis, quia voluntas iuxta sententiam frequentem plurium aliquando agit per modum naturæ, aliquando per modum voluntarij; ac proinde non est contra naturam eius, vt necessariò agat, maximè Deo ipsam applicante, vt sic agat, cui essentialiter subiecta est. Contrà, *Impugnatio* quòd voluntas agat necessariò circa obiectum, ad quod ordinatur per modum naturæ vndecumque proueniat, siue ex perfectione obiecti, siue ex modo proponendi determinatè ipsum iuxta varia fundamenta alterius Scholæ, quæ hunc modum agendi tribuit voluntati: dato ergo quòd sic agat, vt natura, non tollit, quin voluntas etiam circa obiectum contingens agat ita liberè, ac si nullum alium modum agendi haberet, nisi illum; maximè quando proponitur indifferenter, *Modus agẽdi necessarius circa aliqua non tollit, modum liberum agendi.* & hoc ex differentia sua intrinseca: ergo sicut se habet ad obiectum, in ordine ad quod agit tantùm vt natura, ita etiam se habet ad obiectum, ad quod nata est indifferenter agere: sed ita se habet ad obiectum, & actus necessarios: v.g. circa Deum clarè visum, vt non possit agere indifferenter circa ipsum secundùm Doctores, qui hanc sententiam tuentur ergo à paritate rationis, nequit etiam necessitari per diuinam potentiam, vt agat necessariò circa obiectum indifferens. Patet consequentia: quia sicut inclinatio eius vt natura est, nequit variari, quia inseparabilis est ab ipsa; ita etiam hæc alia inclinatio est ipsi æquè naturalis: *Libertas est inclinatio per se voluntatis.* non minùs enim repugnat voluntatem dicere inclinationem contingentem actiuam ad obiectum, ad quod necessitatur, siue ex modo propositionis, siue ex natura obiecti, & voluntatis, quàm eandem determinatè se habere ad obiectum, ad quod tam ex se, quàm ex modo propositionis contingenter, & liberè se habet: ergo spectando inclinationem voluntatis, & naturam talis obiecti, & modum proponendi obiectum, non est fundamentum vnde colligatur necessitari voluntatem posse, vt agat necessariò circa ipsum: quamdiu enim manet radix libertatis in intellectu, prout hi authores statuunt, manet indifferentia formalis in voluntate. Hoc argumentum à fortiori concludit in sententia nostræ Scholæ, qua statuitur radix libertatis in ipsa voluntate; quia hæc est vnica, & sola inclinatio voluntatis actiua, qua liberè ordinatur ad omnem suum actum: ex hoc ergo argumento habetur, quantùm est ex natura voluntatis intrinseca, & extrinseca obiecti, & modo proponendi ipsum, non haberi fundamentum vnde colligatur possibilitas necessitandi voluntatem; an verò per efficaciam causæ extrinsecæ, & subordinationem, quam habet ad ipsam, possit necessitari per argumenta sequentia deducetur.

Quintò probatur quòd non ex subordinatione voluntatis creatæ ad primam causam possit colligi etiam necessitari posse ad illud, ad quod aliàs est indifferens: 72 *5. Ratio. Necessitas operandi non inducitur voluntati ex subordinatione ad primam causã.* hæc subordinatio fundatur in voluntate creata, vel quantùm est præcisa causa secunda dependens à prima in *esse* & *operari*, sicut cæteræ; vel inquantùm vt talis est participatio diuinæ voluntatis per quandam incitationem, prout inueniri potest in creatura in *esse*, & operando; sed ex neutro horum colligitur: ergo hac in parte non suppetit fundamentum asserendi oppositum. Minor probatur quoad primum membrum: quia subordinatio causæ secundæ ad primam commensuratur suæ entitati, & actiuitati:

Subordinatio causæ inferioris ad superiorem. tati: nihil enim dependet ab alio, nisi vt est, & operatur,& secundùm quòd est,& operatur:quia sicut diuersæ sunt causæ in *esse*, & *operari*, sic etiam diuersificantur in suis dependentiis,neque idem est influxus,in quo Deus creat,& conseruat Angelum,cum eo,quo creauit cælum, & conseruat. Neque idem concursus eius cum igne, & voluntate in suis actionibus, quia nempe Deus influit secundùm cuiusque naturam, & virtutem particularem: ergo subordinatio voluntatis ad Deum in agendo sequitur inclinationem actiuam connaturalem eius;neque vltrà extenditur. Omitto nunc potentiam obedientialem, quam aliqui statuunt in creatura, quia non est quæstio præsens de hoc,sed de voluntate,quà particularis causa est, in ordine ad suum effectum connaturalem, an necessitari possit ad ipsum, stantibus requisitis, & quæstio est de eo, qui aliàs liberè natus est sequi ad ipsam. Sed inclinatio voluntatis est libera, & indifferens tantùm in ordine ad actum,de quo agitur: ergo non dicit subordinationem ad Deum,nisi secundùm hanc inclinationem,& modum producendi connaturalem. Nulla enim virtus actiua voluntatis ordinatur ad illum actum cum necessitate producendum: aliàs posset per modum naturæ agere circa obiectum,ad quod est indifferens, quantùm est ex se: hoc autem æquè repugnat esse in potestate voluntatis, sicut in potestate causæ naturalis esse, vt agat ab intrinseco liberè: ergo subordinatio voluntatis,vt causæ secundæ ad primã,non consistit,nisi in eo quod potest ex virtute innata producere,tantúmque dependet à Deo quantùm ad actionem,applicationẽ,& effectum:ac proinde non extenditur ad aliud, quod secundùm virtutem innatam non includit, & repugnat ipsi;repugnat autem voluntati quantùm est ex se agere necessariò circa indifferens, sicut repugnat ei non esse liberam:ergo quoad tale genus actionis non dicit vllam subordinationem ad causam primam.

Concursus Dei iuxta naturam effectus, & causæ.

Subordinatio voluntatis importat virtutem innatam eius.

Voluntas diuina nequit agere necessariò circa obiectum indifferens. Probatur eadem minor quoad secundum membrum:quia voluntati diuinæ repugnat agere necessariò circa quodcunque,ad quod est libera:ergo similiter voluntati creatæ,inquantùm est participatio eius,repugnat agere necessariò circa illud,ad quod tantùm ordinatur liberè,quantùm est de se. Ex quibus patet hanc possibilitatem non posse reduci in subordinationem voluntatis creatæ ad primam causam.

63

6. Ratio. Non colligi intentum ex efficacia diuinæ voluntatis. Sextò probatur eandem necessitatem non colligi ex efficacia diuinæ voluntatis supra voluntatem creatam. Vel necessitaretur voluntas per ipsam voluntatem diuinam immediatè, vel mediante aliqua causa secunda. Non secundum, vt sequenti ratione probabitur. Quòd verò non primum,probatur (tertius autem modus necessitandi non suppetit)non potest esse in Deo magis efficax,& determinata voluntas,quàm sit efficax, & absolutum decretum,quo determinatur de facto; sed hoc compatitur cum libertate eius iuxta communiorem sententiam Scholæ,& Augustini, ergo voluntas creata nequit effectiuè necessitari per voluntatem diuinam. Probatur maior, quia voluntas diuina non influit in effectum ad extrà, nisi vt est in actu secundo, & sub aliquo decreto, nullum aliud est magis efficax quàm absolutum, quod antecedit præuisum vsum liberi arbitrij;& probatur quia aliud quodcunque ideò diceretur magis, vel simpliciter efficax, quia applicaret infallibiliter causam, vel poneret effectum per causam,sed hæc omnia conueniunt decreto efficaci,& absoluto,quale de facto ponitur: v.g. de conuersione Pauli, per quod de nolente fiat volens: ergo nullum aliud magis efficax est possibile, quo determinari possit voluntas ad agendum,aut actus per eam intendatur,supposito quòd Deus nihil infundat antecedenter ad actum:ergo,&c. Minor patet, quia vel illa maior efficacia spectaret ad actum primum voluntatis creatæ, vel ad actum secundum. Non ad actum primum: quia supponitur voluntas completa in actu primo,cuius plenam habet potestatem (non enim agimus ex scopo quæstionis de actibus supernaturalibus) dato etiam opposito tantundem fieret per decretum absolutum,quod de facto est: vel spectaret ad actum primum, quia certiùs & efficaciùs determinaret applicando voluntatem in actum secundum; sed neque hoc, quia maior certitudo nequit esse quàm infallibilis; neque maior applicatio, quàm quòd voluntas agat ad extremum suarum virium,& toto conatu:vtrúmque habetur per decretum efficax, quod compatitur cum libertate. Neque illa maior efficacia spectat ad actum secundum, qui nequit habere maiorem connexionem cum causa, quàm sit causæ ad ipsum per applicationem totius conatus: ergo nequit esse magis efficax decretum in Deo,quo applicaretur voluntas ad actum, quàm sit hoc quod de facto ponitur ante præuisum vsum liberi arbitrij, spectando naturam decreti in se,& absolutè,vt præscindit à mediis ad extrà.

Efficacia decreti absoluti Dei.

De nolente facit volentem.

Confirm. Confirmatur,ideò aliud decretum esset magis efficax, quia magis applicaret voluntatem diuinam, aut eius omnipotentiam (siue diuersa sint, siue vnum,quod ad præsens non spectat) in ordine ad effectum; sed hoc est falsum: ergo. Patet minor) quia per quodcunque decretum absolutum ante præuisum vsum liberi arbitrij determinatur voluntas diuina, quantùm est ex parte intentionis vltima determinatione, ita vt nullo modo sit indifferens ampliùs in sensu composito,sed simpliciter sub affirmatione, quæ excludit totam negationem oppositam; & repugnet simpliciter non sequi effectum in sensu composito, stante decreto; sed hac determinatione, qua voluntas diuina est sub extremo contradictionis determinato, repugnat dari maiorem eius determinationem:ergo nequit maior esse quàm sit per decretum absolutum,quod de facto est,quantùm est ex vi intentionis; hoc tamen non derogat libertati: ergo ex determinatione quacunque efficaci diuinæ voluntatis, quæ compatitur secum concursum voluntatis creaturæ,non tollitur eius libertas.

Decretum absolutum completè determinat diuinam voluntatem.

Repugnat maior determinatio eius.

Dices ad hæc, quòd decretum possibile poni non erit magis efficax, quantùm ad substantiam efficaciæ,sed erit magis efficax quantùm ad modum efficaciæ in voluntatem creatam; quia effectus erit necessarius etiam vt procedit à voluntate creata. Vnde si Deus decerneret illum effectum se solo producere, decretum esset alterius rationis,& maior esset in eo simpliciter determinatio diuinæ voluntatis ad effectum cum exclusione omnis concursus voluntatis in quantùm actiua esset, ita etiam supposito quòd decerneret effectum produci necessariò à voluntate creata, vel tolleret simpliciter contingentiam eius, vel certè contingentiam, quam habet in ordine ad voluntatem creatam, ita vt non solùm non esset

74 *Responsio.*

Diuersa decreta.

set liberè productus in sensu composito; sed nec etiam in sensu diuiso, vt compatatur ad voluntatem sic agentem necessariò, vt subordinatur decreto. Hæc responsio quamuis non sit facilis impugnationis, quia versatur circa principium, quod in controuersia est, non conuincit tamen oppositum.

Impugnatio.

Contra eam sic argumentor: nunc agimus de efficacia decreti, vt est applicatio voluntatis diuinæ ad effectum, seu determinatio eius in quantùm admittit concursum voluntatis creatum. Ideò exemplum allatum de altero decreto (quod multi aduersariorum non admittunt possibile; eo etiam dato prout nos concedimus) non est ad propositum, quia, vt dixi, agitur de determinatione diuinæ voluntatis, in quantùm admittit concursum causæ inferioris. Quod verò additur de efficacia quantùm ad motum, est petitio principij; quia de hoc est quæstio, an scilicet ex vltima determinatione diuinæ voluntatis admittentis consortium voluntatis creatæ, sequatur hanc necessariò agere ex efficacia illius determinationis diuinæ, & an possibilis sit talis modus agendi in voluntate creata, vel talis determinatio in diuina voluntate, quæ hunc modum inferat. Si ergo non est possibilis talis modus agendi in voluntate creata circa obiectum indifferens, & indifferenter propositum, neque etiam determinatio maior in voluntate diuina, quàm sit per decretum efficax, & absolutum, quod de facto ponitur: decretum enim concurrendi cum causa secunda quantumcumque determinatum, supponit virtutem agendi causæ inferioris, & modum connaturalem eius, per se conuenientem, non mutat, sicut decretum concurrendi cum causa naturali quantumcunque determinatum, non variat modum agendi eius per se: per se dico: quia potest modus per accidens agendi eius variari, v.g. vt quòd aliàs cum concursu ordinario propter resistentiam passi, & limitationem virtutis non produceret nisi successiuè, & in tempore, vt producat illud in instanti eo modo, quo generatio humana Christi, vt processit à matre cum alterationibus præuiis in instanti peracta est, quamuis similis in aliis fiat in tempore, loquendo de generatione, vt inuoluit motus præuios.

Decretum concurrendi implicat cōcursum inferioris causæ.

Cæterùm, causa naturalis per modum naturæ concurrit, quæ est eius differentia, & modus agendi connaturalis per se, sequens talem differentiam. Sed nè ab argumento digrediamur, in quo solùm quæritur de vltima determinatione diuinæ voluntatis, & efficacia decreti, probatur negatum, nempe non esse possibile aliud decretum magis efficax ex se, admitténsque concursum voluntatis, quàm sit illud decretum absolutum, quod de facto ponitur. Supponamus ergo, vt volunt aduersarij, in voluntate duplicem inclinationem respectu obiecti indifferentis, & indifferenter propositi; alteram, qua ordinatur ad illud per modum naturæ; alteram, quà liberè. Si enim hoc non admittatur, tollitur quæstio, quia sic statuitur repugnantia ex parte voluntatis, vt agat per modum naturæ.

Probatio negati.

75 Sic argumentor. Non est magis efficax decretum, quo determinat Deus effectum causæ necessariæ, quàm decretum, quo determinat effectum causæ liberæ, salua libertate eius: ergo non est magis efficax decretum, quo determinat voluntatem, vt agat per modum naturæ, quàm decretum, quo determinat infallibiliter, & cum effectu, vt agat liberè, vtens eius libertate ad effectum quemcunque vult, & prout vult: ergo nullum aliud decretum est magis efficax in Deo, quàm sit absolutum, quod de facto compatitur libertatem: ac proinde nequit ex efficacia diuinæ voluntatis, aut decreti colligi necessitari posse voluntatem iuxta sensum quæstionis. Vtraque consequentia videtur legitima, & probatur antecedens efficacia & virtus causæ arguitur ex maiori resistentia ex parte effectus ponendi in causa inferiori; sed minor est resistentia ex parte causæ determinatæ secundùm principiū agendi, vt agat determinatè in ordine ad effectum, ad quem ex forma sua determinatur intrinsecè, quàm ex parte causæ, quæ intrinsecè est indifferens, & indeterminata, ac libera, vt applicetur, & agat determinatè, id est, cum effectu ad alteram partem contradictionis sine suo præuio consensu: ergo posse vti hac causa libera ad effectum, quemcunque velit Deus, determinatè, sine præuia determinatione eius in actu primo, arguit maiorem efficaciam, & potentiam in Deo, quàm vti causa intrinseca determinata, & ex forma sua in actu primo, & in ordine ad effectum, ad quem ex se determinata est: ergo voluntas diuina efficaciùs determinatur per decretum compatiens libertatem, quàm per aliud quodcunque applicans causam determinatam, aut ipsam voluntatem, quà determinata est per subordinationem ad Deum, vt agat per modum naturæ. Maior videtur manifesta, & patet, quia vbi maior est connexio causæ ad effectum suum, ibi minor est resistentia causæ ad actionem, & facilior eius vsus, & applicatio, quod ad sensum patet; sed maior est connexio causæ determinatæ, quà determinata est ad effectum (quia in ea nulla est inclinatio, aut possibilitas ad oppositum) quàm causæ liberæ, quæ opposito modo se habet, & sub extremo contradictorio: indifferens enim, & determinatum sic opponuntur; ex quo patet minor: & probatur vlteriùs ex Augustino, qui variis in locis contra Pelagianos, & alios hoc ipsum specialiter reducit in omnipotentissimam Dei voluntatem, quæ hominum, & Angelorum voluntates mouere potest quò voluerit, & ad id, quò voluerit liberè volendum. Vnde *Enchiridij cap.* 102. postquàm præmisit Deum bona etiam per malas hominum voluntates operari, subdit: *Sed quantalibet sunt voluntates, vel Angelorum, vel hominum, vel bonorum, vel malorum, vel illud, quod Deus, vel aliud volentes quàm Deus, omnipotentis voluntas semper inuicta est*, &c. Et nè in longum abeatur, videatur idem *de corruptione, & gratia à cap.* 10. & deinceps, vbi fusè de hoc disserit, & potentiam diuinæ voluntatis exaggerat in hunc finem, eiúsque efficaciam. Quod ratione patet, quia voluntate saltem determinata ad oppositum difficiliùs reducitur, vt velit quod noluit, aut nolit quod vult, & hoc liberè, quàm eandem, vt determinata est, aut aliam causam determinatam inclinare, vt agat: ergo rectè hoc opus in solam omnipotentiam tanquam summam rectè refundit Augustinus. Ex quo patet necessitatem prætensam voluntatis non reduci in efficaciam omnipotentiæ diuinæ, cuius actus efficacissimus circa voluntatem creatam est vti ipsa liberè consentiente ad quodcunque vult, & eam sic applicare certissimè, & inuictissimè vt agat, & hoc libero suo consensu, quod obtinet mediante decreto absoluto quantùm est ex vi intentionis.

Maior est efficacia determinatè causam liberam; quàm necessariam.

Facilius applicatur causa determinata, quàm libera.

August.

Confirmatur sententia Augustini:

Septimò

76 *7. Ratio.* Septimò probatur idem, quantùm est ex parte causæ secundæ, & medij, non habere efficaciam necessitandi voluntatem ad actum præfatum. Eadem ratione maior est efficacia voluntatis diuinæ, quàm vllius causæ creatæ: ergo si mediante ea repugnat voluntatem necessitari effectiuè, ita etiam repugnat eandem necessitari virtute alicuius creatæ, aut eius efficacia, vt dixi, effectiuè. Probatur consequentia. Nulli causæ creatæ subordinatur voluntas essentialiter in agendo, sicut subordinatur primæ causæ, aliàs repugnaret voluntatem agere de facto sine concursu talis causæ, sicut nequit agere sine concursu Dei; loquor autem hîc de subordinatione, quæ est per influxum immediatum in effectum, non de illa, quam habet ad prærequisita, vt ad obiectum, & intellectum: nullius causæ creatæ, etiam possibilis voluntas est participatio, sicut est participatio diuinæ voluntatis, aliàs talis causa, quæcunque esset, posset se sola producere actum voluntatis sine concursu eius (dato quòd actus ille sit producibilis, & sine concursu voluntatis, vt supponimus ex prima conclusione) quia includeret eminenter virtutem productiuam voluntatis, & omnem eius efficaciam.

Non necessitatur voluntas per aliquid creatū effectiuè.

Voluntas subordinatur Deo, non alijs.

Creata voluntas participatio est diuina.

His ergo suppositis, vt clariùs procedatur ad reliquum, videndi sunt modi, quibus mediante creatura producta Deus posset necessitare voluntatem sine repugnantia ex parte potentiæ, & effectiuè; qui in vniuersum excogitari possunt duo, aut per creaturam assistentem extrinsecè; & hic modus impossibilis censetur, & impugnabitur ex impugnatione alterius, qui est, nempe imprimendo voluntati aliquod principium sui actus intrinsecum, per modum actus productiui, seu actionis; vel per modum causæ partialis dicentis necessariam, & inseparabilem connexionem cum effectu. De hoc potissimùm est difficultas, non autem de aliquo per modum actionis, quia hæc consequitur vsum libertatis; si enim partialis est, ita vt non sit totalis productio actus, exigit simultaneam actionem voluntatis creatæ: ac proinde esset posterior vsu libertatis, non prior, quod necessarium foret ad necessitandum voluntatem, vt exeat in actum: si autem totalis esset, tunc voluntas nihil ageret, sed effectus esset ab eo solo, à quo est completa, & adæquata eius actio. Si autem esset vna & eadem actio, vt aliqui volunt (quod non probo, quia dependentia effectus à causa, à qua essentialiter dependet, est alia ab ea, quem dicit ad causam, à qua est contingenter) perinde manet ratio facta, quia etiam simultaneè est ab vtraque causa, & supponit libertatem, & modum agendi voluntatis creatæ.

Modus quo necessitare tur voluntas per aliquid creatum.

Probatur itaque quòd ex aliquo per modum principij nequeat voluntas necessitari ex ratione supposita: nulla causa potest necessitare voluntatem, nisi quæ est prior; & superior ipsa essentialiter; sed hoc nulli creaturæ competit: ergo, &c. Probatur maior, eatenùs determinaret voluntatem necessariò, quatenùs ipsa in se causa est determinata ad actionem, & eius determinatio infert determinationem necessariam voluntatis, eam applicando ad effectum: ergo competit ipsi quatenùs superior est essentialiter, & prior voluntate, eam subordinans in actione. Antecedens patet in omni serie causarum essentialiter subordinatarum: v. g. causa prima, & secunda, voluntate & potentia motiua, &c. Quia causa nequit esse proximè determinata ad effectum, nisi ad eundem sit determinata causa prima, sine cuius determinatione non esset hîc, & nunc determinata causa proxima, neque motiua esset determinata ad effectum, nisi priùs ad eundem esset determinata potentia superior, vt appetitus, aut voluntas; sed nulli causæ secundæ subordinatur voluntas magis quàm primæ causæ: ergo si subordinatio ad causam primam immediata non necessitat voluntatem, vt dictum est, in præcedenti ratione; sic etiam neque subordinatio ad aliam, quæcumque sit, creatam.

Nulla creatura est superior volūtate essentialiter, vt causa.

Necessitas ex subordinatione.

Confirmatur, eatenus creatura determinaret voluntatem, quatenus ipsa creatura haberet connexionem inseparabilem cum effectu; sed maior est connexio diuinæ voluntatis iam determinata ad effectum, quàm vllius causæ secundæ, quia illa non est impedibilis, hæc autem sic, saltem non concurrente Deo; quod possibile est, vel ostendatur repugnantia, quæ difficulter inueniri potest, quin causa creata, & absoluta, & partialis non possit suspendi ab effectu absoluto: ergo per nullam creaturam ita determinari potest voluntas ad effectum magis quàm per primam: quæ tamen non infert hanc necessitatem, quæ repugnat voluntati, sed solùm infallibilitatem secuturi effectus, non ineuitabilitatem. *Confir.*

Maior connexio est effectus ad voluntatē Dei, quàm ad causam secundam.

Octauò: Illa maior connexio fundaretur in virtute & efficacia causæ, vel in sequela necessaria effectus secundùm exigentiam prioris, & posterioris. Tertius modus non est imaginabilis: sed neutrum dici potest: ergo, &c. Probatur minor, illa est efficacior causa, quæ se sola effectum potest ponere, quàm illa, quæ nequit se sola ponere effectum, sicut efficacia totalis excedit efficaciam, & virtutem causæ partialis; sed voluntas cum omnibus requisitis, & concurrentibus de facto secundùm potentiam ordinariam potest ponere quamcunque volitionem, nihil aliud prætereà exigens; nulla autem alia causa creata concurrentibus etiam quibuslibet seclusa voluntate illam potest ponere: ergo maior est efficacia voluntatis quàm illius principij quantùm ad efficaciam in virtute, & actiuitate fundatam. Qui ponunt prædeterminationem physicam ad singulos actus voluntatis, negarent voluntatem posse habere effectum sine ipsa: contra quos suo loco disserendum est particulariter; nunc autem sequemur communem opinionem, & saltem in actibus indifferentibus voluntatis non videtur fundamentum illud asserendi. 77 *7. Ratio.*

Maior efficacia voluntatis quàm vllius creati in ordine ad volitionem.

Responsio. reiicitur.

Probatur ergo eadem minor quoad aliud membrum de sequela necessaria effectus. Ad voluntatem potest sequi volitio sine tali principio; ad tale autem principium sine voluntate non sequeretur: ergo ex vtroque capite maior connexio est inter voluntatem, & volitionem, quàm inter tale principium, & volitionem: ergo ex nulla connexione, quam habet ad effectum, necessitare potest voluntatem.

Confirmatur eadem minor, sumendo principium illud, quod est intrinsecum voluntati, & supponendo illud principium agendi esse accidens intrinsecum voluntati. Quidquid dependet in *esse* à voluntate, dependet etiam in *operari*, quia operatio sequitur *esse*, & eius dependentiam per se; sed quod dependet à voluntate non potest ipsam necessitare, quia tolleret modum eius naturalem agendi; saltem, hoc est contra naturam posterioris, & dependentis variare naturam prioris 78 *Confir.*

Principium intrinsecum agendi non necessitat voluntatem

ris, vel quod ipsi ex se competit, quod supponit, & perficit; vel saltem non destruit, nisi sit ei violentum, sicut calor aquæ, qui tendit in eius corruptionem; hoc autem non conuenit tali principio, quod voluntati inest in ordine ad actum secundum, ad quem dicit inclinationem naturalem.

Responsio reiicitur. Et si dicas violentari actiuè; hoc impropriè dicitur, si sumatur *violentum* propriè, & in rigore, quod sic dicitur respectu passi. Deinde, nulla violentia infertur voluntati, sed necessitas, quia non extrahitur ad producendum illud, quod non includit in sua virtute actiua, necessitas autem & violentia differunt.

Responsio reiicitur. Et si dicas violentari quoad modum, quia non liberè producit. Hoc etiam non subsistit, quia non nata est voluntas agere contra inclinationem causæ superioris aliter quàm ab ipsa applicatur: tale esset illud principium, si daretur, quia perfectè prædominaretur voluntati: exclusa ergo hac responsione, quæ desumi posset ex natura *violenti*.

Responsio. Dices quòd voluntas est prior in ratione subiecti, non autem in ratione agentis.

Impugnatur. Contrà, ideò voluntas est capax accidentis per modum principij, quia ordinatur ad actionem vt principium: ergo quidquid aduenit ipsi in actu primo, non destruit modum naturalem eius, quo fertur in obiectum, aliàs esset contra finem eius, & inclinationem voluntatis, quam perficere ex fine suo debet: voluntas autem vt potentia vitalis perficitur in ordine ad obiectum, & inclinatio eius passiua ad actum subordinatur suæ actiuæ, per quam fertur in obiectum, & consequenter quidquid recipit vt subiectum in ordine ad actionem non destruit, neque destruere potest modum, quo in obiectum indifferens, & indifferenter propositum est liber, & indifferens: ergo nequit tolli per aliquod principium creatum superadditum effectiuè. *Modus naturalis agendi saluatur in voluntate.*

79 *Nona ratio.* Nonò nihil magis videtur determinatè actum secundum voluntatis respicere quàm: v. g. gratia actualis, habitus charitatis, inclinatio potentiæ ad summum bonum, clara Dei visio, notitia legis; sed hæc simul non necessitant voluntatem in via, neque secundùm nos in patria: ergo nihil aliud creatum videtur possibile, quod eam necessitat per modum principij: maior probatur, quia nihil intrinsecum voluntati est superius voluntate, & gratia quo ad ordinem determinatum ad bonum, qui talis est in his, vt nequeat vitiari saltem in habitu charitatis; sed si daretur aliqua alia causa, quæ necessitaret voluntatem ad amandum, sequeretur quòd inclinatio charitatis ad bonum non esset perfectissima, quantumcunque intenderetur charitas, quia aliter non determinat ad bonum nisi contingenter medio consensu libero voluntatis: illa autem alia esset necessitans voluntatem ad bonum ineuitabiliter: sed nulla ratio cogit admitti vllam qualitatem, quæ magis inclinat ad bonum, quàm charitas. Confirmatur, si voluntas necessitaretur per talem qualitatem, sequeretur quòd de nolente fieret volens. Hunc autem effectum refert Augustinus in solam omnipotentiam Dei, non destruendo etiam libertatem voluntatis, suprà citatis locis. Probatur tamen sequela, quòd necessariò determinat ad effectum, necessariò delet omne incompatibile, & quodcunque impedimentum; nolitio autem est talis respectu volitionis eiusdem obiecti inducendæ: ergo, &c. Quod tamen repugnat; quia voluntas est magis determinata per nolitionem elicitam ad obiectum, quàm possit esse per principium aliquod creatum in actu primo consideratum ad volendum determinata sine proprio consensu; quæ ratio magis viget, si ponatur radix libertatis in intellectu; & ex altera parte non variari modum proponendi obiectum, sed permanere semper eandem cognitionem, ad quam sequitur volitio: immutare autem intellectum nequit aliquid, quod est principium in actu primo in voluntate, neque etiam obiectum immutatur, accedit in voluntate volitio obiecti determinata: ergo per tale principium nequit necessitari voluntas ad nolitionem eiusdem, aut reduci de volente in nolentem.

Non necessitatur voluntas per gratiam. *Ordo determinatus charitatis ad bonum.* *Confirm.* *Nulla causa creata potest facere voluntatem de nolente volentem sine ipsius consensu libero.*

Decimò. Omnis causalitas creaturæ effectiua est contingens: ergo nulla causa creata inseparabiliter infert effectum. Antecedens patet, quia dependentia creaturæ ad Deum efficientem est sola essentialis, & inseparabilis: ad causam verò secũdam separabilis, & contingens (& loquor de effectu absoluto, & perfecto) quia & hæc requirit concursum Dei, vt agat, qui non necessariò, sed liberè datur, ac proinde effectus erit simpliciter contingens in *esse*, & separabilis à causa proxima. Deinde, effectus ipse à solo Deo potest produci, ac proinde non dicit dependentiam essentialem à causa secunda; sed nulla causa creata potest maiori necessitate determinare alias causas ad effectum, quàm ipsa in se sit determinata: ergo nulla causa creata determinare voluntatem ad effectum, nisi tantùm contingenter, sed talis determinatio nequit voluntatem determinare nisi solùm liberè: ergo nullo modo necessitare. Patet minor cum consequentia, quia, ideò tali principio conceditur virtus necessitandi voluntatem, quia supponitur ipsum habere inseparabilem connexionem cum actu, quod est falsum ex dictis, quia non se habet ad effectum aliter, quàm ex genere causæ creatæ in vniuersum ei competit, quod est contingenter causare. Neque responderi potest per instantiam de relatiuis, quia agimus de effectu absoluto, qui est immediatus terminus productionis, aut esse potest. 80 *Decima ratio.* *Dependẽtia effectus ad causam secundam est contingens.* *Ordo contingens causæ creatæ ad effectum nequit necessitare voluntatem.*

Confirmatur, ex opposito sequerentur duo contradictoria simul, si illa qualitas esset inseparabilis ab effectu: quia possunt esse simul duæ præmotiones, seu talia principia, quorum vnum esset determinatè ad volendum, aliud ad nolendum idem obiectum. Tunc neque volitio & nolitio seorsim, neque simul esse possint. Probatur tamen sequela, inter duas illas præmotiones in actu primo nulla esset contradictio formalis, sed tantùm virtualis ratione effectuum. Hæc autem non repugnat esse simul, sicut non repugnat habitus charitatis, & vitij, & in ipsa voluntate inclinatio ad volendum, & nolendum idem obiectum. Deinde, quia actus volendi magis repugnat principio determinato nolendi, quàm principium determinatum volendi idem: formalis enim volitio magis opponitur nolitioni virtuali quàm volitio virtualis, quia magis hæc oppositio accedit ad extrema contradictionis quàm alia, & quia omnis oppositio virtualis est propter formalem, quæ consequitur; sed potest esse simul actus volendi cum habitu nolendi: ergo & principium illud nolendi cum principio volendi. Deinde, nulla est repugnatia nisi ratione 81 *Confirm.* *Inconueniens quod sequitur ex opposito.* *Principium volendi, & nolendi possunt esse simul*

ne effectuum, & actionis, qui suspendi possunt à Deo non concurrente.

Responsio reiicitur. Si autem dicas esse repugnantiam formalem inter ipsa: vnde hoc colligatur? quia nequit colligi ex suis effectibus, respectu quorum illa principia sunt æquiuocæ causæ, non vniuocæ: neque aliunde fingi potest. Secundò, potest Deus conseruare volitionem priùs productam in voluntate, supplendo causam, ad quam sequi potest, vel liberè, vel necessariò, & cum hoc producere principium quodcunque possibile determinans ad nolitionem. In eo casu non coniungetur cum suo effectu, neque necessitabit voluntatem vlla ratione ad actionem, quæ in sensu composito volitionis conseruatæ nequit poni. *Principium separari posse actione.* Deinde, potest Deus suspendere cognitionem requisitam ad actum talis principij conseruato ipso in voluntate; vel potest agere cum voluntate secundùm modum eius connaturalem ad oppositum actum, aut liberè eliciendum, non coagendo tali principio. In his omnibus non videtur vlla repugnátia, nisi fingamus volútariè ex præoccuppata opinione rationes particulares inesse eidem principio, secundùm quas excedit genus causæ creatæ, quod rationi non cohæret. Ex his ergo colligitur non esse contradictionem quòd ponatur quodcunque principium in actu primo possibile inesse voluntati cum suspensione actus, quia omnes rationes, quibus probatur communiter contra Henricum posse stare visionem beatificam cum suspensione fruitionis, aut contra alios iudicium quodcunque determinatum in intellectu, absque eo quòd sequatur electio in voluntate, & sic de reliquis quæstionibus similibus, concurrunt eadem accidentia in proposito. Colligitur etiam non dicere illud principium inseparabilem connexionem ad effectum, qua ratione tantùm dicitur inferre posse necessitatem voluntati. Possent etiam plura hîc quæri de natura illius principij, sitne permanens, aut transiens, & similia: sed non refert hîc examinari aliud, quàm eius efficaciam, & connexionem cum effectu.

Vltima ratio. Vltimò denique patet conclusio ex impugnatione modorum, quibus aliqui docent hanc necessitatem inferri posse voluntati. Primus modus est, ex propositione determinata obiecti amittit voluntas indifferentiam suam ad illud in exercitio; Deus autem potest ita iudicium formare in intellectu determinatum: ergo necessitare voluntatem: sed hic modus cum doctrina in qua fundatur, aliàs impugnatur agendo de radice libertatis, & tollit sensum quæstionis, qui supponit obiectum indifferenter proponi. *Varij modi adstruendi oppositam sententiam reiiciuntur.* Secundus modus est, si imprimatur voluntati aliqua qualitas, aut habitus eam necessitans. Hic modus iam impugnatus est, quia talis non subordinat voluntatem vt necessariò agat, sed è contra subordinatur eius libertati. Tertius modus est Deum posse substrahere concursum voluntati ad omnem actum præter vnum, quem in eo casu nequit non producere, quia ab intrinseco nequit suspendere omnem actum circa obiectum; qua ratione multi negant dari posse puram omissionem; quæ sententia sequitur ad aliam, qua radix libertatis, & determinationis voluntatis in agendo statuitur in intellectu. Hic modus aliàs est impugnatus, & non sequitur ex eo necessitari voluntatem, quia licèt ageret determinatè illum actum, non sequitur eum agere aliter quàm modo suo connaturali, & liberè quoad exercitium, licèt necessariò quoad specificationem.

Modus quem statuit Suarez necessitandi voluntatem. Suarez tandem dicit hanc necessitatem fieri tam per concursum diuinum per modum actionis, quàm per decretum efficax, & absolutum, quo voluntas diuina determinat sic actum procedere à voluntate necessariò. Tum quia efficacia, & natura talis concursus trahit secum influxum causæ secundæ: quod confirmat exemplo de instrumentis diuinis: v. g. aqua, quæ quidem vt applicata corpori, non solùm non necessariò confert gratiam animæ, sed nequit etiam conferre: vt autem eleuatur à Deo necessitatur, vt eandem confert per potentiam obedientialem.

Hic modus non videtur sufficiens, quia vt 83 per efficaciam voluntatis diuinæ possit voluntas necessitari ad obiectum, ad quod est indifferens, & ad actum circa ipsum probandum erat; sic agere non repugnare voluntati, sicut repugnat causæ naturali, vt per eandem efficaciam agat liberè, quia is modus agendi repugnat eius formæ; non minùs autem repugnat voluntati vt agat necessariò circa obiectum indifferens, vt probatum est. *Reiicitur.* Deinde, efficacia illa diuinæ voluntatis supponit virtutem, & modum agendi in causa, vt possit ea vti in ordine ad effectum. Hæc autem commensurantur ad inuicem: quia modus agendi est ipsa virtus causæ in exercitio prout intrinsecè, & ex sua differentia limitata est ad talem modum: Si quæras cur effectus est liber; nequit assignari alia causa, nisi quia causa, à qua procedit, est libera formaliter, & intrinsecè: destructo ergo modo connaturali causæ, destruitur virtus causæ; & sicut Deus nequit vti ad actionem, cui nulla inest virtus agendi, nisi ei communicet virtutem, quæ sit principium agendi (implicat enim vt agat quod non est actiuum sicut implicat, vt producatur quod non est possibile, & in eodem gradu implicantiæ per contradictionem immediatam) ita implicat vt actiuo vtatur, nisi secundùm modum agendi connaturalem, qui in voluntate est indifferentia respectu obiecti indifferentis. *Vsus causæ supponit in ea virtutem.* Ostensum est autem *suprà* efficaciam diuinæ voluntatis non destruere virtutem, aut modum agendi causæ inferioris, sed potiùs perficere in ordine ad effectum determinatum, ad quem ea vtitur, & supponere. Nec sufficit vt effectus in se absolutè sit possibilis ad hoc vt sit possibile eum produci per quamcumque causam; quia nec volitio per intellectum, nec intellectio per voluntatem produci potest; neque fieri potest, vt volitio producta per voluntatē, non sit actus vitalis; & ad bonum.

Alia ratio huius assignari nequit, nisi iam data nempe ex ratione particulari causæ, quæ sicut in *esse* limitata est, ita & in virtute, & modo agendi similiter, quam in ipsa supponit causa superior: talis autem est libertas in voluntate.

Vel si dicatur contrarium quæro Theologicè. 84 Vnde conuinci possit Deum non vti voluntate ad actus quosdam cum tali necessitate, cùm non desint Scripturæ loca plenum eius dominium explicantia in voluntatem, quantùm ad mutationem cordis, quantùm ad obdurationem, & obcæcationem, quantùm ad deceptionem Pseudo-prophetarum, quantùm ad conuersionem peccatorum, quantùm ad legem concupiscentiæ, & eiusmodi, nisi explicentur per alias Scripturas, in quibus admonemur libertatis nostræ, quæ ab intrinseco

Inconueniēs. Sequitur ex opposito.

intrinseco supponitur inesse nobis tanquam principium connaturale eligendi in creatura rationali,& extendêdi manû ad quodcunque vult, siue bonum,siue malum. Nam quòd Deus supra naturam quandoque agat, & secundùm potentiam absolutam,nulli est dubium. Vnde constat non sic agere respectu voluntatis quandoque & in casu, quod est contra fidem asserere, & perplexum facere hominem in viis suis, sicut in simili deducitur circa infallibilitatem fidei, & Scripturæ canonicæ.Nam si admitteretur Deum posse mentiri, tolleretur fundamentum certitudinis fidei nostræ: videtur ergo similiter si admittatur volûtatem posse necessitari in ordine ad obiectum, & actum suum indifferentem induci perplexitas, & aperiri via nouatoribus, vt fulciant apparenter suos errores de necessitate liberi arbitrij in operando, quod inconueniens est fugiendum, maximè cùm nullum sit argumentum, quo contrarium conclusionis nostræ conuincatur;neque ex omnipotentia Dei, neque ex natura,& subordinatione voluntatis: & sit expressa sententia antiquiorum Theologorum, & D.Bernardi, & Augustini, & eam maximè probant Patres, aut supponunt quotquot fidei dogma de libero voluntatis arbitrio deffendunt contra antiquos hæreticos. Hic autem author, & cæteri moderni, qui contrarium asserunt magis,quàm probant, in hoc tacitè collimare videntur, vt concludant ad propositum illius controuersiæ de concursu Dei, & efficacia gratiæ prætendentes præmotionem physicam, & decretum Dei absolutum inferre necessitatem voluntati, si sit sine præuiso vsu liberi arbitrij, inde transferentes quæstionem ad potentiam Dei absolutam, qua astruant voluntatem necessitari posse,& reducentes discursum ad eadem principia,quibus alij Doctores subordinationem voluntatis creatæ, & efficaciam diuinæ voluntatis astruunt sine præiudicio libertatis. Alij autem etsi necessitatem suppositionis admittunt in voluntate creata ex iudicio practico, aut imperio intellectus,aut præmotione Dei, non egrediuntur limites suos, sed negant voluntatem suppositis requisitis ad libertatem posse necessitari absolutè circa ea, ad quæ est indifferens ex se; ac proinde nobiscum in conclusione sentiunt, licèt in modo probandi,aut astruendi libertatem aliter procedant ex propriis principiis,quibuscum aliàs & hìc etiam ex parte disseruimus.

Prætextus operandi quorundam.

85 Quod reliquum est, ista instantia de instrumentis diuinis,aliò transfert quæstionem: nam hìc agimus de voluntate, vt agit secundùm rationem particularem,& vt causa principalis,quà principalis dicitur in rigore distincta contra instrumentalem, an sic possit efficacia diuinæ voluntatis,aut alterius causæ determinari,vt necessariò agat in suo ordine ad effectum connaturalem suum:non autem ad effectus supra naturam, neque secundùm potentiam obedientialem mota. Deinde,verius est non dari talem potentiam obedientialem physicam in creatura,& communius,sicut verius putamus sacramenta non habere virtutem physicam, aut communicatam ipsis, vt multi dicunt, & magis apposité ad principia Peripatetica, aut certè innatam obedientialem,quam pauci statuunt, cuius disserendi locus est,quando agitur de instrumentis diuinis, aut coniunctis, aut separatis, nempe de virtute humanitatis assumptæ in ordine ad opera supernaturalia, aut sacramentorum in ordine ad suos effectus.

Instantia allata de instrumentis extranea est quæstioni.

Potentia obedientialis non datur.

Interim hoc argumentum, quà fundatur in prædicta instantia, hæret in incerto & minùs probabilis quòd negatur;neque magis vrget,quà reducitur ad decretum absolutum Dei,etiam antecedens præuisum vsum liberi arbitrij; in exercitio verò concomitans, quia illud decretum sicut est de possibili,aliàs non esset decretum, hoc est efficax determinatio diuinæ voluntatis, sic etiam respicit, & inuoluit voluntatem creatam, prout nata tantùm est operari mediante suo libero consensu,& sic est consequens voluntatem, aut concomitans pro instanti determinationis & productionis actus, nullo modo necessitans, in quo consistit eius vsus,& subordinatio ad Deum, qui potest ea vti, eámque pro libito applicare ad omnem effectum,quem includit, & cuius determinatio non repugnat esse à voluntate diuina positiuè. Quod dico propter pactum malum, qui est à Deo permissiuè, vt infrà differetur. Ex his patet ad fundamenta particularia Suarez, & aliorum, prout astrui potest ostensiuè possibilitas necessitandi voluntatem; reliquum est vt respondeamus ad fundamenta communia.

Decretum Dei antecedens, & concomitans sub diuersa ratione.

Obiicit Suarez in Prolegomenis citatus,quòd Patres, & Concilia definientes contra Hæreticos,damnarunt eos, quia de facto negauerunt libertatem,non quia iudicant impossibile esse necessitari voluntatem, sed quia secundùm potentiam ordinariam, & dispositionem sapientiæ diuinæ suauiter voluntas agitur vt liberè coagat. 86

Obiectio.

Respondetur in primis, sicut dictum est, discursum Patrum,& intentum, magis supponere oppositum, qui asserunt libertatem ex natura conuenire craturæ rationali, & in creatione eam simul cum ipsa natura accepisse, non vt donum, superadditum; quamuis concedant Deum potuisse ita efficere hominem, & Angelum,vt peccare non possint,aut deficere in exercitio, & vsu suæ libertatis, sua gratia non necessitate operandi. Vide Augustinum de correptione & gratia cap. 10. Enchirdij cap.98. *Saluberrimè confirmatur, quòd rectissimè credimus Deum. Dominúmque rerum omnium,*&c.*Sic ordinasse Angelorum, & hominum vitam, vt in eis priùs ostenderet quid posset eorum liberum arbitrium; deinde quid posset sua gratiæ beneficium, iustitiaque iudicium*, &c. Quæ supponunt liberum arbitrium in ipsis à natura esse.Vnde illa côtrapositio frequens apud Patres naturæ,seu liberi arbitrij ad gratiam,sicut gratię ad legem, qua vtuntur contra Pelagianos, & Semipelagianos, quà etiam vtitur Tridentinum *sess.6.cap.1.& canon.*1.supponit hunc esse modum naturalem operandi hominis secundùm voluntatem, non donum superadditum; in quo etiam distinguunt ipsum à bruto, docentes cum Scriptura ad imaginem, & similitudinem Dei factum: si ergo bruto ita naturale est operari necessariò, vtne quidem per potentiam Dei absolutam liberè operari possit ab intrinseco, sicut nec esse rationale, vnde colligi potest ex doctrina Patrum homini possibile esse necessariò operari circa ea, ad quæ est liber, suppositis requisitis ad libertatem? Magis ergo doctrina Patrum supponit conclusionem nostram quàm ei aduersatur. Deinde iam citauimus Patres pro conclusione, & citari possunt quotquot peccatum contra Manichæos in voluntatem nostram, non in necessitatem intrinsecam, aut extrinse-

Responsio.

Sententia Patrum de libero arbitrio.

cam refundunt: quia supponunt eam necessitari non posse, ad malum saltem; neque Deum esse authorem mali posse. Si Deus autem posset necessitare voluntatem nostram; quæ implicantia esset, quin possit eam necessitare ad malum materialiter sumptum, quod imputari non posset?

87 *2. Obiectio.* Obiicies secundò oppositum non inuoluere contradictionem ex ratione desumpta ex diuina omnipotẽtia, & subiectione essentiali creaturæ ad ipsam. In sententia autem August. *Enchiridij c.98.* potest Deus quia omnipotens est, mutare voluntatem hominis, quando voluerit, & vbi voluerit.

Responsio. Respondetur ex fundamentis positis, quòd neque vsus actiuus voluntatis, neque subiectio eius ad Dei omnipotentiam, hunc modum agendi inferat; neque efficacia diuinæ voluntatis, quæ omnia reducuntur ad limites possibilis. Prout autem noster Doctor, & rectè *in primo dist.* 43. radix formalis impossibilitatis debet primùm desumi à repugnantia eius, quod dicitur impossibile. Ita radix formalis possibilitatis debet etiam desumi in ordine ad non repugnantiam rei possibilis, quia quod in se repugnat absolutè, repugnat etiam respectiuè ad quamcumque causam: neque ideò chimæra est impossibilis, quia Deo deest potentia ad eius productionem: sed ideò in Deo non est talis potentia, quia chimæræ repugnat esse. Oportet ergo primùm probare non repugnare voluntati agere necessariò circa indifferens, quà tale, & quà indifferenter propositum, antequàm concludatur cadere sub obiecto omnipotentiæ, quæ est tantùm ad possibile.

Radix impossibilitatis, & possibilitatis desumitur ex natura extremorum.

Obiectum omnipotentiæ.

Replica. Et si dicas non apparere repugnantiam ex parte voluntatis, quin possit sic necessitari.

Soluitur. Respondetur iam ostensam esse repugnantiam, quæ etiamsi non appareret, argumentum non concludit ostensiuè eam non esse, quia ex non apparentia non rectè concluditur non esse in multis, quæ in hoc statu imperfectè cognoscente non apparent. Ex iis autem, quæ cognoscuntur, procedendum est certiùs, quàm ex incognitis, aut ex mensura cognitionis præsentis, quasi ea esset perfecta rei comprehensio.

Non rectè argui non repugnantiam ex eo quòd nõ appareat.

Quod autem adducitur ex Augustino, non facit ad propositum, quia ibi Augustinus loquitur de conuersione à malo in bonum, iuxta illud *Cor Regis in manu Domini est*, & explicat illud Matthæi 23. *Quoties volui congregare filios tuos*, &c. & *de correptione, & gratia cap.* 10. docet in potestate Dei esse voluntates hominum magis, quàm in propria cuiusque; vbi agit semper de voluntate liberè agente, & consentiente Deo.

88 *3. Obiectio.* Obiicies tertiò; intensio necessitat ad electionẽ: ergo non repugnat voluntati effectiuè necessitari.

Responsio. Respondetur, quidquid sit de antecedente, distinguendo consequens secundùm suppositionem, quæ sequitur ex consensu ipsius voluntatis, transeat; absolutè verò, negatur consequentia; quamuis hæc necessitas potiùs dici debeat formalis, quàm effectiua: necessitas ad electionem prouenit ex intentione, quæ est finis in ordine ad media, & implicita volitio ipsorum mediorum; est enim finis ponendi in *esse*, ac proinde respicit causas per se finis; intentio ergo per modum formæ inducit illam necessitatem voluntati. Dici vlteriùs potest quòd qui vult amore absoluto, & efficaci finem, & bonitatem eius, vult etiam eandem saltem indeterminatè, si plura sunt media, in ipsis mediis, in quibus non est alia bonitas respectiuè ad voluntatem sic intendentem præter bonitatem finis, & sine quibus non stat possibilitas finis, sicut neque veritas principij destructa veritate conclusionis: cuius hæc est partialis quædam veritas, vt docet Doctor *in* 1. *dist.* 1. *quæst.* 5. §. *Istis rationibus*, *in fine.* Vnde huc referri, & accommodari potest illud Philosophi 2. Physicor. textu Comm. 89. *Sicut se habet principium in speculabilibus ita finis in operabilibus*, licèt illud de veritate principij, & conclusionis habet specialem difficultatem, quam iam non licet examinare.

Quomodo necessitat intentio ad electionem.

Amans finẽ amat media.

Obiicies quartò. Si Deus ageret ad extrà necessariò, tolleretur omnis contingentia in rebus, vt probat Doctor contra Philosophos *in* 1. *dist.* 2. *q.* 2. §. *Ostenso esse de proprietatibus relatiuis, ratione* 3. & *distinct.* 8. *quæst.* 5. § *Secundò arguitur sic. distinct.* 39. §. *Tertia positio dicit*, &c. *quodlib.* 21. in serie causarum subordinatarum essentialiter, si prima necessariò agat, reliquas etiam necessariò agere. Hinc celebris illa controuersia inter nostros, & discipulos D. Thomæ 1. *part. quæst.* 14. *art.* 13. Vnde desumi debeat radix contingentiæ in rebus an à prima, an verò à secunda causa? quidquid autem sit de hac controuersia, argumentum sic formari potest ad propositum: Non est minùs efficax voluntas diuina liberè agens, quàm si necessariò ageret, neque sic agens magis subiicit sibi voluntatem creatam, quàm de facto potest subiicere; quia est eiusdem virtutis infinitæ: si valet ergo consequentia Doctoris contra Philosophos, valet similiter in proposito. 89 *Obiectio 4.*

Ex principiis Doctoris.

Hoc argumentum exigit longiorem tractatum circa mentem Doctoris inuestigandam, & circa veritatem illius consequentiæ, an causa prima necessariò agens tollat contingentiam in rebus. Tres potissimùm rationes vrget Doctor præfatis in locis contra Philosophos. Prima est, quòd causa mouens inquantùm mouetur, si necessariò mouetur, necessariò mouet. Secunda ratio, quòd causa prima priùs naturaliter respicit effectum, quàm causa secunda: ergo si ageret naturaliter in illo priori, produceret effectum, & causa posterior nihil ageret. Tertia ratio, quòd causa prima se sola possit producere quidquid producitur à causis secundis: ergo si naturaliter produceret, sequeretur quòd totum produceret. Secunda, & tertia ratio, quæ tribuunt omnem efficaciam respectu effectus causæ primæ, nihil probant contra nos, neque contingentia sublata à rebus per hunc modum agendi probat voluntatem necessitari quantùm ad producendũ actum, à quo cessat per impedimentum, quia præueniretur à causa superiore applicata secundùm vltimum suarum virium ad productionẽ effectus, qui non est capax vlterioris influxus à causa secunda, quia totalem, & adæquatum recipit à causa prima sic producente. Vt cõmunis docet eundem effectum non posse produci à duabus causis totalibus in actu secundo, & eodẽ genere causandi: causa autẽ prima in eo casu ageret vt particularis, quia sicut cõtinet virtutem causandi reliquarum, sic etiam suppleret reliquas particulariter agens secundùm vltimum potentiæ. *Responsio*

Declaratur mens, & scopus Doctoris.

Rationes eius contra Philosophos.

2 & 3. ratio non spectant ad præsen.

Nec instantia de actu peccaminoso quidpiam vrget, qui licèt nequit esse à Deo quà talis est, vel quà arguit imperfectionem in causa; tamen in eo casu non esset possibile peccatum, aut defectus in natura, Deo ad vltimum potentiæ agente per modum naturæ, aut necessariò: quia ageret semper ad perfectionem, & sine defectu in effectu. *Si Deus necessariò ageret, tolleretur peccatum.*

Hæc

Hæc argumenta Doctoris supponunt omnipotentiam Dei ea ratione, qua attribuitur à Theologis, secundùm quòd est credita habere in virtute sua immediatè effectus, & efficaciam causarum inferiorum.

Obiectio. Si vrgeas quòd Deum agere naturaliter, & necessariò ad extra (sumendo hæc synonymè, & causam latè, prout extenditur ad voluntarium, & quod non est indifferens) non tollit virtutem agendi causis inferioribus: ergo neque subordinationem ad primam causam, neque ipsi primæ causæ potestatem applicandi quamlibet inferiorem, iuxta virtutem innatam, & consequenter voluntatem, vt agat libere, si aliter nequit agere circa indifferens saltem. Et sic non concludit secundum, & tertium argumentum Doctoris.

Responsio. Respondetur quantùm ad intentum argumenti concludere in opinione, quam hactenus impugnauimus, tolli contingentiam in rebus: nam si voluntas necessitari potest, vt alij affirmant, per causam primam, de facto etiam circa indifferens, tunc à fortiori sequeretur eam necessitari quia à diuina omnipotentia agente, & applicante eam secundùm vltimum virium suarum adhiberetur eadem efficacia, quam de facto præfati authores asserunt possibilem esse applicari: quia temperamentum concursus diuini nullum esse posset tota virtute omnipotentiæ ab intrinseco determinata ad agendum necessariò.

Si Deus ageret necessario, tolleretur contingentia in rebus.

2. Responsio. Respondetur etiam absolutè rationem Doctoris vtrumque concludere ex iam dictis superiùs, quia licèt non tollitur, ex modo agendi dicto causæ primæ, virtus agendi causæ secundæ creatæ, quæ sequitur ad suam formam: non esset tamen virtus agendi proxima, sed remota vt comparatur ad extrinseca per se requisita, quorum vnum est & essentiale concursus causæ primæ vniuersalis, vt vocant, & attemperatus concursui causæ inferioris, qui concursus, vt comparatus ad effectum, licèt totalis sit in genere causæ vniuersalis, & primæ: non tamen est totalis in genere causæ efficientis, quia aliàs tolleret concursum causæ particularis; effectus enim non est capax duarum productionum totalium, quarum quælibet est adæquata, ita vt desinente altera, nihilominùs produceretur effectus: & sicut nequit duas totales terminare, quia alterutra excedit capacitatem effectus, sic etiam neque totalis ab vna causa, & partialis ab altera; quia eadem ratio excessus inuenitur, quia superabundat quilibet concursus supra totalem. In casu autem dato, quo Deus ageret necessariò ad extrà, omnis actio eius esset particularis & adæquata effectui: nulla autem vniuersalis, aut quasi partialis, quam exigit causa secunda vt proportionatam sibi, ad hoc vt possit agere; ac proinde in casu non esset in potestate agendi proxima, vt causa secunda est dependens à prima per concursum proportionatum; qui concursus sicut non esset possibilis ex parte causæ primæ, sic etiam neque agere in causa secunda deficiente termino suæ dependentiæ in actu secundo. Vnde sequitur negandum esse tum in potestate Dei fore applicare causas secundas ad actionem, sicut nec concurrere cum ipsis concursu proportionato.

Idem effectus nequit terminare duos concursus totales, & adæquatos.

Tolleretur concursus generalis Dei, si ageret necessariò ad extrà.

90 *1. Ratio Doctoris.* Prima autem ratio Doctoris contra Philosophos magis vrget, ex qua aliqui eum deducunt in classe asserentium prædeterminationem physicam.

Respondetur tamen reseruando in suum locum longiorem discussionem huius quæstionis; quòd illam rationem proponit Doctor ad hominem ex principiis Philosophi, non autem ex propria assertione: vnde *in 1. dist. 2. quæst. 2. §. Ostenso esse de proprietatibus relatiuis*, &c. Vbi instat pro Philosophis ad prædictum argumentum, dicit quòd antecedens concessit Philosophus: scilicet aliquid contingenter fieri in rebus, & negauit cõsequentiam, scilicet Deum agere ad extrà contingenter. Paulò autem inferiùs respondens ad secũdam instantiam: *Nunc dico*, inquit *quòd Philosophus non potest negare consequens, saluando antecedens per motum, quia iste totus motus necessariò est à causa sua, qualibet pars eius necessariò causatur, quando causatur, & ineuitabiliter, ita quòd oppositum non posset tunc, & aliter causari, & alterius quod causatur per quamlibet partem motus, necessariò causatur*, &c. Hæc Doctor. Vbi aduertendum est ex *distinctione octaua, quæstione quinta. §. De intentione istorum Philosophorum*, &c. Quòd in motu posuerit Philosophus duo, vniformitatem, videlicet in toto mobili, & motu, propter necessarium ordinem eius ad causam primam, seu mediatum, seu immediatum. Hic motus vniformis est motus primi mobilis ab oriente in occidentem, qui dicitur diurnus, éstque vniformis, & inuariabilis; respectu autem huius motus vniformis nulla est in effectibus contingentia. Contingentia autem in effectibus est ex difformitate partium motus: hinc Philosophus 1. *de generatione* ait Solem in signo Zodiaci secundùm quòd est in alio, & alio signo aut minuto habere operationes diuersas. Ex diuerso ergo concursu Solis, & aliorum Planetarum, & Stellarum oritur difformitas in partibus motùs sempiterni, & hinc in inferioribus contingentia. Hinc autem vrget rationem illam Doctor ex propriis contra Philosophum, & modo, quo statuerit contingentiam: quòd nempe sicut motus in toto est necessarius, ac proinde nequit esse causa contingentiæ, sic etiam motus in partibus eadem necessitate fit: ergo sequitur, quidquid mediante ipso mouetur, & consequenter necessariò mouet: quod est argumentum ad hominem; nam si statuit necessitatem in motu totius, quia vniformiter se habet ad ipsum causa prima, & proxima, quæ est Intelligentia, quæ necessariò mouet cælum, eadem ratione & partes cæli, vt Sol, necessariò mouentur: ergo & quidquid mediante Sole mouetur, necessariò mouetur, & non contingenter. Hinc Doctor ait Philosophum non posse consequentiam negare, saluando antecedens per motum, id est, contingentiam in rebus.

Soluitur. Est ex principiis admissis à Philosophis.

Opinio Philosophi circa motum.

Differit Doctor ex propriis Philosophorum non ex propria sententia.

Accedit ad hoc quòd Philosophus non diceret consequenter causam primam attingere effectum causæ inferioris immediatè, sed mediatè, & quamuis posuerit ordinem essentialem causarum ad primam, eam tamen mediante motu posuit. Videatur Doctor *quodl. 7.* ex quo patet argumentum esse ex principiis Philosophi retortum in ipsum, non autem ex assertione Doctoris.

Quod verò non sit secundùm principia Doctoris, aut doctrinam eius, patet; quia in *4. d. 13. quæst. 1. art. 3. & d. 43. quæst. 3.* negat motionem causæ primæ esse aliquid receptum in causa secunda: & si esset, docet *in 4. d. 49. q. 6.* tolli per hoc libertatem, docens voluntatem non posse per habitum, id est, per aliquam qualitatem necessitari effectiuè, quia est libera, & superior in suo ordine causandi. 91 *Vera sententia Doctoris.*

Ad illud quod adducitur *ex quodl. 21.* Respondetur rectè probare libertatem specificationis tolli: quia si causa superior sit determinata ad vnum, causa inferior nequit in oppositum, cùm in omni sua actione dependeat à causa superiori, quæ supponitur ad vnum tantùm determinata. Negat etiam voluntatem noueri naturaliter ab intellectu naturaliter moto, quia sic derogaret libertati, & intendit de motione voluntatis per intellectum, quæ nullo modo subesset voluntati. Nam de alia motione voluntatis, quæ subesset voluntati iuxta sententiam Henrici, & aliorum asserentium intellectum concurrere ad actum voluntatis effectiuè, admittit non derogare libertati *in 2. d. 25. & aliis in locis*, quæ *suprà* de hoc agentes citauimus, & loquitur de fortuitis hîc, quæ non sunt ex nobis; qualem negat esse actum voluntatis ex aliis principiis: si enim Deus ageret necessariò ad extrà, tolleretur libertas voluntatis, quia modus agendi in genere est participatus à prima causa, quando est perfectionis, qualis est modus agendi liberè. Vnde ex Doctore *in 1. d. 2. q. 7. §. Dico tunc ad quæstionem*, & vbi probat pluralitatem principiorum operandi per oppositos modos producendi, reduci non ad aliquod vnum in Deo, sed ad intellectum, & voluntatem. Patres etiam *suprà* citati cum Tertulliano rationem imaginis statuunt in voluntate, quà libera est: si Deus autem necessariò ageret, non esset aliquid in eo, ad quod reduceretur formaliter agere liberè, & cum dominio actus. Ac proinde hæc ratio non esset participatio aliqua primæ causæ, neque esset in creatura.

Si Deus ageret necessariò ad extrà, tolleretur libertas formalis à creatura.

92 *Responsio Reiicitur.*

Diceretur fortè reduci ad hoc, quod est necessariò agere, qui est perfectior modus agendi, & includeretur eminenter in causa prima. Hoc, quidquid diceretur secundùm errorem Philosophorum, non rectè à Theologo dicitur; quia agere liberè ad extrà statuit ex creditis conuenire Deo formaliter, non autem eminenter, aut virtualiter: quod autem formale est in Deo, est perfectio simpliciter, vt sua omnipotentia, & voluntas, qua respicit creaturas. Ideò responsio illa non est admittenda. Ex hoc ergo capite sublata perfectione simpliciter in Deo, sequitur eam auferri in creatura; vnde si voluntas non esset in Deo, neque etiam in creatura, quidquid sit an distinguatur ab ipsa essentia, vel non: quia creatura non solùm dicit ordinem essentialem ad Deum efficientem, sed etiam quà est mensura omnium, sicut ens secundùm *quid* dicit ordinem ad suum *simpliciter*, cuius est participatio; sic etiam sublata voluntate libera in Deo tolleretur libertas voluntatis in creatura. Dato ergo quòd Deus ageret ad extrà necessariò, per consequentiam sequitur tolli radicem contingentiæ in voluntate. Quòd si autem per impossibile maneret, & per impossibile etiam posset applicari à Deo secundùm virtutem innatam ad operandum remanentibus cæteris requisitis ad libertatem eius, liberè ageret: quia aliter agere ipsi repugnat; ac proinde haberet potestatem determinandi se ad actionem: aliàs repugnaret ei agere, quia aliàs cùm esset nata velle, & nolle obiectum indifferens (indifferens dico, vt secludantur controuersiæ iam transactæ, non quòd putem voluntatem determinatè agere circa aliquod) & moueretur æquè primò à causa prima necessariò agente, & secundùm extremum virium, ad quodcunque possibile fieri à voluntate circa obiectum præsens, & indifferens: sequeretur quòd æquè primò necessitaretur ad *velle* & *nolle* producendũ (quod repugnat in terminis) quia neque ex parte voluntatis sublata potestate libera eligendi, neque ex parte causæ primæ, aut sui concursus esset aliquid in actu primo, aut secundo, quod magis determinaret vnum actum produci, quàm alium; neque etiam ex parte intellectus proponentis, vt supponitur manere propositionem indifferentem, neque ex parte obiecti propositi. Vel ergo voluntas tunc nihil ageret, quod destruit intentum, vel certè ageret liberè, cùm aliter agere non posset: quia principium ex forma sua æquè primò determinatum ad opposita, nisi ab intrinseco, aut extrinseco determinetur ad alterum, nihil agit, quia sic procederet æquè primò ad opposita, quæ repugnant simul inesse. Non videtur ergo verum principium quod aliquibus Doctoribus nostræ Scholæ familiare est, videlicet quòd si Deus ageret necessariò, voluntas ex subordinatione sua ad primam causam ageret etiam necessariò: quod non est consentaneum doctrinæ nostri Doctoris, nisi aliquo modo reductum ad ea, quæ præmissa sunt. Et hæc de hac difficultate, deinceps sequemur textum.

Sublata perfectione simpliciter à Deo tollitur à creatura.

Si per impossibile Deus ageret necessariò, & voluntas maneret libera, ageret liberè, & non necessariò.

SCHOLIVM.

Refutat D. Thom. asserentem beatitudinem mensurari æternitate, probans mensurari æuo; de quo actum est 2. dist. 2. quæst. 4. vbi & quæst. 1. & 3. agit de æuo.

D. Thom. præsenti dis. art. 1. q. 2. sol. 3. quæstiuncul.

1 DE secundo dubio, scilicet qualis sit illa perpetuitas, patet quòd non est perpetuitas temporalis, quia nec alicuius successiui. Dicitur quòd nec est perpetuitas æui, quia æuum secundùm quòd ab æternitate distinguitur, pertinet ad creaturas immutabiles: beatitudo autem excedit naturalem potentiam creaturæ, cùm ad eam nulla creatura ex suis naturalibus possit attingere: vnde propria mensura eius est æternitas: ideò beatitudo est vita æterna. 16

q. 1. nu. 30. vbi id refutat. Doct.

Contra hoc primò ex dictis istius *in quæst. prima.* dicit enim quòd principium actus secundùm substantiam est potentia: sed secundùm formam, suum principium est habitus; & si habitus sit infusus, perfectio actus est à causa exteriori, quæ causat habitum. Ex hoc arguitur, impossibile est actum inquantùm formatus (secundùm quam rationem dicit iste actum esse beatificum) esse magis, vel immutabiliùs permanentem, quàm secundùm substantiam, quia impossibile est illud, quod inest alicui per accidens,

accidens, esse immutabilius illo, cui inest: ergo si actus secundùm substantiam mensuratur æuo, quia *esse* eius secundùm eum mensuratur æuo, sequitur quòd actus inquantùm formatus, siue inquantùm beatificus, haberet maiorem immutabilitatem, quàm æui.

Præterea ad rem, videtur manifestè falsum, quòd aliquod creatum, vt distinguitur contra æternum, mensuretur æternitate, & non æuo, quia siue æuum includit successionem, siue possibilitatem ad deficiendum, videtur competere cuicunque creato, quod non est propriè temporale: æternum enim sicut est totum simul actu, ita caret potentia non essendi. *Vide Voril. 2. dist 2. ar. 1. in fine.*

Ratio eius non concludit: non enim sequitur, creatura intellectualis non potest ex suis naturalibus in beatitudinem: ergo beatitudo in natura sua est aliquid eminentioris permanentiæ, quàm creatura intellectualis, quia est accidens, & licèt tale accidens, quod non consequitur principia subiecti, nec subest causalitati huius subiecti, est tamen in se quoddam minùs nobile, & minùs permanens. *Soluit rationes D. Thom.*

17 Quod additur, beatitudo est vita æterna: *æternum* non accipitur ibi strictè, sicut distinguitur contra *æuiternum*, sed pro æuiterno perpetuò permanente; sic quippe frequenter accipitur *æternum* in Scriptura, vt ibidem Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum*, & statim post: *Ibunt hi in supplicium æternum*, cùm tamen non sit æternum æternitate distincta ab æuo, vel à tempore perpetuo. *Æternũ in Scriptura sumi pro æuo seu pro perpetuo.*

Dico ergo quòd illa perpetuitas non est æternitatis, nec necessarij esse, sed est æui possibilis esse & non esse, tamen perpetuò conseruari.

Et si quæras quid addat illa perpetuitas vltra ipsum æuum? Hoc præëxigit aliam quæstionem, si æuum includat successionem: quia si sic, perpetuitas dicit quandam maximitatem quantitatis in ipso æuo, imò quasi infinitam magnitudinem, accipiendo semper alterum post alterum, si autem æuum sit indiuisibile, tunc perpetuitas eius non videtur dicere aliquid positiuum nouum per ipsum, sed tantùm negationem defectus, siue desitionis: & tunc oporteret dicere quòd nihil plus positiuè, vel maius maioritate intrinseca, dat Deus Michaëli, quem in æternum beatum conseruat, quàm si eum statim annihilaret. De hoc in secundo dist. 2. quæst. 3. & prima, & quarta. *Æuum an distinguitur ab æuiterno?*

COMMENTARIVS.

93 *De mensura beatitudinis. Sententia quorundam.* DE [1] *secundo dubio*, &c. Quærit hîc de mẽsura durationis huius perpetuitatis in beatitudine. Adducit sententiam D. Thomæ, qui asserit beatitudinem mensurari æternitate, non tempore, neque æuo; quia tempus est mensura successiuorum: æuum substantiæ immutabilis; beatitudo verò excedit potentiam naturalem creaturæ, ideò mensuratur æternitate.

Impugnatur. Hanc sententiam, quæ est satis frequens in Schola D. Thomæ, impugnat Doctor, primò ad hominem, quia vt *suprà* visum est *quæst. 1. huius num. 30.* principium operationis quoad substantiam est potentia, quoad formam habitus infusus; ita vt perfectio actus sit à causa superiori, à qua infunditur habitus; sed non potest actus secundùm perfectionem, qua informatur, esse magis, aut immutabiliùs permanens, quàm sit permanens secundùm substantiam, quia illud quod inest alicui, vt accidens, qualis est illa perfectio operationis ab habitu, aut causa extrinseca, nequit esse magis permanens quàm sit subiectum eius: ergo si actus mensuratur æuo secundùm substantiam, hoc est in ratione actus vitalis, quà est præcisè à potentia, quæ est principium naturale, ita etiam secundùm formam suam mensuratur æuo. *Accidens non potest esse magis permanẽs quàm substantia.*

Responsio. Responderet D. Thomas actum mensurari non æuo, sed tempore discreto, quod diuersum est à successiuo, & ab æuo: sed ratio etiam prædicta ostendit mensurari similiter quoad formam tali tempore. Sed quia non est instituti hanc materiam per se tractare hîc, eam remitto ad secundum librum Sententiarum, vbi eam Doctor ex professo tractat. *d. 2. q. 3. & 4.*

Subiicit Doctor aliam rationem, nempe impossibile esse, vt aliquid creatum mensuretur æternitate per se tanquam mensura propria, & non æuo: quia siue hoc includat in se successionem, siue tantùm possibilitatem deficiendi, quantùm est ex natura æuiterni, videtur conuenire tanquam mensura connaturalis omni creato, quod non est propriè in tempore. Æternum autem sicut est totum simul, excludit possibilitatem ad *non esse*, quod repugnat creaturæ. *2. Ratio Doctoris.*

94 *Responsio.* Ad hanc respondent alij beatitudinem mensurari æternitate participata; sed de natura illius æternitatis participatæ etiam differi longiùs posset, & cùm participatio dicat distractionem ab æternitate simpliciter, quæ soli Deo competit ex perfectione essendi. Cùm ergo mensuram propriæ durationis quælibet res sortiantur ex perfectione, & modo essendi proprio, videndum esset quomodo, vel qua ratione beatitudini competat modus eminentior essendi, quàm conueniat subiecto beatificato: si loquamur de Angelo, & anima, magis repugnat eis defectio in *esse*, aut desitio: nam si consideretur beatitudo, vt subest suis causis, magis defectibilis est, quantò magis dependet ab aliis causis secundis, & natura defectibilibus, & mutabilibus, & impedimentis subiectæ, vt sunt potentiæ, & habitus. Deinde, cùm ipsa sit accidens, magis est contingens, quoad *esse*, quàm Angelus. *Reiicitur.*

Si autem consideretur vt subest influxui causæ primæ, & proinde etiam Angelus, non est disparitas;

Non mensurari aeternitate. paritas; vel si est, eminentior est modus essendi Angelis, & ex se magis immutabilis, ac proinde illi magis debetur æternitas participata quàm operationi suæ, etiam beatificæ: quia perpetuitas huius necessariò supponit perpetuitatem beati Angeli, quoad *esse*, ita vt aliter beatitudo non posset esse perpetua. Quòd autem beatitudo sit supernaturalis ex habitu, nihil refert, quia mensura, & duratio rei sumitur à modo suo essendi, si est totum simul existens, siue per partes existens, siue sit necesse, siue contingens: nam sicut duratio sequitur existentiam, & modum existendi alicuius in *esse* entis, licèt vt refertur ad causas extrinsecas, dicatur naturale, aut supernaturale in se, si non vindicat maiorem perfectionem essendi, quàm sibi vindicat ens naturale; non ideò sortitur perfectiorem mensuram durationis, licèt perfectiorem habeat mensuram perfectionis essentialis. *Vnde sumitur duratio.* Beatitudo autem licèt supernaturalis sit: non vindicat perfectiorem modum essendi ex natura operationis, seclusa Dei prouidentia extrinseca, & aliis causis moralibus, ex quibus resultat debitum perpetuitatis, quam vindicat accidens, cuius existentia est inferioris ordinis, & perfectionis, quàm sit existentiæ substantiæ, maximè incorruptibilis. Sed hanc dissertionem remitto ad locum proprium. Solutio ad rationem, seu fundamenta oppositæ sententiæ, est clara, nempe quòd supernaturalitas beatitudinis non probet eam habere eminentiorem permanentiam quàm habeat substantia Angeli, aut animæ, quarum est accidens. Dicitur autem æterna, non vt distinguitur contra æuiternum, sed prout sumitur pro ipso æuiterno perpetuò permanente, seu perpetuo tempore: vt sumitur ignis æternus Math. 25. *Ite maledicti*, &c. & ibidem, *Ibunt hi in supplicium æternum.* *Æternum pro æuiterno sumitur.* Concludit ergo Doctor quòd perpetuitas beatitudinis non sit æternitas, nec necessarij esse: sed æui possibilis esse, & non esse, tamen perpetuò conseruati.

Si quæratur quid supperaddat perpetuitas æuo? *Interrogat.*

Respondetur iuxta varias sententias: quia si æuum dicit successionem, perpetuitas superaddit ipsi quantitatem interminatam, & infinitam, accipiendo semper alterum post alterum. *Responsio.* Quod si sit indiuisibile, nihil superaddit positiuè, sed negationem desitionis, & sic siue æuiternum duret determinato tempore, siue perpetuo, nihil immutatur positiuè, quantùm ad intrinsecum, sed tantùm quoad negatiuum.

SCHOLIVM.

Sententia D. Thom. hîc quæst. 1. & 1. 2. quæst. 5. art. 4. perpetuitatem esse de essentia beatitudinis. Doctor distinguit beatitudinem intensiuam, & extensiuam. de hac idem cum D. Thom. sentit, de illa negat: quem sequuntur Dur. hîc quæst. 6. Palud. quæst. 7. Gab. quæst. 2. art. 3. dub. 7. Occam. 4 quæst. vlt. art. 4. du. 6. soluit rationes D. Thom. docétque perpetuitatem beatitudinis esse ex iustitia cum liberalitate supereffluente, de quo dictum est, dist. 46. quæst. 4. num. 20.

D. Thom. hic. q. 1. m DE tertio dubio, scilicet qualiter se habeat illa perpetuitas ad beatitudinem. 18
Videtur dicendum, quòd includatur in ratione beatitudinis: tum quia beatitudo includit, quòd sit finis omnium desideriorum, & per consequens adepto eo, cessat omnis appetitus: ergo oportet quòd includat sic omnia appetibilia, quòd nihil vlteriùs desiderandum restat: quilibet autem naturaliter desiderat permanere in bono, & perpetuo, sicut sua natura est perpetua: ergo beatitudo illam permanentiam includit. Tum quia de ratione pœnæ damnationis est æternitas, quia oportet quòd sit infinita ad hoc quòd correspondeat culpæ, quæ est infinita in malitia, quia auertit ab infinito bono: non potest autem esse infinita intensiuè: ergo in ratione eius, inquantùm pœna condigna est culpæ, includitur infinitas extensiua, siue æternitas: ergo multò magis in ratione beatitudinis, inquantùm præmium, includitur æternitas.

De hoc certum est, quòd si *beatitudo* accipiatur pro aliqua perfectione permanente, 19
vt permanens quantumcunque intensa, perpetuitas non includitur in ratione eius, quia quæcunque perfectio permanens, & quantacunque eadem, & æqualis, potest esse per instans, vel cum aliquo breui tempore, quæ & quanta potest esse cum toto tempore: æquè enim perfecta est albedo vnius diei, sicut vnius anni, 1. *Ethic.*

Cap. 6. *Quid beatitudo intensiua, & extensiua.* *Perpetuitas est de ratione beatitudinis extensiuæ.*

Alio modo potest accipi *beatitudo* pro aliqua perfectione permanente, & intensa, non tamen præcisè sistendo in perfectione intensionis, sed includendo etiam perfectionem extensionis: & hoc vel propriè ponendo æuum esse successiuum, vel eminenter, scilicet negando omnem desitionem, ponendo æuum esse indiuisibile. Et illo secundo modo nihil est extensiuum perfectum extensiuè, nisi quod durat, quantum potest durare, siue illa duratio sit extensa realiter, vel virtualiter, vel imaginabiliter: beatitudo autem patet quòd nata est perpetuò manere: ergo ipsa sic accepta pro perfectione summa intensiuè, & extensiuè, includit perpetuitatem: sed hoc modo beatitudo nihil vnum per se est, sicut nec operatio perfecta: & totum æuum si est successiuum, vel operatio, & negatio defectus, vel desitionis existentiæ: illo tamen secundo modo

modo videntur loqui multi de beatitudine, quia non tantùm eſt deſiderium in natura ad perfectionem intenſam, ſed etiam ſic extenſiuè habendum, ſicut etiam deſiderium non tantùm eſt ad bonum eſſentiale, ſed ad ſemper eſſe, ſicut eſt poſſibile competere naturæ.

20 [n] Per hoc ad primum, beatitudo primo modo accepta eſt finis omnium deſideriorum, ſic quòd vnitiuè ex parte obiecti includit omne deſiderabile, ſicut ſæpè dictum eſt, quòd in definitione Auguſt. *quicquid vult, &c. quicquid* non accipitur ibi distributiuè, ſed pro vno, vnitiuè continente omne rectè volibile. Beatitudo ſecundo modo includit finem deſideriorum non tantùm ſic vnitiuè intenſiuè, ſed etiam extenſiuè quantùm ad durationem, intelligendo extenſionem, vel realem, vel virtualem, hoc eſt, indeficientiam in eſſendo. Breuiter tamen argumentum illud licèt ſit cuiuſdam Doctoris, peccat in forma: eſt finis omnium deſideriorum: ergo includit per ſe omnia deſiderata: non ſequitur, ſed ſequitur: ergo includit, vel præexigit quodcunque requiſitum neceſſariò in ordine deſideriorum complendorum. *q. præſenti, & q. 1. & 3. huius diſt.* *D. Thom. hic q. 1.*

[o] Ad aliud de præmio, eſt dubium, vtrùm illa perfectio extenſiua, ſcilicet perpetuitas, vel indeficientia in eſſendo includatur in beatitudine per ſe, inquantùm eſt præmium meritorum: an ſcilicet cadat per ſe ſub merito, vel tantùm ſit quoddam annexum illi, quod per ſe cadit ſub merito.

21 Et dico quòd loquendo de ſtricta iuſtitia, Deus nulli noſtrûm propter quæcunque merita eſt debitor perfectionis reddendæ tam intenſè, propter immoderatum exceſſum illius perfectionis vltra illa merita: ſed eſto quòd ex liberalitate ſua determinaſſet meritis conferre actum tam perfectum tanquam præmium, tali quidem iuſtitia qualis decet eum, ſcilicet ſupererogantis in præmiis: tamen non ſequitur ex hoc neceſſariò, quòd per illam iuſtitiam ſit reddenda perfectio perennis tanquam præmium: imò abundans fieret retributio in beatitudine vnius momenti. Si ergo perennitas pertinet ad præmium tanquam cadens ſub merito, oportet quòd illa correſpondentia terminetur à iuſtitia, & liberalitate ſupereffluente. Nec inconueniens eſt dicere magis, quòd Deus diſpoſuerit hominem perpetuò præmiare, qui pro ſuo merito perpetuò ſinem meruerit, & hoc ex tali iuſtitia liberali, quàm dicere quòd diſpoſuerit ex iuſtitia reddere talem perfectionem intenſam pro meritis, & vltra hoc quaſi non ex iuſtitia, ſed ex mera liberalitate adiiciat perpetuitatem. *An perpetuitas præmij cadat per ſe ſub merito.* *Perpetuitas præmij beatitudinis ex iuſtitia liberali, ſeu ex vtraque virtute ſimul: de quo d. 46. q. 4. n. 20.*

Ad argumentum tamen, quod adducitur de perpetuitate damnationis, non cogit, quia non ita congruit perpetuitatem ibi ita cadere ſub merito, ſicut hìc: benè enim diuinæ bonitati congruit, quòd pro lege determinauit perfectionem, non tantùm intenſam, ſed perennem reddere pro meritis: nec ſic, quòd pœnam non tantùm grauem, ſed perennem reddet pro demeritis. de hoc dictum eſt *ſuprà diſt. 46. quæſt. 4.*

COMMENTARIVS.

95 *3. Dub.* De *tertiò* [m] *dubio*, &c. Hìc quæritur an beatitudo eſſentialiter ſit perpetua. Affirmare videtur D. Thomas, tum quia beatitudo eſt finis omnium deſideriorum, qua adepta ceſſat omnis appetitus voluntatis ad appetibile. Deinde, quia pœna eſt perpetua: ergo & beatitudo, & præmium: in hoc dubio non eſt magna controuerſia in reipſa, ſed in modo explicandi.

Reſponſio Reſpondet ergo Doctor primò, ſi ſumatur beatitudo pro aliqua perfectione immanente quantumcunque ſit intenſa, perpetuitas non eſt de eſſentia eius: quia poteſt illa perfectio ex ſe & natura ſua eſſe in inſtanti, tota & completa, cùm ſit ens indiuiſibile, & creatum, & poſſibile conſequenter non eſt inamiſſibilis. *Beatitudo intenſiuè ſumpta poteſt eſſe inſtantanea.*

Extenſiuè ſumpta eſt perpetua. Secundò dicit quòd ſi beatitudo ſumatur non ſolùm intenſiuè, ſed etiam extenſiuè, beatitudo includit perpetuitatem: quia non tantùm eſt deſiderium in natura ad perfectionem intenſam, ſed etiam ſic extenſiuè habendum, ſicut deſiderium non tantùm eſt ad bonum eſſentiale, ſed ad ſemper eſſe, ſicut eſt poſſibile competere naturæ: & ſic inquit, multi loquuntur de beatitudine.

Hinc patet Doctorem non ſuſtinere controuerſiam cum D. Thoma in hoc, ſed tantùm explicare concluſionem, vt reducitur in ſua principia, & oſtendere rationes præmiſſas intelligendas eſſe de beatitudine intenſiuè, & extenſiuè ſumpta, vt eſt complementum appetitus vtroque modo. Vnde immeritò Caietanus exiſtimat Doctorem imponere D. Thomæ: quia & Doctor dicit pleróſque ſic loqui de beatitudine, tam intenſiuè, quàm extenſiuè; & deinde *infrà* reſpondés ad rationem difficultatis præmiſſam, quæ eſt D. Tomæ, dicit tantùm peccare in forma, & non in materia; nam eandem ipſam propoſitioné admittit Doctor aſſerens beatitudinem eſſe complementum omnium deſideriorum tam intenſiuè, quàm extenſiuè, & ſic non eſſe aliquid vnum, ſed includens tam beatitudinem intenſiuam, quàm reliqua concomitantia, quæ ad ſubſtantiam beatitudinis pertinent. *Non eſt contrarius Doctor D. Thomæ.*

Ad [n] *primum*, &c. Reſpondet ad rationem dubitandi, quòd beatitudo intenſiuè ſumpta ſit finis omnium deſideriorum, quantùm eſt ex parte obiecti, quod includit vnitiuè, & eminenter omne deſiderabile: quod patet ex definitione 96 *Reſponſio ad rationem dubitandi.*

 Auguſtini,

Augustini, *Beatus est, qui habet quidquid vult*, &c. Vbi *quidquid*, non accipitur distributiuè, sed vnitiuè, pro vno vnitiuè continente quidquid est rectè volibile. Beatitudo verò secundo modo sumpta est finis desideriorum non tantùm vnitiuè, sed etiam ad durationem indeficientem in essendo.

Respondet argumentum peccare in forma: quia esse finem omnium desideriorum non concludit: ergo includit in se omnia desiderata, sed sufficit quòd vel includat, vel supponat, vel etiam concomitetur omnia requisita ad desideriorum ordinem amplectendum.

97 ° *Ad aliud de præmio*, &c. Mouet dubium. An perpetuitas beatitudinis cadat sub merito per se, an solùm vt aliquid annexum. Et respondet sicut aliàs *suprà d.46.q.4.* quòd nulla est iustitia strictè sumpta nostri ad Deum. Vnde si determinasset beatitudinem temporariam, satis complete adæquaret merita in ratione dati, & accepti: tamen dicit non esse inconueniens, quòd ex iustitia supererogante determinet præmium, vt etiam perpetuum dare meritis. Et sic magis concordat Scripturæ, Conciliis, & Patribus, in quibus proponitur vita æterna, vt merces operum, & hanc partem eligit Doctor. Vide Tridentinum *sess. 4. cap. 16.* vbi hoc debitum refert in Dei liberalem iustitiam, & promissionem.

Perpetuitas cadit sub merito.

Ad argumentum, negat paritatem remittens se ad ea, quæ tractauit loco præfato. Disparitas autem in hoc assignatur: ex parte Dei supererogantis præmium propter merita quæ aliàs sunt sua dona, & ipsi debita; & vindicantis peccatum ex lege secundùm naturam delicti, & non vltra delicti demeritum: quia hoc non congruit eius iustitiæ, aut bonitati.

SCHOLIVM.

Securitas est passio in voluntate, opposita timori, supponens in beato iudicium certum ex reuelatione, quòd nunquam desinet beatitudo: & explicat quatuor modis sumi tentionem, nullóque modo ex istis vult esse de essentia beatitudinis.

Timor & dubitatio dupliciter differunt.

p DE secundo principali: securitati videtur opponi timor. Timor autem vel est de malo infligendo, vel de inflicto continuando, præcedente tamen apprehensione talis mali: nec oportet quòd illa apprehensio sit dubia, vnde longè distat dubitatio, & timor, non solùm, quia dubitatio pertinet ad intellectum, timor ad appetitum: sed etiam quia timor in appetitu non necessariò præexigit apprehensionem dubiam mali. Quicquid autem sit de hoc, hæc securitas ponitur in voluntate, sicut aliquid oppositum timoris, & eam præcedit certitudo in intellectu de bono conferendo, vel bono collato continuato. Talem certitudinem habent beati: non quia vident beatitudinem ex se esse perpetuam, sicut probatum est in arguendo contra primam positionem de causa perpetuitatis, articulo præcedente: nec etiam tantùm per rationem naturalem, quia nulli creaturæ potest esse notum per rationem naturalem illud, quod contingenter dependet à sola voluntate diuina; huiusmodi est continuatio beatitudinis iam collatæ, & hoc patet ex illo articulo: ergo tantummodò est illa certitudo in intellectu beati ex reuelatione sibi facta à Deo: an autem sic fiat certitudo damnatis de sua damnatione continuanda, non est æquè certum. 22

Vnde certitudo beatorum de perpetuitate beatitudinis.

q Ex dictis patet solutio quæstionis, quòd securitas non est de essentia beatitudinis, tum quia securitas præsupponit certitudinem de continuatione beatitudinis, illa autem apprehensio certa sequitur ordine naturæ totam beatitudinem, cùm sit actus non tendens in obiectum beatificum, sed reflexus super actum, & per consequens beatitudo tota posita essentialiter poterit esse sine certitudine: ergo & multò magis sine securitate: tum quia perpetuitas, de qua est illa certitudo, ad quam consequitur securitas, non est de essentia beatitudinis, eo modo, quo dictum est in præcedenti articulo, in solutione tertiæ dubitationis: illa tamen ratio non concludit, accipiendo *beatitudinem* secundo modo dicto ibi; quia sic includit perfectionem non tantùm intensiuam, sed etiam extensiuam, siue indeficientiam. 23

Securitas sequitur beatitudinem, non includitur in ea.

Primo etiam modo accipiendo, perpetuitas non est aliqua res addita tanquam accidens. Prima ergo ratio valet, & illa tertia, quia securitas illa est in irascibili, sicut & timor sibi oppositus: siquidem opposita sunt in eodem: beatitudo in concupiscibili, cùm sit amor amicitiæ.

Securitas est in irascibili.

r Propter argumenta quædam, & verba, quæ dicuntur de tentione, intelligendum est, quòd tentio quadrupliciter accipi potest. Vno quidem modo propriè, prout memoria tenet obiectum, & hoc, vel per formam impressam, si est ibi obiectum in specie: vel per habitum impressum, vel saltem per illapsum, vel inexistentiam, saltem eo modo tenet, quo obiectum concurrit ad rationem parentis. Alio modo: potest intelligentia dici tenere obiectum in actuali consideratione: & ad hoc potest pertinere, quòd voluntas dicitur tenere aciem intelligentiæ conuersam ad memoriam. Tertio modo tentio pertinet ad voluntatem, vt est concupiscibilis, & dicitur 24

Tētio quadrupliciter sumitur.

dicitur succedere spei eo modo, quo per spem voluntas desiderat sibi bonum, habendum, & per tentionem amat illud bonum habitum: & illa tentio est amor concupiscentiæ boni præsentis. Quarto modo tentio dicitur esse quidam actus assecutionis, vel passio consequens spem passionem; & illo modo est in irascibili.

Tentio ad voluntatem spectãs, succedit spei, estque in concupiscibili.

Nullo illorum modorum est tentio de essentia beatitudinis. Primo modo præcedit beatitudinem, imò omnem actum secundum. Secundo modo est actus secundus pertinens ad intellectum, & præuium beatitudini, quæ est in voluntate, vel actus voluntatis respectu illius actus præuij. Tertio modo est amor boni commodi præsentis, & apparet ex quæstione præcedente, quòd ille amor non pertinet ad beatitudinem, sed amor boni honesti, vel boni in se. Quarto modo est in irascibili, & illo modo magis appropinquat ad securitatem, quæ succedit spei passioni, non spei virtuti.

Tentio non est de ratione beatitudinis.

25 [s] Ad argumenta. Ad primum potest dici quòd Augustinus per illud intelligit quòd beatissimum, id est, maxima perfectio beatitudinis est, quod certissimum est semper ita fore, maxima, inquam, extensiuè. & quod sequitur, accipitur non pro actu certitudinis, sed pro obiecto; quasi diceret, ipsa perpetua continuatio, de qua habetur certitudo, est maximum quidem in beatitudine; quia quantitas extensionis superaddita quantitati intensionis; & illud dicitur maximum, quod includit aliquid, & adhuc aliquid superaddit quantitati, & sic ista extensio includit perfectionem intensionis. *Ad arg. 1*

Ad 2.
Nulla forma finita excludit omnem priuationem à susceptiuo

Ad aliud patet ex primo articulo solutionis, quia nulla forma finita potest excludere omnem priuationem à susceptiuo: tamen beatitudo pro quanto est perfectissima, maximè excludit perfectionis priuationem à suo subiecto; & hoc sufficit ad hoc, vt sit finis intrinsecus, qui necessariò est finitus, sed non sufficit ad incorruptibilitatem.

Ad 3.

Ad aliud de Philosopho, dicendum quòd nunquam per ingenium ad veram felicitatem humanæ naturæ potuit pertingere, nec affirmatiuè, nec negatiuè. Non negatiuè, quia falsum demonstrari non potest: non affirmatiuè, quia sensibilia ad hoc sufficienter non perducunt: vnde tanquam dubius nunc videbatur sentire, quòd non esset vera felicitas, cui posset succedere miseria: nunc quòd non posset esse alia felicitas hominis, quia nesciuit de felicitate alterius vitæ ab illa, & illa non est felicitas inamissibilis, ideò non oportet in hoc eius authoritati inniti.

Ad 4.
Tribus virtutibus Theologicis in via, tria succedunt in patria.

Ad aliud, concedo quòd tribus virtutibus Theologicis in via succedunt tres perfectiones in beato; siue virtutes, siue actus, non curo: sed non oportet illa succedentia esse de essentia beatitudinis, sicut accipimus beatitudinem pro summa perfectione beatificabilis naturæ ipsam summè suo obiecto perfectissimo coniungente.

COMMENTARIVS.

98
Securitati opponitur timor.

De s[e]cundo [p] *principali*, &c. In hoc articulo explicat quid sit securitas, & vnde causetur, & quod eius subiectum. Deinde, quid sit tentio, & respődet ad argumenta principalia. Dicit primò securitati opponi timorem, & ex natura, & causis huius, declaratur tanquam argumento ob opposito, quid sit securitas, & quæ eius causæ. Timor oritur ex modo infligendo, vel de afflicto continuando, præcedente apprehensione talis mali, nec oportet quòd illa apprehensio sit dubia. Vnde longè distat dubitatio, & timor, &c. Securitas ergo ponitur in voluntate sicut aliquid oppositum timoris, & eam præcedit in intellectu cognitio de bono conferendo, vel de continuando collato. Talem habent beati, vt *suprà* probatum est ex Augustino in quæstione præmissa (*An finis vltimus necessitet voluntatem clarè visus*) Rationem autem huius certitudinis non reducit ad cognitionem ipsius beatitudinis, neque ad cognitionem naturalem ex parte obiecti, sed ad reuelationem diuinam: quod est consentaneum ad dicta in præcedentibus.

[q] *Ex dictis patet solutio quæstionis*, &c. Nempe principalis, seu titularis. Asserit hanc securitatem consequi beatitudinem, & non esse de essentia beatitudinis, vt hæc sumitur intensiuè; quia sequitur scientiam de continuanda beatitudine. Ac proinde ipsam beatitudinem positam ordine naturæ, quæ supponitur scientiæ; sicut ergo beatitudo posita posset esse sine tali scientia, quæ est actus reflexus tendens in ipsam beatitudinem positam, ad quem sequitur securitas in voluntate per exclusionem omnis timoris de amissione boni acquisiti: si autem accipiatur beatitudo extensiuè, sic ad eius essentiam spectat tam perpetuitas, quàm securitas.

Perpetuitas ad intensiuã non spectat, sed ad extensiuam.

99
Tentio quot modis dicitur

[r] *Propter argumenta quædam*, &c. Hîc explicat quot modis dicitur tentio: vno modo prout memoria tenet obiectum, eo modo quo obiectum complet memoriam fœcundam, siue per speciem impressam, siue per habitum impressum, vel saltem per illapsum, vel inexistentiam, vel quacunque alia ratione dicatur, iuxta varias sententias, obiectum sic concurrere ad rationem parentis. Secundò accipitur pro intelligentia, quatenus tenet obiectum in actuali consideratione, ad quod pertinet, quod dicitur voluntas tenere aciem intelligentiæ conuersam ad memoriam, & copulare prolem cum parente, qui est modus

Prima acceptio.
2. Acceptio.

modus loquendi sancti August. *in libris de Trin.* In hac etiam acceptione dicitur à pluribus possideri obiectum per intellectum, quod est fundamentum. Vnde Doctor Angelicus cum aliis relatis in quæstione præcedenti constituunt beatitudinem essentialem in visione Dei, quam putant esse veram acquisitionem finis. Tertio modo dicitur tentio in voluntate, quà concupiscibilis est, & succedere spei, per quam affectu commodi fertur in rem absentem, per tentionem in eadem, vt est præsens, & commodum. Quartò modo dicitur esse in irascibili tanquam actus, vel passio consequens spem, qua habet actum, aut subsequitur passio, & delectatio de commodo.

Tertia acceptio.

4. Acceptio.

Subiungit nullo modo istorum pertinere ad beatitudinem essentialem, vt in ipsa inclusam: quia primò præcedit beatitudinem formalem. Secundo modo spectat ad intellectum, éstque ipsa Dei visio, de qua dictum est in quæstione superiori: licèt enim ad beatitudinem extensiuam spectet: tamen non in ea consistit beatitudo, vt est vltimum complementum creaturæ spiritualis sed in fruitione. Tertio modo est amor commodi, in quo non consistit beatitudo, vt in eadem quæstione decisum est. Quarta modo est in irascibili, & magis accedit ad securitatem, quæ succedit spei passioni, non spei virtuti, hoc est correspondet illi.

ICO *Explicatio.* Ad intellectionem aduerte voluntatem comparari secundùm triplicem affectum ad bonum. Primo secundùm iustitiæ affectum ad bonum honestum propter ipsum. Secundò ad bonum commodi, secundùm affectum concupiscibilis strictè sumptæ, vt distinguitur à priori. Tertio, secundùm affectum irascibilis, quo remouetur prohibens bonum concupiscibilis. Secundùm quemlibet horum in voluntate est actus elicitus, & etiam delectatio consequens illum actum circa bonum possessum, & præsens. Securitas correspondet tanquam passio actui spei, delectatio verò de absentia prohibentis commodum, est passio irascibilis correspondens securitati. De his passionibus agetur in sequenti quæstione.

Triplex effectus voluntatis.

[f] *Ad argumenta. Ad primum,* &c. Patet ex litera, & dictis. ICO *Ad Arg.*

Ad secundum similiter.

Ad. 3. Ad tertium, quod est Philosophi, nempe quòd *felicitas sit operatio optima secundùm vitam perfectam,* &c. Ad quam requirit aliquam perpetuitatem.

Ignorauit Philosophus veram felicitatem.

Respondet Doctor, & benè quòd nunquam per ingenium potuit ad veram felicitatem humanæ vitæ pertingere, neque affirmatiuè, neque negatiuè: non negatiuè, quia falsum demonstrari non potest, nempe non esse felicitatem, quam fides proponit. Non affirmatiuè, quia sensibilia, ad quæ limitatur cognitio huius status naturalis tanquam ad motiua, non sufficiunt ad perducendum intellectum ad veram cognitionem pacti, aut diuinæ prouidentiæ: ideóque tanquam dubius nunc videbatur sentire veræ felicitati non posse succedere miseriam; nunc quòd non posset esse alia felicitas hominis quàm illa, quam experiebatur, quæ non est inamissibilis. Ideóque commoditatem rerum præsentium ipse etiam requirebat ad felicitatem humanam; & plura alia, quę ad veram felicitatem non spectant; ideò, inquit, Doctor, non debet quis plurimùm inniti eius authoritati in hoc. Aliam porrò diceret Philosophus esse felicitatem Intelligentiarum; aliam hominis, qui sicut non attigit felicitatem veram per fidem, quæ est hominis in via, minùs potuit felicitatem futuram, quæ est in specie discernere. Hæc patent legenti primum eius & septimum, & decimum librum Ethicorum, & duodecimum Metaphysicæ, quos potest consulere lector. Ad vltimum, patet ex litera, & ex hactenus dictis.



QVÆSTIO VII.

Vtrùm gaudium de obiecto beatifico sit de essentia, vel pertineat ad essentiam beatitudinis?

D. Thom. 1. 2. *quæst.* 4. *art.* 2. Richar. *hìc art.* 3. *quæst.* 6. Vasq. 1. 2. *disp.* 11. *cap.* 6. Duran. *hìc quæst.* 4.

Arg. 1. [2]  TRVM gaudium de obiecto beatifico sit de essentia, vel pertineat ad essentiam beatitudinis? Videtur quòd sic. August. 10. de Confess. dicit: *Beatitudo est gaudium de vita beata.* 1

Arg. 2. Præterea, beatitudo est perfectè quietatiua ipsius beati: sed perfecta quies est gaudium, siue delectatio: ergo, &c.

Arg. 3. Præterea, beatitudo est vltimum bonum ipsius beati; sed delectatio est vltimum consequens operationem: ergo, &c.

Arg. 4. Præterea, beatitudo vnit essentialiter vltimo bono perfectissimè operando, quiescendo, & delectando; sed operatio est de essentia beatitudinis: ergo & quietatio, & delectatio.

Ratio ad opp. *Tex. 64.* Contrà, nihil pertinet ad beatitudinem: quod non pertinet ad animam, siue imaginem; sed delectatio non pertinet ad animam, nec etiam ad imaginem, quia est totius. Qui enim secundùm Philosophum *primo de anima,* dicit animam gaudere, vel tristari, dicit eam texere, vel ædificare: ergo, &c. Præterea. 10. *Ethic.* delectatio est adueniens operationi: ergo est sicut accidens eius; sed beatitudo essentialiter consistit in operatione: ergo, &c.

SCHOLIVM

SCHOLIVM.

Sententia quæ tribuitur D.Thom.quámque tenet Duran. hîc quæst. 4. ait delectationem esse de essentia beatitudinis. Probatur quinque rationibus. Doctor supponendo ex 1.dist. 1.quæst. 3.delectationem esse passionem, (de quo agit latè 3 dist. 15.) hanc totidem rationibus claris refutat.

2 RESpondeo; hîc est supponendum, sicut ostensum est *in primo lib. dist. 1. quæst. 3.* quòd delectatio realiter differt ab operatione, & tunc ad quæstionem: est enim vna opinio, quòd delectatio est de essentia beatitudinis. Ratio ad hoc est, quia Deus de potentia absoluta potest omne illud separare ab alio, quod non est de essentia eius: si ergo gaudium non esset de essentia beatitudinis, posset Deus separare visionem beatam à delectatione, siue gaudio; sed hoc est contradictio, quòd quis clarè videat Deum, & non delectetur in ipso, & etiam quòd non gaudeat. *Idem 10. Ethi. c. 5. D. Thom. in 4. d. 48. art. 1. q. 3. Ric. in præsenti dist. art. 3. qu. 6.*

Præterea, beatitudo est maxima perfectio ipsius beati; sed ipsa erit maior perfectio si gaudium fuerit de essentia eius, quàm si solùm concomitetur ipsam: ergo melius est ponere quòd sit de essentia eius, quàm non, quia sic meliùs saluatur perfectio eius.

Præterea, sicut se habet pœna ad gaudium, sic tristitia ad præmium: ergo permutando, sicut se habet pœna ad tristitiam, sic præmium ad gaudium; sed pœna est essentialiter tristitia: ergo præmium est essentialiter gaudium; ergo erit essentialiter beatitudo. Assumptum, scilicet quòd pœna est essentialiter tristitia, probo, quia non potest esse actus aliquis ipsius voluntatis, & inuoluntarius: quia omnis actus voluntatis est voluntarius, nam ita voluntariè nolo aliquid, sicut volo, ita enim voluntariè volo me nolle, sicut velle: sed tristitia non est voluntaria, imò est de iis, quæ nobis nolentibus accidunt: ergo non est actus voluntatis: est ergo essentialiter ipsa pœna tristitia.

Et confirmatur, quia sicut se habet malum inhonestum ad malum incommodum, sic bonum honestum ad bonum commodum; sed malum inhonestum est per se peccatum, & malum incommodum, pœna: ergo bonum honestum est per se meritum, & bonum commodum per se præmium: sed nihil est delectatio, nisi bonum commodum: ergo, &c.

3 Præterea, 10. *Ethic.* Delectatio videtur vltimum bonum, & ibidem, *delectationem omnia appetunt*: sed quod omnia appetunt est per se bonum, 1. *Ethic.* ergo, &c. *Cap. 1 & 2. Cap. 1.*

b Contrà, nulla passio est beatitudo essentialiter; sed gaudium, seu delectatio est essentialiter passio. Probatio maioris, quia beatitudo est vltima perfectio, ex eo quòd simpliciter optimo coniungit. Hoc probo, quia si aliquid ex se esset beatitudo, hoc esset nobilissimum maximè; sed natura beati est nobilius in se quàm quodcunque accidens suum: ergo natura maximè esset beatitudo: sed omnes perfectiones eius sunt accidentia: ergo minùs entia, quàm natura; sed nulla passio coniungit obiecto beatifico, sed tantùm operationes, quia passio recipitur ab obiecto in potentiam: gaudium autem est passio: igitur, &c. Minor patet, ergo, &c. *Refutat sent. D. Thom.*

Præterea, quòd est de essentia beatitudinis oportet respicere obiectum beatificum, non solùm in ratione causæ efficientis, sed etiam obiecti: sed passio non respicit obiectum beatificum, nisi vt causam efficientem: sed gaudium est passio: ergo, &c. *Gaudium non respicit obiectum beatificum in ratione obiecti.*

Præterea aliquis viator per aliquid eiusdem rationis mouetur, coniungitur, & quiescit in obiecto beatifico imperfectè hîc in via: ergo similiter in patria per aliquid eiusdem rationis vltimatè coniungitur obiecto beatifico, & perfectè: sed in via nullus coniungitur illi obiecto per passionem, sed per operationem: ergo nec in patria; sed beatitudo est vltimatè coniungens: ergo beatitudo non est passio: cùm ergo gaudium sit passio, non erit de essentia beatitudinis, *Cap. 3. à fin.*

Præterea 10. *Ethicorum*, dicit Philosophus, Multa appeteremus, etiamsi delectationem non haberemus, vt scire, recordari, & virtutes: & ideò non est operatio propter delectationem, sed magis è conuerso, vt ipse dicit *ibidem*: non enim laboramus vt quiescamus, sed quiescimus vt laboremus. *Delectatio non est præcisa ratio quare aliquid appetimus.*

COMMENTARIVS.

102 VTrùm [a] *gaudium de obiecto*, &c. In hac quæstione adducit primùm sententiam affirmantem, quam plures docuerunt; licèt enim non posuerint totam rationem beatitudinis in delectatione; tamen compleri partialiter beatitudinem per delectationem statuerunt, etiam quoad essentiam, & non solùm quoad substantiam. In *Ordo & diuisio quæstionis.*

qua

Compleri essentialiter beatitudinē per delectationem. qua sententia videtur fuisse Alensis 3. *part. q.*23. *m.* 1. *ad* 1. Ægidius *in tract. de influentia diuina in Beatos cap.*2. Richard. *præsent. dist. art.*1. *q.*6. D. Bonauent. *in* 1. *part. dist. art.* 1. *quæst.*5. Maior. *quæst.*3.
Sent. affir. Molina 1. *part. quæst.*12. *art.*1. *disput.*2. *conclus.*5. & *quæst.*26. *in principio.* Valentia 1. 2. *disp.*1. *quæst.* 3. *punct.*4. & *quæst.*4. *punct.* 1. Fundamenta potiora huius sententiæ adducit Doctor in litera.

Sententia negans. Sententia negatiua est Doctoris *in hac quæst.* quā etiam tenet D. Thom. 1. 2. *q.*3. *art.*4. & *q.*4. *art.* 1. & *in præsenti dist. q.*1. *ar.*1. *quæstiunc.*2. & 3. *contra Gētes c.*26. Caiet. Ferrarien. *locis citatis in D. Thom.* Capreolus *in præsenti dist. q.* 1. *art.*1. Durand. *q.*4. & nostræ Scholæ Doctores tam hîc, quàm *in* 1. *dist.* 1. Vasquez 1. 2 *disp.*11. *cap.* 5. & 6. Suarez *ibidem disput.*7. *quæstiunc.* 1. Lusitanus reliquos citans *lib.*4. *de beatitudine, quæst.*11. *art.*2. §. 3.

Impugnatio. Affirmatiua. b *Contrà nulla passio est beatitudo essentialiter,* &c. Doctor impugnat prædictam sententiam primò, quia delectatio est passio, & non operatio: Beatitudo verò est operatio. Secundò, quia beatitudo respicit obiectum per modum obiecti, non delectatio, aut passio. Tertiò, quia beatitudo in via consistit in operatione, & non in passione. Quartò, ex Philosopho 10. *Ethic. cap.*3. Delectatio est propter operationem, non è contra: quia multa appeteremus, quamuis nulla esset delectatio, vt virtutes, scientias, &c.

Suppositio non admittitur. Has probationes reiiciunt plures, & quotquot asserunt delectationem, & sic de reliquis, esse actum elicitum, & operationem: supponit ergo Doctor falsum in suis probationibus præmissis. Quòd verò delectatio sit quid diuersum realiter ab operatione, probat Doctor *in* 1. *dist.*1. *quæst.*3. ad quem locum se remittit in præsenti. Itaque ad veritatem huius decisionis subiiciam sequentem quæstionem.

Vtrùm delectatio sit operatio elicita?

103 *Sententia affirmans passiones esse actus elicitos.* Esse operationem docent plures moderni citantes pro hac parte D. Thomam 1. *part. quæst.*64. *art.*3. *in Corpore*, & *ad* 3. & 1. 2. *quæst.* 31. *art.*1. & 4. *in Corpore*, & *quæst.* 22. *art.* 3. *in Corpore*, & *aliis in locis.* Caiet. *ibid.* Capreolus *in* 1. *distinct.*1. *quæst.* 1. *art.* 2. *conclus.* 3. Conradus, Medina in loca præfata. Vasquez 1. 2. *disput.*14. *cap.*2. & Pater Ægidius à Conceptione *de beatitudine lib.*10. *quæst.* 12. *art.* 2. plures in eam sententiam citat; quamuis aliqui etiam ad oppositam reduci possunt, quam existimant probabilem.

2. Sentent. Secunda sententia paucorum, vt Toletani *in* 1. *dist.* 1. *quæst.* 1. *art.* 1. & 2. *conclus.* 3. & *art.*3. quæ statuit duplicem passionem, v. g. delectationis: aliam, quæ est de obiecto immediatè, & hæc est operatio; aliam, quæ consequitur ad operationem, & causatur ab ipsa, & non est operatio. Pro eadem citatur Aureolus apud Capreolum *in* 1. *dist.*1. *quæst.*1. *art.*2. *contra* 6.

3. Sentent. Tertia sententia est nostri Doctoris negatiua. sit itaque

104 *1. Conclusio. negatiua.* Prima conclusio. Delectatio, & sic de reliquis, non est operatio. Hanc docet Doctor, *in* 1. *d.* 1. *quæst.*3. *dist.*17. *quæst.*1. *ad* 4. *in* 3. *dist.*15. *in* 4. *dist.*49. *quæst.*4. & 7. cum suis in iisdem locis, potissimùm *in* 1. *dist.* 1. vbi Mayrones *quæst.*2. *art.*4. Bassolis *quæst.*2. *art.*2. & *in* 4. *dist.*49. *q.*2. *art.*1. *ad* 3. & *ar.*3. Audefacis *lib. de patria, quæst.*3. Henricus *quodlib.* 11. *quæst.*8. & 9. & *quodlib.*12. *quæst.*9. & *quodlib.* 6. *quæst.* 32. Richard. *in* 1. *dist.* 1. *art.*2. *q.*1. Deinde Nominales, vt Ocham *in* 1. *dist.* 1. *quæst.* 3. *in* 3. *dist.*14. Gabriel. *in* 1. *dist.*1. *q.*3. *art.*1. Thomas de Argentina *in* 4. *dist.* 49. *quæst.*3. *art.*2. Michaël de Massa *in* 1. *dist.*1. *q.*3. *art.*1. Landulfus *q. vlt. art.*2. & expresè Sotus *in* 4. *dist.*49. *q.*1. *art.*4. nec inane patrocinium adciri potest ex Doctore Angelico huic conclusioni, &c. 1. 2. *q.*31. *art.*1. *ad primum.* vbi asserit hanc propositionem *delectatio est operatio*, non esse essentialem, seu per essentiam, sed per causam: & *q.*32. *art.*1. delectationem sequi ad operationem; *quæst.*33. *art.*4. operationem perfici per delectationem, tanquam per quietem in bono adepto, causarique efficienter per operationem, & locis infrà citandis super Philosophū idem docet. Adiungi potest Nemesius *cap.* 11.

Probatur conclusio ex Philosopho 1. *Eth. cap.*3. 105 *Probatio ex Philosopho.* vbi probat virtutem circa voluptatem, & tristitiam versari, quod intelligi debet, vt rectè D. Thomas *ibidem*, non tanquam circa materias proprias, sed circa ea, quæ consequuntur tanquam quidam finis, vt docet in septimo Ethicorum loco iam citando. Probat ergo intentum tertio hac ratione: *Adhuc autem si virtutes sunt circa actus, & passiones, omni autem actui, & passioni consequitur delectatio, & tristitia, & propter hoc vtique erit virtus circa delectationem, & tristitias*, &c. Alia versio habet: *Prætereà, si virtutes sunt circa actiones & affectus*, &c. docet ergo Philosophus actionem, per quam intelligitur materia iustitiæ in genere, & affectus, seu passiones esse materiam virtutis moralis, distinguens ab his delectationem, & tristitiam tanquam aliquid concomitans, aut consequens; ac proinde ad eas extendi dicit virtutem moralem: ergo neque delectatio, aut tristitia habent rationem actionis, neque affectus eliciti, aut operationis. Patet consequentia, quia in appetitu nihil est per modum operationis, nisi actus, aut affectio, aut electio; sed neque electio est delectatio, aut tristitia, neque aliquid prædictorum: ergo, &c. Confirmatur ex cap.5. & *Delectatio consequitur aut concomitatur operationes.*
lib. 1. Magnorum Moralium cap. 7. *Affectus igitur sunt ira, metus, odium, cupido, liuor, miseratio, talia comitari consueuerunt ægritudo, & voluptas,* &c. Agit autem de his, quæ sunt inanima, distinguens ea in potentiam, habitum, & affectum. *Post hac autem quidnam sit ipsa virtus, consideremus oportet. Cùm autem tria sunt, quæ fiunt in anima, affectus, potentia, habitus: horum aliquid ipsam virtutem esse necesse est. Dico autem passiones quidem concupiscentiam, iram, timorem, audaciam, inuidiam, gaudium, amicitiam, odium, desiderium, zelum, misericordiam, & vniuersaliter quibus sequitur delectatio, vel tristitia,* &c. vel vt alia versio habet. *Ea omnino quæ voluptas comitatur, aut dolor,* &c. ergo delectatio, & dolor ab affectibus excluduntur, tantùmque sequuntur, aut comitantur operationes, & affectus. *Affectus animi.*

Si dicas hîc Philosophum loqui de affectibus, vt sunt appetitus sensitiui; non refert, quia sicut se habent in appetitu affectiones, ita in voluntate operationes: sicut in appetitu delectatio ad affectus consequitur, ita vt ab ipsis excludatur ita etiam in voluntate excluditur ab operationibus; quod magis per se docet Philosophus 10. Ethicorum cap.4. *Voluptas*, inquit, *perficit operationem: atque non eodem modo voluptas perficit* (supple operationem) *ac sensibile, & sensus sunt si studiosa. Quemadmodum neque sanitas, medicusue similiter causa sunt, vt quispiam,* &c. Quod est dicere voluptatem, seu delectationem perficere operationem, 106

tionem, non eo modo, quo sensibile, & sensus eandem perficiunt, seu causant, sed in diuerso genere, sicut neque eodem modo, aut in eodem genere sanitas, & medicus causa sunt, vt quis sanus fiat. Quomodo ergo perficit operationem delectatio?

Respondet, *perficit autem operationem voluptas non vt habitus, sed vt pullulans quidam finis, perinde atque pulchritudo in his, qui vigent ætate*, &c. Dicit ergo quòd perficiat operationem, non sicut sensibile, aut sensus, aut habitus, id est, aliquid intrinsecum, sed vt quidam finis, id est, perfectio accedens eo modo, quo pulchritudo se habet in iuuenibus: ergo distinguitur delectatio ab operatione, sicut pulchritudo à iuuene, conueniens iuuentuti ex vigore ætatis, & sic pullulat delectatio ex operatione, sicut pulchritudo in iuuene. Vnde constat non comprehendi delectationem sub operatione, quam consequitur, quam perficit, vt quidam eius decor pullulans, & non tanquàm aliquid intrinsecum.

Item, consequenter agens de duratione delectationis: *Atque*, inquit, *quousque ipsum sensibile, vel intelligibile, & id quod discernit, vel contemplatur, tale sit, quale esse oportet, erit in operatione voluptas:* & probat: *nam cùm sunt similia, ipsum passiuum, atque actiuum, & inter se modum habent eundem, idem semper natura fieri solet*, &c. Quod est dicere, quamdiu ipsum obiectum sensibile, vel intelligibile, & sensus discernens, aut intellectus contemplans manebant in eadem dispositione, semper erit in operatione delectatio. Quod probat, quia eodem actiuo & passiuo manentibus in eadem dispositione, idem semper natum est fieri: ergo per Philosophum delectatio appetitus, siue rationalis, siue animalis (quia vtramque potentiam comprehendit) causatur ab obiecto intelligibili, in intellectu, seu sensibili, & sensu: ergo non est actus elicitus ipsius appetitus, ac proinde Philosophus clarè hîc docet conclusionem. Vnde subiungit, vt *ibidem* videre est, rationem, quare continuè nullus delectatur; dicit inde esse, quia corpora habentia non continuè operantur, aut laborant: *Non fit ergo delectatio, sequitur enim operationem:* destructa causa destruitur nempe effectus; sicut ergo non semper est operatio, ita neque delectatio, quæ sequitur, vbi non in appetitum refert delectationem, sed in operationem, à qua pullulat.

Declaratur.

Causa delectationis.

107 Item, subiungit noua magis delectari, quia ad ipsa mens est vehementer inclinata, propter admirationem, & desideria, & ideò vehementer circa ipsa operatur, posteà non fit operatio vehemens, sed neglecta, ac proinde obscuratur delectatio. Exemplum statuit in eo, qui intensè intuetur aliquam rem, quam primò videt propter admirationem, & de ipsa visa delectatur: sed mox non ita intensè ipsam videt, sed neglectim.

Noua magis delectant, & quare.

Item, mox docet delectationem esse appetendam, quia nempe viuere appetimus, & *viuere* consistit in operatione, vt præmisit *lib. nono*, delectatio autem perficit operationes: ergo & *viuere:* &c. Ac tandem in fine dubium illud relinquens insolutum, vtrùm nempè operatio propter delectationem, aut è contra delectatio propter operationem expetenda sit, dicit: *dimittatur hæc in præsenti, coniungi quidem hæc videntur, & non suscipere separationem: nam & sine operatione voluptas non fit, & omnem operationem perficit ipsa voluptas.*

Est appetenda, & quorsum.

108 Item *cap.* 5. docens voluptates inter se specie differre: quod probat primò ex eo, quòd voluptates perficiant operationes; sed operationes specie differunt: ergo & voluptates. Secundò, quia voluptates augent operationes: at ea quæ augent, propria sunt: ergo & voluptates propria sunt operationum: quæ verò diuersis specie propria sunt, & ipsa diuersa specie sunt. Tertiò, quia operationes differunt malitia, & bonitate, quædam sunt laudabiles, vt bonæ, quædam vituperabiles, vt prauæ; sic etiam delectatio, seu voluptas, quæ est bonæ operationis, sortitur naturam eius, vt est bona, & è contra quæ malæ operationis praua; ergo differunt sicut operationes. Quartò, ipsæ concupiscentiæ differunt specie, id est, desideria operationis faciendæ, & quædam sunt bonæ, quædam vitiosæ: quas qualitates sortiuntur ab ipsis operationibus, quas respiciunt vt obiecta; sed manifestum est quòd sunt magis vicinæ, & propriæ operationibus delectationes quibus in ipsis delectamur, quàm concupiscentiæ, quibus eas concupiscimus absentes, quia hæ distinguuntur ab operationibus tempore, & natura, quia præsupponuntur, & sunt actus imperfecti natura sua circa finem non existentem, aut possessum; operationes autem actus perfectus; sed delectatio est etiam perfecti, & possidentis finem, sunt indiscreti tempore: ergo differunt specie. Adiungo verba Philosophi circa distinctionem operationum, & delectationis: *Illæ autem* inquit (supple, delectationes) *propinquæ sunt operationibus, atque adeò indistinctæ, vt contentio sit, si idem sit operatio, & voluptas: non tamen ipsa voluptas mentis esse videtur operatio, neque sensus: est enim absurdum: sed quia non separatur, idem quibusdam videtur*, &c. Ecce quomodo voluptates in vniuersum distinguit Philosophus ab operationibus, & per operationes ipsas, & connexione, quam ad ipsas habent, colligit differentiam delectationum. Facilius autem esset colligere differentiam earum per obiectum, sicut hîc Philosophus colligit differentiam operationum, si censeret Philosophus eas esse operationes, aut actus elicitos appetitus. Ex quibus sufficienter probatur ex Philosopho conclusio.

Distinctio specifica passionum vnde deducitur.

109 Secundò ergo probatur conclusio ratione, quamuis id difficile sit ob rationem iam dictam Philosophi, nempe concomitantiam, & inseparationem delectationis ab ipsa operatione, & tristitiæ ab eadem. Nihilominùs probatur à priori; operatio voluntatis sufficienter diuiditur in *velle & nolle*; sed delectatio, & tristitia neutra harum est: ergo non est actus elicitus voluntatis. Maior patet, quia in his sufficienter inuenitur adæquata ratio prosecutionis boni, & fugæ mali per actum elicitum, siue latè considerentur respectu obiecti absentis, & præsentis, absolutè, aut respectiuè, siue respectu obiecti determinati, & sub determinato statu præsentis, vel etiam absentis, absoluti, aut relatiui. Minor probatur, quia delectatio: v.g. supponit obiectum, vt præsens, & possessum, vt *suprà* docuimus cum Augustino, & Philosopho, qui etiam in locis citatis idem docet; quia aduenit operationi, eámque perficit: sicut pulchritudo iuuentutem.

2. Probatio à ratione.

Obiectum supponitur possessum ante delectationem.

Si dicas quòd circa obiectum præsens non sit aliquis actus voluntatis, nisi ipsa delectatio, quæ est actus elicitus, & possessio obiecti, prout aliqui volunt.

Responsio.

Contrà. Hoc *suprà*, impugnatum est, & ex hîc adductis ex Philosopho non subsistit: quia sic

Impugnatio.

non perficeret delectatio operationem, sicut pulchritudo iuuentutem, neque esset simul tempore, & inseparabilis ab ipsa, si non sit aliqua alia operatio circa obiectum præsens præter delectationem, quia operatio antecedens delectationem extrinsecè terminaretur ad ipsam delectationem, & hac adueniente desineret: non ergo se haberet, sicut finis perficiens per modum formæ accidentalis aduenientis, sicut pulchritudo; neque esset inseparabilis ab operatione, neque simul cum ipsa; neque augens operationem nisi simul inesset: neque speciem sumens ab operatione, sed immediatè, & perfectiùs ab ipso obiecto, quàm operatio ipsum attingendo, & operatio agentis per modum desiderij, & concupiscentiæ tantùm, quam magis distinctam esse ab operatione constat, quàm delectationem ex Philosopho. Imò ipsa delectatio iuxta illam doctrinam esset ipsa operatio perfectissima hominis secundùm appetitum, & non ordinaretur delectatio ad operationem contra ipsum *cap. 6.* tunc enim acquisitio finis esset operatio appetitus, antecedens possessionem, quæ consisteret in delectatione; possessio autem excedit acquisitionem sicut terminus actionem: ergo nè hæc absurda cum aliis admittantur, admittenda est possessio finis consistere in operatione, quæ est de ipso possesso. Ac proinde delectatio non erit actus elicitus voluntatis, qui sit fruitio, aut possessio finis.

Delectatio ad operationē se habet, vt pulchritudo ad iuuentutem.

Proprietates delectationis ex Philosopho.

110 *Responsio.* Dices ergo aliter cum aliis, delectationem quidem, & tristitiam esse actus elicitos, quamuis in delectatione non consistant: v.g. possessio finis, sicut prior responsio asserit, ac proinde negatur maior proposita, nisi sub prosecutione, & fuga comprehendantur delectatio, & tristitia.

Impugnatio. Contrà. Peto quodnam sit obiectum delectationis? Aliqui respondent ipsius obiectum, v.g. delectationis in patria esse Deum præsentem; ac proinde statuunt duplicem delectationem, nempe quà est bonum sibi secundùm affectum amicitiæ, & quà bonum beato secundùm affectum commodi; alij dicunt ipsam fruitionem, & visionem obiectum proximum, alij ex his operationibus singulis, & obiecto ipsarum conflari vnum obiectum delectationis.

Contra sic argumentor; contra primum modum dicendi, repugnat Deum visum attingi primò, vt obiectum per aliquem actum elicitum voluntatis secundùm se, quàm per fruitionem, & sic vniuersaliter dico de quocunque fine possesso, loquendo secundùm vires naturales voluntatis: ergo repugnat alius actus elicitus circa Deum, aut finem præsentem diuersus ab ipsa fruitione. Probatur antecedens: quia voluntas secundùm hæc media operandi visionis, & charitatis constituitur perfectè in actu per fruitionem actualem, & proportionatam intensiuè, & extensiuè circa Deum obiectum visum, tanquam finem, & obiectum operationis elicitæ: ergo nequit esse in potentia ad alium actum diuersum, quo ipsum attingeret sub eadem ratione; aliàs posset habere alium actum fruitionis simul cum hoc, quem habet: quod nemo concedit naturaliter fieri posse; & hoc ideò quia iam est perfectè in actu, vt nata est operari per hæc media, maximè in opinione eorum, qui dicunt necessitate naturæ eam operari fruitionem. Item, ex alia parte obiectum mediante fruitione coniungitur voluntati, vt terminus extrinsecus suæ operationis, inquantùm natum est quietare voluntatem: ergo superfluit, imò impossibilis est alia attingentia obiecti per voluntatem, inquantùm hîc & nunc operatur, ac proinde alius actus elicitus eius, qui sit ad Deum sub ratione boni proprij, aut boni beati operantis: ergo delectatio adueniens fruitioni, per quam perfectè possidetur finis in patria, non erit à voluntate per modum actus eliciti, imò repugnat esse, quod est intentum. Prima consequentia patet: finis actus eliciti est constituere potentiam in actu respectu obiecti, ad quod est in potentia: ergo diuersus actus reducit ipsam ad actum diuersum, & supponit diuersam potentiam in ipsa, vel quantùm ad perfectiorem modum attingendi obiectum, vel quantùm ad diuersam attingentiam, ad quam est in potentia. Sublata ergo potentia ad obiectum, hîc & nunc, tollitur etiam actus correspondens. Hæc tollitur per actum adæquatum potentiæ in his mediis operandi: ergo alius superfluit eiusdem generis.

Non posse esse delectationem actū elicitum circa finem.

Voluntas est in actu per fruitionem vnam.

Per illam solā attingitur obiectum in patria.

Non est voluntas in potentia ad actum per modum operationis diuersum à fruitione, aut desiderio.

Peto itaque quænam sit illa potentia in voluntate, quæ reducitur in actum per delectationem, vt est operatio. 111

Responsio. Dices esse potentiam innatam activā scilicet.

Impugnat. Contra. Hæc reducta est per fruitionem formaliter ad actum; voluntas enim vel non habet talem potentiam innatam actiuam respectu finis vltimi clarè visi amandi supernaturaliter, vt quidam volunt, vel si habet, quod est verius, est inchoata, & completur per eleuationem, eáque ipsa est, quæ reducitur in actum per fruitionem.

Peto ergo vlteriùs quæ sunt causæ delectationis, vt est actus elicitus, si talis est. Non sola volūtas; quia nequit operari circa Deum supernaturalem finem nisi eleuetur. Si voluntas cum charitate, & gratia est principium elicitiuum, & delectatio vt actus elicitus respiciat finem, quà bonum diuinum est, & quà bonū beati sub ratione propria: ergo non est aliquid, per quod distinguitur à fruitione, & perinde se habet, ac si alia fruitio poneretur ad idem obiectū, quod superfluum est, & sine fundamento, quia vt dicit Philosophus *suprà*, actiuo & passiuo eodem modo se habentibus, non est natum sequi nisi idem, iuxta illud, *idem manens idem natum est semper facere idem.*

Impugnatio ex inconuenienti, & à priori.

Secundum etiam supra præmissum non saluat delectationem esse actum elicitum, seu operationem, nempe prout dicitur habere ipsam operationem, vt obiectum, nempe fruitionem, aut visionem: quia si destrueret proprietates delectationis assignatas *suprà* à Philosopho: quia hoc modo nō esset aliud quàm actus reflexus voluntatis, quo amat suam fruitionem; sic autem nō videtur quomodo perficeret fruitionem per modum finis, vt Philosophus asserit: vel quomodo eam augeret: quia quò magis multiplicantur actus in voluntate, eò magis distrahitur eius virtus actiua, vt non æquè intensè operetur circa vnum, quàm si solus esset: ergo dicendo delectationem esse actum reflexum, & diuersum à fruitione, quam respicit, vt obiectum, sequitur non perficere fruitionem tanquam finis: sed è contra à fruitione perfici vt obiecto, quia catenus perficit, quatenus intendit, & auget conatum voluntatis circa fruitionem.

Impugnatur alius modus dicendi.

Non esse actū reflexum elicitum.

Quòd si dixerit voluntatem determinari magis ad fruitionem, quia ipsam amat. Demus ergo alium actum reflexum circa ipsam delectationem quia est obiectum bonum per se amabile, & honestum ex Philosopho *suprà*; & vlteriùs circa hunc 112 *Responsio. Impugnatio.*

hunc actum alium reflexum, peto an tot actus possint distrahere voluntatem limitatæ virtutis, & actiuitatis: quis hoc negabit: sed hoc ideò, quia quilibet actus elicitus exigit specialem conatum, & applicationem virtutis actiuæ diuersam: ergo primus: sed hoc est distrahere virtutem: ergo si delectatio est actus elicitus, eam distrahit, ac proinde non perficit, neque auget fruitionem contra Philosophum: quod inconueniens non sequitur ex conclusione dicendo delectationem non esse operationem elicitam, sed aliquid receptum in voluntate secundùm inclinationem eius passiuam in obiectum; sic autem determinat ipsam per modum dispositionis consequentis, & connaturalis, non secus ac habitus per modum dispositionis antecedentis, vt consideratur per modum formæ, aut ponderis, vt quidam vocant, inclinat voluntatem ad operandum, antequàm ipsi cooperetur, si modò agit, quia agit simul cum potentia inquantùm agit; sed determinat, & inclinat ad actionem antequàm ipsa ponitur; sic delectatio quia determinatur voluntas vt agit secundùm virtutem actiuam iuxta suam inclinationem passiuam, quæ per delectationem propendet in obiectum, ac proinde firmat, & intendit operationem perfectiùs, applicando virtutem actiuam perfectiùs iuxta exigentiam passiuæ.

Delectatio inclinat ad operationem.

Præterea, si delectatio est actus elicitus, seu operatio circa fruitionem, nescio cur delectationis non esset delectatio, & sic in infinitum, quod est absurdum. Probatur tamen hæc sequela: quia iuxta Philosophum *suprà* delectatio est inseparabilis ab operatione, & *cap.* 7. dicit felicitati admixtam esse voluntatem: ergo si delectatio fruitionis, v. g. est operatio elicita, sic etiam de ipsa delectatione, quæ est operatio bona, potest esse alia, & sic in infinitum. Probatur consequentia, quia ad delectationem necessitatur voluntas, si actiuè eam elicit, cùm sit inseparabilis ab operatione, & omnis operatio bona habet propriam delectationem ex Philosopho *ibidem cap.* 5. qua ratione probat diuersitatem specificam in delectationibus; quia quæ propria sunt diuersis speciebus, quales sunt operationes diuersorum obiectorum, & ipsa etiam specie differunt: quæ est ratio eius; sed omnis delectatio boni est operatio bona, si delectatio est operatio: ergo habet propriam, & inseparabilem delectationem, & sic in infinitum. Quod absurdum non sequitur ex conclusione posita: quia delectatio, cùm sit de obiecto ab ipso, aut ab operatione pullulans, vt infrà declarabimus, status est in ipsa sicut & in operatione, & obiecto. Si quis autem velit delectationem elici liberè à voluntate, non rectè philosophatur: saltem de ea, quæ est patriæ neque secundùm principia præsupposita Philosophi: & impugnari de facili potest ipsa experientia, quæ sufficit, nè prolixiùs hoc argumentum deducatur.

Absurdum processus in infinitum.

Tertium membrum de se corruit, quia fruitio, & obiectum eius nequeunt æquè primò esse obiectum alicuius actus eliciti, quia non habent vnitatem obiecti per se requisitam ad vnitatem operationis: oportet ergo vt aliquod horum respiciat primò delectatio, si est operatio, tanquàm primarium, & formale, aliud verò vt secundarium, & materiale: quidquid dicatur, redit impugnatio iam præmissa, quoad vtrumque membrum; & sequeretur vlteriùs, quòd delectatio esset perfectior operatio, quàm fruitio, quia ad plura extenditur, continet obiectum fruitionis, & ipsam fruitionem; *suprà* probauimus contrarium.

Impugnatur tertium membrum præmissum.

Tertiò probatur conclusio, quia tristamur de iis, quæ nolentibus nobis accidunt: ergo tristitia non est actus elicitus. Patet consequentia, quia aliàs esset in potestate voluntatis proximè, & immediatè, sicut alius actus supposita sufficienti deliberatione: ergo posset non tristari, & sic damnati possent non tristari de suis pœnis, quod est falsum. Idem argumentum fieri potest de delectatione, quæ sequitur ex cognitione obiecti delectabilis. Quidam ex aduersariis hoc argumentum irrident, tanquàm nullius momenti, & vnicum esse nostri Doctoris affirmant: quamuis *in* 4. *dist.*49. *q.*7. adducit sex rationes; *in* 3. autem *dist.* 15. tangit illam rationem, & in vniuersum quotquot adducunt alij, eius sunt.

113 *3. Probatio. Ex eo quòd non sit in potestate voluntatis.*

Respondent ergo aduersarij, quòd omnis actus volũtatis est in potestate voluntatis immediatè, vel mediatè; sic delectatio & tristitia mediante potestate, quæ est in cognitionem & amorem, ad quem sequitur, est in potestate nostra, sicut neque electio supposita intentione finis: aliquando etiam neque mediatè est in nostra potestate, vt quando sequitur complacentiam similem naturalem, & necessariam.

Responsio

Contrà, hæc ratio desumitur ex modo operandi potentiæ liberæ, éstque à priori; superiùs autem ostendimus nullum actum inesse voluntati necessarium, ad quem non necessitatur formaliter suo modo, vt diximus de electione vnius medij in re coniuncti cum fine intento, ad quam ipsa intentio formaliter, id est, per modum formæ determinat voluntatem, quia est volitio ipsius medij determinati, per quod necessariò finis ponendus sit. Sed nulla operatio sic determinat ad delectationem, & tristitiam, & dicta responsio fundamento satis debili, & quod probari debet, innititur. Sic argumentor. Necessitaretur voluntas ad eliciendum delectationem, aut tristitiam, vel ex natura obiecti, vel ex natura operationis præsuppositæ, vel ex natura ipsius potentiæ, & modo operandi eo modo, quo dicitur necessitari ad actus quosdam simplices; aut ad finem vltimum in communi, aut certè particulari clarè visum; sed nihil horum dici potest ex sufficienti fundamento: ergo neque passiones istas esse operationes elicitas voluntatis. Probatur minor, non ex natura potentiæ, supposito quòd actiuè se habeat ad ipsam: voluntas ex inclinatione tam actiua, quàm passiua magis determinatur ad volitionem suam, & qua mouetur efficaciter in obiectum, & coniungitur ipsi, & quiescit in eo, quàm ad passionem consequentem: quia in illa consistit eius per se perfectio in ordine ad obiectum: in passione autem perfectio per accidens adueniens, si comparetur ad perfectionem per se; sed non necessitatur ex vlla inclinatione sua ad volitionem perfectam: ergo neque ad passionem, si sit actus elicitus; dico elicitus, quia ad passionem necessitari in confesso est omnibus; causam autem huius necessitatis intendo probare eam esse, quia non elicitiuè est à voluntate, ac proinde argumentum stare.

Impugnatio.

De causa inferente necessitatem, & eius exclusio.

Non est ipsa voluntas eliciens, aut inclinatio eius.

Magis inclinatur ad operationem, quàm ad passionem.

Maior est manifesta, quia modus agendi causæ fundatur in eius inclinatione ad effectum; hinc distinguitur causa naturalis à voluntario, liberum à necessario, & hoc idem est fundamentum, ex

ex quo aliqui admittunt actus necessarios quosdam in voluntate. Minor est æquè certa, & consequentia rectè sequitur.

114 *Responsio.* Dices necessitari voluntatem ad passionem ex suppositione actus.

Impugnatio. Contrà. Vel ille actus est ipsius voluntatis prior, vel intellectus, & sic argumentor. Passio quandoque inest voluntati non præcedente alio actu ipsius, qui sit prior, & solùm ex apprehensione obiecti conuenientis: quia ipsa speculatio per Philosophum causat delectationē, si est obiecti perfectissimi vt virtutis, vel alterius, quæ non dictat de opere hîc & nunc, Item, si est apprehensio obiecti, ad quod voluntas ex appetitu innato inclinatur; quia si obiectum est conueniens hoc modo, non minùs causat delectationem, quàm si per appetitum elicitum esset conueniens. Ponamus casum supposita visione beatifica, & voluntate non eleuata fieret in ipsa delectatio; Vel detur casus de obiecto delectabili, in quod inclinat appetitus sensitiuus antecedenter ad consensum voluntatis; hæc delectatio etiam redundat in voluntatem ex apprehensione nisi resistat. De ponendo apprehensionem, & imaginationem talis, demus cognitionem, esse perfectam: ergo in eo casu necessitas delectandi non prouenit ex suppositione actus voluntatis: neque sufficit cognitio, aut obiectum in cognitione ad inferendam necessitatem voluntati in suo actu elicito, qui dicitur operatio, vt distinguitur à passione ad quem per se primò magis ordinatur intellectus, & obiectum, quàm ad delectationem: ergo necessitas illa non prouenit ex suppositione actus, qui posset necessitare voluntatem ad eliciendam delectationem. Patet assumptum, quia talis est ordo obiecti, & cognitionis ad voluntatem, vt priora sunt in ratione motiui; qualis est ipsius voluntatis ad ipsa vt mouet: voluntas autem, vt dictum est, principaliùs ordinatur ad bonum, & cognitionem eius, secundùm vtramque inclinationem suam tam actiuam, quàm passiuam, quà est operatiua, quàm vt nata est pati per passionem. Ex quibus patet maior principalis quoad alia duo membra, quòd nempe hæc necessitas non oriatur ex natura obiecti, vt comparatur ad voluntatem, neque ex natura operationis, quæ supponitur ad delectationem. Et ampliùs confirmatur, quia operatio intellectus non infert necessitatem vllam voluntati, nisi ex natura sui obiecti, quod contingit esse indifferens. quamuis de eo, aut operatione circa ipsum contingat delectatio. Quòd si est operatio voluntatis, peto qua ratione necessitet voluntatem, vt eliciat delectationem, maximè si sit antecedens, & ad ipsam operationem inclinans, qualis est quandoque vocatio prima ad gratiam ex Augustino, & quæcunque alia delectatio trahens ad consensum, vndecúmque oriatur; clarum enim est ad eam non necessitari voluntatem per consensum sequentem: ergo necessitas eius aliunde peti debet ex causis. Quòd si delectatio sit consequens operationem, peto vnde ad eam operatio necessitet voluntatem? Si propter connexionem prioris ad posterius, hæc inuenitur inter actum, & delectationem reciproca, quàmuis delectatio ad actum non necessitet; quare ergo actus ad delectationem necessitat voluntatem?

Passio antecedit quandóque operationem.

Necessitas passionis nequit reduci ad voluntatem, vt sic elicientem.

115 Deinde, vel delectatio est de operatione, vt obiecto, vel certè de obiecto ipsius operationis.

Si primum, operatio vt habet rationem obiecti non mouet nisi vt cognita: sic autem est in se obiectum indifferens, qui sicut in *esse* operationis non habet necessariam connexionem cum voluntate, ita neque vt obiectum eam necessitat. Si operatio mouet voluntatem tanquàm actus prior ad delectationem tanquàm posteriorem, quæ tamen versatur circa idem obiectum.

Contrà, obiectum est indifferens præcisè, & secundùm se sumptum; manente autem hac indifferentia nequit necessitari voluntas per ipsos: si autem delectatio respiciat obiectum, quà volitum est: ergo ipsa volitio transit in conditionem obiecti tanquàm primùm volita, & redit quod ante assumptum est.

Deinde, peto an specie distinguatur delectatio à volitione in ratione actus: si non distinguatur specie, superfluit, quia vt distincta numero solùm, non videtur conferre effectum aliquem diuersum, ad quem voluntas est in potentia. Si differat specie: ergo etiam obiecto; quia ex parte potentiæ non est fundamentum differentiæ, si eam eliciat: obiectum autem non est quærendum aliud diuersum, præter operationem: nulla autem necessitate voluntas habet volitionem suæ volitionis ab ipsa diuersam: ergo passio non est operatio elicita. Deinde, beati habent nolitionem, & fugam obiecti; v. g. peccati præteriti sine tristitia superueniente: ergo non necessitat actus antecedens ad eliciendum tristitiam; sed si voluntas esset principium elicitiuum eius, sic necessitaret, sicut in beatis per fruitionem redditur voluntas impeccabilis, & per intentionem necessitatur ex suppositione voluntas ad electionem, ita vt separari nequeat ab intentione perfecta.

Qualis differentia operationis à passione.

Non esse tristitiam in beatis.

Si dicas impediri tristitiam propter gaudium illius status, & perfectionem. 116 *Responsio.*

Impugnatio. Contrà. Quia si tristitia esset actus elicitus à voluntate per modum fugæ, non impediretur: quia non impeditur fuga per modum operationis: nec maior ratio est de vna, quàm de altera fuga; restat ergo dicendum tristitiam non esse fugam per modum operationis. Confirmatur, quia *Confirm.* per nolitionem ipsam mali voluntas est sub extremo contrarietatis, & contradictionis, qua nulla maior determinatio ipsi potest aduenire: ergo tristitia non aduenit ipsi per modum fugæ; minùs dici potest aduenire per modum prosecutionis; quod enim esset eius obiectum, nisi eam interpreteris per modum volitionis fugæ prioris, quæ est nolitio mali: ad talem autem actum non necessitatur voluntas, neque requirit aliam determinationem, cùm ex sua natura inclinata sit ad talem inclinationem mali, sub ratione mali: ergo sequitur tristitiam non habere rationem actus eliciti.

Per nolitionē voluntas vltimatè determinatur.

Confirmatur secundò, quia perseuerante operatione cessat delectatio ex Philosopho *suprà* citato, & experientia constat aliquid esse volitum efficaciter, & possessum seclusa delectatione consequente: ergo ad delectationem neque necessitat operatio, neque voluntas eam elicit supposito amore. Antecedens patet ex Philosopho, quoad primam partem, quia cessante admiratione, & nouitate rei cessat quandóque delectatio, quamuis maneat operatio: v. g. visio spectaculi assueti, & aliqua efficaciter volita pariunt tristitiam magis quàm delectationem, & potio amara ob sanitatem, & proiectio mercium in mare, & sic omnis res volita ex adiuncta conditione alicuius noliti magis parit tristitiam, quàm 2. *Confir.*

Cessat delectatio manente operatione.

quàm delectationem. Vtraque consequentia patet, quia si operatio necessitaretur, voluntas ex suppositione operationis, quamdiu maneret operatio, maneret delectatio, neque posset suspendi: quia actiuum, & passiuum vniformiter applicata eundem effectum habent, si necessariò sequitur. Hoc autem non concludit contra conclusionem positam, dato quòd ab obiecto sequatur delectatio in voluntate: quia nempe tollitur conditio illa ex parte, per quam reddebatur delectabile, & conueniens, siue sit nouitas rei, & admiratio, seu quædam mentis suspensio, siue quia appetitus inferior repugnat, cui nata est voluntas condelectari, & contristari; quamuis ipsa in operando non cedat; nequit tamen delectari, quia repugnantia illa tollit, vel absorbet delectationem, vt redundat in voluntatem ex sympathia potentiarum. Quòd si verò esset actus necessariò elicitus supposita operatione perfecta, etiam necessariò sequeretur, sicut electio intentionem, & vsus vtrumque.

Delectatio aliquando non sequitur operationem, & quare?

Aliæ rationes videantur, quas habet Doctor, & reducuntur ad authoritates Philosophi *suprà*. Ex dictis manet impugnata secunda sententia, quia nulla est ratio illius difformitatis, quam adducit inter delectationes, quæ à voluntate, & quæ ab obiecto causantur, cùm omnes eundem effectum habeant in voluntate: ergo ad idem genus, & causas reduci debent, cùm nulla pecularis ratio in vna inueniatur, quæ non sit in altera.

Reiicitur secunda sententia.

117 *Obiectio ex Philosopho.*

Obiicies primò ex Philosopho septimo Ethicorum cap. 12. *Quapropter non benè sese habet voluptatem dicere generationem esse, qui est secundùm naturam: & pro hoc sensibile sine impediment.*, &c.

Varia eius loca.

Hîc respondet obiectioni aliorum, qui putabant voluptatem esse generationem; quod improbat dicens eam esse operationem habitus, &c. Item, *infrà* concedit voluptatem non esse opus artis, quia voluptas non est factiua alicuius operationis; voluptas autem est operatio, & *cap.* 13. supponit tanquàm notissimum voluptatem esse operationem. Item *primo Rhetoricorum cap.* 10. *in fine* delectationem esse motum quendam animi, & affectionem totam simul, motus animi propriè est operatio. Item *lib.* 3. *de anima cap.* 7. *textu* 29. *delectari, aut dolere ait esse operari ipsa medietate sensus ad bonũ*, &c. Per medietatem sensus intelligitur ipse appetitus, & statim addit *fuga, & appetitus qui est actu, hoc sunt.* Item, *in eodem lib. cap.* 10. *textu* 53. *&* 54. *appetitus est mouens motum respectu delectationis, & lib.* 7. *Magnorum Moralium c.* 7. *Voluptates namque vtroque modo dictæ sunt operationes.*

Aliqui, vt Vasquez & Salas, qui adhærent oppositæ sententiæ, putant ex Philosopho parùm subsidij esse.

Alij contrà putant loca præmissa clara esse.

Responsio.

Respondetur tamen neque clara esse, neque probantia; sed explicari debere iuxta ea quæ *lib.* 10. ex eo præmisimus, vbi propriam sententiam ex instituto exposuit.

118 *Delectatio quorundam reiicitur.*

Cæterùm Vasquez *loco citato cap.* 3. conatur probare Aristotelem locis citatis pro conclusione non agere de delectatione, quæ est in appetitu, sed de alia indistincta ab operatione intellectus, & sensus: quam interpretationem sequitur etiam Suarez 1.2. *disp.* 8 *sect.* 1. *conclus. vlt.* sed hæc interpretatio non est vera, neque ad sensum Philosophi, qui nunquam posuit in intellectu delectationem, vt in subiecto, neque in potentia cognitiua, sed appetitiua. Vnde *suprà cap.* 5. reprehẽdit eos, qui dicunt voluptatẽ non differre ab operationibus, asserens deceptos fuisse, *quia inseparabiles sunt, id est, naturaliter sequuntur: non tamen ipsa voluptas mentis esse videtur operatio, neque sensus: est enim absurdum; sed quia non separatur, idem quibusdam videtur*, &c. Hinc distinctionem specificam statuit in ipsis ex distinctione specifica causarum, nempe operationum mentis, & sensus, & harum etiam inter se. Vnde quando dicit in initio capitis voluptates esse proprias operationum, intelligitur in sensu causali, quatenus sequitur propria quámque operationum, quam perficit, intendit, & auget, quòd nulla ratione fieri posset, nisi distingueretur realiter ab ipsa. Vnde cõparat voluptatẽ ad operationem; sicut se habet pulchritudo ad iuuentutẽ.

Alij interpretantur Aristotelem *in lib.* 10. non dicere voluptatem non esse oparationem in genere; sed tantùm non esse illam operationem, ad quã sequitur, nempe mẽtis & sensus; Ita Ægidius §. 3 *&* 4. *in fine*, colligere tamen ex hoc delectationem, licèt, mediante operatione fiat, non esse actum elicitum appetitus, est valdè puerile: quia inquit, operationem produci à potentia mediante alia operatione, licèt inferat eam immediatè, non produci à potentia, non infert à potentia simpliciter non produci. Sed hæc solutio æquè puerascit; transit enim in sententiam oppositam, quam conatur effugere, & docet cum Conrado potentiam non attingere immediatè delectationem; sed medio amore, ita vt causa proxima, & sola, ex parte appetitus, producens delectationem sit ille amor, qui est secundùm ipsum assecutiuus boni amati. Supponi nempe ex parte appetitus amorem ad delectationem plerumque cõcedunt omnes, & de hoc non est controuersia. Sed in eo, an delectatio sit actus vitalis elicitus à potentia: quod illa solutio destruit sicut & fundamentum sententiæ affirmatiuæ; quia actus vitalis necessariò in sententia ipsorum est eliciriuè immediatè à potentia, quia vitalitas eius in hoc consistit iuxta illos, quod est fundamentum præcipuum; vnde putant delectationem, quæ videtur habere modum actus vitalis, esse elicitum à potentia: qui autem negat eam immediatè esse à potentia, negat eam procedere modo congruente actui vitali: aliàs cur habitus, cuius causa est actus, & simili modo vt effectus tanquàm à causa mediata procedit à potentia, non sit vitalis actus, cùm sit immanens, vel si sola productio immediata sufficeret, cur actus imperatus, vt refertur ad voluntatem imperantem, non esset actus vitalis? Accedit denique Philosophum referre productionem delectationis non in actum, qui sit appetitus, sed in operationem intellectus, & sensus, vt *suprà* ex ipso patet. Saluando ergo mentem Philosophi dicendum est, per operationem intelligi ab ipso non actum voluntatis, sed prædictam, cuius delectatio est perfectio, & augmẽtum: atqui, inquit, cap. 5. *Atque voluptates, doloresve proprij sunt, qui in operatione per seipsam fiunt*, &c. & cap. 4. idem docet: non ergo in operationem appetitus reducit hanc efficaciam Philosophus, sed in operationem cognitiuæ, siue sit intellectus, siue sensus.

119 *Aliorum. interpretatio.*

Reiicitur.

Solutio ad oppositum vtitur.

Sensus Philosophi.

Neque cohæret alia interpretatio, quæ dicitur distinguere delectationem, non ab operatione in 120 *Aliorum. interpretatio.*

Reiicitur. in genere, sed ab operatione assecutiua finis: nam operatio assecutiua finis est desiderium efficax ex parte voluntatis; sed tale desiderium distinguit Philosophus ab operatione, & delectatione, eámque vocat cupiditatem: quæ tempore, & natura seiuncta est ab operatione, quam consequitur delectatio inseparabilis hoc modo, inferens inde quòd sicut cupiditas distinguitur specie vna ab alia, quia est circa diuersam operationem, sic etiam à fortiori ex eadem ratione diuersarum in specie operationum diuersæ sunt delectationes. Deinde, illam operationem non perficit delectatio, sed terminum eius, nempe operationem, ad quam est desiderium. Quòd si intelligatur per operationem assecutiuam finis ipsa operatio, quam consequitur delectatio: iam ostensum est non posse esse operationem aliam consequentem, & inseparabilem necessariò: quia neque ad eam est inclinatio potentiæ, neque motiuum ex parte obiecti, neque complementum perfectionis; cùm ipsa operatio sit vltimus terminus in eo mota ad finem ex parte etiam appetitus per eam quiescentis, aut in ea, si est alterius potentiæ.

Supposita ergo vera resolutione Philosophi *ex lib.* 10.

Explicatio locorum in specie. Respondetur ad obiecta ex ipso. Ad primùm locum, & cætera *ex lib.* 7. Respondet primùm Nemesius *lib* 4. *Physic. cap.* 11. dicens Aristotelem *lib.* 10. mutasse sententiam, quam scripsit *lib.* 7. Ioannes Maior. *in* 7. *Ethic. cap.* 12. *& lib.* 10. *cap.* 5. vt citat Salas, ait illam definitionem voluptatis, quam contra nonnullos antiquos Philosophos adduxit, reprobasse *lib.* 10. asserens voluptatem non esse operationem, sed ex operatione pullulasse. *Philosophum mutasse sententiam.*

121 *Replica.* Sed obiicit Ægidius hanc solutionem indignam esse, quæ recipiatur, quia non decuit tantum Philosophum palinodiam cantare, aut mutare sententiam: sed hæc obiectio minùs digna videtur tanto viro, quia nec indignum videtur sententiam mutare, vbi aliud quidpiam occurrit quod veritati congruit, & perspicaciùs & accuratiùs hæret quis in rei ipsius consideratione: certum enim est Philosophum accuratiùs explicuisse naturam delectationis *lib.* 10. quàm *lib.* 7. vt constat ex eius discursu; neque enim puerorum instar ex memoria scripsit, sed ex discursu, & indagatione, quæ tum diligentior ex instituto fuit, quando de vltima felicitate agendum erat & an in delectatione, an in operatione consistat inquirendum. Præmittendum itaque erat quid esset delectatio, & in quo distingueretur ab operatione. In priori autem libro egit tantùm de delectatione in genere, impugnando sententias veterum, qui eam à ratione boni excludebant, & sufficiebat quæcunque eius descriptio, quæ corrigeret aliorum errorem: quia is locus non erat proprius determinandæ quæstionis, quia neque institutum eò ducebat, neque discursus exigebat cùm solùm respondeat argumentis antiquorum: quæ adducit *cap.* 11. & quibus aliqui adstruebant nullam voluptatem per se, aut per accidens esse bonam. *Diligentiùs lib. 10. Eth. Philosophus tradidit naturam delectationis.* *Methodus eius.*

Alij, quamuis omnes bonæ sint, nullam tamen esse summum bonum.

Alij quasdam bonas esse, pleráque verò prauas: rationem sententiæ mediæ reiicit: & respondet ad fundamenta primæ, & postremæ; quarum prima est, quòd omnis voluptas sit generatio sensibilis in naturam: quod reiicit, quia non omnes delectationes sunt generationes, aut cum generatione fiant: neque consistunt in *fieri* habituum, sed in vsu; neque omnium est finis aliud quidpiam, sicut generationis finis est natura, sed earum tantùm quæ ducunt ad naturam. & concludit: *Quapropter & non benè sese habet voluptatem dicere generationem esse sensibilem; sed dicendum est potiùs, operationem eius habitus esse, qui est secundùm naturam, & pro hac sensibilem, sine impedimento*, &c.

Non aberraret ergo, qui diceret Philosophum non definiuisse delectationem ex propria sententia, sed correxisse traditam ab aliis, excludendo ab eius definitione generationem sensibilem, & potiùs accommodando ea, cum quibus contingit, nempe operationem, ex qua est, quæ est secundùm habitum, & inclinationem naturalem, non impeditam: non quòd operatio in recto dicatur de delectatione, sed quòd delectatio eam consequatur, & sit magis nota operatio, cum qua adhæret; vnde sicut *infrà*, speciem, & bonitatem, & naturam delectationis per operationem, cuius est effectus, tanquam per causam colligit, & declarat; ita hîc etiam eam describit per eandem operationem; qui, inquam, hoc diceret, non aberraret à sensu Aristotelis; neque toto illo textu quidpiam est, quod oppositum concernat. Ad confirmationem autem huius facit quòd *infrà lib.* 10. *cap.* 3. impugnans eosdem veteres non facit mentionem illius descriptionis. Quamuis *ibi* doceat non esse generationem, aut motum prout antiqui dixere. Per hæc patet ad reliqua illius textus *ex lib.* 7. Huc etiam accedit responsio, quam insinuat Doctor *in* 1. *dist.* 1. *quæst.* 3. §. *Quòd frui accipitur*, &c. *in fine*; quæ etiam est frequens, & eam admittunt aduersarij, etiam de mente Aristotelis; & D. Thomas *suprà* citatus; & in textu; éstque frequens & vera in se: quòd operatio, nempe dicatur de voluptate causaliter, & concomitanter, non verò formaliter per se tanquàm prædicatum intrinsecum. 122 *Operatio dicitur de delectatione causaliter*

Respondeo etiam tertiò. Saluando definitionem quoad illam particulam esse formalem, quòd Philosophus non distinguat *in libro septimo* delectationem ab operatione, neque id exigebat institutum: sed tanquàm totum integrale in ea definitione comprehendit & delectationem, & operationem, ex qua est; quod patet ex ipsa definitione, ex illa particula *sine impedimento*, quæ referri debet non ad delectationem, sed ad operationem; ex qua est delectatio: quæ duo exigit, vt sit, nempe secundùm dispositionem debitam, & non sit cum impedimento, aliàs non sequeretur delectatio. Quod clariùs manifestatur cap. 13. *At verò nihil prohibet voluntatem aliquam optimam esse, si nonnullæ voluptates sunt prauæ*, &c. *Quin potiùs, & forsitan & necesse est expetibilem esse, aliquam tamen, si sunt vniuscuiúsque habitus operationes sine impedimento, siue omnis operatio sit felicitas, siue vniuscuiuspiam ipsorum vacans impedimento: hoc est autem voluptas. Quare fit vt aliqua voluptas ipsum sit summum bonum*, &c. *atque ob id ipsum felicem vitam iocundam esse omnes arbitrantur, nectúntque ipsam voluptatem cum felicitate, non absque ratione: nulla namque operatio perfecta est, si impediatur: at felicitas operatio est perfecta: Quapropter felix indiget bonis, & externis, ipsa fortuna quo non impediatur* &c. 123 3. *Responsio.* *Voluptas integrat felicitatem.*

Dicit ergo operationem, quæ fit secundùm inclinationem, & non impeditam, esse summum bonum, 124

bonum, & summè appetibilem aliquam talem; approbátque dictum eorum, qui felici vitæ annectunt delectationem, quia nulla operatio perfecta est, si impediatur, & felicitas operatio perfecta est: quapropter indiget bonis corporis externis, & fortuna felix nè impediatur in sua operatione, qua coniungitur summo bono, & subiungit malè aliquos sentire felicem esse quempiam, quamuis in tormentis. Loquitur ergo de felicitate inquantum integratur operatione, quæ coniungit summo bono, & delectatione eam consequente, & sic vocat eam operationem perfectam, quia ad perfectionem eius spectat voluptas, nempe integralem, non vt pars, sed vt *infrà* dicit, *lib.* 10. tanquam perfectio connaturalis consequens; & vt comprehendat delectationem, dicit debere esse operationem perfectam hoc modo, & non impeditam, aliàs non esset perfecta, neque delectabilis. Et *infrà* dicit; nisi voluptas, & operatio (nempe cui connexa est voluptas) sit bonum, felicem viuere cum voluptate non posse, &c. *Neque igitur studiosi ipsius vita iocunda erit, si non sint & operationes ipsius iocunda.* Quibus verbis comprehendit tam operationem, quàm etiam delectationem. Et sic communis Theologorum coniungit delectationem patriæ operationi tanquam integrantem felicitatem illius status, quò spectant quædam loca Sancti Augustini, & aliorum Patrum. Argumentum ergo aduersariorum procedit à coniunctis ad diuisa: neque facit ad mentem Philosophi, qui de operatione delectabili agit, seu de operatione, vt habet annexam delectationem prout ipso etiam approbante veteres coniunxerunt felicitati delectationem: & sic illa definitio non erit delectationis præcisè sumptæ, sed operationis delectantis, id est, operationis cum sua vltima, & propria perfectione; inde autem inferri nequit delectationem seorsim sumptam esse operationem. Ex quo facilis est concordia cum iis, quæ habet *in* 10. *Ethicorum cap.*4. quia ibi agit de delectatione præcisè sumpta, quærens quid non sit delectatio, & quomodo perficiat operationem. Et asserit eam non esse operationem, sed consequi eam atque perficere. Ex his patet ad reliqua obiecta *ex capite illo* 11. *libri*.7.

Est perfectio consequens.

125 Ad illud quod est *lib.*1. *Rhetoricorum:* vbi dicitur *voluptatem esse motum animi quendam, & affectionem totam simul*, additur etiam *& sensibiliter in naturam proficiscentem, dolorem verò contrarium.*

Ad alium locum. Respondetur.

Respondetur definiri in ordine ad subiectum, & non in ordine ad causam, seu principium, & causam actiuam, quæ mox ex capite sequenti colligitur in principio. *Quare*, inquit, *si voluptas sit, patet id iocundum esse, quod dictam affectionem efficit: triste verò ac dolorosum, vel eius corruptiuum vel contrariæ affectionis effectiuum*. &c. Subiicit autem iocundum dici quod secundùm naturam est, aut consuetudinem, supple, conueniens, & quod violentum non est. *Vis enim*, inquit, *præter naturam est: Itaque tristis necessitas est, rectè dicitur violentum omne natura dolorem efficere. Quare cura, seria, animi intentiones, tristia sunt necessitudine, aut vi fiunt, nisi qui faciunt, assueti sunt*, &c. Ecce causas harum affectionum asserit Philosophus esse res ipsas: nempe vt applicantur per intellectum & sensum, quia *infrà* dicit memoriam præteritorum, & imaginationem harum causas esse, quæ vel secundùm naturam, & consuetudinem, vel præter naturam sunt, seu contra inclinationem eius; quædam proinde voluntaria esse: quædam contrà violenta: violentum autem non procedit elicitiuè ab appetitu: quia est à causa extrinseca passo non conferente vim, vt habet Philosophus 3. *Ethic. c.*3. *& lib.*1. *Magnorum Moralium, cap.*15. Vnde constat argumentum hoc facere pro conclusione præter intentum impugnantium.

Causæ passionum sunt obiecta cognita.

Ad locum *ex lib.* 7. *Magnorum Moralium, c.*7. contrarium apparet, nam dicit acrimoniam, & voluptates comitari affectus animi, vt *suprà* præmisimus.

Ad aliud ex *lib. de anima* respondetur intelligi causaliter.

Obiiciunt secundò Augustinum *lib.* 14. *de Ciuitate Dei, cap.*6. dicit, loquens de his affectibus, voluntatem reperiri, imò omnes nihil aliud quàm voluntates sunt. 126

2. Obiectio.

Respondetur cum Doctore *suprà* intelligi illas locutiones causaliter, quia voluntas est causa talium mediata, siue permissiuè, siue positiuè, non autem elicitiuè eorum per modum operationis, neque eas subesse voluntati, aut sequi ad eius operationem, probat esse elicitos ab ipsa. quia sic etiam actus eliciti aliarum potentiarum sunt à voluntate imperante, aut permittente quod non probat eas elici ab ipsa; inuenitur tamen voluntas in ipsis; potest autem voluntas præuenire, & remouere causas proximas, ex quibus huiusmodi affectus oriuntur per suspensionem volitionis, aut nolitionis propriæ, ad quam aliquando sequuntur, vt ipse fatetur, *cap.*10. docens aliquos affectus fuisse in primo statu innocentiæ in primis parentibus, non perturbatos: *Amor*, inquit, *erat imperturbatus in Deum, atque inter se coniugum fida, & sincera societate viuentium, & ex hoc amore grande gaudium, non desistente quod amabatur ad fruendum. erat deuitatio tranquilla peccati, qua manente nullum omnino aliunde malum, quod contristaret, irruebat*, &c. Gaudium ergo ex amore redundabat tanquam causa, tristitia verò ex irruente malo fit, quæ distinguitur à fuga tranquilla mali vt insinuat tanquam diuersa ab ipsis, quod congruit dictis. Potest etiam voluntas diuertere intellectum à consideratione obiectorum, ex quibus primùm oriri possunt, quando insunt à natura, scilicet ex inclinatione non elicita voluntatis, vt *infrà* declarabimus, eo sensu, quo ipse Augustinus ait: *impossibile esse quin visis tagamur*. Augustinus ergo non separat *illo c.*6. hos motus ab actibus volũtatis, quibus in consensioñe, aut dissensioñe eorum fertur, & iis, ex quibus oriuntur, qui sunt in eius plena potestate: *nam quid est*, inquit, *cupiditas. & lætitia, nisi voluntas in consensioñe eorum, quæ volumus? & quid est metus, & tristitia, nisi voluntas in dissensionem ab his, quæ nolumus?* quibus verbis comprehendit tam actus antecedentes, ex quibus oriuntur, quàm consequentes, quibus in ipsas passiones consentimus, & dissentimus; nam agebat de his inquantùm ad meritum, aut demeritum conducunt, seu ad rectam, & prauam voluntatem, de qua disserit: alioquin authoritas æquè contra aduersarios concludit, quia certum est illas passiones, seu affectiones necessarias esse, supposita volitione, aut nolitione obiecti, & sub hac ratione non esse liberas. demus elici à voluntate, non loquitur hîc Augustinus de voluntate in actu primo, vt est potentia, sed in actu secundo vt est actus, quod supponunt arguentes, neque de voluntate aliqua necessaria, sed libera.

Responsio.

Explicatur Augustinus.

Quomodo passiones sint in potestate nostra?

August.

Agit Augustinus de passionibus, vt spectant ad bonam, aut malam voluntatem.

Inter est autem, inquit, *qualis sit voluntas hominis, quia si peruersa est, peruersos habebit hos motus. Si autem recta est, non solùm inculpabiles, verùm etiam laudabiles erunt. Voluntas est quippe in omnibus*, &c. Ratione ergo voluntatis rectæ, vel malæ hi affectus imputantur ad bonum, aut malum; ac proinde non distinguit Augustinus ipsos ab actibus, in quorum naturam transeunt, iuxta etiam sententiam Philosophi. Loquitur etiam in genere de illis affectibus, siue oriantur in ipsa voluntate, siue in appetitu inferiori, cui accedit consensus aut dissensus voluntatis, ideóque illæ particulæ *voluntas in consensionem, & in dissensionem*, &c. Quò spectant ea, quæ docet *12. de Trinit. cap. 12.* & ex eo Magister cum aliis *in 2. d. 24.* vbi in homine ait figuram primæ transgressionis reperiri, & per suggestionem appetitus significari serpentem, per consensum autem in cogitationem prauam mulierem, per consensum voluntatis in opus ipsum virum significari, & per consensionem vtriúsque peccatum consummari. Intelligenda ergo similiter priora verba causaliter, vel concomitanter, quatenus ex præcisa actione, & consensu libero voluntatis causantur illæ passiones, vel eodem accedente acceptantur.

127 3 *Obiectio.* Obiiciunt tertiò. Omnis actus vitalis est effectiuè à potentia, cuius est actus, quia id competit ipsi ex sua natura. Delectatio autem est actus vitalis, vt docet Aristoteles 1. Ethicorum cap. 8. *Nam voluptate quidem affici, ex iis est, quæ ad animam pertinent*, &c. Et Augustinus *suprà* docet delectationem esse actum voluntatis; & quòd quæ vita carent, delectari non possint.

Responsio. Respondetur. Transeat maior, quæ etiam cum sua probatione falsa est. Negatur minor, ad cuius probationem concedo ad animam pertinere delectationem, non tamen per modum affectus, sed formæ, & perfectionis connaturalis actus, spectat ad appetitum; ad cognitionem verò vt ad causam: intelligendus est Philosophus iuxta ea, quæ *libro 7.* docet delectationem pertinere, nempe ad vitam, quà eam perficit mediante operatione, à qua distinguitur, vt ipse Philosophus 10. *Ethicorum cap. 4.* declarat: *Putauerit autem quispiam omnes ideò voluptatem appetere, quia viuere etiam omnes affectant; vita verò quædam est operatio*, &c. & infrà: *voluptas autem perficit operationes, & ipsum etiam viuere, quod appetunt*, &c. Ipsum ergo *viuere*, quod perficitur per delectationem proximè, est ipsa operatio. Et patet ex verbis sequentibus. *Quærere verò, vtrùm ob voluptatem viuere expetamus, an voluptas ob vitam, missum in præsentia facimus: coniuncta enim hæc esse videntur, & non suscipere separationem: nam & sine operatione voluptas non fit, & omnem operationem perficit ipsa voluptas*, &c. vbi per *viuere*, & vitam, intelligit operationes, quæ sunt vita in actu secundo; ac proinde delectatio non spectat ad vitam in actu secundo, id est, ad operationem vitalem, sed ei accedit tanquam perfectio iuxta sententiam Philosophi. Accedit vlteriùs ideò Philosophum dicere voluptatem spectare ad animam, vt sustineret vulgarem illam diuisionem bonorum in ea, quæ sunt animæ, quæ corporis, quæ externa: & hoc modo spectat delectatio ad animam, tanquam ad proprium subiectum, & tanquam accessarium complementum operum modo dicto. *Quomodo passiones ad vitam spectant?*

Ad secundam probationem patet ex iam dictis, Tertia verò nihil vrget: quoniam viuentia, etiam anima vegetatiua tantùm non delectantur: non inde sequitur delectationem esse actum vitalem in eo, in quo est.

Obiiciunt quartò, Delectatio habet pro obiecto ipsum delectabile, in quo per delectationem quiescit tanquam in proprio obiecto potentiæ, quam ipsi coniungit, qui est proprius modus, & effectus actus vitalis: ergo est operatio. 128 4. *Obiectio.*

Respondetur ex Doctore *in 4. loco citato* negando antecedens, si propriè loquamur: quamuis enim obiectum delectabile sit causa delectationis, non tamen ipsam causat vt obiectum, sed vt causa efficiens, & totalis, supposita debita dispositione appetitus; neque delectatio sic coniungit obiecto, neque per delectationem quiescit propriè appetitus in obiecto, sed præsuppositiuè, vt rectè Doctor *quæst. 4.* quiescit enim appetitus per operationem perfectam, quæ consequitur finem, quem desiderat, & ad quem est intentio, electio, & vsus, & fruitio, quæ est terminus intentus à voluntate, & terminans eius motum. *Responsio. Obiectum non per modum obiecti causat delectationem, sed causa totalis efficientis.*

Sed vrget Ægidius rectè desumi argumentum à quiete naturali ad quietem appetitus, quia nihil aliud est delectatio, quàm quies appetitus in bono, ad quod mouebatur, vt est axioma Philosophorum. Si autem Scotus loquitur in sensu formali manifestè, petit principium, quia illa operatio, quam dicit, non est quies appetitus, sed delectatio, & debili fundamento innititur. Si verò in sensu causali loquitur, admittenda est propositio; sed destruit ipsam Scoti rationem. Ita præfatus author *lib. 4. quæst. 11. art. 2. §. 3.* sed discursus est abundans: Nam si Scotus docet delectationem non procedere à voluntate eliciti uè, sed ab obiecto, vt est conueniens, non est petitio principij; sed necessaria consequentia, motum voluntatis terminari ad aliquem, qui est ab ipsa voluntate, quo posito cessat motus voluntatis in operando, sicut producto calore intento per se, cessat motus calefacientis, subiectum fit in actu perfecto, & quiescit sub tali forma: per accidens autem est, si moueatur ad aliam formam, & alio agente; quies enim succedit formæ, quæ est terminus motus, atque per ipsam formaliter subiectum quiescit, per quam in actu constituitur ablata, seu satiata eius potentia, & terminatur virtus agentis quoad exercitium, sicut & actio eius; quis enim dicit generantem ampliùs non cessare ab actione substantiali, & materiam non quiescere sub forma substantiali producta; quamuis aliquæ perfectiones connaturales subsequantur in producto. Vnde hæc ratio non est petitio principij, motus & quies opponuntur: ergo quidquid terminat motum formaliter, inducit quietem oppositam tali motui, quia alterum eorum inesse debet, & sibi immediatè succedunt circa idem subiectum: ergo operatio illa, per quam possidetur perfectissimè finis, & prout intenditur, & desideratur ab appetitu se mouente ad eius assecutionem iam posita ponit priuationem motus. Talis est, per ipsum Ægidium, operatio, quæ antecedit delectationem; vult enim hac ratione probare assecutionem finis non consistere in delectatione, sed eam sequi delectationem. Vnde per ipsum & communiorem, delectatio excluditur à ratione beatitudinis essentialis: quis autem dubitat potentiam quiescere perfectè sub beatitudine formali tanquam perfectissima sua forma, per quam terminatur eius appetitus, & satiatur, & reducitur *Replica. Solnitur. Responsio. Doctoris. sustinetur. Comparatio motus, & quietis. Quiescit potentia per operationem formalem.*

tur omnis potentia eius ad actum sublata indigentia,& priuatione. Vnde hoc dato seclusa operatione,& posita delectatione nunquam quiesceret, aut possideret formaliter finem, supposito quòd eius possessio consistat in operatione formaliter. Vnde secundùm Philosophum *suprà* delectatio ad operationem ordinatur, non contrà, & sæpè etiam operaretur virtuosus quamuis non sentiret delectationem; quia operationem intendit, non delectationem. Vnde delectatio per se non est appetibilis, nisi ratione operationis, neque bona est, neque mala per se, neque, vt dixi, appetibilis; ergo quies appetitus non in ea consistit, vt seipsum mouet in finem: quòd autem consequatur operationem, quæ est possessio finis, nihil refert, quia neque sequitur ex virtute appetitus,& dato etiam opposito, cùm neque per se primariò intendatur, sed accessoriè, & vt perfectio extrinseca operationis nequit esse quies appetitus, qui primariò in operatione quietatur, completur,& perficitur. Illud verò axioma, quod dicit, ad congruum sensum reduci debet, nempe delectationem dici quietem appetitus, quando sequitur operationem; quia ea posita terminatur omnis motus eius, siue à se, siue ab alio fiat respectu talis obiecti.

129 *Delectatio intendit operationem.* Accedit per Philosophum ad confirmationem dictorum, delectationem intendere ipsam operationem,& augere: quod verum non esset, si esset quies appetitus: & ampliùs probabitur delectationem antecedere quandóque ipsam operationem, & esse principium inclinans appetitum ad operandum; quandóque autem cessat ipsa, quiescente appetitu sub operatione, quia mutatur dispositio operantis, quamuis ipsam operationem conseruet: sed de hoc satis, quia extrà propositum est.

Quinimò ipse Ægidius recidit tandem in hoc ipsum, asserens acquisitionem finis esse terminum intrinsecum desiderij: delectationem verò extrinsecum, quamuis neque hoc propriè dicitur, nisi modo iam dicto, quia secundùm veram Philosophiam quies subiecti sequitur ad illam formam, qua primariò,& per se actuatur, & reliqua ad ipsam ordinantur tanquàm perfectiorem. Vnde cùm hoc conueniat operationi: v.g. beatitudini essentiali, & non delectationi, per operationem perfectiùs quiescit appetitus, quàm per delectationem. Demus eam produci ab appetitu, propter tamen operationē. Vnde quies ad eundē terminum reducitur, per quem cessat motus,& subiectū est in actu, vt patet etiā in naturalibus.

130 *5. Obiectio.* Obiiciunt quintò, cæteri motus appetitus se habent, vt actus elicitus: v.g. cupiditas, metus, tristitia: ergo & delectatio.

Responsio Respondetur negando antecedens; si sumantur illi motus per modum passionis; si autem sumantur pro actibus, ex quibus consequuntur, sic erunt actus; sic etiam delectatio causaliter.

131 *6. Obiectio.* Obiiciunt sextò. Omnis actus, qui est in intellectu,& sensu, est actus vitalis ab ipsis immediatè procedens: ergo etiam idem erit de appetitu: ergo delectatio ab ipso procedit immediatè.

Responsio. Respondetur negando consequentiam & paritatem, quia aliter, & aliter se habent ad suum obiectum: nam sicut in sensu: v.g. externo datur species impressa ab obiecto, tanquàm à totali causa, ad quam se habet passiuè, ita passio in appetitu impressa ab obiecto. Appetitus autem, quamuis species non habet impressas ab obiecto independentes ab operatione, recipit aliam impressionem, nempe passionem, quæ aliquando ab operatione sua dependet, aliquando non.

Si dicas quare? *Interrogatio*

Respondeo, quia habet, vt dicit Doctor *quæst.* 7. §. *Dico ergo*, &c. duplicem proportionem ad obiectum voluntas; prima est, vt est potentia operatiua circa ipsum,& sic obiectum tantùm metaphoricè, & per modum finis mouet; alteram vt perfectibile passiuum, & sic obiectum effectiuè se habet ad ipsam, vt causat in ea delectationem, quæ, vt consequitur operationem, supponit finem possessum,& virtutem potentiæ operatiuam iam terminatam, posita operatione, sicut & motionem finis terminatam intrinsecè ad ipsam operationem; finis autem & efficiens, vt à fine mouetur, adæquantur in causando: si ergo finis tantùm mouet ad sui possessionem, & positionem in *esse*, ita & voluntas inquantùm agit propter finem; ac proinde supposita positione finis frustrà ampliùs ageret; delectatio verò consequens in aliam causam referri debet, & sic ipsum vocabulum *passio* propriè intelligi debet, non procedere effectiuè ab eo subiecto, in quo fit, vt patet in passione corporali, & sensibili; sed ab alio extrinseco,& magis sic saluatur modus proprius voluntatis in agendo, nempe libertas maximè circa obiectum indifferens creatum. *Solutio.* *Duplex ordo voluntatis ad obiectum.*

Obiiciunt septimò. Quoniam passionibus, seu delectatione mereri possumus, & demereri, quia delectari de gloria: v.g. Dei est opus virtutis meritorium, sicut delectari de malo proximi est actus malus: ergo delectatio est actio moralis, ac proinde non est passio: sed operatio. 132 *7. Obiect.*

Respondetur hoc argumentum non esse magni momenti, etiam in opinione opposita, quæ admittit voluntatem necessitari ad delectationem, vt ipsa experientia constat stante actu, ex quo est; actibus etiam aliarum potentiarum imperatis meremur, & demeremur, quamuis immediatè non sint in potestate voluntatis, sicut actus proprius; minùs autem est in potestate eius delectatio; quantumcumque enim imperet, vel seipsam applicet, non sequitur delectatio, si obiectum alioquin non sit delectabile, hoc est, conueniens appetitui secundùm præsentem dispositionem. Si autem sit delectabile, & sequitur operatio, nequit prohibere delectationem nisi remouendo operationem, ex qua est. Delectatio ergo neque bona, neque mala est ex Philosopho, nisi ex operatione, cuius naturam induit; quando ergo fit accedente voluntate, seu ex consentione eius, tum est libera, & consequenter bona, aut mala delectatio. *Responsio.* *In passioni potest esse meritum, & qua ratione.*

Obiiciunt vltimò. Contingit delectatio circa impossibile, & illud, quod actu non est nisi in sola apprehensione: sed repugnat aliquid non actu existens, aut impossibile habere efficaciam physicam: ergo ex ipsa voluntate fit delectatio. 133 *Obiectio vltima.*

Respondetur hoc argumentum non esse tanti momenti, quanti æstimatur: nam quidquid causatur ab obiecto, vt habet *esse* in actu intellectus, aut cuiuscunque cognitiuæ, causatur ab obiecto secundùm *esse* physicum intentionale, quod habet non in se, sed in sua specie expressa: nemo enim dubitat quin obiectum in sua specie impressa, aut expressa non habeat *esse* physicum à parte rei proprium sibi, & distinctum ab *esse* speciei: hoc non obstante dicitur in specie impressa *Responsio.* *Obiectum in cognitione potest agere intentionaliter.*

pressa causare apprehensionem effectiuè, in apprehensione iudicium, in iudicio discursum, seu assensum conclusionis, quamuis pro tunc non causat, prout habet *esse* in se, vt rosa in hyeme; & secundùm hunc modum causandi scientiæ reales distinguuntur à scientia rationis: imò hunc modum causandi ipsorum, quod vniuersale est, necessariò habet, & non alium, siue existat obiectum in aliquo singulari, siue non existat, non facit ad scientiam causatam per ipsum in sua specie prout continet ipsum. Accedit vlteriùs quòd color: v. g. apparens eandem speciem, & actum causat in sensu, quem causaret color verus. Certum etiam est iuxta communem ad actum cognitiuæ requiri influxum physicum obiecti, cuius partialis causa est tantùm potentia cognitiua: perinde autem facit existentia hæc ad influxum partialem, aut totalem obiecti. Vnde sicut hic fluxus obiecti saluatur in intellectum mediante specie, vel impressa, vel expressa, sic etiam saluatur in voluntatem, quod magis saluatur in sententia eorum, qui dicunt intellectum concurrere effectiuè ad actum voluntatis; quæ sententia, vt visum est, magis consentanea est iis principiis, quibus radix libertatis in intellectu statuitur. Quam sententiam sequitur in hoc ipse Vasquez, qui recedit à priori, & extollit vim huius argumenti, quod conficitur ex medio non probante in vlla opinione.

Varia exempla.

Applicatur ad propositū.

Ad aliud, quod obiicit contra Gabrielem, non vrget nos;& in sequentibus respondebimus conclusione tertia.

134 Secunda conclusio. Delectatio, & tristitia non causantur per actus elicitos voluntatis: est contra Gabrielem, & non contra Doctorem, vt aliqui existimant. Probatur, quia, vt videre est, apud Philosophum, delectatio in appetitu sequitur ad operationem intellectus, aut sensus, id est, potentiæ cognitiuæ; vnde ipse *suprà*, vt vidimus, dicit quòd quamdiu obiectum intelligibile, vel sensibile, & intellectus, aut sensus manent in eadem dispositione, & appetitus, seu passiuum vniformiter applicatum, natum est sequi idem, nempe eandem delectationem: ergo per ipsum delectatio prouenit ab obiecto intelligibili, aut sensibili, vt est in intellectu, aut sensu: hinc per ipsum contemplatio causat delectationem, seu speculatio, eáque operatio est iocundissima, quæ & perfectissima est ratione obiecti, ad quod intellectus, aut sensus magis inclinatur tanquàm ad perfectius sub suo obiecto contentum.

Passio non causatur per operationes.

135 Secundò probatur argumento Theologico: delectatio potest esse in voluntate antecedenter ad omnem actum elicitum eius: ergo non causatur per actum elicitum voluntatis. Antecedens probatur, primò ex Augustino *de correptione & gratia cap. 2. lib. 2. de peccatorum merit. & remiss.* & *cap. 29.* quem sequuntur eius discipuli, & alij, vt *suprà* vidimus; statuunt hi gratiam præuenientem vocationis aliquando consistere in delectatione victrice, qua omnia impedimenta, & difficultas operandi vincitur, & redditur opus legis magis delectabile, quàm sint ea, quæ per concupiscentiam abstrahunt ab operando, & quod ante fuit amatum, redditur dulce: sed hæc gratia fit in nobis sine nobis, vt docent Patres, quia est prior consensu voluntatis, & ad ipsum trahens: ergo talis delectatio non supponit amorem tanquàm causam per se essentialiter requisitam; nam supposito quòd delectatio non sit operatio, vt nobiscum docet Gabriël, rectè sequitur conclusio. Qui autem dicunt esse operationem voluntatis, respondent esse à voluntate non liberè, sed per modū naturæ, contra quos iam aliàs disseruimus.

2. Probatio.

Vocatio aliquando contingit per delectationē.

Confirmatur. Timor vt est passio, & species tristitiæ, quandoque antecedit actum elicitum voluntatis, & omnem nolitionem obiecti: ergo non procedit à nolitione. Antecedens patet quoad secundam partem ex Tridentino *sess. 6. cap. 6.* quia timor diuinæ iustitiæ incussus est primus motus peccatoris post actum fidei, quo mouetur ad conuersionem: *Dum peccatores*, inquit, *se intelligentes à diuina iustitia timore, quo vtiliter concutiuntur*, &c. *in spem eriguntur*: Ergo timor, vt docet Concilium, supponitur ad spem, dilectionem, ac tandem ad odium, & fugam peccati (vt *ibidem* docetur) quæ consequitur dilectionem: idem patet *sess. 14. cap. 4.* vbi ex metu gehennæ docet aliquando concipi attritionem fructuosam; sed iste timor non est actus elicitus voluntatis, maximè secundùm Gabrielem, qui id admittit, & contra alios patet, quia non est per modum prosecutionis, quia supponit actum fidei, antecedit actum spei, & dilectionis, qui tantùm inter enumeratos à Concilio habent rationem prosecutionis; deinde, quia est species tristitiæ, quæ in fuga versatur, non in prosecutione, vt omnes admittunt, neque offertur obiectum in eo ordine fugæ, quia proponitur diuina iustitia, per quam incutitur: ergo non est nolitio, quia sic esset vitiosus.

136 *Confir.*

Timor antecedit actum elicitum voluntatis circa peccatum.

Trident.

Timor ex quo concipitur attritio.

Si dicas esse de peccato.

Contrà, Actus tribuit denominationem potentiæ in ordine ad suum motiuum formale: non dicitur autem peccator timere illo actu peccatum, sed Dei iustitiam: deinde, prima fuga peccati secundùm hunc ordinem dispositionis est illa, quæ consequitur dilectionem, éstque ipsa pœnitentia: *Deum*, inquit Concilium *sess. 6. cap. 6. omnis iustitiæ fontem, diligere incipiunt, ac propterea mouentur aduersus peccatum per odium, & detestationem*, &c.

Responsio reiicitur.

Si dicas esse nolitionem pœnæ, quam diuina iustitia indixit peccatori. 137

Responsio.

Contrà, licèt ex pœnæ timore possit oriri pœnitentia, vt attritio ex dictis: tamen nolitio pœnæ esset inordinata, nisi extenderetur ad peccatum; talis autem timor non extenditur ad peccatum per modum nolitionis eius, quia prima nolitio peccati consequitur, iuxta hunc ordinem, ipsam delectationem. Deinde, supponendo hîc agi, vt communis docet contra Vasquem, non de contritione perfecta iustificante extra Sacramentum, sed de pœnitentia in genere, & supponendo aliam opinionem satis frequentem in Scholis, nempe attritionem specie differre ab ipsa contritione, & non supponere dilectionem Dei; si ille timor per modum nolitionis extenderetur ad peccatum, esset sufficiens dispositio ad Sacramentum contra Concilium: quod docet eam pœnitentiam, quam ibi describit, esse eam, quam agi oportet ad Baptismum.

Impugnatio.

Quòd autem talis timor, si non extenderetur ad peccatum, vt fuga eius, esset inordinatus, patet: quia ex quo affectu esset? non iustitiæ, quia nullius virtutis esset actus. Si commodi, esset inordinatus, nisi vt regulatus per affectum iustitiæ, cuius est regulare affectum commodi, nè sit vitiosus, iuxta Anselmum.

Accedit vlteriùs, si iste timor esset actus elicitus, debere esse ex gratia speciali excitante, & operante:

operante: esse enim donum Dei constat, & suo modo supernaturalem, scilicet in genere passionis, in quo etiam supernaturalitas inuenitur, vt constat ex præmissis, & Concilium *suprà* docet hanc dispositionem esse ex gratia, *disponuntur autem diuina gratia*, &c. Sed ad istum timorem non agnoscit Concilium gratiam excitantem, aut operantem: ergo neque esse actum elicitum. Probatur subsumptum, quia *infrà canone* 3. qui desumptus est ex doctrina huius capitis, vbi agit de actibus elicitis voluntatis, quæ dispositioni cooperatur, & necessitate huius gratiæ ad ipsos, quos voluntas ex naturalibus attingere nequit se sola, nulla fit mentio timoris; sed spei, fidei, dilectionis, & pœnitentiæ. *Si quis*, inquit, *dixerit sine præueniente Spiritus sancti inspiratione,*
137 &c. *hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse*, &c. Et agit de gratia præueniente, vt patet ex verbis canonis, & canone sequenti: si autem timor esset actus elicitus, necessariò esset ex prædicta gratia, cùm de fide sit, quidquid facit ad salutem, per modum actus eliciti esse ex adiutorio gratiæ, secundùm omnes contra Pelagium, & sequaces: ex alia autem parte ille timor facit ad salutem, quia disponit peccatorem ad conuersionem, & est vtilis secundùm Concilium, *quo vtiliter*, inquit, *concutiantur*. Quidquid autem est vtile, est medium respectu finis: ergo annumerandus erat timor inter alios actus elicitos voluntatis, quod præmittit Concilium, sequens sententiam veterum de his passionibus, supponendo non esse actus elicitos, contra primam opinionem: contra Gabrielem etiam causam huius timoris statuit cognitionem diuinæ iustitiæ per fidem, quæ tantùm præcessit, & per quam incutitur timor. Incutere prætereà timorem denotat motum ab extrinseco violentum.

138 Tertiò probatur ratione, vel actus voluntatis
3. Ratio. antecedens causaret delectationem; v. g. per modum obiecti, vel per modum actus. Si primum, sequitur intentum, nempe eam causare, vt est per modum obiecti conuenientis in intellectu. Si secundum. Contrà, quia nulla necessitate hæc causalitas ipsi tribuitur, quia maximè in sententia Gabrielis intellectus physicè agit in voluntatem *in 2. dist.* 25. quoad omnem actum elicitum eius. Non repugnat ergo voluntati passionem recipere ab intellectu, seu obiecto in ipso, sicut per eundem sensus agit has passiones in appetitum tanquam causa totalis: nam appetitus rationalis superaddit appetitui in genere, quòd sit liber: idque competit ipsi, quà potentia actiua est: sed respectu passionis consideratur vt subiectum ex sententia eius, quem impugnamus: ergo nullo dari potest modo differentia in hoc, quoad vtrumque appetitum. Probatur cõsequentia, quia eandem proportionem habet operatio appetitus sensitiui ad passionem sequentem, quam habet operatio voluntatis: ergo eadem est connexio hinc inde inter operationem, & passionem sequentem, ac proinde eadem efficacia: nisi fortè quispiam dicat cum quibusdam, non esse aliquam operationem appetitus sensitiui, neque esse potentiam vitalem; quod falsum est, vt nunc supponimus; alioquin non esset capax imperij, & moderationis, aut applicationis à libero arbitrio. Probatur ergo antecedens, quia operatio appetitus sensitiui æquè inclinat potentiam in obiectum conueniens, sicut amor voluntatis ipsam voluntatem: ergo æquè etiam ab eo deriuari potest passio. Patet consequentia, quia hæc oritur ex coniunctione delectabilis, & conuenientia eius ac inclinatione potentiæ ad ipsum, quæ æquè saluantur in appetitu sensitiuo, eiúsque operatione.

Quod non sit ab actu elicito voluntatis, per modũ actus considerati.

Similitudo inter passiones sensus, & voluntatis.

Opinio improbabilis.

Confirmatur primò; quia operatio, ex qua sequitur delectatio, quandoque est alterius potentiæ à voluntate: ergo ex illa potiùs sequitur per modum effectus; deinde, voluntas nata est condelectari appetitui sensitiuo: ergo potest causare in voluntate delectationem obiectum delectabile appetitus, sicut & in ipso appetitu non supposita operatione.

Confir. 1. Operatio, ex qua sequitur delectatio, quandóque est alterius potentia.

Confirmatur, operatio voluntatis eatenus causare potest delectationem, quatenus est inclinatio elicita voluntatis; sed non magis voluntas nata est delectari mediante inclinatione elicita, quàm naturali, quando obiectum ex se est conueniens, & voluntas in ipsum inclinatur ex natura sua, aut ex habitu intenso: ergo talis delectatio non causatur per actum elicitum. Deinde, inclinatio voluntatis per actum elicitum respectu obiecti delectabilis est dispositio materialis requisita ex parte voluntatis, & voluntas per modum subiecti respicit proximè ipsum obiectum, vt conueniens est in passionem, sicut etiam dicitur repugnare per operationem alicui violento, quod fit in ipsa iuxta illud, *passo non conferente vim*: sed nulla dispositio materialis præerequisita ad formam, respectu eius est propriè causa efficiens per immediatum influxum: ergo quando delectatio sequitur operationem voluntatis, non fit per ipsam, nisi vt ipsa operatio habet rationem obiecti: sic autem non habet propriè rationem operationis in exercitio, sed obiecti.

2. Confirm. Oritur ex inclinatione naturali obiecti.

Pro hac opinione Gabrielis obiici potest; nempe obiectum non causare delectationem, aut tristitiam, nisi vt volitum est, aut nolitum; sed hoc vniuersaliter intellectum non est verum; quando autem fit conueniens proximè per appetitum elicitum, tunc non aliter se habet nolitio, aut volitio, nisi vt causa materialis dispositiua, non autem vt efficiens, & sic intelligenda sunt, quæ superiùs diximus, volitionem causare delectationem, iuxta Augustinum, quia requiritur ad hoc, vt obiectum sit conueniens, & voluntas proximè in ipsum inclinetur, per quod obiectum fit conueniens voluntati iuxta dispositionem præsentem eius, quod aliàs non esset conueniens. Hoc declarabitur *infrà*.

Obiectio.

Volitio est dispositio materialis ad delectationem.

Tertia conclusio. Obiectum in cognitione est causa delectationis, aut tristitiæ. Hæc conclusio est nostri Doctoris *in 3. distinct.* 15. *quæst. vnica*. Vbi hanc materiam diffusè, & ex professo tractat, eámque egregiè declarat. §. *Aliter potest dici*, &c. Vbi summariè dicit obiectum, quod dicitur conueniens secundùm rationem absolutam, vt applicatum per cognitionem, imprimere, seu causare has passiones in appetitu, seu rationali, seu animali, tanquam actiuum comparatum ad passiuum: & *infrà* quamuis doceat tristitiam, & delectationem supponere operationem voluntatis, id est, *velle* aut *nolle*, per quæ obiectum fit proximè disconueniens, aut conueniens; dicit tamen passionem sequi ab ipso obiecto sic nolito, & volito, & præsens est, tanquam à causa; prærequiri autem illas operationes in voluntate docet, inquantùm distinguitur ab appetitu sensitiuo, cui obiectum est conueniens, aut disconueniens ex natura rei, seclusa operatione, non

139 *3. Conclusio. Passio causatur ab obiecto.*

Sententia Doctoris.

non ita voluntati: vbi sequitur vulgarem sententiam, quæ accommodatur definitioni illi sancti Augustini. 14. *de ciuitate cap.* 15. nempe *tristitiam esse de iis, quæ nobis nolentibus accidunt*, &c. Quæ definitio accommodatur tantùm tristitiæ, prout communiùs euenit: & de rebus aliàs indifferentibus, quæ supposita operatione voluntatis redduntur proximè conuenientes, aut disconuenientes. Vnde infrà §. sequenti. *Præter illum modum tristandi*, inquit, *qui videtur manifestior, quando scilicet obiectum fit disconueniens per* nolle *voluntatis: videtur dubium de disconuenientia alia ipsius obiecti, vtrùm sufficiat ad causandam tristitiam; vt si est obiectum disconueniens naturaliter, & non nolitum liberè, vel si obiectum est disconueniens appetitui sensitiuo*, &c. *Erit per hoc disconueniens voluntati propter colligantiam cum appetitu sensitiuo.* Et §. sequenti respondet affirmatiuè ad vtrúmque. Item *in hac quæstione* eandem proportionem inter voluntatem, quæ est passiui ad obiectum beatificum, vt causam delectationis exponit; & quamuis dicat operationem, quæ est fruitio, vocari delectationem causaliter, intelligendus est iuxta dicta, vt sumat illam causalitatem latè, qua fruitio disponit voluntatem, vt obiectum sit ipsi proximè conueniens; & loqui iuxta modum magis notum causandi passionem; vnde in fine respondendo ad argumenta in oppositum dicit passionem non esse de obiecto, sed ab obiecto. Per hæc etiam declaratur aliud, quod habet *in* 4. *dist.* 14. *quæst.* 1. *art.* 3. *vers. Ad quod dico*, &c. Vbi docet tristitiam non posse causari naturaliter in voluntate, nisi à duabus causis, quæ sunt proximæ, nempe nolitione actuali alicuius existentiæ, & actuali apprehensione eius existentiæ. Loquitur enim de tristitia accommodatè ad dispositionem in Sacramento Pœnitentiæ, & etiam ad definitionem Augustini citatam, quæ est *dissensio animi ab iis, quæ nobis nolentibus accidunt*, quæ, vt dixi, est definitio tristitiæ, vt plerúmque accidit, & prout magis nota est. Non quòd illæ causæ sint adæquatæ tristitiæ; proximè autem causatur ab apprehensione noliti existentis, quamuis supponat ipsum esse nolitum, vt explicatum est. Dici etiam potest nolitio causare tristitiam non solùm vt dispositio subiecti, sed etiam obiectiuè, quatenus supposita nolitione ipsum obiectum redditur proximè disconueniens voluntati: quamuis hæc disconuenientia non ex mutatione obiecti contingat; sed ex mutatione passi, qua redditur aliter dispositum. Sic eadem dispositio ex parte vtriúsque causæ tam materialis, quàm efficientis in diuerso genere causare potest, vt est determinatio vtriúsque causæ; vnde Doctor *in* 4. *dist.* 1. *quæst.* 5. §. *Ad primam ergo quæstionem*, &c. asserit, quòd omnis dispositio necessitans ad formam, quæ non est ratio receptiui, sit quodammodò actiua, vt probat de merito, de motu, de dispositione ad formam necessitante: hoc ergo modo volitio & nolitio erunt etiam causæ respectu illarum passionum subsequentium, ex quibus patet sententia Doctoris. In definitione autē Augustini, illa particula *dissensio*, intelligitur causaliter: vel etiam intelligi potest formaliter, pro ipsa repugnantia voluntatis ad obiectum disconueniens, sicut in definitione illa *Violenti*, particula illa *passo non conferente vim*, non intelligitur actiuè, sed passiuè, pro repugnantia passi ad formam. Repugnantia voluntatis per appetitum elicitum rectè explicatur per dissensionem, quia & appetitus elicitus

Dispositio dici potest actiua.

Dissensio voluntatis est volitio, vel nolitio.

comparatus per modum effectus ad voluntatem est dissensio, seu fuga obiecti elicita; qui tamen vt consideratur per modum formæ inclinantis ad extremum contrarietatis, dicitur appetitus formalis fundans repugnantiam ad obiectum disconueniens.

140 *Probatio cō-clusionis.*

Probatur conclusio ex præcedentibus: quia nihil est aliud quod posset causare delectationem, aut tristitiam præter obiectum disconueniens: quia neque appetitus, neque actus eius propriè per influxum: restat ergo quòd obiectum apprehensum disconueniens, aut conueniens inclinationi elicitæ, habituali, aut naturali appetitus causet.

Confirm.

Confirmatur ex Philosopho 10. *Ethic. cap.* 4. vbi assignat causam durationis, & continuationis voluptatis: vbi cùm præmisisset causam productiuam voluptatis esse operationem sensus, aut mentis, quando sunt benè dispositæ circa illud quod est præstantissimum sub suo obiecto. Reducit mox continuationem eiusdem delectationis in easdem. *In vnoquoq; autem sensu*, inquit, *voluptatem fieri constat: dicimus enim visiones, & auditiones voluptatem afferre. Constat autem, & maximè tunc cùm sensus est præstantissimus, & circa tale operatur. Atque cùm talia sunt ipsum sensibile, & id quod sentit, erit semper voluptas: si est quod agit, & quod patiatur*, &c. *Atque quousque ipsum sensibile, vel intelligibile, & id quod discernit, vel contemplatur, tale sit, quale esse oportet, erit in operatione voluptas: nam cùm sunt similia, ipsum passiuum, atque actiuum, & inter se modum habent eundem, idem semper natum fieri solet*, &c. Quæ verba manifesta sunt ad intentum conclusionis. Accedit quòd per operationem, ad quam sequitur voluptas, quasi vbique intelligit Philosophus operationem intellectus, aut sensus; non appetitus, vt patet ex verbis eius, & ex discursu.

Philosoph.

2. Confir.

Tristitia est violenta.

Confirmatur secundò ex iis, quæ adducta sunt responsione ad locum Aristotelis *ex primo Rhetoricorum*, vbi expressè docet tristitiam violentam esse passo, delectationem autem voluntariam per oppositum, motum illum contra inclinationem passi, hanc secundùm eandem inclinationem: ergo sicut violentum est ab extra passo non cōferente vim, tristitia nequit esse eliciuè ab appetitu, neque consequenter etiam delectatio: restat itaque vtrūque esse ab obiecto.

141 *4. Conclusio.*

Quarta conclusio. Passio etiam causatur in voluntate mediante obiecto sibi naturaliter conuenienti, aut etiam conuenienti appetitui sensitiuo, secluso actu voluntatis elicito: est Doctoris *suprà* §. *Quantùm ad primum dubium*, & §. *Quantùm ad secundùm dubium*, &c. Probatur conclusio quoad primam partem à Doctore; quia secundùm Augustinum *Enchiridij cap.* 104. & alibi, voluntas ita vult beatitudinem, vt non possit velle miseriam: illud autem *velle* beatitudinis est naturale; *velle* autem naturale alicuius sufficit ad non posse velle oppositum illius. Consequenter ad non posse gaudere de opposito, & ad necessariò tristari de eodem, sicut *velle* naturale beatitudinis sufficit ad tristandum de miseria naturaliter. Secundò. Passio ex dictis non conuenit voluntati, quà actiua est, sed quà natura, & subiectum, ex applicatione obiecti conuenientis, aut disconuenientis: sed obiectum quod natura sua simpliciter est conueniens, vt comparatur ad inclinationem innatam voluntatis, magis conueniens est, quàm obiectum, quod conueniens

Probatio.

niens dicitur per appetitum elicitum cõueniens: hoc autem applicatum causat passionem:ergo illud. Minor patet, quia inclinatio naturalis voluntatis magis ipsi prædominatur, quàm illa, quæ est elicita, & qua carere potest: ergo obiectum conueniens secundùm illam, etiam magis est conueniens, & causatiuus passionis sibi proportionatæ.

Confir. Voluntas per appetitum tam elicitũ, quàm innatũ necessitatur ad passionem.

Confirmatur, quòd voluntas mediante suo actu elicito recipiat passionem ab obiecto; inde est, quia per actum determinatur ad obiectum, ita vt non sit amplius indifferens actiuè, aut passiuè ad oppositum; sed magis determinatur per inclinationem innatam; quia nequit hac stante esse indifferens, neque in potestate eius est non esse determinata, sicut est in eius potestate non habere actum elicitum: ergo potest pati immediatè quoad delectationem, & tristitiam ab obiecto sic conueniente, aut disconueniente.

142 *3. Ratio.* Tertiò, voluntas vt prior suo actu secundùm inclinationem innatam respicit immediatè aliquod obiectum, quod est sui perfectiuum, ad quod ex se inclinatur, tanquam perfectibile ad suum perfectiuum extrinsecum sit illud obiectum finis aliquis in particulari, aut in cõmuni, vel aliquod commodum, quod est secundùm inclinationem appetitus delectabile, & maximè proportionatum concupiscentiæ: ergo illud immediatè tanquàm conueniens comparari potest ad voluntatem, & non mediante suo actu, tanquàm per quem redderetur proximè conueniens. Patet consequentia, quia neque obiectum recipit à voluntate quòd sit tale bonum proximè proportionatum voluntati, vt quæ posterior est, & in potentia ad ipsum tanquàm motiuum: neque à fortiori est tale mediante operatione, quæ etiam vtrísque est posterior; neque voluntas redditur disposita proximè per suam operationem in ordine ad idem obiectum; tum quia prior est comparatio potentiæ vt perfectibilis ad suum perfectiuum proximum, quàm ad operationem; tum denique, quia operatio nequit esse dispositio voluntatis, nisi vt est determinatio formalis illius; sed voluntas in ordine ad prędictũ obiectum determinata est essentialiter, & naturaliter; quæ determinatio maior est, quàm sit illa quæ est per actum: nequit ergo disponi per actum ita vt ille sit necessarius: ac proinde quidquid aduenit voluntati, quod repugnat tali inclinationi, erit violentum: non ex alia ratione, quàm vt est inclinata ad obiectum, & in proxima dispositione ad ipsum. Patet consequentia, quia voluntas nunquam patitur violentiam in aliquo, nisi vt est proximè inclinata ad oppositum. Vnde quando aliquid est tantùm conueniens proximè ratione appetitus eliciti voluntatis, non violentatur nisi supposito appetitu elicito. Et eodem modo quando est inclinata habitualiter ad aliquid, non violentatur per contrarium, nisi stante habitu.

Inclinatio innata in voluntate potior elicita.

Maior determinatio voluntatis est per inclinationem naturalẽ, quàm per actum elicitum.

143 *Responsio.* Dices quòd voluntas propter libertatem suam exigat actum antecedere, vt obiectum proximè sit conueniens, & ipsa in dispositione etiam proxima determinata ad obiectum.

Impugnatio. Contrà, libertas competit voluntati, quà est potentia actiua, non quà passiua: ergo quà subiectũ est, & respicit actiuum, à quo recipit actum, seu perfectionem, impertinens est sua libertas. Proportio autem obiecti & potentiæ prior est quàm sit ordo potentiæ ad suum actum. Ex quo patet confutatio eorũ, qui dicunt non posse esse in voluntate delectationẽ, aut tristitiã, nisi mediante volitione, aut nolitione sua, qui rationem nullam huius assertionis adducunt, quæ conuincat.

Proportio obiecti, & potentiæ.

Voluntatis operationem non causare passiones efficienter.

Primò, non exigitur volitio, & nolitio inquantùm actus liberi sunt, quia hanc rationem ex ipsis non participat delectatio, aut tristitia, quæ in se sunt necessaria. Deinde secundò, dato quòd causarent per modum efficientis delectationem aut tristitiam, non causant eas vt causæ indifferentes, sed vt necessariæ. Tertiò, quia sequeretur quòd volitio necessaria, aut nolitio in nobis non causarent has passiones, quod est falsum. Quartò. si producerentur hi actus à solo Deo, sequerentur delectatio, & tristitia in nobis. Quintò, in ipso Deo est delectatio per ipsos sequens nolitionem necessariam: & idem de beatis, quorum voluntas etiam, vt ipsi affirmant, per modum naturæ agit. Sextò, nihil ipsis fauet, quod Philosophus dicat 10. *Ethic. cap.* 4. ad operationem sequi hos motus, quia ibi non agit de operatione voluntatis, vel appetitus, sed de operatione intellectus, & sensus, circa intelligibile, aut sensibile.

Non supponi semper volitionem ad delectationẽ.

Non requiritur etiam operatio voluntatis antecedens has passiones semper, tanquam causa proxima, vt probatum est, quia sic non habent rationem inclinationis ex parte voluntatis, sed vt sunt formæ determinantes ipsam formaliter; ex quibus habet voluntas vt repugnet opposito: quandóque autem voluntas habet ex appetitu innato, vt sic determinetur, aliquando ab habitu, ex quibus causari potest passio; ac proinde hæc inclinatio non est semper per actum elicitum.

Volitionem non supponi ad delectationem per ordinem essentialem prioris ad posterius.

Neque dici etiam potest tertiò, volitionem, aut nolitionem supponi tanquam effectus præuios, & subordinantes sibi delectationem, & tristitiam, tanquàm consequentes ex dictis, quia neque semper supponuntur, neque etiam hæ affectiones etiam delectationis, aut tristitiæ semper consequuntur volitionem, & nolitionem; vt quando alia siue innata, siue habitualis inclinatio prædominatur, aut certè repugnat vehementer actibus, quia ex Philosopho sequitur voluptas ad operationes non impeditas, & quæ sunt ex optima dispositione agentis, & passibilis. Accedit aliquando inueniri has passiones separatas ab actibus elicitis, vt dictum est. Ex nullo ergo fundamento probatur semper has passiones in voluntate semper supponere volitionem, aut nolitionem; quod ampliùs patebit.

2. Pars conditionis. Passiones in voluntate oriri ex appetitu sensitiuo.

Secunda pars conclusionis patet ex colligantia voluntatis ad appetitum sensitiuum, cui nata est condelectari naturaliter, aut compati supposita apprehensione obiecti: hinc oritur surreptio passionum ex fomite concupiscentiæ, quæ ex peccato est, & in peccatum inclinat. vt ait Trident. *sess.5. can.5.* quin etiam delectatio oriri potest hoc modo in voluntate ipsa repugnante, vt patet in corrupta violentè. Multa Patres circa efficaciam fomitis ad trahendam voluntatem, eíque resistendum. Item dolor vehemens in parte sensitiua natus est impedire vsum rationis, quia plus impedit quàm delectatio. Aug. 83. q. 36. *Nemo est*, inquit, *qui plus lugeat dolorem, quàm appetat voluptatem, quandoquidem videmus immanissimas bestias, etiam asperitatibus terreri dolore, & metu*, &c. Iuxta eundem autem *lib.* 14. *de Ciuit. cap.* 16. Delectatio sensibilis impedit vsum rationis, qua maior in corporis voluptatibus nulla est. & Philosophus 7. *Eth. cap.* 9. dicit quòd furatur intellectum etiam sapientis sæpissimè.

Surreptio ex fomite.

August.

Quinta conclusio. Non requiritur vt obiectum 144 *5. Conclus.*

Passio ex inclinatione habitus oritur. ctum aliquando sit nolitum, aut volitum ad causandum delectationem, aut tristitiam; sed sufficit vt sit habitualiter volitum, aut nolitum, hoc est, sufficit inclinatio habitualis in voluntate ad hoc vt obiectũ sit ipsi conueniens, aut disconueniens proximè; sufficit etiam actus conditionatus, seu volitio, & nolitio simplex, vt sequatur delectatio, aut tristitia. Conclusio quoad vtramque partem est Doctoris *suprà* §. *Præter duos modos prædictos*, &c. Quoad primum, patet ex Philosopho 7. *Eth. cap.* 12. vbi dicit *generationem esse operationem habitus secundùm naturam*, &c. Vbi etiam distinguit habitum in naturalem, & innaturalem, id est, contra naturam: habitus autem naturalis vel est inclinatio naturæ, & sic eum admittit in pueris, & bestiis; vel iste qui est secundùm inclinationem naturæ, qualis est habitus virtutis. *Duplex habitus.* Et asserit ex habitu sic sumpto prouenire delectationem simpliciter, ex habitu verò innaturali, qualis est inclinatio vitiosa, non prouenire delectationem, nisi per accidens ex indigentia naturæ. Quomodo autem intelligi debeat illa particula *operatio* iam *suprà* declaratum est. Patet etiam ratione: quia quidquid est secundùm inclinationem habitus, est conueniens, vt patet experientia. *Quod est secundùm inclinationem habitualem est conueniẽs.* Vnde Philosophus *primo Rhetoricorum loco citato* dicit, quòd curæ, intentiones, & eiusmodi causant tristitiam, nisi fiant ab assuetis: quia nempe in assuetis sunt secundùm inclinationem habitus, & sic non repugnant simpliciter voluntati secundùm omnem eius inclinationem. Secunda pars conclusionis patet: quia actus ille conditionatus etiam causare potest ex parte voluntatis repugnantiam ad oppositum, vt patet in proiiciente merces, & tristante ex earum perditione. Voco hunc conditionatum virtualiter, non formaliter.

145 *6. Conclus.* Sexta conclusio. Delectatio, & tristitia non respiciunt obiectum, quà obiectum est propriè, sed quà efficiens est. Hæc est Doctoris *in hac quæstione & aliàs*: patet autem ex dictis, quia obiectum quà obiectum propriè, non mouet efficienter voluntatem, sed allectiuè. Deinde, hæ passiones non sunt operationes, ad quas tantùm se habet obiectum per modum obiecti, vel etiam ad habitus.

Obiectio. Dices. Obiectum non causat passiones, nisi quà cognitum est: ergo vt obiectum.

Responsio. Respondetur in rigore negando consequentiam, nisi intelligatur concomitanter: quamuis verum sit non causare passiones in voluntate, nisi apprehensum, quia nihil extrinsecum aliàs est applicatum voluntati in ratione causæ, propter subordinationem potentiarum, nempe ipsius ad intellectum, præter causam vniuersalem primam.

Obiectio. Dices. Hinc sequitur quòd aliquid in re conueniens voluntati posset causare in ea delectationem; quamuis non apprehendatur sub ratione proxima conuenientiæ.

Responsio. Respondetur negando sequelam, quia hi effectus sunt ab obiecto, vt bonum, vel malum apprehenditur: necessum est ergo vt causa, quà productiua est effectus, applicetur voluntati per apprehensionem. An autem in patria finis in re causet delectationem supposita visione: an verò vt tantùm in intellectu, perinde est, quia ibi per visionem applicatur voluntati, vt in re est: non sicut applicatur per cognitionem abstractiuam.

Vltima conclusio. Nulla passio ex reliquis etiam affectibus voluntatis, aut appetitus, est operatio. 146 *Vlt. conclus.* Hæc est Doctoris hîc, vbi supponit hanc veritatem, ideóque excludit delectationem in patria ab essentiali ratione beatitudinis, quia est passio, & consequenter non est operatio. Et patet à rationis paritate. Declaro sic; loquor autem de passione strictè, non in communi, quà sumitur pro omni eo, quod infert passionem sensui, aut mutationem sensibilem, vel pro affectu. sed de ipsa vt passiuè ad ipsam se habet appetitus quà fit ab obiecto: non immorando ergo in ipsis vocabulis, neque applicando significatum huic, aut isti appetitui in particulari: sed abstractim, vt conuenit tam appetitui sensitiuo, quàm rationali, vt videtur sumere Philosophus voluptatẽ *in* 7. *Ethicor.* in genere, *ac* 1. *Ethic. &* 10. *c.* 2. dicens ad omnem actum, aut affectum sequi delectationem, aut tristitiam, *& cap.* 5. *& lib.* 1. *Magnorum Moralium cap.* 7. enumerans affectus, dicit idem, nempe delectationem, & tristitiam sequi ad ipsos, seu comitari.

Oppositio passionum. Dico, sumendo hæc in genere, opponi ad inuicem tanquam formas contrarias, quæ sequuntur etiam contrarias causas, nempe bonum, & malum in genere obiecti, seu conueniens, & disconueniens. Ex eo autem affectus, qui sunt actus eliciti, dicuntur passiones, quia ex iis sequuntur gaudium, aut tristitia de bono, aut malo. Sic ergo metus est passio, quà est tristitia de aliquo nolito, seu quocunque malo imminente. Si autem est præsens, dicitur tristitia, seu dolor. *Differentia passionum ab operationibus.* Metus autem vt est fuga mali, est affectus elicitus voluntatis. Sic dico de inuidentia, vt est nolle bonum alterius simpliciter, seu velle ipsi malum, est actus elicitus; vt est autem tristitia de eius bono, est passio, vel gaudium de eius malo. Sic ira vt est velle vindicare, est actus elicitus, vt autem in ipsa vindicatione capit voluptatem, est passio, vel quia inferre nequit, vt est tristitia, est passio. Distinguendum ergo est inter ipsos affectus, qui etiam passiones causaliter dicuntur, & delectationem, aut tristitiam consequentem per Philosophum: quia illi sunt actus eliciti; hæ autem passiones causatæ in appetitu in genere secũdùm naturã affectus, quia quilibet affectus particularis sequitur naturam sui motiui & obiecti; sic etiam passio eodem modo sequitur in specie eandem naturam, ac proinde sicut affectus, sic etiam passiones consequentes distinguuntur specie, vt rectè Philosophus 10. *Ethic. cap.* 4. Ex quibus patet conclusio; & probari potest de metu, & cupiditate, quæ sequitur desiderium: quia opponuntur ad inuicem, sicut delectatio, & tristitia: ergo sicut metus se habet ad appetitum, ita & cupiditas, seruata proportione; sed metus est ab extrinseco, & causat inuoluntarium secundùm *quid*: quia est contra voluntatis inclinationem passiuam: è contra. Cupiditas, seu concupiscentia causat voluntarium, quia est secundùm inclinationem eius passiuam. De his autem affectibus in specie dicendum erit suo loco, quoad præsens institutum satis est ostendere qua ratione ex ipsis emanent illæ, quæ formaliter passiones dicuntur, & non effectiuè.

SCHOLIVM

SCHOLIVM.

Delectationem non esse de essentia beatitudinis strictè sumptæ: pertinet tamen ad beatitudinem extensiuam, quæ est aggregatio omnium bonorum beati. Soluit argumenta prin. & post, argumenta pro opin. posita à num. 2.

4 [c] Dico ergo quòd strictè accipiendo beatitudinem, delectatio non est de essentia eius: quia est passio, beatitudo autem consistit in operatione. Voluntas autem potest dupliciter considerari. Vno modo vt potentia operatiua; alio modo vt receptiua. Primo modo perficitur simpliciter operatione coniungente simpliciter, & vltimatè optimo simpliciter; & in hoc consistit essentialiter beatitudo. Alio modo considerari potest vt receptiua: sic est perfectibilis, non operatione, sed passionibus supernaturalibus, quia talium est vltimatè receptiua; & sic perficitur delectatione, & gaudio: ex quo patet quòd magis est de essentia beatitudinis gaudium, quàm securitas. *Gaudium magis pertinet ad essentiam beatitudinis, quàm securitas.*

Ad primum, dicendum quòd illa propositio Augustini, & consimiles propositiones, sunt veræ causaliter, non per essentiam: beatitudo autem est causa quietationis, & delectationis quæ consequitur actus beatificos: est autem quædam vita, & beata, quia est in voluntate vt est passionum receptiua,

Ad aliud dicendum, quòd quietatio nunquam est in se, sed in aliud; vnde creatura non quietatur in se, sed in alio: vt terra non quietatur nisi in centro: sed delectatio est formaliter in voluntate, & sequitur operationem, per quam quietatur in alio, cui coniungitur. *Ad arg. principalia num. 1.*

Ad aliud dicendum, quòd non omne vltimum, sed optimum est finis, vt dicitur *secundo Physicorum*: tale autem vt finis intrinsecus, est operatio, tamen delectatio est ordine naturæ posterius, quæ tamen non est talis quòd operatio ordinetur ad ipsam, sicut ad finem, nec est perfectius operatione.

5 Contrà, dixisti priùs, quòd generatione posterior est voluntas intellectu, & ideò voluntas est nobilior: modò dicis contrarium. Respondeo, quòd simpliciter in eodem genere sunt perfectiora posteriora prioribus, & hoc posteriora generatione, vt si plures formæ substantiales sunt in eodem supposito, vltima est perfectissima. Sed si accipiatur in alio genere, prius & posterius frequenter sunt perfectiora, posteriora, non tamen semper, vt post vltimam formam substantialem sequuntur accidentia, quæ tamen sunt imperfectiora. *quæst. 4. huius d.* *Non semper posteriora generatione sũt perfectiora,*

Sic dico in proposito in operationibus, quæ tendunt in obiectum, posterior perfectior est, & sic operatio voluntatis perfectior est operatione intellectus: licèt non sint in eodem genere proximo, sed vna in genere cognoscitiui, alia in genere appetitiui: sed variatur genus in passionibus, quia illæ non tendunt in obiectum, sed sunt ab obiecto. Ad aliud dicendum, quòd non vnitur vltimatè, passione.

Ad rationes in oppositum, quia minùs concludunt, dicendum est quòd sunt passiones quędam, quæ insunt cum mutatione, & alteratione partis sensitiuæ, & non fiunt sine immutatione organi, & illæ sunt totius coniuncti; aliæ sunt passiones tantùm spirituales, & illæ possunt sine omni mutatione, quæ est in organo, fieri, & tales sunt animæ. *Ad arg. in oppos.*

6 Ad argumenta primæ opinionis. Ad primum dicendum quòd sicut tu arguis quòd non potest visio esse sine delectatione, & gaudio: ergo est de essentia beatitudinis gaudium; sic arguo quòd non potest esse sine fruitione: ergo est de essentia fruitionis; & similiter arguam quòd fruitio non potest esse sine visione. Dico ergo quòd absolutè potest visio separari à gaudio sine contradictione, & tu dicis quòd tunc videret, & non gauderet: dico quòd hoc verum est: sed hoc non esset ex potestate sua, sed diuina, quæ conseruat visionem, & non gaudium. *Soluit arg. pro opin. D. Thom. Potest absolutè separari gaudiũ à visione.*

Ad aliud dicendum, quòd verum est quòd beatitudo esset perfectior, si gaudium esset de essentia eius: sed hoc non potest esse: vt si sapientia esset de natura hominis, esset perfectior quàm modò: sed passio non potest esse de natura beatitudinis, quia de essentia eius est quòd coniungat obiecto beatifico: sed hoc non potest facere passio.

7 Ad tertium de pœna, & tristitia: si arguitur de pœna, quòd sit essentialiter tristitia: concedo in natura intellectuali, nec alia pœna potest inesse sibi; sed tunc non valet consequentia, quia nihil potest esse pœna nisi inuoluntarium. Pœna igitur non potest esse actus voluntatis, quia omnis actus voluntatis siue *nolle*, siue *velle*, semper est voluntarius. *Actus voluntatis nõ potest esse pœna, sed benè præmium.*

tarius. Sed præmium potest esse voluntarium, imò magis præmiatur, si sit voluntarium sibi, cum quo & præmiatur, & quia actus est nobilior passione: ergo magis præmiatur in actu, & hoc est congruum.

Miseria non est essentialiter pœna. Et si dicas quòd miseria est essentialiter pœna, ergo beatitudo est essentialiter gaudium: Dico, quòd miseria non est essentialiter pœna, imò pœna dirimit miseriam inquantùm ordinat culpam, quæ culpa est miseria essentialiter: & si dicatur quòd pœna sequatur miseriam: dico quòd verum est, vnde maxima pœna propriè est miseria, quæ est culpa.

COMMENTARIVS.

147 *Resolutio Doctoris.* Dico [c] *ergo quòd strictè*, &c. Hæc est resolutio huius quæstionis, & conclusio intenta consistit in duobus, nempe ad essentiam beatitudinis strictè sumptæ non pertinere delectationem: quia beatitudo sic sumpta consistit in operatione, per quam potẽtia operando attingit obiectum beatificum. *Beatitudo essentialis. Beatitudo integralis.* Alio modo sumitur beatitudo pro omni eo, quod voluntatem passiuè se habentem perficit in statu beatitudinis, & sic delectatio; & gaudium spectant ad beatitudinem integrè, & substantialiter sumptam, & connaturaliter sequitur ad beatitudinem primo modo sumptam. Ad rationes autem tam principales, quàm pro opinione. Patet ex litera, & dictis. Notanda est illa interpretatio illius principij Aristotelici, quod sæpiùs in superioribus replicauit; nempe posteriora generatione esse perfectiora. *Posteriora generatione esse perfectiora.*

Explicatur. Respondet, quando est processus in eodem genere, id esse verum; quando verò in diuerso, non esse verum. Primum patet in generatione viuentium, vbi processus est ad formam substantialem. Secundum verò in processu ad formam accidentalem substantiali producta.

Si rationem quæras huius discriminis?

Ratio explicationis. Respondetur reduci ad hoc, quòd natura in processu ad *esse* simpliciter intendit quod est perfectissimum, ad quod attingit, procedendo de potentia ad actum. Et ideò per imperfectiora gradatim attingit finem; quo posito, cessat. Sed è contra procedendo de *esse* simpliciter ad perfectiones eius secundarias, illud quod immediatiùs se habet ad ipsum *esse* simpliciter, est perfectius, quàm illud, quod remotius est.



QVÆSTIO VIII.

Vtrùm natura humana sit natura infima capax beatitudinis?

Bassol. *hîc quæst.5.art.1.& 2.* Gabr. *quæst.1.art.3.dub.2.* Niphus 2. *Met.dist.3.cap.4.* Vasq. 1.2. *disp.20.cap.2.* *Vide* Scot. 5 *Met.quæst.1.*

Arg. 1. d  TRVM natura humana sit natura infima capax beatitudinis? Videtur quòd non, anima humana est capax beatitudinis; sed ipsa est inferior homine: ergo, &c. 1

Arg. 2. Prætereà, in quibus est ordo essentialis, sic se habent quod illud, quod est immediatius vltimo, immediatiùs attingit ipsum, & alia mediante illo; sed Angelus immediatiùs se habet ad finem, quàm homo: ergo homo mediante Angelo attingit finem: ergo non est immediatè beatificabilis.

Arg. 3. Prætereà, videtur quòd etiam aliæ naturæ inferiores sunt beatitudinis capaces, quia illæ naturæ etiam vltimatè quietantur: quia si non, ergo violenter tenerentur, & tunc esset violentia perpetua: sed non possunt quietari vltimatè nisi in vltimo fine: ergo, &c.

Arg. 4. Prætereà, causæ primæ vniuersalissimæ respondet finis vltimus vniuersalissimus; sed Deus est causa efficiens immediata omnium: ergo erit finis immediatus omnium: ergo, &c.

Rat. opp. Contrà, August. 14. *de Trinitate*, *cap.* 18. eo ipso anima imago Dei est quo ipsius capax potest esse, & per hoc probat quòd homo possit beatificari: sed quòd ipse sit infimum beatificabile, probatur, omnis natura inferior homine operatur omnem operationem suam per organum: ergo non circa obiectum immateriale: sed solùm in illo obiecto, quod per operationem non organicam attingitur, est beatitudo obiectiuè: ergo, &c.

COMMEN

COMMENTARIVS.

1 VTrùm [d] *natura humana sit*, &c. In hac quæstione sub præmisso titulo disserit duo. Primum est; an ratione naturali possit probari possibilitas beatitudinis in specie, quæ est per visionem Dei. Secundò disserit de beatitudine naturæ humanæ, vt est diuersa à beatitudine, quæ est secundùm *quid*, & vltima perfectio in entibus inferioribus homine. *Ordo, & diuisio quæstionis.*

SCHOLIVM.

Ostendit ex Scriptura naturam humanam esse beatificabilem vera beatitudine, quam speramus. Ponit sententiam Philosophi, qui videtur negare nobis possibilem aliam notitiam de prima substantia, præter obscuram, abstractiuam, & ex sensibilibus habitam.

2 [e] REspondeo, Primò videndum est, quòd natura humana est beatificabilis. Secundò, quòd nulla natura inferior. Primum planum est ex Scriptura, *primæ ad Corinth. tertio decimo, & primæ Ioan. tertio*, & meliùs *Apoc. 22. Videbunt faciem eius.* Prætereà, *Matth. 22. Erunt sicut Angeli Dei in cælo.*

Sed quid dicunt Philosophi ad hoc? Philosophus *primo Ethicorum*, dicit in generali de felicitate, & *in decimo Ethicorum*, in speciali, quomodo est possibilis, & in quo consistit. Sed quid sensit de illa speciali beatitudine, quam nos expectamus, quæ est per claram Dei visionem, & fruitionem? Videtur dicere Philosophus quòd de prima substantia non potest haberi cognitio aliqua, nisi ex conceptu aliquo accepto ex sensibilibus, qui non posset esse illius essentiæ in se, vt patet *primo Posteriorum*, & *secundo*, & *primo Physicorum*, in multis locis. Similiter diceretur, quòd non possemus in illo conceptu habere nisi cognitionem obscuram, & abstractiuam, qualem etiam possemus habere de non ente: & sic secundùm eum omnis cognitio nostra de illa substantia est tantùm in vniuersali, & obscura; & per consequens essemus beati in vniuersali cognitione, & obscura. *Quid Philosoph. de beatitudine, vt sic, & de nostra quam speramus.*

3 Et si arguatur contra eum, quòd desiderium naturale hominis est ad cognoscendum illam substantiam in se, & clarè; ergo quandoque videbitur in se; aliàs esset ille appetitus in natura frustrà; non valet, quia loquendo de desiderio merè naturali, debet probari quòd tale insit homini: si autem accipias desiderium naturale pro actu elicito secundùm rectam rationem: hoc non vidit ipse, nec potuit videre alium statum secundùm rationem naturalem, in quo videret clariùs; nec vltrà appetiit, nec sciuit quòd secundùm rectam rationem, est plùs desiderandum, quàm hìc cognoscitur.

Contrà. Appeto, & scio Deum: & tamen non habeo notitiam nisi confusam & obscuram de Deo; & eodem modo potest esse desiderium naturale beatitudinis secundùm rationem eius propriam. Sed appeteretúrne aliquid vltrà confusè cognitum? Philosophus diceret quòd sicut ego scio quòd Sol est magis visibilis in se, quàm possim ego eum videre, & quòd visio aquilæ est clarior, quàm visio oculi mei, non tamen concluditur quòd desiderarem illum videre in rota, quia non competit oculo meo, nisi quòd sic tantùm videam. Additio.

Sed appetísne videre ampliùs desiderio naturali Solem, & habere alium visum perfectiorem? Dico quòd non; quod etiam diceret Philosophus, sic nec noctua naturaliter desiderat habere oculum perfectiorem; sed illum quem habet desiderat naturaliter perfici modo sibi competenti.

COMMENTARIVS.

2 *Beatitudo vera possibilis est.* REspondeo [e] *Primò videndum*, &c. Beatitudinem veram non solùm possibilem esse homini, sed in reipsa futuram ostendit ex Scriptura. Et patet ex locis, quæ citat, & ex dictis hactenus. Deinde quærit quid diceret Philosophus de hac beatitudine vera per fruitionem, & cognitionem facialem, non solùm quoad *esse*, sed etiam quoad possibilitatem?

Quid diceret Philosophus. Respondet iuxta principia, quæ tradidit interpretando, eum sensisse repugnare homini attingere Deum visione clara, & faciali, quia negauit aliam cognitionem haberi de Deo posse pro hoc statu, quem est expertus, præter abstractam, vniuersalem, & confusam.

Quòd si obiicias, inquit, inesse appetitum naturalem in homine ad hanc beatitudinem.

Respondet illud esse probandum; quia neque talem cognouit Philosophus, neque etiam secundùm rectam rationem: quia eam nesciuit, aut possibilitatem eius. Admittit quidem Doctor talem appetitum in natura humana, sed negat ipsum esse magis notum lumine naturali, quàm sit ipsa beatitudo, & eius possibilitas nota, vt patet ex quæstione prima prologi, vbi fusè de hoc disserit. *De appetitu naturali beatitudinis.*

SCHOLIVM.

Sententia Doctoris, probari posse ratione, naturam humanam esse capacem beatitudinis veræ, ablata imperfectione huius status. Probat primò, quia obiectum beatificum continetur sub adæquato intellectus & voluntatis nostræ: ergo in eo tantùm quietantur. Secundò, potentia inferior, scilicet sensitiua, habet notitiam intuitiuam; ergo hæc competit intellectui, quoad capacitatem, respectu cuiuslibet contenti sic cognoscibilis sub suo adæquato, quod est ens, de quo q. 1. Prol. & 1. d. 3. q. 3.

Naturaliter probatur nos esse capaces beatitudinis veræ.

f Videtur tamen mihi, quòd per rationem naturalem potest probari sublata imperfectione status istius quoad cognitionem, quòd potest cognosci quòd natura humana sit capax beatitudinis veræ. Primò ex parte obiecti sic. Omnis potentia habens obiectum primum adæquatum, potest per se in quodlibet contentum sub illo obiecto; sed primum obiectum intellectus humani est ens: ergo & quodlibet, in quo saluatur ratio entis, est obiectum per se eius: sed impossibile est quòd quietetur in aliquo, nisi in summo totius analogiæ immediatè, sicut nec visus quietatur nisi in pulcherrimo visibili: sed hoc non potest esse in cognitione eius in vniuersali, quia cognitio vt in vniuersali, non est illius vt in se: ergo erit eius vt secundùm se in particulari: ergo vt sic erit capax beatitudinis. 4

Respondet Philosophus ad minorem, quòd ens secundùm analogiam quantùm ad materialia, & immaterialia non est obiectum intellectus nostri, sed tantùm ens quoad materialia. Contrà, hoc destruit Philosophum, quia impossibile est cuicunque potentiæ aliquid cognoscere sub ratione communiori, quàm sit ratio primi obiecti; sed intelligimus aliquid sub ratione vniuersaliori quàm sit quiditas materialis: ergo impossibile est quòd materialis quiditas sit primum obiectum intellectus nostri adæquatum. Maior est manifesta: minor patet per Philosophum, qui dicit *quarto Metaphysicæ*, quòd est quædam scientia entis inquantùm ens; sed ens inquantùm ens, non est tantùm quiditas materialis: hæc autem scientia est nobis possibilis secundùm eum.

Text. 1.

Si dicas, benè volo quòd sit speculatio, & conceptus aliquis communior, quàm sit entis materialis, tamen ille conceptus non est causatus nisi à quiditate materiali. Si sic, ergo habeo propositum, quia impossibile est felicitatem intellectus nostri esse in aliquo conceptu, qui est minùs perfectus, quàm sit conceptus rei sensibilis: sed quicunque conceptus de Deo causatus ex sensibilibus est imperfectior eis: ergo in nullo tali est beatitudo. Minorem probo, impossibile est intellectum agentem cum obiecto suo causare conceptum perfectiorem suo perfecto verbo, quia realiter est effectus sibi adæquatus; sed vnus effectus est adæquatus vni causæ: ergo non potest perfectiorem illo causare de Deo: & si sic, tunc ista responsio destruit Philosophum, quia ponit in perfectissima cognitione beatitudinem, & hanc ponit illius substantiæ. 5

Conceptus de Deo causatus ex sensibilibus, est imperfectior eis.

Perfectio competens inferiori, conuenit superiori in eodem genere.

g Secundò probo hoc ex parte actus, quia quod est simpliciter perfectionis in aliquo genere, si competit inferiori in illo genere, competit & superiori; sed cognitio intuitiua competit sensui: ergo multò magis intellectui: ergo non tantùm ipsius quiditatis materialis, nec causatæ ab ea, est tantùm cognitio beatifica. Prætereà, si non haberemus de aliquo cognitionem intuitiuam, non sciremus de actibus nostris si insunt nobis, vel non certitudinaliter (de actibus dico intrinsecis) sed hoc est falsum: ergo, &c. ergo eadem ratione, qua ponis vnum ens posse intuitiuè cognosci, & quodcunque.

COMMENTARIVS.

3 *Seclusa imperfectione cognitionis probari potest possibilitas beatitudinis.*

Videtur f *tamen mihi*, &c. Conclusio Doctoris est, seclusa imperfectione cognoscendi pro hoc statu, posse probari per rationem naturalem possibilem esse beatitudinem veram. Frustrà redarguit Niphus 2. *Met. disp.* 3. *cap.* 4. Doctorem inconstantiæ, quòd *suprà* asseruerit *dist.* 43. *q.* 2. immortalitatem animæ non posse demonstrari, hic verò doceat possibilitatem beatitudinis veræ demonstrari posse, quæ repugnant.

Reiicitur Niphus.

Explicatur Doctor.

Respondetur Doctorem in priori loco agere de demonstratione conuincente Philosophum, prout fundatur in principiis ab eo receptis, & secundùm modum cognitionis huius status. Hîc verò, idem asserit de beatitudine attendendo ad modum imperfectum cognitionis huius status; neque admittit demonstrationem, nisi respectu intellectus perfecti non dependentis à sensibus tantùm

tantùm in cognoſcendo : & qui poſſit apprehendere naturam terminorum, vt determinant ad aſſenſum, & ſemutuò reſpiciunt ſecundùm rationes proprias; eodem etiam modo admitteret immortalitatem animæ demonſtrari poſſe ſecluſa imperfectione huius ſtatus : nam vtrobique ratio ex ſe neceſſaria eſt : quamuis non cogat intellectum imperfectum, neque aliud genus demonſtrationis intendit Doctor hîc, vt patet ex concluſione eius : *Sublata*, inquit, *imperfectione illius ſtatus quoad cognitionem*, &c. Patet etiam ex paragrapho præcedenti, vbi aſſerit Philoſophum iuxta imperfectum modum cognoſcendi huius ſtatus, & principia ex eo tradita, negare poſſibilitatem beatitudinis veræ. Aliud nempe eſt rationem eſſe neceſſariam, & euidentem reſpectu intellectus concipientis terminos ſub ratione propria, & non impediti. Aliud verò eſſe neceſſariam reſpectu intellectus impediti non concipientis terminos perfectè, & ſub ratione propria, vt rectè Doctor aſſerit de propoſitione per ſe nota *in* 1. *diſt.* 2. *quæſt.* 2. Nam in tali intellectu impedito, ſicut non eſt cognitio perfecta terminorum, aut principiorum, ita neque concluſio eſt ei neceſſaria, quæ alioquin in ſe neceſſaria eſt, & reſpectiuè etiam ad intellectum non impeditum. Et ſic loquitur Doctor hîc de ratione neceſſaria; neque *ſuprà* aliter docuit de immortalitate animæ : nam eadem ratione, qua hîc probat poſſibilitatem beatitudinis veræ, *ſuprà* contra Philoſophos probat immortalitatem animæ, & abſtractionem eius à materia. Sumit ergo demonſtrationem aliter hîc, & aliter loco præmiſſo. Et quamuis hîc admittat ratione neceſſaria probari poſſe beatitudinis veræ poſſibilitatem, intelligit hoc reſpectiuè tantùm ad intellectum illuminatum, & non impeditum, non verò reſpectiuè ad intellectum ligatum ſenſibus iuxta modum cognoſcendi huius ſtatus, & exiſtentem in puris naturalibus : quia reſpectu huius non eſſet ratio neceſſariò, ſicut neque reſpectu Philoſophi, vt ipſe dicit. Quo ſenſu etiam intelligenda ſunt quæ diſſerit in quæſtione ſecunda huius diſtinctionis; vt ibi notauimus contra Suarez, qui meliùs interpretari poſſet ſententiam, quam imponit Doctori ex hac concluſione : ſed neque hîc aſſerit Doctor veritatem hanc probari ratione naturali, niſi ſecluſa imperfectione huius ſtatus quantùm ad modum cognoſcendi. Vnde per ipſum conſtat non demonſtrari ab intellectu dependente à ſenſibus in cognitione; ſed ſciri tantùm per reuelationem, non ſolùm beatitudinem veram fore quantùm ad euentum, ſed etiam quantùm ad poſſibilitatem; probari tamen poſſe ab intellectu perfecto, qualiter autem dicetur. Eum ſequitur Vaſquez 1.2. *diſp.* 20. *cap.* 2. Inclinat Conrad. 1.2. *q.* 5. *art.* 1. & pro ea citari ſolet D. Thomas 1.1. *quæſt.* 12. *art.* 1. *de verit. quæſt.* 8. *art.* 1. *lib.* 3. *contra Gentes*, *cap.* 51. vbi Ferrarien. admittit viſionem Dei vt primæ cauſæ, probari poſſe lumine naturali poſſibilem.

Ratio neceſſaria intellectui vni, non eſt talis omni intellectui.

Propoſitio per ſe nota.

4 Probat Doctor concluſionem ex illo principio, quod adducit quæſtione prima Prologi in fauorem Philoſophorum contra neceſſitatem doctrinæ reuelatæ. Omnis potentia habens obiectum primum adæquatum poteſt in quodlibet contentum ſub obiecto per ſe; ſed ens vt commune Deo & creaturis, eſt obiectum primum intellectus : ergo poteſt in omne contentum ſub ente, & conſequenter in perfectiſſimum, alioquin non quietatur eius appetitus, niſi attingat illud.

Probatio concluſionis

Ex ordine potentiæ ad obiectum.

Dices cùm Philoſopho, ens vt eſt commune tantùm materialibus, eſſe obiectum primum, & adæquatum intellectus. *Reſponſio*

Contrà : quia obiectum habitus non excedit obiectum potentiæ; ens autem vt ſic eſt obiectum Metaphyſicæ, ex Philoſopho 4. *Met. text.* 1. ergo, &c. *Impugnatur.*

Dices conceptum communem entis eſſe quidem obiectum terminatiuum intellectus, non tamen motiuum : ſed ens ſenſibile, aut materiale, & per abſtractionem perueniri ad ens vt ſic. Illud autem in quo conſiſtit beatitudo intellectus debet eſſe motiuum eius. *Reſponſio.*

Contrà vrget Doctor. Impoſſibile eſt beatitudinem intellectus conſiſtere in aliquo conceptu imperfectiore, quàm ſit conceptus rei ſenſibilis : conceptus autem cauſatus de Deo ex re ſenſibili eſt imperfectior : quia effectus nequit excedere cauſam ſuam, quæ in propoſito eſt intellectus cum cognitione de re ſenſibili; quæ cognitio eſt effectus eius adæquatus ſecundùm perfectionem virtutis : ergo nequit perfectiorem cauſare de Deo. *Impugnatio.* *Effectus non excedit cauſam.*

Si autem dicas poſſe cauſare perfectiorem, tunc deſtruitur reſponſio data, quæ limitat perfectionem, & attingentiam intellectus ad motiuum deſumptum ex re ſenſibili, quatenus aliter nequeat attingere Deum niſi per hoc medium, vnde ipſe Philoſophus ſtatuens felicitatem intellectus in perfectiſſima cognitione ſubſtantiæ primæ, recedit ab illa ratione, qua probaretur impoſſibilitas beatitudinis veræ ex imperfecto motiuo intellectus noſtri pro hoc ſtatu.

Vis ergo huius rationis in hoc conſiſtit : ideò repugnaret intellectui cognitio Dei ſub ratione propria : quia hæc cognitio excedit perfectione medij, & motiui intellectus, quod eſt res materialis : ergo hoc dato omnis cognitio excedens perfectionem huius motiui repugnat intellectui : ergo in nulla tali ſtatuenda eſt felicitas intellectus. Conſequens eſt contra ipſum Philoſophum : ergo falſum eſt antecedens : nempe motiuum intellectus eſſe quiditatem rei ſenſibilis, aut felicitatem intellectus ſtatuendam eſſe in aliqua cognitione, quæ ſolùm habeatur ex motiuo rei ſenſibilis tanquam ex cauſa. *Vis rationis declaratur.* *Redargutio Philoſophi.*

Confirmatur. Omnis potentia quietatur in ſuo per ſe motiuo, aut aliquo perfectiſſimo ſub tali motiuo; ſed appetitus non quietatur in quiditate rei ſenſibilis in communi, aut in particulari ſenſibili : ergo non eſt per ſe motiuum intellectus. Maior patet, quia potentia paſſiua reducitur ad actum, ad quem inclinatur per adæquatam ſuam cauſam, & quò magis aſſimilatur agenti adæquato, eò perfectiùs reducitur ad actum; menſura enim actus, aut perfectionis in potentia paſſiua, eſt virtus agentis, vt nata eſt exerceri in potentiam, aut ſubiectum : nulla autem cauſa efficiens continet in virtute ſua effectum perfectiorem, quàm ſit ipſum *eſſe* cauſæ formale, quin imò perfectio virtutis, & effectus deſignatur in eo quod eſt effectum ipſum maximè aſſimilari cauſæ; ſed intellectus reſpectu ſui motiui adæquati eſt potentia paſſiua : ergo ex natura ſua ad nullum intelligibile magis inclinatur quàm ad ſuum motiuum adæquatum ex natura potentiæ, & quò magis ipſi aſſimilatur, eò magis & perfectiùs reducitur 5 *Confir.* *Non quietatur intellectus in aliqua cognitione cauſata ab ente materiali.*

ducitur ad actum, & accedit ad mensuram suæ perfectionis inquantùm perfectibilis est; ergo,&c.

Non quietari in aliquo ente inferiori ipso intellectu. Minor principalis probatur, quia appetitus intellectus nequit quietari in aliquo ente, tanquam fine obiectiuo,quod est inferius ipso intellectu,quantùm ad perfectionem, & *esse*: talis est quiditas materialis,& rei sensibilis: ergo nequit quietare appetitum intellectus ad felicitatem tanquàm finis. Idem patet, quia intellectus nequit quietari in aliquo, quod est extrà rationem suæ per se causæ: quia nihil aliud potest esse terminus quietatiuus suæ inclinationis, nisi illud à quo recipit tantùm suum *esse*,& inclinationem,& cuius ipsa est participatio;ille est solus Deus,non secundùm rationem communem sibi, & aliis;sed secundùm rationem particularem sibi propriam: ergo appetitus intellectus non satiatur nisi in Deo sic cognito. *Ordo eius ad causam.* Probatur consequentia, quia inclinatio intellectus est ad cognitionem entis, & veritatis,& ad prima principia incomplexa, & altissimas causas, vt admittit ipse Philosophus, hac ratione docens Metaphysicam esse perfectissimam scientiam, & certissimam, & felicitatem nostram esse in contemplatione maximè primæ substantiæ. *Argumentū ab experientia.* Patet etiam experientia, qua intellectus non sistat in cognitione inferiorum, sed per varias collationes, & discursus, & abstractiones tendit ex inferioribus ad superiora, reducens principia,& veritates,quas cognoscit de inferioribus,seclusis imperfectionibus, & incertitudine ad primas veritates,in quibus per se sistit, & maximè in prima rerum causa, & fine. *Finis abstractionis.* Per oppositum huius sensus sistit in cognitione rei sensibilis,quæ est motiuum eius adæquatum: ergo non est motiuum adæquatum intellectus, neque immediatum, & perfectissimum, vt inclinatur ad suam beatitudinem formalem, & obiectiuam. Tum quia superiori potentiæ, vt est nata reduci ad actum perfectissimum,in quo quietatur,debet assignari motiuum superioris ordinis, & perfectionis: tum quia ipsa experientia constat, & communi sensu Philosophorum sapientum, qui magis ad veritatem accesserunt, intellectus perfectionem non consistere in adhæsione ad sensibile obiectum,& hanc esse infimam cognitionem intellectualem, in qua communicat cum cognitiua inferioris ordinis,& gradus. Vnde sequitur cognitionem sensibilium non solùm non esse perfectissimam, ad quam inclinatur intellectus: sed ad vsum,& occasionem seruire, vt ad perfectiorē assurgat. Vide quæ dicta sunt *d.1.q.2.quarti.*

6 *Responsio.* Dices hoc verum esse quantùm ad inclinationem potentiæ, quæ respicit primum ens, in quo quietatur: tamen ex imperfectione virtutis intellectiuæ, & mediorum cognoscendi, limitari eius inclinationem passiuam, & appetitum ad hoc genus cognitionis solùm, quod haurit ex materialibus tanquàm rationibus, ex quibus consurgit. *Improportio intellectus ex mediis imperfectis.* Vnde illa comparatio intellectus nostri satis frequens cum oculo noctuæ, vt respicit Solem, & inclinatur ad eius visionem, quod tamen non appetit videre aliter quàm est conueniens ipsi. Neque etiam oculus noster appetit videre Solem, quà in se visibilis est, magis quàm ferat acies pupillæ: sic ergo intellectus se habet ad Deum, & eius cognitionem seruata proportione ad media per quæ tantùm natus est reduci ad actum, quo attingit Deum per viam sensus, procedendo per abstractionem.

Contra primum, assumendo instantiam: licèt illa comparatio teneat, si comparetur cognitio vilissima nostri intellectus ad cognitionem, quam Deus habet de seipso quantùm ad excessum perfectionis, quæ maior est sine proportione: vel si comparetur etiam cognitio nostra pro hoc statu ad cognitionem alterius vitæ de Deo: tamen non concludit propositum; quia oculus noctuæ in ordine ad visibile excedens, sicut etiam noster oculus mortalis ad Solem,quà in se visibilis est, inclinatur secundùm temperamentum organi in gradu, quo congruit ipsi temperamento,ne offendatur, aut distluat: nam omnis potentia ad actum secundum, vt est perfectio sua,ita inclinatur, vt conseruetur actus primus, & non corrumpatur, sicut organum corrumpitur per visibile excedens temperamentum, & mediam qualitatem organi: sed non ita contingit in intellectu, quæ est potentia non organica, & quò perfectiùs attingit primam substantiam, eò magis illuminatur, & vigoratur, in quo non est comparatio eius ad sensum,& proinde instantia quoad hoc non est ad propositum. 7 *Impugnatio.* *Reiicitur instantia.*

Contra rationem autem adductam in responsione facit quòd inclinatio naturalis intellectus quò magis abstrahit,&recedit à motiuo sensibili, & materiali,eò magis, & perfectiùs reducitur ad actum, & per se tendat per abstractionem supra tale motiuum, inquirendo veritatem; sed nulla potentia mobilis tendit extra rationem sui motiui adæquati: ergo obiectum sensibile non est tale motiuum intellectus: ergo aliud debet assignari;quia intellectus vt est potentia passiua,nequit reduci ad actum,nisi per aliquod motiuum: de hoc quæritur. Nequit autem esse ens sensibile:quia tale nequit reducere intellectum ad actum circa obiectum abstrahens à materiali. Non est conceptus transcendens;quia hîc solùm potestate includit veritatem, quæ est de prima substantia,& aliis separatis: ergo necessariò erit aliquid ex natura potentiæ, quod virtute continet perfectionem operationis, ad quam summè inclinatur ipsa potentia,tanquam ad vltimam quietatiuam. Hoc autem non est aliud quàm ipsa prima substantia: nam quod est vltimum perfectiuum extrinsecum potentiæ,cui adhæret per operationem, erit etiam motiuum eius: quia nihil aliud continet virtute illam operationem, in qua vltimatè quietatur intellectus. Quod confirmat processus intellectus abstrahens à materialibus; quia ideò ab iis abstrahit, quia in illis non inuenit motiuum sufficiens, quo reducatur in actum perfectissimum suum: ergo ex necessitate attingendi motiuum proximum,& immediatum talis operationis intellectus, abstractio, reflexio, & cæteri discursus, & collationes fiunt, quorum nullus esset vsus,si in ente sensibili, & materiali applicaretur ei motiuum sufficiens, & adæquatum. 8 *Impugnatur ratio responsionis.* *Potentia non excedit motiuum proprium, & adæquatum.* *Ens sensibile non esse primarium, aut adæquatum motiuum intellectus.* *Cur sit abstractio.*

Quod autem dicitur intellectus inclinationem contineri per media sensibilia, & limitari, ita vt aliter non inclinetur ad vltimam beatitudinem sui, nisi vt haberi potest per talia media, & hoc ex imperfectione virtutis intellectiuæ, improbatur: quia hæc imperfectio non est ex natura potentiæ, sed ex defectu motiui sufficientis pro hoc statu, vt constat ex inclinatione eadem potentiæ,tam elicita, quàm innata, quando per aliud medium superioris ordinis illustratur, vt per lumen fidei,aut propheticum, & reuelationis, 9 *Ratio desumpta ex mediis impugnatur.*

Impugnatur. Philosophus. uelationis, vt constat. Sed quoniam hoc ignotum fuit Philosophis, quibuscum disseritur; alio medio vtendum est. Philosophus 1. Ethic.
Philosoph. cap. 7. *Finis perfectus*, inquit, *simpliciter est, qui propter se semper, & nunquam ob aliud est: Item, perfectum bonum est, quod per se est sufficiens; sufficiens autem per se illud esse ponimus, quod solum à cæteris segregatum expetibilem vitam facit, reique nullius indigentem. Huiusmodi autem felicitatem existimamus esse*,&c.& lib. 1.cap.2. asserit cum Platone *summum bonum per se, & nullo addito tale esse: & non fieri expetibilius propter additum alterius boni*, &c. Quibus suppositis, sic argumentor. Idem est motiuum, & beatificatiuum intellectus: nam illud solum est motiuum, quod virtute continet operationem,per quam adhæret,& in qua consistit eius felicitas: ergo non ex natura intellectus prouenit quòd illud motiuum non posset attingere immediatè: sed ex defectu applicationis, quod si applicari potest immediatè, & seipso reducit intellectum ad actum:quia est bonum simpliciter, & sufficiens, & propter se bonum intellectus: ergo virtute continens operationem, ad quam intellectus est in potentia, vt perfectibilis per felicitatem. Neque per aliud obiectum inclinatio passiua eius potest reduci ad actum: & probatur, perfectissimum, & sufficiens motiuum seipso immediatè, & non per aliud natum est reducere ad actum potentiam passiuam, quam immediatè seipso respicit; sed tale motiuum respectu intellectus, vt beatificabilis est solus Deus: ergo potest immediatè seipso mouere intellectum secundùm inclinationem intellectus ad ipsum. Probatur consequentia: quia nulla est repugnantia, aut impedimentum ex parte intellectus ex natura potentiæ, quin sic moueri possit: quia non obstat dependentia à sensu: v.g. in anima separata, & immortali, & ex iis,quibus superiùs probatum est animam esse spiritualem & independentem à materia per viam operationis abstractæ à materia. Et patet etiam ex præmissis: quibus ostensum est motiuum intellectus adæquatum non esse ens sensibile,aut materiale: ergo ex parte potentiæ non est repugnantia,quin moueri possit immediatè à prima substantia, in qua sola quietatur.

Motiuum sufficiens, & perfectum.

Seipso actuare potest potentiam passiuam.

Non est repugnantia ex parte potentiæ vt moueatur à Deo.

10 Vlteriùs, quòd possit moueri etiam ad operationem, quæ sit ipsius sub ratione propria, & perfecta,probatur,quia appetitus intellectus non quietatur in ipso, nisi vt est summum bonum sufficiens, & completum seipso, nullo alio addito, sed hæc ipsi competunt sub ratione sua propria, & particulari: ergo sic tantùm quietat intellectum, & beatificat. Hunc autem conceptum,seu operationem nequit intellectus habere per aliud motiuum extraneum ipsi: ergo, &c. Maior admittitur à Philosopho, & minor. Probatur consequentia: quia appetitus intellectus nequit quietari nisi in summo ente: quà ens tale est positiuè, & sub ratione propria nullo alio superaddito: sicut enim inclinatio potentiæ est ad operationem, quà est beatitudo formalis eius,& forma positiua, & vnit perfectiuo extrinseco; sic etiam non beatur in perfectiuo extrinseco, nisi vt illud positiuè se habet quoad se,& sic vnitur intellectus:quia appetitus intellectus non est ad aliquod negatiuum,aut negationé,sicut & nullus appetitus est ad negationé,vt ad perfectioné: quia sicut negatio non est ens,ita etiam non dicit differentiam entis, qualis est perfectio: ergo appetitus intellectus non satiatur in summo ente per conceptum negatiuum eius quo concipitur tantùm per remotionem imperfectionis, quæ est in aliis, & ipsi repugnans: quia sic summum ens non seipso, sed in addito, vel per additum ex negotiatione intellectus imperfectè concipientis beatificaret, non verò quà ens est, & quà primum ens dicit perfectionem propriam, quam ex tali conceptu negatiuo non attingit intellectus sub ratione propria, & positiuè, sed in ratione extranea, & negatiua. Patet ergo ratio hæc Doctoris, per quam tantùm contendit Deum sub ratione propria attingi posse per intellectum, licèt non per media sensibilia, aut ex sensibilibus, sub ratione,inquam, propria, vel intuitiuè, vel abstractiuè modò cognitio abstractiua sit Dei sub ratione propria.

Moueri posse ad visionem.

Appetitus intellectus non quietatur in negatiuo.

Perfectio est differentia entis.

Primum ens sub ratione positiua beat.

8 *Secundo probo*, &c. Hæc est secunda probatio conclusionis, quæ complet priorem probationem, velut subsumpta: quia quòd intellectus feratur in Deum sub ratione propria, non inde habetur iuxta plurium Doctorum sententiam, quòd feratur intuitiuè; nam plures docent dari posse notitiam Dei sub ratione propria abstractiuam, vt noster Doctor *in 2. dist.3. q. 9. §. Hac distinctione præmissa*: quem sequuntur reliqui nostræ Scholæ, & Maior. *quæst. 5.conclus. 5. & in prologo q.3.* Ochamus *q 1.art.5* Gabriel.*art.3.conclus.1.*Aliacus *quæst.1.art.2.*Capreolus *in 2. dist 23. quæst.1. art.3. Ad argumenta Scoti.* Molina 1. *part. q.1.art.2.disp.vlt. §. Ex his duabus sententiis.* Salas etiam 1.2. *tract. 2. q. 3. disp.3.sect.1. & 7* Negat præmissam consequentiam. Vasquez etiam 1.*p. disp.*134. *c.* 3. Admittit notitiam Dei: quamuis per impossibile non esset eius vt præsentis, & existentis, fore beatificam, quia repræsentaret Deum sub ratione infiniti, licèt ipse *ibidem* reuocet talem notitiam ad intuitiuam: tamen esset alterius rationis ab intuitiua, de qua modò agimus, vt est Dei in se vt præsentis, & existentis exercitè ad potentiam videntem. II

2. Ratio Doctoris.

Dari posse cognitionem propriã Dei abstractiuã.

Probat ergo Doctor videri posse Deum intuitiuè perfectè ab intellectu creato: quia quod est perfectionis simpliciter in aliquo genere, si competit inferiori in illo genere, competit & superiori in eodem genere; sed cognitio intuitiua conuenit sensui, quæ est potentia infima in genere cognitiuæ: ergo multò minùs conuenit intellectui, vt quietatur in suo obiecto perfectissimo. Deinde, probat intuitiuam conuenire intellectui ex natura potentiæ: quia aliàs non esset in nobis cognitio experimentalis de actibus internis nostris, quòd voluntas nunc velit hoc obiectum, nunc non velit, &c. Sed non est maior ratio cur intellectus noster sit intuitiuus respectu vnius quàm alterius: ergo maximè est intuitiuus quantùm est ex natura potentiæ respectu obiecti perfectissimi, in quo nata est beari. Probatur consequentia: quia beatitudo est operatio perfectissima potentiæ: ergo quantùm ad modum perfectissimum cognoscendi, est statuenda in visione, & non in cognitione abstractiua. 12

Deum posse videri intuitiuè ab intellectu creato.

Intellectus cognoscit intuitiuè.

Huc reuocari possunt quæ præmissa sunt *hic, & quæstione secunda huius distinctionis*. Quamuis autem ratio hæc sit necessaria respectu intellectus illustrati per fidem, qui cognoscit possibilitatem visionis, & prout de facto contingit, non est simpliciter conuincens respectu Philosophi; quia neque ex cognitione,quam habemus de facto ipsius intellectus creati, per modum cognoscendi

Qualis est efficacia huius rationis.

cendi naturalem huius ſtatus. Itaque minùs euidens eſt ſecunda hæc probatio, ſeu ſubſumptum: & ratio eſt, quia etiam ex natura rei, virtus intellectus creati ad videndum Deum eſt in genere potentiæ inchoata tantùm, neque ex naturalibus ſuis, aut aliis mediis notis ſolo lumine naturali, poteſt attingere Deum per viſionem intuitiuam: ex cauſa autem remota, & inchoata non ſufficienter deducitur poſſibilitas effectus, neque etiam cognoſcitur ordo ipſius ad effectum, qui dependet ex mediis ſupernaturalibus. Ideóque non contendit Doctor eam eſſe neceſſariam reſpectu Philoſophi: ſed tantùm ſuaſionem veritatis: quamuis reſpectu intellectus illuſtrati ſit ratio neceſſaria, qui apprehendit terminos perfectè. An autem intellectus ſeparatus Angeli, aut animæ poſſet ex ſolis naturalibus ſecluſa reuelatione attingere hanc veritatem, mihi ſatis dubium eſt: quod *infrà* magis apparebit *concluſione* 2. quia effectus dependens à Deo agente ſupernaturaliter, non videtur poſſe attingi ſolo lumine naturali intellectus. Quantumlibet ergo hæc ratio non ſit neceſſaria poſitiuè contra Philoſophum, poteſt dici neceſſaria negatiuè, quatenus oſtendit intellectum attingere poſſe aliquam operationem beatificam, quam non poteſt habere ex motiuo entis ſenſibilis, aut materialis, & hoc ſenſu eum poſſe attingere perfectiùs Deum, quàm vt fert cognitio deſumpta à ſenſu, aut ab ipſo dependens.

Ex cauſa remota, & inſufficienti nō concluditur neceſſariò.

13 Addo tamen quòd rationes ſunt in reipſa demonſtrationes reſpectu intellectus perfectè concipientis terminos; v.g. eæ rationes, quæ concludant de proprietatibus primi entis reſpectu intellectus beatorum, vt *infrà* Doctor loquitur de Theologia beatorum *quaſt.* 3. aliæ rationes ſunt demonſtrationes reſpectu animæ ſeparatæ, & Angeli, quibus demonſtratur perfectionem noſtram ſecundùm intellectum excedere modum cognoſcendi huius ſtatus. Sic intelligenda eſt limitatio Doctoris, *ſublata imperfectione*, &c. Tertiò denique, reſpectu intellectus illuſtrati etiam in via ſuppoſito lumine fidei; rationes illæ ſunt certiſſimæ, & excedunt genus probabilitatis, & ſunt ſcientificæ eo modo, quo ſumitur ſcientia à Philoſopho *in 6. Ethic. cap.* 4. pro cognitione certa excludente dubitationem, & excedente opinionem. Quartò, reſpectu Philoſophi, vt ſubeſt errori prauæ diſpoſitionis, vel neſcientiæ, non conuincunt determinatè, ſed ſoluunt rationes naturales quaſcunque in oppoſitum; probabiliter ſuadent veritatem, & ſic loquitur Doctor *ſuprà*, & *in Reportatis diſt.* 49. *quaſt.* 7. eaſdem *in prologo quaſt.* 1. vocat eo ſenſu probabiles rationes. Quintò denique, indeterminatè probant alteram partem huius contradictionis; *fruitio eſt vltimus finis, fruitio non eſt vltimus finis*, eſſe neceſſariò ſciendam. Quod probat prima ratio, & ſecunda, vt intellectus non ſit dubius, aut ſuſpenſus circa finem: quia impediretur eius aſſecutio; affirmatiuam autem partem concludunt tantùm ex creditis: ita Doctor *quaſt. illa* 1. *prologi num.* 24. & hæc eſt demonſtratio moralis ſupponens neceſſariam eſſe cognitionem determinatam beatitudinis finalis, & eam eſſe ſequendam, quæ eſt communis aſſertio, & inſtinctus Philoſophorum: quibus ſuppoſitis debet tolli dubitatio, & ignorantia practica ab intellectu circa illud problema. *An fruitio ſit finis, vel contrarium.* Et ſic procedit Philoſophus *primo Ethic. cap.* 1. laudans quod veteres dixerunt bonum ipſum eſſe quod omnia appetunt, & aliquem finem in omnibus appetendum, *cap.* 2. quòd vnus finis ſit, propter quem reliqui appetuntur: *neque enim fit*, inquit, *vt omnia propter aliud expetamus: eſſet enim hoc modo ſine vllo fine progreſſus, atque noſter appetitus inanis eſſet, & vanus*, &c. Nempe finis appetitus, ſi non daretur vnus finis, in quo eſſet quieſcendum, *cap.* 3. de modo procedendi ad inueſtigationem felicitatis, *cap.* 4. *& ſequentibus vſque ad nonum* de varietate finium, & ſententiis aliorum, quas refutat. Deinceps de modo aſſequendi eius, &c. Vnde liquet neceſſarium eſſe agenti propter finem, & felicitatem, ſcire, an hic ſit finis, vel non. Rationes autem poſitæ, vt ſoluunt rationes Philoſophorum, & applicant generalia principia, probando Philoſophos errasſe, neque attigiſſe veritatem, & aliam eſſe felicitatem inueſtigandam, reddunt opinionem Philoſophorum de felicitate dubiam, & incertam. Spectato etiam lumine naturali, ſic probant demonſtratiuè, & practicè alterum illius contradictionis eſſe neceſſariò ſciendum.

Declaratur in ſpecie vis præmiſſarum rationum.

Demōſtratio moralis.

Proceſſus Philoſophi inueſtigantis beatitudinē.

Agenti propter finem neceſſaria eſt eius cognitio.

SCHOLIVM.

Nullam naturam homine inferiorem eſſe ſimpliciter beatificabilem, quia non poteſt attingere obiectum immateriale: habentia tamen operationes ſenſitiuas eſſe ſecundùm quid *beatificabilia, quid per ſuos actus ſuo fini, ſeu ſuo optimo iunguntur, quæ verò carent operationibus, neutro modo beatificari poſſunt.*

h SEcundò videndum eſt quòd nulla natura inferior natura humana eſt ſimpliciter beatificalis. Cuius ratio eſt: quia nulla natura eſt beatificabilis, niſi quæ poteſt attingere obiectum immateriale; ſed nulla natura inferior natura humana poteſt hoc: ergo, &c. 6

Dico tamen, quòd aliqua natura inferior humana eſt beatificabilis ſecundùm *quid*, vt omnis natura, quæ per ſuam operationem poteſt ſuo fini immediatè coniungi, & ſic ſuo optimo, non optimo ſimpliciter; ſed omnia habentia operationes proprias, & immanentes, vt ſenſus, poſſunt coniungi ſuo optimo: ergo ſic poſſunt beatificari, licèt non ſimpliciter.

Bruta beatificantur ſecundùm quid.

Præterea, quod non coniungitur meliori ſe, non poteſt beatificari, nec beatificatur ſimpliciter; ſed nulla natura inferior homine coniungitur ſuo optimo tanquam meliori

meliori se : ergo, &c. Probatio minoris, potentia quæcunque operatiua est animati, vt animatum est ; sed obiecta materialia, vt sunt qualitates sensibiles secundùm se, non sunt perfectiores animato, vt animatum est : ergo ipsæ potentiæ sunt meliores obiectis.

Ex hoc sequitur corollarium, quòd illa, quæ non habent potentiam operatiuam, non sunt simpliciter, nec secundùm *quid* beatificabilia : quia non habent operationem coniungentem cum suo optimo ; sed in operatione consistit beatitudo, & alia etiam tantùm factiua sunt, non operatiua : quia non habent operationes immanentes eis, & tales formæ sunt omnes formæ sub sensitiua. *Quæ carent omni operatione, licèt habeant factiones, nec secundùm quid beari possunt Quietari in centro, non est operatio.*

Et si obiicias quòd graue mouet se ad centrum, & quietatur in centro : Dico, quòd est verbum metaphoricum dicere quietari ipsum in centro. habet enim tantùm actionem, quæ est motus grauis, non tamen circa centrum habet operationem, & ideò non coniungit se centro : tamen supposito quòd sic, hoc non est nisi causatio alicuius *vbi* naturalis, non alicuius formæ absolutæ : ergo non est beatitudo, quæ est forma absoluta. Dico igitur quòd homo est beatificabilis simpliciter, & nihil aliud eo inferius.

7 [i] Ad argumenta. Ad primum, consequentia non valet, quia anima est pars hominis beatificabilis, & immediatè susceptiuum beatitudinis : & per consequens tota natura est susceptiuum mediatum, non immediatum, quia anima est aliquid hominis. *Ad arg. 1.*

[k] Ad secundum dico, quòd omnis natura intellectualis immediatè ordinatur ad attingendum finem, ordine tamen quodam: ita tamen quòd vna est perfectior alia, & omnes tamen immediatæ non ordinatæ, ita quòd vna sit alterius medium, quo attingat vltimum finem: omnis enim intellectus habet pro obiecto totum ens, & sic non quietatur in quacunque substantia, vel ente, sed solùm in ente optimo, sicut patet de visu : clariùs enim, & perfectiùs videt aquila Solem, quàm homo, tamen immediatè vtrumque videt Solem. *Ad 2. Potentia tantum in optimo contento sub suo obiecto, quietatur.*

[l] Ad illud de violentia perpetua, dico quòd quietatur non quiete beatifica, quia non in optimo simpliciter. *Ad 3.*

[m] Ad aliud de fine, dico quòd finis accipitur multipliciter; quandoque accipitur pro causa finali; quandoque pro perfectione vltima, ad quam res ordinatur ; quandoque pro optimo; quandoque pro vltimo. Hi duo modi vltimi non faciunt ad propositum. Primo modo Deus est causa finalis omnium, & hoc non aliter, nisi sicut propter quem amatæ sunt res. Deus enim omnia producit propter seipsum, & sic est finis immediatus omnium, vt propter se. & à se : non ad se, vt ad finem immediatum : sed sic non loquimur hîc de fine, sed secundo modo, scilicet de perfectione vltima, ad quam res ordinatur ; & hoc modo non est Deus nisi causa finalis : non enim est Deus beatitudo formaliter, licèt propter se det beatitudinem. Et ex hoc patet quòd ille circulus, quem ponit Proclus, quòd omnia redeunt ad primum principium reditione completa, est congruus in arguendo: ergo variatus finis. Potest tamen dici, quòd Deus est finis inquantùm terminat operationes creaturæ beatificabilis. *Ad 4. Deus est caus. finalis omnium, sed non finis 1. vltima perfectio obtinenda per operationem. Prop. 35. De hoc circulo vide 1.d.1.q.1.in opin. Auic.*

COMMENTARIVS.

14 *2. Conclus. 1. Probatio. Qualis est beatitudo secundū quid.* SEcundò [h] *videndum est*, &c. Est secunda conclusio respondens quæstioni titulari, nempe nullam naturam inferiorem humana posse attingere beatitudinem simpliciter, aut beatificabilem esse, quia nequit esse beatitudo simpliciter, nisi respectu obiecti immaterialis : nulla autem natura inferior humana potest attingere obiectum immateriale. Subiungit Doctor alteram partem conclusionis, nempe beatificari secundùm *quid* potentias sensitiuas, quæ per operationes immanentes coniunguntur suo optimo extrinseco ; quæ pars magis verificatur in homine quàm in bruto, quia in statu gloriæ, & corporis assumpti erit etiam in sensu quædam beatitudo secundùm *quid.* & proportionata suæ capacitati.

2. Ratio. Secundò probat conclusionem principalem: quia nulla alia natura inferior homine coniungitur meliori se : quia omnis natura animata anima sensitiua perfectior est obiecto materiali sensibili, quod respicit.

Tertiò deducit quòd illa, quæ non sunt sensibilia, neque simpliciter, neque secundùm *quid*, beatificantur : quia beatitudo consistit in operatione coniungente suo optimo extrinseco obiecto : illa autem nullam habent operationem talem. *Nulla est beatitudo nō sensitiui.*

Si obiicias. Lapis quiescit in suo centro, aut graue. *Obiectio.*

Respondet hoc metaphoricè dici: quia nullam habet operationem, aut actionem circa centrum, & ille motus eius ad centrum est tantùm respectu *vbi* naturalis. *Responsio.*

Concludit tandem intentum, scilicet hominem esse beatificabilem simpliciter, & nihil aliud homine inferius : quod docuit Philosophus 1. *Eth.c.*8.*&* 9. Augustin.*lib.*83.*qq.* 5. & Nyss.*in libro de beatitudinibus.* Patet etiam ex hactenus dictis. *Nihil inferius homine est beatificabile.*

Ad

15 Ad arg. ad 1. [i] *Ad argumenta: ad primum*, &c. Hoc fuit, quòd anima esset capax beatitudinis: sed ipsa inferior homine, &c. ergo, &c.

Responsio. Respondet animam esse partem hominis, & immediatum susceptiuum beatitudinis, & consequenter tota natura vt *quod* est susceptiuum beatitudinis, anima vt *quo*.

Ad 2. *Ad secundum dico*, &c. Hoc fuit, quòd inter Angelum, & hominem est ordo essentialis, & Angelus immediatiùs se habet ad Deum: ergo immediatiùs attingit beatitudinem, nempe Deum, & consequenter homo mediante Angelo.

Responsio. Respondet, quòd vtraque natura immediatè ordinatur ad finem, & omnis intellectus obiectum immediatum est ens, licèt perfectionis ordo inter naturas spirituales seruetur inter se, non tamen ad finem. Exemplum. Aquila clariùs videt Solem, quàm homo, vterque tamen immediatè attingit, & non medio altero.

Ad 3. [l] *Ad aliud*, &c. Hoc fuit tertiũ. Aliæ naturæ inferiores homine vltimatè quietantur; quia aliàs essẽt in statu violẽto: ergo sũt capaces beatitudinis.

Respondet ens quietari alia quiete diuersa à quiete beatifica per operationem. Responsio.

Ad aliud [m] *de fine dico*, &c. Hoc fuit quartum argumentum. Causæ primæ vniuersalissimæ respondet finis vltimus vniuersalissimus; sed Deus est causa efficiens immediata omnium: ergo erit finis immediatus omnium: ergo, &c. Ad 4.

Respondet quòd finis multipliciter sumitur. Aliquando pro causa finali; aliquando pro perfectione vltima, ad quam res ordinatur; aliquando pro optimo; aliquando pro vltimo. Hi duo vltimi modi non faciunt ad propositum. Responsio.

Respondet resolutiuè Deum esse finem vltimum iuxta præsens institutum, quatenus est perfectio vltima obiectiua, ad quam natura spiritualis ordinatur. Quod autem asserit Deum esse finem operationum beatificantium, intelligit de fine vt obiecto. An sic actiones elicitæ immediatè circa finem sint propter finem, Doctores variant, sed est quæstio magis de nomine, quàm de re: quia secundùm diuersam acceptionem finis. Resolutio.



QVÆSTIO IX.

Vtrùm omnes homines velint de necessitate, & summè beatitudinem?

D. Thom. 1.2. *quæst.* 5. *art.* 8. *&* 1. *part. quæst.* 12. *art.* 1. *& de malo quæst.* 6. *art.* 1. Henric. *quodl.* 3. *quæst.* 7. D. Bonauent. *hîc art.* 1. *quæst.* 2. Rich. *art.* 2. *quæst.* 1. Durand. *quæst.* 8. Palud. *quæst.* 7. Soto *quæst.* 1. *art.* 1. *& de nat. & gra. cap.* 4. Vasquez 1.2. *disp.* 22. *Vide* Scot. 9. *Metaph. quæst.* 15.

Arg. 1. Vide D. Thom. dist. præsenti art. 1. q. 3. VTRVM [a] omnes homines velint de necessitate, & summè beatitudinem? Videtur quòd non, quia secundùm Augustinum 10. *de Trinitate, cap.* 1. Incognitum non potest appeti: sed vltimus finis non est notus, quia non omnes sciunt beatitudinem: ergo non omnes appetunt eam. Minor patet 1. *Ethic.* ex diuersa opinione circa eam. 1

Arg. 2. Præterea, damnati non appetunt eam: ergo non omnes homines. Consequentia patet. Antecedens probatur dupliciter. Primò sic, de quo desperat aliquis, non appetit illud, vel tenuiter appetit, vt dicit Augustin. 10. *de Trinitate*: (Cap. 1.) sed damnati desperant de beatitudine, quia sunt obstinati: ergo, &c. Secundò sic. Appetitus voluntarius non est ad impossibile; sed apprehenditur beatitudo à damnatis vt impossibile ab eis: ergo, &c.

Ad principale, si omnes de necessitate appetant beatitudinem, non merentur appetendo eam; consequens est falsum: ergo & antecedens. Consequentia probatur per Augustin. *de libero arbitrio*, vbi dicit quòd *nullus meretur in eo, quod vitare non potest.* Falsitas consequentis probatur, meremur volendo ea, quæ sunt ad finem; sed volitio finis est causa volitionis eorum, quæ sunt ad finem: ergo magis volendo finem, quia *propter quod vnumquodque tale, & illud magis.* Primo posteriorum, (Text. 5.) & secundo Metaphysicæ. (Tex. 4.)

Præterea, quòd non summè, illa potentia non vult summè obiectum aliquod, quæ compatitur secum actum aliquem circa aliud obiectum; quia distractio ad diuersa facit remissionem in actu; sed beatitudo in voluntate compatitur secum actum, qui est *vt*: ergo non summè vult beatitudinem.

Contrà, Augustin. 13. de Trinit. cap. 8. *Beati omnes esse volunt, vt veritas clamat*; sed si aliquis, vel omnes vellent contingenter eam, hoc non esset verum, quia tunc aliqui possent non velle: ergo de necessitate volunt eam omnes homines.

Præterea, quòd summè, videtur dicere Augustin. *ibidem cap.* 5. vbi dicit quòd ardentissimè beatitudinem omnes volunt. Præterea 2. *Physicorum*, (Text. 89.) & 7. *Ethicorum* (cap. 12.) dicit Philosophus: *Sicut principium in speculabilibus, sic finis in practicis*; sed intellectus necessariò assentit principiis: ergo voluntas fini.

Præterea,

Præterea, Anselmus de concordia prædestin. & gratiæ cum libero arbitrio, *cap.* 21. dicit quòd voluntas non potest non velle summè commodum; sed beatitudo est summè commodum: ergo vult necessariò eam. Præterea, quòd summè Phylosophus 1. *Ethicorum* dicit quòd benè dixerunt *bonum esse, quod omnia appetunt*: hoc est beatitudo. Ex hoc potest argui; igitur magis bonum illud omnia magis appetunt; sed beatitudo est huiusmodi bonum: ergo, &c. *Cap* 16. *Idem de Casu dia. cap.* 4. *Cap.* 1.

COMMENTARIVS.

VTrùm [a] *omnes homines velint*, &c. Hìc subiungit argumenta pro vtraque parte huius quæstionis. Deinde, subiicit aliam huic connexam, quæ est in ordine decima. *An scilicet omnia quæ appetuntur, appetantur propter beatitudinem.* Vtrámque quæstionem suo ordine resoluit.

SCHOLIVM.

Hæc quæstio disputatur & resoluitur latè quæst. seq. à num. 2. *& argumenta hìc posita soluuntur ibi à num.* 11.



QVÆSTIO X.

Vtrùm omnia, quæ appetuntur, appetantur propter beatitudinem?

D.Thom. 1.2.*quæst.*1.*art.*6.(*vbi* Caiet. Conrad.)*& hic quæst.*1.*art.*3. Durand. 2.*quæst.* 38.*quæst.* 4. Vasq. 1.2.*disp.*6.*cap.*2.*&* 3.*& citati pro quæst. præced. Vide Doct.*9.*Metaph. quæst.*11. *& in Theorem.* §. *Non potest probari hominem esse ordinatum.*

1 IVXTA hoc quæritur. Vtrùm omnia, quæ appetuntur, appetantur propter beatitudinem? Videtur quòd sic. Augustin. 13. *de Trinitate cap.* 5. *Propter hanc quæcunque cætera appetuntur.* *Arg.* 1.

Præterea, in omni genere est vnum primum, quod est causa omnium illius generis; sed beatitudo est primum appetibile: ergo est causa, & ratio omnium, quæ appetuntur. *Arg.* 2.

Præterea, si aliquid appeteretur non propter beatitudinem appeteretur, sicut beatitudo. *Arg.* 3.

Contrà: non omnes appetentes cognoscunt beatitudinem: ergo non appetitur omne propter beatitudinem. Præterea, tunc duo actus essent simul in voluntate, quod est inconueniens: non enim potest appetere propter beatitudinem, nisi habeat actum illum, qui est beatitudinis. *Rat. opp.*

SCHOLIVM.

Distinguit duplicem appetitum voluntatis, naturalem scilicet, & liberum: illum ait non esse actum elicitum, alioquin simul essent duo actus eliciti oppositi in voluntate, quia martyr naturali appetitu vult viuere, sed libero mori. Describit appetitum naturalem, & resoluit illo appetitu voluntatem necessariò, semper, & summè appetere beatitudinem in particulari, & singula probat clarè.

2 [b] REspondeo, ad primam quæstionem dico, quòd duplex est appetitus in voluntate, scilicet naturalis, & liber. Naturalem solùm dico potentiam voluntatis absolutè, sed non aliquid superadditum voluntati: sicut enim quælibet natura habet inclinationem naturalem ad suam perfectionem, sic etiam natura intellectualis, scilicet voluntas, habet naturalem inclinationem ad suam perfectionem: alius est appetitus liber, qui est *velle* liberum. De primo appetitu dico, quòd non est actus aliquis elicitus à voluntate, sed tantùm inclinatio quædam. Probo, sicut se habet appetitus naturalis intellectus ad actum suum, sic appetitus voluntatis ad actum suum; sed appetitus naturalis intellectus non est actus elicitus ab eo: ergo sic erit de voluntate. *Appetitus naturalis, & liber.*

Præterea, non experimur talem actum esse in nobis, cùm tamen inconueniens sit nobilissimos habitus naturaliter esse in nobis, & latere nos; quod etiam verum est de operationibus. Præterea, tunc quandoque actus oppositi simul essent in eodem. Potest enim aliquis appetitu naturali refugere mortem, quia nolumus expoliari secundùm Apostolum, & actu liberè elicito eligere mortem, sicut martyres; vnde dicit Apostolus, *Cupio dissolui*, &c. ergo sequitur quòd appetitus naturalis non sit nisi inclinatio quædam ad perfectionem suam: nec est magis actus elicitus in voluntate, quàm in lapide. Quid ergo? dico quòd est inclinatio ad propriam perfectionem suam, scilicet voluntatis, sicut in aliis non habentibus appetitum liberum: & de illo appetitu loquitur Philosophus 1. *Physicorum*; quòd materia appetit formam, & vniuersaliter imperfectum suam perfectionem.

2. Poster. in fine. 2. Cor. 5. Phil. 1. appetitus naturalis nõ est actus elicitus. Text. 81.

[c] De illo appetitu naturali, patet quòd voluntas necessariò, & perpetuò, & summè appetit beatitudinem: & hoc in particulari. Quòd de necessitate, patet, quia natura non potest remanere natura, quin inclinetur ad suam perfectionem, quia si tollas illam inclinationem, tollis naturam: sed appetitus naturalis non est nisi inclinatio talis: ergo vt sic necessariò appetit beatitudinem, quia illa est maxima perfectio. Quod summè appetat, probo, quia summa inclinatio naturæ est ad summam perfectionem: sic enim arguit Philosophus 1. Metaphysicæ, *Si omnes homines natura scire desiderant: ergo maximam scientiam maximè desiderant*; sed summa perfectio voluntatis est beatitudo: ergo, &c. 3

Voluntas necessariò, perpetuò, & summè appetit beatitudinem. In Proœmio.

Præterea, in cuius potestate non est tendere, vel non tendere, in eius potestate non est remissè tendere: ergo si voluntas vt natura determinatur necessariò ad appetendum beatitudinem: ergo summè.

Et quod in particulari, patet; quia ille appetitus est ad perfectionem intrinsecam realem, qua voluntas perficitur; sed perfectio realis non est aliquid vniuersale, qua voluntas perficitur, sed particulare: ergo, &c. Præterea, illud appetere non est actus sequens cognitionem, quia tunc esset liber: vniuersale autem non est nisi obiectum intellectus, vel consequens actum intellectus: ergo ille appetitus non erit nisi beatitudinis in particulari.

COMMENTARIVS.

1 *Ordo & diuisio quæst.*

RESpondeo [b] *ad primam quæstionem*, &c. Quæstionis resolutio continet duos articulos; in primo determinatur de appetitu innato voluntatis ad beatitudinem, & qualis sit? In secundo verò de appetitu elicito, an sit necessarius, an liber. Tandem respondet ad argumenta.

Duplex appetitus voluntatis.

In hoc primo articulo distinguit appetitum in voluntate duplicem: primus est innatus, qui competit ipsi, quà potentia est absolutè, nihil alio superaddito: nam sicut quælibet natura habet inclinationem naturalem ad suam perfectionem, sic natura intellectualis, scilicet voluntas, habet naturalem inclinationem ad suam perfectionem. Alius est appetitus in voluntate, qui dicitur elicitus, & liber.

Appetitus naturalis nõ est actus elicitus.

Quantùm ad appetitum innatum voluntatis, dicit primò non esse actum elicitum, sed tantùm inclinationem passiuam eius. Probat primò, quia sic se habet appetitus intellectus ad cognitionem, vt est perfectio eius: ergo appetitus voluntatis innatus. Deinde, quia non experimur talem actum esse in nobis: cùm tamen inconueniens sit nobilissimos habitus esse in nobis latenter; quod etiam est verum de operationibus. Tertiò, potest inesse appetitus aliquis naturalis in nobis; fugiendi v.g. mortem; actu tamẽ elicito posset velle mortem, vt fuit in Apostolo, & martyribus. Si autem appetitus prior innatus esset actus elicitus, repugnaret voluntati appetenti mortem per actum elicitum. Concludit tandem nihil aliud esse quàm ipsam inclinationem voluntatis ad suam perfectionem, quæ passiua est. Qua in re non est controuersia, vt sumitur hîc appetitus à Doctore: quidquid sit an detur aliquis actus necessarius in voluntate, & elicitus ante intentionem, vel alio modo; quod magis ad sequentem articulum spectat: inclinatio ergo voluntatis est vt subiecti ad suam perfectionem recipiendam, & per accidens est, vt ipsi reipsa sit coniuncta virtus elicitiua, aut effectiua illius perfectionis; nam si aliunde etiam communicaretur ipsa perfectio, eodem modo perficeret inclinationem passiuam, & innatam voluntatis ad suam perfectionem, quæ est subiecti ad formam.

2 *2. Conclusio. Dari appetitum naturalem respectu beatitudinis supernaturalis.*

[c] *De illo appetitu naturali patet*, &c. Hæc secunda conclusio huius articuli: nempe dari appetitum naturalem in voluntate necessarium, & summè respectu beatitudinis in particulari, quæ est supernaturalis. Probat primò quòd hic appetitus sit necessarius: quia natura non potest remanere natura, quin sit inclinata ad suam perfectionem, quia si tollis illam inclinationem, tollis naturam: secundò, quòd summè appetat, probat: quia summa inclinatio naturæ est ad summam perfectionem, vt arguit Philosophus *in primo Met.* sed summa perfectio voluntatis est beatitudo: ergo, &c. Deinde, in cuius potestate non est actus, non est in eius potestate modus actus remissus, aut intensus; sed voluntati non subest sua inclinatio, ad quam ex natura determinatur: ergo, &c.

Tertiò tandem quòd voluntas sic inclinetur ad beatitudinem in particulari, probat, quia ille appetitus est ad perfectionem realem intrinsecam

cam, qua perficitur voluntas; sed talis perfectio non est aliquid vniuersale, sed particulare: ergo, &c. Prætereà, illud appetere non est actus elicitus sequens cognitionem: quia perindè inest voluntati, siue intellectus operetur, siue non: vniuersale autem non est obiectum nisi intellectus, vel consequens actum intellectus: ergo ille appetitus non erit nisi beatitudinis in particulari.

3 Hanc conclusionem tradit Doctor constanter, etiam *in sequenti articulo, & quæstione sequenti*, & *in quæstione prima Prologi num.* 12. & *num.* 20. & 21. & aliàs sæpè, quam communis nostræ Scholæ sequitur. Eam tenet Alensis *quæst.* 1. *Prologi* Durand. *in hac d. quæst.* 8. Paludanus *quæst.* 7. Maior *quæst.* 6. Sotus *quæst.* 2. & *de natura, & gratia lib.* 1. *cap.* 4. Henricus *in summa art.* 3 *quæst.* 4. & 5. *art.* 4. *quæst.* 3. & clariùs *quæst.* 5. & videtur D. Thom. 1.2. *quæst.* 3. *art.* 8. & *quæst.* 6. *art.* 3. *ad* 3. & *prima part. quæst.* 12. *art.* 1. & 3. *part. quæst.* 9. *art.* 2. *ad* 3. Vnde meritò eam asserit Molina *prima parte quæst.* 12. esse communiorem Theologorum; quamuis ipse contrariam sequatur, qua negatur in creatura spirituali, aut homine appetitus naturalis, sed potentia tantùm quædam obedientialis ad beatitudinem, & reliquas formas supernaturales; quæ sententia placet pluribus modernis. Eam tenuit Caietan. 1. *part. quæst.* 1. *art.* 1. & *quæst.* 12. *art.* 1. Ferrariens. 1. *contra Gentes cap.* 1. & *lib.* 3. *cap.* 51. Capreolus *in Prologo quæst.* 1. Medina 1.2. *quæst.* 3. *art.* 8. Suarez *in metaph. disp.* 30. *sect.* 11. & *in* 2. *disp.* 16. *sect.* 2. Vasquez 1.2. *disput.* 22. *cap.* 2. quamuis nobiscum sentiat *disp.* 20. posse demonstrari in homine capacitatem ad veram beatitudinem; idque probat ex appetitu innato hominis ad beatitudinem; quæ probatio nulla est, si tantùm in homine est potentia tantùm obedientialis, quæ sola reuelatione cognoscatur. Sumel etiam 1. *part. quæst.* 12. *art.* 1. *quæst.* 2. *conclus.* 2. asserit sententiam priorem esse falsam, & indignam viro Theologo. Sed hæc censura promptior est, quàm debita probatio, ideóque contemnendá: sufficit enim vt sit sententia tot Doctorum grauium, & vt ostendam magis fundatam in Patribus.

Sententia asserens appetitum esse naturalem.

Sententia negatiua.

4 Controuersia in hoc sistit: an ad formas supernaturales, quæ tales dicuntur, quoad substantiam detur inclinatio naturalis passiua in creatura spirituali. Quæstio etiam comprehendit an definiatur hæc supernaturalitas formæ in ordine ad agens tantùm. An etiam in ordine ad subiectum, quatenus in subiecto excludatur inclinatio, & pondus naturale ad formam sic supernaturalem, & eo ipso quòd sit talis inclinatio, forma simpliciter dicēda sit naturalis in entitate, non supernaturalis, ad quam tantùm supponitur ex parte subiecti potentia quędam obedientialis. Hoc asserunt aduersarij, illud nos: conuenimus ambo formas in substantia sua dari supernaturales, vt rectè probat Scholiastes ex variis locis Doctoris *in Prologo quæst.* 1. comparando tamen supernaturalitatem formæ ad extrinsecas causas, nos dicimus cum Doctore in illa quæstione illas dici supernaturales quoad modum, & substantiam, quæ non includuntur in virtute actiua causarum naturalium quoad substantiam, aut modum respectiuè, & vt comparantur ad subiectum in ratione formæ, supponere appetitum, & potentiam passiuam naturalem. Alij negant hanc potentiam, astruentes pro ea capacitatem obedientialem tantùm.

Status & modus controuersiæ.

Supernaturalitas in quo consistit.

5 Patet primò hæc veritas ex Paulo *in Epistola ad Romanos & Galatas contra Iudæos*, ex communi Patrum, & Conciliorum aduersum Pelagianos; qui sicut infirmitatem nostram statuunt in viribus naturæ, & liberi arbitrij efficientibus, & legis quantùm ad saluandum hominem, sic etiam supernaturalitatem gratiæ Christi statuunt in ordine ad Deum excitantem, & adiuuantem, seu operantem in nobis per auxilia gratiæ. Hinc damnantur asserentes hominem posse etiam cum directione legis aliquid ad salutem, sicut oportet viribus naturæ sine auxilio Dei operari, aut vincere tētationes, aut adimplere posse legem & euitare peccatum, vincere fomitem, credere, sperare, diligere sicut oportet, &c. quæ sunt veritates potissimæ controuersæ contra Pelagianos, quia contrarium astruebant: Patres ergo intelligunt gratiam esse supra naturam quoad virtutem actiuam, non quoad passiuam; de qua nulla fuit quæstio. Eodem modo quidquid de supernaturalitate beatitudinis, & affectus miraculosi definitur à Patribus, explicatur in ordine ad potentiam Dei agentem supra vires naturæ creatæ actiuas. Aliunde non habetur supernaturalitas formarum accidentalium: ergo ex intento Patrum hæc supernaturalitas stat in ordine ad agens, non autem ad passum; quod expressè docent aliqui ex Patribus.

Probatio conclusionis.

Oppositio naturæ, & gratiæ attenditur penes efficatiam.

Veritates definitæ contra Pelagianos.

Supernaturalitas attēditur secundùm vires actiuas.

6 Primò, Augustin. *de prædest. Sanctor.* 5. *num.* 5. vbi præmittens nimis absurdum esse suspicari dona Dei esse naturalia, iuxta illud: *quis te discernit*, &c. agit præcisè de donis, quà sunt supra naturam, distinguens ea ab iis, quæ natura insunt. Postmodum ostendens fidem esse donum supernaturale, subdit: *vt enim sit natura fidem posse habere nunquid & habere? non enim omnium est fides, cùm fidem posse habere sit omnium: non autem ait Apostolus: quid autem potes habere, quod non accepisti: sed ait, quid autem habes, quod non accepisti? Proinde posse habere fidem, sicut posse habere charitatem naturæ est hominum: habere autem fidem, quemadmodum habere charitatem, gratiæ est fidelium. Illa itaque natura, in qua nobis data est possibilitas habendi fidem, non discernit ab homine hominem; ipsa verò fides discernit ab infideli fidelem*, &c. Hîc Augustinus loquitur de possibilitate passiua naturæ, quam opponit actiuæ, quæ est supra naturam, asserens illam inesse homini à natura; aliam non sic inesse, sed supernaturaliter donari per eum, qui præparat voluntatem, vt *infrà* subdit.

Item lib. 4. contra Iulianum cap. 3. *Bonum*, inquit, *dicis hominum naturam* (loquitur Iuliano) *quæ talis gratiæ opitulationem meretur, quod gratanter audirem, si hoc propterea, quia rationalis natura est, diceres: neque enim gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum lapidibus, aut lignis pecoribúsue præstatur: sed quia imago Dei est, meretur hanc gratiam: non autem vt eius bona voluntas possit præcedere præter gratiam*, &c. Deinde, *ibidem* negans veras virtutes fuisse in Philosophis, esse autem in Christianis, qui thesaurirant sapientiam, libidines refrænant; ostendit quid sit vera virtus: *Quod cùm facimus, ideò veras virtutes habemus, quia verum est propter quod facimus, id est, hoc nostra natura consentaneum est ad salutem, & veram felicitatem. Non enim absurdè virtus definita est ab eis qui dixerunt: virtus est animi habitus naturæ modo atque rationi consentaneus. Verum dixerunt, sed quid sit consentaneum liberandæ ac beatificandæ* Idem. Idem.

ficandæ natura mortalium nescierunt, neque omnes homines naturali instinctu immortales beati esse vellemus, nisi esse possemus: sed hoc summum bonum præstari hominibus non potest, nisi per Christum, &c.

Idem. Item lib. 13. de Trinit. cap. 8. *Ad appetendum beatitudinem natura compellit, cui summè bonus, & immutabilis creator hoc indidit.* Item cap. 3. idem habet, & alibi sæpè vt lib. 1. confession. *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec perueniamus ad te*, &c. *lib. 10. confession. cap. 20. lib. de vita beata in principio, & lib. 1. de liber. arbitr. cap. 14. & lib. 2. cap. 9.*

Fulgent. Item Fulgentius *de Incarnatione & gratia c. 22.* docet possibilitatem fidei inesse naturæ rationali creatæ. Prosper. Prosper contra Collatorem, ostendens virtutum semina in nobis peccato primi hominis euersa esse, non capacitatem ipsam, *quia natura rationalis remansit, quæ est reformabilis creatori suo, & habitaculum virtutum*, &c. Vbi denotat inclinationem naturalem animæ ad virtutes.

7 *Responsio impugnatur.* Si Respondeas hoc intelligi de virtutibus moralibus, nihil est: quia perinde Patres exigunt necessitatem gratiæ Christi, & auxiliorum ad complendam legem, fugienda peccata, rectificandum liberum arbitrium in operibus virtutum, & superandas tentationes, & fomitem, quàm ad credendum. Vt patet passim ex Augustino, concilio Diospolitano, Mileuitano, Affricanis, Arausicano, & nouissimè Tridentino *sess. 6. can. 2. & can. 3.* Eodem modo loquitur de necessitate gratiæ ad fidem, spem, charitatem, & pœnitentiam: quantumlibet pœnitentia sit virtus moralis: ergo si ex necessitate gratiæ excitantis, & adiuuantis colligunt non esse in nobis inclinationem naturalem ad habitus, & actus supernaturales, sed tantùm potentiam obedientialem. Idem dicant de inclinatione etiam ad bonum ex genere, ad quod liberum arbitrium infirmum est, & exigit gratiam Christi.

Responsio aliorum reiicitur. Excluditur etiam solutio aliorum, qui dicunt appetitu explicito naturali nos inclinari in felicitatem; quia & hoc magis est contra Patres, quia ille appetitus explicitus naturalis potest esse initium bonæ voluntatis; de quo Semipelagiani asserentes velle sanari esse ex libero arbitrio, éstque affectus bonus, ex quo posset accedente adiutorio gratiæ concipi affectus efficax salutis, vt iidem dicebant: quoniam voluntas simplex finis iuxta plures Theologos est causa efficax, & illam antecedens. Minùs ergo derogat gratiæ Christi, & eius necessitati asserta inclinatio passiua, quæ seipsa nequit reduci ad actum, cùm sit merè passiua, quàm dare explicitam inclinationem, quæ suo modo est actus, & supponit completam virtutem in natura respectu sui: passiua non ita. Deinde, ex communi prouidentia Deus magis tenetur assistere voluntati explicitæ etiam inefficaci in ordine ad actum perfectum, quàm inclinationi passiuæ. *Impugnatur ex Patribus.* Vnde Augustinus *in libris de correptione, & gratia, & de prædestinatione Sanctorum* quos nouissimè contra Semipelagianos scripsit, sollicitantibus Prospero, & Hilario, non aliter destruit hoc genus affectus naturalis, quàm dogma Pelagianorum; gratiam nempe dari ex meritis liberi arbitrij, initium salutis esse ex nobis, voluntatem seipsam discernere antequàm præparetur, priùs dare Deo quod ipse retribuat. Nos cogitare aliquid ex nobis, tanquàm ex nobis, &c. Neque secus eius discipuli Prosper, & Fulgent. aliiq; posteriores discurrunt.

Deinde, appetitus explicitus supponit conuenientiam obiecti ad voluntatem, quæ nequit stare sine inclinatione naturali eius in obiectum. Neque valet responsio aliorum, qui dicunt voluntatem inclinari in finem vltimum in particulari, non immediatè, & determinatè, sed quà fertur in finem in vniuersali, quia de beatitudine in particulari loquuntur Patres. Deinde, inclinatio potentiæ in obiectum commune non tollit quin per se respiciat omne contentum, & maximè perfectissimum, in quo reliqua includuntur quoad perfectionem, & participatione eius sunt bona, & perfecta. Quod denique est vltimum completiuum eius appetitus, quod nulli conuenit.

Secundò, hæc inclinatio ad Deum in particulari colligitur ex iis, quæ Patres docent, circa imaginem, & similitudinem Dei in nobis, quæ naturalis est, & potissimè respicit ipsum Deum, intellectu, & voluntate in ipsum tendat: Athanasius *orat. contra Idola.* Chrysostomus *homil. 9. in Genes.* Basilius *homil. 10. in Genesim.* Idem expressè docent Augustinus, vel qui est author de quantitate animæ, liberè confitentur imaginem in æternitate, similitudinem in moribus reperiri. 8 *2. Probatio. Ex ratione imaginis.* Augustinus tractatu 8. in primam epistolam Ioan. *Vbi factus est homo ad imaginem Dei? in intellectu, in mente, in interiori homine, in eo quod intelligit veritatem, diiudicat iustitiam, & iniustitiam, nouit à quo factus est, potest intelligere creatorem suum, laudare creatorem suum*, &c. De spiritu & littera cap. 28. in secunda expositione illius ad Romanos 2. *(naturaliter quæ legis sunt faciunt)* docet quæcunque opera laudabilia Gentilium reduci in imaginis reliquias, & lib. 13. Confession. cap. 22. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem tuam*, &c. *Mente quippe renouatus & conspiciens veritatem tuam*, &c. *doces eum iam capacem videre Trinitatis vnitatem, & vnitatem Trinitatis*, &c. Gregorius Nyssenus in Hexameron. *Homo*, inquit, *eo factus est ad imaginem Dei, quòd factus est omnis boni capax; bonitatis enim plenitudo diuinitas est*, &c. Bernardus lib. de anima, seu humanæ conditionis cognitione cap. 1. *Mens siquidem nostra eò ipso eius imago est, quò eius capax est, eiúsque particeps esse potest: non propterea eius imago est, quia sui meminit mens, séque intelligit, ac diligit; sed quia potest meminisse, intelligere, ac diligere: à quo facta est*, &c. Et huc breuiter concludam, quamuis Patres quandóque imaginem Trinitatis in homine secundùm alias proprietates assignant, hanc etiam proprietatem eius attingunt, vt sit capax gratiæ, & virtutis, & sapientiæ, & felicitatis, ac gloriæ Dei; neque ab hoc recedunt, qui dicunt imaginem secundùm naturalia attendi, similitudinem secundùm supernaturalia dona, quæ se habent ad imaginem, sicut ornatus, & pulchritudo. Si imago naturalis est Dei secundùm proportionem imitationis, vt Augustinus in 7. *de Trinit. cap. vltimo.* Explicans illud *ad imaginem*, &c. debet dicere naturalem capacitatem, quà imago est, donorum supernaturalium, in quibus participat proprietates, & attributa, seu perfectiones diuinas, alioquin certè repugnaret ei esse imaginem Dei per vicinitatis similitudinem, vt loquitur Augustinus, nisi diceret hoc ipso capacitatem naturalem, vt inclinationem ad participandas perfectiones Dei; eo modo, quo communicari possunt: quod rectè quadrat proprietati Scripturæ, vt *ad Ephesios 4. Renouamini*, &c. Et in aliis locis;

Margin notes (right column): Augu℞. Nyssenus. Bernard.

ctis, vbi de renouatione huius imaginis agitur, vt sæpè etiam Patres docent, renouari per Christum in Baptismo, & in patria consummari eius perfectionem. Idem etiam concordat fini creationis hominis, quem explicat Scriptura. *Genes. 1. Faciamus hominem*, &c.

Renouatio imaginis.

9 *Responsio. Reiicitur.*

Sotus *suprà*, & aliqui respondent quòd si homo in statu naturæ puræ crearetur, habiturum imaginem Dei; non tamen capacitatem naturalem beatitudinis: sed falsum est quod subsumitur; neque video vnde probetur. Ex Patribus enim, vt ostendit prima ratio, nullum habet fundamentum, quia quòd dicantur dona supernaturalia, gratia, visio, &c. intelligitur quoad vires liberi arbitrij, quod constituitur in potentia actiua. Vt Tridentinum *sess. 6. can.* 4. & ipsi Patres, & Paulus quem sequitur, declarant. An sit autem potentia actiua naturalis, licèt inchoata, & insufficiens in homine respectu actuum supernaturalium, alio loco differetur *infrà dist. sequenti quæst.* 1. De potentia passiua nihil Patres in contrarium docent: sed potiùs affirmant; quæ etiam colligi potest ex ipsa actiua inchoata, & completa per adiutoria, quia tam vnum, quàm alterum ad perfectionem immanentem ordinatur, ad quam inclinat subiectum.

10 *Obiectiones.*

Argumenta autem à ratione parùm habent efficaciæ, vt quòd appetitus naturalis supponat principia naturalia, per quæ reducatur ad actum. Potentia naturalis actiuum naturale. Quòd homo dicat appetitum naturalem ad beatitudinem naturalem tantùm, aliàs posset dicere potentiam naturalem ad duos fines vltimos, qui repugnant. Deinde, quia sequeretur finem naturalem hominis esse supernaturalem beatitudinem. Deinde, sequeretur beatitudinem supernaturalem esse debitam homini.

Soluitur. *Instantia ad primum.*

Respondetur negando primum assumptum: quia naturalis appetitus videndi est in cæco; anima separata naturaliter appetit vniri corpori, nihil horum viribus naturæ reducitur ad actum. Deinde, dato quòd beatitudo naturalis hominis, vel Angeli in pura natura esset amor Dei naturalis, vel quidquid Philosophi posuerunt, ad illam nequiret viribus naturæ peruenire, nisi ex specialibus auxiliis adiutus. Vnde Augustinus, & Patres Philosophis hunc errorem impingunt, ac etiam Pelagianis, quòd propriis viribus posse putarent peruenire hominem ad perfectionem virtutum, & quietem inde redundantem absque gratia Dei: appetitum tamen naturalem secundùm inclinationem rationis ad hæc, communis Theologorum admittit. *Ad 2. Respondetur.* Per idem patet ad secundum, negando etiam assumptum, quia neque potentia illa est frustranea, quæ potest reduci ad actum, per aliquam causam in serie entium: *Passiuum nõ requirit, actiuum sui generis.* neque potentia passiua petit vt per aliquod sui generis agens reducatur ad actum, vt patet discurrenti per causas vniuersales, & æquiuocas, à quibus potentia determinata ad actum particularem reducitur. Sic in nostra Schola forma viuentis fit à causa prima, & secundùm fidem anima rationalis, ad quam est potentia naturalis determinata in corpore. *V- proportio vtriusque.* Cur ergo potẽtia naturalis passiua exigeret causam naturalem magis quàm creata creatam, particularis & determinata efficiens determinatum & particulare? Proportio passiuæ ad actiuam est, vt hæc sit in actu, & virtute, quod illa in possibilitate.

11 Ad tertium; Respondetur eundem esse appetitum determinatum passiuum ad finem vltimum attingendum, quamuis aliter & aliter attingatur perfectè, & imperfectè, loquendo de obiectiuo per media inferioris, & superioris ordinis: & diuersos etiam actus; quæ tunc est complete in actu, quando satiatur in patria. Dicitur autem finis naturalis non per ordinem ad inclinationem passiuam; quia hæc est eadem; neque in veriori sententia, quam teneo, per ordinem ad media quasi viribus naturæ stabiliter, & perfectè saltem, attingi posset, quod requiritur ad beatitudinem iuxta sententiam Philosophorum, & Theologorum; de cuius ratione est quies, & pax: sed per differentiam status, qua homo ad beatitudinem simpliciter, & reliqua coniuncta non ordinaretur, distinguitur finis naturalis, & supernaturalis in Deo.

Ad 3. respondetur. Idem est appetitus ad finem: diuersa autem media, & attingentia.

Ad quartum, patet ex dictis æquiuocari in notione illa *naturalis*, quæ, vt est differentia actiui, opponitur *supernaturali*, vt *passiui violento, & neutro*. 12

Ad 4. Responsio.

Ad vltimum, quod potissimè vrget Suarez *tom. 1. de gratia Prolegom.* 4. Respondetur sequelam absolutè falsam esse in forma, & materia. Si loquamur in stylo Patrum, & Scholæ, & secundùm rigorem sermonis: quia debitum actus simpliciter, si physicum est; fundatur in potentia actiua, & completa, cui Deus ex prouidentia communi assistit: vel si de morali, fundatur in merito. Si tamen loquamur de debito secundùm *quid*, prout accommodatur potentiæ passiuæ, denotando eius inclinationem, concedimus cum Augustino, & aliis citatis, sic esse debitum in natura rationali respectu beatitudinis: quia & actus vitalis rationalis, & particularis est, & accidens determinatum; ille ab intrinseco petit vt sit ratio tendendi vitaliter in potentia rationali creata; & hoc vt sit in subiecto determinato tali, ac proinde ab intrinseco essentialiter dicit vtramque inclinationem in ratione formæ, non secus ac accidentia huius generis reliqua, & connotat extrinsecè capacitatem subiecti naturalis inclinationis, quantùm est ex se. Nec valet instantia de qualitate, & motu transeunte: quia finis illius non est perficere subiectum in ratione formæ permanenter, sed ordinari ad effectum vt principium eius. Nihil etiam probat quòd aliqua forma dicatur repugnare subiecto, quia illa, quæ est violenta vni, est connaturalis alteri. Neque refert quòd forma accidentalis quandóque sit in subiecto neutro, vt nostra Schola docet: quia licèt subiectum sub ratione determinata non inclinatur ad ipsam, aliquod tamen subiectum est per se illius, loquor de formis absolutis: actus autem supernaturales, & vitales sicut & habitus, ita respiciunt potentiæ rationales, vt in aliis esse non possint secundùm veriorem, & communiorem sententiam. Si ergo in ipsis est appetitus naturalis ad hoc subiectum in specie, qui non derogat supernaturalitati ipsarum, ita etiam non derogat eidem vt in subiecto supponatur potentia naturalis passiua.

Ad vlt. Responsio. *Debitum forma variè sumitur.* *Excluduntur instantia.* *Appetitus forma ad subiectum.*

Dices Deum vt authorem naturæ, teneri satiare illam inclinationem. 13

Obiectio. Solutio. Prouidentia Dei circa naturam.

Respondetur negando sequelam, quia prouidẽtia Dei spectatur iuxta exigentiam causæ actiuæ naturalis, inquantùm finit eam suos motus facere, vt cum ea concurrit, inquantùm agit ad effectum, vel per se disponit vltimata dispositione; nihil horum datur ex exigentia causæ passiuæ natura

naturalis in ordine ad formas supernaturales. Vnde Deus non producit in subiecto formam secundùm perfectiorem eius inclinationem, nisi detur causa naturalis, vel exigens concursum Dei, vel certè disponens vltimatè ad formam, quam Deus solus producere potest. Vnde Philosophi essentialem posuerunt ordinem causarum: Theologi verò ex ordinatione, & legibus diuinæ sapientiæ, quæ mediantibus causis secundis respicit potentiam passiuam, non aliter. Deinde, datur appetitus naturalis ad scientiam in quouis intellectu, quam Deus hac ratione satiare non tenetur. Potentia etiam actiua inchoata ad beatitudinem magis exigeret reduci ad actum completum, quàm illa passiua. Deinde, sufficit ad perfectam prouidentiam, vt in specie non desit perfectio requisita vniuerso, quamuis per accidens huic indiuiduo desit. Prædestinati autem perueniunt ad illam perfectionem, qua carent reprobi: sic non omnis lapis creatur in centro, quamuis omnis appetat esse in centro. Deinde, homines ex peccato suo carent illa perfectione, ad quam sunt creati; non ex defectu prouidentiæ diuinæ, sed ex pœna peccati.

Instantia.

Sufficit non deesse in specie perfectionem.

14 *Obiectio.* Obiicit idem vltimò, sequi ex hac sententia Deum non posse creare hominem in puris naturalibus, quia non posset creare nisi in ordine ad finem, ad quem dicit inclinationem naturalem. Quidquid sit de veritate consequentis, negatur sequela; & si probatio vrget, probat etiam non posse Deum creare corpus sine anima, aut contrà, aut neutrum sine homine. Ex his itaque patet resolutio Doctoris, vt iacet, quæ variis rationibus probatur ab ipso, & aliis. Videantur citati. Alia plura hîc dicenda se offerunt: sed aliàs sparsim ex occasione dicentur.

15 *Obiicit Suarez contra naturalitatē beatitudinis ex parte subiecti.* Sed vrget Suarez *loco citato in prima secunda*, quòd eodem modo remouetur potentia passiua naturalis ad visionem, & fruitionem sicut potentia actiua; quia passiua naturalis est ad consentaneum actum naturæ, sicut & ad agens naturale ex Philosopho; quia omni naturali potentiæ correspondet agens naturale. Item, cur dicitur naturalis? An solùm, vt congenita naturæ; & hoc modo etiam potentia ad vnionem hypostaticam esset naturalis, quod nemo dicit. Potentia naturalis est ad formam certæ intensionis, non ita se habet beatitudo, quæ in infinitum potest fieri perfectior, & perfectior. Deinde, potentia obedientialis non est sufficiens, vt dicatur appetitus naturalis: quia nec homo appetit naturaliter vnionem hypostaticam, nec corpus humanum claritudinem solis. Item, in terminis est aperta repugnantia, quia appetitus innatus non dicit rem, aut modum, vltra capacitatem naturæ, quæ si obedientialis est, cur dici possit naturalis? Sequeretur præterea quòd appetitum innatum sequi posset appetitus elicitus naturalis.

16 *Responsio.* Respondetur has obiectiones fundari in æquiuocatione vocis: nam sicut ordo, vel respectus subiecti ad formam, & eiusdem ad agens, vt ei subiicitur, eiúsque virtuti, sunt genere diuersi: ita etiam differentiæ *naturalis* huic, & illi applicatæ differunt: & important ipsum ordinem, vt diuersus est: ignis vt producit calorem in aqua, producit naturaliter, & forma, vt recipitur ab agenti, naturaliter recipitur.

Æquiuocè sumitur naturale. Eius differentia.

Admissa à Philosopho. Cæterùm Philosophus non asserit illum motum esse naturalem, sed violentum, vt spectatur ordo subiecti ad formam, cui ex naturali inclinatione repugnat: ergo admittit Philosophus differentiam in vtroque ordine. Et sic etiam definit motum præcisè ad passum, vt sit actus entis in potentia, secundùm quòd in potentia. Distinguit præterea motum in ordine ad suas causas efficientes, vt est à causa vniuersali, & particulari: nam, sicut aliàs diximus, motus regularitatem, vniformitatem, & necessitatem refert in primam causam, contingentiam verò, & difformitatem refert in causas inferiores. Aliam etiam differentiam actionis, & motus statuit, vt sit spontaneè, & ab agente à proposito; aliam vt sit ab agente per modum naturæ; aliam vt est à fine; aliam vt est ab efficiente, & à materia: nam quidquid se habet ad diuersa, à quolibet sumit suam differentiam, & denominationem. Sicut ergo Philosophus distinxit prædictos modos motus in ordine ad suas causas, & diuersos modos se habendi causarum, sic etiam distinxisset in ordine ad naturalem, & supernaturalem, si cognouisset statum supernaturalem, quem non admisit, sicut neque omnipotentiam Dei; quam fides docet: posuit enim ordinem essentialem causarum, in quo statuit Deum necessariò agere, neque se solo posse producere effectum sine causa inferiori. In iis autem, in quibus recipitur de differentia illius vocis *naturalis*, vt denotat ordinem subiecti ad formam, & ordinem eius ad agens, facilis est coniectura, quid in præsenti materia dixisset, si fuisset illuminatus, quod proinde Patres dixerunt, vt patet ex dictis.

Varia huius documenta ex eodem.

Quibus adiicio Sanctum Augustinum in eo potissimùm loco, ad quem potentiæ obedientialis potissimùm fundamentum referunt aduersarij, *lib. 9. de Genesi ad literam cap. 17.* quo in loco potentiam obedientialem refert in creaturam, quatenus subiecta est omnipotentiæ diuinæ in ordine ad illos effectus, qui excedunt virtutem motricem, & seminalem ipsius creaturæ, & naturalem effectiuam; & quos non repugnat fieri per omnipotentiam creatoris in creatura. Potentiam autem naturalem, & supernaturalem discernit in ordine ad agens, vt illa sit quæ virtute causæ fieri possit in actu: hæc verò ex Dei omnipotentia excedente omnem efficaciam naturæ. Tam ergo obedientialis est in ordine ad agens, quàm naturalis, & supernaturalis, vt subiectum comparatur ad agens, & non ad formam. 17 *Potentia obedientialis qualiter asseritur ab August. Consistit in subiectione creaturæ ad Deum quoad effectus excedentes virtutem eius.*

Alius ergo, inquit, *est rerum modus, quòd illa herba sic germinat, illa sic, illa ætas parit, illa non parit*, &c. *Horum, & talium modorum rationes, non tantùm in Deo sunt, sed ab illo etiam rebus creatis indita, atque concreata.* Loquitur de rationibus seminalibus, & actiuis: *Vt autem lignum de terra excisum, aridum, politum, sine radice vlla, sine terra, & aqua repentè floreat, & fructum gignat*, &c. *& si quid huiusmodi est, dedit quidem naturis, quas creauit, vt ex eis, & hæc fieri possint*, &c. *Veruntamen alio modo dedit, vt hoc non haberent in motu naturali* (intelligit motum naturalem per virtutem effectiuam innatam creaturæ accommodè ad exempla præmissa, in quibus ex scopo Augustini hæc virtus designatur, aut negatur) *sed in eo, quo ita creata essent, vt eorum natura voluntati potentiori ampliùs subiaceret*, &c. Ecce potentia obedientialis ab Augustino definitur in ordine ad agens per subiectionem ad ipsum. August.

Habet ergo Deus, inquit, *in seipso absconditas quorundam factorum causas, quas rebus conditis non in-*

seruit

seruit, eásque implet non illo opere prouidentiæ, quo naturas substituit, vt sint, sed illo, quo eos administrat, vt voluerit, quas vt voluit, condidit. Deinde, ad hoc genus prouidentiæ supernaturalis reducit gratiam, cuius supernaturalitatem in eo definit, quòd viribus naturæ, aut liberi arbitrij acquiri non possit, *sed Dei beneficentia. Ibi est*, inquit, *& gratia, per quam salui fiunt peccatores: nam quod attinet ad naturam iniqua sua voluntate deprauatam, recursum per semetipsum non habet* (supple virtute naturali) *sed per Dei gratiam, qua adiuuatur, & instauratur. Neque enim desperandi in illa sententia, in qua scriptum est. Omnes qui ambulant in ea, non reuertentur: dictum est enim secundùm pondus iniquitatis suæ, vt quòd reuertitur, qui reuertitur, non sibi tribuat, sed gratiæ Dei, non ex operibus, ne extollatur. Propterea mysterium gratiæ huius Apostolus absconditum dixit, non in mundo, in quo sunt absconditæ causales rationes omnium rerum naturaliter creatarum* (vel vt alia lectio, *oriturarum*) *sicut absconditus erat Leui in lumbis Abrahæ, quando & ipse decimatus est, sed in Deo, qui vniuersa creauit. Quamobrem etiam omnia, quæ ad hanc gratiam significandam, non naturali motu rerum, sed mirabiliter facta sunt, eorum etiam abscondita causa in Deo fuerunt*, &c. Ex quibus verbis planè significatur Augustinum posuisse supernaturalitatem, & naturalitatem effectus in causis effectiuis, quarum naturales non sunt absconditæ, sed insertæ naturis rerum creatarum, supernaturalium causæ sunt absconditæ in Deo, non positæ, aut insertæ creaturæ, licèt creatura, vt subiecta Deo, dicat potentiam obedientialem in ordine ad ipsum, vt præter naturam operatur in ea mirabilia, seu supernaturalia.

Aliis autem in locis *suprà* citatis Augustinus expressè docet supernaturalia gratiæ in ordine ad naturam supponere inclinationem naturalem in natura ad ipsa, in ratione formarum: quod maximè verificatur de actibus: & operationibus, in quibus consistit beatitudo nostra, & quæ sunt vitales.

18 Ex his patet ad rationes obiectas.

Ad rationem obiectionu. Responsio.

Ad primam, negatur sequela. Ad probationem respondetur concedendo primam partem, nempe naturalem potentiam esse ad actum consentaneum inclinationi passiuæ subiecti, qualis est inclinatio passiua creaturæ rationalis ad beatitudinem, quæ est summa eius perfectio. Negatur altera pars, si *naturale* dicat differentiam formæ, aut subiecti in ordine ad agens: quia sic committitur fallacia æquiuocationis. Quamuis autem Philosophus non admisceat differentiam agentis supernaturalis, aut formæ: tamen distinxit *naturale*, vt est differentia subiecti ad formam, & ad agens, vel agentis ad subiectum. Sæpe etiam dubitauit, an alia sit felicitas à Diis immortalibus destinata hominibus post hanc vitam, quæ est summa perfectio eorum, & ad quam summè inclinantur per ipsum, si sit futura.

Instinctus Philosophi.

19 Ad secundam. Respondetur dici naturalem: quia est inclinatio naturæ ad formam, vt ad perfectionem sibi conuenientem, non verò quia est capacitas tantùm passiua recipiendi formam: quia sic etiam ad formam violentam subiecto est capacitas passiua. Quod additur de vnione hypostatica, non facit ad rem: quia licèt natura sit eius capax: tamen non ad eam inclinatur tanquàm ad formam conuenientem, sed magis ad propriam hypostasim: ad illam verò indifferenter se habet: quia inclinatio eius passiua est ad hypostasim; ad vnionem verò dicit potentiam neutram: nam aliquæ formæ supernaturales sunt tales, ad quas non inclinat subiectum, tanquàm ad propriam perfectionem: v. g. vt asinus loquatur, vt in aqua detur virtus aliqua supernaturalis causandi gratiam, qualem statuunt plures: hæ enim formæ non ordinantur ad perficiendum subiectum, sed ad alios effectus extrinsecos, ad quos Deus supernaturaliter agens vtitur sua creatura (quidquid sit de exemplis allatis) & respectu earum: ideò non est potentia naturalis passiua in subiecto: non ita se habet creatura rationalis in ordine ad eas formas, quibus acquirit finem, vel promouetur, & adiuuatur ad finem.

Ad secundā rationem Responsio.

Vnio hypostatica.

Ad tertium, supponit falsum, nempe visionem, & fruitionem non habere terminum suæ magnitudinis, sicut & reliquæ qualitates habent, ita vt vltra illum terminum non possent intendi, aut effici perfectiores, sicut dicit Doctor, gratiam, & beatitudinem Christi esse summam creabilem, licèt sit finita *in 3. dist. 13. & 14.*

Ad 3. Responsio.

Ad quartum respondetur, concedendo antecedens, nempe potentiam obedientialem non esse sufficientem, vt dicatur appetitus naturalis: nam hæc est subiectio creaturæ ad Deum quoad omne, quod non repugnat in ipsa à Deo fieri. vel produci: non ita potentia naturalis, vt est inclinatio subiecti ad suam perfectionem, licèt eam non possit viribus naturæ, aut causarum naturalium habere: ex quo patet ad instantias de vnione hypostatica, & claritate Solis in corpore humano. 20

Ad. 4.

Diuersitas potentiæ obedientialis, & naturalis.

Ad quintum, iam responsum est per declarationem terminorum, in quibus æquiuocat arguens: *naturale* enim dicit differentiam capacitatis passiuæ, vt comparatur ad formam, licèt dicatur obedientialis, vt comparatur ad agens supernaturale.

Ad 5.

Ad vltimum respondet D. Thomas 1. 2. *quæst. 3. art. 8. & 1. part. quæst. 12. art. 1. & 3. contra Gentes cap. 25. 50. 51. & 57.* hominem naturaliter posse appetere hanc beatitudinem actu elicito, inde probans esse possibilem perfectam beatitudinem contra Philosophos. Videatur Caiet. *illa quæst. 3. art. 8.* qui varias interpretationes adducit, quarum vna est hominem actu elicito desiderare posse naturaliter videre Deum, vt est causa prima. Idem sequitur Ferrariensis, distinguens Dei visionem, vt est causa prima, & vt est ad obiectum supernaturalis beatitudinis, asserens primo modo posse apperi visionem naturaliter, non tamen secundo modo: quæ solutio aliquid esset, si visio Dei vt causæ primæ esset ordinis naturalis, aut cognoscibilis homini vt possibilis. 21

Ad vlt.

Dari appetitum naturalem elicitum beatitudinis.

Respondet ipse Suarez *sect. vltima* posse dari appetitum elicitum, & simplicis complacentiæ naturalem beatitudinis: v. g. in hæretico, & sic interpretatur D. Thomam; non verò posse dari appetitum efficacem, quia ille actus est spei supernaturalis. Sed hæc solutio non rectè facit ad sensum, & scopum D. Thomæ, quia tollit efficaciam sui discursus: quia ex appetitu simplici obiecti non probatur possibilitas obiecti, quia ille etiam de impossibili haberi potest: *intentio enim possibilium est, voluntas verò tam possibilium, quàm impossibilium*, ex Philosopho. Intendit autem D. Thomas probare ex appetitu elicito, & naturali beatitudinis eius possibilitatem.

Responsio Suarez.

Non rectè interpretatur D. Thomam.

Respondetur iuxta principia Doctoris præmissa *in quæstione prima Prologi: & quodlibeto 14. & in* 22

Responsio propria.

Nequit cognosci inclinatio naturalis ad beatitudinem pro hoc statu.

& in hac quæstione paragrapho præcedenti, negando consequentiam: quia neque inclinatio naturalis passiua ad beatitudinem cognosci potest pro hoc statu, neque pro vllo statu puræ naturæ, aut ex naturalibus, vt est ad beatitudinem supernaturalem in specie. Deinde, quia ex appetitu naturali passiuo non rectè infertur appetitus elicitus in voluntate respectu eius, ad quod non supponitur potentia completa actiua in natura inclinata; sine gratia autem, vt supponit etiam arguens, non est potentia completa actiua in homine. Deinde, data etiam tam cognitione boni, quàm potentia completa, non sequitur appetitus elicitus in voluntate malè disposita, quando non affectat bonum; quia adhæret contrario.

Non datur elicita sine gratia.

Quid de hæretico.

Quod autem dicit præfatus author, in hæretico posse dari simplicem complacentiam beatitudinis supernaturalis; qui admittunt habitus naturales charitatis, fidei, & spei acquisitæ, dicerent etiam non repugnare dari actus naturales ipsarum, quamuis in re ipsa non sufficiant, nec sint efficaces ad finem, quantumlibet intensi. Qui negarent tales habitus, dicerent illum affectum potiùs esse præsumptionis, quàm rectum, & secundùm regulam, vel certè ex motiuo naturali commodi elici circa beatitudinem, vt concipitur per modum commodi: sicut etiam datur appetitus elicitus fugiendi pœnam, aut eam nolendi, etiam in damnatis non ex directione rationis, aut regulatus, sed ex amore proprio sui proueniens, & non relatus ad finem debitum: in hæretico autem, cui nota est beatitudo, vt possibilis, potest esse talis affectus conformis appetitui naturali, sed non facit ad salutem, est enim merè indifferens in *esse* moris.

Appetitus commodi naturalis extēdi potest ad beatitudinē ex motiuo naturali.

S C H O L I V M.

Sententia D. Thom. & Henr. appetitu elicito necessariò nos velle beatitudinem in vniuersali, non tamen in particulari. Hanc refutauit Doctor 1. dist. 1. quæst. 4. quadruplici ratione, & auctoritate August. & hîc probat contra eam magis necessitari voluntatem ad beatitudinem tam in particulari, quàm in communi: resoluit tamen ad neutram nos necessitari, sed liberè nos tendere in beatitudinem in communi, & particulari, obscurè ostensam: vt in pluribus tamen volumus beatitudinem vtroque modo ostensam: & ratio huius est conformitas ad appetitum naturalem voluntatis.

Henr. quodl. 3. quæst. 7.

d QVantùm ad secundum articulum de appetitu libero, an omnes illo appetitu necessariò, & summè appetant beatitudinem, est vna opinio, quæ dicit quòd sic in vniuersali. Ratio ad hoc est, voluntas non potest non velle aliquid, nisi in eo sit aliqua ratio mali, vel defectus boni; sed in beatitudine in vniuersali est ratio omnis boni, & priuatio, vel negatio omnis mali, ergo, &c. Ex hoc sequitur quòd summè appetatur, quia in cuius potestate non est actus, siue agere, in eius potestate non est remissè, vel intensè agere. Adducit tamen quòd in particulari non necessariò appetitur, quia tunc non posset quis peccare. 4

Dist. 1. q. 4. Contradictio est omnes appetere beatitudinem in vniuersali, non in particulari.

e Contra hanc opinionem fuit diffusè argutum *in lib. 1. in quæst. illa*, vtrùm apprehenso vltimo fine, necesse sit voluntatem frui eo? Quantùm ad præsens tamen videtur mihi quòd contradictionem implicat, scilicet quòd omnes necessariò beatitudinem appetant in vniuersali, & non in particulari; quia si beatitudo in vniuersali apprehensa necessariò appetitur propter hoc, quòd est in ea omnis ratio boni, & nulla ratio mali, nec defectus boni, cùm hoc in beatitudine particulari pleniùs inueniatur, quàm in beatitudine vniuersali: sequitur ergo quòd tunc beatitudinem, siue finem apprehensum in particulari, omnes appeterent necessariò, quod falsum est.

Præterea, nullum vniuersale includit maiorem perfectionem, quàm aliquod particulare suum, imò minorem; quia omne particulare addit perfectionem super vniuersali: ergo beatitudo in vniuersali non est perfectior quàm in particulari. Si ergo est impossibile non appetere beatitudinem in vniuersali apprehensam, quia non apparet ratio mali, nec defectus boni, multò magis erit hîc de ea vt in particulari.

Præterea, si talis necessitas volendi in libera voluntate poneretur, hoc esset propter inclinationem naturalem appetitus, cui conformatur; sed appetitus naturalis est ad beatitudinem, vt in particulari, vt ostensum est: ergo necessariò appetit beatitudinem in particulari apprehensam. 5

Præterea, si intellectus non plus dubitat de fine in particulari, quàm in vniuersali, quare non appetet? non videtur ratio: sed quòd idem appetat necessariò, & non appetat necessariò, est contradictio.

Pro hoc statu liberè volumus beatitudinē in vniuersali, & particulari.

Respondeo ergo, & dico, quantùm ad istum articulum, quòd etsi voluntas libera velit vt in pluribus beatitudinem apprehensam in vniuersali, vel particulari, quando intellectus non dubitat in illo particulari esse beatitudinem: non tamen necessariò

cessariò vult, nec in vniuersali, nec in particulari. Ratio est, quia necessitas in causâ superiori non potest esse à necessitate causæ inferioris; quia causa inferior non potest determinare modum agendi causæ superioris, quia non potest ipsam determinare ad agendum: ergo causa superior si necessariò agit, hoc habet per aliquid intrinsecum formæ suæ, vel ex natura sui: si ergo voluntas habet necessitatem ad volendum aliquid, illa necessitas conueniet sibi ex natura sui, & non à causa inferiori.

Tunc arguo vlteriùs, causa superior si necessariò agit, eadem necessitate mouet causas inferiores ad agendum actiones suæ actioni necessarias: cùm ergo ad actum voluntatis requiratur apprehensio intellectus, sequitur quòd si voluntas necessariò velit beatitudinem, quòd determinabit intellectum ad semper considerandum de beatitudine, quod est falsum.

Si voluntas necessariò velle beatitudinem, intellectus eam necessariò apprehenderet semper.

6 Dico ergo quòd contingenter vult finem, tam in vniuersali, quàm in particulari, quamuis vt in pluribus velit vtrumque, quando non dubitat intellectus in quo sit in particulari: sicut de quolibet fideli, qui credens in fruitione Trinitatis esse beatitudinem, appetit illum finem, licèt non velit media ad illum finem, quia non efficaciter vult, ideò non vult virtuosè viuere.

Quòd autem vt in pluribus voluntas velit beatitudinem, hoc est, quia vt conueniens appetitus liber sequitur inclinationem appetitus naturalis: impossibile enim est per aliquem habitum voluntatem magis habilitari, vel inclinari ad aliquid volendum, quàm per appetitum naturalem. Cùm ergo voluntas possit tantùm habilitari per habitum aliquem, quòd vt in pluribus sequatur inclinationem illius, imò delectabiliter operetur secundùm eius inclinationem; ergo multò magis vt in pluribus vult istud, ad quod inclinatur naturaliter: & ideò iustus homo etiam cum quocunque habitu, cum difficultate eligit mortem, & est sibi materia patientiæ, quia contra appetitum naturalem: cùm ergo omnes appetitu naturali appetant beatitudinem (vt dictum est) sequitur quòd voluntas vt in pluribus velit beatitudinem.

Voluntas vt in pluribus vult beatitudinē in vniuersali & particulari ostensam.

7 f Sed éstne actus ille elicitus, quo vult beatitudinem, naturalis? Dico quòd non propriè, quia non est inclinatio naturalis ad beatitudinem, quæ dicitur *velle* naturale voluntatis, vt natura est: potest tamen dici naturalis, quia conformis est inclinationi naturali; propter quod dicit Augustin. in Enchir. cap. 104. *Neque voluntas non est, aut non libera dicta est, qua sic beati esse volumus, vt miseros nos esse, velle non possimus.* Vnde sicut dicitur aliquod *velle* virtuosum, non quia à virtute procedit elicitiuè, quia nullus habitus est principium totale elicitiuum actus: sed dicitur virtuosus actus, quia conformis inclinationi virtutis, vel quia elicitur secundùm virtutem: sic est in proposito de beatitudinis volitione. Potest enim dici naturalis, quia conformis inclinationi naturali: tamen est actus liber; non tamen est *velle* deliberatiuum, quia deliberatio est eorum, quorum est electio: electio autem est eorum, quæ sunt ad finem, & est de conclusione, quæ deliberatiuè concluditur per syllogismum practicum.

Quomodo volitio libera beatitudinis dicitur naturalis.

8 g Sed hîc est vnum dubium, quia si secundùm Augustinum in prædicta auctoritate non possumus velle miseriam: ergo simpliciter, & necessariò nolo miseriam: sed sequitur, necessariò nolo miseriam: ergo necessariò volo beatitudinem. Hæc consequentia patet dupliciter: primò, quia non est minor proportio beatitudinis ad *velle*, quàm miseriæ ad *nolle*. Secundò sic, quia actus nolendi nunquam est nisi in virtute alicuius volitionis: ideò enim nolo aliquid quia volo aliud, vt dictum est *suprà* per Anselmum; sed causa est perfectior suo effectu: ergo magis necessariò volo beatitudinem, quàm nolo miseriam.

Respondeo, non sequitur, non volo beatitudinem, ergo nolo eam, siue non volo esse miserum; ergo de necessitate nolo esse miserum: quia *nolle* est actus positiuus nolentis, sicut & *velle*, & ita liberum vnum, sicut aliud: quia neutrum elicio necessariò circa quodcumque obiectum, & ideò possum non elicere *nolle* circa malum, sicut *velle* circa bonum. Tamen sicut circa malum ostensum non possum elicere actum voluntatis, nisi *nolle*: sic circa bonum oblatum non possum elicere actum voluntatis, nisi *velle*, & ideò debet sic argui; non possum velle esse miserum: ergo non possum odire beatitudinem; sed ex hoc non sequitur: ergo necessariò volo beatitudinem, quia nullum *velle* necessariò elicitur à voluntate.

Malum est obiectum nolle, *sicut bonum* velle.

9 Sed adhuc obiicitur; nullus actus necessariò aufertur à potentia aliqua, nisi propter determinationem eius ad oppositum, sicut ab igne necessariò aufertur frigiditas, quia necessariò determinatur ad calorem: nec ab aliqua superficie color aliquis nisi propter determinationem eius ad alium colorem oppositum: ergo in voluntate non

Obiectio.

est

est impossibilitas ad nolendum beatitudinem, nisi quia determinatur ad oppositum actum, scilicet ad volendum beatitudinem.

Respondeo quòd à voluntate excluditur actus volitionis respectu miseriæ, & actus nolitionis respectu beatitudinis: quia miseria non est nata esse obiectum actus volitionis, nec beatitudo obiectum actus nolitionis: sicut actus videndi disgregando excluditur à visu, respectu nigredinis, quia non est nata esse obiectum talis actus: sic in proposito, voluntas non est capax talis actus respectu talis obiecti.

Voluntas necessariò specificatiuè vult beatitudinem, & fugit miseriā. Refutat rationem aduersariorū positā n. 4. Non sumit velle & nolle *positiuè, quando obiectum est præcisè bonum, vel malū, quia hoc non potest voluntas velle positiuè, nec illud positiuè nolle.*

Dico ergo, quòd voluntas sic determinatur ad volendum beatitudinem, & ad nolendum miseriam, quòd si eliciat aliquem actum circa ista obiecta, necessariò, & determinatum elicit actum volendi respectu beatitudinis, & nolendi respectu miseriæ; non tamen absolutè determinatur ad vnum actum eliciendum, vel alium.

Ad rationem opinionis, quando accipitur quòd illud, in quo non est defectus boni, 10 vel ratio mali, est necessariò volitum; Dico quòd falsa est propositio, quia voluntas respectu cuiuscunque actus est libera, & à nullo obiecto necessitatur, non tamen potest voluntas nolle, aut odire beatitudinem, nec velle miseriam: vnde deberet arguere sic, quòd voluntas non potest resilire ab illo obiecto, in quo nulla est miseria, nec defectus boni: ergo non potest voluntas odire, vel detestari beatitudinem: quod est verum: sed ex hoc non sequitur quòd necessariò vult beatitudinem.

Et si dicas, quòd si non necessariò velit beatitudinem, nec necessariò odit beatitudinem, qualem ergo actum habebit circa beatitudinem, quando sibi ab intellectu ostenditur? Dico quòd in pluribus habet actum volendi: sed non necessariò aliquem actum, sed potest se suspendere ab omni actu, ostensa beatitudine: aliter enim simplices quando apprehendunt aliquid, quod pertinet ad finem vltimum, de quo nesciunt, an sit de ratione finis vltimi, tenerentur ad volendum illud. Vnde vnumquodque obiectum potest voluntas *velle*, & *nolle*, & à quolibet actu in particulari potest se suspendere hoc, vel illo. Et hoc potest quilibet experiri in seipso, cùm quis offert sibi aliquod bonum, & etiam ostendit bonum vt bonum considerandum, & volendum, potest se ab hoc auertere, & nullum actum voluntatis circa hoc elicere.

COMMENTARIVS.

23 Q*Vantùm* [d] *ad secundum articulum*, &c. Superiùs egimus de modo, quo voluntas in patria se habet ad vltimum finem, an necessariò, an liberè? Vbi etiam resolutum est cum Doctore liberè se habere, quantùm ad exercitium. Argumenta, quibus probatum est ibi hunc esse modum connaturalem operandi voluntatis creatæ, faciunt ad scopum præsentis controuersiæ, eiúsque decisionem subiectam à Doctore. Agitur autem de modo, quo se habet voluntas ad vltimum finem in communi, aut in particulari apprehensum à viatore iuxta conditionem huius status.

De modo, quo se habet voluntas ad finem in communi & in particulari.

24 Prima sententia est affirmatiua docens ad vltimum finem apprehensum in vniuersali necessitari voluntatem quantùm ad exercitium: est Henrici *quodlibeto* 4. *quæst.* 11. & eam indicat *quodlib.* 3. *quæst.* 17. Vasquez tamen 1.2. *disp.* 39. *cap.* 7. asserit malè citari Henricum pro hac opinione à Doctore, asserens eum loqui de necessitate specificationis, non exercitij: quamuis Doctor non citet Henricum, sed Marginator eius; licèt impugnet opinionem tacito nomine authoris, vt solet, sicut & *quodlibeto* 16. Eam autem quorundam Theologorum fuisse docet Paludanus *in* 4. *dist.* 49. *quæst.* 7. *art.* 2. Maior. *ibidem quæst.* 8. Salas 1.2. *quæst.* 10. *tract.* 5. *disput.* 4. *sect.* 3. *num.* 19. sequitur Vasquem asserens, nunquam id docuisse Henricum. Sed non videntur legisse Henricum *quodl.* 4. *quæst.* 11. vbi id ex professo docet. Vbi distinguit dilectionem in naturalem, & deliberatiuam, seu liberam; loquitur autem de actu elicito supponente cognitionem, aduertens illam cognitionem de Deo esse quadruplicem; cuius tres species sunt de Deo in particulari, quà cognoscitur ex creaturis, sub ratione omnis boni; quà cognoscitur per fidem, quà cognoscitur per speciem in patria. Quarta species, per ipsum, est cognitio, qua cognoscitur in vniuersali Deus in creaturis suis, vel in seipso sub ratione vniuersalis boni: dicit autem dilectionem, quæ consequitur ad cognitionem eius in particulari, esse eam liberam: dilectionem autem, quæ consequitur cognitionem eius in vniuersali, quæ nihil aliud est, inquit, quàm cognitiò boni absolutè, asserit esse necessariam. *Si ergo quæstio est*, inquit, *de dilectione Dei naturali super omnia, alia intelligatur de dilectione beneplacentiæ: cùm huiusmodi dilectione diligatur bonum simpliciter, quia bonum: & nullum bonum participatum diligitur, nisi quia in ipso est participata aliqua ratio boni simpliciter, quæ perfectè habet* esse *in solo primo bono, quod Deus est: gratia cuius illud bonum participatum diligitur, tanquàm gratia eius quod in se est per se, & primò dilectum, & cuius cognitione bonum participatum cognoscitur bonum esse, tanquàm illo, quod in se est per se, & primò cognitum*, &c. Et infrà: *Idcirco igitur absolutè dicendum est, quòd dilectione naturali Deus diligitur à quacunque voluntate intellectualis creaturæ naturaliter super omnia, alia inquantùm scilicet Deus est bonus simpliciter, & quia bonus est, & ratio diligendi omnis alterius boni, & bonum vniuersale, cuiusque aliud bonum est quasi pars.* Et infrà dicit eam dilectionem naturalem Dei sub ratione boni vniuersalis perfici à dilectione libera, quam vocat deliberatiuam. Et fusè hoc prosequitur tota illa quæstione. Non aliud ergo imponitur Henrico, quàm dixit. De modo autem quo cognoscitur Deus ex creaturis generalissimè, generaliùs, generaliter per

1. Sentent.

Henric.

Calumnia reiicitur.

Declaratur sententia Henrici.

per eundem habetur *in summa art.* 12. *q.* 1. 2. & 3.(cuius doctrinam impugnat Doctor *in* 1.*dist.*3. *quæst.*1.) Vnde haberi potest modus) quo concipitur Deus, inquantùm bonus ex creaturis, vel in creaturis per conceptum boni vt sic, intelligit Henricus finem in vniuersali, quia perinde est apud ipsum concipere Deum in vniuersali, & concipere bonum vt sic absolutè, & abstractiuè, quamuis hunc conceptum dicat esse Dei, non sub ratione propria, sed quia nihil est in particulari bonum per se nisi Deus, reliqua autem per participationem, ideò hunc conceptum dicit esse Dei, vt finis in vniuersali.

Sententia Marsilij, & Nominaliū.

Paludanus in eandem sententiam inclinat *suprà*, & Durandus *in* 4. *dist.* 49. *quæst.* 8. tribuit eandem Valent.*dist.*5.*quæst.*5.*puncto*, Aliis. Medina probabilem putat, *art.* 6. Ad hæc Marsilius *in* 2. *quæst.* 16. *art.* 3. dicit primum actum voluntatis, qui est complacentia, aut displicentia circa finem, aut eius oppositum causati totaliter ab anima, quà intellectus est, non quà voluntas (quia hæ potentiæ non distinguuntur per ipsum, neque inter se, neque à subiecto; quæ est sententia Nominalium) & sic voluntas merè passiuè se habet.

3.Sentent.

Alij docent hanc complacentiam etiam supposita deliberatione non esse liberam in se, sed in cogitatione præuia. Ita Salas. 1.2. *quæst.* 1. *art.* 1. & 2. *tract.* 1. *disputat.* 5. *sect.* 3. *numer.* 30. citans Molinam *in concordia disp.* 45. Capreolum *in* 2. *dist.*24 *quæst.* 1.*art.* 3. *ad octauum.* Albertum *in* 2. *part.sum.tract.*5.*q.*1.*mem.*4.*ad* 3. . . . . . D.Thomam *quæst.*6.*de malo art.* 3. *ad* 3.Parisien. 2. *de vniuerso. parte* 1.*cap.* 109.

25 *Conclusio negatiua. Non necessitari ad beatitudinem in communi.*

Contra hanc [c] *opinionem*, &c. Contra hanc sententiam subiicit quatuor rationes. Deinde, conclusionem negatiuam, quæ est talis. Voluntas neque in communi, neque in particulari vult necessariò beatitudinem in statu viæ. Est communior Theologorum, quam etiam tenet Doctor. *in* 1.*dist* 1.*quæst.*4.& *quodlibet.*16. *art.* 1.quem sequuntur eius discipuli. Est D.Thomæ 1. 2. *quæst.* 10.*art.*2.vbi Conradus, & 1. *part. quæst.* 82. *art.*1. vbi Caiet. Medina, & alij eius discipuli, Capreolus *in* 1.*dist.*1.*quæst.*3.*art.*1.*concl.* 1.Sotus *in* 4. *dist.* 49.*quæst.*2.*art.*1.*conclus.* 2. & 3. Vasquez 1.2.*dist.* 39.*cap.*2.Salas.*tract.*5.*disp.*4.*sect.*3.*num.*21. & alij. Hanc probat Doctor.

26 *Probatio.*

Minùs necessitat finis in communi, quàm in particulari.

Primò, quia si beatitudo in vniuersali appetitur necessariò, quia in ea concipitur ratio boni sine vlla admixtione mali, totum hoc perfectiùs inuenitur in summo bono, prout in particulari cognoscitur in via, cognitione naturali, aut supernaturali, tam per fidem, quàm per scientiam infusam, modò talis detur in viatore, saltem fuit in Angelis, & primo homine: ergo nulla ratio apprehensa in summo bono in communi necessitat voluntatem, quæ etiam in particulari non sit apprehensa, & consequenter necessitans; quod falsum est etiam secundùm Henricum. Et probatur: in conceptu summi boni in particulari includitur conceptus boni in vniuersali simul cum ratione particulari, in qua ille conceptus communis perfectiùs saluatur: & nihil mali accedit, quia illud esset difficultas prosecutionis: hoc autem non obstat simplici complacentiæ, sed intentioni tantùm: de illa est quæstio, non de hac: ergo sequitur necessariò omnes complacere in fine particulari apprehenso, quod non concedit aduersarius.

27

2. Ratio. Appetitus naturalis ad beatitudinē in particulari.

Secundò: si talis appetitus elicitus, & necessarius poneretur in voluntate, esset solùm ob appetitum naturalem, quem dicit ad beatitudinem; sed ille appetitus est ad beatitudinem in particulari magis quàm in communi.

28 *3.Ratio. Certitudo de fine in particulari.*

Tertiò, quia intellectus non plùs dubitat de fine in particulari, quàm in communi, vel non minùs dubitat de hoc saltem proposito per fidem: ergo non minùs necessitaretur ad hunc finem.

29 *4. Ratio.*

Si voluntas necessitaretur ad finem, etiam necessitaretur ad tollenda impedimenta.

Item ad media.

Finis fortiùs mouet si necessariò mouet.

Quartò. Si voluntas necessariò ageret circa finem in vniuersali, necessariò etiam moueret omnes causas inferiores, vt intellectum, & alias potentias, necessariò etiam remoueret impedimenta operandi circa finem, quæ sunt in eius potestate, vt est illud, nempe non cogitare de fine; sed hoc est falsum: ergo. Patet maior: quia quod de se est necessarium, non prohibetur ab actione nisi per fortius mouens, aut sublato per se requisito aliquo ad actionem; non est aliquid fortiùs mouens in proposito, quia illud esset actio alicuius potentiæ inferioris, quæ subditur voluntati; nihil deest nisi cogitatio finis, quæ similiter etiam est in potestate voluntatis: ergo si necessitaretur ad finem, qui obuius est intellectui sine difficultate, etiam semper firmaret intellectum in eius cogitatione; neque aliquod aliud bonum incompatibile distraheret voluntatem ab amore eius, quin semper quiesceret in fine apprehenso; intellectum verò semper firmaret in eius apprehensione. Quod probatur, quia aliud bonum quodcunque, quod non est bonum absolutè, habet admixtam rationem mali, vt participatum, non verò est absolutè bonum; quæ sunt fundamenta, quibus adstruit voluntatem ferri in finem vltimum in vniuersali propositum necessariò: ergo ipsum fortiùs mouet.

Magis necessitat voluntatem inclinatio naturalis, quàm elicita.

Confirm.

Ex necessitate ad finē in communi sequitur necessitas ad finē in particulari.

Accedit quòd voluntas magis determinetur secundùm inclinationem naturalem ad sequendum bonum necessitans, quàm inclinationem indifferentem ad sequendum bonum limitatum; quod neque mouet necessariò, neque quietat voluntatem, sicut est illud, in quo habetur per Henricum, omnis ratio boni. Confirmatur. Si voluntas necessariò complaceret in summo bono in vniuersali modo dicto, sequitur etiam quòd necessariò intendat idem in particulari efficaciter: hoc est falsum. Probatur sequela, quia eatenus voluntas necessitatur ad complacendum, quatenus ipsum est vltimum perfectiuum eius, in quo quiescit, & ipsa eius appetitio sit vltima perfectio voluntatis, vt est ad ipsum; sed summum bonum, vt obiectum complacentiæ sub ratione vniuersali, non attingitur per voluntatem, vt vltimò quietatiuum eius, neque ipsa complacentia est vltima perfectio potentiæ adæquata eius inclinationi: ergo vel sequitur hanc esse liberam, vel voluntatem necessitari, ad quemcunque alium possibilem modum, & perfectiorem, quo possit coniungi obiecto; sed perfectiùs coniungitur per intentionem efficacem, qui est actus perfectior, perfectiùs coniungitur in particulari apprehēso summo bono, quàm per coniunctionem illam simplicis complacentiæ ad idem sub ratione solùm abstracta, & in vniuersali: ergo sequitur à fortiori non solùm necessitari ad complacentiam eius in particulari, verùm etiam ad intentionem (quæ est perfectior adhæsio) & ad quiescendum in ipso possesso in via secundùm quòd possideri potest à viatore: nam summum bonum, seu bonum absolutè quomodocunque

docunque sumptum in vniuersali, aut particulari, non solùm comparatur, tanquàm omne bonum includens (vt verbis Henrici vtar) in ordine ad voluntatem complacentem, sed in ordine ad eandem sub quacunque ratione inclinatur ad bonum, vt perfectiuum sui: ergo perinde erit necessitans ad quemcunque actum, & maximè ad illos, in quibus maior perfectio potest considerari, & maior coniunctio ad obiectum, ad quod necessitatur; quia neque ipsum est minus bonum sic comparatum ad potentiam, neque ipsa minùs inclinatur ad idem, mediante actu perfectiore possibili sibi.

Solutio in communi ad fundamenta opposita sententia.

Contra conclusionem non sunt argumenta alicuius momenti, quia vel falsum assumitur, nempe bonum in vniuersali esse omnem rationem boni, vel in eo concipi finem vltimum, vt est omne bonum, quod conuenit ipsi sub ratione particulari, vel ad bonum sic conceptum necessitari voluntatem quoad exercitium: quoad specificationem autem necessitari dicemus *infrà*, quò spectant loca Augustini quædam, quæ in fauorem huius sententiæ malè author interpretatur.

30 *Obiectio. contra rationes Doctoris.*

Obiici tamen possunt responsiones aliorum contra præfata argumenta, quibus probat Doctor conclusionem, quia non sunt ostensiua, specialiter illa ratio quòd potentia superior, qualis est voluntas, non necessitatur à potentia inferiore; sed è contra. Intellectus autem inferior est, & subiicitur voluntati: ergo si voluntas necessariò agit, non patitur illam necessitatem ab intellectu, sed ex ratione sua intrinseca.

Ratio Doctoris.

Tunc sic, si voluntas necessariò agit, necessariò etiam intellectum trahit, & alias inferiores ad actiones necessarias ad sui actionem: ergo si necessariò vult beatitudinem, necessariò semper mouet intellectum ad considerationem eius.

Responsio. Durandi, & aliorum.

Ad hoc argumentum respondet Durandus, & ex ipso Salas. Primò, voluntatem non esse potentiam superiorem intellectu. Consequenter quidem Durandus, qui ponit intellectum necessariò trahere secum electionem: quod *suprà* improbatum est, quæ principia non approbat Salas in omnibus. Hanc quæstionem supponimus ex dictis, voluntatem nempe esse principium applicans intellectum ad motum; & actum eius esse in potestate voluntatis.

Summa responsionis.

Respondent ergo negando maiorem; quia potentia superior, inquit Salas, potest dispositiuè, vel consecutiuè per modum eiusdem conditionis necessitari ab inferiori, vt intellectus à sensibus ad cogitandum hoc, vel illud, & voluntas in patria necessitatur ad amorem Dei supposita clara visione. Hæc est Doctrina Caietani 1. 2. *quæst.* 10. *art.* 2. voluntatem in patria non necessitari ab obiecto beatifico, sed prouenire necessitatem ex ipsa voluntate in tali dispositione existente. Addit tertiò, quamuis intellectus necessitet voluntatem ad beatitudinem, aut amorem eius, non sequi necessitare ipsum ad cognitionem beatitudinis, quia potest intellectus dictare de beatitudine, & non de cognitione eius, & beatitudo ostensa est magis amabilis, quàm cognitio eius.

31 *Impugnatur.*

Sed hæc responsio non eneruat difficultatem: nam in confesso est potentiam superiorem tam ex imperio, quàm ex sympathia applicare inferiores ad actum, de quo nemo dubitat, cùm & ipsa inferior quandoque ex sympathia trahat superiorem ad actum, vt patet in appetitu sensitiuo, qui ex vehementi passione trahit voluntatem: & ipsi concedunt in intellectu quoad amorem beatitudinis trahere voluntatem necessariò: si ergo voluntas est potentia superior respectu intellectus, & necessariò fertur in beatitudinem, sicut ipse intellectus, sequitur quòd voluntas firmat intellectum in eius cognitione, & trahat secum alias potentias inferiores, quantùm est de se: quod patet experientia, quia quod vehementiùs amatur, illud frequentiùs cogitatur. Vnde sancti Patres volenti experimentum facere, quid magis diligat, assignant hanc regulam, vt obseruet quid frequentiùs cogitet: si ergo voluntas firmat intellectum in cognitione obiecti indifferentis, quod tantùm liberè amat, quantò magis firmare potest in cognitione eius, quod necessariò amat? manet ergo maxima illa Doctoris nisi tollatur experientia, & subordinatio potentiarum ab omnibus concessa, in proposito autem liberè, & sine ratione negatur; neque instantia est ad propositum.

Voluntas firmat intellectum in cognitione.

Eliditur instantia.

Quia licèt intellectus sit perfectior sensu in ratione potentiæ, quia magis vniuersalis in genere cognitiuæ, & abstracta à materia: tamen non est superior sensu per modum dominantis, & imperantis, & applicantis; de quo genere superioritatis agitur ex scopo argumenti. Imò quantùm ad rationem motus, prior est sensus, quia continet obiectum, à quo mouetur intellectus passiuè se habens. Voluntas contra subordinat sibi intellectum applicando ipsum ad actum, vel etiam separando ab actu per conuersionem eius ad aliud obiectum ex imperio.

Nec refert dicere quòd intellectus ministret obiectum voluntati, sicut sensus intellectui: nam dispar est ratio, quia obiectum non mouet voluntatem effectiuè; sed seipsa mouetur in obiectum, & suspendit actum si liberè agit: sensus autem, seu obiectum in sensu mouet effectiuè intellectum ad speciem, & ea mediante ad actum. 32

Tertia responsio impugnatur.

Tertia responsio non diluit argumentum, quia eadem necessitate, qua voluntas fertur in finem, fertur etiam in cognitionem finis, aut boni, quantùm est ex se, siue hæc necessitas sit ex inclinatione innata voluntatis, siue ex intellectu, quidquid sit de prima cogitatione, quæ antecedit voluntatem antequàm amet: illa tamen cognitio consequitur voluntatem in exercitio sui amoris, quantùm ad continuationem: ergo ei subest. Deinde, intellectus circa bonum operatur ex inclinatione voluntatis: ergo magis ex se ordinatur ad illud, ad quod magis inclinatur voluntas; vt patet in habituato: maior autem est inclinatio voluntatis ad obiectum, in quod necessariò fertur, tanquàm in finem, quàm ad illud, quod est indifferens; illud enim est fortiùs mouens etiam respectu intellectus, quà fertur in obiectum voluntatis, quod fortiùs mouet ipsam voluntatem.

Intellectus sequitur inclinationem voluntatis.

33 *Impugnatio alterius rationis.*

Ad aliud, quod omissum est, nempe voluntatem in tali dispositione necessari ad actum in patria, & in via. Quæro de qua dispositione loquitur: nam si de illa dispositione, de qua multi Doctores disserunt, nempe in certis circumstantiis voluntatem habere talem connexionem cum effectu, vt infallibiliter, & certò prorumpat in actu: hæc dispositio non infert necessitatem voluntati, cùm certum sit eam liberè agere, & dissentiri possit. Quod de fide tenendum est in voluntate

Circumstantia non necessitant voluntatem.

luntate viatoris, neque sic philosophantes nituntur inducere necessitatem voluntati, sed magis reconciliare libertatem eius cum diuina gratia. Si loquatur de habitus dispositione; minùs etiam inducit necessitatem operandi in via, vt in confesso est: si de aliquo actu præuio ipsius voluntatis circa obiectum eo modo, quo suprà ostendimus, intentionem se habere ad electionem tanquàm prius ad posterius; hîc non datur aliquis prior amore finis necessariò secundùm ipsos, quia voluntas priùs inclinatur in finem cognitum, ad quem necessariò se habet, vt dicunt, quàm ad aliquid aliud, & priùs amat necessariò ipsum secundùm inclinationem determinatam, quàm indifferentem, si indifferenter amaret, eo modo, quo statuunt Nominales ordinem amoris in patria, circa finem vltimum, quidquid sit de veritate. Si autem loquaris de ipsa cognitione tanquàm dispositione necessitante ad actum, est petitio principij, & magis probabiliter diceretur ipsa voluntas inclinatione innata ferri in finem necessariò, quàm quòd dispositione tali, aut alia necessitante feratur; maior enim est connexio voluntatis ad finem in operando, quàm ad aliquam dispositionem præuiam, in quam eatenùs fertur voluntas, quatenùs in finem ipsum fertur. Quia dispositio quæcunque eatenùs facit ad effectum, quatenùs tollit impedimentum, aut formam repugnantem, vt patet in dispositione præuia ad effectum causæ naturalis, quæ eatenùs necessitat ad formam, quà ipsum agens naturale est determinatum ex forma, & modo agendi, vt agat in subiectum capax formæ, & sublata repugnantia: voluntas autem neque liberè, neque necessariò agit nisi supposita cognitione obiecti, vocaueris eam dispositionem, aut quod volueris: ratio ergo assignanda manet, cur hæc cognitio necessitet ad actum, & non alia; quam aliunde desumere non licet, nisi ex natura voluntatis, & obiecti: non ex ipsa cognitione: de his autem diximus *suprà*.

Neque habitus.

Neque cognitio.

Efficacia dispositionis præuiæ.

34 *2. Obiectio.* Obiicit secundò illam rationem esse nullam, & malè probare intentum; quam proponit Doctor, nempe eum, qui necessariò velit aliquid, necessariò auferre impedimenta, si sunt in eius potestate: ergo si voluntas necessariò fertur in finem, necessariò aufert impedimenta; horum vnũ est incõsideratio: ergo, &c. Hæc, inquit, ratio nulla est, quia, vt rectè Ocham *in 1. dist. 1. quæst. 6.* eidem argumento respondens, benè potest aliquis actus esse necessarius ex suppositione actus liberi, vt supposita intentione electio medij, quod vnicum est: supposito amore, delectatio circa obiectum præsens, & perinde de tristitia circa malum præsens, quod quis odit. Eodem ergo modo posset dici ex cognitione libera beatitudinis amor esse necessarius.

Ratio Doctoris.

Responsio

Impugnatio. Sed hæc responsio non soluit argumentum, neque directè alludit: nam Doctor non quærit an cognitio finis sit libera, aut necessaria; & hæc responsio potiùs esset ad primum argumentum. Si fortè tamen ad ipsum facit: nam in cuius potestate est antecedens, similiter est consequens, & si in potestate voluntatis esset amouere cognitionem, ita etiam mediatè saltem amouere amorem, sicut amouere electionem medij, quod vnicum est, resiliendo ab intentione, & amouere passionem, amouendo, aut conuertendo intellectum ad aliud. Hæc non negat Doctor, quæ peruia sunt in doctrina eius. Sed quid faciunt ad

Responsio non est ad propositum.

hanc maximam. *Qui necessariò vult finem, necessariò tollit impedimentum ad finem si est in eius potestate*: quæ est maior, de qua nullus est dubitandi locus: nam hæc est vera, qui vult finem efficaciter, necessariò tollit impedimentum ad finem, si est in eius potestate, & necessariò aliquod medium applicat; & si vnicum est, necessariò etiam illud applicat, quod admittunt respondentes, qui in hoc ipso instant de necessitate electionis medij. Quæramus ergo causam huius necessitatis, quæ sola est determinatio voluntatis, per intentionem finis vltimata ad alterum extremum contrarietatis, & contradictionis, ita vt ampliùs non sit indifferens ad oppositum contrarium, aut contradictorium manente intentione in sensu composito. Talis ergo est determinatio voluntatis per intentionem ad finem, etiam necessariò determinatur vt tollat impedimentum, si est in eius potestate. Si autem non esset in eius potestate, non posset intendere; quia intentio est possibilium, non impossibilium. Et ex suppositione determinatio ad prius infert determinationem ad posterius, sine quo nequit stare prius. Sed maior est determinatio voluntatis, quæ radicatur in eius essentia, & inclinatione innata, si necessaria est, & non indifferens, quàm determinatio ex suppositione actus eliciti, & liberi, quia hæc tollit solùm contrarium, aut contradictorium actus suppositi, siue opponatur immediatè primò, siue ex consequenti, & secundariò; illa verò tollit etiam potestatem, atque adeò causam ipsam, per quam inesse possit, quia tollit libertatem exercitij, & specificationis, à potentia in sensu diuiso: ergo à fortiori determinatur per eam voluntas ad tollendum impedimentum sui finis, vt ei coniungatur, modò sit in eius potestate, quàm eam determinat necessitas suppositionis per actum elicitum: negent ergo minorem, vt ratio Doctoris fiat nulla, quia maior est euidens: Minor autem & ipsis, & aliis in confesso; nempe cognitionem de vltimo fine esse in potestate voluntatis, in considerationem de eodem esse impedimentum amandi finem: voluntas autem est determinata ad vtrúmque per ipsos: ergo rectè deducitur consequentia, nisi dicatur quòd voluntas sit minùs determinata ad obiectum, ad quod essentialiter necessitatur, quàm ad alia, ad quæ est indifferens; quod inuoluit contradictionem. Sed sic est, quòd intentio efficax determinet voluntatem ad finem, vt necessariò inferat inquisitionem mediorum, si ignorantur, aut si obuia sunt, considerationem iuxta qualitatem intentionis, aut possibilitatem operandi: ergo à fortiori necessitas inclinationis ad finem infert considerationem eius. Si autem semper staret intentio actualis non intermissa, semper etiam staret consideratio finis: ergo si voluntas necessitaretur ad finem ex se, semper staret consideratio, & amor finis, & intellectus sequeretur inclinationem voluntatis.

Maxima Doctoris vera.

Cur intentio necessitat ad electionem.

Determinatio per naturã potior est; quàm determinatio per actum elicitum liberè.

Stante intentione in actu, stat cognitio finis.

Confirmatur; quia voluntas non posset cessare ab actu per propositionem boni indifferentis, ad quod non habet necessariam connexionem sicut ad finem, ad quem necessitatur; non traheretur ab appetitu ex eadem ratione; quia & inclinatio eius ad bonum appetitus est indifferens, magis autem in operando sequeretur bonum, ad quod ab intrinseco necessitatur; sicut quamdiu staret in ipsa affectus elicitus boni rationis, non posset exire in actum contrarium propter oppositionem 35

Confir. à priori.

tionem actuum inter se: maior autem est oppositio fundata in natura ipsa voluntatis, quàm hæc. Adde quòd magis inclinetur in bonum proprium, quàm in bonum alterius potentiæ: non cessaret ex inconsideratione intellectus, quia vel hoc esset, quia aliud obiectum fortiùs mouens obiiceretur sibi per intellectum, & hoc non; quia consideratio eius vehementior subesset voluntati, ac proinde si determinata esset ad finem cognitum, amoueret intellectum à consideratione vlteriori contrarij, si simul stare non posset cognitio finis, ad quem voluntas necessitatur; vel illud esset obiectum speculatiuum, & tunc contra inclinationem voluntatis non abstraheret intellectum: vel esset practicum, nempe alicuius boni in ordine ad operationem voluntatis; & hoc non, quia ad illud voluntas esset indifferens, ad finem possessum determinata necessariò; neque ergo fortiùs moueret voluntatem, quàm finis, neque intellectum contra inclinationem voluntatis: ex quibus patet veritas discursus Doctoris. Cùm ergo nemo experiatur in seipso talem appetitum boni vt sic, tanquàm finis necessariò amari, aut solicitudinem cogitandi de eodem, sed plerumque feratur in bonum aliquod particulare appetendo, aut considerando, sequitur non esse necessitatem exercitij in voluntate respectu finis, aut beatitudinis, in genere sumpti.

Ratio ab experientia.

36 *3. Obiectio, seu responsio ad argumentum Doctoris.*

Tertiò obiiciunt non sequi voluntatem necessitari circa bonum in particulari, aut finem vltimum in particulari, quamuis necessitetur circa finem in vniuersali; quia circa finem in particulari obiicit se difficultas operandi; quæ non inuenitur circa finem in communi, aut vniuersali: ideò non concludit ratio Doctoris, quam *suprà* adduximus ex perfectiori bono magis inferens necessitatem voluntatis.

Impugnatur.

Sed hæc responsio etiam digreditur ab argumento, quia licèt, vt superiùs ad euacuandam hanc responsionem, & ad intentum Doctoris exprimendum ex scopo argumenti se offerat difficultas circa finem in particulari, prosequendum amore efficaci: nulla tamen est maior difficultas eius in particulari ad prosecutionem sui per complacentiam simplicem, quàm sit finis in vniuersali. Si ergo in vniuersali necessitat voluntatem ad complacentiam, à fortiori necessitat in particulari cognitum, hoc autem falsum est, vt constat in damnatis, atque etiam in ipsis viatoribus, qui secundùm complacentiam non necessitantur in exercitio ad finem vltimum in particulari. Ex quibus patet efficacia discursus præmissi ex Doctore.

37 *1. Conclus.*

Secunda conclusio. Si loquamur de complacentia in rigore, vt est *velle* quoddam, & distinguitur à passione, seu affectione; non producitur necessariò, voluntate supposita deliberatione, neque ab intellectu, aut intellectione, passiuè se habente voluntate: est contra alias sententias *suprà* citatas, quæ magis declarabitur in sequentibus, vbi probabimus nullum actum elicitum voluntatis produci absolutè necessariò.

Probatio quoad secundam partem.

Probatur conclusio quoad secundam partem contra Marsilium; quia videtur repugnantia in terminis quòd amor procedat ab alio effectiuè, quàm ab appetitu, cuius est proprius actus: ergo si loquatur de amore propriè, nequit esse ab anima, vt intellectus est. Patet consequentia, quia amor est appetibilis, quà talis, sic autem respicit appetitum. Secundò, nulla est necessitas tribuendi hunc actum intellectui: ergo. Antecedens patet, quia illa esset, vel quia actus est necessarius, ac proinde nequeat procedere à voluntate: sed id incertum est; & eo dato diceretur voluntas per modum naturæ producere ipsum, quod saluat eius necessitatem, éstque minùs inconueniens dicere, quàm quòd actus amoris procedat per intellectum; quia sic quod proprium est voluntatis destruitur, nempe appetere, & tribuitur alteri potentiæ, quæ ex genere est cognitiua, non appetitiua. Secundo autem modo salua voluntate, & natura actus vitalis, tollitur tantùm indifferentia, quæ supponit deliberationem, vt conueniat voluntati; quæ est opinio communis, & satis plausibilis in Scholis.

Amorem non esse ab intellectu vt causa totali.

Si dicas non probari intellectum esse appetitiuum, quamuis producat illum actum complacentiæ, quia non est immanens ipsi, sed transit in voluntatem eodem modo quo Doctores multi docent intellectum concurrere ad actum voluntatis, non inde tamen sequitur confundi in proprriis cum voluntate. 38 *Responsio.*

Contrà, argumentum est ad hominem ex principiis opinantis: nam licèt in sententia aliorum, & communi, quæ distinguit potentias inter se, & ab anima, responsio illa quadraret: tamen Marsilius negat hanc distinctionem, dicens animam immediatè operari circa appetibile, & circa verum; non per alia principia à se distincta, sed seipsa vnitiuè, dicens vtramque virtutem operandi: ergo cùm actus ipsi immanet, & eliciatur anima operante, quà ordinatur ad verum, id est, quà intellectus est, benè sequitur talis confusio. *Impugnatio ex principiis opinantis.*

Secundò, non oritur hæc necessitas ex principio illo familiari Nominalibus, quo dicunt naturam supponi ad libertatem in operando; quia in primis falsum est sic intellectum, respectiuè ad voluntatem, quasi necessariò semper haberet duos actus subordinatos, quorum vnus esset ab intellectu, alius liberè ab ipsa voluntate, quia neque fundamentum habet in Philosophis, neque in Patribus, qui vniuersim nihil exigunt in voluntate ad agendum proximè præter cognitionem obiecti, & cætera, quæ requirantur ex parte ipsius voluntatis quoad aliquos actus, vt adiutoria gratiæ, in actibus autem peccaminosis dicunt voluntatem sibi sufficere, neque mentionem faciunt illius amoris necessarij tanquàm semper prærequisiti ad *velle*. Quamuis autem aliquando loquantur de quibusdam affectionibus voluntatis, quæ passiones dicuntur, in alio tamen sensu, & alia ratione constat eas inesse voluntati, quæ plerumque sequuntur actum elicitum voluntatis, per quem obiectum redditur conueniens, aut disconueniens, non supponuntur ad ipsum. 39 *2. Probatio. Principium falsum.* *Actus liber non supponit necessarium in voluntate.*

Confirmatur primò, quia voluntas de se respectu actus eliciti ordinis naturalis est in potentia proxima tam actiua, quàm passiua, supposita applicatione obiecti: ergo ille actus nihil ei conducit. Confirmatur secundò, quia sic destrueretur libertas eius, vel essent actus contrarij simul in voluntate, quod est absurdum: ergo, &c. Antecedens patet, quia volitio illa naturalis, seu complacentia determinat formaliter voluntatem: v. g. ad prosecutionem antecedenter ad exercitium suæ libertatis, ita vt nullo modo possit fugere obiectum, nisi ponatur in ea displicentia naturalis simul de eodem, sine qua non est in potentia *Confirm. 1.* *2. Confir.* *Destrui libertatem.*

potentia proxima ad *nolle* propter subordinationem illam essentialem actus naturalis, & liberi: ergo erunt complacentia, & displicentia obiecti simul, vel certè alterutra posita voluntas nequit in oppositum.

Confirm. 3. Confirmatur tertiò, quia talem actum, ad quem passiuè se habet voluntas, non agnoscunt Theologi in Deo, qui docent in Deo amorem vnum simplicem: sed in Deo perinde saluatur subordinatio intellectus, & voluntatis, intellectionis, & amoris, sicut in creatura, vt de se constat ad intrà, & ad extrà: ergo, &c.

40 *3. Ratio.* Tertiò probatur contra eandem Marsilij sententiam conclusio: in cuius potestate est actus perfectior circa idem obiectum, in eius potestate est actus imperfectior, & magis remissus, quia hic includitur in perfectiore: sed in potestate voluntatis est intentio boni, ad quam comparatur complacentia tanquàm actus remissus, & imperfectus: ergo & ipsa complacentia, & consequenter non est recurrendum ad aliud principium complacentiæ productiuum, siue illa libera sit, vel necessaria extra ipsam voluntatem.

Sicut intentio est in potestate voluntatis, ita & complacentia.

Probatio conclusionis quoad primam partem dependet ab aliis quæstionibus; quia vel oppositum tenetur ex efficacia iudicij practici, & imperij intellectus in voluntatem, quod perinde in sententia asserentium extendit se etiam ad electionem, non solùm ad simplicem complacentiam, contra quos actum est in præcedentibus: vel tenetur opposita sententia ab aliis, vt à Molina *disput.* 44. *de concordia*, vt saluetur illud principium, nempe vocationem fieri in nobis sine nobis, scilicèt liberè cooperantibus, quamuis voluntas per modum naturæ concurrat. Hanc autem vocationem dicit consistere in quadam affectione voluntatis, quæ est actus vitalis, necessarius tamen, vt est proximè à voluntate: quod pendet ab illa quæstione, an scilicet affectiones, quas communiter passiones appellamus, vt delectatio, & tristitia, eliciantur à voluntate: an verò producantur ab obiecto nihil cooperante ipsa, sed merè passiuè se habente, quod Schola nostra tenet, suprà probatum est.

Principia à quibus dependet prima pars conclusionis.

41 Interim sufficiat hoc solùm insinuare, ad exercitium liberum suæ virtutis nihil aliud requiri in voluntate, quàm posse in actum, & obiectum sub deliberatione proponi: quæ concurrunt in proposito per ipsos: ergo nequit illa affectio esse à voluntate, nisi liberè, si ab ipsa est. Probatur consequentia, quia non est in potestate voluntatis circa obiectum indifferenter propositum agere non liberè, seu per modum naturæ, quia nequit agere aliter, quàm secundùm modum connaturalem sibi; modus autem connaturalis operandi voluntatis circa obiectum indifferens, & indifferenter propositum, est agere indifferenter, & per modum liberi arbitrij; quia neque ex inclinatione, neque ex natura obiecti, neque ex modo propositionis necessitatur ad obiectum sic propositum, aliàs vix constitui potest regula certa de modo operandi voluntatis indifferenti: sed obiectum talis complacentiæ, si sic dicatur, aut affectionis elicitæ à voluntate, est in se indifferens, & proponitur indifferenter: ergo liberè voluntas afficitur, si affectio est à voluntate. Hoc argumentum proponitur ex principiis communibus Scholæ contrariæ, in quibus declarant naturam, & modum operandi voluntatis ex indifferentia obiecti, & propositionis eius per intellectum. Et probatur subsumptum: eadem est propositio obiecti deliberata respectu affectionis, seu complacentiæ, quæ est eius respectu consensus voluntatis, qui consequitur; sed de fide est consensum esse liberum, ex Tridentino *sess.6. c.6.* ergo etiam erit libera affectio. Patet consequentia, quia ideò liber est consensus, quia obiectum indifferenter proponitur per deliberationem præuiam, ad quam intellectus illuminatur per gratiam; sed eodem modo idem ipsum obiectum est affectionis, in quod consentit voluntas, idem modus propositionis, quia per eundem actum deliberatiuum: ergo eadem causa libertatis. Quòd verò idem sit obiectum, patet, quia illa affectio datur per modum gratiæ excitantis voluntatem ad prosecutionem obiecti, ad quod est affectio, quæ prosecutio primariò consistit in ipso consensu voluntatis, per quem efficaciter vult obiectum propositum: ergo consequenter dicendum est illam affectionem non esse à voluntate elicitiuè, sed extrinsecùs ab obiecto, & Deo specialiter disponente voluntatem; vel certè esse liberam: quia neque supponit alium actum in voluntate, qui ad ipsum ex hypothesi determinaret, quia est primus: nec voluntas necessitatur ex se circa obiectum indifferens, atque indifferenter propositum, aliàs tollitur radix libertatis vndecunque proueniat. Neque fundamentum Molinæ, aut aliorum probat contrarium, quia eò ipso quò illæ affectiones non sunt liberæ supposita deliberatione, & supponuntur ante consensum voluntatis, sequitur ens non esse à voluntate, sed vel à Deo solo, vel certè cum concursu obiecti præueniente voluntatem, vt per eas excitetur, & disponatur ad consensum, & sic magis saluatur proprietas loquendi Scripturæ, & Patrum, qui dicunt eas fieri in nobis sine nobis. Glossa autem illa, quam adhibet Soto *lib.* 1. *de natura & gratia cap.* 16. quem sequitur Molina, & alij, nempe eas fieri in nobis, sine nobis liberè cooperantibus, non tamen sine nobis necessariò cooperantibus, non probatur ex doctrina Patrum, aut Scripturæ, sed ex principio Philosophico, quod nos putamus falsum, nempe esse actus vitales, ac proinde debere produci à principio vitæ, cui immanent. Vtrúmque horum negamus, quia neque affectiones illæ sunt vitales actus, nisi abusiuè, sed passiones: neque vitalitas consistit in productione actus, sed in eo quod potentia per ipsum operetur adhærendo obiecto, vt patet in operationibus improductis diuinæ voluntatis, & intellectus, quæ perfectè sunt vitales: si ergo excitatio voluntatis fiat per affectionem, erit ab obiecto Deo specialiter assistente, & principaliùs à Deo, quàm ab obiecto, imò fortè à solo Deo, vt latiùs suo loco disseremus: quia obiectum etiam per fidem propositum non habet rationem conuenientis respectiuè ad voluntatem peccatoris malè inclinatæ, & habituatæ in peccato per prauam consuetudinem, ita vt possit ei conuenire talis efficacia, quæ supponit inclinationem ex parte voluntatis, ante quàm obiectum proximè sit conueniens, id est, secundùm inclinationem voluntatis in ea dispositione eius, quam supponit, quæ sequitur in operando inclinationem appetitus sensitiui, & non rationis: vt patet in conuersis, quibus operatio virtuosa ex hoc capite est difficilis, & ardua, & pœnalis, maximè in tentationibus; neque inclinatio vel actiua, vel passiua voluntatis

Volitas liberè agit circa obiectum indifferenter propositum.

Idem modus proponendi obiectum respectu vtriusque actus.

Idem esse obiectum complacentiæ, & consensus.

Quomodo fit vocatio in nobis sine nobis.

luntatis ad bonum rationis in eo statu præualet inclinationi eius in bonum delectabile, ad hoc vt obiectum sit ipsi magis conueniens, quantùm ad excitationem eius in bonum, quamuis sufficiat ad saluandam libertatem. Vnde Augustinus libro 2. ad Simplicianum: *Restat*, inquit *vt voluntates eligantur; sed voluntas ipsa, nisi aliquid occurrat quod delectet, atque incitet animum, moueri nullo modo potest*, &c. vt quid alioquin illæ definitiones Conciliorum, & Patrum (liberum arbitrium de se sufficere ad peccatum, ad bonum autem post peccatum non sufficere sine gratia Dei) toties inculcatæ, si, inquam, voluntas, seu virtute innata, seu extrinsecùs ab obiecto posito in intellectu per fidem reddatur ita conueniens, vt causet affectionem? Oportet ergo vt reddatur primùm conueniens per gratiam Dei tangentem interiùs cor hominis, & disponentem, & excitantem; quod fit Deo causante delectationem boni, quam vocat sæpiùs Augustinus victricem, qua excitatur voluntas, vt contemnat ea, quibus anteà afficiebatur, & reddatur facilis ad consensum, & concipiendum amorem faciendorum, Deo specialiter assistente. Non ergo in cogitatione congrua, vt quidam volunt, nempe in efficacia obiecti; vt proponitur per fidem, saluatur illa efficacia gratiæ Christi, quam Patres tantoperè disserunt contra Pelagianos, atque extollunt, quamuis illa conducat; infirma enim est ad excitandam voluntatem, nisi aliter à Deo specialiter adiuuetur, vt patet in peccatoribus fidelibus non conuersis, sed perseuerantibus in peccato contra dictamen fidei.

Auguſt.

42 Oportet ergo, siue concurrat obiectum, siue non, reducere in Deum primariò, aut totaliter efficientiam huius affectionis excitantis voluntatem ad consensum, vt saluetur doctrina Patrum, qui per hanc intelligunt suauitatem illam, quam Deus operatur in cordibus nostris sine nobis, ex qua terra nostra profert fructum bonum in salutem: qua Metaphora vtitur sæpè Augustinus, & Prosper, alludentes ad illud Psalmi. *Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum.* Videatur Augustinus *lib. 2. de peccatorum meritis & remiss. cap. 7. de spiritu, & litera cap. 2. & 29. & 35.* Prosper *contra Collatorem cap. 14. & lib. 2. de vocat. gen. cap. 26.* & Augustinus *lib. 2. de peccatorum meritis, & remiss. cap. 9. Ex inuito*, inquit, *volentem facit, & quibuslibet mediis infidelitatem resistentis inclinat, vt cor audientis obediendi in se delectatione generata, ibi surgat, vbi premebatur*, &c. *Etenim Dominus dabit suauitatem, & terra nostra dabit fructum suum*, &c. Vnde Mileuitanum, gratiam excitantem nomine *delectationis* explicat *can. 4.* Arausicanum nomine *suauitatis*: si ergo voluntas est nolens, & resistens quantùm est ex se ad conuersionem, & obiectum disconueniens, atque resistens, sequitur de se non esse ei conueniens, & neque proinde necessariò in ea causare ipsa concurrente hanc delectationem, sed potiùs oppositum, si sibi relinqueretur. Ex quo ad fundamentum aliorum patet.

43 *Voluntas contingenter vult finem vltimum.*

Dico ergo quòd contingenter, &c. Est eadem conclusio, quam declarat sic: voluntas contingenter vult finem in communi, & in particulari; quamuis vt in pluribus velit vtrumque, quando non dubitat intellectus, in quo sit in particulari, sicut patet de quolibet fideli, qui credens in fruitione Trinitatis consistere beatitudinem, vult illum finem, licèt aliquando inefficaciter, quia non vult media. Hîc admittit actum elicitum respectu beatitudinis in peccatore fideli; quia supponitur in eo per fidem cognitio finis, vt possibilis: non ita tamen, vt dictum est *suprà*, talis actus, aut cognitio supponitur in infideli. Qualis autem sit iste actus, *suprà* declaratum est, iuxta varias sententias Doctorum: est enim actus naturalis inefficax respiciens ex motiuo naturali finem. Nec refert quòd sit respectu supernaturalis: quia aliquod donum supernaturale potest quis velle ex motiuo naturali, etiam peruerso: sicut Simon Magus voluit dona supernaturalia per simoniæ motiuum, & offerendo pecunias Apostolis, & ad variam lucri expectationem. Et quanquàm in peccatore fideli posset esse actus spei; de illo non agitur hîc: sed de actu inefficaci, & naturalis ordinis. Dicit autem Doctor vt in pluribus hunc actum dari in homine supposita cognitione finis: quia appetitus liber sequitur vt in pluribus inclinationem, & appetitum naturalem.

Quia sicut voluntas habituata sequitur vt in plurimùm inclinationem habitus, vt patet in iis, qui acquisierunt habitum prauæ consuetudinis, à fortiori sequitur appetitus liber inclinationem naturalem voluntatis: qui subdit magis voluntatem quàm habitus vllus, vt patet in voluntate non rectificata per gratiam, quæ sequitur inclinationem appetitus, & fomitis; ex inclinatione, supposita etiam gratia, oritur difficultas maxima operandi secundùm inclinationem rationis. Et licèt in ipsa voluntate insit inclinatio ad rationem, & finem, quæ impeditur ex fomitis repugnantia, vt efficaciter prosequatur bonum rationis. Tamen ad actum simplicis complacentiæ in fine cognito non est talis difficultas, quia sic actus est inefficax, neque impedit voluntatem quin prosequatur cum effectu bonum commodi, & sensibile, licèt cum remorsu, quando est prohibitum. Adducit prætereà Doctor exemplum huius prædominantis inclinationis naturalis super inclinatione ex habitu: v. g. iustus habituatus cum difficultate eligit mortem, quia ex appetitu naturali inclinatur ad fugiendam mortem.

44 *Voluntas sequitur ex se inclinationē innatam, & habitus.*

[f] *Sed estne actus ille elicitus*, &c. Quærit an ille actus sit naturalis? Respondet non esse naturalem, scilicet necessariò procedentem à voluntate per modum naturæ, elicientem actum, sed liberè procedere, dici tamen naturalem, quia sequitur inclinationem naturalem innatam appetitus. Sicut ille actus dicitur esse virtutis, qui elicitur secundùm inclinationem habitus virtutis, quamuis habitu nondum existente eliciatur. 45

Complacētia in fine vnde dicitur naturalis.

[g] *Sed hîc est vnum dubium*, &c. Hîc quærit de necessitate specificationis respectu volendæ beatitudinis, & nolendæ miseriæ, & vniuersaliter an voluntas dicat necessitatem specificationis respectu boni, quà bonum est, volendo, & mali, quà malum est, nolendo, ita vt non possit nolle bonum quà bonum, aut velle malum quà malum est. 46

An voluntas necessitetur ad beatitudinem secundùm specificationem.

Nominales tenent partem negantem. Ocham *in 3. quæst. 13. ad 3. Dubium.* Maior *in 2. dist. 28. quæst. 1. ad 1. & 4. dist. 49. quæst. 7. conclus. 2.* Hieron. ab Angesto *cap. 2. suorum moralium in 2. part. tract. not. 2.* Almainus *tract. 3. moralium, cap. 4.* Hi distinguunt bonum in id, quod est honestum, delectabile, & vtile, ex vna parte; & in aliud, quod est appetibile vt sic, dicunt autem malum esse appetibile 47

Sententia negatiua.

tibile prosecutiuè, & bonum odio haberi posse. hæc distinctio est verè nominalis, & non realis: oppositum tenet communis Schola.

48 *Conclusio. affirmatiua.* Conclusio, voluntas tam ad finem in communi, quàm in particulari, & ad bonum vt sic, quà bonum est, necessitatur quoad specificationem, & eodem modo quoad malum, aut miseriam, quà talis est. Hanc tenet hîc Doctor, licèt *in 1. dist.* 1.§. *Ad argumentum*, &c. id relinquit in dubio, quia ad scopum discursus eius non faciebat. *& in 2.dist.* 43. quibus in locis supponit communem opinionem, quam tenet S.Thomas, 1.2.*quæst.* 10.*art.* 2.vbi Caietanus, Conradus, & alij, D. Bonauentura *in 2. dist.* 34. *art.* 1. *quæst.* 3. Henricus *quodlibeto* 5.*quæst.*16, Vasquez 1.2.*disput.*31.*cap.*2. *&* 39.*cap.*2.Capreolus *in 1.dist.*1.*quæst.* 3.Sotus *in* 4.*dist.*49. *quæst.* 2.Est communis omnium præter citatos.

49 *Probatio.* Dion. Probatur primò. Dionysius de diuinis nominibus, cap.14. *Etiam omnium malorum initium, & finis est bonum. Boni causa sunt omnia, & quæ bona sunt, & quæ mala: quippe cùm hæc, quæ bono desiderio agamus; nemo enim proposito sibi malo facit quæ facit.* Augustin.*in libro 2.confessionum cap.4.vsque ad 10.* ostendit quòd in omni quæratur, & desideretur bonum aliquod.*&* 13.*de Trinit.cap.*3.*in Enchiridio cap.*86.*Beati*, inquit, *esse volumus, & miseri non solùm esse nolumus, sed nec velle possumus*, &c. Anselmus *in libro de concordia liber. arbitr. & prædest. Nihil vult voluntas nisi commoditatem, aut rectitudinem: quidquid enim aliud vult, aut propter commoditatem, aut rectitudinem vult, & ad has etiamsi fallitur, putat se referre, quod vult*, &c. quæ loca sunt clara.

August.

Anselm.

50 Philosoph. Secundò patet ex Philosopho 1.Ethic. cap. 1. *Omnis ars, omnisque doctrina, & electio bonum appetere videntur, quâ de causa benè antiqui dixerunt, bonum est quod omnia appetunt.* Item 2. *Ethic. cap.*4. mouens quæstionem, quodnam bonum cadit sub obiecto voluntatis, verum scilicet, an apparens, aliis asserentibus verum, aliis apparens: *Quòd si hæc, inquit, non placent, dicendum est simpliciter quidem, & reuera bonum esse affectibile, vnicuique verò id, quod vnicuique apparet*, &c. Ergo affectibile vt sic conuertitur cum bono: ex quo euacuatur distinctio præmissa Nominalium, per quam conantur interpretari Dionysium & alios. Et confirmatur; quia bonum, de quo loquuntur, est aliquod conueniens operanti, vel re ipsa, vel in apparentia: ergo quod dicunt quémque attendere ad bonum in operando, intelligunt tale secundùm conuenientiam, ac proinde quà bonum, non quà malum. Deinde, loquuntur per antithesim, quòd nullus potest velle malum, aut miseriam, quà talis est miseria, aut malum, quà talis est priuatio boni: ergo in hanc nullus fertur appetendo. Deinde, ex Patribus contra Pelagianos, voluntas non vult aliquid, neque prosequitur, nisi delectet; delectatio est boni, quà bonum est: ergo & appetitio, ac prosecutio. Deinde, quia peccatum fit ex doctrina Patrum, & Augustini per conuersionem à bono vero ad bonum delectabile: & hac ratione dicitur concupiscentia esse peccatum à Tridentino, *quia ex peccato est, & in peccatum inclinat.* Assignant denique Patres causam infirmitatis nostræ ad prosecutionem boni veri, esse; quia vel non apparet, vel non delectat, neque amatur. Supponunt ergo prosecutionem boni consistere in amore: quia perinde de hoc, ac de quocunque alio bono disserendum est.

Confir. ex Patribus.

Tertiò probatur ratione, quia voluntas eatenus operatur amando, quatenus coniungitur suo perfectiuo extrinseco, nempe obiectiuo, vel fugit nociuum; sed illud est bonum quà bonum; hoc autem malum quà malum est: ergo ad illud mouetur per amorem, ad hoc per fugam. Maior patet experientia, & probatur: voluntas in operando sequitur inclinationem suam naturalem. Hæc duplex est, nempe secundùm affectum concupiscibilis, aut irascibilis: ergo nihil appetit nisi secundùm alterum horum; sed neuter horum inclinatur in malum, quà malum, prosecutiuè, quia concupiscibilis fertur in conueniens quod bonum est, fugit inconueniens, quod malum est: irascibilis fertur in illud, quod obstat concupiscibili, & impedit ne coniungatur bono concupiscibili: ergo mouetur ex ipso concupiscibili tanquàm fine extrinseco ad prohibendum prohibens, & consequenter vbi nullum est prohibens, non excitatur irascibilis; & quando excitatur, hoc fit ex motiuo boni concupiscibilis, ne separetur affectus primarius à sua perfectione. Deinde, omnis causa efficiens agit propter aliquem finem, qui sit perfectio eius recepta, aut communicata, & omne perfectibile suam perfectionem: ergo & voluntas in operando mouetur propter perfectionem, & consequenter bonum: aut amotionem imperfectionis fugiendo malum; neque enim perfectio competit malo, quod est priuatio boni, neque è contra. 51 *Argumentum à ratione.*

Duplex affectus voluntatis ad bonum.

Mouetur voluntas ad bonum sequendū, vel malum fugiendum.

Dices, ipsam operationem esse perfectionem voluntatis, & bonum. *Responsio.*

Contrà, eatenùs perficitur potentia vitalis in operando, quatenùs coniungitur obiecto, seu perfectiuo extrinseco, quod est motiuum ipsius operationis, & sine quo nequit potentia mouere se ad operationem: ergo nequit esse operatio sine obiecto motiuo; in proposito nihil est tale, quod adstruitur ab aduersariis, ne quidem apparens, neque ipsa operatio potest esse perfectio potentiæ, nisi quà coniungit eam perfectiuo extrinseco, in quod mediante operatione tendit. Vnde si poneretur entitas absoluta operationis sine tali coniunctione ad obiectum in voluntate; certè non amaret, neque perficeretur magis quàm lapis, si in eo poneretur, neque sequeretur in ea quies, gaudium, aut delectatio: operatio enim nequit perficere potentiam, nisi obiectum sit eius perfectiuum. *Impugnatur.* *Operatio nequit esse sine suo motiuo.*

Dices. Bonum indifferens non est perfectiuum potentiæ; tamen circa illud operatur, maximè secundùm sententiam nostræ Scholæ, quæ adstruit illud, & dari actus indifferentes. *Responsio.*

Contra. Bonum indifferens licèt tale sit in genere virtutis, quia neque bonum morale, neque malum oppositum, tamen non est indifferens ad rationem boni, quia includit bonum naturale. Aliquando etiam delectabile: ergo instantia non est ad propositum, quia hîc agitur de bono, & malo præcisè, quà talia priuatiuè opposita. *Impugnatio.* *Bonum indifferens est determinatū in specie boni natura.*

Minor principalis probatur, quia bonum vt sic sumptum, siue æquiuocè, siue analogicè, siue vniuocè, aut quocunque modo dicatur, siue collectiuè, quà includit latitudinem boni cuiuscunque, consistit in positione, & habitu, & consequenter conuertitur cum ente, tótque modis dicitur, quot ens, siue in *esse* morali, siue naturali siue vero, siue apparente. Omnis autem perfectio, seu perfectiuum consistit in ente: ergo omnis inclinatio ad perfectionem est ad aliquod ens 52 *Bonum conuertitur cum ente, & tot modis dicitur, quot modis dicitur ens.*

Malum in priuatione consistit. positiuum verum, vel apparens; malum è contra in priuatione consistit: ergo nulla est inclinatio entis ad malum, vt ad perfectionem. Probatur consequentia, quia nihil est perfectio entis, quà ens est, nisi quod est eiusdem generis, vt patet in omnibus: ergo omnis inclinatio positiua entis ad perfectionem est ad aliquod positiuum verum; vel apparens, & non ad priuationem eius. *Ad priuationem non est inclinatio entis.*

53 *Confirm.* Confirmatur: sicut se habet affirmatio, & negatio in intellectu, ita prosecutio, & fuga in voluntate ex Philosopho *suprà*: ergo sicut affirmatio, & negatio immediatè opponuntur, & diuidunt adæquatè enunciationem in intellectu, ita fuga, & prosecutio affectum in voluntate: sed hanc distinctionem, & oppositionem non habent à potentia, quæ est principium commune: à communibus autem non sumitur oppositio, aut distinctio: ergo ex obiecto; sed hoc esset falsum, si obiectum idem posset esse prosecutionis, & fugæ sub eadem ratione: ergo aliud est fugæ, aliud prosecutionis, ex cuius ratione motiua intrinseca, & immediata concipiuntur volitio, & nolitio: hoc autem falsum esset, si volitio posset esse mali, quà malum, nolitio, seu fuga boni, quà bonum est: ergo volitio est solius boni, fuga verò, aut nolitio solius mali. *Differentia prosecutionis, & fugæ ex obiecto formali.*

54 *2. Confir. Regula operandi.* Confirmatur secundò: omnis affectus voluntatis supponit regulam ex parte intellectus; sed nullus potest esse actus in intellectu, qui dictet malum, quà malum, esse sequendum, aut bonum, quà bonum, fugiendum: ergo neque affectus talis in voluntate. Minor probatur, quia intellectus sequitur naturam obiecti, seu veri, seu apparentis, & assentitur ex motiuo eius. Sed in malo, quà tale, vel in re, vel in apparentia, nullum haberi potest ex natura rei, & obiecti motiuum affirmationis, & assensus practici, quo iudicaretur esse sequendum, quia nulla inclinatio in appetitu, cui esset conueniens, aut secundùm rationem, aut secundùm sensum, honestum, aut delectabile, cùm sit priuatio obiecti cōuenientis secundùm vtramque rationem: ergo neque in voluntate fundamentum vllum prosecutionis ex motiuo mali. Quare namque intellectus speculatiuus non moueat voluntatem, nisi quia non proponit motiuum per se requisitum, qui est finis, & bonum, ex Philosopho? *In malo nullum motiuū affirmationis.*

55 *3. Confirm. ex lege.* Confirmatur tertiò, ex regulis extrinsecis operandi, nempe ex lege quomodocunque sumatur, naturali, aut positiua, quæ vniuersim sunt ad bonum sequendum, aut malum fugiendum; nulla autem esse potest ad malum sequendum, aut bonum, quà bonum fugiendum. Nulla etiam inclinatio hominis, quia determinatur omnis eius inclinatio ad conseruandum suum *esse* primarium, aut secundarium, quod consistit in aliquo ente, & perfectione, etiam ad fugam priuationis talis perfectionis determinatur, quæ ipsi est inconueniens: appetit ergo semper bonum, aut quod conueniens est naturæ, aut quod conueniens est secundùm inclinationem rationis, aut quod conueniens secundùm inclinationem sensus: aut secundùm inclinationem vniuersalem, aut particularem, quæ ordinatur ad bonum simpliciter, cuius cætera sunt participatio in genere, & specie, & cuius coniunctione perficitur secundùm omnem rationem, qua ordinatur ad se, aut alia. *Ex inclinatione hominis, quæ non est ad malū sequendum, quà tale.*

56 *Obiectio.* Obiicies primò. Potest aliquis habere odium Dei; vel ergo apprehendit Deum vt malum sibi, vel vt bonum; si vt bonum, sequitur oppositum conclusionis; si vt malum, sequitur non posse dari odium Dei, donec excæcetur intellectus. Potest applicari argumentum alteri materiæ deducendo similiter quòd nequeat esse fuga boni sine errore intellectus. Alij proponunt argumentum de ipso malo in particulari, aut abstracto per modum obiecti concepto, & quatenus in illud fertur voluntas amore.

Respondetur ergo non dari odium Dei formale; idque conuincit necessitas specificationis voluntatis, qua determinatur ad finem vltimum; sed dari odium materiale, seu indirectum Dei, quod procedit ex motiuo amoris inordinati; quo quis in seipsum fertur: sic damnatus odit Deum, quà vindicat peccatum eius ex motiuo scilicet amoris, quo fugit pœnam, eam nolens, & consequenter punientem, & in hoc non obcæcatur necessariò intellectus concipiendo Deum in seipso malum; sed sufficit vt in effectu suo ad extrà concipiatur, vt repugnans bono delectabili, quod summè affectat voluntas inordinata, & non subiecta regulæ, siue illud bonum sit verum, siue apparens. *Responsio.* *Non dari odium formale Dei in se.* *Odium eius indirectum.*

Obiicies secundò. Quisquis nostrûm potest odio habere inimicum suum; sed odisse est velle alicui malum: ergo potest quis prosecutiuè ferri in malum; inimicus enim vt inimicus est, concipitur malum. 57 *Obiectio.*

Quidam apud Vasquez *disp.* 31. *cap.* 2. respondent motiuum odij esse bonum, terminatiuum autem esse malum, quà malum est, sicut in sensu visus ratio communis motiua est color, terminatiua albedo, & nigredo; sed malè philosophantur de obiecto sensus, quia quælibet species coloris per se mouet sensum, & non solùm terminat: neque color vt sic mouet abstractim, nisi quia species eius mouet, licèt abstrahatur, vt ratio communis omnibus per se motiuis sensus, quæ abstractio non fit per sensum, puta potentiam visiuam, quæ non discernit rationem communem à particulari, quamuis in re conueniant omnia motiua in specie secundùm ipsam. Deinde, non subsistit comparatio, quia bonum, & malum non comparantur ad inuicem tanquàm commune, & particulare, sed tanquàm priuatiuè opposita; si in genere loquamur; si in specie tanquàm quædam disparata, quando non opponuntur. *Responsio quorundam reiicitur.* *Non est abstractio in sensu.* *Bonum, & malum priuatiuè opponuntur.*

Deinde, non parum accedunt sententiæ, quam impugnant. Si dicant ex motiuo extrinseco saltem posse voluntatem ferri in malum prosecutiuè, quà malum est. Imò inuoluit manifestam repugnantiam: quia vnus actus simplex non fertur aliter in suum motiuum, aliter in suum terminatiuum, vt concipitur per modum operandi in genere, & differentias eius secundùm prosecutionem, & fugam, neque fertur in terminatiuum, nisi includat motiuum, siue intrinsecè per modum formæ, siue extrinsecè per participationem eius, sicut medium participat finem: ergo secundùm eundem affectum inclinatur voluntas ad motiuum, & terminatiuum vnius, & simplicis actus, & consequenter si fertur in malum prosecutiuè, quà includit rationem motiui boni, non fertur in malum formaliter, quà tale est, sed quà concipitur sub ratione boni veri, vel apparentis. Alioquin posset sic teneri quòd omnis fuga esset prosecutio aliquo modo: quia voluntas non inclinatur in fugam mali, nisi secundùm *Inconstantia discursus.* *Idem actus simplex nequit esse prosecutio, & fuga.*

secundùm affectum concupiscentiæ, quà fertur in bonum aliquod, ex cuius motiuo inclinatur voluntas ad fugam mali contrarij, quod eatenus malum est, quatenus bono opponitur, & consequenter semper respectiuè ad bonum, sicut priuatio; neque intelligibilis est, neque cadit sub operatione alicuius potentiæ, nisi respectiuè ad habitum. Omissis aliis responsionibus, quas idem Author impugnat.

58 *Responsio propria.* Respondetur breuiter posse contingere bonum odio haberi, vel absolutè, vel respectiuè; quando concipitur sub ratione alicuius mali, quod fugit voluntas, quæ fuga non est boni formaliter, sed materialiter tantùm obiecti, quod bonum est, formaliter verò eius, quà vt malum concipitur. Et eodem modo concipitur quandoque malum sub ratione boni, & tunc est obiectum prosecutionis, non quà malum, sed quà bonum: sic ergo odium alterius, si est per modum prosecutionis, quà volo alteri malum, & de eo lætor, est actus, qui respicit malum alterius, vt mihi bonum esse concipitur. Si autem est per modum fugæ, tunc fertur in bonum alterius, quà mihi concipitur esse malum, secundùm aliquem affectum voluntatis, vt inuidiæ, aut alterius, quod apprehenditur nociuum, vt vindictæ.

Bonum concipitur sub ratione mali, & è contra respectiuè ad aliud.

59 *3 Obiectio.* Obiicies tertiò non haberi rationem euidentem nostræ conclusionis: ergo incerta est.

Responsio. Respondetur haberi præter iam suppositas, tam euidentem rationem, quàm potest euidens assignari ratio operationis humanæ, ex motiuo eius: nam si interrogetur quilibet de motiuo sui actus, nunquam respondebit se velle malum, quà malum est: sed per aliquam rationem boni veri, aut apparentis se sollicitatum fuisse ad actionem, sed vt sequatur bonum, vel vt fugiat malum.

Motiuum operationis in genere.

4. Obiectio. Obiicies quartò. Si quis non potest velle malum, & nolle bonum, non poterit circa hæc mereri, aut demereri: nam si Christianus concipit malum esse colere idola, non poterit colere idola, neque consequenter peccare; hoc est absurdum: ergo, &c.

Responsio. Respondetur ex dictis, iudicabit malum esse colere idola, quia contra legem Dei, & inhonestum; iudicabit bonum quà delectabile, saluare vitam per hoc.

5. Obiectio. Obiicies quintò illud Ecclesiast. 15. *Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi*, &c.

Responsio. Respondetur hoc nihil facere ad propositum, quia sumitur malum pro bono vetito, & peccato, circa illud: ista namque obiecta sunt homini modo explicato, non aliter.

6. Obiectio. Obiicies sextò. Intellectus apprehendit verum, & falsum: ergo voluntas potest velle bonum, & malum.

Responsio. Respondetur negando consequentiam, quia verum comparatur ad intellectum, vt habet affirmationem, & negationem, assentiendo, aut dissentiendo, non quà solam apprehensionem; motiuum autem affirmationis mentalis, aut assensus nunquam determinat ad actum oppositum; quod perinde contingit in voluntate, vt motiuum prosecutionis formale nunquam inclinet in fugam, aut è contra, vt disseruimus in argumento ad conclusionem.

60 *2. Conclusio.* Secunda conclusio. Hæc necessitas specificationis non oritur ab intellectu, sed ex ipsa voluntate respectiuè ad obiectum, inquantùm motiuum eius est. Hæc est consequens ad doctrinam, qua statuitur radix libertatis pro ipsa voluntate, ex dictis de causalitate voluntatis respectu sui actus, ad quem non concurrit intellectus, nisi tantùm ostensiuè, vel vt subordinatur voluntati. Est contra Thomistas, qui necessitatem specificationis reducunt ad intellectum vt radicem. Patet conclusio ex dictis; quia voluntas ab intrinseco modo operandi habet inclinationem suam, vt feratur in obiectum secundùm quòd conueniens, aut disconueniens est; obiectum autem, vt comparatur ad voluntatem etiam præcisè, dicitur conueniens, aut disconueniens; bonum, aut malum secundùm varias eius differentias: ergo comparantur ad inuicem immediatè tanquam motiuum, & mobile, sicut reliqua obiecta, & potentiæ. Quòd autem interueniat operatio intellectus, vt applicantis, non facit ad rationem appetibilis ex parte obiecti, tanquàm transiens in rationem motiuam; quia finis, & bonum habent esse talia ex se verè, vel apparenter, secundùm rationem, quæ apprehenditur inesse rei; voluntas autem ex se habet rationem appetitus, & concupiscentis, quæ est inclinatio eius in obiectum.

Probatio.

Voluntas, & motiuũ immediatè se respiciunt.

Intellectus nõ specificat voluntatem.

Stantibus ergo his duobus habetur adæquatum fundamentum necessitandi quoad specificationem ad bonum, quoad fugam ad malum. Si ergo rectè probatur ex his duobus tanquàm causis contra Nominales, non posse voluntatem ferri in bonum, quà bonum est, per odium, aut in malum, quà malum, per prosecutionem; rectè ad hæc ipsa reducitur causa necessitatis eius quoad specificationem. Ac proinde non est recurrendum ad intellectum, qui tantùm est concomitans, non autem specificans voluntatem, aut eius operationem. Fundamentum oppositæ sententiæ requirit tractatum de radice libertatis, quem in aliam occasionem remitto.

Inclinatio potentiæ, & obiecti fundamentum specificationis.

Ad rationem pro opinione, &c. Hæc est ratio, quàm *suprà* adducit pro opinione Henrici. §. *Quantùm ad secundum articulum.* Summa rationis in hoc est, voluntatem necessitari quoad exercitium circa obiectum quando proponitur sub pura ratione boni, & sine vlla admixtione mali: sed sic se habet beatitudo, seu finis vltimus in vniuersali: ergo ad eum sic propositum necessitatur voluntas. 61

Ratio Henrici.

Respondet negando illam maiorem propositionem, quæ falsa est: quia voluntas respectu cuiuscunque actus est libera, & à nullo obiecto necessitatur quoad exercitium, licèt benè quoad specificationem; ex qua necessitate non infertur alia, quæ est quoad exercitium.

Soluitur.

Et si obiiciatur quòd non necessariò vult beatitudinem, supple in exercitio, neque eam potest ex dictis nolle, seu odio habere: quem ergo actum habebit?

Obiectio.

Respondet Doctor.

Dico, inquit, *quòd in pluribus habet actum volendi: sed non necessariò aliquem actum: sed potest se suspendere ab omni actu ostensa beatitudine; aliter enim simplices, quando apprehendunt aliquid, quod pertinet ad finem vltimum, de quo nesciunt, an sit de ratione finis vltimi, tenerentur ad volendum illud. Vnde vnumquodque obiectum potest voluntas velle, & nolle.* (Hæc intellige disiunctiuè iuxta dicta, non quòd de quolibet possit habere tam *velle*, quàm *nolle*: quia vt præmisit, necessitatur secundùm specificationem ad aliqua obiecta, quæ non sunt indifferentia) *& à quolibet in particulari potest se suspendere*

Soluitur.

hoc vel illo (supple obiecto) *& hoc potest quilibet experiri in seipso; cùm quis offert sibi aliquod bonum, & etiam ostendit bonum vt bonum considerandum, & volendum, potest se ab hoc auertere, & nullum actum voluntatis circa hoc elicere*, &c.

62 In hoc passu tradit doctrinam vniuersalem de modo operandi voluntatis creatæ, quæ liberè agit circa quodcunque obiectum, quod sæpissimè hactenus in præmissis insinuauit, nempe liberè voluntatem se habere in exercitio, quoad vltimum finem visum clarè, quoad finem in vniuersali, & particulari cognitum obscurè; & sic quoad omnia reliqua obiecta, & actus primos circa ipsa. Ex hac eadem ratione docet passiones non esse actus elicitos voluntatis, quia sunt necessariæ: superest ergo ad completum tractatum, & defensionem, ac declarationem doctrinæ præmissæ, & modi essentialis agendi voluntatis, quoad exercitium, vt subiiciamus hîc duas quæstiones satis controuersas; quarum difficultas oritur ex modo definiendi libertatem voluntatis.

Quæstiones differendæ ad completum tractatum, & declarationem doctrinæ præmissæ.

Prima quæstio erit circa illud, quod dicit Doctor, voluntatem non necessitari ab vllo obiecto, quoad vllum actum elicitum; & quia iam actum est de vltimo fine clarè viso; & de fine tam in vniuersali, quàm in particulari obscurè cognito. Superest vt hîc agamus de actibus elicitis, qui vocantur motus primò primi, quos aliqui dicunt esse elicitos à voluntate, vt natura est, & necessariò agit; non autem quà libera est.

Secunda quæstio erit de eo, quod etiam hîc asserit Doctor: An voluntas possit suspendere omnem actum circa obiectum propositum? quod est in aliis terminis quærere, An dari possit omissio libera, & pura sine actu aliquo positiuo?

Vtrùm voluntas sequendo apprehensionem agat vt natura, & non liberè?

63 *1. Sententia affirmatiua.*

Prima sententia est Capreoli *in 2. dist. 24. quæst. 1. art. 3. ad octauum, & dist. 25. quæst. 1. art. 3. ad 7.* Primum actum voluntatis esse complacentiam obiecti, quæ fit à solo Deo; quam tribuit D. Thomæ contra Caietan. 2. 2. *quæst. 9. art. 4.* Ferrarien. 1. *contra Gentes cap. 23. & in 3. cap. 89.* qui docent primum actum fieri à voluntate efficienter per modum naturæ. Hanc sequitur Bellarm. *lib. 3. de gratia, cap. 14.* quamuis mox declinet in nostram sententiam, asserens, ex D. Thom. 1. 2. *quæst. 10. art. 2.* primum actum posse liberum esse quoad exercitium: & quia idem *prima part. quæst. 63. art. 2.* concedit Angelos in primo instanti suæ creationis bonos meruisse: communis autem opinio inter discipulos D. Thomæ est dari aliquos actus necessarios in voluntate, & potissimùm illos motus esse elicitos à voluntate per modum naturæ: siue ergo illi actus, siue alij sint, quod per se non quæritur hîc, quia spectat ad varias materias: quamuis obiter etiam respondebimus *infrà* ad obiectum: solùm quærimus an voluntas agat per modum naturæ? sic agere aliquando, aliquando liberè asserunt plures; nos autem negamus. Sit ergo

64 *Conclusio negatiua.*

Conclusio. Omnis actus voluntatis elicitus circa bonum in particulari, de quo loquimur, est liber. Est Doctoris variis in locis; vbicunque enim agit de inclinatione naturali voluntatis, docet esse potentiam passiuam respectu suæ perfectionis; nullam autem esse actiuam in ipsa, per quam determinetur vt necessariò agat, & non liberè *in 3. dist. 17.* dicit voluntatem, vt naturam nullum habere actum elicitum. Idem *in 2. d. 23.* Vide ipsum *locis suprà citatis, & in 2 dist. 5. quæst. 2.* vbi dicit Angelum potuisse peccare in primo instanti suæ creationis, *& dist. 6. quæst. 1.* probans Angelum potuisse appetere æqualitatem Dei, dicens ad illam voluntatem, qua sic appeteret, sufficere apprehensionem obiecti simplicem, in qua non est falsitas, neque error; sicut neque compositio. Ita *responsione ad 3. & quodlibeto 21. §. Si quæras*, dicit primam intellectionem fieri naturaliter in nobis ab obiecto fortiùs mouente; non ita volitionem, sed liberè elici ab ipsa voluntate. Videatur etiam *in 3. dist. 18. §. Est igitur videndum.* Et passim in præcedentibus quæstionibus iam explicatis. Suppositis ergo his duobus, quòd scilicet voluntas vt natura sit potentia passiua, & quòd supposita intellectione simplici, seu apprehensione tantùm sui obiecti, possit operari, & post primam cogitationem, quæ est naturalis, posse velle, & nolle, non est ambigendum de eius sententia, vt quidam moderni ambigunt, interpretantes eum de voluntate operante deliberatè, quæ non agit per modum naturæ.

In fauorem huius sententiæ citari potest D. Thomas, 1. 2. *quæst. 2. art. 10.* vbi docet voluntatem in via à nullo necessitari quoad exercitium: imò quod amplius est *quæst. 74. art. 3. ad 2. & 3. parte quæst. 41. art. 1. ad 3. & 2. sent. dist. 24. quæst. 3. art. 2.* docet motus quoscunque etiam appetitus, seu sensualitatis, qui sequuntur ex imaginatione rei illicitæ, esse peccata, quia sunt in potestate voluntatis, saltem in sua causa; quem sequitur Durandus *in 2. dist. 21. quæst 1.* Caiet. 1. 2. *quæst. 74. art. 8.* Antoninus *2. parte summæ tit. 5. cap. 1. §. 4.* Henricus de Gandauo *quodlib. 8. quæst. 16.* & quotquot in illis actibus, seu motibus primò primis, admittunt peccatum; cùm hoc sine exercitio libertatis in se, vel in sua causa esse non possit. Item, Angestus *in moralibus cap. 3.* Almainus *tract. 3. cap. 24.* Victoria *in vltima relatione de perueniente ad vsum rationis*, qui negant voluntatem in via necessitari; & qui dicunt in amentibus, & pueris dari libertatem, vt Corduba *lib. 1. quæst. 23. dub. 9. notab. 3. lib. 2. quæst. 10. & 11.* Molina *1. part quæst. 14.* quamuis negent in ipsis liberum arbitrium ob defectum deliberationis: quibus consentit Sumelius, *1. 2. quæst. 71. art. 6. disp. 1. concl. 2. & quæst. 74. art. 3. disp. 1. concl. 1. & 5. 1 part. quæst. 14. art. 13. disput. 2. in noua appendice 2. editionis.* Vasquez 1. 2. *disp. 35. cap. 3. & disp. 139. cap. 1.* & multi alij, quamuis dicant voluntatem necessitari in actibus indeliberatis, vt vocant, si consequenter videbimus; saltem in hoc fauent, cùm dicunt voluntatem operari ex sola apprehensione.

Fauet D. Th.

Probatur conclusio ex principiis aliàs deductis in præcedentibus, quibus probatur voluntas esse libera ab intrinseco etiam radicaliter, quod non necessitatur ad finem vltimum in communi, aut clarè visum in particulari. Videantur loca Patrum, quæ ad hæc adducta sunt. Vnde iis suppositis argumentor. Necessitari voluntatem ad obiecta particularia creata, non colligitur ex natura obiecti, aut propositionis, aut ex inclinatione ipsius voluntatis, neque vlla est experientia in oppositum: ergo standum est principiis, quibus probatur libertas voluntatis. Maior probatur, bonum creatum ex natura sua necessitat voluntatem ad prosecutionem,

65 *Probatio conclusionis.*

Non necessitari ab obiecto proposito, aut modo proponendi. nem, aut fugam ex natura obiecti, quia non est finis vltimus voluntatis, neque bonum includens omnem rationem boni, sed bonum secundùm *quid* comparatum ad vltimum finem quietatiuum voluntatis; qui etiam non necessitat voluntatem saltem in via, neque ex dictis in patria, neque voluntas habet necessariam connexionem cum tali bono: ergo non subdit sibi necessariò voluntatem per modum naturæ. Probatur consequentia, quia illud obiectum quomodocumque proponatur, proponitur sub ratione sua particulari: ergo quà bonum imperfectum, & limitatum: ergo vt indifferens respectu voluntatis. Probatur consequentia, (antecedens suppono ex titulo quæstionis, quia non agimus de quocunque actu voluntatis circa illud bonum, nempe si diligeretur sub ratione boni vt sic, vel vt participatio summi boni, sed quatenus diligitur sub ratione propria & particulari) bonùm illud habet in se non solùm rationem boni, sed etiam mali, quà limitatum est, & quà concipitur sub ratione propria: ergo habet quidquid requiritur ad indifferentiam operandi ex radice obiecti secundùm principia aduersariorum; ex quibus colligunt indifferentiam, aut determinationem voluntatis ex radice intellectus, aut obiecti. Sed sub tali ratione conceptum non magis ex natura sua natum est mouere voluntatem ad fugam, quàm ad prosecutionem, & contrà ad prosecutionem magis quàm ad fugam: ergo simpliciter est indifferens, & consequenter ex natura obiecti non colligitur necessitas voluntatis in operando; stantibus principiis aduersariorum. Nam quæro quid sit obiectum esse indifferens per ipsos ex natura obiecti, nisi habere admixtam rationem boni & mali; hæc autem ratio mali non requiritur alia, quàm limitatio perfectionis, vel certè repugnantia, quam habet ad aliquem affectum, & inclinationem voluntatis, secundùm rationem, aut sensum. Vnde accedente deliberatione illud obiectum his solis esset indifferens, quia sub diuersis rationibus esset conueniens, & disconueniens, & sola limitatio perfectionis sufficit ad constituendum ipsum vt malum, id est, disconueniens voluntati; quamuis sub alia ratione diceretur conueniens & bonum: ex quo manet probata maior quoad primum membrum.

Propositio obiecti indifferens.

Obiectum esse indifferēs

66 *Indifferens propositio obiecti.* Probatur eadem maior quoad secundum membrum, cuius probatio gradatim sequitur ex priori; apprehensio obiecti sub ratione particulari est cognitio eius, quà bonum creatum, & limitatum est: quia nihil volitum, quin præcognitum. Si ergo amatur sub ratione sua particulari, supponitur apprehensio eius, etiam sub eadem ratione; amari autem sub ratione particulari supponit quæstio; si enim diceretur amari sub ratione finis in communi, aut quà est participatio finis in particulari, nihil ad præsens spectat, quia aliàs id ventilatum est: neque voluntas magis determinatur ad bonum participatum, quàm ad bonum simpliciter, quomodocunque sumatur, in communi, aut in particulari. Si ergo proponitur sub ratione sua particulari, proponitur vt bonum indifferens est: quia sicut in *esse* est bonum indifferens, & apprehensio eius est vt indifferentis boni. neque recurri potest ad determinationem propositionis per iudicium practicum, aut imperium intellectus in voluntatem, quia hæc supponunt deliberationem, aut complacentiam finis seu obiecti, de qua in proposito est quæstio, id-

Suppositio quæstionis.

Non determinatur per iudicium voluntas sequens apprehensionem.

que ex principiis oppositæ sententiæ, quoquot determinationem voluntatis ex hac radice inferunt. Neque recurri potest ad aliud quod ex sententia Durandi & antiquiorum est fundamentum indifferentiæ, nempe obiectum habere necessariam connexionem cum fine, ad quem necessitatur voluntas, quia neque sic respectiuè ad finem, aut aliud bonum, amatur, aut concipitur. Nec sub ratione particulari conceptum, & amatum dicit necessariam connexionem ad finem, vt patet; quia accedente etiam deliberatione eandem connexionem haberet, quod negant omnes. Neque ipsum in se sic conceptum subdit voluntatem necessariò, ex probatione prioris membri: ergo cùm apprehensio sequatur naturam obiecti, sequitur ex modo propositionis non necessitari voluntatem. *Neque ex connexione obiecti ad finem.*

Confirmatur, deliberatio subsequens procedit ex apprehensione tanquàm ex causa, vel procedere potest, siue formetur per modum iudicij, siue per modum discursus, & procedit ex principiis intrinsecis obiecti apprehensi, siue in *esse* naturæ considerati, siue in *esse* moris; sed iudicium, & discursus de indifferentia obiecti non procedit ex apprehensione determinatè repræsentante ipsum, vt determinatum sub ratione contraria indifferentiæ, aut contradictoria, quia sic non posset inclinare intellectum ad formandum iudicium contradictorium: ergo deliberatio de indifferentia obiecti, vt sequatur ex apprehensione tanquàm ex causa supponit apprehensionem esse indifferentem, & non determinatam. 67 *Confir.*

Deliberatio sequens apprehensionem, causatur ab ipsa apprehensione.

Si dicas deliberationem procedere ex illa prima apprehensione obiecti, vt ex occasione, non autem vt causa. *Responsio*

Contrà, ex obiecto cognito procedit compositio, & sequitur iudicium; non est alia prior dicta apprehensione, & hæc sufficit ad formandum iudicium de indifferentia obiecti, quia est ipsius, quà bonum tale limitatum, sub qua ratione competit ipsi esse indifferens: ergo apprehensio hæc & est indifferens propositio obiecti, & est sufficiens principium formandi iudicium de eius indifferentia. *Impugnatio.*

Ex his probatur maior quoad tertium membrum ex dictis, ex nulla sua inclinatione necessitatur voluntas ad amandum obiectum indifferens, & indifferenter propositum: quia vt concedunt aduersarij, nulla est eius connexio necessaria ad obiectum sic propositum; quia æquè indifferenter mouet ad fugam, & prosecutionem, vel saltem non ita ad alterutrum determinatè, quin possit mouere ad alterum ratione sua concepta, quà indifferens est: ergo non necessitat voluntatem, siue determinatè ad prosecutionem, siue etiam ad fugam determinatè: ergo ex nulla causa à priori colligitur voluntatem necessitari ad operandum circa suum obiectum creatum in particulari. *Probatur tertium membrum maioris.*

Inclinatio voluntatis indifferent.

68 *Probatio maioris à posteriori.* Probatur etiam maior quoad primum membrum, népe à posteriori, & experientia non probari eandem necessitatem; nam quamuis sint in nobis aliquæ affectiones necessariæ circa obiectum cognitum ex prima eius apprehensione antecedenter ad deliberationem, non constat eas produci à voluntate efficienter, sed vel ab obiecto, vel ab alia causa intrinseca, vt in aliquibus contingere probauimus in præcedenti contra Molinam; & inferiùs suo loco explicabitur, partim respondendo ad argumenta, partim remittendo

Experientia non probari actum elicitũ necessariò à voluntate. tendo probationem ad ea, quæ *suprà* disseruimus de his affectionibus: ergo hæc experientia non tenet contra principia, ex quibus aduersarij colligunt indifferentiam voluntatis in operando circa bonum creatum, & indifferens ex natura obiecti, & propositionis indifferentis, vel contra principia nostræ Scholæ, quibus asseruimus hunc modum esse ex differentia essentiali voluntatis creatæ defectibilis circa quodcunque bonum, cui non coniungitur necessariò, sed ex propria libertate operando.

69 *Confirm.* Confirmatur alia experientia in oppositum, quia non necessariò continuatur ille modus in voluntate, vt experientia, & omnes concedunt, *Si motus primus necessariò eliceretur, necessariò etiam cõtinuaretur.* aliàs neque ad meritum, neque demeritum imputaretur accedente deliberatione: ergo neque necessariò elicitur à voluntate, si ab ea procedit. Probatur consequentia, eiusdem causæ ad eundem effectum idem est modus operandi, seu efficiendi, & continuandi ipsum, si cætera manent; sed hîc cætera manent, quia manet eadem inclinatio voluntatis, manet apprehensio obiecti delectabilis: v.g. quæ non corrigitur per iudicium sequens intellectus, quo dignoscitur esse contra legem; sed ponitur ratio inhonesti adiuncta delectabili, vel ei connexa: ergo voluntas hoc non obstante necessitatur ad obiectum, quamdiu eius apprehensio prior manet, quæ neque errorem includit, neque falsitatem, neque repugnat cognitioni subsequenti.

Responsio. Dices voluntatem accedente deliberatione posse producere actum contrarium, & sic desinit prior.

Impugnatio. Contrà. Inclinatio determinata voluntatis, & necessaria prædominatur ipsi, & suæ inclinationi indifferenti, & liberæ: ergo sequitur necessariò *Voluntas sequitur inclinationem necessariam elicitam.* illam in operando quandocunque obiectum est applicatum, sub vtraque ratione, nempe indifferenti, & determinata. Sed indifferenter inclinatur ad bonum rationis, quod proponitur in deliberatione, necessariò verò in bonum apprehensum ex hypothesi in sententia opposita: ergo &c. Antecedens videtur notum, quia inclinatio indifferens sequitur naturalem, si quæ est, quia eatenùs voluntas inclinatur in bonum indifferens, quatenùs illud se habet ad bonum, ad quod necessitatur voluntas, & quia indifferenter se habet ad ipsum, ideò indifferenter voluntas respicit hoc. Vnde si necessariò se haberet, necessariò etiam amaretur; ex principiis Scholæ *Ratio D. Thom.* contrariæ. D. Thomas enim hac ratione probat voluntatem necessitari quoad specificationem ad amandum, non solùm bonum in communi, sed etiam *viuere, esse, & intelligere*, quæ sunt connexa *Indifferentia reducitur ad necessarium.* fini in communi necessario. Deinde, hac ratione probat aliquos motus necessarios in voluntate, quia cùm motus indifferens sit instabilis, debet reduci ad aliquod fixum, & stabile, sicut omne *per accidens* ad aliquod *per se*, conclusiones ad principia, sic motus contingens, & liber voluntatis reduci debet ad aliquem eius motum per se, qui necessariò inest, & inuariabiliter; hi autem motus sunt illi actus, ad quos necessitatur voluntas ab intrinseco.

Quidquid sit de veritate huius; est fundamentum sententiæ oppositæ, & consequenter positum ex principiis eius; quamuis in Schola nostra hæc indifferentia motus, & accidentalitas quæcunque inest (saluatis illis etiam principiis, quòd omne *per accidens* reducatur ad aliquod *per se*, quod est Philosophi, & omnes admittunt, sicut omne *secundum quid* ad suum *simpliciter*, & imperfectum ad perfectum, obliquum ad rectum) motus, inquam, voluntatis reducitur ad ipsam voluntatem, tanquàm ad principium vniforme in actu primo consideratum, vt tradit Doctor *in 2. d. 25*.

Patet idem antecedens, quia hac ratione docent voluntatem supposita clara Dei visione necessitari ad finem vltimum amandum, ita vt nulla ratione in eo statu posset vti libertate, & inclinatione sua indifferenti ad amandum bonum aliquod indifferens contra inclinationem visionis, quantumlibet apprehensum. Hac etiam ratione multi Doctores, qui sequuntur oppositum conclusionis, conantur impugnare asserentes voluntatem prædeterminari Physicè à Deo per qualitatem impressam, quia voluntas non potest vti sua inclinatione indifferenti, cui prædominatur talis qualitas, vel decretum Dei absolutum, aut iudicium practicum, aut imperium, si statueretur in intellectu. quo posito necessariò sequitur electio in se, & ad eum finem concipitur ab assertoribus. Hac etiam ratione omnes concedunt stante intentione efficaci finis, non posse voluntatem ferri in oppositum; sed magis prædominatur voluntati sua inclinatio innata, quà necessariò fertur in obiectum, quàm aliquid horum, quod extrinsecùs accedit: ergo nequit contra suam inclinationem naturalem, & simul exercitam vti inclinatione indifferenti circa obiectum, ad quod primo modo inclinatur: sed hoc est falsum secundùm omnes, & oppositum est fidei in materia, de qua agimus, quia in potestate voluntatis est repellere illos motus, & habere actum contrarium accedente deliberatione circa obiectum: ergo magis conforme est experientiæ & principiis, vel illos motus non esse elicitiuè à voluntate, vel certè esse ab ipsa liberè, & non necessariò. 70 *Alia ratio ad idem.* *3. Ratio ad idem.* *4. Ratio ad idem.* *Reductio ad propositum.*

Si dicas hoc idem argumentum posse retorqueri in nos, qui dicimus saltem affectiones simplices, id est, quæ sequuntur ex apprehensione simplici conuenientis esse in voluntate necessariò, & passiuè se habente per modũ subiecti. *Responsio.*

Contrà. Nos de facili expedimus hanc difficultatem, quia inclinatio actiua, & libera voluntatis in exercitio prædominatur suæ inclinationi passiuæ, & obiecto, & intellectui: accedente enim deliberatione potest dissentire obiecto, qui dissensus expellit affectionem contrariam, saltem ratione affectionis contrariæ sequentis, nempe tristitia ex odio peccati, vt opponitur rationi, & iustitiæ, & imperando intellectui, vt summoueat apprehensionem obiecti delectabilis, diuertendo ad alia, & huiusmodi. Si tamen voluntas ex inclinatione actiua ferretur in obiectum necessariò eliciens actum, non esset in potestate eius fuga obiecti; aut alia prædicta, qui eadem necessitate ferretur in actum quantùm ad continuationem eius, atque etiam in reliqua per se connexa, ac proinde firmaret intellectum necessariò in eius apprehensione vt *suprà* probatum est, ex Doctore contra Henricum. *Impugnatio.*

Secundò principaliter probatur conclusio. Voluntas est appetitus cum ratione operans, vt distinguitur ab appetitu animali: ergo sic operari cum ratione, id est, indifferenter, vt intendit Philosophus, est differentia voluntatis ex modo operandi. 71 *1. Ratio. Ex differentia voluntatis ab appetitu.*

Dices

Responsio. Dices esse liberum actum voluntatis, vt est à proposito: non tamen esse liberum per indifferentiam, esse indifferentiam essentialem eius; quia sic operari competit ipsi, vt supponit deliberationem.

Impugnatio. Contrà, libertas hæc non competit voluntati per intellectum, aut obiectum, & competit ipsi in ordine ad obiectum creatum saltem: sed eiusdem potentiæ circa idem obiectum est vnus, & idem modus operandi: vel ergo semper necessarius, vel semper liber; illud est falsum: ergo hoc verum. Subsumptum probatur; quia ex natura obiecti, inquantùm motiuum, aut terminatiuum, non variatur ratio eius, neque ex parte potentiæ inclinatio, nisi attingitur diuersa ratio in obiecto. Ex his colligitur identitas, aut difformitas operationis: ergo sine variatione in altero horum non sequitur diuersitas operandi; idem autem obiectum proponitur in apprehensione, & iudicio, quod sequitur naturam apprehensionis: & proponitur sufficienter per apprehensionem in ratione volibilis, & nolibilis secundùm aduersarios.

Idem est ordo potêtiæ ad idem obiectū vniformiter propositum.

72 *Confirm.* Confirmatur, quando deliberatio accedit, & continuatur actus à voluntate, vt quando approbatur, v. g. complacentia elicita à voluntate, non variat rationem formalem obiecti, sed perfectiùs repræsentat rationem formalem eius per comparationem ad omnia, ad quæ debet comparari in ratione boni, & mali, secundùm naturam ipsius obiecti respectiuè, & in quibus consistit eius conuenientia, vel disconuenientia. Ponamus autem obiectum esse bonum, & secundùm affectionem commodi, & secundùm affectionem iustitiæ: ergo in eo casu magis deberet necessitare voluntatem, quàm simplex apprehensio. Patet consequentia, quia bonum necessitans voluntatem, quo perfectiùs proponitur in ratione boni, eò perfectiùs necessitat, vt patet in fine vltimo proposito per claram visionem eius, in sententia aduersariorum; sed in confesso est tunc non necessitari voluntatem ad continuandum actum; ergo sequitur non necessitari ad eius productionem.

Motus volūtatis accedēte delibera tione liberè continuatur.

73 *3. Ratio.* Tertiò, deliberatio requiritur ad ea, quæ sub consilio sunt; sed bonitas finis, vt obiecti non cadit sub consilio semper, sed media: ergo complacentia finis potest esse ex sola eius apprehensione; sed in tali complacentia potest esse meritum: aut demeritum: ergo exercitium libertatis non necessariò supponit iudicium, aut compositionem. Et consequenter potest esse ex sola simplici apprehensione exercitium illud cum sufficienti aduertentia sine deliberatione, quæ est ex iudicio, & discursu.

Circa finem non est deliberatio.

Confirm. Confirmatur, voluntas est impossibilium ex Philosopho 3. Ethicorum. Sed ostensio illa impossibilis non est per compositionem obiecti ad esse, & causas, quas cognoscitur non habere ex apprehensione eius qua impossibilis est, quam tamen sequi potest complacentia in voluntate vel absoluta, vel conditionata, circa ipsum impossibile: v. g. si primus Angelus lapsus voluit sibi æqualitatem Dei, in eo non fuit error, aut deceptio, quia hæc supponunt peccatum.

Volūtas circa impossibile peccat.

Item, derelictus à medicis infirmus, aut damnatus ad mortem amat vitam, quam apprehendit vt impossibilem conseruari, & ideò tristatur sine vllo errore in intellectu. Hæc autem ostensio impossibilis, in quod inclinatur liberè voluntas, non est per compositionem intellectus, quâ iudicaretur bonum respectu voluntatis, quia conueniens ipsi, aliàs talis compositio esset erronea, cùm obiectum sit impossibile, & staret etiam cum actu contrario, quo apprehenditur vt impossibile: ergo complacentia libera voluntatis sequitur apprehensionem illius obiecti, quod impossibile cognoscitur; in illa autem complacentia potest esse meritum, aut demeritum, & consequenter exercitium libertatis, sequendo solam apprehensionem obiecti.

Non fuit error antecedens lapsum in Angelo. Aliud exemplum.

Dices cum tali apprehensione stare iudicium de non prosequendo obiecto, quia vetitum est, & quo ostenditur disconueniens operanti, quia impossibile est, & inordinatè appetitur. *Responsio.*

Contrà: contra inclinationem illius iudicij operatur voluntas sequendo apprehensionem tantùm, quia non appetit illud quà vetitum est, sed quà delectabile, vt proponitur per apprehensionem, & complacet contra inclinationem illius iudicij, quod docet fugiendum: ergo, quod est intentum, voluntas potest eligere, seu operari liberè sequens solam apprehensionem simplicem, & consequenter non sequitur quòd operetur necessariò ex eo quòd non præcedat deliberatio per iudicium, aut discursum inclinans ad prosecutionem, aut fugam obiecti. *Impugnatio.*

Dices secundò iudicium illud de impossibilitate, & prohibitione conducere ad libertatem, quia ponit indifferentiam obiectiuam ex parte intellectus, repræsentando obiectum sub ratione mali, quamuis voluntas non sequatur inclinationem iudicij. 74 *Responsio.*

Contrà. Hæc eadem indifferentia habetur per apprehensionem, vel haberi potest, vt *infrà* probabitur, quia est obiecti impossibilis; nam potest prohibitio, & impossibilitas, vt afficiunt obiectum, apprehendi simul ita vt obiectum in recto; hæc autem vt adiacentia in obliquo, sicut Petrus apprehendi potest respectiuè ad albedinem, albedo ad extensionem, quia sic per sensum cognosci possunt vnico actu simplici, sicut repræsentari per vnam speciem, iuxta sententiam eorum, qui negant sensibile commune habere speciem propriam. Deinde, per apprehensionem potest repræsentari bonum in sua specie, & particulare, & limitatum, & vt conueniens operanti, siue in *esse* moris, siue in *esse* naturæ: ergo obiectum vt afficitur prohibitione, quod est in se delectabile: ergo indifferenter sic repræsentat. *Impugnatio.*

Simplici apprehensione concipi posse obiectum cū circumstantiis.

Quartò ad idem, voluntas operans circa prohibitum, & liberè, non operatur ex motiuo mali, quà malum est, vt probauimus contra Nominales, neque requiritur ad imputationem actus aliud, quàm quòd apprehendat prohibitionem vt annexam operi: neque requiritur aliud dictamen de opere fugiendo, quia plerúmque voluntas inordinata diuertit intellectum à tali dictamine, vt minùs retrahatur à fine inordinato, quem affectat, & sine remorsu in eo quiescat, vel ad illud delectabiliùs moueatur: ergo non solùm regula operandi consistit in genere in actu compositiuo intellectus; sed etiam quandoque in ipsa apprehensione, contra quam si fiat, opus imputatur: ergo voluntas media apprehensione obiecti prohibiti potest liberè nolle, vel non velle obiectum, quod prosequitur: ergo etiam liberè operando sequi solam apprehensionem. Patet consequentia: quia illa cognitio, quæ sufficit 75 *4. Ratio.*

sufficit ad exercendam libertatem quoad fugam, eadem etiam sufficit ad exercendam eandem quoad prosecutionem: ergo si maneret sola illa apprehensio obiecti, posset sequi libertas in voluntate quoad actum simplicem complacentiæ, aut displicentiæ. Probatur consequentia, quia repræsentat in obiecto totum, quod requisitum est ad vtrumque actum contrarium, quia repræsentatur sub ratione propria, qua est delectabile, & commodum: & sic in ordine ad prosecutionem simplicem, repræsentatur vt prohibitum, & vt est contra affectum iustitiæ, & bonum rationis, & consequenter vt obiectum fugæ: ergo in ordine ad libertatem exercitij, & contradictionis sufficeret sola apprehensio talis sine vlteriori compositione intellectus.

Sufficere apprehensionem ad actum peccaminosũ.

Deinde, formando casum aliter. Voluntas per modum naturæ secundùm aduersarios eliciens actum potest illum continuare accedente aduertentia rationis, qua cognoscitur esse malus, aut bonus, sicut dicunt communiter motus primò primos transire in liberos accedente sola aduertentia rationis. Tunc ergo voluntas continuat eundem actum sequendo apprehensionem; nam quæ sufficiebat ad productionem, sufficit etiam ad continuationem actus, nec requiritur diuersus conatus voluntatis; mutatio autem, quæ accedit, est tantùm ex parte intellectus per cognitionem, contra quam, aut secundùm quam actus continuatur, quæ posterior est, ac proinde nihil variat in eo quod est prius, nec quidquam influere potest, maximè si aduersatur, sed potiùs quantùm est ex se, retrahit, reprobando actum: si ergo antecederet apprehensio sola prohibitionis, ille actus primò eliceretur liberè, quamuis nulla esset intellectio compositiua, aut formatum iudicium, aut discursus. Hoc ergo dato, habemus illud, quod præcipuè intendimus, exercitium libertatis non exigere compositionem intellectus, aut iudicium, sed sequi posse ex sola apprehensione, atque in ea reperiri sufficientem aduertentiam, & repræsentationem, ad hoc vt voluntas simplici complacentia liberè feratur in obiectum. Cùm ergo omnis apprehensio particularis obiecti creati proponat ipsum sub ratione limitati boni, ex qua propositione etiã in sententia aduersariorum sequitur obiectum proponi indifferenter, nullum superest fundamentum, vt dicatur voluntas necessitari ad actum circa obiectum creatum in particulari: nam quòd dicunt ex perfectione conuenire voluntati, vt sic necessariò operetur, & non liberè, sicut ex perfectione ipsi conuenit vt necessariò operetur circa finem vltimum clarè visum, non subsistit; dato enim hoc non sequitur primum, quia nulla est inclinatio voluntatis, qua necessitetur ad obiectum, quod non est vltimum perfectiuum eius, qualis est finis vltimus, aut per quam necessitetur ad obiectum indifferens, & indifferenter propositum; quæ propositio semper fit per apprehensionem boni creati sub ratione propria. Nec perfectionis est vt feratur necessariò in bonum inferius, & sensus; quale sæpè est illud, quod apprehenditur: neque perfectio voluntatis potissima in operando debet attendi in ordine ad intellectum imperfectè concipientem, & proponentem obiectum, quia sic minùs perfectè ipsum obiectum, in quo tanquàm in termino extrinseco suæ operationis, à quo sumit hæc speciem, perficiatur, ipsi voluntati coniungitur, quia perfectio voluntatis maximè attenditur in operando, ex directione, & inclinatione rationis rectæ: quia perfectio voluntatis defectibilis in operãdo sumitur per ordinem ad regulam rectã.

Continuatio motus primi accedẽte deliberatione.

Necessitari voluntatem ad motum primum non est perfectionis.

Et si dicas perfectius esse operari necessariò, quàm liberè; quamuis id concederetur simpliciter: non tamen quoad perfectionem in genere determinato voluntatis defectibilis; cui talis modus operandi non conuenit; neque id perfectionis est, si comparetur ad quodcunque obiectum in se imperfectum, quia neque in voluntate indefectibili esset perfectionis necessariò operari circa obiectum creatum, sed contrarium in ipsa est perfectionis. 76

Responsio reiicitur.

Denique, qui statuunt hunc modum operandi in voluntate ex imperfectione, nempe ex defectu cognitionis requisitæ, illud certa ratione non probant, quia vt iam apparet ex dictis, cognitio præuia datur sufficiens, sicut simpliciter ad actum, sic etiam ad indifferentiam eius; neque requiritur illud genus deliberationis ad complacentiam simplicem, quæ est ad intentionem efficacem, & electionem, quia in illa sufficit apprehensio obiecti sine ordine eius ad media, aut ad finem, & alias circumstantias, quæ per compositionem cognoscuntur: hæc autem in nobis plerumque ad intentionem & electionem necessaria sunt.

Non oriri illam necessitatem ex imperfectione voluntatis.

Quintò ergo probatur conclusio, & confirmatur ratio præmissa cum aliis: eatenùs requiritur in nobis discursus, aut formatum iudicium, vt proponatur plena cognitio obiecti, vt conforme est, aut difforme rationi: ergo si per solam apprehensionem complexi, nempe obiecti vt prohibiti, haberi potest talis cognitio, habetur totum, quod requiritur ad exercendam libertatem, haberi autem talem apprehensionem posse, ex dictis patet, & nulla est repugnantia: ergo illa cognitio erit sufficiens attentio, & ostensio obiecti. 77

5. Ratio.

Et probatur, ideò compositio requiritur per modum affirmationis, aut negationis, quatenùs ordo determinatus prædicati ad subiectum cognoscatur, atque ipsum prædicatum inesse subiecto: v.g. hoc subiectum esse prohibitum lege, aut esse conforme legi; sed per apprehensionem illius complexi cognoscitur talis ordo determinatus prædicati ad subiectum, atque adeò ipsum prædicatum inquantùm inest, vt pars concepti: ergo est sufficiens ostensio. Atque hinc visio beatifica, cogitationes plures Angelorum simplices, visio intuitiua cognoscunt, & repræsentant coniunctionem rerum euidenter sine omni compositione, súntque plena cognitio obiecti ea sola ratione, qua repræsentant obiectum in seipso cum adiunctis. Vnde quòd nos non perueniamus ad cognitionem perfectam aliquorum sine compositione, & discursu per plures collationes, & media notiora, est ex imperfecto modo intelligendi nostro pro hoc statu. Angeli autem & intellectus intuitiuus simplici intuitu comprehendunt perfectiùs ea, quæ nos vix ex collatione imperfectè cognoscimus, & terminus, seu finis nostri discursus est, vt cognoscamus vnionem inter extrema: ergo si per cognitionem alicuius complexi appareat perfectè talis vnio, sufficit ad plenam cognitionem requisitam ad libertatem volũtatis. Vnde visio beatifica, quæ est actus simplex, sufficit ad amanda in Verbo liberè obiecta secundaria; sic etiã artifex agit conformiter

Cognosci per simplicẽ apprehensionem obiectum vt prohibitum, vel contra.

Exempla.

Necessitas discursus in nobis.

Artifex. formiter ad exemplar, cuius habet in mente formatum idolum in cognitione simplici, causatum per varias collationes, & discursus, quorum est terminus, & liberè voluntas sequens eandem simplicem repræsentationem exemplaris dirigit potentias inferiores ad formandum exemplatum: sic etiam extatici habent plures actus interiores voluntatis circa diuina, ex simplici intuitu, secluso discursu, & collatione, quæ cum extasi non cohærent, quia distraherent intellectum ad alia, ita vt non fixè, & stabiliter adhæreret primo obiecto, in quo quiescit voluntate, sicut & intellectu. Sic lumen Propheticum etiam inclinat mentem ad simplicem intuitum, quando res in seipsis monstrantur absentes, vel futuræ. Patet ergo per cognitionem simplicem haberi posse exercitium libertatis.

Extasis.

Lumen propheticum.

78 *Interrogatio.* Si petas cur in nobis exigatur collatio, & discursus ad plenam cognitionem obiecti, si ex natura rei talis non petatur?

Responsio. Respondeo ex eo prouenire, quia obiectum quandoque in se non mouet, neque cognoscitur, nisi per species valdè vniuersales, in quibus connexio eorum, quæ ipsi conueniunt ex natura sua, non repræsentatur in particulari; vt ergo ad eam cognitionem perueniamus, necessum est procedere per viam diuisionis, & collationis obiecti ad alia, cum quibus conuenit, & differt, donec tandem ad propria constitutiua, vel ad hæc proximè accedentia perueniamus. Sic Metaphysicus per viam inquisitionis ex creaturis format conceptum entis infiniti, qui licèt per discursum habeatur, est tamen conceptus simplex, qui vnico actu simplici apprehensionis repræsentari potest: sic artifex format exemplar per varias collationes, cuius mox simplex intuitio, seu apprehensio æquiualet prioribus discursibus, & compositioni: eodem ergo modo dicimus, simplicem apprehensionem alicuius complexi æquiualere quantùm ad ostensionem, & repræsentationem cognitioni complexæ; ac proinde rectè ex ea sequetur exercitium libertatis sine compositione: ergo apprehensio boni limitati sub ratione particulari æquiualet in repræsentando huic compositioni, qua iudicatur illud esse bonum, & esse limitatum, illud esse bonum delectabile, & esse prohibitum. Potest similiter apprehendi vnico actu, qui æquiualebit similiter compositioni illorum extremorum, quantùm ad ostensionem, quæ prærequiritur ad exercitium libertatis, repræsentando illa extrema vnita, quod est intentum.

Ordo discursus.

Inquisitio de Deo.

Simplex apprehensio æquiualet cōpositioni.

6. Ratio. Sextè, In motu primò primo, vel vt vocant, secundò primo, potest esse peccatum veniale, etiamsi materia sit grauis, ex defectu aduertentiæ; quòd si esset plena, esset peccatum mortale, quod admittunt aduersarij: ergo voluntas exercet suam libertatem in tali casu peccaminoso, aliàs non posset esse peccatum. Quæro ergo tunc; an habeatur iudicium de malitia talis actus: si sic: ergo erit peccatum mortale cum sufficienti aduertentia rationis: si non habet iudicium, ergo sola apprehensio erit sufficiens ad peccatum, cùm alia cognitio infra iudicium haberi nequit.

Fieri veniale in materia graui ex inaduertentia.

79 *Responsio.* Responderi potest haberi iudicium imperfectum.

Impugnatio. Contrà, Ideò imperfectum, quia vel confusum: hoc non excusat, sicut neque ignorantia crassa, cum qua intellectus habet minorem aduertentiam, & expressionem mali. Vel ideò imperfectum, quia remissum; sed hoc non iuuat, quia operatur cum expresso, & formato iudicio, & consensu, vel dissensu intellectus præuio, in quo consistit vsus plenus rationis. Vel ideò imperfectum, quia virtuale iudicium, vt ipsi vocant; sed virtuale iudicium est iudicium in apprehensione, ex qua causatur iudicium: ergo intentum.

80 *Obiectio.* Dices hoc idem argumentum fieri posse contra nos, quia etiam data apprehensione quæritur cur non sit peccatum mortale?

Soluitur. Respondetur, Propter imperfectam aduertentiam, & applicationem intellectus ad obiectum, qui distrahitur circa alia fortiùs mouentia, quæ distractio non facilè contingit in intellectu componente, & assentiente, vel dissentiente, qui actus non habetur nisi per collectionem virium intellectus, circa obiectum, cui assentit, vel dissentit, sicut neque discursus. Dubitatur enim, & meritò, quia experientia fauet; An simul intellectus possit habere plures assensus circa obiecta disparata pro hoc statu simul, quorum vnum ex alio non dependet? non ita dubitatur an possit habere plures apprehensiones.

Vnde contingat inaduertentia excusans.

Confirm. Confirmari potest argumentum ex sententia e · um, quos in fauorem cōclusionis adduximus, asserentium motus quoscunque etiam sensualitatis, qui sequuntur ex imaginatione rei illicitæ, esse peccata; ad hos enim motus difficulter saluari potest iudicium formatum intellectus, quidquid sit de veritate ipsius opinionis in se; quam præter citatos tenet Magister *in 2. dist.* 24. Altisiodorensis *lib.* 2. *summ. tract.* 28. *cap.* 1. Parisien. 2. *tract. de matrimonio cap.* 7. Alensis, 1. *part. quæst.* 125. *art.* 1. D. Bonauent. *dist.* 24. limitantes ad illum motum, qui oritur ex suggestione, & imaginatiua approbatione; quæ sententia supponere debet exercitium libertatis ex apprehensione.

Peccatum in sensualitate.

81 *Obiectio.* Obiiciunt primò illud Aristotelis 3. *Eth. cap.* 2. vbi ait quæ à nobis repentè fiunt, à nobis non per electionem, sed necessariò fieri.

Responsio. Respondet Doctor *in 2. dist. 6. quæst.* 1. *ad* 1. electionem sumi æquiuocè: vno modo pro actu voluntatis consequente plenam apprehensionem obiecti, vt cùm peccare quis dicatur seclusa perturbatione in intellectu, aut passione in voluntate. Alio modo, vt quando quis dicitur eligere post conclusionem syllogismi practici, post scilicet consultationem de medio necessario ad assequendum finem. Primo modo electio potest esse impossibilium: secundo modo possibilium tantùm est; nam syllogismus practicus ex fine concludit illud, quod est ad finem. Philosophus autem loquitur de electione secundo modo; nam distinguit eam contra concupiscentiam, iram, & voluntatem: *Sed neque voluntas*, inquit, *esse* (supple electio) *quamuis propinqua esse videtur: electio enim non est impossibilium*, &c. *voluntas autem impossibilium est, puta immortalitatis*, &c. *Adhuc autem voluntas finis est magis; electio autem horum, quæ sunt ad finem, puta sanitatem, volumus; eligimus autem per quæ sanierimus*, &c. Denique, loquitur Philosophus de repentinis ex passione, & concupiscentia, in quibus quandoque est peccatum, quandoque non est: vnde aduersarij ad idem respondere tenentur; quamuis enim quandoque aduertentiam aliquam supponunt, repentina esse non desinunt, quia secundùm delectationem, & tristitiam, concupiscentiam, aut iram, rapiunt voluntatem, vt etiam humano modo operetur, & repentè, quod non probat eam non operari liberè. Aliquando hi

Electio æquiuocè sumitur.

2. Responsio.

hi motus, dum sunt in appetitu sensitiuo, etiam antequàm voluntas consentiat, rapiunt secum potentiam motiuam externam, vt aliquid faciat ex instinctu appetitus, non ex directione rationis, vt patet in stultis, & amentibus, & etiam dormientibus, in quibus sopitur ratio.

82 *Obiectio 2.*

Obiicies secundò, quòd pueri, & amentes essent liberi; sed hoc est absurdum, quia in eis nullum est peccatum: sed vbi vsus libertatis in viatore, potest esse peccatum: ergo, &c.

Responsio. Discursum sine deliberatione aliqui statuunt in pueris.

Respondetur variè iuxta placita Doctorum. Alij admittunt in his discursum, & non deliberationem; vt Victoria *in relectione de puero veniente ad vsum rationis part.* 1. *num.* 4. *propos.* 3. Angestus *in moralibus cap.* 6. Corduba *lib.* 1. *quæst.* 9. 23. *dub.* 4. *not.* 3. *& lib.* 2. *quæst.* 10. *de ignorantia.* §. *Respondeo ad replicam.* Cumelius 1. 2. *quæst.* 71. *art.* 6. *disput.* 1. *conclus.* 2. *& quæst.* 74. *art.* 3. *disput.* 1. *concl.* 1. *&.* 5. *quæst.* 89. *art.* 6. *disp.* 1. *in* 1. *præmisso.* Et latiùs 1. *part. quæst.* 14. *art.* 13. *in noua appendice* 2. *editionis.* Molina 1. *part. quæst.* 14. *art.* 13. *disput.* 2. Vasquez 12. *disp.* 25. *cap.* 3. *& disput.* 139. *cap.* 1. *in comment. ad quæst.* 13. *art.* 2. Et plures alij. In contraria sententia est Medina 1. 2. *quæst.* 10. *art.* 3. *concl.* 2. Adam. *in* 1. *sentent. quæst.* 2. quam probabilem existimant Victoria, & Corduba *suprà.* Salas, Fonseca, & alij etiam sequuntur eandem opinionem. Sed in hoc parùm immorandum est, cùm nequeat haberi certa regula, sicut neque certum medium in pueritia, & amentia, iuxta priorem opinionem, quæ magis communis est (quæ saluat aliquam libertatem in illis) respondendo nihil vrget argumentum.

Sententia opposita.

83 Sola difficultas est quomodo saluando libertatem non saluetur in iisdem capacitas doli, & peccati: nam aliqui, vt Cumel, & Ledesma *in* 1. *part.* 4. *quæst.* 71. *art.* 1. tribuant eis libertatem politicam, & artificialem, & moralem, & hanc negat Ledesma in ignorante Deum inuincibiliter: quam distinctionem tenet Camerarius *lib.* 1. *de lib. arb. cap.* 4. Hæc distinctio non rectè sumitur ex parte voluntatis: nam si habeat dominium sui actus, & completam potentiam, per accidens est vt illam exerceat in hac, aut alia materia. Admitti tamen posset, quando est defectus ex parte intellectus non potentis attingere obiectum morale, neque apprehendere bonum quà bonum, aut malum oppositum; neque rectam rationem obiectiuam, vt legem formaliter; quamuis aliqua alia obiecta sensibilia, vt artificialia attingere, quæ sensum exercent, & in iis aliquo modo discurrere; ad vniuersalia autem, & merè spiritualia non assurgeret, in quibus sicut deficit in discursu, sic etiam in apprehensione: nam si posset apprehendere obiectum quà tale formaliter, non subest ratio quin circa illud componere, & discurrere posset, modò in aliis exerceat hanc facultatem. Patres etiam admittunt ex parte illam distinctionem quantùm est ad posse proximè operari, qui dicunt in politicis, & ad peccandum hominem post lapsum habere facultatem operandi, vt author Hypognostici; ad bonum autem nisi adiuuetur, non habere potestatem.

Libertas quæ ab aliquibus tribuitur pueris.

Saluari potest ex impedimento intellectus nō voluntatis.

Libertas ad politica.

Signum libertatis.

Signum libertatis est, quando increpationibus, præmiis, pœnis, consilio, laude, & vituperio ducuntur; quando autem in eis non est vsus libertatis, sic neque aliquis voluntatis, sed quidquid faciant, faciunt instinctu appetitus sensitiui. Quid enim probat à priori, aut posteriori in iis dari aliquem actum necessarium voluntatis, & ad quid conducit? cùm voluntarium in iis non saluatur ex Philosopho aliter, quàm in brutis; vel quænam experientia probat talem actum in operibus ipsorum? Nam si quæ experientia probat dari actus necessarios voluntatis, illa solùm habetur in iis, qui compotes sunt rationis, & ponitur in motibus repentinis, quos contrarij putant esse actus elicitos voluntatis. Ex quo patet ad obiectionem, vel concedendo iuxta primam sententiam in aliquibus vsum libertatis: & sic negatur subsumptum cum eius probatione, quamuis concedi posset etiam probatio iuxta mensuram discretionis. Vel secundùm aliam opinionem negando sequelam: sed prior opinio magis placet, nisi omnino sint ita amentes, vt perturbetur in iis omnis vsus rationis, sicut contingit in furiosis. Vnde quicunque apprehendunt bonum per intellectum, possunt etiam exercere libertatem voluntatis circa illud genus boni, qualecunque sit.

Non esse in eis libertatē.

Responsio ad obiectionem.

Obiicies terriò sequi motus primò primos esse imputabiles; sed hoc est rigorosum, neque admittitur ab omnibus: ergo, &c. Sequela patet; quia sunt actus eliciti voluntatis, & consequenter per se liberi: ergo sunt sub dominio eius, ac proinde imputabiles. Minor etiam patet, quia non sunt in nostra potestate, quia impossibile est quin visis tangamur, ex Augustino, & experientia constat esse necessarios. 84

3. Obiectio.

Ex motibus primò primis.

Respondetur hos motus esse varios. Primi sunt appetitus sensitiui, vndecunque oriantur, vel ex dispositione corporis, vel ex approbatione phantasiæ, vt vocant; tales sunt prosecutio, & delectatio circa appetibile, vel his contraria circa illud, quod fugit.

Responsio.

Deinde, actus & delectatio in voluntate consequens ipsum actum, vel quandoque antecedens.

Pro nunc supponimus ex dictis *suprà quæst.* 7. affectiones, quæ passiones dicuntur, non esse actus elicitos voluntatis, quidquid dixerint aduersarij, sed impressiones ab obiecto conueniente, vel disconueniente causatas, vt est præsens in intellectu, esse autem necessarias, omnes penè concedunt in seipsis, quamuis in causa possint esse liberi. Redditur autem quandoque obiectum conueniens voluntati, aut disconueniens per actum elicitum, inquantùm scilicet volitum, aut nolitum: v. g. tristitia de peccato, sequitur ad nolitionē peccati considerati, vt præsentis. Hæc etiam conuenientia, aut disconuenientia non solùm fundatur in actu elicito voluntatis, sed etiam in inclinatione eius ex habitu vt malè affecto, occursus inimici est causa commotionis, & acerbitatis repentinæ, sine præuia volitione elicita, aut nolitione: aliquando etiam fundatur in inclinatione naturali voluntatis, vt puta quando obiectum naturaliter concupiscibile est, vel ex connexione voluntatis cum appetitu sensitiuo, vel ex natura ipsius voluntatis: vtraque modo potest causare passionem secluso etiam actu elicito, & præuiè ad ipsum. De his fusiùs in illa quæstione dictum est.

Passiones non esse actus elicitos; earum causa multiplex.

His suppositis, ad argumentum respondeo motus omnes tales tam proprios, quàm appetitus præuenientis voluntatem non esse proximè in potestate voluntatis, quamuis aliquando remotè, vt si præuisi sunt in causa, quæ est voluntati subiecta. Quando ergo neque in causa sunt præuisi, non sunt peccata: quando secùs, sunt peccata, quia 85

Responsio.

Quando sunt peccata, quãdo non, etiam præuisi motus.

ad imputationem effectus (loquor de inordinatis iuxta intentum argumenti) sufficit libertas eius in causa: non dico tamen omnes etiam motus præuisos imputari ad peccatum, quando subest legitima causa operandi, & necessitas, quamuis fortè oborturus eiusmodi motus præuideatur, aut certè, aut probabiliter, modò subsit securitas non consentiendi, vt loco suo dicetur, explicando in specie quando imputabiles sunt. Reliqui autem motus, qui consequuntur ad actum voluntatis, sunt imputabiles in peccatum, si mali sunt, vel inordinati, modò cætera adsint, nempe aduertentia ad legem, cui repugnant, & huiusmodi (quia sunt perfectè liberi in sua causa) modò adsit, inquam, aduertentia ad legem, in quocunque actu fundetur; nam aliquando apprehenditur obiectum absolutè in ordine ad inclinationem aliquam voluntatis, absque eo quòd apprehendatur per ordinem ad regulam, seu legem: & quamuis fiat liber, excusatur à malitia propter inaduertentiam, seu ignorantiam inuincibilem iuxta communem ex definitione illa *voluntarij*, per illam particulam, *singula sciente in quibus est operatio.*

Motus consequentes voluntatem.

86 *4. Obiectio.*

Obiicies quartò. Ad operationem collatiuam voluntatis requiritur collatio intellectus: ergo non sufficit apprehensio, seu simplex actus intellectus.

Responsio.

Respondetur, quando prærequiritur collatio intellectus id prouenire, quia complexio, aut ordo obiecti aliàs non est cognitus in ordine ad ea, ad quæ comparari debet, aut ordinari, id tamen per accidens est ex imperfecto modo cognoscendi pro hoc statu. Vnde si daretur, vel quando datur cognitio simplex, vt in artifice, quæ æquiualet cognitioni complexæ, quantùm ad ostensionem, sequeretur collatio in voluntate, vel sequi potest, cùm nihil aliud exigat præter applicationem obiecti. Ad simplicem autem complacentiam obiecti non exigitur collatio in voluntate, aut intellectu, quia non est obiecti, aut finis, vt comparatur ad media, sed vt in se bonum est. Vniuersaliter ergo, & semper negatur antecedens, quia voluntas ex se collatiua est supposita apprehensione extremorum, vt docet Doctor *in 2. dist. 6. quæst. 1. ad 2. & 3.* & aliàs sæpè.

Voluntas collatiua quid prærequirit.

Replica.

Dices. Supponit saltem assensum, & iudicium intellectus: ergo non sufficit sola apprehensio. Antecedens patet, quia voluntas est appetitus rationalis, seu cum ratione, sed ratio superaddit apprehensioni iudicium, & discursum: omni enim cognitiuæ, etiam in brutis, conuenit apprehendere suum obiectum: ergo ratio inquantùm superaddit aliquid apprehensioni, debet esse cum iudicio, & discursu: quia in his tantùm distinguitur homo à bruto: & pro maiori explicatione. Confirmatur, voluntas inquantùm operatur moraliter, vt principium virtutis, & vitij, debet habere regulam distinctam ab ea, qua dicitur appetitus vt sic, vel imperfectus, & irrationalis in specie; sed omnis appetitus supponit scientiam sui obiecti, saltem apprehensiuam: ergo voluntas ampliùs requirit vt operetur quà potentia rationalis, id est, indifferens. Accedit quòd prudentia sit regula virtutum, cuius actus consistit in discursu ad conclusionem practicam.

Ratio superaddit apprehensioni.

Confirm. Regula operandi.

Responsio.

Respondetur voluntatem habere regulam diuersam ab appetitu, etiam in genere apprehensionis; nam sicut operatur circa finem formaliter, mouendo se in finem, supponit apprehensionem finis, quà talis est formaliter: quando etiam mouetur in finem per simplicem complacentiam, qualem apprehensionem non supponit appetitus, qui non fertur in finem formaliter, sed materialiter tantùm. Præterea, talis apprehensio repræsentat quandoque non solùm finem per modum obiecti, sumendo notionem finis latè, sed etiam vt habet regulam annexam, cui voluntas circa finem conformari debet, nempe legem; & in hoc distinguitur ab apprehensione in genere, aut ab imperfecta sensitiua in specie. Tertiò denique voluntas dicitur rationalis, non denominatione extrinseca ab intellectu: sed quia ipsa ex se rationalis est, id est, indeterminata in operando, & magis in hoc sensu rationalis, quàm intellectus, vt ex Philosopho ostendit Doctor *in Com. ad 9. Metaphysicæ.* vnde quãdiu in voluntate saluatur indifferens modus operandi, manebit rationalis, quod verum est, siue cognitio procedat à ratione, siue à solo Deo producatur, siue etiam diceretur quòd possit operari, supposita tantùm imaginatiua, modò operaretur indifferenter. Quartò, si recurratur ad indifferentiam obiecti, & attentionem requisitam, hanc *suprà* ostendimus conuenire cognitioni simplici quoad actum sibi proportionatum, nempe simplicem in voluntate: ad hoc ergo æquiualet apprehensio cognitioni compositæ quantùm ad ostensionem. Quintò denique, si dicamus voluntatem præexigere iudicium, dicimus non requiri iudicium formale, sed virtuale, aut formale, & illud inueniri in cognitione simplici, etiam formale æquiualenter: nam iudicium formale duo includit, vel adhæsionem intellectus ad obiectum, quà aliquid in se complexum est, quæ supponit collationem, & ipsam collationem; assensus autem intellectus consistit in adhæsione, non in collatione, quia hæc superfluit, vbi vnio terminorum in se cognoscitur, cũ quà cognitione repugnat dissensus quacunque via illa habetur. Ideò in intellectu perfectè concipiente non ponitur talis collatio, quamuis in ea sit adhæsio. & assensus, & hic non repugnat cognitioni simplici, qua cognoscitur prædicatum in subiecto ex terminis per se notis ex apprehensione, quæ æquiualet adhæsioni intellectus, quo fertur in complexionem supposita collatione, & potest dici assensus in eo sensu.

Regula voluntatis, est cognitio finis formaliter.

Quomodo voluntas est rationalis.

Quale iudicium prærequirit voluntas.

Quid includit iudicium formale.

Assensus est adhæsio.

Apprehensio æquiualens compositioni.

87 *Assensus virtualis.*

Alio modo dicitur assensus naturalis, quando diuersis apprehensionibus cognoscuntur relatiuè ad inuicem, & non solùm absolutè (si enim absolutè oporret adinuenire medium per collationẽ, aut discursum, in quo vniuntur, vel cognoscũtur in re vnita, cùm alioquin non sit ratio obiectiua determinans intellectũ ad assensum) tunc habetur assensus virtualis, quia euidens causa eius cognita, nempe extrema apprehensa, vt dicunt ordinẽ ad inuicẽ explicitè apprehensum. Potest ergo apprehendi obiectum vna apprehensione, & lex vt concernit ipsum altera apprehensione, & habetur quidquid requisitum est ad actum voluntatis ex intellectu simplici; vel potest apprehendi simul totum complexum, alterum in obliquo, alterum in recto, vt *suprà* deductum est; quod sufficit ad plenam ostensionem, & aduertentiam intellectus. Et hoc est quod *suprà* in primo argumento ad conclusionem deduximus. Quotiescunque apprehenditur bonum particulare creatum sub ratione propria habere indifferentiam, quæ haberi posset ex parte obiecti per hanc compo

compositionem, hoc est bonum tale limitatum, quod requirunt aduersarij, quotquot recurrunt ad radicem indifferentiæ ex parte obiecti, aut intellectus proponentis, vt saluetur libertas formalis in voluntate: vel ergo apprehensio talis non proponit obiectum quà natum est proximè mouere voluntatem; vel proponit vt indifferens, est, & indifferenter. Ex quo patet ad argumentum *suprà* propositum: nam quod additur de prudentia, non est ad propositum, quia prudentia est habitus electiuus, & supponit tam intentionem, quàm etiam complacentiam finis vt obiecti, & versatur circa ea, quæ faciunt ad electionem, & particulares circumstantias.

Prudentia effectus, & propositio.

88 Obiicies vltimò. Voluntas passiuè se habens ad delectationem necessitatur, per te; sed stante delectatione non potest non sequi actus prosecutionis: ergo ad eum necessitatur voluntas. Patet minor; tã efficax est delectatio respectu actus sequentis, quàm ipse actus, vt supponitur respectu delectationis, quia vtraque inclinat formaliter quãtùm est de se, voluntaté in obiectum; sed non stat actus amoris, quandoque salté cum præsentia sui obiecti sine delectatione: ergo neque delectatio, vt præuia est, sine amore consequente. Deinde, delectatio vt præuia est ad actum elicitum voluntatis, videtur magis efficax ad inducendum actum, quia est secundùm inclinationem naturalem, vel habituatam, secundùm quam obiectum sit conueniens magis, quàm per actum elicitum ad inducendam delectationem, quæ est de obiecto, quod solùm est conueniens secundùm inclinationem tantùm elicitam, quæ si repugnat inclinationi naturali, & habituatæ potentiæ, fortè non inducit delectationem, vel certè remissam. Deinde, hac ratione amor efficax finis necessitat ad electionem indeterminatè, si media sunt plura; determinata verò, si vnicum tantùm est in re absolutè, aut respectu ad agens, cui non suppetit aliud, quia non est in eius facultate: sed magis est electio in potestate voluntatis, quàm amor sequens delectationem: quia illa est in potestate voluntatis saltem in causa; amor autem nequidem in causa, ad quam passiuè se habet.

Obiectio. vltima.

Necessitari voluntatem per delectationem ad actum.

Respondetur negando minorem, quia delectatio nec semper, nec necessariò infert actum, quando sequitur, necessitate, inquam, naturali, licèt excitet, & inclinet voluntatem vt agat, non vt natura tamen, sed liberè, vt patet in vocatione diuinæ gratiæ, ex Tridentino *sess. 6. cap. 5. & 6. & can. 4. vt cui potest homo dissentire, si velit.* Vocationem autem Augustinus quandoque in amore, quandoque in delectatione statuit. *lib. 1. ad Simplicianum q. 2. tract. 26. in Ioan. lib. 2. de peccatorum meritis, & remissione, cap. 2.* & aliàs *suprà* vidimus. Patet ex doctrina Patrum quoad delectationem, quæ excitatur ex suggestione fomitis, & tentationis, cui licèt consentiat voluntas, nisi specialiter adiuuetur, consentit tamen liberè, & peccando; qui consensus ipsi imputatur ad culpam. Patet idem ex progressu peccati, quem statuunt Patres, in quo vltimus terminus complens peccatum, est consensus liber voluntatis.

Responsio

Delectatio non necessitat ad actũ.

Vocatio diuina quandoque per delectationem.

Delectatio fomitis non necessitat ad consensum.

Progressus tentationis.

Ad minoris probationem, negatur antecedẽs: quia licèt tam actus, quàm delectatio insunt potentiæ, vt subiectum est; actus tamen est determinatio eius quoad virtutem actiuam, etiam formalis; delectatio verò licèt excitet potentiam, vt agat ex inclinatione sua ad obiectum conueniens: est tantùm determinatio potentiæ in ratione formæ, vt subiectum est, quæ in agendo non necessariò sequitur suam inclinationem passiuam, quia est ad vtrumlibet; sub actu verò non est ad vtrumlibet, quia determinatè sub affirmatione. Ex quo patet ad secundam probationem, & ad tertiam: nam voluntas sub intentione est determinata virtualiter ad electionem per se consequentem; quod sufficit ad tollendam indifferentiam eius ex hypothesi actus eliciti. Potest ergo delectationi dissentire voluntas, vt patet etiam in corrupta per violentiam: potest & amouere ipsam delectationem amotis causis, vt imaginatione, & apprehensione obiecti per imperium voluntatis: saluatur ergo experientia; saluatur etiam quidquid Moralistæ determinant circa motus primos voluntatis. In hac sententia Doctoris, quamuis voluntas non habeat actus necessarios per modum naturæ; & de reliquo videtur magis conformis principiis libertatis circa obiectum creatum in particulari: quod enim aduersarij contendant voluntatem nullos habere motus, aut affectiones nisi vitales ab ipsa productas, est quæstio Philosophica tam de vitalitate actus, quàm de natura affectionum, quæ suprà terminata est: & ex dictis hîc de natura voluntatis, & modo operandi eius, manet resoluta, quia ad vitalitatem actus non requiritur vt voluntas producat illam, neque necessitas illorum motuum, quatenus non sunt in potestate voluntatis, probat eos effici à voluntate; sed potius oppositum, vt suo loco videbitur.

Differentia inter actum & delectationem.

Resolutio ex dictis.

Ad alias duas quæstiones, quæ huc spectant, nempe, An voluntas necessitetur ad finem, & indifferens sit tantùm circa media. Item, an prima volitio ei insit à Deo tantùm actiuè producente, non est quòd immoremur, quia patet ex dictis quoad primam quæstionem; & quoad secundam sola difficultas est de vocatione diuina, quæ fit in nobis sine nobis, quando est per modum actus vitalis, quam cõmodiùs explicabimus (Deo fauente) in tractatu de gratia, & auxiliis, cuius proprius est locus. Licèt quæstio latiùs disceptetur 1. 2. *q. 9. art. 4.* de prima volitione cuiuscunque obiecti. videatur Vasquez *disp.* 39. vbi interpretatur D. Thomam, qui asseruit primam volitionem esse ab extrinseco; & quo sensu intelligatur ab aliis, & eum interpretatur ipse Vasquez; non vacat enim diuinare iam in re incerta, insinuauimus sententiam Doctoris in hoc, *quodlib. 21. citato ad conclusionem,* vbi dicit primam intellectionem esse ab obiecto fortiùs mouente; volitionem autem elici ab ipsa voluntate liberè. 89

Remissio aliarũ quæstionum.

Vnde causetur prima volitio.

Sufficit quantùm ad scopum præsentis disputationis de natura liberi arbitrij, & modo operadi voluntatis, saluare eius libertatem quoad omnes actus, ad quos ipsa concurrit effectiuè: libertatem, inquam, vel immediatè, vel certè mediatè, & in causa; quod dico propter electionem supposita intentione, quando medium est necessarium simpliciter, vel necessarium respectiuè ad operantem; quando aliud non offertur, quod sit in eius facultate; intentio enim respicit finem, vt est in potestate operantis: & quamuis medium aliquod simpliciter possibile sit, respectu operantis potest esse impossibile, vel se habere vt impossibile.

Omnis actus elicitus à voluntate est liber.

Vtrùm

Vtrùm voluntas possit habere puram omissionem?

90 *Sententia negatiua.* Proponitur quæstio sub aliis terminis: An scilicet detur voluntarium absque omni actu? Sic eam mouet D. Thomas 1.2.*q.*6.*art.*3. quo in loco Conradus, Medina tenent partem negatiuam, *&* *q.*71.*art.*5. Caiet. 1.*part.q.*63. *art.*5. & videtur plurium antiquorum. Alensis 2.*p.q.*130.*m.*2.*&* 10. Mag.*in* 2.*dist.*35.D.Bonau.*ibidem*.citatur Bachon. *d.*44.*q vnic.art.*2. Albert.*d.*35.*art.*3. *ad* 2.D.Thomæ *de malo q.*2.*ar.*1. Adam.*in* 4. *q.* 6. *ar.*2.*dub.*1. Henric. *quodlib.* 12. *q.* 24. Probabilem docet Gabriel.*in* 2.*dist.*41.*art.*3. *dub.*3. eandem tenet Vasquez 1.2.*disp.*92.*cap.*2. Quidam horum exigunt actum voluntatis terminatum ad omissionem per modum obiecti, vt Alensis, & Adamus. *Varij modi dicendi.* Aliis sufficit, vt sit actus interior respectu alicuius obiecti incompatibilis cum actu, qui dicitur omitti. Alij demum exigunt saltem aliquem actum; quia sine actu positiuo nequit haberi exercitium libertatis, quod est valdè consentaneum opinioni eorum, qui dicunt voluntatem determinari per iudicium, seu imperium practicum, seu radicem suæ indifferentiæ, & determinationis habere in intellectu. Vnde nequit habere determinationem suæ libertatis per exercitium, nisi præcedat determinatio intellectus, qua posita sequitur exercitium virtutis in voluntate, ac proinde per aliquem actum positiuum.

Sententia affirmatiua. Secunda, & opposita est satis frequens, quam loco citato docet S. Thomas 1.2 *quæst.* 3 *art.*3.*&* *in* 2.*dist.*35.*quæst.*1.*art.*3.& eam deducunt moderni ex aliis eius locis. Est Capreoli *in* 2.*eadem dist. quæst.*1.*art.*1.vbi etiam Richardus, Ægidius Romanus, Bassolis, Durandus, *quæst.*3.*&* *in* 3. *dist.*33. *quæst.* 2. Ocham. *quæst.* 10. *dub.* 1. Gabriel *suprà.* Suarez *tom.*1.*Metaphys.disput.*19.*sect.*4. *&* 1. 2. *de voluntario disp.*1.*sect.*5.Salas 1.2.*tractat.* 3. *disp.* 3. *sect.* 3. Curiel *ibidem, quæst.* 6. *art.* 3. *dub.* 1. Hanc quæstionem ex professo non disseruit Doctor: pluribus tamen in locis hanc sententiam supponere videtur, vel incidenter probat vt hîc in textu: *suprà* præmissa *in quodl.* 16. *in* 2.*dist.* 42. *ad primum pro quæst.* 3. sed clariùs *in dist.* 7. *quæst. vnica.* §.*Restat nunc dicendum de bonitate morali*, &c. infrà contra secundum dictum Sancti Bonauenturæ argumento primo probat voluntatem habere libertatem ad suspensionem sui actus absque alio actu elicito. Eandem doctrinam supponunt eius principia *in* 3.*dist.*25.*quæst.* 2. vbi ad voluntarium dicit sufficere voluntatem non contraniti, atque adeò actum fidei in habente fidem tam supernaturalem, quàm naturalem obiecti circa reuelata proposita, sic esse liberum. Idem supponunt principia eius *in* 1.*dist.*1.*quæst.* 4. & magis sequitur ex dictis eius, in quibus libertatem, eiúsque radicem refert passim ad ipsam voluntatem, non ad intellectum, non ad obiectum, *in* 1.*dist.* 1.*quæst.*4. *dist.* 39.*in* 2.*dist.*6.*quæst.*2.*dist.*25.*quæst.vnica dist.* 31. *ad* 1.*in* 3.*dist.*36.*art.*2.fusè & *in hac d.quæst. præmissis, & sequenti quodlib.*16.*&* 18.21.& passim vbi modum agendi voluntatis declarat.

91 Quia tamen hæc quæstio plura inuoluat, ad quæ in particulari dicendum est: notandum est eam versari circa actum tantùm elicitum voluntatis, non autem imperatum, de quo nulla est controuersia eum dari absque omni actu positiuo *Sensus quæstionis.* incompatibili externo, aut etiam indifferente, in quo fundari possit illa omissio, vt patet in multis non eligentibus finem, aut media proposita, vt in iudice permittente violationem iustitiæ, aut iis, qui minora mala permittunt, nè grauiora succedant. Loquendo ergo de omissione interna, vt comparatur ad voluntatem, potest considerari vt ad eam est potestas immediatè, hoc est, non mediante actu. Et an hæc potestas reducatur in vsum, ita vt licèt voluntas eam habere possit per meram suspensionem actus, sine productione alterius, an ita in exercitio contingat semper vt plurimùm, vel quandoque: & an quauis materia operationis, an solùm in aliqua determinata: v. g. respectu boni creati, vel increati, finis & mediorum; an in materia virtutis, & vitij, meriti, & demeriti; an solùm in materia indifferenti quoad *esse* morale, quæ pleniùs resoluemus, vt facultas dabit per sequentes conclusiones.

Prima conclusio. In quacunque materia pura omissio est in potestate voluntatis, ita vt nulla 92 *1. Conclusio.* sit ad eam repugnantia Physica, aut Metaphysica, quidquid sit, an contingat voluntatem vti ea potestate secluso omni actu. Hanc tenet secunda sententia; est nostri Doctoris. Probatur primò, *Probatio. Doctoris.* argumento ipsius. Nihil tam est in potestate voluntatis, quàm ipsa voluntas ex Augustino *primo retract. cap.* 22. & aliàs; sed voluntas potest aliquam potentiam inferiorem suspendere ab omni actu: ergo & seipsam.

Secundò. Voluntas habet dominium sui actus 93 *2. Ratio ex definitione liberi arbitrij.* quoad exercitium ex definitione assignata communiter liberi arbitrij: ergo & indifferens ad agendum, vel non agendum, & consequenter quantùm ad vsum libertatis æquè respicit vtrúmque extremum immediatè, sed hæc potestas ita immediatè respicit actum, vt non requirat alium, quo velit ipsum elicere; aliàs daretur processus in infinitum, quia de illo actu similiter esset quæstio, si liberè eliciatur sine aliquo priori actu: si sic, non est maior ratio quare standum esset in illo, quàm in secundo. Si non, datur processus in infinitum, quem nequit habere voluntas, vel standum esset in aliquo actu naturaliter elicito, quod præiudicaret libertati sequentium; vtrumque horum est inconueniens, vt per se constat: ergo etiam ad omissionem est æquè immediata potestas voluntatis, sicut & ad affirmationem. Patet consequentia, quia extrema contradictionis, vt referuntur ad voluntatem, opponuntur: ergo vtraque sub eadem ratione opponuntur, & circa idem subiectum eodem modo sumptum, atque immediatum; sed hoc esset falsum, si actus immediatè sequatur voluntatem; omissio verò mediante actu: quot enim modis dicitur affirmatio, seu vnum oppositorum, tot modis dicitur & alterum: ergo si actio immediatè respicit voluntatem, sic negatio, aut omissio actionis. Neque alioquin apparet quomodo saluari possit dominium directum voluntatis super suo actu. *Immediatè comparatur voluntas ad actum sicut ad omissionẽ.* *Contradictoria ad idem comparãtur.*

Dices voluntatem quidem non necessitari ad prosecutionem: v.g. tamen nequit habere exercitium libertatis, quod consistit in aliquo positiuo, siue actu aliquo, cui connexa est omissio. *Responsio.*

Contrà. Petitur principium, hoc enim est quod in quæstionem venit. Voluntas sicut non necessitatur ad prosecutionem obiecti, cuius omissionem habet: sic etiam non necessitatur ad actum, cui connexa est omissio, aliàs omissio non esset libera: sicut ergo propositis duobus obiectis simul potest neutrum eligere, sic etiam potest non prosequi primum obiectum, neque etiam secundum, *Impugnatio.* *Petitio principij.*

dum. Demus casum aliàs pro tunc non offerri per intellectum ad neutrum simul; aut disiunctiuè necessitatur voluntas; quod probatur præmittendo casum, quo prosecutio vtriúsque obiecti esset prohibita: quid ergo tunc dicendum? Peccaret sine dubio alterutrum prosequendo, neque alia ratione, nisi quia potest non prosequi: ergo habere puram omissionem vtriúsque.

Casus possibilis.

94 *3. Ratio.* Tertiò, quia ad puram omissionem non requiritur actus, vt in terminum, quia actio est, ad ens, omissio, aut pura negatio entis: neque ad eam per modum operationis, tanquàm obiecti, quia non necessariò omittens vult directè omissionem, vt ipsi sit libera: neque requiritur actus, qui respiciat fundamentum omissionis, cum quo est connexa necessariò omissio, tanquàm cum fundamento, & causa proxima; quia omittens potest exercere actum indifferentem, cum quo potest connecti omissio, aut actus oppositus; v.g. omittens sacrum legere officium, ex quo sic argumentor.

95 *4. Ratio.* Quartò, eatenùs pura omissio non posset esse in potestate voluntatis immediatè, & sine aliquo actu, quatenus actus esset causa proxima eius, sine qua non posset poni; sed hoc est falsum: ergo. Maior est nota: probatur minor exemplo præmisso, quia potest legi officium intra sacrum, vel extra sacrum, & cum eius omissione: ergo talis lectio non est causa per se omissionis, sed sola voluntas. Consequentia patet: quia causa per se alicuius extremi contradictionis nequit stare cum opposito, quia nequit esse sine suo effectu per se, si sit talis: lectio tantùm concomitans sic non erit causa, neque conditio respectu omissionis, neque consequenter exercitium libertatis respectu eius, cùm possit exerceri libertas respectu oppositi, stante lectione officij. Quòd ergo omissio coniungatur tali lectioni, non prouenit ex natura lectionis, sed ex libertate voluntatis; ac proinde eadem libertas potest exerceri respectu omissionis sine actu lectionis officij, cum quo hîc, & nunc est coniuncta.

Connexio omissionis ad actum indifferentem est per voluntatem.

Responsio. Si dicas lectionem officij non absolutè sumptam esse causam omissionis, sed in talibus circumstantiis, in quibus repugnat cum auditione sacri.

Impugnatio. Contrà, quia ad exercitium libertatis respectu omissionis iuxta pleró{s}que oppositæ sententiæ, non requiritur aliud; quàm quòd voluntas eliciat actum positiuum, cui coniungi possit ipsa omissio, quod inuenitur in proposito. Deinde, lectio officij potest intendi sine eo, quòd voluntas feratur in circumstantias, vt *infrà* probabitur, & ex libertate voluntatis ipsi coniungi omissio, quia liberè fertur voluntas in circumstantias determinatas actus, & non necessariò; magis enim inclinatur in obiectum, & finem, quàm in circumstantias; in illa tamen liberè fertur.

96 *5. Ratio.* Quintò, ex opposito sequeretur, in casu, quo Deus concurreret determinatè ad actum: v.g. prosecutionis, & non ad alium, voluntatem necessitari ad talem actum: quia ille actus non est liber, cuius contradictorium non est in potestate voluntatis; sed si voluntas non posset immediatè in omissionem, secluso actu positiuo, sequitur in casu expresso eam necessitari. Casus autem possibilis est, imò de facto contingit in conuersione peccatoris per gratiam efficacem. Consequens est falsũ, quia voluntas ipsa, cùm determinatè agit, liberè agit, respectu actus præsẽtis & non tantùm futuri, ergo à fortiori liberè agit, quando nullam habet determinationem sui intrinsecam, quamuis causa extrinseca determinata sit; repugnat autem voluntatem esse liberam respectu affirmationis in exercitio, quin libera sit respectu negationis, quantùm est ex se, & potens: ergo, &c.

Casus possibilis.

Deus mouet determinatè voluntatem.

Sextò, potest actus præsens omitti pro futuro, sine vllo actu incompatibili, & vniuersum sine vllo actu, aliàs voluntas non posset cessare ab actu quando vult, & continuatio eius esset necessaria. Demus vlteriùs pro instanti cessationis ab actu non offerri aliquod obiectum tunc, circa quod operaretur voluntas; quod potest contingere non solùm ex parte intellectus, sed etiam voluntatis, quæ à nullo motiuo proposito necessitatur: ergo in tali actu datur pura cessatio ab actu, & consequenter pura omissio. Aliàs sequeretur quòd actus, v.g. amoris nunquam desineret sine alio actu superueniente, & repugnante, quod esset vitium: nam si esset actus indifferens, aut alterius virtutis, posset simul stare, qui nõ dicunt repugnantiam ad charitatem, vt quæ ipsos imperat: sed sicut pura omissio per cessationem ab actu est libera voluntati; ita pura omissio antecedens actum, id est, pro illo instanti, quo potuit elici, erit similiter pura, vel potest esse; quia perinde indifferentia, & libertas voluntatis se habet ad vtram.que. 97 *6. Ratio.*

Dari puram cessationem ab actu.

Septimò, eliciens actum, qui ordinari potest in finem, non necessariò ordinat illum in finem etiam cognitum, neque necessariò habet nolitionem finis, aut actum ipsi incompatibilem: v.g. eliciens actum temperantiæ, potest persistere in ipsa honestate temperantiæ, non dirigendo actum ad finem charitatis, aut pœnitẽtiæ, quamuis ordinari possit; neque necessariò nolit pœnitentiam, aut charitatem, per hoc; quia esset inordinatus. Item, volens propter vnum finem, non necessariò vult propter alterum, aut nolit alterum. Item, habens actum non necessariò applicat omnes circumstantias, quas applicare potest, vt loci, temporis, intentionis, continuationis; neque necessariò habet horum volitionem. Item, propositis duobus mediis respectu eiusdem finis intenti, potest eligere vnum absque eo, quòd nolit positiuè alterum. Item, propositis duobus malis potest permittere minus malum, non volendo illud positiuè. Item, aduertens motum inordinatum in aliis potentiis, potest permittere illum, non volendo positiuè: aliàs peccatum in cogitatione non distingueretur à peccato in consensu voluntatis directo: ergo in his omnibus dari potest pura omissio. 98 *7. Ratio.*

Pura omissio circumstantiæ.

Varia exempla.

Vltimò, omissio cadit directè sub præcepto: v.g. *non occides*: *non furtum facies*, &c. ergo cadit etiam directè in potestatem voluntatis. Probatur consequentia; quia illa sola materia est capax præcepti, quæ est in potestate voluntatis; ad impossibilia enim nemo obligari potest primò, & directè. Quidquid sit de eo, qui seipsum inhabilitaret ex praua voluntate priori: ergo adimpletio præcepti negatiui potest contingere sine vllo actu positiuo voluntatis, supposita ostensione præcepti per dictamen præuium intellectus.

Vltima ratio.

Omissio est in præcepto.

Obiicies primò. Voluntarium non potest contingere nisi considerata voluntate in actu secundo: ergo semper interuenit actus positiuus in omni voluntario. 99 *1. Obiectio.*

Respon

Responsio. Respondetur, negando consequentiam; quia omissio pura, per quam voluntas indifferens determinatur ad alterum extremum contradictionis, est actus secundus. Sicut corruptio, & annihilatio in physicis, est actus secundus; quamuis in negatione consistant: sic etiam priuatio, aut negatio libera est actus secundus voluntatis potentis habere oppositam affirmationem, aut habitum; si se determinaret: quod autem non se determinet, est vsus libertatis, qui ad actum secundum spectat talis causæ indifferentis, cuius determinatio ad hoc, aut illud extremum habet in sua potestate. Vocatur autem actus interpretatiuus, quia ita se habet voluntas æquiualenter ad actum, quem omittit, ac si haberet nolitionem eius positiuam.

Omissio pura est actus secundus voluntatis.

100 *Replica.* Contrà. Negationem illam habet etiam in actu primo considerata, & tunc non est in actu secundo: ergo vt reducatur ad actum secundum debet esse mediante aliquo actu positiuo.

Responsio. Respondetur negando antecedens, quia in actu primo se habet vt indifferens ad vtrumque extremum; vel si vrgeas habere negationem actionis, semper ante actionem, quia alterum contradictoriorum debet inesse.

Negatio actus, vt antecedit libertatem, & vt sequitur. Respondetur habere negationem actionis in actu primo per modum subiecti, in actu secundo per modum causæ, in cuius potestate est ponere affirmationem. Vnde licèt necessariò sit vt antecedit exercitium libertatis, tamen vt consequitur, est libera. *Exemplum.* Exemplum commodum statuitur in motibus necessariis ante deliberationem, aut aduertentiam requisitam; qua supposita de necessariis transeant in liberos, vniformiter se habente voluntate, & facta mutatione solùm ex parte intellectus. Vnde, negatio illa, quæ antecedit omnem vsum possibilem libertatis, est negatio actionis fundata in potentia remota: cùm autem ponitur plena deliberatio cum requisitis ad actionem, si omittatur, est negatio sequens ad potentiam proximam, & completam tanquam effectus eius suo modo, & est quæ opponitur actui libero, & fundatur in potentia actiua, inquantùm ad vtrumque voluntas consideratur indifferens, vt prior natura; in sequenti autem naturæ sub actu, aut eius omissione mediante sua libertate fit determinatio per electionem positiuam, aut interpretatiuam. Aliter ergo considerantur actio, & negatio actionis in ordine ad voluntatem, quà est subiectum, & causa remota, quia negatio necessariò inest; actio nequit inesse pro eo statu: & illa negatio est repugnantiæ, sicut repugnat ipsa actio, donec supponantur requisita. Eadem autem extrema comparata ad voluntatem pro instanti, pro quo potest inesse vsus libertatis, comparantur ad ipsam vt causam efficientem, & liberam, tanquàm effectus posterior suo modo, vt comprehendamus negationem, ad quam non requiritur influxus positiuus entis, sed mera suspensio actionis, quæ est in potestate voluntatis.

Negatio sequens fundatur in potentia actiua.

101 *2. Obiectio.* Obiicies secundò: non transitur de contradictorio in contradictorium sine mutatione; hîc nulla est mutatio: ergo, &c.

Responsio. Respondetur negando minorem, quamuis hîc non sit propriè transitus de contradictorio in contradictorium, sed status sub contradictorio negatiuo, aut determinatio ad illud, cuius anteà non præcessit affirmatio, quæ tum posset inesse, quando est omissio: hîc ergo est mutatio non physica per productionem entis, sed moralis, aut libera per omissionem: sufficit autem mutatio ex parte termini, qui nunc est, anteà non fuit, & hoc sufficit ad saluandum mutationem vt terminus aliter se habeat; est etiam mutatio in voluntate exercente sic libertatem suam per liberam suspensionem actus, est & in intellectu, & aliis requisitis, quibus potestas voluntatis completur: mutatio autem ex parte solius termini sufficit ad veritatem illius axiomatis. vt in Deo creante ad extra sine sui mutatione, & vniuersim in quacunque causa efficiente, vt prior natura sua actione transit in actum secundum cum mutatione, quæ terminatur ad extrinsecum. Potest etiam dici eandem negationem, quæ fuit necessaria, nunc esse liberam per subiectionem ad voluntatem.

Quæ mutatio interueniat.

102 *3. Obiectio.* Obiicies tertiò, aliàs Deum circa aliqua obiecta suspendere posse omnem actum suum pro semper; quod est falsum. Patet sequela ex libertate voluntatis diuinæ, quæ magis libera est ad obiecta secundaria, quàm nostra ad extrema contradictionis, quia illa est independens, & non recipiens perfectionem ab obiectis secundariis, sicut voluntas creata ab iisdem perficitur.

Responsio. Respondetur negando sequelam, sed enim voluntas diuina libera sit, & etiam pro aliquo instanti æternitatis vtatur sua libertate, neque positiuè volendo, neque etiam nolendo quodcumque obiectum, quod per intellectum diuinum proponitur eo modo, quo noster Doctor asserit circa ordinem electionis, & reprobationis se habuisse asserit pro primo instanti volitionis verum ad extrà; non tamen pro semper ita se habet, quia immutabilis est, & radix diuinæ prouidentiæ, quæ est certa, & infallibilis, ac determinata, ideò, vt immutabiliter agat, debet determinatè se habere, vt in tempore non possit mutare consilium, vel aliquid velle aliter quàm ab æterno præfiniuit, neque de nouo velle. Scio nostrum Lichetum *in 2. dist. 2.* aliter docere: sed non rectè, quia licèt non accederet Deo aliud, quàm vel relatio rationis, vel certè terminatio, & ordo voluntatis ad obiectum aliàs quàm fuit ab æterno: tamen hoc ipsum inferret mutationem consilij, & instabilitatem prouidentiæ, quà sunt incommoda remouenda à Deo.

Quomodo se habet voluntas diuina ad obiecta secundaria.

Eius immutabilitas.

103 *2. Conclusio.* Secunda conclusio. Circa malum, vt opponitur virtuti, aut bono ex genere & obiecto, rarò contingit, si de facto contingat, in natura corrupta pura omissio. Hæc conclusio est conformis iis, quæ docet Doctor *suprà dist. 7. 2. loco citato*, vbi docet, licèt sit libertas ad non peccatum in damnatis, negat vsum eius; quamuis primo argumento ad conclusionem nostram probet in ipsis hanc potestatem, vt amoueat necessitatem; negat tamen omnem vsum eius: sed magis facit ad propositum, quod docet *dist. 29. eiusdem 2. §. Potest dici*, &c. Asserens voluntatem natam condelectari appetitui sensitiuo, nequire seipsam retrahere delectabiliter à condelectando eidem, nisi oppositum ipsi reddatur magis delectabile, nempe finis rectus. Vnde colligit iustitiam originalem communicasse voluntati aliquod donum supernaturale, quo fieret finis delectabilior voluntati, quàm appetibile retrahens *in Reportatis in 4. dist. 49. quæst. 4. ad 3.* admittit ad suspensionem actus dari actum reflexum.

104 Probatur conclusio ex doctrina præmissa Doctoris *in 2. dist. 29.* voluntas non potest vincere inclina

inclinationem naturalem nisi cum difficultate. Hæc autem difficultas conuenit ei, quà actiua est, & in operando: ergo inclinationem hanc non vincit nisi operando de facto circa oppositum: si autem non vincit, sequitur similiter inclinationem per consensum, & sic non datur pura omissio in ipsa circa delectabile, quamuis in ea sit potestas. Probatur maior, seu antecedens, quia delectatio, & difficultas opponuntur in operatione tantùm ratione resistentiæ, vel non resistentiæ secundùm varias inclinationes in actione. Ideóque dicitur potentia habituata delectabiliter operari, quia sine difficultate, & resistentia, quæ causet tristitiam in operante, quam potentia non habituata patitur in operando, quia cum difficultate operatur.

Voluntas sequitur plerumque inclinationem.

Confirm.

Ex doctrina Patrum.

Confirmatur hæc doctrina ex Conciliis, & Patribus contra Pelagianos: si daretur pura omissio mali, esset bona ex genere, quia per eam esset adimpletio legis, victoria tentationum, & concupiscentiæ, quæ spectant ad bonum certamen, & profectum, & supponunt gratiam. Vnde August. lib. 4. contra Iulianum cap. 2. *non itaque, vt dicis, nihil ad innocentiam promouet modestia rei per ipsum genus nocentis, promouet quippe ad innocentiam non consentire malo*, &c. Sed Patres in genere boni non agnoscunt aliquod bonum ordinariè, & de facto in natura corrupta, quàm bonum quod sequitur voluntatem bonam; ipsam etiam voluntatem bonam, & initium eius; hæc autem tria consistunt in aliquo positiuo ex intentione Patrum: ergo. Subsumptum patet *ex epistolis Prosperi, & Hilarij ad Augustinum, ex libris eiusdem de correptione, & gratia, de bono perseuerantiæ, de prædestinatione sanctorum, & varijs tractatibus in Ioannem*, & aliàs sæpè *ex canonibus Arausicani, cap. 4. & tribus sequentibus.* Per opus intelligunt Patres actum virtutis, & prosecutionem finis per media: per bonam voluntatem intelligunt intentionem, quæ est voluntas efficax, & causa operis: per initium eius intelligunt amorem simplicem, seu consensum, vt volo credere, volo conuerti. Minor ergo quoad secundum, & tertium est clara, quia voluntas, & opus consistunt in positiuo, & dicunt ordinem expressum ad finem. Probatur autem quoad initium bonæ voluntatis etiam consistere in positiuo, quia est aliquis affectus voluntatis, qua fertur ad bonum, & nequit esse sine gratia Christi ex natura sola, vel lege, quia sic possemus in illo gloriari. Deinde, supponit vocationem diuinam, & gratiam excitantem, éstque primus consensus voluntatis sequentis gratiam, quæ est ad aliquid positiuum in voluntate; vnde Semipelagiani asserebant hunc affectum antecedere gratiam, quam concedebant requiri ad ipsam bonam voluntatem, & ad opus; in hoc dissidentes à Pelagianis, qui hæc etiam naturæ concedebant, & legis instructioni. Vocabant autem Semipelagiani, vt dixi, hunc effectum *initium bonæ voluntatis, velle sanari, velle credere, obedientiam vocationis, bonum vsum liberi arbitrij*, in quo primùm statuebant discretionem vocati à non vocato tanquàm ex natura, non ex gratia, aut proposito Dei.

Triplex actus voluntatis supponens gratiam.

Dogma Semipelagianorum.

Initium bonæ voluntatis.

Argumenta Patrum.

Econtrà Patres vrgebant sic, non præparari voluntatem à Domino, gratiam dari ex meritis, hominem se discernere, gratiam subiici voluntati, non ècontra, &c.

Hæc omnia tam ex vna, quàm ex altera parte referuntur ad actum positiuum, tam ex intentione vtriúsque sententiæ, quàm ex proprietate styli: ergo sic intelligendum est consistere in positiuo.

105 *1. Confirm. Ex gratia vocationis.*

Secundò confirmatur ex duobus aliis principiis; quorum primum est necessitas gratiæ, & vocationis diuinæ, qua dicimur in omni bono præueniri, excitari; per quam datur non solùm *posse*, sed etiam *velle*, seu qua fit, vt velimus, cui consentit voluntas, quamuis dissentire possit, quæ sunt locutiones Scripturæ, & Conciliorum. Videatur *Canon. 6. & 7.* Arausicani. Trident. *sess. 6. cap. 5. & 6.* Hæc omnia non possunt interpretari nisi de positiuo. Nullum autem bonum habere possumus, quod faciat ad salutem sine hac gratia Christi: qua gratia ita disponit, & præparat voluntatem, vt non sistat in sola omissione mali, sed inclinatur in consensum boni. Sed si daretur omissio pura mali, esset bona: quia esset obseruatio præcepti negatiui. Obseruantia autem legis facit ad salutem, & vitam æternam. *Si vis ingredi vitam, serua mandata*, Matth. 18. *Si quis diligit me sermones meos seruabit*, &c. Ideóque comprehendunt Patres sub bono ex gratia obseruantiam legis, victoriam tentationum, negantes eas esse in potestate sine gratia Christi: ergo de facto ex his principiis non contingit sine actu positiuo voluntatis.

106 *2. Ratio.*

Infirmitas naturæ.

Secundum principium est conforme doctrinæ iam positæ ex Doctore, & frequens apud Sanctos Patres ex infirmitate naturæ ad bonum, quæ radicatur in appetitu inordinato eius ad malum; vnde prouenit necessitas gratiæ excitantis ipsam ad bonum, & conuertentis à malo. Augustin. de peccatorum merit. & remissione, cap. 17. *Ignorantia igitur, & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem, nè moueatur ad faciendum bonum, vel ab opere malo abstinendum*, &c. de spiritu, & littera cap. 19 docet *confugiendum esse ad misericordiam, vt inspirata gratiæ suauitate, per Spiritum sanctum faciat plus delectari quod præcipit, quàm delectat, quod impedit*, &c. Semper ergo ex infirmitate de facto voluntas sequitur positiuè appetitum, nisi gratia auertat eandem per amorem, & delectationem honesti, quamuis liberè feratur in vtrumque.

Hæc argumenta non militant contra conclusionem primam, quæ docet potestatem voluntatis ad liberam omissionem, saltem physicam, potestatem, neque ad exercitium libertatis ad suspensionem actus per se requiri actum positiuum.

Secunda verò conclusio cum suis fundamentis, vt iacet, docet non haberi vsum illius potestatis sine actu positiuo in natura corrupta, quæ vel ex praua inclinatione, & suggestione intrinseca appetitus, vel extrinseca Diaboli sequitur positiuè malum, nisi præueniatur, quæ præuentio eius excitat similiter ad actum positiuum prosecutionis boni, aut fugæ mali per odium eius. Oppositum conclusionis tenet Angestus *in moralibus cap. 10.*

107 *3. Conclus. Omissio pura an sit meritoria.*

Tertia conclusio. Dato etiam opposito prioris conclusionis. Omissio pura non esset meritoria, nisi fieret alicuius actus directè contra charitatem; quòd si verò omissio sit in materia charitatis, etiam pura erit meritoria.

Conclusio quoad primam partem reducitur ad principia satis frequentia in Scholis, & probatur: quia prosecutio boni est maior, & perfectior accessus ad finem, quàm fuga mali, quæ si non sit ex motiuo boni nihil conducit ad virtutem

Circũstantia finis necessaria ad meritum. tem, & honestatem: sed opus quantumcunque bonum, nisi relatum sit ad finem charitatis, non participat formalem rationem meriti, vt docent plerique Scholastici, speciatim noster Doctor *in 2.dist.40.in 1.dist.17.*& aliàs sæpè.D.Bonauentura *priori loco* D.Thomas 1. 2.*q.*114. (quidquid Vasquez, & quidam in oppositum ferant)ex Apostolo 1.ad Corinth. 13. *Si charitatem autem non habuero,nihil mihi prodest,*&c. ad Galatas 5. *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet,neque praputium,sed fides qua per dilectionem operatur,*&c. *Necessitas charitatis ad operandum.* Item, quando Patres docent gratiam esse necessariam ad opera salutis, quæ faciunt ad vitam æternam; intelligunt gratiam illam,charitatem, *qua per spiritum sanctum diffusa est in cordibus nostris.* August. *de gratia Christi,cap.* 18. *de gratia, & liber. arbitr. cap.* 17. *contra Iulianum lib.* 4. *cap.* 3. *de Spiritu & litera, cap.*14. Hoc ergo supposito, quoad opus meritorium, de quo fusiùs agitur in materia de merito,à fortiori idem tenendũ erit de omissione: sed omissio nisi fiat ex motiuo proximo charitatis,non dicit ordinem ad ipsam, vel ad finem vltimum: ergo non erit meritoria. Patet subsumptum,si diceret ordinem ad finem, non esset pura, si finis non sit motiuum, seu obiectum eius proximum,quia exigeretur actus ordinans,& imperans ipsam ex motiuo finis; neque ipsa in se, aut ex seipsa coniungitur fini,quia neque ex motiuo proximo, neque ex voluntate priori. Vnde noster Doctor locis citatis, & sæpè aliàs docet meritum constare ex integritate eorum, quæ ipsi inesse debent in ordine ad obiectum, finem, circumstantias. Inuenitur ergo in tali omissione fundamentum meriti inquantùm participat honestatem sui obiecti. Sed deest ordo ad finem.

Omissio actus contra charitatem est meritoria. Secunda pars conclusionis probatur, quia omissio pura participat honestatem sui obiecti: ergo & omissio in materia charitatis, atque ex motiuo eius sufficienter refertur se ipsa, & sine alio actu in finem,sicut & actus positiuus elicitus etiam seipso refertur in eundem finem. Fortè antecedens negaretur cum D.Thoma 1. 2. *quæst.* 7. *art.*1.*ad* 3.Probatur ergo antecedens,quia bonum est motiuum vltimatum tam in fuga, quàm in prosecutione: ideò enim malum, quia opponitur bono,ad quod inclinatur voluntas secundùm rationem rectam: ergo sicut fuga per actum positiuum participat honestatem illius virtutis, cui opponitur malum, ita etiam fuga per puram omissionem participat eandem honestatem. Probatur consequentia, quia actus positiuus fugæ, non quà positiuus est,participat honestatem virtutis; sed quia conformis est dictamini recto, quod docet fugiendum à malo hîc & nunc, seu non prosequi malum, quia prohibitum est; sed totum hoc competit puræ omissioni, quia est fuga,seu non prosecutio mali ex eodem dictamine: ergo etiam honestas virtutis, quam seruat. Patet subsumptum:fuga per nolitionem ideò est honesta,quia excludit actum oppositum prosecutionis obiecti prohibiti; sed idem dicendum est de omissione.

Deinde,si daretur pura omissio boni in voluntate,stante præcepto,esset peccatum:ergo per puram omissionem mali habet honestatem illius virtutis,cui opponitur: opponitur dico, quia ad hoc vt omissio sit honesta, requiritur vt actus omittatur ex motiuo formali ipsius honestatis,& *Operatio iusta,sed non iustè.* non ex alia quacunque ratione: nam quis potest operari iusta;sed non iustè, vt quando operatur non propter iustitiam, tanquàm motiuum formale, quod omnino ad honestatem actus requiritur;sic etiam potest omittere actum non ex motiuo.honestatis:sed ex alio adiuncto, vt ex timore seruili; v.g.commodo,aut incommodo, vel huiusmodi. Ex his ergo sequitur omissionem, quæ ex motiuo charitatis est, esse seipsa meritum,sine alio actu,quo referatur in finem. Omissio autem in materia aliarum virtutum non habet hunc gradum, licèt participet honestatem suæ materiæ, seu motiui.

Quarta conclusio. In politicis, & naturalibus potest contingere pura omissio, etiam de facto; 108 *4. Conclusio. Omissa pura in materia indifferenti datur.* quinimò dari omissionem puram boni in opere est probabile. Patet conclusio quoad primam partem, quia in his se habet sicut in materia indifferenti sine impedimento,& passione, quando non concurrit materia virtutis ex obiecto: ergo habet in eo casu plenum dominium sui actus, quia neque repugnat concupiscentia, aut aliquis error,vt docet Author Hypognostici,*lib.*3.*in principio.* Prosper.*cap.*14.*contra Collatorem.*Fulgentius *de Incarnatione & gratia cap.*26.

Hac eadem ratione patet vltima particula conclusionis, quia per peccatum non est sublata potentia ad peccandum,seu non faciendum bonum, sed tantùm ad bonum virtutis, quod non apprehenditur sine gratia, vt Patres docent: ergo voluntas potest seipsa vti sua libertate, siue positiuè nolendo bonum,siue etiam suspendendo actum: v.g.ex aliqua difficultate, vel quia non complacet. Probatur consequentia, quia aliqui habent simplicem voluntatem boni operis, qui non applicant media,aut intentionem efficacem;loquor de bono in particulari; in his autem omissio intentionis,& electionis est pura, quia non habent nisi voluntatem simplicem,quæ potiùs allicit ad intentionem, quàm repugnat, & ex altera parte cum tali volitione non stat nolitio boni; vel si nolitio absoluta stare potest, saltem non necessariò inest,vt patet, & ampliùs in perplexis videre est,qui inter extrema hærent.

Quinta conclusio: in homine in statu innocentiæ, & Angelo viatore potuit inesse pura 109
omissio. Patet ex prædictis, quia habuerunt plenum dominium sui actus sine impedimento intrinseco,aut extrinseco. In Beatis autem probabile est non dari puram omissionem, quia, vt Doctor asserit *in 2.d.21.quæst.1.ad 1. pro opinione,* habent præceptum operandi semper optima ex inclinatione finis, & charitatis, quod intelligo quantùm ad ea, quæ sunt ipsis nota in proprio genere,aut in verbo. Circa alia,quæ ipsis ignota sunt diuinæ voluntatis, potest esse suspensio actuum, & pura omissio. In damnantis non datur pura omissio, quia malitia eorum ascendit semper. Hæc sufficiant. Respondebimus tamen quibusdam obiectionibus, quæ fieri possunt. 110

Obiicies primò. Si daretur pura omissio, sequeretur quòd esset actus vitalis: ergo. *Obiectio. 1. Responsio.*

Respondetur negando sequelam.ad cuius probationem respondetur ex dictis, quòd voluntas est vitalis,vt est ad vtrumque extremum contradictionis: tam ergo actus, quàm eius omissio vitalis est,neque est necessarium exerceat aliam virtutem potentia vitalis, quàm vt exigitur ex parte termini.

Obiicies secundò. Homo vniformiter manens non fit melior,aut deterior: ergo per omissionem *2. Obiect.*

sionem putam non datur meritum, aut demeritũ.

Responsio. Respondetur. Licèt sit homo per puram omissionem quantùm ad positiuum vniformis physicè: non tamen quantùm ad *esse* morale, seu priuationem actus, maximè si instat lex pro altero extremo, ad quam est difformitas in omittente, aut cõformitas, quæ in *esse* morali aliquid sunt.

III *3. Obiectio.* Obiicies tertiò. Si proponatur omissio ex pluribus motiuis, quorum vnum est bonum, alterum malum: v. g. omittere furtum ob iustitiam, vel ob vanam gloriam, tunc sequeretur quòd illa omissio esset simul bona, & mala, aut neutra; sequela est falsa: ergo in pura omissione non est meritum, aut demeritum.

Responsio. Respondetur argumentũ æquiuocare de motiuis, quæ aliter, & aliter sumi possunt: nam alterum potest esse motiuum ex genere, seu formale; & intrinsecum, tam actus, quàm omissionis: aliud extrinsecum per modum circumstantiæ, & finis *cuius gratia*, &c. Ex vtroque motiuo tam actus, quàm omissio haberi potest. Vnde sicut actus potest esse ex solo motiuo formali, & intrinseco sui obiecti, ita etiam omissio: & sicut actus potest esse ex motiuo extrinseco, ita similiter omissio. Vnde sicut actus nequit esse ex duobus motiuis intrinsecis, & formalibus ex obiecto, ita neque omissio necessariò est ex talibus, quamuis posset esse ex omnibus motiuis, quæ sollicitant ad actus suspensionem, siue intrinseca sunt, siue extrinseca. Sítne dicenda vna, aut multiplex omissio? Dici potest vna integritate morali, sicut bonitas, aut malitia actus sic dicitur vna: multiplex autem partialiter v. g. omissio furti ex motiuo iustitiæ, vt obiecti, vanæ gloriæ, vt finis, opponitur integrè actui opposito, prout respicit obiectum, & finem aliter, & aliter, sicut alius est ordo ipsius actus in obiectum, alius in finem. Dicetur ergo illa omissio integra, & vna moraliter, sed mala simpliciter.

Diuersa motiua, vt se habent ad actum, & omissionem.

Argumentum ergo illud non est magni momenti.

In primis quando non concurrunt plura motiua, sed simplex tantùm, non concludit omissionem puram, & meritoriam, modo *suprà* dicto non dari, & cessat inconueniens. Secundò, non impugnat intentum, quia eadem difficultas erit in omissione non pura, quæ concipi potest, suppositis pluribus motiuis, & contrariis in genere moris, cui in eadem forma accommodari potest argumentum: hanc autem dari nulli est dubium. Tertiò, eadem difficultas est de ipso actu positiuo, qui non minùs exigit motiua, ex quibus haberi potest, quàm omissio: nemo autem dubitat quin haberi possit ex vno, aut altero motiuo: sed eadem est potestas voluntatis in ordine ad omissionem, quæ contingere potest ex motiuo hoc, vel illo: & qualitatem sortietur iuxta naturam motiui. Quartò, sicut actus bonus ex obiecto potest vitiari vt fine, aut è contra, ita omissio. Vterque autem simpliciter malus dicetur, quàmuis non ex quancunque causa, sed ex vnica tantùm inficiatur; quia bonum ex integra causa, malum autem ex quocunque defectu. Potest ergo omissio haberi ex motiuo iustitiæ solius in casu prędicto, vel certè ex motiuo vanæ gloriæ; vel si vtrumque subordinatur per modum obiecti, & finis ex vtroque: si autem motiua sint diuersa, & non subordinata: potest etiam ex altero suspendi actus: si autem non subordinentur, erunt duæ omissiones moraliter, si ex vtroque suspendatur actus: & vna physicè, quà proximè refertur ad ipsum actum in *esse* naturæ. Quando ergo infers non fore bonum, aut malum.

Instatur obiectioni.

Respondetur fore malum simpliciter, si ex vno motiuo non fiat, sed ex vtroque, & seruanda est proportio, quam haberet affirmatio opposita in ordine ad illa motiua.

Obiicies quartò. Omissio pura in Angelo, & primo homine esset otiosa: ergo non esset bona. *4. Obiectio.*

Respondetur negando antecedens, quia per eam excluderetur transgressio. *Responsio.*

SCHOLIVM.

Ad secundum, docet damnatos habere appetitum naturalem, & elicitum ad beatitudinem: & vtrumque clarè & solidè explicat. De elicito vide eum 2. dist. 6. quæst. 1. vbi probat Angelos malos posse appetere impossibile inefficaciter, & dist. 7. latè probat eos posse appetere bonum in esse *naturæ, & in* esse *morali, incompletè.*

Ad arg. q. præced. h AD primum argumentum principale, quando arguitur, quòd non omnes cognoscunt beatitudinem; ergo non omnes appetunt: dicendum, quòd concludit de actu voluntatis elicito: isto enim actu non omnes appetunt beatitudinem, quando non actu cogitant de illa: sed appetitus naturalis non est talis actus. II

Ad aliud, quando arguitur de damnatis, si appetant beatitudinem; circa hoc enim duplex videtur dubitatio, vna de appetitu eorum naturali, quia si appetunt naturaliter beatitudinem, videtur quòd appetitus ille in eis sit frustrà, cùm sit ad impossibile. Aliud dubium est: si actu elicito appetant beatitudinem, quia cùm apprehendunt eam, possunt habere actum voluntatis circa ipsam, quia circa quodcunque apprehensum possunt habere aliquem actum voluntatis: sed non possunt habere actum nolendi circa beatitudinem: ergo volendi: sed tunc est dubium quomodo possunt velle hoc habere, cùm sciant eis beatitudinem esse impossibilem?

Quære com. 1. Met. c. 1.

In dãnatis est appetitus naturalis beatitudinis. Quoad primum respõdeo, quòd in eis est appetitus naturalis respectu beatitudinis; quia sicut *suprà* dictùm est, appetitus naturalis non addit aliquam perfectionem super naturam absolutam, sed solùm inclinationem ipsius naturæ ad suam perfectionem, & ideò manente natura, manet ille appetitus. Et si dicas, quòd tunc ille appetitus erit frustrà;

frustrà; ita dicas quòd damnati frustrà sunt homines, vel Angeli, cùm appetitus naturalis non addat absolutum aliquid super naturam eorum.

Vnde dico, quòd licèt illud sit frustrà quod caret perfectione sua, & frustratur ea secundùm totam speciem: non tamen est frustrà, si caret illa in aliquo indiuiduo, vt patet in orbatis, & monstruosis: sic autem non est in proposito, quia aliqui sunt beati, qui perficiuntur secundùm appetitum eorum naturalem, alij autem non: & ideò non frustratur secundùm totam speciem. Illi autem qui ponunt omnes Angelos differre specie, habent ponere appetitum secundùm speciem esse frustrà, quia impossibile est eis consequi perfectionem suam.

Aliquid no est frustrà quia caret sua perfectione, nisi careat in tota specie.

12 Secundò, quantùm ad *velle* elicitum, dico quòd cùm habeant cognitionem de beatitudine, & eam considerant, possunt habere volitionem sequentem appetitum naturalem ei conformem, & possunt actu elicito appetere beatitudinem, sicut & mali in via. Affectione tamen commodi immoderata, quia non moderata affectione iustitiæ, quo iusti appetunt vt commodum eis: & ideò immoderatiùs appetunt eam, quàm iusti: & ideò concedo quòd damnati *velle* elicito appetunt beatitudinem. Non enim credo, quòd aliquis habitus possit dari, qui magis inclinaret voluntatem ad non appetendum, & detestandum beatitudinem, quàm eorum appetitus naturalis inclinat ad volendum eam: & ideò in eis nullus est habitus obstinationis, vt magis actu elicito delectabiliter inclinentur ad oppositum beatitudinis, quàm secundùm appetitum naturalem velint actu elicito beatitudinem.

Damnati actu elicito appetunt beatitudinem, sed inefficaciter, & affectu commodi.

Quando ergo dicitur, quòd beatitudo ostenditur vt impossibilis eis, & sub ratione impossibilis; & vbi non est spes de consequendo aliquo, vel omninò non appetitur, vel tenuiter; Dico quòd duplex est volitio; vna est efficax, quæ est respectu finis per media ordinata ad illum finem consequendum: alia est simplex, seu conditionalis, quæ est respectu alicuius finis non exequendo media ad illum finem consequendum, sed simpliciter appetitur finis ille, & vellet tendere in ipsum, si posset, & si obiectum esset secundùm se præsens.

Volitio duplex, efficax, & inefficax; hæc esse potest circa impossibile, de quo 2. d. 6. quæst. 1.

13 Primo modo non est volitio alicuius apprehensi sub ratione impossibilis, sed tantùm sub ratione possibilis,. Exemplum de sanitate ostensa diuersis infirmis. Secundo modo potest esse respectu impossibilis, & maximè intensa, & in tali volitione potest esse meritum, vel demeritum; vt si aliquis appetat fornicari quando ipsum impossibile est habere opportunitatem: & sic damnati maximè volunt beatitudinem vt bonum commodum, & fortè intensiùs quàm nos in via, licèt eam apprehendant vt impossibilem eis, & maximè delectarentur in consideratione illius obiecti, si dimitterentur: & in hoc fortè habent maximam pœnam, quia sic detinentur ab igne in consideratione sua, quòd non permittuntur considerare Deum, vt est obiectum naturalis beatitudinis, & etiam seipsos, in quibus maximè delectarentur.

Ad aliud, quando arguitur quòd non necessariò, quia tunc quis non meretur appetendo finem; concedunt aliqui quòd non est meritum in volitione finis in vniuersali, sed tantùm in particulari, vbi contingit errare: & si hoc est verum, tunc ad hoc quòd actus esset meritorius, requireretur quòd contingenter competeret volenti actus meritorius apprehenso obiecto, quod esset difficile, contra aliquos: vt si actus meritorius est necessarius, tunc actus elicitus respectu finis est magis meritorius quàm respectu eorum, quæ sunt ad finem: sed dixi quòd nec finem, nec ea quæ sunt ad finem vult necessariò: ideò non video quin actus, qui est finis in vniuersali, possit esse meritorius, sicut ille qui est entis ad finem: omnes enim sunt contingentes.

Richar. hic art. 2. q. 5. Henr. & D. Thom. Actum volendi finem in vniuersali esse meritorium.

Aliter potest dici, quòd finis dupliciter potest appeti, vel sub ratione boni honesti, & sic est actus meritorius: si sub ratione commodi appetatur, non est meritorius. Alia sunt soluta in corpore quæstionis.

14 i Ad primum argumentum in oppositum, si intelligitur concludere pro appetitu naturali, verum est: si autem pro appetitu libero, actu scilicet elicito, non est verum vniuersaliter, sed in pluribus, vt est ostensum. Eodem modo est dicendum ad secundum.

Ad arg. partis affirm. q. præced. posita num. 2.

Ad tertium, quando dicitur quòd sicut se habent *principia in speculabilibus*, &c. dicendum quòd est simile quoad hoc, quòd sicut veritas conclusionis ordinatur ad veritatem principij; & præmissarum, sic bonitas eorum, quæ sunt ad finem, ordinatur ad finem: & ideò comparando principia ad obiecta, & fines, vera est propositio: sed comparando ad potentiam, vera non est.

De affectione commodi, vide Doct. 2. 6. quæst. 2.

Ad aliud dicendum quòd si in voluntate est affectio commodi sine libertate, & affectione

affectione iuſti, quæ moderet appetitum commodi, tunc neceſſariò vellet commodum, ſed vbi vtrumque eſt, & affectio commodi, & iuſti, non oportet: quia ex libertate ibi poteſt aliud velle, quàm commodum, ſicut dicit Anſelmus de Caſu Diaboli, qui fingit vnum Angelum, in quo tantùm eſt affectio commodi, ille vellet ſemper commodum. Ad aliud dico, quòd benè concludit de appetitu naturali, non tamen de actu elicito appetitus liberi.

COMMENTARIVS.

112 *Ad primum.* A D[h] *primum argumentum principale*, &c. Primum fuit, quòd non omnes cognoſcant beatitudinem: ergo non appetunt, &c.

Reſponſio. Reſpondet rectè concludi de actu elicito, non de appetitu innato materiali, & paſſiuo.

Ad ſecundum. *Ad aliud*, &c. Hoc fuit ſecundum argumentum: damnati non appetunt beatitudinem: ergo non omnes appetunt eam. Antecedens patet, tum quia ſunt in ſtatu obſtinationis, & deſperationis: tum quia beatitudo eſt ipſis impoſſibilis, & eam ſic apprehendunt.

Reſponſio. Reſpondet ineſſe illis appetitum innatum, & paſſiuum ad beatitudinem; qui appetitus non eſt fruſtrà, quia in aliis ſuppoſitis, vt in electis actuatur, & ſic ſpecies non caret ſua perfectione, ad quam inclinatur, licèt in omni ſuppoſito non exigat illam perfectionem, ſicut neque integritatem in iis, qui ſunt orbati. *Appetitus ſpeciei non eſt fruſtrà, ſi in aliquibus ſuppoſitis actuatur.* Ratio eſt, quam *ſuprà* aliàs explicuimus: quia appetitus naturalis paſſiuus in natura, licèt inclinet ad perfectionem ſuam: tamen nequit ſe reducere ad actum, cùm ſit merè paſſiuus, & non actiuus; ſed actuatur per virtutem cauſarum, vt ipſis applicantur, in quibus ſi ſit defectus, ſiue quoad applicationem, ſiue quoad actionem, redundat in effectum, vt patet in monſtruoſis, & orbatis. *Ratio huius.* Beatitudo autem licèt ſit perfectio, ad quam inclinat natura, communicatur tamen per virtutem cauſæ primæ ſupernaturaliter agentem, quæ eam determinauit ad media, vt eſt fides, opera, ſacramenta, adimpletio legis; quibus neglectis ſpontaneè à damnatis, meritò fruſtrantur fine; quo potiuntur electi.

Quantùm ad alterum membrum, dicit in damnatis eſſe volitionem elicitam inordinatam beatitudinis, & licèt intenſa ſit, tamen eſt inefficax; quæ volitio poteſt eſſe etiam circa impoſſibile, vt benè declarat in litera. *In damnatis eſt volitio elicita beatitudinis inordinata, & inefficax.* Quamuis autem actus ſit intenſus, non inde ſequitur eſſe efficacem, quando effectus non eſt in poteſtate volentis, ſed dependens à cauſa extrinſeca, quæ non determinatur ad effectum, neque eſt, in poteſtate volentis. Vnde quod aliàs dictum eſt, voluntatem efficacem quandoque ſola intenſione differre à ſimplici, intelligendum eſt, quoad eam, quæ habet in ſua poteſtate tam cauſas, quàm reliqua requiſita ad effectum.

[i] *Ad aliud*, &c. Hoc fuit tertium: ſi omnes de neceſſitate volunt beatitudinem, ſequitur non mereri: quia non eſt meritum in eo, quod vitari non poteſt, iuxta Auguſtinum; conſequens autem eſt falſum: quia ſi meremur volendo ea, quæ ſunt ad finem, principaliùs meremur volendo finem, quæ volitio eſt cauſa volendi ea, quæ ſunt ad finem. 113 *Ad tertium.* Reſpondet primò iuxta ſententiã Henrici, quam *ſuprà* confutauit; ſed mox reſpondet ex propria ſententia, aſſerendo volitionem finis eſſe liberam, & poſſe eſſe meritoriam, ſi ſit finis, vt eſt bonum honeſtum: ſi tamen ſit finis, vt eſt commodum naturale, & non quà honeſtum, non erit meritoria. Alia ſoluta ſunt in corpore.

[k] *Ad primum argumentum in oppoſitum*, &c. Reſpondet ad argumenta præmiſſa pro altera parte. Patet ſolutio ex litera. Circa vltimum argumentum vide Doctorem *in 2. diſt. 6. quæſt. 2.*

SCHOLIVM.

Reſoluit ſecundam quæſtionem, quòd poſſumus velle aliqua, non propter beatitudinem negatiuè, id eſt, non cogitando de ea, ac etiam non propter eam: contrariè, id eſt, aduertendo quæ volumus eſſe contra eam: & ſoluit argumenta huius quæſt.

Appetitus quare animalibus datus. [l] EX his ſequitur ſolutio quæſtionis ſecundæ. Appetitus enim naturalis ad quæcunque eſt in ordine ad perfectionem ipſius appetentis: propter hoc enim eſt datus appetitus animalibus, & rebus, vt ad perfectionem ſuam inclinentur: ſed deliberatiuus appetitus non eſt talis, quaſi omne quod vult, velit propter beatitudinem. 15
Poteſt enim velle aliquid, non tamen propter beatitudinem, negatiuè, ſcilicet non volendo ipſum propter beatitudinem: poteſt etiam ipſum contrariè velle. Primum patet, quia poteſt non velle negatiuè, quod eſt ad beatitudinem, quia intellectus aliud poteſt intelligere, vel cogitare, quàm beatitudinem, quando voluntas vt illud vult: ergo tunc non vult ipſum propter beatitudinem. Prætereà, intellectus poteſt cognoſcere rationem illam boni, non vt ad finem ordinatur, ſed vt in ſe eſt quoddam bonum, & ſic voluntas poteſt ipſum velle non in ordine ad beatitudinem.

Quomodo quis vult aliquid non propter beatitudinem. Contrariè etiam poteſt aliquis ſic velle, quia aliquis fidelis apprehendens finem, apprehendit certitudinaliter eſſe beatitudinem in Deo trino, & vno. Similiter autem apprehendit fornicationem, vt impoſſibilem ordinari ad finem illum: ſed dictante intellectu quòd fornicatio non eſt ordinabilis ad illum finem, qui eſt beatitudo, imò eſt contraria fini, & tamen voluntas eligit fornicationem: ergo, &c.

[m] Et

16 [m] Et tunc ad argumentum primum de Augustino, dicendum quòd verum est de appetitu recto. *Ad arg. huius q. posita num. 1.*

[n] Ad aliud, quòd primum in aliquo genere, &c. Dicendum quòd primum appetibile in se est causa omnium appetibilium: non tamen in ordine ad potentiam, nisi sit potentia talis, quæ non potest nisi ordinatè velle, vel tendere in obiectum: talis autem non est voluntas, vt est libera, & ideò non valet.

[o] Ad aliud, quòd si non appetitur propter aliud, quòd tunc appetitur, vt beatitudo. Dico quòd voluntas potest velle aliquid propter se negatiuè, quia scilicet vult ipsum, non vt referibile: sed non potest ipsum velle contrariè, vt quòd velit ipsum vt non referibile: & sic velle propter se contrariè pertinet ad rationem finis, quia pertinet ad *finem*: non tamen tunc vult, ita propter se, vt excluderet illud, quod vult ratione finis alterius: & tunc ad argumentum, vult propter se negatiuè, quia non ordinat ipsum: non tamen contrariè, quòd sit non referibile. *Quod quis vult propter se negatiuè, non vult vt finē.*

17 Ad primum in oppositum, verum est quòd non omnis actu elicito vult beatitudinem, quia non cognoscit, sed de appetitu naturali, qui non sequitur cognitionem, non oportet, imò necessariò, & semper est ad finem. *Vide Var. 1. dis. q. 3.*

Ad aliud dicendum est, quòd si vnus actus est comparandi, & qui est circa extrema comparata, tunc plana est solutio: si verò non est idem, sed alius, & alius, tunc est dubium, sicut in intellectu discurrente de præmissis ad conclusiones. Discursus enim alius actus est, quàm qui est circa principia, & conclusiones, vel idem. Ad propositum ergo, si actus collatiuus est vnus extremorum quod est possibile, quia obiecta plura habentia ordinem inter se, possunt esse obiectum vnius actus, vel vnius potentiæ; tunc solutio plana est: si autem actus circa extrema manent cum illo actu, tunc necessariò stant simul duo actus in eadem potentia, nec illi actus circa extrema impediunt comparationem, sed necessariò requiruntur ad ipsum. *Volitio medij propter finem, est vnus actus collatiuus, fortè comitantur actus duo simplices circa extrema.*

COMMENTARIVS.

114 [1] EX *his sequitur solutio quæstionis secundæ*, &c. Quoad hanc quæstionem secundam est satis frequens sententia, actionem humanam esse propter finem vltimum in communi, nempe propter felicitatem, & perfectionem, vt docet Philosophus, 1. *Ethicor. cap. 1. & cap. 2 & 1. Rhetoricorum cap. 5.* & 2. *Metaphys. cap. 2.* Cicero *lib. 1. de finibus bonorum.* Augustin. *lib. 4. de ciuit. cap. 23. lib. 8. cap. 8. & lib. 13. de Trinit. cap. 6.* Videantur Doctores *in 2. dist. 38. & 1. 2 quæst. 1. art. 6. & in hac ipsa distinctione.* Hoc ipsum admittit Doctor *in præsenti quæstione.* Controuersia est in modo explicandi hoc principium receptum. *Resolutio quæstionis secundæ quæ est decima in ordine.* *An omnis volitio sit propter beatitudinem. Sententia affirmatiua.*

[2] Primus modus explicandi est, præcedere in voluntate quendam actum naturalem elicitum, qui sit vltimi finis, in cuius virtute cæteri actus habentur, vel ipse manet in reliquis. Ita videtur sentire D. Thomas *loco citato, & in hac distinct. q. 1. art. 3. quæstiun. 4. ad 6.* vocans hnuc actum primam intentionem, & manere virtute in quolibet appetitu cuiuscunque rei. & expressiùs 1. *p. quæst. 60. art. 2.* ait ex voluntate naturali, qua vult quis vltimum finem causari reliquas voluntates. Idem tenuit Richardus *in 2. d. 38. art. 2. quæst. 3. ad 3.* Durand. *quæst. 3.* Caietan. 1. 2. *quæst. 1. art. 6.* Capreolus *in 1. d. 41 q. 3. art. 1.* quam vt probabilem sequitur Medina 1. 2. *quæst. 1. art. 6.* licèt oppositam censeat probabiliorem. *Primus modus explicandi.*

115 Hic modus est, qui reiicitur à Doctore *in hac quæstione*, quem sequitur Vasquez 1. 2. *disp. 7. cap. 1.* Suarez *in Metaph. disput. 24. sect. 2.* Ægidius Lusitanus *de beatit. lib. 2. quæst. 7. art. 1. §. 1.* Sententia autem Doctoris est, hominem appetitu naturali, quem hactenus declarauimus, appetere omnia propter beatitudinē; appetitu verò elicito, & deliberatiuo non appetere quidquid appetit propter beatitudinem voluntate explicita, qua vellet in omni actu, vel dum operatur, ipsam beatitudinem vt finem. Probat negatiuam hanc argumento ad oppositum in limine quæstionis: primò, quia non omnes appetentes cognoscunt beatitudinem in communi, aut cogitant, dum actu operantur, aut appetunt: ergo actum suum non referunt in beatitudinem tanquàm finem, *cuius gratia.* Præterea, tunc duo actus essent simul in voluntate, nempe appetitus beatitudinis, vt finis, & appetitus boni particularis vt relati in finem; sed hoc est inconueniens. Probatur inconuenientia, qua supponitur non cogitare actu explicito beatitudinem: ergo neque potest in eo casu velle beatitudinem. Secundò, quia voluntas sistit negatiuè in bono particulari volito propter se, & non relato, vt experientia constat; sed hoc repugnat, si sit simul intentio finis in communi, aut beatitudinis, in cuius virtute habetur volitio boni particularis propter beatitudinem, vt finem: quia sic sequeretur voluntatem non sistere affectu explicito in bono particulari, sed illum referre in suum finem cognitum, & intentum: referre autem, & non referre in finem sunt contradictoria manifesta. *Appetitus naturalis nō elicitus est propter finē.* *Probatio.* *2. Ratio.* *Voluntas sistit in bono particulari propter se volito.*

Dicit ergo Doctor in litera quòd voluntas possit sistere in bono particulari tanquàm in fine negatiuè, id est, non referendo ipsum ad alium secundùm affectum, sed propter se volens illud vt finem, in quantùm hîc & nunc operatur, ex vi præsentis motiui, quod allicit propter se, & proponitur ab intellectu sub ratione sua absoluta, & non in ordine ad aliud bonum, seu finem, licèt in se sit referibile, & volibile propter aliud, & hoc est velle illud negatiuè, id est, non propter aliud, quamuis ex natura sua posset appeti propter alium finem: quod sic appeti posse probat; quia intellectus potest hîc & nunc non cogitare de alio fine, sed de hoc ipso bono in particulari, quod *Velle aliquid propter se negatiuè.*

Propositio intellectus sequitur motiuum.

quod verissimum est, vt experimur. Patet ratione: quia intellectus intelligendo, & proponendo bonum, sequitur naturam, & modum sui motiui, vt taliter sit intelligens, qualiter mouetur; sed potest contingere, vt hîc, & nunc solùm moueatur ab hoc bono secundùm rationem propriam, & specificam, quà est bonum particulare, non cogitando de alio bono, ad quod non mouetur: ergo voluntas sequens erit huius tantùm boni, & non alterius.

116 *Voluntas potest non referre bonum amatum ad alium finem.*

Alio etiam modo potest contingere ex libertate voluntatis, vt sistat hîc & nunc in natura boni particularis negatiuè, hoc est, non volendo illud propter finem etiam cognitum: quia voluntas potest operari circa quodcunque suum obiectum vt conueniens; sed hoc bonum in particulari est obiectum voluntatis, & motiuum eius secundùm rationem propriam, & particularem: ergo in ea potest voluntas sistere, quamuis non velit finem etiam propositum, neque hoc bonum vt dicit ordinem ad finem; sed sub ratione propria, & propter ipsam tantùm explicitè. Probatur consequentia: ratio boni vt sic, vt consideratur abstractè ab omnibus inferioribus non adæquatum motiuum voluntatis, ita vt nihil posset velle nisi sub ratione boni abstracti; quia neque sic beatificat, aut perficit appetitum eius innatum, vt est ad bonum particulare sub ratione propria, neque continet actu, sed potestate tantùm bonum particulare; neque tribuere potest speciem actui voluntatis, vt respicit bonum particulare, quod propter se diligitur; & vt distinguitur ab aliis, & circa quæ voluntas non afficitur, sed aliquando est renuens.

Si autem dicatur finis vltimus consistere in cumulo omnium bonorum, sic etiam voluntas non fertur necessariò, & secundùm affectum explicitum in omnia illa; neque etiam in hoc particulare bonum, vt aggregatur, & quà aggregatur cumulo cæterorum, vel vt est pars: quia neque intellectus necessariò sic proponit, neque voluntas etiam sic propositum in ordine ad reliqua necessariò vult bonum particulare, secundùm affectum præsentem, sed sub ratione propria, & absoluta: ergo vt operatur absolutè hîc & nunc, intendendo hoc bonum, quà bonum seipso absolutè est conueniens secundùm intentionem explicitam, & præsentem, quæ sistit in ratione particulari talis boni, voluntas non fertur in finem vltimum in communi.

117 *Responsio.*

Dices voluntatem ferri in finem vltimum tanquàm in finem operis, non verò tanquàm in finem operantis: hoc est, voluntatem non attingere finem vltimum explicitè, neque intendere: sed operationem ipsam voluntatis respicere finem vltimum in *esse* rei, & sic in omni opere operari propter finem vltimum ex natura rei, non verò affectus.

Impugnatio.

Contrà. Si voluntas non intendit finem operis, sed ipsum opus in ratione finis hîc, & nunc sequitur intentum: quia non agitur hîc de fine vltimo, ad quem omnia se habent in reipsa: sed de fine *cuius gratia* respectu voluntatis hîc & nunc intendentis, & statuentis terminum per actum elicitum, & secundùm intentionem præsentem, quæ non extenditur ex affectu voluntatis ad finem rei; sed ad ipsam rem: nam respicere finem rei illo modo non solius est agentis à proposito, sed etiam agentis naturalis, quod non agit ex cognitione: sic etiam voluntas agit secundùm appetitum naturalem, vt inclinatur ad finem vltimum in re, licèt non agat secundùm appetitum naturalem deliberatiuum, & liberum, vt mouetur ad finem, hîc, & nunc, nisi in ordine ad hoc bonum absolutum & particulare, & ex motiuo eius: nam agit ex cognitione, quæ hîc & nunc expresè est respectu huius finis tantùm, & non finis in communi.

Voluntas non fertur necessariò in finē operis, volens ipsum opus.

Dices ergo præcedere voluntatem naturalem explicitam, ante omnem actum voluntatis liberum, quæ voluntas est finis vltimi, & causa cæterorum actuum, in quibus virtute manet. 118 *Responsio.*

Impugnatio.

Contrà; Talem virtutem in se nemo experitur. Deinde nequit esse sine cognitione explicita finis vltimi; sed neque intellectus semper cogitat de fine vltimo, neque primò cogitat in omni sua àctione, sed sequitur (vt dictum est) fortiùs mouens; & prima apprehensio eius est respectu obiecti, quod sic primò mouet ad se. Deinde, dato tali actu, si est solius complacentiæ, non est efficax ad determinandam voluntatem, neque virtute in se continet actus liberos, quos elicit voluntas; quia id solùm competit intentioni efficaci. Deinde, non potest esse ratio inclinandi voluntatem circa bonum particulare propter se intentum, & sub ratione propria tantùm; quia volitio illa finis vltimi non inclinat nisi ad finem vltimum, & propter finem vltimum; talis non est volitio boni particularis, & propter se tantùm voliti; ergo non causatur virtute, aut explicitè à volitione finis in communi: vel aliàs si volitio finis in communi sit ipsius tantùm, vt inclinantis ad finem particularem propter se volitum, potiùs refertur finis in communi ad finem in particulari, quàm è contra, quia finem in communi vult voluntas sic propter finem in specie, non è contra; ergo magis ordinaretur finis vltimus ex illius volitionis virtute ad finem in specie, quàm finis in specie ad finem vltimum.

In voluntate non supponitur actus necessarius circa finem vltimum, ad actum elicitum quemcumque.

Quod ergo aliqui dicunt illam voluntatem finis vltimi præcedere in primo instanti vsus rationis, vel etiam aliquoties in vita, non facit ad propositum; quia neque sufficit talis voluntas ad determinandum ad omnes actus, quos quis habet circa obiecta particularia; & vt ex dictis patet, & fusè probat Lusitanus, non est necessarium occurrere finem in vniuersali in primo instanti vsus rationis, neque id sequitur ex Dei prouidentia necessaria ad conuersionem, neque ex natura rei. *Responsio quorundam reiicitur.*

Vltimò tandem probat Doctor quòd non solùm negatiuè, sed contrariè possit se habere quis ad finem vltimum in particulari cognitum, vt fidelis cognoscens beatitudinem in particulari, & peccans mortaliter contrariè se habet ad finem vltimum per electionem peruersam dictante intellectu, peccatum non esse ordinabile ad finem. Vis huius rationis in eo consistit, quòd maximè inclinatur voluntas ad finem vltimum in particulari cognitum, in quo quietatur: ergo si potest in exercitio agere contrariè modo dicto ex motiuo, quod nequit communicare fini vltimo, sequitur à fortiori posse agere ex motiuo finis particularis in specie, vt commodi, aut delectationis, non referendo illud in finem vltimum explicitè, aut etiam virtualiter. 119 *Vltima ratio.*

Voluntas potest contrariè se habere circa finē vltimum in particulari cognitum.

Respondent aliqui etiam ipsa peccata fieri aliquo modo propter Deum, loquendo de materiali, quia requiritur concursus Dei, & volens obiectum 120 *Responsio.*

iectum, vult implicitè omne illud esse, sine quo obiectum non esset. Deinde, in ipso actu peccati est quædam imitatio diuinæ beatitudinis, quia quoddam *benè esse* peccatoris.

Impugnatio. Contrà, vt probatum est, non appetit affectu explicito Deum, imò nouit peccatum non esse medium conducens ad Deum, vt est finis beatificans: vnde exorbitat hic modus loquendi ab vsu, & proprietate sermonis: quia non rectè dicitur fornicans fornicari propter Deum. *Peccans non agit propter beatitudinē.* Deinde, non potest dici peccatum mortale esse ad Deum ex fine operis, vt ad finem sub ea ratione, qua Deus est finis vltimus beatificans hominem, aut creaturam intellectualem, prout specialiter tendit, & inclinatur, tam actiuè, quàm passiuè ad hanc beatitudinem, quæ in re est eius: quia peccatum ex natura operis tendit in miseriam: ergo non in beatitudinem veram, neque in Deum, vt est beatificans finis creaturæ rationalis: debitum enim miseriæ excludit ordinem ad Deum, vt est beatitudo nostra, & ad visionem, & fruitionem eius simpliciter, & secundùm *quid.* *Peccatum inducit miseriam.* Deinde, peccatum est contra inclinationem rationis, per quam tantùm ordinatur creatura ad beatitudinem veram, & non apparentem: inclinatio enim beatitudinis est in reipsa ad beatitudinem veram, & non ad apparentem. *Est contra inclinationem rationis.* Vnde Epicurei, & reliqui qui statuebant beatitudinem in voluptate, reiiciuntur etiam ab ipsis Philosophis: & ex Paulo ad Roman. primo, exaggeratur corruptela naturę per peccatum, cum qua nequit consistere vera beatitudo hominis, quia talis beatitudo, & inclinatio corrupta ex peccato est, & communis ipsi cùm pecudibus: ergo nequit peccatum esse secundùm inclinationem propriam hominis ad veram beatitudinem, neque ordinari ex natura operis ad Deum, quà beatificus finis est illius beatitudinis, ad quam ex natura rei, & operis inclinatur homo specialiter, quà est creatura rationalis beatificabilis.

121 *Qua ratione actus materialis peccati sit ad Deum.* Quod ergo dicitur peccatum esse materialiter à Deo, & ad Deum in ratione entis, non facit ad propositum, quia à Deo, vt causa effectiua, & non vt fine, & licèt sit ad Deum vt est finis naturæ, & author eius, non est ad Deum, vt est finis beatitudinis veræ creaturæ rationalis, sed sub generali ratione, qua reliqua entia sunt ad ipsum. Neque etiam est imitatio beatitudinis diuinæ veræ, neque ex natura operis, neque ex natura inclinationis, quæ est tantùm ad beatitudinem veram, & apparentem in opinione erronea; neque est secundùm inclinationem rationis, per quam homo ordinatur ad beatitudinem duntaxat, vt differt à cæteris animantibus, ac proinde neque dici benè esse homini per peccatum: ergo neque peccatum esse participationem beatitudinis, quia extrema opposita nequeunt communicare: peccatum autem est maxima miseria hominis, non solùm in *esse* peccati, & maculæ, quod omnes concedunt, sed etiam in *esse* actus, quia corrumpit naturam peruertendo positiuè vsum rationis rectum, in quo consistit perfectissima hominis inclinatio, secundùm quam est verè beatificabilis. *Peccatum corrumpit vsum rationis.*

122 Accedit vlteriùs, sicut peccatum peruertit illā inclinationē rationis, secundùm quam homo est beatificabilis, secundùm *quid*, & simpliciter, id est in via, & in termino, peccatum opponi ex natura operis talis beatitudini, & inclinationi ad ipsā; ac proinde ad eam nequit reduci vt pars, vel vt species, vel vt affectio, modus, aut medium. Vnde recentiores Scholastici, qui conueniunt in conclusione principali cū Doctore, nempe non omnem actum voluntatis affectu explicito referri ad beatitudinem, cùm asserunt interpretatiuè omnem actum referri ad beatitudinem, seu finem vltimum, vel æquiuocant de beatitudine, eam sumentes latè pro omni actu circa bonum quodcunque in vniuersum, & tunc nihil aliud dicunt nisi voluntatem secundùm determinationem respicere bonum vniuersaliter sumptum, & diuisiuè secundùm distributionem; beatitudo autem vera voluntatis strictiùs sumitur quàm bonum hoc modo sumptum. Vel si intendunt beatitudinem veram, ad quam inclinatur voluntas ex natura rei, non videtur fundamentum, vnde interpretatiuè in omni actu respiciat finem vltimum, & veram beatitudinem in re. Quia neque illa interpretatio fundatur in regula extrinseca operandi, neque in inclinatione voluntatis vera ad beatitudinem, neque in natura operis, v. g. peccaminosi, quod non dicit proportionem referibilis ad veram beatitudinem.

Quòd si autem sumatur ab eis beatitudo vt videtur intendere Pater Vasquez, pro omni eo, per quod benè est voluntati, non rectè videtur peccatum sic etiam referri ad beatitudinem veram ex natura operis. 123 *Quomodo peccatum referri possit ad beatitudinem latè sumptam.* Vt teneat ergo dictus modus interpretandi, debet sumi beatitudo, vt communis est ad beatitudinē veram, & apparentem, seu eam, quæ est beatitudo in opinione erronea, & sic potest dici non solùm interpretatiuè actum peccati esse partem beatitudinis, sed ex affectu explicito voluntatis, quo sistit in delectabili, & vltrà non intendit: sic ergo dici potest omnis actus voluntatis esse interpretatiuè saltem ad finem, & beatitudinem in communi, vel verum, vel æstimatum, & in hoc assimilari, quòd ipsi benè sit verè, vel apparenter, & excludatur aliquod malum verum, vel in opinione, & apparentia, quod sit malum. Id non negauit Doctor, nam dicit finem appetitus naturalis esse aliquam perfectionem subiecti sic inclinati, & appetitum actiuum agere secundùm inclinationem passiuam ad aliquam perfectionem, quam appetit, vt est actus secundùm naturam actus: vnde nullum actum admittit Doctor esse violentum simpliciter voluntati propter vniuersalem inclinationem, quam habet ad bonum.

Et [m] *tunc ad argumentum*, &c. Hoc est primum ex Augustino, qui dicit omnia appeti propter beatitudinem. 124 *Ad primum responsio.* Respondet intelligi de appetitu recto, quod verum est, loquendo de beatitudine vera; vnde laudat illam sententiam Ciceronis, qua reprehendit, qui dicunt esse beatos, qui viuunt vt volunt. *Velle enim*, inquit, *quod non deceat, id ipsum miserrimum est: nec tam miserum est non adipisci quod velis, quàm adipisci velle quod non oporteat*, &c. quod *ibidem* commendat, & probat Augustinus; & vulgare illud corrigit, quod dicit *eum esse beatum, qui habet omnia, quæ vult, & nihil mali vult*, &c. Dicit prætereà omnes velle beatitudinem, & propter beatitudinem cætera velle: quod intelligitur, vt *suprà* expositum est de beatitudine in re, vel in opinione.

Ad [n] *aliud*, &c. Hoc fuit secundum, nempe beatitudinem esse primam, & mensuram omnium appetibilium: ergo est causa, & ratio omnium appetibilium. *Ad secundū.* Respondet, licèt primum appetibile in se sit causa omnium appetibilium, ex cuius *Responsio.*

ius participatione sint appetibilia ordinata voluntate, tamen respectu voluntatis inordinatæ non esse causam talem propter libertatem, & defectibilitatem eius.

Ad tertium. o *Ad aliud*, &c. Hoc fuit tertium: si aliquid non appeteretur propter beatitudinem, appeteretur vt beatitudo, &c.

Responsio. Respondet quòd beatitudini competit, vt non possit ex natura sua ad illud, vt finem, quia ipsa est finis, ordinari; & sic voluntas vult beatitudinem propter se contrariè, & positiuè, ita vt nequeat illam velle propter alium finem. Vult autem alia negatiuè; quia licèt in ipsis sistit, tamen non sunt talia, quin ex natura sua referri possint ad aliud. Negatur itaque sequela.

Ad argumenta partis negatiua. Ad argumenta pro altera parte, scilicet negatiua. Respondet ad primum, quod est ex ignorantia beatitudinis. Respondet, inquam, quod concludit de appetitu elicito, & explicitè se habente ad beatitudinem: admittit appeti semper inclinatione, & appetitu naturali.

Ad secundũ responsio. Ad secundum, quod est, duos actus non posse simul in potentia. Respondet, posse teneri in potentia collatiua, siue intellectu, siue voluntate contingere posse collationem extremorum per vnum, aut diuersos actus, & ita rationem non concludere: quia vel falsum est antecedens, vel consequentia non tenet. Hoc argumentum aliter accommodauimus ad probationem conclusionis, & in alio sensu quatenus voluntas nequit finem particularem, in quo sistit, referre ad finem communem actu explicito ob contrarium modum tendendi in idem obiectum, qui implicat contradictionem, &c. *Fuit aliter applicatum ad probationem conclusionis.*



QVÆSTIO XI.

Utrùm homo ex puris naturalibus poßit consequi beatitudinem?

D.Thom. *1.p.quæst.12.art.3.& 4.& hîc quæst.1.* Richard.*art.2. quæst.6.& art.3.quæst.1.& 5.* Durand. *quæst.2.* Soto *quæst.1.art.2.* Occam.*4.quæst.12.art.3.ad secundum.* Suar.*1.part. tract.1. lib.2. cap.8.9.* Vasquez *1.part.disp.41.Vide* Scot.*in Theor.§.Non potest probari hominem esse.*

Arg. 1. Text. 50. & 59. 2  TRVM homo ex puris naturalibus possit consequi beatitudinem? Videtur quòd sic, Philosoph. 2. de Cælo, & mundo. *Si natura dedisset alis motum progreßiuum, dedisset eis instrumentum, vel instrumenta ad motum:* natura enim non ordinat ad aliquam perfectionem aliquid, nisi prouideat illi de his, cum quibus potest agere, & attingere illam; sed homo naturaliter ordinatur ad beatitudinem: ergo, &c. Confirmatur, natura magis dedit homini ad acquirendam perfectionem intellectus, quàm sensus; quia perfectior est intellectus, quàm sensus: sed sensus potest habere omnem perfectionem, ad quam ordinatur ex puris naturalibus: ergo magis intellectus. Secundò confirmatur sic, sensus non est capax illius, quod excedit eius naturalem facultatem: ergo nec intellectus: si ergo obiectum beatificum excedit facultatem naturalem eius, sequitur quòd non est capax eius, quod est falsum: ergo, &c. 1

Item ad principale, secundò sic; non est dare in natura potentiam passiuam, cui non correspondeat actiua in natura; sed in homine est potentia passiua ad beatitudinem: ergo & actiua; sed qua ratione in alio, eadem ratione in ipso: ergo, &c.

Prætereà, si non habet naturalem potentiam ab beatitudinem, non potest attingere aliquem habitum ad eam; habitus enim est principium sic agendi, non autem agendi; sed potentia est principium simpliciter agendi; sed homo naturaliter habet potentiam: ergo simpliciter potest in operationem beatificam, licèt non sic, si non detur habitus sibi.

Præterea, perfectio inferioris potest contineri in specie superiori; sed habitus, mediante quo potest potentia ad actum beatificum, cùm sit accidens, dat quandam perfectionem potentiæ; fiat ergo aliquis intellectus, qui continet perfectionem intellectus inferioris, & illius habitus, mediante quo potest in operationem: ergo ille potest in operationem beatificam sine habitu: & sic talis ex puris naturalibus saltem attinget beatitudinem, sed eadem ratione qua ille, & alius, & sic est standum in primis. 2

Contrà, ad Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna.* Item, hoc est perfectionis in natura humana, vt dictum est *in 1. quæst. 2. Prologi*, scilicet quòd naturalia non sufficiant ad vltimam eius perfectionem, quæ est anima rationalis: igitur nec ad perfectionem, quæ est gratia, & gloria. Præterea, hæc est maior hæresis, quàm hæresis Pelagij, qui posuit quòd homo sine gratia posset iustificari.

COMMEN

COMMENTARIVS.

1 *Ordo & diuisio quæstionis.* V*Trum* [a] *homo ex puris naturalibus*, &c. In hac quæstione agit de causa effectiua beatitudinis, & an sit sola natura. Primò, statuit conclusionem fidei: deinde adducit probationes aliorum, quas soluit. Tertiò, subiicit duas conclusiones, quarum prima est: immediatum susceptiuum beatitudinis esse animã. Secunda verò est, quòd anima nõ sit sufficienter ex naturalibus actiua respectu beatitudinis; deinde respondet ad argumenta.

SCHOLIVM.

Ratio D. Tho. & Richardi est, ideò visionem Dei esse supra naturam hominis, quia modus essendi eius est supra nostrum. Ratio etiam D. Thom. & Henric. quia Deus non se habet ad intellectum per modum informantis. Item, quia millesima pars grani milij magis est proportionatum obiectum visui, in quod tamen visus tendere nequit, quàm Deus intellectui nostro. Doctor clarè, & efficaciter refutat has rationes: nam si valerent, probarent visionem Dei esse impossibilem nobis, quibuscumque additis, & explicat quomodo Deus habeat proportionem obiecti ad intellectum creatum.

3 [b] RESpondeo, dicitur communiter ab omnibus, quòd non: sed quidam Doctor sic assignat ad hoc talem rationem. Nihil cognoscitur, nisi per hoc, quòd cognitum est in cognoscente, per modum cognoscentis, vel per modum naturæ suæ: ergo cognitio est in cognoscente per modum cognoscentis. Ex hoc sequitur sic, si modus essendi naturæ cognitæ excedit modum essendi ipsius cognoscentis, necessarium est ipsam cognitionem esse * super naturam cognoscentis: nunc autem modus essendi ipsius Dei excedit omnem creaturam, quia ille non potest esse modus essendi alicuius creaturæ: si ergo alicui creaturæ conueniat cognitio Dei, hoc erit supra modum naturalem cognoscendi creaturæ. *Rich. præsenti di. ar. 2. princ. q. 6. D. Thom. 1. p. q. 12. art. 4.* *al.* extrà

Præterea, alius Doctor ad hoc arguit sic: illud obiectum non potest cognosci à cognoscente, quod non est in eo per modum, qui competit illi cognoscenti; sed Deus non est in creatura per modum, qui competit naturæ cognoscentis: ergo non potest cognosci à creatura. Minor probatur, nihil intelligitur, nisi quod se habet ad intellectum per modum informantis; sed Deus non sic se habet ad intellectum: ergo, &c. *D. Thom. præs. dist. art. 2. q. 6. Henric. quodl. 3. q. 3. quodl. 4. quæst. 7.*

Præterea, obiectum cognoscibile requirit ad potentiam cognoscentem quamcunque quantitatem determinatam, & simplicem; sed essentia diuina non habet quantitatem determinatam ad intellectum, quia intellectus est finitus, essentia verò infinita, nec habet essentia simplicitatem proportionatam intellectui humano. Probatio, millesima pars grani milij est obiectum magis proportionatum visui, quàm simplicitas diuina intellectui nostro; sed illa pars propter sui paruitatem fallit visum: ergo, &c. Maior patet, quia visus potest crescere in virtute, & non in infinitum, quousque posset videre, quia istud paruum milij est finitum, & in se quoddam visibile: sed ex alia parte, quantumcunque intellectus crescit in virtute, tamen est finitus, & obiectum infinitum: ergo nunquam attingit illud, quod est simplicitatis infinitæ.

4 Respondeo ad primam rationem primæ opinionis, quando dicitur quòd nihil cognoscitur nisi per hoc, quòd cognitum est in cognoscente; concedatur suo modo *essendi in*, scilicet per speciem obiecti, vel per habitum secundùm alios, vel per actum, non curo: quando autem additur quòd cognitum est in cognoscente per modum naturæ suæ: ex hoc habemus tantùm, quòd cognitio est perfectio proportionata naturæ cognoscentis, & quòd per cognitionem obiectum est proportionatum naturæ cognoscentis. Et quando dicitur, quòd si modus naturæ cognitæ, &c. illud argumentum, si debet valere, valet in virtute istius propositionis, quòd sicut se habet modus essendi cognoscibilis, ad modum essendi ipsius cognoscentis, sic se habet intelligibilitas cognoscibilis ad cognoscentem; sed hoc est falsum, quia cognitio potest esse obiecti alicuius habentis in se modum essendi superiorem, quàm sit modus essendi ipsius cognoscentis; imò si est verum, oportet secundùm hoc concedere quòd Angelus inferior non posset cognoscere superiorem, quia modus essendi superioris excedit modum essendi ipsius inferioris. *Refutat D. Thom. & Rich. rationem.* *Si valeret ratio D. Thomæ. Angelus inferior nõ posset cognoscere superiorem.*

Præterea, si hoc est verum, tunc nec cum lumine gloriæ, vel quocunque habitu esset possibile creaturæ videre Deum: quia *esse* Dei excedit modum essendi ipsius, imò totum istum intellectum, & habitum, & lumen: & ideò dico quòd inter obiectum, & potentiam

potentiam non oportet esse æqualitatem,sed quandam proportionem : talia autem, inter quæ requiritur sola proportionalitas,possunt esse maximè dissimilia , vt patet de materia,& forma,similiter de actiuo,& passiuo. Sic est hîc : non enim requiritur inter obiectum,& intellectum nisi proportio motiui ad mobile : obiectum enim se habet per modum mouentis potentiam : & inter talia magis requiritur dissimilitudo , quàm similitudo. Potentia enim capax est operationis tantùm respectu huius obiecti , & ideò proportionatur,si potentia est ex se elicitiua,sicut terminus operationis , & operatio ; non sicut proportione quantitatiua , æqualia. Hoc similiter patet in aliis. Ens ordinatum ad finem suum proximum habet proportionem immediatam ad illum, & tamen distat in infinitum à fine:nec tamen impedit hoc proportionem eius,quod est ad finem. Ad illud genus proportionis pertinet proportio obiecti,& actus.

Inter obiectum,& potentiam nō requiritur æqualitas, sed proportio , nec similitudo, sed dissimilitudo.

Secundùm hoc ergo dicendum ad rationem , quòd arguit ex propositionibus non syllogisticis. Vnde non video quòd consequentia tenet , nisi illo modo arguendo: quòd si modus cognitionis est secundùm modum naturæ cognoscentis ; ergo nulla cognitio naturalis excedit modum naturæ cognoscentis : igitur nulla cognitio naturalis est de obiecto,cuius natura excedit modum naturæ cognoscentis:cùm ergo modus cognitionis sit secundùm modum cognoscibilis, si modus essendi rei cognitæ excedit modum essendi cognoscentis,illa cognitio erit supra naturam cognoscentis , sic arguendo tenet argumentum. Sed tunc vna propositio est falsa , hæc scilicet quòd modus cognitionis est secundùm modum naturæ cognoscibilis : & similiter hæc, quòd nulla cognitio naturalis est de obiecto , cuius natura excedit modum naturæ cognoscentis,quia licèt cognitio sit secundùm modum cognoscentis,& non sit supra naturam cognoscentis : est tamen obiecti habentis modum cognoscibilis , & modum naturæ vltra modum naturæ cognoscentis : aliter enim nunquam perfectius cognosceretur ab imperfectiori naturaliter,vt patet ex dictis. 5

Sed si arguitur sic : obiectum,quod est essentia diuina, excedit improportionaliter in entitate potentiam cognoscitiuam intellectus creati:ergo improportionaliter excedit intelligibilitatem:ergo non est obiectum intelligibile proportionatum ei. Respondeo,si loquamur de proportione Geometrica,tunc nulla est proportio finiti ad infinitum,nec in entitate,nec in cognoscibilitate,vel intelligibilitate.

Quid proportio geometrica.

Est autem proportio Geometrica , qua continens est excedens contentum in aliquo certo gradu,& finito , ita quòd excessum aliquando replicatum reddit suum excedens:& isto modo nulla est proportio finiti ad infinitum, quia finitum quotiescunque sumptum,nunquam reddit infinitum:& illo modo,sicut entitas creata est improportionata entitati increatæ in entitate,ita in intelligibilitate , ita quòd intelligibilitas vnius multoties sumpta , numquam reddit intelligibilitatem alterius : sed ex hoc non sequitur,quòd non sit intelligibile ab illo , nisi loquendo vniformiter de proportione Geometrica. Si enim sint improportionata proportione Geometrica , non propter hoc sunt improportionata proportione alterius generis,puta proportione operationis ad suum terminum , siue cognitionis ad obiectum , quæ requiritur in proposito , siue potentiæ ad obiectum. 6

Soluit rationes aliorum.

c Ad primam rationem alterius doctoris, dico quòd destruit seipsam : oportet enim secundùm omnem opinionem negare maiorem , vel minorem. Si enim ad cognitionem illius obiecti non requiritur species impressa , tunc maior est falsa , scilicet quòd obiectum non potest naturaliter cognosci ab intellectu, in quo non potest esse secundùm modum sui,scilicet per informationem : tunc enim obiectum præsens sufficit ad imprimendum actum suum cognoscendi. Si autem ponatur obiectum præsens per speciem,& speciem requiri ad cognitionem , tunc minor est falsa: nec rationes , per quas alibi ostendit quòd species non requiritur in intellectu beati ad videndum Deum,concludunt,vt patebit alibi,quidquid sit de conclusione.

Henric.vbi sup.dist. 3. de cognitione Angelorum , & quodl.q.14. in 2.

Ad aliud,quando arguitur , quòd obiectum requirit determinatam distantiam ad potentiam secundùm quantitatem,&c.Dico quòd illa verba sunt metaphorica : nam actiuum,& passiuum corporalia requirunt determinatam distantiam,vel quantitatem, ad hoc vt agant:quia corporalis actio non recipitur nisi in quanto : sic non requiritur in intellectu , qui intelligit omne ens. Concedo tamen quòd quantitas obiecti cognoscibilis,scilicet essentiæ diuinæ, & eius simplicitas, est proportionalis in ratione cognoscibilis quantitati virtuali potentiæ intellectiuæ cognoscentis. 7

Essentia diuina est proportionata in esse cognoscibilis intellectui cognoscentis.

Ad probationem, quando dicitur quòd simplicitas diuina est magis improportionata intellectui quàm millesima pars milij visui;diceretur quòd tu petis, quia essentia diuina

diuina in ratione obiecti cognoscibilis non distat in vno gradu à virtute cognitiua intellectus, licèt plùs distet à natura. Similiter concluderet quòd non possemus videre Deum quibuscunque additis, quia totum finitum est, & per consequens distat plùs ab essentia diuina, quàm sit distantia potentiæ visiuæ à millesima parte grani milij. Similiter, intellectus per nullam informationem habere poterit proportionem quantitatis virtutis ad essentiam diuinam: ergo nunquam per quamcunque informationem poterit videre Deum.

COMMENTARIVS.

2 *Conclusio fidei. Beatitudo nõ potest acquiri viribus naturæ. Error Begardorum. Error Eunomij.* Respondeo[b] *dicitur communiter*, &c. Hîc statuit conclusionem fidei, scilicet non posse viribus naturæ acquiri vltimam beatitudinem. In qua fuit error Begardorum, vt constat ex Clementina, *Ad nostrum de Hæreticis*, &c. Fuisse quorundam sui temporis affirmat Beda *in* 1. *ad Cor.* 13. Tribuitur hic e ror à quibusdam Eunomio: sed hoc incertum est, an viribus naturæ asseruerit se habuisse comprehensionem diuinæ essentiæ, & personarum, qualem ipsæ de se personæ habuerunt, & habent, quæ fuit eius insania, & potiùs ex reuelatione sibi communicatam asseruisse insinuat Hieronymus, & Basilius contra eundem. *Anomæi.* Tribuitur Anomæis ex homiliis Chrysostomi de incomprehensibili natura Dei. Hunc errorem communiter Theologi impugnant *in hac dist.* & 1. *part. quæst.* 12. *art.*4. & damnatus est in Concilio Viennensi, in quarto articulo damnato, qui est talis: quòd *homo potest ita finalem beatitudinem secundum omnem gradum perfectionis in præsenti assequi, sicut eam in vita obtinebit beata.* & in quinto: quòd *qualibet intellectualis natura in seipsa naturaliter est beata* (supple per vires naturæ) quódque *anima indiget lumine gloriæ ipsam eleuante ad Deum videndum, & eo beate fruendum*, &c.

3 Conclusionem probat Doctor argumento pro parte negatiua in initio huius quæstionis ex illo Pauli ad Roman. 6. *Gratia Dei vita æterna*, &c. Si ex gratia, ergo non viribus naturæ. Quod perinde probant loca Scripturæ, & Conciliorum; quibus definitur necessitas gratiæ. *Responsio quorundam.* Aliqui putant vim huius argumenti euadi posse, si diceretur quòd duplex sit visio Dei; alia naturalis, quæ viribus naturæ acquiri potest; alia verò supernaturalis per gratiam: *Reiicitur.* sed hoc nihil est, quia si viribus naturæ posset acquiri visio clara Dei, & intuitiua, euacuatur necessitas gratiæ. Vnde, vt dicit Doctor, *hæc hæresis maior, quàm sit illa Pelagij*, qui posuit hominem sine gratia iustificari posse; sine gratia, inquam, actuali disponente, quia visio clara Dei est ordinis superioris, ad quam actus viatoris nequit attingere, quantùm ad perfectionem, & vlteriùs dari talem visionem viatori, includit repugnantiam, quam infrà declarabimus. Nec refert si quis dicat illam visionem non esse vitam beatam: quia repugnantia est in adiecto, cùm beatitudo obiectiua perfectè per talem visionem possideatur ab intellectu, & per fruitionem consequentem à voluntate: nam sicut visio, ita & fruitio viribus naturæ acquiri posset ex hoc errore; gratiã, & gloriam esse ex viribus naturæ perinde repugnat: quia *gratiam, & gloriam dabit Dominus* Psalm. 8. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, &c. Quod communi consensu intelligitur de visione beata, & futura in termino. Hunc errorem Patres damnant, vt Cyrillus Ierosolym. *Catech.* 6. Cyrillus Alexandr. *lib.*1. *in Ioan. cap.*8. Nazianz. *orat.*2. *de Theologia.* Nyssen. *de beatitud.* Chrysost. *suprà* citatus *in* 5. *homil. de incomprehensibili natura Dei.* Orig. *lib.*1. *Periarchon. cap.* 1. Theodoret. *in* 1. *part. Dialog.* Damascen. *lib.* 1. *de fide cap.* 1. August. 10. *de ciuit. cap.*2. & 3. *de Trinit. cap.* 17. Ambros. *lib.* 2. *in Lucam.* & *lib. de bono mortis cap.* 11. Gregor. *lib.* 18. *moral. cap.* 37. Leo Papa *in Serm. omnium Sanctorum, cap.*7. Prosper *lib.* 1. *de vita contemplatiua. cap.* 1. & reliqui Patres, quos videre licet citatos à Theologis locis præfatis.

Probatio veritatis à ratione sumi potest ex modo cognoscendi intellectus pro hoc statu, ex motiuo, & mediis intelligendi; quam fusè deducit Ægidius Lusitanus *lib.*6. *de beatitudine q.*1. *art.*4. §.6. & *art.*5. nos autẽ in specie transigemus breuitatis gratia probationes, quæ hîc afferantur. *Media impugnandi erroris à ratione.*

Prima ratio, quam adducit, est D. Thomæ, 1. *part. q.*12. *art.*4. & 1.2. *q.*5. *art.*3. & *lib.*3. *contra Gentes, cap.* 52. nihil cognoscitur nisi per hoc quòd cognitum sit in cognoscente per modum cognoscentis, vel per modum naturæ suæ: ergo cognitio est in cognoscente per modum cognoscentis. Ex quo sequitur, si modus essendi naturæ cognitæ excedit modum essendi ipsius cognoscentis, necessarium est ipsam cognitionem esse supra naturam cognoscentis: sed modus essendi Dei excedit omnem creaturam, quia ille non potest esse modus essendi alicuius creaturæ: si ergo alicui creaturæ conueniat cognitio Dei, hoc erit supra modum naturalem cognoscendi creaturæ. 4 *Prima ratio D. Thomæ. Quòd cognitũ sit in cognoscente per modum cognoscentis.*

5 *Soluitur.* Ad hanc rationem respondet Doctor *num.* 4. concedendo primam propositionem, nempe quòd cognitum est in cognoscente suo modo essendi, id est, intentionaliter per speciem: vel vt alij volunt, vt Henricus, per habitum, vel per actum, vt omnes concedunt. Deinde, quòd cognitum sit in cognoscente per cognitionem sibi proportionatam, & hoc ex natura cognoscentis, & mediante cognitione obiectum sit ipsi proportionatum. Ad propositionem conditionalem primam: *Si modus essendi naturæ cognitæ excedit modum essendi naturæ cognoscentis*, &c. *Qualis est modus essendi cogniti in cognoscente. Conditionalis.*

Respondet quòd hæc conditionalis sequitur in virtute huius propositionis: quòd *sicut se habet modus essendi cognoscibilis ad modum essendi cognoscentis, ita se habet cognoscibilitas eius ad ipsum cognoscentem*; quæ est falsa: quia cognitio potest esse alicuius obiecti superioris excedentis in modo essendi modum essendi cognoscentis, aliàs Angelus inferior non posset cognoscere Angelum superiorem, & aliàs etiam modus essendi Dei sicut excedit modum essendi intellectus creati etiam eleuati per quodcunque lumen, sequeretur quòd non posset videri sub ratione propria Deus ab intellectu creato, quod est falsum. *Fundamentum prioris falsum. Cognitio superioris excedentis potest inesse inferiori. Incõueniens.*

Dicit ergo resolutiuè quòd proportio, quæ est inter potentiam, & obiectum, non est proportio æqualitatis, sed est quædam proportionalitas,

Proportio inter potentiã, & obiectum. quæ admittit potiùs dissimilitudinem, similis illi, quæ est materiæ ad formam; entis ad finem ad ipsum finem; quæ non fundatur in æqualitate perfectionis, sed potiùs in contrario; sic etiam se habet proportio obiecti ad potentiam, quia est motiui ad mobile. Tandem reducendo argumentum ad formam, negat duas propositiones; quarum prima est, quòd modus cognitionis sit secundùm modum cognoscibilis, scilicet essendi: & alteram, quæ est, quòd nulla cognitio naturalis sit de obiecto excedente in modo essendi, modum essendi cognoscentis: *Duæ propositiones negata.*

Obiectio. Quòd si obiicias nullam esse proportionem Dei vt entis ad vllum creatum: quia infinitè excedit.

Soluitur. Respondet nullam proportionem geometricam esse Dei ad vllum creatum: quia hæc proportio est talis, vt continens excedat contentum in certo gradu finito: quem tamen gradum reddit excessum, seu quantitas contenta. Si replicetur, vt palmus decies replicatus reddit quantitatem excedentem decem palmorum, eíque æquiualet, Deus autem infinitæ perfectionis nequit per replicationem finitæ perfectionis, quantumcumque replicetur, æquari. *Non est proportio geometrica inter Deum & creaturam.*

Non sequitur inde quin sit inter Deum, & potentiam creatam proportio alterius generis, vt operatiui, & operationis ad suum terminum. Hæc summariè Doctor.

6 *Responsio aliorum.* Circa hunc discursum est magna controuersia inter vtriusque Scholæ Doctores, quam hîc terminare ex toto non licet, ob compendium temporis, & festinationem necessariam; aliquid tamen dicam, & quod supererit, in alium locum, & maius otium differo.

Respondent ergo aduersarij, & potissimùm Lusitanus, qui hanc rationem D. Thomæ sustinet *art.* 5. §. 3. *& sequentibus.*

Quatuor modi essendi generales. Præmittit ergo quatuor modos essendi generales, qui etiam ab aliis in hac controuersia assignantur per ordinem ad materiam, & abstractionem à materia: esse in materia competit corporibus; abstrahere à materia conuenit immaterialibus, & spiritualibus. Quædam sunt in materia, & ab ipsa dependent, vt bruta. Quædam sunt in materia, & ab ea abstrahunt, vt intellectus hominis. Quædam omninò separata à materia, vt ipsa sint suum *esse*, vt Deus. Quędam abstrahunt à materia, vt non sint suum *esse*, sed recipiant ab alio suum *esse*, vt Angeli. Hi quatuor modi essendi distinguunt in genere modos essendi cognoscentis in genere, ita vt natura cognoscens distinguatur à non cognoscente per abstractionem à materia, seu immaterialitatem, vt patet ex Philosopho 2. *de anima cap.* 12. *&* 3. *de anima cap.* 19. *Diuersi modi essendi, & abstrahendi materia*

Modus cognoscendi sensitiua. Itaque anima sensitiua inquantùm cognoscens quantùm ad *esse* dependet à materia, non tamen quantùm ad receptionem formarum sensibilium, seu specierum, & in hoc distinguitur à rationali anima. Hæc distingitur à Deo, & Angelis, quia est actus materiæ, licèt ab ea non dependeat in *esse*, Deus autem, & Angelus nullum dicunt ordinem ad materiam. Angelus à Deo distinguitur: quia non est suum *esse*, id est sua essentia non est, sed per actum diuersum. Deus autem est suum *esse* à se, & per essentiam: sicut ergo cognoscentia per modos essendi genericos constituuntur, ita & cognoscibilia constituuntur diuersa, per hoc quòd possint habere *esse* in cognoscente. Nam obiectum sensitiuæ, licèt sit in materia, vt cognoscitur tamen abstrahit à materia. Alia abstrahi possunt à materia singulari, vt intelligibilia in potentia, quæ sunt obiecta nostri intellectus pro hoc statu, & dicuntur intelligibilia in potentia. Alia dantur intelligibilia, quæ habent *esse* abstractum omninò a materia, sed non purum, sed receptum, & hæc pertinent ad intellectum Angeli. Vltimum tandem abstrahit simpliciter, & omni modo, vt sit purum *esse* suum, vt Deus. *Cognitio rationalis anima. Differentia inter Angelum, & Deũ. Diuersa materia à qua fit abstractio.*

7 *Inefficax illa doctrina, & æquiuoca ad propositum explicandũ.* Licèt hæc doctrina in se sit vera, non videtur rectè applicari, aut conuincere propositum. In primis processus videtur omnino æquiuocus, nã sumitur primus gradus essendi, & secundus in ordine ad materiam sensibilem, & quantam propriè dictam. Tertius autem modus essendi, qui competit Angelo in ordine ad materiam, vt est communis omnibus creaturis, nempe vt est ex nihilo, & non à se, vel vt includit potentialitatem, & compositionem ex *esse* & essentia, quam cæteræ creaturæ includunt.

Modus distinctionis Angeli est communis sibi, & aliis. Quòd si dicatur distingui per hoc quòd non includat materiam propriè dictam, neque dicat ordinem ad ipsam, rectè quidem, sed ex hoc tantùm infertur quòd sit in modo essendi diuersus secundùm naturam propriam, non verò vindicet modum operandi diuersum per hoc quod sibi, & aliis commune est.

Modus cognoscendi anima separata idem genericè cum modo cognoscendi Angeli. Vnde ab anima separata, vel etiã in corpore glorioso existẽte nequit distingui in modo generico operandi, licèt in aliqua perfectione operationis distinguatur, quia sic existẽs perfectè attingit intelligibilia in actu tã intuitiuè, quàm abstractiuè, vt aliàs suprà dictũ est, agendo de cognitione naturali animæ separatæ, & mediis cognoscendi eius, sine vllo ordine ad materiam, aut sensum, tanquàm ab iis participaret cognitionem prædictam. Quòd verò non attingat eo gradu perfectionis, sicut & Angelus, quantùm ad omnem gradum, non variat modum intelligendi genericum, prout hîc designatur: quia etiam neque Angelus inferior attingit in latitudine, aut perfectione cognoscendi totum, quod attingit Angelus supremus, licèt ex differentia præmissa modorum operandi sint in eodem genere: ergo non rectè colligitur intentum, nempe gradum genericum intelligendi animæ, vt diuersum genus constituit cognoscentis per dictum modum essendi eius.

Quòd si dicas diuersificari, vt vna est. 8

Anima dicit ordinem ad materiam, in cognitione eã transcẽdit. Hoc nihil est, quia modus perfectissimus intellectus humani ex natura potentiæ, & perfectissimi motiui non est ille modus cognoscendi, quem habet in via. Deinde, anima vt abstracta à materia semper dicit ordinem ad materiam, vt est forma, & ad totam, saltem aptitudine, & appetitu innato: ergo modus ille essendi genericus ipsi competit, quamuis in cognitione transcendat ordinem ad materiam.

Ille modus destruit cognitionem intellectus eleuati. Deinde, si modus cognoscẽdi sequeretur modum essendi iuxta rigorem prætensum illius diuisionis, sequeretur quòd nulla creatura, etiam eleuata per habitum supernaturalem, posset cognoscere Deum. Sequela est falsa, vt patet ex hactenus dictis. Probatur sequela; quia ex principiis positis, modus cognoscendi non excedit modum essendi, ita vt cognoscens non attingat aliquid alterius generis superioris in essendo, & cognoscibile in cognoscente habeat modum essendi proprium. Sed quidquid se tenet ex parte cognoscentis

cognoscentis creati per modum habitus, aut speciei, non est purus actus; & idem de cognitione: quia est qualitas creata, & in potentia ab alio existens, seu per virtutem alterius dependens, & inhærens sicut aliud quodcunque accidens; ergo nequit esse ratio attingendi ens purum, & separatum ab omnipotentia. Probatur consequentia, quia eatenus ex hoc modo philosophandi negatur possibilis illa attingentia intellectui Angelico, quia includit dependentiam ab alio in *esse*, ac proinde possibilitatem, vt opponitur actui puro in *esse*: ergo si illa est causa præcisa, vbicunque erit, habebit eundem effectum: sed ita perinde se habet intellectus eleuatus, qui per nullam eleuationem, aut formam eleuantem intrinsecam potest constitui in actu opposito suæ potentialitatis, per quam est semper à Deo in *fieri*, & *conseruari*, sicut & ipsa forma eleuans: per nullum autem eiusdem generis tribuitur actus essendi repugnans ipsi generi.

Habitus & cognitio dependent à materia, & subiecto.

9 Deinde, hinc sequitur eneruati omnes rationes, per quas Theologi, & potissimè ipse D. Thomas, probant possibilitatem nostræ beatitudinis ex appetitu innato intellectus creati ad videndum finem vltimum sub ratione propria: quia responsio est in promptu, nempe hoc repugnare, quia ex modo essendi intellectus nequit attingere obiectum excedens secundùm genus in modo essendi: & tam finis, quàm operatio creaturæ spiritualis sequitur modum essendi, ita vt non excedat in modo essendi cognoscibile, aut visibile, modum essendi cognoscentis: ergo ratio naturalis non suffragatur ad probandum Deum posse sub ratione propria videri, aut cognosci à creatura, maximè si sumatur illa ratio ex appetitu naturali potentiæ, qui tantùm esse debet ex hac ratiocinatione ad aliquid non excedens modum essendi cognoscentis: cùm tamen è contrario ens ad finem necessariò excedatur à fine, aliàs nullam perfectionem participaret à fine.

Tollitur modus probandi possibilitatē beatitudinis ex appetitu innato.

10 Deinde, quod dicitur de primo genere immaterialitatis potentiæ cognitiuæ sensitiuæ, aliàs suprà loco citato impugnatum est: quia licèt species sensibiles eo sensu dicantur à Philosopho esse immateriales, quatenùs natura in eis producendis non intendat assimilari passum agenti realiter, & in forma eiusdem rationis, neque agat per motum Physicum, qui est ad similitudinem in forma producta secundùm *esse* rei, & entis, sed ad similitudinem tantùm intentionalem: perinde tamen agit in materiam, & perinde forma intentionalis est quanta, & extensa, sicut forma realis. Accedit, vt *suprà* dictum est, has formas sensibiles non in solis potentiis sensitiuæ produci, sed etiam in aliis corporibus non cognitiuis, vt producuntur de facto formę visibiles in omni diaphano, & sic etiam in aëre species odorum & sonorum: ergo falsum est ita has formas ordinari ad potentias cognitiuas sensitiuas solas, & non ad alia subiecta, quæ non habent illam immaterialitatem, quæ attribuitur potentiæ cognitiuæ sensitiuæ per hoc solùm, quòd recipiat tales species, quæ pariformiter in aliis recipiuntur non cognitiuis. Quòd si dicatur intelligi hanc abstractionem quoad actum, non satisfacit, quia medium cognoscendi, & ipse actus ex hoc discursu habent eandem abstractionem: actus tamen ipse, & species sensibilis, vt discernitur ab actu, & specie intelligibili, recurritur necessariò ad modum essendi, vt in illis sit materialis, & extensus, in his spiritualis tantùm, & indiuisibilis. Potentia ergo cognitiua sensitiua in ratione cognitiuæ habet quòd distinguatur ab aliis tam rebus, quàm potentiis materialibus, non tamen in modo essendi, aut recipiendi species, quæ perinde in aliis recipiuntur, quæ non sunt cognitiuæ; distinguitur verò ab intellectu, vt recipit formas verè materiales, licèt in repræsentando intentionales sint, quæ repræsentatio si obiectiuè sumatur, est obiecti secundùm *esse* rei, prout etiam se habet repræsentatio propria eius in quocunque intellectu superiore, ex quo potest etiam moueri difficultas.

Modus immaterialitatis impugnatur.

Immaterialitas speciei sensibilis.

Est quanta.

Recipitur in subiecto non cognitiuo.

Sic non magis requiritur ex præmisso discursu modum essendi cognoscentis esse æqualem modo essendi cognoscibilis, quàm modum essendi obiecti cognoscibilis esse in cognoscente secundùm modum essendi cognoscentis; quia sicut modus essendi cognoscentis se habet ad cognoscibile per similitudinem essendi, ita etiam modus essendi cognoscibilis in cognoscente se habet ad modum essendi cognoscentis, imò hoc magis videtur requiri. Sed obiectum cognoscibile inferioris ordinis, in cognoscente superioris ordinis habet modum essendi perfectiorem, vt v.g. lapis in intellectione diuina habet modum essendi perfectiorem, quàm habeat lapis in seipso: quia habet modum essendi ipsius diuinæ intellectionis: ergo sicut non repugnat cognoscibile habere perfectiorem modum essendi in cognoscente, quàm sit modus essendi eius in seipso: sic etiam non repugnat cognoscens habere imperfectiorem modum essendi, quàm habeat cognoscibile in seipso. 11

Modus essendi obiecti in cognoscente quandoque est perfectior.

Confirmatur, quia cognoscens vt comparatur ad suum perfectissimum cognoscibile, se habet vt perfectibile ad perficiens, & perfectiuum: omne autem perfectibile, inquantùm perfectibile, est inferioris ordinis, & in potentia passiua respectu perficientis, & perfectiui, vt est in actu: ergo magis conuenit perfectibili excedi à perfectiuo ex genere suo, quàm excedere perfectiuum, aut illud adæquare in modo essendi. 12

Confirm.

Perfectibile non accedit ad perfectionem perfectiui.

Confirmatur secundò, quando aliquid est per plures causas, potest per vnam habere aliquem gradum perfectionis, quem non habet præcisè ab alia, si causæ necessariò requirantur: sed intellectio ita se habet, vt sit ab intellectu, & obiecto: ergo ex obiecto potest habere aliquem gradum perfectionis, quem non habet præcisè ab intellectu: sed immaterialitas, & abstractio, vt supponitur, non competit intellectioni ab intellectu, sed etiam à cognoscibili: ergo etiam maior abstractio à materia potest competere intellectioni, quàm cognoscenti ex modo essendi: v. g. anima separata potest cognoscere naturaliter substantias separatas tam intuitiuè, quàm abstractiuè, vt suo loco probatum est suprà; sed intellectio illa, vt est obiecti; abstrahit ab omni ordine ad materiam tam actu, quàm aptitudine: à materia, inquam, abstrahit corporali: non ita intellectus, aut anima, quia dicit appetitum, & ordinem ad corpus, vt subiectum natum informari ab ipsa, & ad totum, vt est pars eius: ergo obiectum in cognoscente non habet eundem modum essendi semper, quantùm ad immaterialitatem, & abstractionem, quam habet cognoscens. 13

Confir. 2.

Intellectio ab obiecto trahit perfectionem & abstractionem.

Ex his patet ad illam propositionem, quòd res sit in cognoscente per modum essendi cognoscentis, 14

gnoſcentis, & prout Philoſophus dicit 3. *de anima cap.* 8. *& alias*, res eſſe in anima, &c. Intelligendum eſſe de *ineſſe* intentionali, & non reali, ſed per ſimilitudinem intentionalem, & repræſentatiuè; non verò in *eſſe* entis: quia id repugnat. Quòd ſi ergo repugnat rem eſſe in anima ſecundùm modum realem eſſendi rei, non ſequitur quòd modus cognoſcendi genericus obiecti, aut ſpecificus, non poſſit excedere modum eſſendi cognoſcentis: quia quod conuenit per medium alteri præciſè, nequit ineſſe eidem perfectiori modo, quàm inſit medio; ſed *eſſe* obiecti in anima ſolùm eſt per ſimilitudinem repræſentantem, ſiue impreſſa ſit, ſiue expreſſa; ergo modus eſſendi obiecti non communicat animæ, niſi inquantùm communicat huic medio, quod eſt ſimilitudo repræſentatiua eius: ſed hæc non accedit, inquantùm repræſentatiua eſt in eſſendo, ad modum eſſendi obiecti in ſe: ergo neque requiritur etiam vt cognoſcens ita accedat in modo eſſendi, ad modum eſſendi obiecti: ergo ſicut ipſa ſimilitudo quantùm ad modum eſſendi aliquando excedit, aliquando non accedit ad perfectionem eſſendi obiecti, ita etiam cognoſcens inquantùm poteſt ita accedere, & non accedere, ſed deficere à modo eſſendi obiecti in proprio ſuo *eſſe*. Et patet conſequentia, quia nulla eſt comparatio cognoſcentis, quà cognoſcens eſt, ad obiectum, niſi præciſè ratione cognitionis, quia omnis alia comparatio eſt ipſis extranea: cognitio autem ſecundùm modum eſſendi genericum nō neceſſariò proportionatur in eſſendo obiecto, licèt in repræſentando proportionatur. Quod ergo dicitur, quòd modus naturalis operandi ſequitur modum naturalem eſſendi *ex* 2. *de cælo* Verum quidem eſt, quia operatio ſupponitur, & ſequitur etiam ad *eſſe*: & ſi cauſa eſt totalis, nequit dare aliquod *eſſe* ſuo effectui, quod ſit perfectius quàm ipſum *eſſe* cauſæ, ſicut neque producere aliquem effectum, qui excedat perfectionem cauſæ: ſed in cauſis partialibus non verificatur hoc, quia perfectio effectus poteſt creſcere vltra perfectionem ſaltem cauſæ minùs principalis. ſed præterea admitto in præſenti materia perfectionem intellectionis quantùm ad modum eſſendi non excedere modum eſſendi potentiæ; ſic autem conſideratur vt quædam qualitas, & accidens inhærens; inde non ſequitur quin per intellectionem obiectiuè attingatur obiectum, quod habet perfectiorem modum eſſendi, & in ſe ſit perfectius ens, quàm ſit cognoſcens: imò contrarium neceſſariò ſequitur, quia comparatio potentiæ, & cognoſcentis mediante potentia ad ſuum obiectum perfectiſſimum, eſt comparatio entis ad finem, quà finis eſt, in quo quietatur vltimatè; quod maximè verum eſt de potentia ſpirituali, & beatificabili in obiecto, vt in fine: ens autem ad finem neceſſariò decreſcit à perfectione finis, quantùm ad modum eſſendi: ergo neceſſariò ordinatur ad aliquid ſe perfectius in eſſendo, ad quod ſe habet in potentia perfectibili. Propoſitio ergo vera eſt in hoc ſenſu, quòd cognoſcens non excedit, inquantùm cognoſcens eſt, modum ſuum eſſendi, non ſolùm vt abſolutè in ſe conſideratur, ſed etiam vt ordinatur ad aliud ſecundùm exigentiam ſuæ naturæ, & ſecundùm modum attingentiæ, quæ ex perfectione naturæ, & mediorum ipſi competit in propria ſpecie: non ſequitur tamen inde non poſſe intentionaliter attingere obiectum, quod in ſuo modo eſſendi excedit modum eſſendi ſubiecti cognoſcentis.

Declaratur modus eſſendi rei in anima, & intellectu.

Extremum non communicat extremo niſi in medio.

Comparatur cognoſcens ad cognitū media cognitione tantùm.

Effectus poteſt excedere cauſam partialem.

Comparatio intellectus ad obiectum vt ad finem.

Explicatio dictæ propoſitionis.

15 Propoſitio etiam ita verificari debet, vt ordo ad finem non tollatur: maneat autem modus operandi commenſuratus modo eſſendi; quæ commenſuratio in hoc conſiſtit; ſicut actus primus in qualibet creatura eſt limitatus, & compoſitus ex potentia, & actu, nempe quia ex nihilo eſt, & retinet in eſſendo tam quoad genus, quàm quoad ſpeciem limitationem ſui, quàm quoad perfectionē actus primi, quę limitata eſt, & finita, ſic etiam quoad actum ſecundum remaneat ſimilis limitatio, & finitudo includens priuationem exceſſus in perfectione: ſicut ergo Angelus & anima quoad actum primum ſunt finiti, & limitati, ita etiam quoad ſecundum ſunt ſimiliter limitati, & finiti. Deinde, ſicut limitatio actus primi eſt talis, quòd ex natura ſua nequit includere per identitatem in ſubſtantia perfectionem actus ſecundi; ita etiam actus ſecundus ſit adueniens per modum formæ componentis, vt eſt operatio, & media adiuncta operandi, quæ ſunt formæ accidentales, quæ inſunt per inhærentiam, & non per identitatem, non ſicut inſunt ſua attributa diuinæ eſſentiæ, quæ in ſe vnitiuè continet latitudinem totam eſſendi, ſub infinita perfectione.

Proportio inter modum eſſendi cognoſcentis, & ipſius eſſe.

Commenſuratio debita actus primi & ſecundi.

In limitatione & compoſitione.

16 Hoc ergo modo, operandi modus ſequitur modum eſſendi, & ita etiam modus operandi in ſpecie ſequitur perfectionē, & limitationē eſſendi in ſpecie, quæ limitatio ſaluari poteſt in modo agendi circa idem etiam obiectum commune, ita vt ſiue intellectus animæ eſt inferioris gradus intellectualitatis; ita etiam non attingat æquè perfectè obiectum intelligibile, ſicut attingit naturaliter intellectus Angeli: v.g. homo, & aquila vident Solem; quem etiam videt noctua, ſed aliter, & aliter perfectiùs attingunt idem obiectum. Eodem modo in propoſito de anima, & Angelo dicendum eſt. Et ſecundùm hunc modum diuerſitatis meliùs explicatur illud principium, quia vniuerſaliter verificatur, quòd modus operandi ſequatur modum eſſendi, eique proportionatur, non ſolùm modo eſſendi generico, ſed etiam ſpecifico: quia ſicut *eſſe* rei perfectiùs attenditur ſecundùm ſpeciem, quàm ſecundùm genus; ita & modus operandi; & ſicut differentia ex modo eſſendi limitat modū operandi, ita hæc limitatio etiam in ſpecie modi operandi, eſt ex modo eſſendi, eiuſque limitatione. Modus tamen eſſendi intrinſecus ſicut comparatur ad rem ipſam abſolutè, & ea quæ conſequenter inſunt; ſic non variat ordinem extrinſeci ad ipſam rem, prout merè eſt extrinſecum, & nihil faciens ad conſtitutionem intrinſecam actus primi, aut ſecundi. Ideóque obiectum, & finis, quæ ſunt extrinſeca, ſicut & cauſa efficiens, non debent communicare in modo eſſendi cognoſcenti inquantùm ad ipſa, vt extrinſeca comparatur: nam ſicut effectus quicunque efficientis in actu primo non neceſſariò communicat in modo eſſendi ſuæ cauſæ; ita etiam neque finis extrinſecus, & perfectiuus in modo eſſendi debet communicari enti ad finem; ſed contrarium videtur dicendum: quia finis vltimus rei debet excedere in perfectione, & eſſe ens, quod eſt ad ipſum.

Eadem proportio ſeruatur circa modum operandi in ſpecie.

Comparatio extranea ordini rerum.

17 Obiectum autem vt comparatur ad cognoſcentē ſecundùm modum eſſendi proprium obiecti, vt antecedit, habet rationem efficiētis, & finis. Ex vtraque ergo hanc ratione non debet communicare

municare in modo eſſendi cognoſcenti, licèt in ratione termini poſſet ad illud eſſe operatio cognoſcentis, & vt effectus, & vt ordinatur ad perfectiuum extrinſecum operantis: *eſſe* verò quod eſt intentionale ipſius obiecti in cognitione, eſt *eſſe* eius ſecundùm *quid*, & non *eſſe* ſimpliciter. Hoc etiam eſſe intentionale in quantum terminat cognitionem operantis, eſt eſſe obiecti in ſpecie, vel cognitione abſtracta: nam cognitionem intuitiuam terminat obiectum ſecundùm ſuum *eſſe* reale, & extrinſecum, quæ cognitio ex genere ſuo eſt vltima, & quietans appetitum cognoſcentis. De priori intelligendus eſt Philoſophus, quando dicit obiectum eſſe in cognoſcente, & intellectum fieri omnia, niſi etiam intelligatur de expreſſione formali ipſius cognitionis, qua vnit obiecto etiam extrinſeco.

Obiectum comparatur ad operantē vt efficiens, & finis.

Eſſe intentionale obiecti.

18 Obiicit tamen præfatus author antiquitatem huius Philoſophiæ, vt quæ deſumpta eſt ab authore libri de Cauſis inter opera Ariſtotelis, fuerit ipſe author, vel Proclus, vel Auempace, vel alius quicunque ex diſcipulis Ariſtotelis. Probat autem præmiſſam propoſitionem. *Cognitio cuiuſcunque cognoſcentis eſt ſecundùm modum eſſendi naturæ ipſius*, &c. Hanc ſic probat ex propoſitione 8. *Omnis intelligentia ſcit quod eſt ſecundùm ſe, & quod eſt ſub ſe*, &c, & explicat modum ſic: & *Intelligentia quidem hac eſt ſubſtantia intelligibilis: ergo ſecundùm modum ſuæ ſubſtantiæ ſcit res, quas acquirit deſuper, & res quibus eſt cauſa*, &c. ergo apertis verbis docet Intelligentiam tam res ſuperiores, quàm inferiores intelligere ſecundùm modum ſuæ ſubſtantiæ. Quòd verè intendat modum eſſendi naturæ, explicat dicens: *cognoſcit cauſam ſuam, & cauſatum ſuum: per modum qui eſt cauſa eius, ſcilicet per modum ſuæ ſubſtantiæ, & ſui eſſe*, &c. Id eſt, Intelligentia cognoſcit & ſuam cauſam, & ſuum cauſatum, qui ipſimet Intelligentiæ eſt cauſa, vt ſit quædam natura cognoſcens: quia hæc omnia cognoſcit, ſecundùm gradum eſſendi immaterialem, & intellectualem, qui reponitur in *eſſe* talis cognoſcentis: & mox declarat vltimis verbis: *& quia ipſa non apprehēdit niſi per modū ſuæ ſubſtantiæ; & ipſa eſt ſua Intelligentia, apprehendit res apprehenſione intelligibili, ſiue intelligibiles ſint, ſiue corporea*, &c. Ergo docet Intelligētiam intelligere ſecundùm modum eſſendi ſuæ naturæ. Patet idem ex propoſitione illa Procli 173. *Omnis intellectus intellectualiter eſt, & quæ ante ipſum, & quæ poſt ipſum*, id eſt, ſecundùm modū intelligendi ſuæ naturæ intelligit ſuperiora, & inferiora.

Obiectio contra reſoluta.

Auctor libri de cauſis.

Propoſitio octaua illius Auctoris.

19 Reſpondetur longè diuerſum eſſe inſtitutum & mentem authoris illius libelli ab interpretatione præmiſſa; hic enim poſuit Intelligentias ab æterno, vt patet in propoſitione ſecunda: *Cauſa prima*, inquit, *eſt ſuper æternitatem, quoniam æternitas eſt cauſatum ipſius, & Intelligentia opponitur, vel parificatur æternitati, quoniam extenditur cum ea, & non alteratur, neque deſtruitur*, &c. & antè præmiſit: *ſed eſſe, quod eſt cum æternitate, eſt Intelligentia, quoniam eſt eſſe ſecundùm habitudinem vnam, non patitur, neque deſtruitur*, &c. Hæc eſt cōmunis ſententia, & error tā Platonicorum quàm Peripateticorum Philoſophorum, qui Intelligentias ponebant ab æterno; quem errorem corrigit Dionyſ. *de diu. nominibus cap.* 1. dicens cum Scriptura res non eſſe ab æterno. Negabant conſequenter hi Intelligētias pati, aut alterari ſecūdùm motū; quia ſicut æternitas eſt indeficientia eſſendi cum immobilitate: ſucceſſio autem contingit ſecundùm prius & poſterius in motu ſecundùm tempus, ideò negant in æternitate Intelligentiæ, aut ipſa Intelligentia, quæ coëxtenditur æternitati, dari prius, aut poſterius, aut alterationem, & paſſionem, quæ fiunt in tēpore: quoniam ſicut definit etiā Boëtius de Conſolatione in fine, *æternitas eſt interminabilis vitæ, & tota ſimul, & perfecta poſſeſſio*, ſic excludit omnem ſucceſſionem, & motum in ſua entitate: & ſic dicebant prædicti Philoſophi Intelligentias, ſeu intellectum ſeparatum, habere indeficiētiam, & immobilitatem quantùm ad *eſſe*, & virtutem, & operationem. vnde Propoſitio 169. Procli eſt hæc. *Omnis intellectus in æternitate ſubſtantiam habet, & poteſtatem, & operationem.* Hoc ipſum inſinuat probatio ſubiuncta ab hoc authore: *quoniam*, inquit, *eſt eſſe ſecundùm habitudinem vnam, vnde non patitur, neque deſtruitur*, &c. non patitur, ſcilicet alteratione virtutis, aut operationis, neque deſtruitur: quoniam eſt *eſſe* vniformiter ſe habens, & ſecundùm habitudinem vnam. & hoc etiam eſt quod Ariſtoteles, vt *ſuprà* viſum eſt de ceſſatione motus cælorum, negat, inquam, ſempiterna entia aliter ſe habere in ſe, aut dicere nouam habitudinem ex ratione ſui, ſed tantùm terminare nouā habitudinem, quæ eſt in mutabilibus; quia nempe ſempiterna non ſunt mutabilia, neque alterabilia, ſed dicunt eſſe neceſſarium, & ſecundùm vnam habitudinem. & dicit hîc author: vnde motum & mutabilitatem tribuit animæ nobiliſſimæ (ſupple cælorum) quos Platonici conſtituebant animatos. Vnde hanc animam ſecundùm ſubſtantiam ponebant attingere æternitatem, & ſecūdùm operationem tempus ratione motus, qui fit corporum cæleſtium in tempore, eámque ponebant in horizonte æternitatis, id eſt in vltimo circulo viſibilis hemiſphærij, quaſi anima eſſet in vltimo termino æternitatis, & principium temporis.

Reſponſio. Error illius authoris.

Intelligentias eſſe ab æterno.

Communis fuit.

Eum corrigit.

Secundus error.

Intelligentias non alterari, aut mutari.

Æternitas quid ſit.

Conſentit Ariſtoteles.

Animati cæli ſecundùm Platonicos.

Suppoſito ergo hoc, quod dicit de æternitate, immobilitate Intelligentiæ intelligant ea, quæ adducit contra noſtram ſententiam. Pater Ægidius, ex illa propoſitione octaua: quia cùm probauerit propoſitione ſeptima, quòd Intelligentia non ſit corpus, nec aliquid diuiſibile diuiſibilitate quantitatis, aut motus, aut temporis: quia Intelligentia non eſt diuiſibilis ſecundùm ſubſtātiam, aut operationē: *facta*, inquit, *eſt Intelligentia ſuperior omni corpore, omni tempore, & omni multitudine: quod ſi inueniatur in ea multitudo, nō inuenitur multitudo niſi quòd res ſit vna exiſtēs*, &c. Hāc multitudinem tribuit Intelligētiæ iuxta modum philoſophandi Platonicorū, qui ponebāt formas ſubſiſtentes ſeparatas, quarum participatione indiuidua conſtituerentur, vt Petrus in *eſſe* à cauſa prima, quæ eſt primum ens, in *eſſe* animalis ab animalitate ſeparata prima, in *eſſe* intellectiui ab intellectu ſeparato, & ſic de aliis, quamuis omnes hæ rationes eſſent vnum in exiſtentia. hunc modum impugnat Philoſophus *in libro primo Met.* ſic ergo Intelligentia inferior recipit ſuas bonitates, & perfectiones participatione ſuperiorum formarum, & licèt ſub hac ratione dici poſſet multiplex, tamen vt dicitur vna, eſt in exiſtentia, & non diuiditur. Ideò ſubdit: *cùm ergo Intelligētia ſit ſecundùm hunc modū* (id eſt, vna res exiſtēs) *diuiſionem penitùs non recipit*, &c. quod eſt, quia cùm *vult ſcientiam rei corporalis, non extenditur cum ea, ſed ipſa ſtat fixa ſecundùm ſuum diſpoſitionem, quoniam eſt forma, à qua non tranſit aliquid, & corpora quidem* 20

Forma ſeparata, ſeu idea Platonicorum.

Operatio eſt ſubſtantialis Intelligētiæ.

quidem non sunt ita, & significatio, quòd Intelligentia non est corpus, neque diuiditur substantia eius & operatio eius, quòd vtrique sint res vna.

Expositio D. Thomæ. Cuius probationis vis ita declaratur à D.Thoma *lectione* 7. ex Proculo *Quòd autem, inquit, intellectus sit æternalis, manifestat operationis ad substantiam identitas, & est virtus probationis huius: quia res illa, cui sua operatio accidentaliter aduenit, secundùm illam operationem, variationem accipit, vt quandoque operetur, quandoque non operetur, vel quandoque magis, quandoque minùs operetur: res autem illa, cui conuenit sua operatio secundùm suam essentiam inuariabiliter operatur: talis est intelligentia, cui conuenit intellectualis operatio secundùm naturam suæ essentiæ*, &c. quem doctrinam ibidem reprobat.

21 *Exponitur modus, quo errorem statuit in propositione octaua.* Ad propositum ergo in propositione illa octaua declarat modum, quo Intelligentia scit omnia, nempe in sua propria substantia tanquàm motiuo, quæ & repræsentat causam superiorem, & causata inferiora, & hæc est cognoscere secundùm modum suæ substantiæ, inquantùm repræsentat causam, & causata, per operationem substantialem, & scientiam, quæ identificatur suæ substantiæ, quam dicit esse supra motum, tempus, & quantitatem, neque pati, neque diminui, vt ex dictis colligitur, & sic est indiuisibilis quoad hæc, in essendo, sic etiam quoad operationem est indiuisibilis, & non multiplex: quia secundùm modum suæ substantiæ essendi indiuisibilem, & inseparabilem in *esse* à substantia, non sicut alij intellectus inferiores, vt animarum, qui intelligunt diuisibiliter secundùm tempus, & alterantur operando. Hæc est intentio huius Authoris, & non illa, quam eidem tribuit Ægidius. Hæc autem doctrina est falsa, quam reiicit fides, quantùm ad principium, in quo fundatur de æternitate intelligentiæ, ex qua concludit ille author eius immobilitatem in *esse*, & *operari*: & quantùm ad conclusionem deductam.

22 *Reiicitur præfatus error.* Reiicit etiam Theologia communis Scholæ, quantùm ad consubstantialitatem operationum, & est erronea, quantùm ad necessitatem, quæ ex ea sequitur liberi arbitrij: illam identitatem operationis ad intelligentiam impugnat Doctor *in prima distinctione huius quarti*, vbi contra eam disseruimus. Eam impugnat D.Thomas 1.*part. quæst.* 54.*ar.* 1. Quæ autem obiicit prætereà præfatus author ex Athanasio, & Maximo, sunt facilis solutionis, quia nos admittimus cum Athanasio non

Explicatur Athanasius & cæteri. posse intellectum creatum attingere Deum ex viribus naturalibus, quia creatus est ex non ente, & illud obiectum supra vires illius sit; tamen potest intellectus eleuatus attingere Deum sub ratione propria, quamuis hoc totum etiam ad genus entis creati spectet, neque eleuatio extrahat intellectum extra naturam intellectus creati, licèt ei tribuat vires supra naturam propriam, quibus attingat Deum, modo tamen proportionato suo modo essendi, id est, finito modo. Rationem autem illam rectè assignat, quia intellectus creatus habet obiectum motiuum proprium, quod est ens creatum loquendo de motiuo naturali, non verò Deum sub ratione propria, qui ex creatis non est.

Ad idem refertur ratio Maximi, & reliquorum Patrũ, qui negãt Deum videri naturalibus viribus intellectus creati, aut etiam comprehendi ab intellectu creato etiam eleuato: & non solùm Philosophi dicerent Intelligentias non posse attingere primum ens sub ratione propria, sed inquantùm se habet vt causa, sed etiam dicerent Intelligentias inferiores non posse attingere superiores, nisi vt superiores sunt causæ ipsarum. Ideóque nullo modo fundarent se in illo modo essendi generico & communi omnibus Intelligentiis quantùm ad proportionem cognitionis cum modo essendi in qualibet; sed fundarent se in modo essendi particulari, & specifico cuiuslibet inquantùm deficit à modo essendi, & perfectione superioris, ita vt essentia propria cuiuslibet intelligentiæ sit ipsi ratio intelligendi, & obiectum primum, & motiuum solum sui intellectus, inquantùm est causata à superiori, & causa inferioris. Neque videtur ratio, vnde intellectualitas, quæ sequitur ad gradum specificum, non inferat eandem diuersitatem, seruata proportione, quoad modum operandi, quam infert intellectualitas, quæ sequitur ad gradum genericum. *Sensus Philosophorum diuersus ab eo, qui obiicitur.* *Dicunt Intelligentiam cognoscere per suam essentiam.*

Ex dictis patet quid dicendum sit ad aliam perfectionem secundæ proportionis conditionalis, scilicet: *si modus essendi rei cognitæ excedit modum essendi naturæ cognoscentis, cognitio illius est supra naturam cognoscentis*, &c. quam propositionem probat Lusitanus ex eodem authore libri de Causis, cuius verba sũt eodem in loco. *Et similiter omnis sciens non scit rem meliorem, & rem deteriorem nisi secundùm modum secundùm quem res sunt*, &c. Si ergo rem meliorem non cognoscit secundùm modum, quo illa est in se, sed secundùm modum naturæ cognoscentis, vtique rem altiorem in modo essendi non cognoscit, vt illa in se est cognoscibilis, sed modo inferiori. 23 *Secunda conditionalis soluitur, eiusque probatio.*

Respondetur ex dictis intentum authoris esse probare quòd cognitio rei altioris, & inferioris sit eadem substantiæ cognoscentis Intelligentiæ, & fieri per ipsam essentiam, vt est causa, & causatum, & fieri indiuisibiliter, & inseparabiliter ab essentia, quæ sicut est indiuisibilis, & æterna, vt prætendit ille author, ita etiam cognitio earum est indiuisibilis: & quamuis diuersæ res sint superiora, & inferiora in seipsis: tamen cognitio earum non est diuersa, sed vna: quia non cognoscit res illas diuersas secundùm modum, quo res ipsæ in se sunt diuersæ, participando ab ipsis rebus cognitionem tanquàm ab obiectis motiuis specificantibus, sed cognoscit per modum suæ essentiæ, tanquàm motiui, & medij cognoscendi, & indiuisibiliter, ea, quæ in seipsis diuisa sunt. Hoc modo dicimus Deum cognoscere creaturas per modum suæ substantiæ indiuisibiliter, quantùm est ex parte cognitionis. Ea quę adducit ex Chrysostomo, & Dionysio de incognoscibilitate Dei, sub ratione propria à creatura, vera sunt; quia illud est superexcedens vires intellectus creati, & omnis per se obiecti motiui naturalis eius. *Explicatio, & scopus intentus ab illo authore.*

c *Ad primam rationem alterius Doctoris*, &c. Hæc ratio est D.Thom. *lib.* 3. *contra Gentes c.* 51. éstque Henrici, & est talis: Illud obiectum non potest cognosci à cognoscente, quod non est per modum, qui competit illi cognoscenti; sed sic Deus non est in creatura: ergo, &c. Minor probatur; Nihil intelligitur nisi quod se habet per modum informantis ad intellectum; sed Deus non sic se habet: ergo, &c. 24 *Ad rationẽ D. Thomæ.*

Respondet Doctor rationem hanc seipsam destruere secundùm omnem opinionem, scilicet de modo, quo causatur cognitio rei intuitiua, si ad eam requiratur species impressa, concurrens simul *Responsio*

simul cum obiecto præsente; vel non requiratur: quia si non requiritur, sed sufficiat obiectum se ipso, maior est falsa: si autem requiratur, minor est falsa: quia sic potest dari species impressa Dei, nec rationes Henrici oppositum probant, *quodlibeto 3. quæst. 1. & quodlibeto 4. quæst. 7. & in summa art. 33. quæst. 2.* vbi negatiuam probare contendit.

Aliam prætereà rationem Henrici ad idem soluit, cuius solutio patet ex litera, & ex dictis. Veram autem probationem adducit Doctor *infrà in secunda conclusione principali*, quã ibi sequendo ordinem textus, explicabimus. Videantur moderni, specialiter Ægidius Lusitanus, & noster Pater Theodorus Smising *tract. 2. de inuisibilitate Dei*, Expositores D. Thomæ locis citatis.

SCHOLIVM.

Animam humanam ex se esse immediatè susceptiuam beatitudinis: quia per nihil accidentale fit huiusmodi susceptiuum, alioquin secundùm quid *tantùm bearetur.*

8 d RESpondeo ergo ad quæstionem, duas conclusiones declarando. Prima est, quòd natura humana ex puris naturalibus est immediatum susceptiuum beatitudinis. Secunda est, quòd natura humana non est sufficienter actiua ex puris naturalibus ad videndum Deum visione beata. Ex quibus sequitur propositum, scilicet quòd homo non potest ex puris naturalibus consequi beatitudinem. *Concl. 1.*

Prima conclusio probatur sic. Naturæ humanæ ad hoc, quòd sit capax beatitudinis, non additur aliqua natura ab essentia sua, quia tunc natura humana manens eadem natura, non beatificaretur, nisi per aliquid accidentale superadditum: nec per habitum est immediatum susceptiuum beatitudinis, quia ratio recipiendi beatitudinem non potest esse habitus, quia nec modò per habitum recipitur actus: quia cùm habitus generetur ex actibus, sequitur actus ipsos: ergo habitus in via non est ratio recipiendi actum: ergo multò minùs in patria. *Natura humana ex se est immediatè susceptiua beatitudinis.*

Prætereà, susceptiuum, quod ordinatur ad multas formas ordinatas, maximè ordinatur ad perfectissimam; sed voluntas ordinatur ad multas volitiones, & intellectus ad multas intellectiones: ergo maximè ad beatitudinem, cùm sit perfectissima: si ergo est immediatum susceptiuum alicuius illarum; ergo istius, quia ista maximè perficitur.

Dices quòd habitus requiritur, vt perfectiùs perficiatur beatitudine; vnde habitus requiritur propter perfectionem beatitudinis. Contrà, tunc sequitur quòd anima humana secundùm *quid* perficitur beatitudine, sed habitus simpliciter: & tunc habitus videt Deum, & charitas diligit Deum, & non anima humana, nisi per accidens, & secundùm *quid*.

Ideò dico primò, quòd anima humana in puris naturalibus est immediatum susceptiuum beatitudinis.

COMMENTARIVS.

25 d RESpondet ergo ad quæstionem, &c. Statuit hîc primam conclusionem, quòd natura humana ex puris naturalibus sit susceptiua beatitudinis, &c. Circa hanc conclusionem tot sunt modi dicendi, vt omnia penè vertant in dubium, & maximam patiant confusionem; inuenerunt enim tot munera, & functiones luminis gloriæ, vt difficile sit recensere, ne dicam in re tam obscura impugnare. Quantùm ad præsens institutum, aliqui tenent lumen gloriæ esse susceptiuum visionis; alij dicunt esse dispositionem ad recipiendam visionem, sicut calor est dispositio ad recipiendam formam ignis: alij dicunt esse dispositionem primò, & per se; alij docent esse dispositionem secundariò. Inter primariò, & secundariò disponere, hoc interest, vt lumen gloriæ primò ordinetur tanquàm dispositio ad recipiendam ipsam visionem: disponere secundariò est lumen gloriæ ordinari ad recipiendam essentiam diuinam per modum actus primi vniri potentiæ, secundariò verò ad recipiendam ipsam visionem. Varios hos modos magis in specie adducit Suarez *in 1. part. lib. 2. de attributis negatiuis Dei, cap. 15.* & Ægid. *lib. 9. de beatitudine quæst. 5. art. 9. §. 1.* qui tenet. §. 3. lumen gloriæ esse dispositionem ad visionem, *& assertione 2.* non esse dispositionem per modum receptiui. *Conclusione* verò 3. esse dispositionem primò ordinatam ad recipiendam visionem, & non solùm secundariò.

1. Conclus. Natura humana est per se susceptiua beatitudinis.

Variæ opiniones de munere luminis gloriæ.

26 Conclusio Doctoris est negatiua, quam docet aliàs sæpè, præsertim *in 3. distinct. 14. & quodlibeto 14.* & hîc in litera; quem in hoc sequitur Capreolus *in hac dist. quæst. 4. art. 3. ad 1. Scoti.* Hispalensis *quæst. 4.* Soncinas *ibidem*, Sotus *quæst. 2. art. 4.* Molina *1. part. quæst. 12. art. 5. disput. 1.* Ferrariensis *3. contra Gentes, cap. 54.* Vasquez *1. part. disput. 43. cap. 1.* Durand. *in hac dist. quæst. 2.* eámque magis probat Suarez *loco citato n. 27.* Pezantius *1. part. quæst. 12. art. 5. disput. 1.* Salas. *1. 2. tractatu secundo, disputat. 5. sect. 3.* & potest dici communis, licèt pauci moderni transierint in oppositum, vt Cabrera, Ledesma, Nacarrete Loria.

27 Probat Doctor conclusionem nihilo superaddito. Natura humana est capax beatitudinis, & idem de Angelica: ergo non recipit beatitudinem mediante lumine tanquàm receptiuo. Antecedens patet, siue enim creatura spiritualis habeat inclinationem passiuam naturalem (vt *suprà quæst. præced.* probatum est, habere. *& quæst. 9.*) siue obedientialem

Probatio conclusionis.

dientialem ad beatitudinem; tam vna, quàm altera reducitur ad actum immediatè per formam, ad quam est: tam vna, quàm altera etiam conuenit ab intrinseco, quà est substantia spiritualis creata, & non per aliquam rem superadditam; quia illæ potentiæ passiuæ sunt proprietates naturales conuenientes præcisè per principia intrinseca subiecti: ideóque ipsa creatura est, & dicitur beatificabilis, & vnibilis beatitudini obiectiuæ. Deinde, beatitudo consistit in operatione: ergo debet recipi in potentia immediatè, cuius est operari: aliàs eadem ratione, qua diceretur recipi in habitu, vt subiecto immediato; posset etiam dici beatitudinem consistere in aliquo, quod recipitur in essentia, & mediante essentia communicari potentiæ, vel certè consistere in aliquo habitu ipsius potentiæ. Consequentia probatur, quia negatur hoc communiter: quia nihil potest tendere, aut vniri obiecto beatifico immediatè, nisi potentia mediante operatione, & quà operatur; si autem habitus esset immediatum susceptiuum operationis, hoc esset falsum: ergo, &c.

Natura non per aliud superadditũ recipit beatitudinem.

Beatitudo est operatio potentiæ in ea recepta.

Habitus non est subiectum operationis.

Deinde, quia in via non recipitur per habitum actus tanquàm per principium receptiuum; quia si loquamur de habitu acquisito, sequitur actum, ex quo fit: si de supernaturali, actus tam fidei, quàm spei, & charitatis supponitur in peccatore in sui conuersione ante habitus: eadem autem forma respicit idem subiectum vniformiter; & secundùm eandem rationem susceptiui.

28 Deinde, susceptiuum, quod ordinatur ad plures formas ordinatas, maximè ordinatur ad perfectissimam: sed voluntas ordinatur immediatè, & seipsa ad multas volitiones, & intellectus ad multas intellectiones, quas immediatè recipit se ipso, & non mediante alio subiecto, vt patet ex ratione iam præmissa, vt contingit in via, antequàm insint habitus: ergo maximè ordinantur ad recipiendam immediatè beatitudinem, quæ est perfectissimus actùs potentiarum. Probatur consequentia; quia appetitus naturalis potentiæ, & passiuus vniformiter se habet ad ea, quæ sunt ad finem, & non est alius ad ipsum finem; quia idem appetitus, secundùm quem tendit in finem, est idem ipse qui quietatur in fine. Vel aliter sic: eodem appetitu inclinatur in primum suum obiectum, appetitu, inquam, passiuo, quo inclinatur in alia contenta sub primo obiecto: ergo sub eadem ratione receptiui vnitur tam bono in communi, quàm bono in particulari, & consequenter seipsa potentia recipit perfectionem, quæ consistit in sua operatione ab obiecto in communi, & particulari.

1. Ratio. Magis ordinatur potentia ad receptionem beatitudinis quàm habitus.

Appetitus vniformiter se habet ad finem.

29 Et si dicas mediante potentia obedientiali recipere perfectionem à primo ente. Non refert quantùm ad præsens, quia intenditur tantùm quòd seipsa recipiat, & non mediante alio receptiuo: ergo sicut in via perficitur immediatè à primo ente, tanquàm immediatum susceptiuum operationis supernaturalis, & non mediante habitu, ita etiam dicendum erit quoad operationem in patria. Vnde sententia opposita nescio quo fundamento Thologico, aut Philosophico possit sustineri: nam si habitus est immediatum susceptiuũ operationis, vt rectè Doctor, tunc habitus fruitur Deo, videt Deum, non potentia, nisi secundùm *quid*, & denominatiuè, sicut homo intelligit mediante anima, anima verò, & Angelus mediante intellectu; illud neque Scriptura constat, neque Philosophus admitteret. Sequenda autem est ratio naturalis, quæ ostendit potentias esse immediatum receptiuum suarum operationum, cùm neque ex reuelatione corrigatur, neque ex ratione operationis in specie apparet aliquod vestigium, vnde requirat aliud receptiuum immediatum, & diuersum: sed potiùs ex ipsa operatione, quæ consistit in actu vitali sequitur contrarium; si enim à solo habitu producitur, ita vt habitus sit totalis ratio, & virtus producendi, sicut calor in aqua, ratio calefaciendi, vt contendit prædicta sententia, & insuper habitus sit totale, & immediatum susceptiuum beatitudinis, tunc sequitur euidenter beatitudinem non esse operationem, aut actum vitalem: imò quod magis est, potentiam non videre Deum, aut tendere in ipsum tendentia, quæ sit propria ipsius potentiæ, & distincta à tendentia habitus magis, quàm anima secundùm substantiam, vt distinguitur ab intellectu, tenderet in Deum vt obiectum, quod est contra suppositionem communem Doctorum in hac materia: nam si anima posset vnione propria, & peculiari vniri Deo per modum obiecti beatifici, proculdubio in illa principaliùs statuenda esset beatitodo formalis, & in vnione, quæ est præcisè secundùm tendentiam potentiæ. In proposito idem sequitur inconueniens; quia sicut habitus est genere diuersus à potentia, si esset immediatum susceptiuum operationis, tunc habitus immediatè tendentia propria tẽderet in Deũ, vt obiectum est, & beatitudo obiectiua: quæ tendentia est genere toto diuersa à tendentia potentiæ, & consequenter non reduceret in actum diuersum tendentiæ, potentiam, ipse actus, vt recipitur in habitu, quia quod conuenit per medium, tanquàm extremum alteri, nequit aliter alteri conuenire in genere causæ, aut effectus formalis consequentis, quàm vt conuenit medio, & per ipsum medium.

Est susceptiuum immediatum operationis supernaturalis in via.

Nullo fundamento asseritur habitus subiectum actus.

Inconueniẽs sequitur ex opposita sententia.

Sequi Deum videri à potentia.

Ex his patet impugnatio alterius modi explicandi hanc sententiam, quatenus diceretur beatitudo conuenire potentiæ, & habitui tanquàm totali susceptiuo, perinde absurdum est, imò magis inconueniens adducit. Primò, operatio competit suo receptiuo per modum formæ accidentalis; sed potentia, & habitus non faciunt aliquod vnum ens per se, sed totum per accidens: ergo non potest totum hoc facere aliquod vnum per se per modum vnius subiecti, respectu eiusdem formæ simplicis, qualis est beatitudo: ergo nequit sic inesse toti primò per modum subiecti simplicis: ergo tantùm per modum diuersorum inest, ita vt inhæreat immediatè vtrique seorsim, & inhærentia diuersa. Hoc repugnat accidenti, naturaliter saltem: ergo, &c. in altero habet rationem adæquati, & sufficientis subiecti; & sic illi soli inhæret, aut inhærere exigit naturaliter. Deinde, ideò inesset vtrique immediatè, quia vtrumque in ratione receptibilis, seu potentiæ passiuæ, in ordine ad illam formam, non diuersificantur, sicut neque hoc, & illud corpus, vt recipit superficiem, neque hic, & ille intellectus, vt recipit operationem naturalem: sed hoc nequit dici, quia neque inclinatio passiua, aut actiua potentiæ propria, communicat cum inclinatione habitus, quantùm ad similitudinem: habitus enim ordinis supernaturalis, neque natus est tendere in obiectum vitaliter, sicut potentiæ competit, neque dicit ordinem beatificabilis ad obiectum vt finem, sicut potentia est beatificabilis 30

Habitus non est subiectum partiale actus.

Inclinatio potentiæ diuersa est ab inclinatione habitus.

beatificabilis: ergo non eundem effectum formalem tribuit forma potentiæ ſecundùm exigentiam potentiæ, quem tribuit habitui, qui non eſt beatificabilis, neque vitalis, aut principium vitæ, aut vita in ſeipſo. Vnde ſequitur quòd actus inquantùm præcisè ineſt potentiæ, ſit beatitudo, & non vt ineſt habitui: ergo ſuperfluit *ineſſe* eius quod eſt habitus vt ſubiecti: quia neque *ineſſe* entis requiritur, cùm poſſit manere per inhærentiam ad potentiam, ad quam non facit habitus, neque etiam facit inhærentia, aut effectus quicunque eius ad habitum, ad rationem beatificandi potentiam. Accedit vlteriùs quòd nulla qualitas ineſt alteri vt ſubiecto, quidquid ſit de ratione accidentis diuerſi generis: quia totum genus qualitatis abſolutæ ſaltem, dependet ex ratione ſua ad aliquod ſubiectum prius naturaliter ad ipſum totum genus.

Liberiùs ergo inueniuntur hi modi dicendi, quàm fundantur in certis aliquibus principiis; vnde meritò communiter reiiciuntur quamuis paucis placent, ex eo quòd in quæſtione obſcura liberum ſit coniectari; ſpectanda tamen ſunt principia communia, quæ non debent prætermitti, niſi certiora in ſpecie occurrant.

31 *Secundus modus dicendi.* Secundus modus principalis dicendi, quo dicitur habitus eſſe diſpoſitio materialis, maiorem inde apparentiam ſortitur, quatenus excludit plura inconuenientia, quæ ſequuntur ad modum præmiſſum, & faciliùs euadit difficultates obiectas: ſed neque inde etiam ſufficienter adſtruitur: quia faciliùs eſt euadere difficultates, quàm eas ſoluere per certa aliqua principia. Illam rationem adductam *ſuprà* de habitibus dicit Suarez eſſe ſolubilem in quinta explicatione: ſed magis ſolutio eius reducitur pro priore opinione iam impugnata, quatenus habitus dicitur eſſe receptiuus. Dicit ergo rationem illam non vrgere de habitibus infuſis, quidquid ſit de acquiſitis, quia habitus infuſi non fiunt per actus, ſicut acquiſiti. Deinde, infuſi habent rationem potentiæ, quatenus per ſe requirantur ad ſubſtantiam actuum: ſed hæc ſolutio non valet: quia quòd habitus ſint infuſi, & dicantur habere rationem potentiæ ad differentiam habitus acquiſiti non ideò dicuntur cum vllo apparenti fundamento eſſe potentias receptiuas, vt ex præmiſſis patet: ſed ideò dicuntur potentia, quia non tribuunt facilitatem tantùm operandi, ſed etiam virtutem neceſſariam, quatenus potentia ex ſe, & puris naturalibus non eſt ſufficiens, ſicut eſt ſufficiens ad actus naturalis ordinis ſine habitu. Probatum eſt autem aliàs neceſſitatem eleuationis, & gratiæ reſpicere potentiam, quà actiua eſt, & non quà paſſiua. Hîc etiam probatum eſt ab habitu reiiciendum eſſe rationem potentiæ paſſiuæ.

Solutio Suarez.

Impugnatur.

Quomodo habitus infuſi dicantur potentia.

32 *Ratio Doctoris.* Deinde, reſpondet ad rationem, quam facit Doctor *in* 3. *diſt.* 14. quæ talis eſt; intellectus ordinatur magis ad viſionem, quàm ad lumen gloriæ per modum habitus: ergo ſicut immediatum eſt receptiuum luminis, ita etiam & viſionis.

Solutio. Reſpondet approbans ſolutionem Capreoli, quia lumen eſt actus primus ab extrinſeco veniens: viſio ergo eſt actus ſecundus ſupponens potentiam tam actiuam intrinſecam, quàm etiam receptiuam, & poteſt eſſe inclinatio principalis ad vnam formam, quæ mediante alia ineſt, & ſic intellectus poteſt principaliùs ordinari ad viſionem, licèt mediante lumine recipiatur.

Sed hæc reſponſio non eſt ad intentum argumenti; quia argumentum aliter vrget: & vis eius in hoc conſiſtit, quòd ſubiectum, quod ordinatur ex naturalibus ad recipiendam formam ſupernaturalem, non mediante alia, tanquàm receptiua eius poteſt recipere etiam illam, ad quam principaliter ordinatur ex natura ſua. In propoſito lumen gloriæ eſt ſimpliciter, & ſub omni ratione ſupernaturalis forma in primo gradu ſupernaturalitatis, ita vt ad illud non detur virtus inchoata in natura, & effectiua, non ita operatio, quæ procedit à potentia vt actus vitalis eſt, licèt in ſubſtantia ſit ſupernaturalis, vt procedit ex altera cauſa concurrente, & ſic erit in ſecundo gradu ſupernaturalitatis; quia etiam procedit à potentia. Vnde ſequitur quòd potentia magis ordinatur ab inclinatione paſſiua ad recipiendam viſionem, quàm ad lumen, qua potentia non ſolùm concurrit ad viſionem, ſed etiam quà operatiua eſt mediante viſione: ergo ſi recipit immediatè ſeipſa lumen, quæ eſt forma ſupernaturalis in primo gradu, vt dixi à fortiori nata eſt eſſe ſuſceptiuum immediatum operationis ex ſuis naturalibus: tum quia eam elicit; tum etiam quia mediante eadem, vt recepta, eſt nata potentia operari, ſeu tendere in ſuum obiectum, quod ipſi non competit mediante lumine, niſi vt conſideratur præcisè in actu primo. 33

Impugnatur.

Diuerſus gradus ſupernaturalitatis in formis.

Magis ordinatur intellectus ad recipiendam viſionem, quàm ad recipiendum lumen.

Reſpondet Luſitanus ſupponendo primum, diſpoſitionem ad formam ſumi variis modis, quos ipſe numerat. §.2. In propoſito autem ſumi ſtrictiſſimè pro forma præparante ſubiectum ad recipiendum aliquam vlteriorem formam, & perfectionem; quo ſenſu ſumitur à Philoſophis diſpoſitio in materia in ordine ad formam ſubſtantialem recipiendam. Hæc duplex eſt: nam quædam receptiua, vt quantitas ſe habet ad qualitates, potentia ad ſuas operationes, vt recipiuntur in anima. Alia eſt diſponens ſubiectum vt recipiat formam, quæ tamen non eſt receptiua formæ in ſe: ſic calor diſponit materiam, vt recipiat formam ignis, quæ non in calore recipitur, ſed in ipſa materia. Huius generis eſt lumen habituale gloriæ reſpectu beatitudinis; quod diſponit potentiam ad eam recipiendam, licèt ipſum lumen non ſit ratio recipiendi. 34

Reſponſio Ægidij.

Duplex diſpoſitio materialis.

Reſpondet ad illam rationem Doctoris præmiſſam negando conſequentiam: quia ex hoc quòd lumen ſit habitus intellectus, non rectè colligitur quin ſit diſpoſitio ad actum recipiendum in potentia. Ad probationem autem conſequentiæ, qua dicitur habitum acquiſitum non eſſe diſpoſitionem ad actum. Reſpondet antecedens à multis negari, loquendo de actibus elicitis poſt habitum, nempe ab iis, qui negant habitum eſſe actiuum reſpectu actus; quam ſententiam, inquit, probabilem tenet ipſe Scotus *in* 1. *diſt.* 17. *quæſt.* 2. quod ſufficit ad ſolutionem argumenti ex mente ipſius Scoti; quæ ſolutio tenet, ſiue habitus actiuè etiam ſe habeat, ſiue ſolùm paſſiuè: quia perinde eſt diſpoſitio, ſiue agat, ſiue non agat; quia diſponere, & agere non repugnant in eadem forma: & licèt actus priores habitu non ſupponant diſpoſitionem, quia ſunt imperfecti, tamen actus ſequentes ſupponunt diſpoſitionem, quia delectabiliter agit potentia per habitum perfecta.

Reſponſio eius ad rationem Doctoris.

Hæc ſolutio non placet, quia neque ex Philoſophia illa, quam adducit, ſequitur: neque ex aliquo, 35

Impugnatur.

quo,quod specialiter conuenit lumini gloriæ,aut aliis formis supernaturalibus. Impugnatur ergo primùm illa suppositio, deinde probabitur antecedens;ad formas accidentales non datur dispositio vlla receptiua, quæ non est ratio recipiendi: ergo doctrina de dispositione ad formam substantialem non rectè accommodatur proposito. Antecedens probatur, nulla forma accidentalis in genere qualitatis magis exigeret dispositionem subiecti,quàm forma, quæ est contra inclinationem subiecti: nam dispositio parans ad receptionem formæ ideò prærequiritur in subiecto, vt de incapaci per eam fiat capax: nullum autem subiectum quod aliàs subiicitur agenti in ordine ad formam recipiendam ab eo, est magis impeditum, & incapax ad formam recipiendam, quàm illud quod ex natura inclinatur ad formam oppositam, tanquàm connaturalem, & per consequens quantùm est ex se, repugnat formæ violentæ; sed hîc non datur dispositio præuia, & præparans subiectum ad recipiendam formam violentam:ergo neque in aliis,vbi nullum est impedimentum formæ suscipiendæ ab agente immediatè.

Ad formam accidẽtalem non supponitur dispositio.

Ad formam violentam subiecto magis exigeretur.

36 Quòd si fingatur ibi aliqua dispositio ex parte subiecti,&c.

Responsio. Impugnatur.

Dicatur quænam sit, & impugnatio est in promptu:quia non est priuatio formæ contrariæ; quia agitur de dispositione positiua, nulla alia forma positiua potest imaginari ex parte subiecti habens connexionem vllam necessariam cum forma violenta;neque dici potest ipsa forma violenter inducta in gradu remisso, vt supponitur sibiipsi, quoad gradum intensum:quia dispositio debet esse diuersi generis, & quia talis remissio formæ oritur ex resistentia passi, & limitata, atque imperfecta virtute agentis. Accedit quòd forma non reddatur vnquam connaturalis illi subiecto, neque subiectum inclinatum ad formam,aliàs non esset ei violenta,neque subiectum remoto agente reduceret se ad pristinum statum, sicut aqua de calore reducit se ad frigus.

Nullum impedimentum est in potentia.

Quare ergo requiritur dispositio in potentia in ordine ad operationem recipiendam,ad quam ex natura sua est summè inclinata,& nullum patitur impedimentum positis actiuis necessariis, & inquantùm ipsa potentia præcisè est receptiua,nullum habet impedimentum positiuum.

37 Confirmatur, quia potentia, vt est receptiua actus, nullum habet impedimentum repugnans actui:ergo non exigit dispositionem in hac parte, qua tolleretur impedimentum:potentia etiam,vt admittit hic author,est seipsa receptiua actus, ita vt non exigat aliquid aliud sibi superaddi, quod sit ratio proxima recipiendi;actus in ratione formæ natus est dare effectum suum formalem potentiæ, vt potentia ex suis naturalibus comparatur passiuè ad actum, aliàs non esset tota, & sola ratio recipiendi: actus qui potest etiam à Deo immediatè influi potentiæ, si non repugnat actum vitalem produci à solo Deo,quod nos cum multis aliis dicimus non repugnare,saltẽ si repugnat,tota repugnantia statuitur ex parte affectionis,& effectus, inquantùm producibilis est, non verò ex parte potẽtiæ:quà non est impedita, & seipsa immediata,& sola ratio recipiẽdi.Ex quibus sequitur intentum:quia potentia passiua,inquantùm passiua,nequit disponi,aut præparari, nisi vt aduenit ratio recipiendi superaddita,vel vt tollitur ab ea impedimentum, neque vlla alia præparatio spectans ad receptionem, imaginari potest præter hæc: quia vel non est in ea potentia receptiua ex se, & sic semper manet donec mutetur ab eo statu,per aliquod nouum, quod sit ei ratio recipiendi; vel si est in eà potentia receptiua inchoata,& remota,id intelligitur,vel quia impedita est per formam repugnantem actui, quæ desinit adueniente ipso actu formaliter;vel certè dicitur potentia remota, eo modo quo causa effectiua remota dicitur,ex defectu alicuius virtutis completæ, quæ per additionem alterius virtutis fit proxima, & sic illud quod adueniret passiuæ remotæ,& incompletæ,deberet aduenire, vel vt ratio partialis recipiendi,vel vt ratio totalis; neque est imaginabile medium aliquod perceptibile,quo præparari posset potentia passiua,quà passiua est,ad formam.

Confirmatur.

Tollitur omne impedimentum à potentia.

Quid efficiat dispositio.

Hoc ipsum probatur in potẽtia receptiua formæ substantialis, quia calor præproductus formæ,non aliter disponit materiam, quàm tollendo impedimentum, quia passiua potentia substantialis, per quam recipitur forma substantialis,vt actus per se, nequit communicari à calore materiæ, neque etiam intendi, ampliari, aut determinari: quidquid enim tribuit calor materiæ, aut subiecto, tribuit in genere causæ formalis, cuius effectus formalis nequit magis determinare materiam,quàm ex se sit determinata ad formam in ratione potentiæ per se eius; quam differentiam potentiæ per se nequit acquirere per actum accidentalem. Prætereà, sicut communiùs antiqui docent, calor præproductus subiectatur in toto, & perit adueniente forma ignis corrupto toto: ergo nequit intelligi vt dispositio permanens: nam hæc sequitur ad ipsam formam, & cum ea manet: ergo non disponit aliter quàm tollendo qualitatem contrariam, quæ est in subiecto, & remotè impediens inductionem formæ corrumpentis totum. Sed hoc exemplum non facit ad propositum, quia nullum est impedimentum recipiendi beatitudinem, aut visionem in intellectu, positis causis eius actiuis, neque ex Philosophia patet aliquod fundamentum admittendi aliquod tale dispositiuum ad operationem, minùs verò ex reuelatis, vt infrà apparebit: ergo liberè statuitur lumen vt dispositio passiua in intellectu, quà natus est recipere formam. 38

Potentia receptiua formæ substantialis.

Potentia per se materiæ non est per actum accidentalem.

Dispositio præueniens formam substantialem desinit adueniẽte forma.

Dices requiri vt intellectus fiat ordinis supernaturalis,vt sit capax visionis. 39

Responsio. Impugnatur.

Contrà,intellectus non secundùm *esse* aliquod supernaturale recipit visionem: sed secundùm suum *esse* naturale est ratio recipiendi iuxta hunc modum dicendi,aliàs lumen vt constituit formaliter intellectum in *esse* supernaturali, esset ratio recipiendi visionem, quod negatur: *esse* autem supernaturale, quod recipit intellectus per lumen,est ipse effectus formalis luminis,seu ipsum lumen, vt est in subiecto per modum formæ; quando autem subiectum sub extranea ratione formæ,quam habet,est totalis ratio subiectandi, & ex se,tunc tam effectus formæ,quàm ipsa forma extrinseca, & concomitanter tantùm se habent ad subiectum, quà recipit effectum alterius formæ: ergo non requiritur lumen, vt tribuat *esse* supernaturale intellectui, quà receptiuus est visionis,cùm non recipiat visionem, prout habet *esse* supernaturale,vel mediante *esse* supernaturali, vt receptiuo. Deinde,ipsa visio tribuit subiecto, & seipsa *esse* supernaturale: ergo non requirit aliud

Intellectus secũdùm esse materiale recipit visionem.

Esse supernaturale communicat ipsa visio. aliud *esse* supernaturale prius: quia quando effectum suum participat ab ipsa forma, cuius est immediatum susceptiuum, non repugnat ei illum immediatè recipere seipso, & non mediante alio: hoc enim *esse* supernaturale visionis est gradus supernaturalitatis, & magis communicans extremo contrario naturalitatis, ratione actus vitalis, quàm *esse* luminis: in quocunque autem genere illud, quod est primum, non ordinatur vt dispositio, ad illud quod posterius est in eodem genere: & participatiuè: quia sicut ordo, qui est secundùm dispositionem ad formam sequitur modum procedendi naturæ via generationis ab imperfecto ad perfectum; ita illud, quod est primi generis supernaturalitatis, nequit esse dispositio ad illud, quod est inferioris gradus: quia dispositio se habet vt medium inter extrema, magis communicans extremis, quàm ipsa per se extrema inter se communicant, & subiectum vt reducitur de potentia ad actum, & vt subest præcisè dispositioni, non est in completo actu, sed partim in potentia, partim in actu; vt subest autem termino, ad quem tunc est in actu completo: ergo potentia vt passiuè se habet tam ad lumen, quàm ad visionem, quà sunt formæ supernaturales communicantes ei *esse* supernaturale, & inquantùm est eius capax, vt subiectum, si recipit ipsum lumen, quod est supernaturale secundùm omnem sui considerationem, sic recipit *esse* supernaturale per lumen sine dispositione præuia, quod est primi gradus supernaturalitatis, & supremi; sequitur etiam quòd recipere possit immediatè effectum visionis, quæ est inferioris gradus supernaturalitatis: quia nullum gradum supernaturalitatis in perfectione magis communicat visio intellectui, quàm ipsum lumen: ergo solutio data non subsistit, neque probat lumen requiri in intellectu, vt dispositio est materialis respectu visionis.

Esse luminis non ordinatur vt dispositio materialis ad esse visionis.

40 *Responsio.* Dices inter formas diuersas dari ordinem, ita vt vna priùs nata sit in esse, quàm alia, sic se habet lumen respectu intellectus, vt priùs insit, quàm visio.

Impugnatio. Contrà. Ordo inter formas est extraneus subiecto, vt comparatur secundùm rationem propriam receptiui, ad tales formas, si vtramque se solo, & immediatè recipit seipso, & mediante sua inclinatione propria, qualiscunque sit: nam sicut quælibet forma immediatè recipitur in subiecto, illud perficiens secundùm diuersas etiam inclinationes subiecti, sicut diuersæ sunt formæ, ita etiam posset quamlibet seorsim recipere ex natura sua, si seorsim esset producibilis: ordo autem inter formas est ex natura formarum, non subiecti, vel ex modo agendi subordinato causæ efficientis; quatenus inclinatur ex principio agendi ad producendum vnam priùs altera. Priori modo est ordo inter intellectionem, & volitionem, inter intentionem, & electionem; secundo modo est ordo inter diuersos actus intellectus: v.g. discurrentis à principiis ad conclusionem. Cæterùm respectiuè ad subiecta non manet talis ordo, quin volitio, si esset producibilis sine intellectione, possit immediatè recipi in voluntate, & sic de actu scientiæ potest immediatè recipi in intellectu, si producatur non recurrendo ad principia, vt producitur in habituato. In proposito autem licèt sit ordo de facto inter lumen, & visionem, quatenus lumen supponitur vt principium actiuum visionis, in quam solus intellectus ex propriis non potest, tamen ille ordo est alterius rationis ab ordine, quo constituitur lumen vt dispositio materialis ad visionem, & committitur non causa vt causa, in hoc discursu: lumen prærequiritur in intellectu ad visionem: ergo vt dispositio materialis. Consequentia fallit secundùm non causam vt causam: vt patet ex dictis: ideóque à pluribus negatur etiam illa maior, nempe ad formam supernaturalem recipiendam requiri eleuationem potentiæ per aliquam priorem; vt negat hîc non solùm Doctor, & reliqui, quos citauimus, sed in genere etiam negat Durandus, Vasquez, & plerique alij, illud fundamentum quod primarium est in sententia opposita.

Ordo inter formas est extraneus subiecto.

Vnde nascitur talis ordo formarum.

Ordo inter lumen, & visionem.

Ad saluandum autem illud, Lusitanus respondet, *art.* 3. §. 4. quòd illud intelligitur quoad vltimam formam, & principalem; talis autem est visio; ideò ad eam requiritur dispositio præuia, sicut requiritur ad formam substantialem, quæ est vltima, & principalis intenta in generatione rei. Pro qua solutione citat Capreolum, Caietanum, Ferrariensem, & Hispalensem. 41 *Responsio.*

Impugnatio. Contrà, exemplum allatum de forma substantiali impugnatum est superiùs, vbi ostensum est calorem non præsupponi formæ ignis; nisi ad expellendum impedimentum formæ contrariæ, neque ex communiori sententia antiquorum manere calorem præproductum in ligno adueniente forma ignis. In proposito probatum est nullum esse impedimentum ex parte subiecti: ergo vsus illius instantiæ non est ad propositum. Vnde probatio ex illa assumpta non subsistit; & probatur: si intelligit vltimam, & principalem formam perfectissimam in genere supernaturali, multi Theologi concedunt lumen gloriæ esse perfectius in ratione entis, quàm sit visio; & idem de charitate, vt comparatur ad fruitionem; sed citra controuersiam est gratiam sanctificantem, si est participatio Dei in ratione entis, excedere omnes alias formas supernaturales. In his, vt admittit, non datur dispositio, in quibus tamen ex ratione præmissa maximè dari deberet, si dispositio illa requiritur vt potentia eleuetur ad formam supernaturalem recipiendam, quæ sit perfectissima in *esse* entis, & supernaturalitatis: ergo ratio illa assignata non conuincit intentum, imò magis probat oppositum.

Visionem non esse perfectissimam supernaturalem plures dicunt.

Quòd si dicatur visio vltima forma non perfectione, sed ordine, non sequitur intentum: quia licèt sit vltima, vt comparatur ad actum primum actus secundus, ideò id competit ipsi; quia actus secundus est, & quia est actus vitalis supponens potentiam in actu primo sufficientem, sed præsupponere aliquam dispositionem, qua actus secundus etiam supernaturalis ipsi non competit (dispositionem, inquam supernaturalem) quia vt fides docet in conuersione peccatoris per merum auxilium Dei, dantur plures actus supernaturales vt fidei, spei, charitatis, & pœnitentiæ, ante omnem habitum eleuantem potentias, aut disponentem ad actus præfatos, vt patet ex Trident. *sess.* 6. *cap.* 5. 6. *&* 7. iustificatio autem & renouatio per habitus sequitur prædictos actus, vt dispositionem præuiam *ex cap.* 8. ergo visio inquantùm actus secundus, & supernaturalis non exigit dispositionem materialem. 42

Actus supernaturalis non supponit dispositionem modo dicto.

Quòd si dicas auxilium gratiæ præsupponi ad prædictos actus, tanquàm dispositionem materialem; id liberè omnino, & sine fundamento asseritur: 43 *Responsio reiicitur.*

tur: quia necessitatem gratiæ præcisè declarat Concilium in ordine ad liberum arbitrium, vt actiuum est,& ex se non sufficiens ad iustificandum,vt patet,*can.* 1.2.3. *In quarto* autem declarat consistere in potentia actiua,& non passiua;& sic cooperari gratiæ Dei. Vnde neque Concilium Tridentinum,aut alia anteriora declarant necessitatem gratiæ in ordine ad potentiam passiuam; quod maximè probatur ex eo quòd declarant gratiam Christi supplere infirmitatem incursam ex peccato,in ordine ad rectè operandum, & obseruantiam mandatorum, & resistentiam contra tentationes; quæ omnia conueniunt libero arbitrio,vt actiuum est; potentia enim receptiua, & passiua non imminuitur per peccatum,siue naturalis sit,siue obedientialis:de quo iam non curo.

Necessitas gratiæ est ad concursum actiuum, non ad dispositionem materialem.

44 Deinde,si dicatur visionem, quà est visio Dei, exigere dispositionem, quia est perfectissima, & beatitudo nostra in genere actus secundi.

Responsio.

Impug.

Contrà, non ex ratione secundi actus etiam supernaturalis exigit talem dispositionem, vt probatum est,non ex ratione actus secundi,vt est de Deo, vt obiecto immediato, & formali, non ratione ipsius actus, quà est visio; quia secundùm eandem potentiam passiuam, & receptiuam, quà recipit actum obiecti absentis, & non præsentis,potest recipere actum circa idem, vt est præsens,quia sic maximè appetit obiectum,& actum perfectissimum circa ipsum. Accedit vlteriùs contra eandem doctrinam, quòd etiamsi in genere daretur dispositio receptiua, non inde sequi necessariò dari in genere intentionali, in quo constituitur visio.

Visio quà est ad Deum non requirit dispositioné.

45 Ex dictis facilis est impugnatio responsionis præmissæ, quæ procedit ex fundamento non probato;quia enim respectu formæ substantialis præmittitur dispositio in subiecto impedito,non sequitur inde præmitti similem dispositionem in subiectò formæ accidentalis; ratio ergo Doctoris, qua probat ad actus habitus acquisiti non disponere ipsum habitum, est rectè probans. Responsio autem nec est sufficiens, neque eneruat vim argumenti: quòd sic probo ad hominem taliter disponitur subiectum ad formam substantialem, quòd ad omnem etiam imperfectam,& diuersæ specie prærequiratur dispositio: ergo si ad actum potentiæ disponeret materialiter,vel exigeretur habitus acquisitus hoc modo, nullum actum in specie posset recipere potentia sine habitu,cuius oppositum probat Doctor, & omnes admittunt. Consequentia probatur applicando exemplum, ad quod confugiunt aduersarij: probatur ratione: quia ad actum in specie similis est ordo potentiæ recipientis, & maximè inclinatur ad actum, quo perfectior est, eúmque appetit: ergo si aliquem actum in specie recipit seipsa sine dispositione, potest omnem actum in specie recipere:nam ad actum in indiuiduo nulla per se ordinatur potentia receptiua, diuersa ab ea quæ est in specie ad actum circa idem obiectum in specie: ergo si non requiritur dispositio materialis in ordine ad actum in specie, neque etiam ad actum in indiuiduo naturalem.

Ratio Doctoris probans.

Confirm.

Ad actum perfectissimũ maximè inclinatur potentia.

46 Deinde, quod respondet quasi ad hominem *ex distinct.* 17. 1. *quæst.* 2. vel potiùs 1. tenendo quòd habitus acquisitus non sit actiuus, vt permittit Doctor secundùm sententiam quorundam antiquorum, non soluit argumentum; quia Doctor *ibidem* non intendit requiri ad receptionem actus, sed requiri ad inclinationem potentiæ tanquàm forma prior ob conuenientiam eius cum actu secundo, & sic inclinat potentiam per modum formæ prioris, quà potentia est elicitiua actus secundi, non quà receptiua est eius; & hoc modo nullus negat in causa actiua aliquando dari dispositionem inclinantem ad actionem,siue transeuntem, siue immanentem, quæ tamen non facit ad receptionem formæ connaturalis ipsi, vt est subiectum eius. Vnde si habituato infunderetur aliqua cognitio à Deo,nullã inde sentiret delectationem, quæ esset ex habitu. Ratio proinde, quam adducit probando habitum acquisitum esse dispositionem materialem, probat oppositum: quia facilitas, & delectabilitas operandi conueniens potentiæ ratione habitus,conuenit ei præcisè, vt actiua est, & elicitiua actus, quatenus tollitur ab ea difficultas operandi, & agendi vndecunque proueniat, vt communis sensus habet Philosophorum, ideóque statuitur habitus, vt tollat illam difficultatem, & cognoscitur inesse potentiæ à posteriori, quatenus potentia experitur in seipsa facilitatem in ipsa productione actus, quam facilitatem nemo sentit in eius receptione.

Reiicitur solutio ad Doctorem data.

Quomodo habitus inclinat ad actum.

Accedit quòd finis ponendi habitus est vt tollatur difficultas operandi: vnde neque in sensibus datur, vbi nulla est talis difficultas mouente obiecto in seipso præsente,& plenè determinante potentias sensitiuas, neque in phantasia, quæ nullam patitur indifferentiam in agendo, & secundùm aliquos non sunt necessarij in Angelis ob expeditum eorum intellectum, & perfectionem specierum, à quibus perfectè determinantur ad cognoscendum sine difficultate. Vnde ergo probari potest habitus acquisitos esse dispositiones materiales ad actus sequentes, nisi quia tantùm præsupponuntur in potentia, quin etiam eadem libertate, & maiori fundamento dicerentur species intelligibiles esse dispositiones materiales ad actus sequentes, quæ ex genere suo supponuntur ad actus. Imò dici sic posset actus esse dispositio materialis ad habitum, sicut calor transiens ad formam ignis sequentem.

47

Finis, & necessitas habitus acquisiti.

Per hoc etiam patet ex ratione præmissa veritas consequentis: quia actus supernaturales antecedentes habitum infusum in via non supponunt dispositionem vllam materialem: ergo neque eliciti ab ipso; qui actus aliquando non pertingunt perfectionem intensiuam actuum, qui supponuntur ad habitus: ergo sicut in via habitus charitatis non præexigitur vt dispositio materialis ad actus præcedentes: sed è contra hi actus à Tridentino vocantur dispositio, licèt moralis ad habitus ipsos; idem sequitur in patria habitum non præexigi charitatis, vt dispositio physica materialis ad fruitionem; perinde enim se habet voluntas ad vtrumque actum, positis requisitis, inquantùm est passiua: ergo idem dicendum de intellectu respectu actus fidei diuinæ, & visionis. Ad alias rationes Doctoris tam *hic*, quàm *in* 3. *dist.* 14. conatur respondere præfatus author, sicut & ad rationes aliorum authorum pro parte negatiua; cuius responsiones ex dictis facilè impugnari possunt; ideóque quia angustia temporis non permittit prosequi hanc difficultatem quoad omnia sua particularia, & modos explicandi, remitto pleniorem eius discussionem in illum locum: satis nunc sit impugnare fundamentum, cui adhæret.

Charitas in via non est dispositio materialis.

Alia

48 *Responsio aliorum.* Alia responsio Capreoli, Caietani, & Ferrariensis, quæ videtur satis frequens discipulorum D. Thomæ, est, lumen requiri in intellectu vt dispositionem passiuam materialem, qua Deus in *esse* obiecti vnitur intellectui in *esse* intelligibili: quia ad visionem illam, quæ est supernaturalis, requiritur vt intellectus improportionatus secundùm naturalia disponatur connaturali modo ad ipsam, quæ dispositio fit per lumen habituale.

Impugnatur. Contrà, nullus habitus ex genere suo habet repræsentare obiectum; vnio autem obiecti intelligibilis ad intellectum in actu primo fit per repræsentationem, si vnio contingat per aliquid diuersum ab ipso obiecto præsente, & applicato seipso ad obiectum: ergo lumen gloriæ nequit poni vt dispositio vniens intentionaliter, & repræsentans obiectum. *Lumen gloriæ non facit essentiam diuinam vnitam intellectui.* Antecedens probatur, quia habitus ex suo genere requiritur ex parte potentiæ, qua concurrens vt influxus potentiæ est diuersus ab influxu obiecti in actum; repræsentans autem obiectum se tenet ex parte obiecti, vt influit in actum. Deinde, in via nullus habitus supernaturalis sufficit ad actum sine specie obiecti. *Non est eius repræsentare.* Patet in infantibus baptizatis, in quibus sunt habitus supernaturales sine omni vsu quando perueniunt ad vsum rationis, donec per doctrinam hauriant species requisitas, & notitiam obiecti formalis vt reuelationis: sed non minùs intellectus ex puris naturalibus in via est improportionatus ad eliciendum actum fidei, quàm in patria ad eliciendum actum visionis: imò in via est magis improportionatus, quantò minorem habet euidentiam ex obiecto, & minorem determinationem; in patria autem obiectum in se præsens mouet, & terminat actum: ergo sicut in via non vnitur potentia per habitum obiecto in actu primo, sic etiam neque in patria.

49 *Confir.* Confirmatur, quando aliquid requiritur vt supplementum virtutis, vel vt tota virtus ex parte alicuius causæ, in eo genere aduenit, & requiritur, in quo ipsa causa deficit per priuationem perfectionis requisitæ, & in eodem genere per illud, cui aduenit, requiritur; aliàs non adueniret perfectio in ea parte, qua est eius exigentia, & supponitur priuatio. *Habitus supernaturalis exigitur ex parte potentiæ, non obiecti.* Sed habitus luminis, sicut & charitatis requiruntur ex imperfectione potentiæ, vt elicitiuæ actus efficienter, & non ex necessitate obiecti, quod actualissimum est in *esse* entis intelligibilis, vt dicitur: ergo munus luminis est, vt sit præcisè ratio agendi ex parte potentiæ, & non ex parte obiecti; quod non esset verum, si esset ratio vniendi intentionaliter obiectum potentiæ in actu primo: quia sic non esset virtus actiua potentiæ, sed ipsius obiecti: nam vnio intentionalis in actu primo considerata est coniunctio extremorum in ordine ad eliciendam operationem: ergo quod vnit obiectum in actu primo potentiæ, exercet munus obiecti, & non ipsius potentiæ, vt patet in specie intelligibili. Aliter enim nequit percipi illa vnio per proportionem ad cognitionem, & memoriam, prout discernitur de facto in nobis influxus diuersus tam potentiæ, quàm obiecti.

Recurrit inconueniens quod fugitur. Ex quo sequitur inconueniens, quod fugitur, nempe potentiam ex puris naturalibus sufficere in suo genere, modò obiectum ipsi vniatur, si hoc sit munus luminis tantùm, & si improportio intellectus præcisè in eo consistat, quòd obiectum non habeat sibi vnitum in actu primo, aut præsens intentionaliter, quæ improportio ex genere suo reperitur in quolibet intellectu, quia nullus sine obiecto concurrente in se, vel in aliquo vniente ipsum intentionaliter in actu primo potentiæ, potest habere actum secundum. Vnio illa prætereà est obiecti, vt motiui potentiæ, non verò vt terminatiui, quia hæc vnio ad terminatiuum fit formaliter per ipsum actum expressum, & non per aliud. Quid ergo intelligi potest per vnionem obiecti in actu primo, nisi ipsa motio obiecti, aut virtus motiua, vt coniungitur intellectui? si ergo hoc fit per lumen, & hic sit effectus eius primarius, ob quem exigitur, sequitur non supplere improportionem potentiæ, sed ipsius obiecti, quod aliter nequit mouere potentiam nisi per lumen, & vt sit præsens per lumen, vt est virtus obiecti, & ipsum repræsentans.

Deinde, habitus charitatis, per quem eleuatur voluntas in patria, non exercet munus præsentandi aut vniendi obiectum voluntati: quia hæc præsentatio est per intellectum; sed ex eadem necessitate, qua ponitur charitas vt eleuans voluntatem, ponitur etiam eleuatio in intellectu: quia nempe natura ex seipsa non sufficit ad actus hos supernaturales: ergo sicut in voluntate, ita etiam in intellectu exigitur lumen habituale, vel aliquod, quod supplet defectum virtutis naturalis eius respectu actus: nam hanc rationem solam adducunt Patres, & Scriptura, qua probatur necessitas gratiæ. *Eleuatio potentiæ, & eius finis.*

Quòd si dicas vtrúmque munus exhiberi per lumen. 50 *Responsio.*

Impugnatur. Contrà: ergo lumen ex parte potentiæ eatenùs præcisè requiritur, quatenùs est principium actiuum, vel totale, vel etiam partiale, non verò vt vnit obiectum: quia sic magis refunditur in obiectum, quàm in ipsam potentiam: ergo sub hac ratione non est dispositio materialis se tenens ex parte potentiæ.

Responsio. Dices potentiam non esse capacem illius vnionis, nisi vt eleuatur formaliter per lumen.

Impugnatur. Contrà. Hoc nihil est: quia etiam sic se habet respectu speciei; quia nisi habeat speciem, non vnitur obiecto per speciem: quæ tamen non est dispositio materialis potentiæ, sed magis formalis, & effectiua, quatenùs coniungitur ipsi per modum concausæ; quia si posset species vnire obiectum intellectui, absque eo quòd ipse intellectus informaretur per speciem, tunc poneretur omnis vnio requisita ad actum secundum producendum: ergo idem in proposito contingit: quia lumen inesse intellectui per modum formæ est ratio extrinseca ipsi lumini, vt vnit intellectui obiectum: frustrà ergo attribuitur hoc munus lumini, quod ex genere habitus ipsi non competit, neque ex ea radice, qua oritur eius necessitas ex parte potentiæ. *Superfluitas tollenda.* Accedit quòd qui negant possibilem esse speciem impressam Dei, consequenter negare debent lumen vnire in actu primo essentiam diuinam intellectui, quia hoc est munus speciei, & nihil aliud vnit, nisi quod repræsentat vt similitudo ipsum obiectum, cùm vnio intentionalis non contingat aliter, nisi per obiectum, aut eius similitudinem: neque obscuranda sunt mysteria, neque causalitates superfluè ingerendæ, quæ ad veritatem mysterij non faciunt: sed magis obscurant. Quod additur in eadem responsione, nempè secundariò lumen disponere intellectum ad recipiendam ipsam visionem, satis impugnatum est ex dictis: nam si admittunt intellectum se-

ipso recipere visionem ex naturalibus, tunc nequit aliter disponi per lumen, nisi vt actus primus in genere efficientis requiritur ad actum secundum in subiecto; hæc autem dispositio non est vocanda dispositio propriè, minùs autem materialis, cùm sit potiùs ordo requisitus causarum.

51 *Fundamenta præmissæ sententiæ soluuntur.* Argumenta, quæ adducuntur pro sententia præmissa, faciliter ex præmissa eius impugnatione soluuntur; nam in potentiis spiritualibus dispositiones materiales in ordine ad suos actus recipiendos, neque ex parte potentiæ, neque ex parte actus requiritur; sublato impedimento actus contrarij, aut alterius distractionis potentiæ per suum motiuum. Quamuis autem in cognitiua sensitiua requiratur media qualitas, & temperamentum organi, id magis exigitur ad productionem actus, tanquam conditiones requisitæ, quàm ad receptionem eius. *Quid facit qualitas media in organo.* Quòd etiam ad receptionem requireretur, id prouenit in quantùm illa qualitas est conseruatiua subiecti, & non inquantùm dispositio eius ad receptionem: quia actus illi vitales proueniunt, & recipiuntur in organo, vt est substantia viua, & non secundùm qualitates: in potentiis autem spiritualibus, in quibus nulla est qualitas conseruatiua sui *esse*, ita etiam neque dispositiua materialis ad recipiendam propriam operationem requiritur, neque lumen aliud distinctum à sua virtute agendi, & principiis concurrentibus effectiuè ad actum iuxta naturã actus. Neque capio quasnam dispositiones materiales hic author velit esse in intellectu, & voluntate præter habitus, & species, vel passiones, quorum nullum est dispositio materialis stricta, vt ipse magis astruit, quàm non probat, licèt rationi adhæreat tanquàm euidenti, quam nos ne quidem veram iudicamus; minùs autem necessariam.

Quod adducit ex Aristotele, 2. *de anima. text.* 24. *&* 26. quatenus dicit nullum actum fieri posse, aut recipi nisi in propria potentia, nihil conducit ad propositum; nemo enim id negat; sed negatur intellectum ex se non esse dispositum in ratione potentiæ passiuæ respectu suæ intellectionis, & esse eius propriam potentiam receptiuam, & inclinari etiam lumen ad actum visionis beatæ tanquàm connaturalem appetitui passiuo eius, vt aliàs *quæst.* 9. *&* 10. probat Doctor. Videantur quæ ibi dicta sunt de potentia receptiua intellectus respectiuè ad formas supernaturales ex Patribus, & quæ hîc præmissa sunt contra fundamentum præfatum authoris, & aliorum.

SCHOLIVM.

Animam humanam ex naturalibus non posse elicere visionem Dei. Primò, quia non habet sibi præsentem Deum in se, nec in eminentiori. Secundò, non potest eum facere facialiter sibi præsentem. Diffinitur in Concil. Vienn. & habetur Clement. ad nostram de hæret. tangit an lumen gloriæ sit necessarium: & videtur hîc dubius: tamen illud ponit 1. *dist.* 17. *quæst.* 2. *fin. &* 3. *dist.* 14. *quæst* 1. *art.* 3. *& hîc ad tertium. Vide eum ibid. dist.* 13. *quæst.* 3. *&* 4. *docet etiam nullum posse naturaliter videre Deum quæst.* 1. *Prol. & quodl.* 14. *&* 2. *dist.* 3. *quæst.* 9. *quod sufficit, nec Clemen. ad nostram definit dari lumen gloriæ, quod sit qualitas inhærens, quamuis hoc sit probabilius. Thomistæ inaniter sibi suadent esse de fide quòd detur sic inhærens; de quo agunt* 1. *par. q.* 12. *art.* 5.

e SEcundò dico, quòd anima humana non est sufficienter actiua ex puris naturalibus ad consequendum actum visionis, quia impossibile est intellectum esse causam visionis, nisi intellectus habeat in se obiectum cognitum, vel aliud in quo eminentiùs continetur; sed natura humana non habet Deum in se, ex se præsentem sibi sub ratione obiecti, nec in alio, in quo eminentiùs continetur, quia in nullo alio potest eminentiùs contineri: ergo ex se non sufficit ad habendum cognitionem diuinæ naturæ visiuam. 9

Prætereà, visio est cognitio intuitiua rei in se, sed natura humana non potest habere ex se præsentem Deum in ratione obiecti, licèt sit sibi præsens per illapsum: ergo non potest ex se habere visionem naturæ diuinæ: non ergo sufficit ex puris naturalibus ad cognoscendum virtute propria obiectum beatificum.

Ex hoc sequitur corollarium, quòd in beato nihil erit supernaturale prius operationibus: si tamen aliquid supernaturale ponitur in beato prius operationibus, hoc non erit propter receptionem, sed propter actionem, vt eliciatur operatio in beato, qua attingit Deum: non enim potest poni aliqua forma in beato solùm ad decorem, & pulchritudinem, & quæ non ordinetur ad actionem: & per consequens cùm nihil requiratur propter receptionem beatitudinis, vt ostensum est, sequitur quòd si sit aliqua forma supernaturalis, & spiritualis in anima beati prior operationibus, quòd illa requiritur propter operationem eliciendam: & tunc vlteriùs, aut requiritur propter obiectum, aut propter potentiam; & cùm duplex potentia concurrat in operatione in beato, scilicet intellectus, & voluntas, propter vtramque potest talis forma poni. Si autem ponatur propter hæc tria aliquid prius operatione, erunt tres formæ

supernaturales præcedentes. Vna correspondens obiecto, scilicet species intelligibilis in memoria: secunda ex parte intellectus, quæ dicitur lumen gloriæ: tertia ex parte voluntatis, quæ dicitur charitas.

10 Si autem obiectum in se præsens sufficit ad actionem visionis causandam, quantùm ad illud, quod requiritur ex parte obiecti, tunc non requiritur species: si autem intellectus sit merè passiuus, habens se solùm in ratione susceptiui ad actum visionis, cùm non requiratur propter receptionem solam aliqua forma ex parte intellectus, vt *suprà* ostensum est; tunc non requiritur lumen gloriæ. Si etiam voluntas sit merè potentia passiua respectu fruitionis tunc ex parte voluntatis non requiritur charitas. Vnde ponentes voluntatem merè passiuam respectu fruitionis, tollunt charitatem: quia ex parte volũtatis non requiritur aliqua forma ad recipiendum fruitionem, quia ipsa secundùm se est summè disposita ad recipiendum eam. Sed quia secundùm Scripturam, & fidem habemus ponere charitatem, saltem necesse est eam ponere in beato propter operationem eliciendam: lumen autem gloriæ ad visionem non videtur mihi necesse poni, quia quod dicitur de lumine naturali corporali, quod requiritur non solùm propter obiectum, sed propter oculum, videtur mihi esse quædam metaphora. Quantò enim obiectum est magis in se lux, tantò minùs propter ipsum requiritur de lumine: nec requiritur propter receptionem, vt dictum est: vnde minùs videtur mihi necesse ponere lumen, quàm speciem: quia si species ponitur, hoc est, vt memoria sit perfecta ex parte intellectus: sed an sit ponere talem speciem propter formalem operationem, & perfectionem potentiæ dicetur aliàs.

Charitas necessariò ponenda in beato: vt eliciat amorem.

Teneo ergo, quòd saltem necesse est ponere charitatem propter operationem eliciendam: & per consequens aliquam operationem potest voluntas cum charitate elicere, quam non potest ita intensè sine charitate elicere, & sic patet ad formam quæstionis, quòd aliquam operationem beatitudinis potest homo habere, quam non potest habere ex puris naturalibus.

De lumine gloriæ hic nihil asserit, tamen ponit illud 1.d.17.q.2.fi. & 3.d.14.q.1.art.3.

11 f Ad argumenta. Ad primum dicendum, quòd natura dedit homini organa ad consequendum beatitudinem, sicut potentias passiuas receptiuas eius, & actiuas: non tamen vt statim consequeretur, sed habitis dispositionibus requisitis. & ideò secundùm vnam viam non dedit dispositiones proximas ad beatitudinem, licèt dederit potentias.

Ad arg. 8.

Habemus potentiam ad beatitudinem, sed non dispositiones proximas.

g Ad secundum dicendum, quòd non est simile, quia sensus non potest esse potentia non organica, vel non potest non esse potentia organica: & ideò non potest eleuari ad immateriale apprehendendum, nec ètiam visus beati; benè tamen infrà genus materialium potest eleuari ad videndum Solem. Sed intellectus habet obiectum totum ens, & ideò potest eleuari ad aliquid immateriale: imò potest eleuari ad quodlibet cognoscendum: vnde non est simile de istis potentiis, scilicet intellectiua, & sensitiua, quantùm ad obiecta: quia non est contra rationem intellectus, imò summè competit ei eleuari ad videndum obiectum supernaturale: est tamen quoad modum simile vtrobique.

Ad 2.

Ad confirmationem dicendum, quòd sensus non est capax alicuius, nisi sensibilis, non tamen omnis: intellectus autem est capax omnis intelligibilis.

12 Ad aliud dicendum, quòd cuilibet potentiæ passiuæ correspondet actiua; verum est, non tamen in natura creata. etiam secundùm Philosophum, vt patet, quia potentia receptiua est in corpore ad animam intellectiuam, & tamen tota natura creata non posset eam inducere: ponit tamen Philosophus aliter, quàm nos, quoad hoc, quòd posuit potentiam in natura, Deum, scilicet naturali necessitate agentem, sed nos benè ponimus in toto ente cuilibet potentiæ passiuæ benè correspondere potentiam actiuam, non tamen actiua illa est naturalis, sicut passiua: imò nunquam est naturalis in primo ente ad extrà, sed semper voluntaria.

Non correspondet cuilibet potentiæ passiuæ naturali, potentia naturalis actiua, de quo q.1. Prol.

Ad 3.

Ad aliud secundùm illam opinionem, quæ ponit intellectum esse causam actiuam; dico quòd modò habet potentiam remotam, tunc autem propinquam: vnde sicut intellectus est hîc & ibi, eadem natura: ita posse videre est hîc, & ibi eadem potentia; sed modò est remota, tunc erit propinqua. Si autem est potentia passiua, & receptiua, tunc non requiritur lumen gloriæ.

Hic ponit lumen gloriæ tenendo intellectum esse actiuũ visionis.

Ad 4.

h Ad aliud dico, quòd aliqua perfectio inferioris potest contineri in superiori, aliqua verò non, quia si fieret summa voluntas, eodem modo se haberet ad beatitudinem sicut infima: quia vtraque eodem modo se habet ad suam beatitudinem: licèt illa sit maioris beatitudinis capax: & tunc, vt sic considerando vtramque præter habitum

Non esse creabilem naturam, cui vera beatitudo possit esse naturalis.

bitum illum, tunc summa est simpliciter magis imperfecta: quia quantò aliquid est aptum ad maiorem perfectionem, si ea careat, tantò est imperfectius: nec illa perfectio, per quam hoc debetur inferiori, est, quòd sit in summa, vel in superiori vnitiuè: quia hoc est impossibile, quia illa voluntas infima non esset eius capax.

COMMENTARIVS.

52 *2. Conclusio. Anima non est sufficiẽter actiua ad beatitudinẽ.* Dico ᶜ *secundò quòd anima humana*, &c. Hæc secunda conclusio principalis huius quæstionis, in qua asserit quòd anima humana non sit sufficienter actiua ex puris naturalibus ad consequendum actum visionis Dei, est contra Hæreticos *suprà* citatos. Plures rationes ex Doctore *quæst.* 1. *Prologi* huc afferri possunt ad probationem præsentis conclusionis: sed sufficit illa, quam hîc proponit, & latiùs deducit *in quodlibet. quæst.* 14. quæ talis est. *Probatio à priori.* Impossibile est intellectum esse causam visionis, nisi habeat obiectum in se, vel in aliquo eminentiùs continente ipsum; sed natura humana non habet Deum in se (id est, præsentem, quod requiritur ad visionem, quæ est obiecti præsentis, & existentis) ex se præsentem sibi sub ratione obiecti, nec in aliquo alio, in quo eminentiùs continetur; quia in nullo alio potest eminentiùs contineri: ergo ex se non sufficit ad habendam visionem essentiæ diuinæ.

Secundò probat, quia visio est cognitio rei intuitiua in se; sed natura humana non potest ex se habere Deum præsentem in ratione obiecti, licèt sit sibi præsens per illapsum: ergo non sufficit ex puris naturalibus ad cognoscendum obiectum beatificum.

53 *Responsio Suarij.* Suarez *in Metaph. disputat.* 3. *sect.* 11. dicit non posse dari rationem conuincentem, & necessariam, qua probaretur visionem Dei naturaliter non posse videre Deum, aut hanc ipsi esse supernaturalem. Molina etiam 1. *part. quæst.* 12. dicit non posse dari aliam rationem, quàm probabilem; vbi reiiciunt hanc rationem Doctoris. Suarez desiderat tertium membrum in priori discursu, nempe præsentiam per speciem intelligibilem: sed hoc etiam membrum adiicit Scotus *in quolibet.* vbi agit de cognitione Dei propria, tam abstractiua, quàm intuitiua, quam negat possibilem Angelo, aut homini ex puris naturalibus. Hîc autem Doctor supponit quod superiùs probatum est, nempe cognitionem intuitiuam necessariò fieri per ipsum obiectum, vt præsens est, & existens. Videantur quæ dicta sunt de cognitione animæ separatæ, & naturali: hîc autem agit solùm de cognitione intuitiua, & non de abstractiua, quæ sit Dei sub ratione propria. Sed ne controuersia sit, addamus etiam hîc tertium illud membrum de specie intelligibili, quatenus Deus non sit præsens etiam naturaliter per speciem intelligibilem, quæ ipsum repræsentet sub ratione propria. *Euasio argumenti.* Addendo hoc membrum dicit præfatus author peti principium in vtraque ratione præmissa: quia per speciem potest haberi tam visio, quàm præsentia obiecti beatifici; non probatur autem non haberi talis species tam ab Angelo, quàm ab anima separata. *Retorquetur in Doctorem.* Quod argumentum magis vrget contra Scotum, inquit, quia *in* 2. *dist.* 3. *quæst.* 9. admittit speciem abstractiuè repræsentantem Deum sub ratione propria, quæ esset naturalis.

54 Contrà, non est assecutus mentem Doctoris, neque vim rationis eius, quia hîc agit Doctor contra illum errorem, qui dicebat ex naturalibus haberi posse visionem Dei intuitiuam, & beatitudinem; *Reiicitur vtrumque.* ex naturalibus autem hoc acquirere est intellectum ex motiuis naturalibus, & obiecto motiuo posse attingere illum actum prout præfati errantes astruebant in quæst. 1. Prologi probat Doctor secundùm cognoscendi modum hominis viatoris pro hoc statu non posse attingere eum beatitudinem, aut habere cognitionem eius certam, & practicam, aut finis supernaturalis absque doctrina reuelata; in quodl. 14. probat quòd neque anima separata, neque etiam Angelus potest ex puris naturalibus cognitionem tam abstractiuam, quàm intuitiuam Dei sub ratione propria habere. *Quid sit habere cognitionem ex naturalibus.* Ex naturalibus autem habere hanc cognitionem est eam acquirere per motiuum naturale intellectus creati, cum solo influxu Dei generali iuxta exigentiam motiui, & intellectus vt mobilis est per tale motiuum, non verò per influxum Dei specialem, quo tribueret cognitionem prædictam per speciem, aut ipsam speciem: *Explicatur Doctor.* quando autem *in* 2. *loco præfato* dicit fortè speciem Dei sub ratione propria repræsentantem Deum datam fuisse Angelo, dicit illam speciem esse non ex naturalibus intellectus, & sui motiui naturalis, sed à Deo specialiter causatam: ideóque non viget ratio contra Doctorem desumpta ex tali specie, quæ licèt naturalis ab eo vocetur, intendit esse naturalem: quatenus ex prouidentia Dei speciali, licèt ordinaria ad beatitudinem Angeli in via naturalem, & vt distinguitur à gratia, & gloria, & mediis gratuitis eleuantibus potentiam ad finem supernaturalem, quidquid est, an Angelus posset attingere obiectum sine tali eleuatione sui intellectus, de qua quæstione agetur in proprio loco: sicut de modo attingendi, & mediis se tenentibus ex parte obiecti, & an cognitio magis distincta & clara finis data sit Angelo, quam non habet homo pro hoc statu, licèt medium cognoscendi fuerit simpliciter supernaturale, vt opponitur *supernaturale* virtuti causarum naturalium.

55 *Quando obiectum non est præsens nequit causare speciem.* His positis patet ratio Doctoris, etiam vt hîc iacet, secluso tertio illo medio cognoscendi, quod est per speciem: quia quodcunque obiectum quod non est in se præsens præsentia requisita ad causandum cognitionem tam abstractiuam, quàm intuitiuam sui in intellectu, non est etiam sufficienter præsens ad causandam sui speciem, sic repræsentantem illud sub ratione propria; sed nullum obiectum, quod ex naturalibus est præsens intellectui creato, ex concursu causarum naturalium potest causare cognitionem Dei sub ratione propria alterutro modo: ergo si ratio concludit quoad hunc modum acquirendi cognitionem, probat etiam quoad impossibilitatem acquirendi. *Nihil creatũ potest causare speciem Dei.* Probatur consequentia: nullum obiectum potest causare speciem alterius quod non includit in se illud formaliter, aut eminenter, aut virtualiter: quia intelligibilitas obiecti sequitur suum *esse*: & causare posse speciem repræsentantem obiectum sub ratione propria æquè comparatur ad intellectum, ac causare posse immediatè ipsam cognitionem obiecti; sed

sed

sed nullum obiectum motiuum naturale intellectus creati includit in se Deum aliquo modo ex prædictis: quia neque essentia Angeli, neque consequenter aliquod alind inferioris ordinis: si enim anima per essentiam propriam nequit habere cognitionem Angeli superioris, aut supremi, quia nullo modo ex prædictis includit *esse* Angeli, aut intelligibilitatem eius, à fortiori minùs includit Angelus *esse* Dei, aut eius intelligibilitatem ex se: perfectus enim conceptus quem potest obiectum causare, & idem de specie, est ille, quem de seipso causat sub ratione propria; qui conceptus neque vt cognitum, neque vt medium cognoscendi est sufficiens causare speciem, aut cognitionem entis sine proportione superioris, sub propria, & actuali ratione eius. Minùs potest Angelus per modum obiecti causare speciem, aut cognitionem Dei mediante conceptu aliquo abstracto, & potentiali: quia conceptus ille non includit in se actu, aut eminenter, aut virtualiter rationem particularem, quantùm ad *esse*, aut intelligibilitatem actus primi, aut secundi, id est, quantùm ad speciem, aut intellectionem causandam. Vnde ex conceptu animalis præciso non potest haberi conceptus hominis; nec alia ratio huius assignari potest, nisi illa præmissa: quia nec actu, nec virtute, aut eminentia conceptus abstractus includit rationes particulares. Et cur lapis non potest causare speciem, aut conceptum hominis inquantùm homo est, nisi propter eandem rationem? quia nempe intelligibilitas rei est proprietas eius, & sequitur ad *esse* ipsius, quæ in nullo saluari potest nisi in eo, in quo ipsum *esse* saluatur formaliter, aut perfectiori modo.

Conceptus abstractus nō includit inferiora.

56 *Sensus Philosophorum.*

Vim huius rationis intellexerunt Philosophi statuentes obiectum motiuū Intelligentiæ suam essentiam, & negantes aliter attingere posse primam causam, nisi vt causa est, & per essentiam propriam, vt causatum eius, & non intelligere Deum per modum, quo in se est intelligibilis. Sic etiam intellectionem hominis reducunt ad obiectum motiuum intellectus pro hoc statu, & solùm ad conceptus abstractos, quos virtute talis obiecti habere potest: ideóque cùm ex hoc motiuo nequit haberi cognitio substantiarum separatarum sub ratione propria, negant etiam esse possibilem homini, cuius intellectus limitatur ad medium cognoscendi imperfectum, quod habere potest virtute sui motiui. Si quæratur causa, nullam aliam assignabunt, nisi illam *suprà* præmissam. Ratio ergo Doctoris non est petitio principij; sed est per causam, & à priori, ac proinde necessaria: nam ex virtute obiecti motiui rectè colligitur quid possit intellectus ex præciso tali motiuo; quia nec ex medio particulari deducit scientiam, nisi illius subiecti præcisè, cui est medium, & quod insufficiens est ad causandam scientiam alterius subiecti, quod non includit, neque in eo includitur: ergo eodem modo sumendo motiuum adæquatum intellectus creati, & naturale, debet esse ens creatum, ac proinde distinctum à motiuo naturali intellectus diuini, & infiniti: hoc autē nequit includere in sua intelligibilitate intelligibilitatē Dei sub ratione propria: ergo ex eo nequit haberi cognitio propria Dei, aut intuitiua, aut abstractiua, quia neque in virtute talis motiui includitur, neque est debita intellectui, vt actiuus est, alia cognitio, nisi illa, quæ ex virtute motiui inesse potest.

Benè ergo sequitur, si ex naturalibus intellectus creatus posset habere speciem repræsentantem Deum sub ratione propria præsentem, quod intelligeretur naturaliter: sed ratio prædicta perinde excludit speciem, sicut & ipsam cognitionēm, & præsentiam necessariam obiecti in ordine ad vtramque: siue enim cognitio Dei nata sit causari per essentiam eius, vt vnitam per modum speciei intelligibilis, siue mediante voluntate, eam liberè causante, neque vnio illa, neque causa proxima, quæ est voluntas vt vniens, aut vt causans cognitionem, est in potestate creaturæ, aut alicuius causæ in tota vniuersalitate rerum extra Deum.

Ex hoc sequitur corollarium, &c. Deducit ex dictis corollarium. Primò, quòd *in beato nihil erit supernaturale prius operationibus.* Hæc propositio ita intelligenda est non absolutè, sed vt cohæret antecedentibus, & consequentibus, cùm sit deductio ex antecedentibus, & declaratio inchoata in ordine ad sequentia: ex præcedentibus nihil sequitur, nisi quòd nihil supernaturale prius operationibus detur in beato, per modum receptiui operationum, aut per modum dispositionis, materialis, in quo versatur eius prima conclusio in ordine, & discursus subiectus, ex quo tantùm deductio huius corollarij habetur: nam ad secundam conclusionem non sequitur, in qua dicit quòd anima ex puris naturalibus non sit sufficiens ad visionem beatificam, sed potiùs sequitur oppositum: nam compleri debet eius virtus actiua per aliquid prius operationibus, vt sit sufficiens.

Explicatur propositio.

Nihil prius operatione supperadditur vt receptiuum.

Idem sensus habetur etiam ex consequentibus 58
(scilicet ab eo excludi tantùm aliquid supernaturale prius operationibus beatificis per modum receptiui) dicit enim: *Si tamen aliquid supernaturale ponitur in beato prius operationibus, hoc non erit propter receptionem, sed propter actionem, vt eliciatur operatio à beato, qua attingat Deum*, &c. Hoc ipsum clarè infrà dicit asserens charitatem secundùm fidem ponendam esse in beato priorem fruitione, & vt ipse interpretatur, ad eliciendam fruitionem. Interim hîc subiungit nullam formam statuendam esse in beato propter solum decorem, & ornatum, & quæ non ordinetur ad actionem. Intelligit de forma, quæ inesset voluntati, & intellectui beati, in quo triplex vsus formæ assignari potest, nempe ad receptionem beatitudinis, ad ornatum, & pulchritudinem; & vtrúmque hunc modum excludit, quia nec prior ad beatitudinem spectat, neque ex ea colligitur, neque secundum requiritur: inde colligens formam præsuppositam beatitudini esse in ordine ad eliciendam operationem, in qua consistit: & tunc vlteriùs vel requireretur propter obiectum, vel propter potentias: si propter vtraque, tunc sunt tres formæ requisitæ ad operationem eliciendam, vna correspondens obiecto, vt species, lumen gloriæ in intellectu, & habitus charitatis in voluntate.

Triplex vsus formæ in intellectu.

Requiri ad efficiendum, non recipiendum ornandum.

Exigentia formæ supernaturalis.

Quòd si obiectum in se præsens sufficit ad causandam visionem, tunc species non requiritur, si intellectus passiuè se habet ad visionem, & non elicitiuè, non requiritur lumen, cùm non requiratur propter receptionem. Si etiam voluntas merè passiuè se habet respectu fruitionis, ex parte voluntatis non requiritur charitas. Vnde ponentes voluntatem passiuè se habere & non elicitiuè, *tollunt*, inquit, *charitatem: sed quia secundùm fidem & scripturam*, inquit, *habemus ponere charitatem*

59 *Necessitas in sensu congruo declaratur.*

tem, saltem necesse est eam poni in beato propter operationem eliciendam(alludit ad Apost. 1. ad Corinth. 13.) *lumen autem gloriæ ad visionem non videtur mihi necesse poni: quia quod dicitur de lumine naturali corporali, quod requiritur non solùm propter obiectum, sed propter oculum, videtur mihi esse quadam metaphora* (scilicet vt transfertur simili proportione ad intellectum, vt respicit obiectum beatificum) *quantò enim obiectum est magis in se lux, tantò minùs propter ipsum requiritur de lumine: vnde minùs videtur mihi necesse ponere lumen, quàm speciem*, &c. Quantùm scilicet ad effectum, & proportionem seruandam inter beatitudinem in genere operationis, & alias operationes, quas experimur: quia lumen superadditum intellectui est propria virtus, cum aliis principiis operandi, inter quæ enumeratur species, vt integrat memoriam. Virtus autem intellectus cum specie, & obiecto sufficienter applicato, non requirunt aliud lumen diuersum ex communi modo, aut necessitate operandi: ideóque hoc lumen in ratione luminis non requiritur ad beatitudinem, quidquid sit an requiratur in ratione formæ concurrentis, quæ metaphoricè lumen dicitur, quia spectat ad intellectum, cuius aliàs natura est ignota præter hoc solum, quòd eleuet ad eliciendam visionem. Hinc dicit Doctor quòd sibi videtur minus requiri lumen sub ratione propria luminis (quasi exercentis functionē illam, & munus luminis materialis respectiuè ad obiectum visibile) in ordine ad visionem, quàm ipsam speciem: argumento scilicet deducto ex modo communi intelligendi: quia materialis lux, vel lumen reddit colores visibiles actu, qui alioquin non essent visibiles in tenebris; hoc munus requiritur, quia illa sunt obiecta visibilia in potentia; sic applicatur intellectui agenti, vt abstrahit speciem ab ente materiali: sed visibile, aut intelligibile actu non requirit tale lumen; sicut etiam lux seipsa videri potest vt præsens: Deus autem est ipsa lux intelligibilis, & visibilis, ideóque non requirit aliud lumen, per quod illustrari posset. Ad hoc munus exercēdum, dicit Doctor sibi minùs videri necessarium dari lumen, quàm ipsam speciem: & loquitur de intellectu, vt passiuè comparatur ad visionem, vel etiam vt actiuè, quia licèt sic admittat formam aliquam per modum habitus priorem in intellectu, per quam videat elicitiuè, tamen illa forma non requiritur per modum luminis, quo illustratur obiectum, quod de se est actu visibile.

Metaphora luminis.

Expositio præmissorum.

Munus luminis materialis.

Deus est lux intelligibilis.

60 Tandem resolutiuè docet necessariò ponendam esse charitatem propter operationem eliciendam. *& sic patet*, inquit, *ad formam quæstionis, quòd aliquam operationem beatitudinis potest habere homo, quam non potest habere ex puris naturalibus* (scilicet sine eleuatione per formam superadditam de potentia ordinaria:) *quia sic ponitur se habere charitas ad fruitionem.* Per *pura naturalia* intelligit Doctor non naturam, vt excludit omnem concursum tam intrinsecum, quàm extrinsecum supernaturalem; quia in vltima conclusione determinat non posse haberi visionem Dei ex naturalibus, sed excludit tantùm concursum habitus eleuantis intellectum in actu primo præuio ad operationem, quam tamen necessariò requirit in voluntate.

Necessaria est charitas habitualis.

Quid intendat per pura naturalia.

61 Hactenus explicuimus literam Doctoris, vt iacet: concertant plures de eius intentione & hîc, & alibi an senserit dari lumen gloriæ. Scopus eius in hac quæstione est tractare difficultatem iuxta intentum quæsiti principalis, an scilicet homo ex puris naturalibus possit consequi beatitudinem? Illa particula *ex puris naturalibus* intelligit ad scopum quæstionis (in qua examinat necessitatem habituum infusorum ad beatitudinem acquirendam) ipsas potentias secundùm suum *esse*, & virtutem propriam, vt distinguuntur ab habitu eleuante ipsas, non autem excludit omne agens supernaturale: quia hoc necessarium esse concedit, vt patet *ex secunda conclusione, & in 3. dist.* 14. & vbicunque agit de hac materia. Resoluit primò in prima conclusione non requiri habitum supernaturalem in potentiis tanquàm rationem receptiui, sed potentias per inclinationem passiuam habere vt sint capaces beatitudinis ex summa inclinatione ad ipsam, secluso alio quocunque receptiuo. Dicit in secunda conclusione animam non esse sufficienter actiuam respectu beatitudinis, ac proinde necessariò hanc esse à causa supernaturali.

Sententia Doctoris de lumine gloriæ, an datur.

Summarium quæstionis, vt iacet.

Non requiri habitum vt receptiuum.

Anima non est sufficiēter actiua respectu beatitudinis.

Deinde, in corollario redit ad explicationem huius causæ, dicens quòd ad recipiendam beatitudinem non requiruntur habitus; & si ponantur habitus, requiri præcisè propter operationem eliciendam. Ad hoc autem munus distinguit tres formas supernaturales; de quibus posset esse difficultas, vt est species intelligibilis requisita ex parte obiecti, si ipsum immediatè mouere non potest ad intellectionem, seu visionem; lumen gloriæ in intellectu; & habitus charitatis in voluntate. Dicit speciem non esse necessariam, si obiectum immediatè concurrere potest, aut mouere. Dicit etiam reliquos habitus non esse necessarios, si potentiæ merè passiuæ se habent ad illas operationes.

Corollarium, & eius summarium.

Dicit tandem necessariò ponendam esse charitatem ex Apostolo, & reprehendit dicentes voluntatem merè se passiuè habere. Per oppositum dicit non necessariò poni lumen gloriæ in intellectu, scilicet non dari aliquam rationem, aut Scripturam, quæ conuincat sic dari lumen per modum habitus, sicut datur Scriptura definiens dari charitatem. Hic ergo est scopus Doctoris inquirentis fundamentum conuincens dari hos habitus, asseritque dari illud quoad habitum charitatis, non verò quoad luminis habitum: & nihil aliud resoluit. Non est ergo quòd in hac litera pro parte negatiua citetur, vt ab authoribus passim contingit citari. Segmen enim discursus abreptum, & abruptum à scopo, non declarat intentionem: quamuis proinde dicat sibi minùs videri necesse ponere lumen, quàm speciem, intendit necessitatem probationis, non absolutam assertionem; quia potest visio illa supernaturalis inesse virtute obiecti sine lumine, & alludit ad sententiam Richardi asserentis *in 3. dist.* 14. *art. 3. q. 1. & in hac dist. art. 3. quæst.* 2. lumen non requiri vt influat in visionem, sed vt dispositionem materialem non actiuam; neque etiam vt asserit D. Thomas, vt vniat obiectum beatificum in *esse* intelligibili intellectui in actu primo, sed vt merè disponat intellectum materialiter per modum dispositionis, qui passiuè se habet ad visionem: meritò ergo dicit Doctor sibi magis esse speciem videri necesse ponēdam intelligibilem, vt perficiat memoriam, quàm lumen hoc modo, vel hac ratione: ideóque *suprà* præmisit lumen, si ponitur necessariò ponendum esse, propter actionem, & non propter receptionem.

62

Probatio charitatis constat ex Scriptura.

Non ita luminis.

Non rectè citatur negasse lumen.

Negat necessitatem luminis quoad illud munus quod ab aliis declaratur.

Item, *in loco præmisso in* 3. non asserit negatiuam,

Eodem modo determinat in tertio. uam, neque in eam inclinat: Quærit enim, *An in anima Christi possit fieri summa visio absque omni alia forma prius perficiente animam.* Et primò resoluit quantùm ad potentiam passiuam, nullam talem formam priorem requiri, quæ sit dispositio per modum receptiui, aut etiam aliter disponens materialiter, licèt non reciperet. Quàm conclusionem ibidem probat per similes rationes, quibus vsus est in hac quæstione, conclusione prima.

63 Obiicit sibi quòd tunc visio illa esset ex naturalibus.

Respondet magis id sequi ex opposito, si poneretur lumen: quia scilicet sic intellectus posset videre Deum ex naturalibus, id est, ex causis creatis, quale esset lumen: ipse verò respondet negatiuè: quia visio illa esset ex verbo immediatè eam causante, *& supernaturaliter,* inquit, *causat.* Deinde, subiungit dubium.

Si autem quæratur, inquit, *vtrùm sine tali habitu, aut lumine, quod dicatur A, possit intellectus creatus non tantùm passiuè se habere ad visionem, sed etiam actiuè ad eliciendam tantam visionem, & hoc æquè perfectam, sicut cum A.*

Respondet: *Hîc,* inquit, *supponendo vnum, quòd intellectus posset se habere actiuè respectu visionis Verbi, sicut & actiuè se habet respectu intellectionis naturalis,* &c. *tunc potest dici sicut ad quartam quæstionem præcedentis distinctionis dictum est,* &c. In prædicta quæstione quarta, in qua simile dubium mouet de voluntate; An sine summa gratia posset actiuè in summam visionem.

Respondet negatiuè, nisi Deus suppleret concursum gratiæ specialiter: quod tamen negat fieri respectu visionis de potentia ordinaria: *Tamen;* inquit, *non posset voluntas Christi frui actiuè, siue elicitiuè, sine summa gratia,* cuius rationem ibi subiungit: *Quia ordinatum,* inquit, *quòd causa prima, quæ nata est habere causam secundam, non possit in effectum summum illarum causarum sine actione causæ secundæ.* *Asserit dari lumen de facto.*

Similiter ordinatum est, vt nulla voluntas summè perficiatur actu secundo summo etiam vt recipiens, nisi habeat actū primum summum: ita neque possibile est de potētia ordinata quòd summè fruatur sine summa gratia, &c. Si ergo pari modo disserendum est de intellectu, vt actiuè se habet ad visionem, sicut de voluntate, magis sequitur Doctorem asserere ad visionem de facto requiri lumen, sicut ad fruitionem gratia, vel charitas. In loco autem citato non tangit hanc quæstionem Doctor nisi obiter: quia scopus ipsius est agere de intellectu, vt receptiuus est, & non vt actiuus. Vnde in fine illius articuli ita subiungit post remissionem solutionis dubij ad quæstionem quartam. *Sed quantùm ad receptionem,* inquit, *de qua est quæstio modò proposita, non videtur simpliciter necessarium concedere A.* (id est, habitum) *prius perficere intellectum, quàm visionem, sed si intellectus potest recipere duas perfectiones ordinatas, scilicet A, vt actum primum, & visionem; vt actum secundum, congruum est, vt illis perfectionibus ordinatè perficiatur: sed vtraque absolutè posset inesse sine alia,* &c. Ex his verbis sequitur primò Doctorem in hoc articulo disserere de intellectu vt passiuè se habet ad visionem, sic dicens, non requiri lumen vt dispositionem materialem: secundò sequitur eum tenere si intellectus actiuè concurrit ad visionem, dari lumen, aut habitum eleuantem in ipsa, non secùs ac in voluntate. Tertiò, admittit si intellectus potest recipere duas perfectiones ordinatas, scilicet habitum, vt actum primum, visionem vt actum secundum, congruum esse vt illis ordinatè perficiatur; actus primus denotat actiuum, actus secundus effectum. Quænam autem sit hæc congruitas declarauit *supra quæst.* 4 agens de voluntate; nullibi autem Doctor negauit posse recipi in intellectu habitum eleuantem ad visionem. Videtur ergo mihi expresè dicere, si intellectus actiuè concurrat, dari in ea habitum de facto, non ea necessitate, quam alij statuerunt, quasi aliter non possit etiam actiuè concurrere ad visionem Deo speciali concursu supplente lumen, vel etiam passiuè seipso, si visio à solo Deo produceretur. *Sententia Doctoris affirmatiua, & communis.*

Quid autem senserit Doctor de intellectu, an actiuè concurrat, & in quam partem ipse magis inclinet? 64

Respondeo eum magis inclinare in sententiam communem affirmantem concurrere actiuè; quia *quodlib.* 14. & 15. docet visionem beatificam non esse Verbum, quæ licèt eliciatur ab intellectu actiuè, tamen quia obiectum in se, vel sua specie non concurrat ad ipsam, neque per modum naturæ, sed voluntatis; ideò neget eam esse Verbum. & *in* 1 *dist.* 3. *quæst.* 7. 8. & 9. supponit generaliter intellectum esse principium actiuum respectu intellectionis, licèt *q.* 9. dicat obiectum beatificum propter excessum supra facultatē intellectiuā creatam, posse dici esse totalem causam visionis, aut saltem principalem. Non video ergo vnde magis dicatur in sententiam oppositam inclinatus, quamuis eam senserit probabilem; quam ante eum docuit Richardus *loco suprà citato,* & post eum Nominales tam *in* 3. *dist* 14. quàm *in hac distinct.* sicut & Paludanus, & Durandus, prout benignè quidam eum explicant. *Sentit intellectū actiuè se habere ad visionem.*

Ex his ergo satis colligere licet, quæ fuerit sententia Doctoris, & in quam magis inclinauit; dicit enim vt intellectus recipiat passiuè visionem, non requiri lumen gloriæ.

Dicit præterea, si intellectus actiuè concurrat: non requiri lumen gloriæ de potentia absoluta, quin Deus posset supplere actiuitatem luminis concurrendo cum intellectu actiuè. Dicit tertiò quòd de potentia ordinaria, si intellectus agat ad visionem, requiri lumen, seu habitum eleuantem, & sic eam parem facit voluntati, quam actiuè se habere ad fruitionem concurrente habitu charitatis, vt certum docet. *Triplex assertio Doctoris.*

Hinc ergo reiiciuntur moderni, qui in partem negantem citant Doctorem tanquàm magis inclinatum, vel certè dubitabundum, quamuis nihil, inquiunt, clarè resoluerit Ægidius *lib.* 9. *de Beat. art.* 1. §. 1. per varias propositiones mentem Doctoris interpretatur putans certò pro negatiua stare Doctorem, rectè quidem eum eximit à sententia Durandi: sed in tertia propositione dicit Scotum nullibi asseruisse lumen gloriæ requiri si intellectus actiuè se habeat ad visionem. *Nec dabitur,* inquit, *locus, in quo simpliciter affirmet lumen gloriæ dari in beatis, si intellectus actiuè concurrit,* &c. 65 *Reiiciuntur interpretationes Modernorum.*

Respōdetur iam assignatum esse locum, in quo id affirmat simpliciter, & de facto, & de potentia ordinaria, si intellectus actiuè concurrat.

In *primo* etiam *dist.* 17. §. *Ad primum pro secunda via concedo.* &c. Qui habetur ad calcem quæstionis secundæ. *Ad vltimum,* inquit, *dico quòd licèt illud faciat difficultatem tenentibus speciem esse actum*

actum primum respectu intellectus, per quem intellectus potest in actu, sicut lignum calidum calefacit calore: quia si hoc esset verum, esset difficile saluare, quòd intellectus non informatus aliqua forma posset in operationes: alludit ad opinionem, quam impugnat *dist.* 3. quæ dicit intellectionem non esse ab intellectu actiuè, sed à specie, vel obiecto, & sequitur: *Tamen secundùm illam viam, quam dixi dist.* 3. *primi huius* (scilicet quæst. 6. & 7.) *quòd obiectum siue in se, siue in specie est sicut causa partialis concurrens cum intellectu ad causandam intellectionem, non facit aliquam difficultatem: quia obiectum in se præsens, quomodo erit in patria, sufficit absque omni informatione ad causandam visionem, vel ex se solo cum intellectu: Et cùm arguitur quòd sine habitu informante potest esse visio perfecta in intellectu: ergo & fruitio perfectissima.*

Respondeo, inquit, *nullus negat communiter in gloria habitum luminis gloriæ in intellectu: & iste ex parte intellectus potest poni correspondere charitati ex parte voluntatis*, &c. Hîc ergo Doctor asserit lumen gloriæ in intellectu de facto, & intellectum actiuè se habere ad visionem, asserens esse sententiam omnium Doctorum, qui ante ipsum scripserunt, quantùm ad lumen, quod etiam verissimum est, à quibus non recedit, quamuis impugnat modum dicendi quorundam in locis citatis: deinde *in hac distinct. suprà quæst.* 4. *in laterali* arguendo per viam habitus ad perfectionem potentiæ, vt voluntatis super intellectu, asserit habitum charitatis excedere habitum luminis gloriæ. *Hoc medium*, inquit (supple ex perfectione habitus) *magis videtur concludere pro voluntate, maximè loquendo de habitibus infusis, qui disponunt ad beatitudinem illam veram, de qua loquuntur Theologi*, &c. In hanc sententiam communiùs Doctores nostræ Scholæ referunt Doctorem, cum quibus consentio, licèt Doctissimus Smising aliter eum interpretetur.

66 *Non cõsentit Durando, vt malè aliqui interpretantur.*

Aliqui tamen recentiores non attentè legerunt Doctorem, & peruiam eius doctrinam, vt Sotus *in hac distinctione quæst.* 2. *art.* 4. & Sumelius 1. *part. quæst.* 12. *art.* 5. *quæst.* 1. & insinuare videtur Vasquez 1. *part. disput.* 41. Scotum reipsa consentire Durando, qui in ea videtur esse opinione *in hac dist. quæst.* 2. vt nihil aliud requirat supernaturale ad videndum Deum ex parte intellectus creati, nisi solam præsentationem, & applicationem eius. Fundamentum interpretationis sumunt ex eo quòd Doctor *in hac quæstione* probet ex puris naturalibus hominem non posse assequi beatitudinem: quia obiectum non potest habere præsens sibi: ergo si haberet, posset videre Deum, inquiũt; ergo tenet cum Durando: consecutio hæc non valet, neque est ex mente Doctoris, qui asserit expressis terminis intellectum vt passiuè se habet ad visionem, recipere quidem ipsam naturaliter passiuè; sed produci eam ab obiecto supernaturaliter agente: vel de potentia absoluta posse intellectum etiam actiuè concurrere sine habitu, Deo supplente imperfectam virtutem agendi intellectus: aliud motiuum eorum est, quòd negat lumen gloriæ; sed neque consequentia illa valet: negat lumen gloriæ: ergo intellectus seipso potest attingere visionem beatificam sine supplemento virtutis, aut alterius concursus supernaturalis. Accedit quòd Doctor, vt patet ex dictis in vtroque hoc loco, nempe *in quæstione præsenti*, quam explicamus. Et *in* 3. *dist. illa* 14. non disserat de hac quæstione, vel quid de facto contingat; sed quid posset contingere de potentia absoluta Dei, vt patet ex titulo, & resolutione vtriusque loci. De facto autem lumen dari asseruit, vt patet ex dictis, licèt neget ad receptionem ordinari, sed ad actionẽ. Hactenus de mente Doctoris.

Soluitur quod obiiciunt.

Quæritur quid certitudinis habeat illa veritas de lumine gloriæ habituali?

Hæc quæstio mouetur ad veram declarationem *Clementinæ ad nostrum de hæreticis*; in qua damnantur hæretici Bergardi, & Beguinæ, & vt veritas fidei ad sua principia deducatur, varius est modus dicendi, & variæ censuræ Doctorum in quæsito. Ad scopum præsentem pertinent duo articuli damnati, nempe quartus, & quintus. Quartus est talis: quòd *homo potest ita finalem beatitudinem secundùm omnem gradum perfectionis in præsenti assequi, sicut etiam in vita obtinebit beata*, &c. Sed magis spectat quintus articulus talis, quòd *quælibet intellectualis natura in seipsa naturaliter est beata: quodque anima non indiget lumine gloriæ ipsam eleuante ad Deum videndum, & eo beatè fruendũ*, &c. Omisso primo articulo secũdus damnat duas propositiones. Prima est, quòd *qualibet natura intellectualis in se naturaliter sit beata.* Hæc propositio intelligitur viribus naturæ scilicet, nam non est verisimile quòd in seipsa tanquàm fine diceretur naturaliter beata: quamuis hic etiam error de istis rectè posset præsumi, quorum dogmata erant absurda, & irrationabilia. Secunda propositio est, quòd *anima non indigeat lumine gloriæ ipsam eleuante ad videndum Deum, & eo beatè fruendum*: ex hac sumi potest interpretatio vtriúsque articuli, nempe quòd viribus naturæ posset acquiri beatitudo sine dono Dei, aut gratia. Ante hoc Concilium defunctus est Doctor *anno* 1308. & sic hoc decretum non vidit, ideóque *in præsenti quæstione, & in* 3. *dist.* 14. certitudinem huius veritatis reduxit ad principia generalia, quantùm ad intellectum, non esse in se sufficientem ex naturalibus ad attingendum Deum sine eleuatione supernaturali, & docuit tres modos illius eleuationis, quibus possibilis erat fieri quantùm est ex parte infirmitatis intellectus, nempe vel Deo solo liberè, & supernaturaliter causante visionem, vel etiam concurrente intellectu actiuè, sed Deo specialiter supplente eius defectum, siue per habitum, siue per concursum supplentem habitum. Ex communi autem Doctorum, & secundùm congruitatem potentiæ ordinariæ Dei, asseruit de facto dari lumen gloriæ habituale, vt patet *ex locis suprà citatis in* 3. *dist. illa* 14. *& in* 1. *dist.* 17. Aliam certitudinem huius non vidit, quia ex doctrina Patrum, aut Scriptura non colligitur eleuationem illam fieri in specie per solum habitum, sicut ipse colligit eleuationem voluntatis fieri per habitum charitatis.

67 *Quis sit scopus Clementinæ ad nostrum.*

Articuli damnati.

In 5. articulo duæ propositiones damnatæ.

Doctor est mortuus ante Conc. Viennense, an 1308.

His præmissis aliqui docent esse de fide definitum in hoc decreto dari lumen gloriæ habituale: ita Capreolus *in hac dist. quæst.* 4. *art.* 3. Hispalen. *quæst.* 4. *art.* 4. Caiet. 1. *part. quæst.* 12. *art.* 5. *&* 1. 2. *quæst.* 67. *art.* 5. Ferrarien. 3. *contra gentes cap.* 54. Ripa 1. *part. quæst.* 12. *art.* 1. *dub.* 1. Antonin. 1. *part. Summæ tit.* 3. *cap.* 6. Ex nostris Ouardus *in hac dist. proposit.* 6. Angles. *in tract. de beat. art.* 2. *difficult.* 7. quibus consentit Argent. *in hac dist. quæst.* 2. Maior *in* 3. *dist.* 14. *quæst.* 2. Sotus dicit *in hac dist. quæst.* 2. esse definitionem Ecclesiæ, vel quid ei affine. Et Palacius *ibidem disput.* 1. *concl.* 7.

68 *Sententia asserens esse definitum dari lumen habituale gloriæ.*

Alij

69 *Sententia negatiua.* Alij Doctores docent hanc veritatem luminis habitualis non definiri in prædicto decreto: noster Mayron. *in* 3. *dist.* 12. *quæst.* 2. Leuchetus *in* 1. *dist.* 3. *quæst.* 3. Albertinus *in corollario* 1. *in* 1. *quæst. Theologica in* 3. *dubitatione.* Vasquez 1. *part. disp.* 43. *cap.* 2. Molina 1. *part. quæst.* 12. *art.* 5. *disp.* 1. Valentia *ibidem.* Suarez *de attributis lib.* 2. *cap.* 12. Bannes *in* 1. *part. quæst.* 12. *art.* 1. *dub.* 1. Lorca 1. 2. *disput.* 50. Pesantius 1. *part. quæst.* 12. *disp.* 1. *notabili* 4. Ægidius Lusitanus *lib.* 9. *de beatitudine quæst.* 4. *art.* 2. §. 2. *concl.* 5. *Censura quorundam.* Aliqui tamen ex his, vt Molina, Valentia, Suarez, Bannes, & idem Lusitanus *concl.* 4. licèt affirment non esse de fide definitum dari lumen habituale, supposita tamen definitione esse vel temerarium, vel periculosum, vel erroneum negare de facto dari in beatis lumen habituale. Hanc partem prosequitur fusè Lusitanus *concl.* 6.

Licèt nihil hîc dicendum sit necessarium ad defensionem Doctoris supposita explicatione præmissa, neque in partem negantem transeat; aliquibus tamen dictis quid in hoc iudicauerim, aperiam.

70 *1. Conclusio.* Dico primò non sufficere eleuationem supernaturalem per solam applicationem obiecti beatifici, & in actu primo ad veritatem hanc saluandam, sed requiri vlteriùs eleuationem in ordine ad actum producendum, scilicet ipsam visionem in effectu, quam nequit intellectus viribus propriis elicere, nisi adiunetur concursu se tenente ex parte potétiæ. *Non sufficit sola eleuatio per applicationem obiecti sine efficientia.* Hæc est communis Theologorum, excepto Durando, quem aliqui notant de contraria sententia, quatenus videtur requirere solùm vt obiectum supernaturaliter præsentetur potentiæ, & potentiam non aliter se habere ad visionem, quàm visiua sensitiua præsentato obiecto visibili miraculosè. *Probatio.* Patet conclusio ex omnibus locis, in quibus ostenditur infirmitas naturæ ad attingendum Deum ex parte etiam sua, & astruitur necessitas gratiæ siue in via, siue in patria ad opera ordinis supernaturalis. Recedit autem Durandus ab errore hîc damnato, inquantùm requirit præsentiam obiecti vt supernaturalem. Eum benignè excusat Suarez, non tamen Lusitanus, alioquin satis benignus in Authores; & loca Durandi citata alium sensum non videntur præferre, nisi illum, quem ei adscribit.

71 *2. Conclusio.* Dico secundò scopum principalem definitionis præmissæ esse damnare illum errorem; quatenus ex viribus naturæ dicitur possibilis, aut de facto haberi posse visionem Dei supernaturalem sine vlla eleuatione. *Scopus definitionis.* Hanc rectè probant Authores secundo loco citati, ac proinde illa particula; *Non indiget lumine gloriæ*, &c. æquiualet huic, quod est sine eleuatione, aut gratia, sed per solas vires naturæ: vnde licèt mentionem fecerit Concilium luminis gloriæ, non tamen expressit habituale esse debere, & intrinsecum. *Illustratio intellectus dicitur lumē.* Consuetudine autem Scripturarum, & Patrum omnis eleuatio intellectus supernaturalis dicitur eius illuminatio intellectus, vt peruium est, & frequenter gratiæ actualis auxilium per illuminationem appellatur à Patribus, quo intellectus illustratur: sufficit modò quòd Trident. *sess.* 6. *cap.* 5. sic appellet auxilium, quo illuminatur infidelis vt conuertatur ad fidem ante infusionem habituum; tam frequens est hæc appellatio, vt vel solis tyronibus sit obuia. *Reiicitur censura quorundam secunda classis authorum.* Vnde mihi omninò ambiguum est, quo fundamento Doctores illi moderni inurant notâ sententiam illorum Doctorum, qui lumen actuale admittunt necessarium, licèt non habituale, & si habituale, non idem omnes admittunt: inurunt, inquam, notâ temeritatis, aut periculi, aut erroris, ex hac definitione, eos eximentes à grauiori censura, quam inurunt Doctores primæ sententiæ, ea ratione saluantes quòd hîc non definiatur lumen habituale esse necessarium: nam Concilium dicit tantùm *sine lumine gloriæ*, &c. Neque mentionem facit luminis habitualis, aut actualis, solúmque intendit declarare supernaturalem esse visionem per lumen aliquod supernaturale, per quod habetur, vt ostendatur non esse possibilem, aut de facto acquiri per vires solius naturæ, vt errabant hæretici, quos dânat decretū.

Primò ergo si nô definitur solum lumen habituale de facto necessarium esse, & comprehendi in illa particula *non indiget lumine gloriæ*, &c. ex vi huius definitionis non est fundamentum talis censuræ. *Non fundatur talis censura in vllo decreto fidei.* Quòd si Patres, & Scripturam consulamus, magis verba ipsorum denotant lumen actuale, & concursum Dei immediatum, quàm mediatum per habitum, & idem de Conciliis antiquis habitis contra Pelagianos in pari causa de necessitate gratiæ Christi ob defectum, & infirmitatem liberi arbitrij: quòd si ergo argumentum sumatur ex proprietate loquendi, quasi illa sola sit propria acceptatio luminis gloriæ, vt supponat pro habitu inhærente. *Modus loquendi Patrum, & Conciliorum cōprehendit æque propriè lumen actuale.* Falluntur qui ita ratiocinantur: quia proprietas loquendi in definitione fidei à Scriptura, & Patribus, & anterioribus Conciliis petenda est, qui nusquàm appellationem luminis appropriarunt soli habitui, aut eleuationi potentiæ intellectualis per solum habitum, sed etiam omnibus mediis, quibus Deus se reuelat suæ creaturæ, eíque manifestat, &, vt dixi, si inspiciantur verba, magis sonant concursum actualem, & immediatam actionem Dei in actum secundum, quàm concursum mediatum per habitum, licèt vtrumque importet illuminatio.

Secundò, friuolum esse videtur, vt Concilium intenderet definitionem, non specificando lumen, quod intenderet requiri. 72 *2. Ratio.* Præterea, ex occasione erroris damnati non fuit intelligendum lumen habituale magis quàm actuale: quia neque de facto ad videndum Deum sufficit lumen habituale, sed vlteriùs requiritur concursus, & præsentia obiecti. *Interpretatio decreti ex errore contrario.* Totum hoc excludebat hæresis damnata asserens ex solis viribus intellectualis animæ posse attingi visionem, & fruitionem: ergo lumen gloriæ debet intelligi pro omni eo, quod requiritur supernaturaliter ad visionem ex parte intellectus, aut animæ.

Præterea, fortè si consideretur illa definitio, vt iacet, & ex natura erroris, lumen gloriæ non solùm sumitur ex intento Concilij pro dono intellectus, sed etiam pro dono habituali voluntatis, quia, vt patet *ex articulo* 4. illi hæretici non solùm intendebant dona intellectus excludere, sed etiam voluntatis, ita vt tam visio, quàm fruitio fieret sine eleuatione, & solis viribus animæ. 73 *3. Ratio* *Quid Concilium comprehēdit nomine luminis gloriæ.* Quantùm ad formam autem definitionis perinde *videre*, & *frui*, seu particula, *ad videndum*, & *fruendum* referuntur ad lumen gloriæ eleuans animam tanquàm ad principium, ac proinde lumen gloriæ pro dono eleuante tam intellectū, quàm voluntatem congruè sumi potest; nam & charitas etiam ardet, & lucet.

Obiectio. Quòd si dicas tunc sequi improprietatem sermonis in definitione Concilij, quod est inconueniens.

Soluitur.

Respondeo non esse inconueniens vt Concilium assumens propositionem erroneam alicuius, & eam damnans etiam, seruet tenorem assertionis eius. Vnde Concilium proponit illos articulos, quos damnat vt assertos à Begardis. Begardi autem erant in Alemania, vt testatur Author Chronici Aulæ Regiæ illius temporis, erant homines rusticani, & opifices mechanici, postponentes suorum laborum operas, in incertum vagabantur, erántque hypocritæ, & nullius scientiæ, aut honestatis, neque illius facultatis, vt apprehenderent perfectè rationem luminis, aut aliorum donorum: ac proinde poterant per lumen gloriæ intendere quamcumque eleuationem animæ, quæ dicebatur necessaria ad visionem, & fruitionem. Et Concilium assumens eorundem propositionem, vt in terminis assertam eam damnet, attendens ad sensum, seu sententiam asserentium, & modum, quo eam proferebant, seu declarabant verbis: siue propriam significationem præferebant, siue impropriam. Concilium enim non concipit definitionem dogmaticam: sed damnat errorem, vt proponebatur iuxta rudem conceptum hæreticorum, qui per lumen gloriæ integram eleuationem potentiarum intendebant: aliàs mihi magis inconueniens est, quòd Concilium prætererit necessitatem charitatis, quàm quòd lumen modo dicto sumatur.

Concilium damnat propositionem vt assertam.

Quinam erant Begardi, & quàm rudes.

75 *1. Obiectio.*

Ex hoc respondetur ad fundamentum illius censuræ, quod tale est, nempe definitiones Conciliorum intelligi debere cum proprietate: lumen autem gloriæ significat propriè donum habituale, quod aliquid manifestat potentiæ cognoscenti formaliter, vt vrget Lusitanus, à proportione ad lumen corporale, ideóque lumen gloriæ propriè formaliter sumptum debet sumi pro formali manifestatiuo diuinæ essentiæ, vt patere potest ex definitione luminis adducta ex Aristotele.

Soluitur.

Sed facilis est responsio, quòd lumen habituale, si detur, non datur vt manifestatiuum essentiæ diuinæ, quæ de se est in se lux, & intelligibile proximè, quantùm est ex ratione obiecti, nulla indigens ex parte sui illustratione. Deinde, manifestare propriè intellectui obiectum conuenit speciei, vel impressæ, vel expressæ, quia manifestare est vnire obiectum intellectui, vel ergo in actu primo, vel in actu secundo, vtrumque fit per solam speciem, non per aliud nisi per ipsum obiectum; sed lumen non est species, &, vt præmissum est, non vnit intelligibiliter obiectum beatificum intellectui, sed merè se habet ex parte potentiæ eam eleuans, vt possit efficere visionem.

Quid sit manifestare.

76 *Ad aliud proprietate sermonis venit lumen etiam actuale.*

Ad illud quod obiicitur de proprietate sermonis, dico quòd non rectè proprietas luminis materialis transfertur ad lumen intellectuale, vel eius habitus, & actus, nisi tantùm metaphoricè, & vt suprà prænotaui consuetudine Scripturæ & Patrum, qui nouerunt naturam eleuationis: appellatio luminis frequentiùs aliis ab habituali accommodatur.

Ad idem saluatur proprietas verborum, & definitionis.

Ad illud ergo quod affertur de proprietate definitionis, & verborum eius, Respondetur ex dictis lumen gloriæ consuetudine Scripturæ, aut Patrum, non dici habituale solùm. Deinde ad proprietatem definitionis sufficit vt articulus damnatus errorem expressum contineat: magis autem expresè, & propriè continet expressionem erroris damnati, si lumen sumatur vt commune est actuali, & habituali: quia sic tantùm reddit propositionem originariam, seu radicalem erroris, quo dicitur, aut intenditur per illam negationem, naturam ex se posse videre Deum, & frui Deo sine vlla eleuatione. Deinde, lux intellectualis propriè dicitur ipse actus secundus, cuius est declarare, & exprimere formaliter aliquid intellectui, reliquis omnibus tantùm efficienter. Quod ergo competit lumini habituali inquantùm eleuat efficiendo, potest competere ipsi concursui Dei actuali supplenti defectum virtutis in potentia intellectiua. Hinc ergo non rectè excluditur concursus Dei ab aliquibus, ne comprehendi possit sub appellatione luminis: neque etiam visio, vt à Deo potest esse, rectè etiam excluditur ab appellatione luminis, neque obiectum in se intuitiuè præsens.

Et magis propriè sumendo lumen non pro solo habituali.

77 *Obiectio.*

Dices. Controuersia fuit inter Catholicos, & hæreticos de indigentia luminis ad videndum Deum: nam vtraque pars concedebat visionem Dei: nulla ergo fuit controuersia, an visio Dei fuerit necessaria ad videndum Deum: sed solùm de causa visionis, an necessaria fuerit eleuatio; negabant hæretici hanc eleuationem supernaturalem; è contra Catholici astruebant necessariam: ergo cùm Concilium loquatur de lumine, intelligit aliquid distinctum à visione.

Responsio.

Respondetur controuersiam fuisse de ipsa visione in ratione actus, an in substantia sua fuerit supernaturalis, & supernaturaliter causata; an verò naturalis, & solis viribus naturæ. Fuit ergo controuersia de visione in *fieri*, & *facto esse*; vnde Concilium agit de eleuatione, quatenùs fuit necessaria in *fieri*, & efficienter, vt excluderet errorem hæreticorum præmissum de modo efficiendi visionem, & consequenter de substantia eius; ideò dicit lumen requiri, non specificans illud esse habituale: ideóque comprehendit tam actuale, quàm habituale sub disiunctione: neque enim Concilium descendit ad alterum determinatè, quia neque hoc requirebatur ad damnationem erroris, quo dicebatur ex sola natura esse: neque sic æquiuocat Concilium, neque stylus Conciliorum est in damnatione erroris transcendere materiam præsentem, aut tangere opiniones Scholasticas, inter Doctores permissas in Scholis, quando particularis error non exigit maioré specificationem. Sic Concilia contra Pelagianos, quamuis definiant necessitatem gratiæ Christi ad operandum opera salutis, non descendit ad specificationem illius gratiæ quantùm ad id speciale, in quo consistit, quoniam multis modis contingere potest adiutorium, & præparari voluntas à Domino, & particulares opiniones in Scholis in hoc, vel illo statuunt auxilium quantùm ad entitatem suam; quod impertinens est ad veritatem fidei, vt sic, vel sic dicatur, modò saluetur infirmitas naturæ, & necessitas auxilij supernaturalis sit hoc, vel illud.

Controuersia fuit de visione in fieri, & facto esse.

Conciliorum modus procedendi in damnandis erroribus.

In patria eodem modo, quoniam variis modis potest eleuari intellectus ad videndum Deum supernaturaliter, id solùm intendebat Concilium dari illam eleuationem in substantia, quidquid sit de modo eius, ideóque comprehendit sub lumine gloriæ omnem modum eleuationis sub disiunctione, & hoc sufficit ad intentum, & damnandum errorem præmissum seruando veram proprietatem sermonis, prout seruant anteriora Concilia in pari errore Pelagij. Deinde, sicut præmissum est, articulus ille non videtur formatus

matus à Concilio, sed damnatus prout proponebatur ab hæreticis assertus: homines autem rusticani, quales illi fuerunt, per lumen gloriæ non comprehendebant lumen sub distinctione illa subtili Scholasticorũ, vt distinguitur in actuale, & habituale; neque discernebant inter eleuationem per concursum mediatum, & immediatum; quod discrimen ipsi Theologi sub ratione tantum generali, & confusa apprehendunt, vt patet etiam ex variis modis asserendi lumen habituale, & statuendi eius necessitatem. Intelligebant ergo hæretici per eleuationem, & lumen gloriæ omnem modum eleuationis supernaturalis necessarium non esse ad visionem, quæ ex solis naturalibus erat, vt ipsi astruebant. Concilium ergo damnans propositionem illam, damnat eam iuxta sensum, quem prætendebant hæretici erroneum. Eámque damnat supponens esse hæresim ante damnationem, vt patet ex modo condemnandi ipsam propositionem: sed ante damnationem latam à Concilio nulla fuit in Ecclesia veritas definita circa hanc materiam de visione præter illam solam, qua dicebatur Deus visibilis viribus naturæ; quam tenebant Ananæi; neque Patres alium errorem damnarunt, neque ex Scriptura explicitè, aut Conciliis inuenitur aliud, quàm necessitas concursus supernaturalis ad beatitudinem: ergo Concilium damnans illum Articulum vt hæreticum aliàs, & contra fidem, eundem sensum tenet; quis autem dicet aliàs ex Scriptura, aut Patribus fuisse tanquàm dogma explicitum fidei, eleuationem intellectus in patria de facto tantùm fieri per habitum, & non alio modo.

Damnari propositionẽ in sensu hæretico.

Concilium non definit aliquid de nouo, sed præcisè damnat errorem antiquum, & aliàs hæreticum.

78 Concilium autem nihil de nouo definire, sed damnare errores contra explicitam aliàs fidei veritatem colligo ex stylo, & modo procedendi. *Ad nostrum*, inquit, (*qui desideranter in votis gerimus, vt fides Catholica nostris prosperetur temporibus, & prauitas hæretica de finibus fidelium extirpetur*) *non sine displicentia grandi peruenit auditum, quod secta quædam abominabilis*, &c. *damnabiliter insurrexit tenens, & asserens doctrina sua sacrilega, & peruersa inferiùs designatos errores*, &c. Consequenter Concilium enumerat sine discrimine ipsos articulos suo ordine. In fine autem sic habet: *Cùm autem ex debito commissi nobis officij huiusmodi sectam detestabilem, & præmissos ipsius execrandos errores*, &c. *extirpare ab Ecclesia Catholica necessariò habeamus: nos sacro approbante Concilio, sectam ipsam cum præmissis erroribus damnamus*, &c. Hic stylus damnationis, & propositionis illorum errorum, non est consuetus, quo exponitur, & definitur de nouo veritas fidei, quæ aliàs non fuit explicita, sed est stylus consuetus damnandi errores contra iam explicitam, & retentam fidem: ergo Concilium nulla ratione discernens illos articulos inter se in ratione erroris, non intendit lumen gloriæ, quo indiget intellectus ad sui eleuationem sumere in ea stricta acceptione, qua supponeret tantùm pro habitu eleuante, vt distinguitur ab aliis modis, quibus Deus in via quandoque eleuat potentias, & quibus sufficienter, & cum effectu eleuare potest in patria; vel ostendatur aliàs habita aliqua decisio Ecclesiæ, aut Scriptura manifesta, vnde constat de fide articulum in eo stricto sensu fuisse retentum ante Concilium. Vnde ex hoc articulo, vt condemnatur à Concilio, rectè sequitur nihil præiudicij esse sententiis, quæ in scholis tractantur etiam post Concilium, quod magis constat ex processu Concilij eiusdem

Probatio ex stylo, & modo procedendi Concilij.

in Clementina prima de summa Trinitate, & fide Catholica; vbi agit de effectu Baptismi, & recensentur opiniones Theologorum, & eam, quæ asserit gratiam, & virtutes infundi infantibus in Baptismo, tanquàm probabiliorem, tantùm determinat. Hîc autem idem obseruaret si illa concertatio tractaretur, an scilicet eleuatio contingat per lumen actuale, aut habituale; ideóque per lumen gloriæ intelligit simpliciter & absolutè eleuationem in genere, non determinando modum eius, an fiat per habitum, an aliter; & alterum horum perinde saluat intentum Concilij, & veritatem fidei. Ex quibus patet censuram illam Doctorum modernorum in negantes eleuationem fieri per habitum, non rectè fundari in intento, processu, aut proprietate loquendi huius textus; ac proinde ex hoc capite non esse metuendam.

Ex alio tamen motiuo non iudicarem recedendum à communi sententia Doctorum: quia noster Doctor locuples mihi testis est *in loco citato in primo dist.* 17. illam fuisse communem sententiam omnium suo tempore, & ante ipsum, quam, vt probaui, ipse etiam tenet, à qua non est recedendum in re obscura, licèt necessitas eius simpliciter, & absolutè in ordine ad Deum, quasi aliter non possit eleuare intellectum ad videndum nisi infundendo primum lumen habituale, rectè impugnatur, etiam communiùs à modernis, & à Doctore locis citatis, in quibus differit non de facto, sed de eo quod per potentiam Dei supernaturalem, & absolutam fieri potest. 79

Non esse recedendum à communi Doctorum in re obscura.

Quòd si quispiam obiiciat, Concilium in eo articulo vti notione eleuationis, & luminis gloriæ prout Doctores Theologi id asserebant communiter, asserebant autem lumen habituale: ergo & Concilium. 80

Obiectio.

Respondeo ex dictis quòd Concilium non statuit hîc aliquid de fide, quod aliàs non fuerit de fide, vt dictum est: eleuationem autem intellectus fieri de facto per lumen habituale, nec Concilium asserit, neque Doctores anteriores id statuebant de fide, sed tanquàm magis congruum potentiæ Dei ordinariæ, & statui patriæ, & modo connaturali operandi ex parte potentiæ, eiúsque eleuandi; neque video vllum, qui determinationem huius veritatis referat ad aliquod antiquius decretum. Vnde si Concilium exprimeret lumen gloriæ cum hac limitatione *habituale*, potiùs interpretandum videretur loqui de genere per speciem iuxta regulas ordinarias interpretandi Scripturam, quàm sequatur illud absurdum, vt eo stylo, & modo procedendi proponeret aliquam veritatem de nouo credendam, quæ aliàs non fuit de fide, ipsam confundendo cum aliis damnatis pridem, quasi error vetus esset, & non definitio noua; dato ergo quòd Concilium vteretur illo vocabulo *luminis* iuxta vulgarem vsum Theologis antiquis, non deberet aliter præsumi eius intentum, quàm vt de stylo definiendi veritates de nouo congrueret, & iuxta sententiam ipsorum Theologorum multò minùs; ergo præsumptio de intento Concilij fundatur, cùm non expresserit aliquam particulam, quæ determinaret lumen habituale in specie, neque ex necessitate damnandi errorem, neque ex intentione asserentium, qui vniuersaliter omnem eleuationem abnuebant.

Soluitur.

Superest vt breuiter ostendamus nihil sequi contra assertionem Doctoris ex hoc decreto, in qua asserit illam conditionalem, *si intellectus* passiuè 81

Concilium non vrget resolutionem Doctoris.

uè se habeat ad visionem, non requiri lumen habituale eleuans illum; dicit enim prædictus P. Ægidius Lusitanus *in concl.* 3. quòd definitio Concilij necessariò intelligenda est, siue intellectus actiuè concurrat ad visionem, siue passiuè solùm: quia definitio est generalis, & absoluta: ergo semper erit vera, quocunque modo concurrat intellectus; quia etiam hæretici absolutè negabant lumen, non curantes, an hoc, vel illo modo intellectus concurreret.

Obiectio.

Responsio.

Respondeo siue actiuè, siue passiuè se habeat intellectus, necessariò dandum esse lumen ad visionem, & eleuationem, quam intendit ipsum Concilium, nempe non posse haberi illam viribus naturæ sine eleuatione intrinseca, vel extrinseca, id est, sine virtute supernaturali eam causante; quem sensum debet prætendere præfatus Author, vt subsistat eius conclusio quinta; quia negat esse de fide definitum dari lumen habituale in intellectu beato creaturæ, reprehendens oppositū assertum à Caietano vlteriùs. Sed dico Conciliū intendere concursum actiuum luminis, non vllum eius passiuum, præter ipsam substantiam visionis: & idem de ipsis hæreticis, qui astruebant visionem inesse per solam virtutem naturæ, & omnem creaturam spiritualem esse in seipsa beatam, nempe propter virtutem completam acquirendi beatitudinem, si modò sensum aliquem rationabilem prætenderint, licèt erroneum. Asserebant ergo hæretici visionem inesse per causam, & hanc constituebant naturam solam, vel posse inesse. Concilium contrà negat visionem posse inesse per naturam sine lumine eleuante: ergo quæstio fuit de causa effectiua visionis. Deinde, vt dictum est, error hæreticorum damnatus, vt talis, fuit ante decretum Concilij, sed principia fidei, per quæ damnatur ille error, fuerunt illa, quæ de infirmitate naturæ, necessitate gratiæ, & inuisibilitate Dei tradita sunt: hæc autem magis concernunt negationem actiuitatis ex parte naturæ sufficientis sine virtute superaddita, & supernaturali: ergo ex principiis, ex quibus constat veritas, quam intendit, & supponit Concilium, vt necessitas eleuationis attenditur penes efficientiam, & non penes receptionem: ideóque lumen propter actiuitatem requiritur, vt docet Doctor, & non propter receptionem; eleuationem enim materialem receptiui, inquantùm præcisè receptiuum est, requiri, opinio tantùm Scholastica est, quā alias & *hic* & *suprà q.9.* & 10. impugnauimus.

Necessitas luminis intenta à Concilio.

Controuersia fuit de causa effectiua visionis, vel de ipsa in fieri à causa.

Fides ex qua damnatur error.

Determinat necessitatem concursus, non verò receptionis.

82 Probatur consequentia quoad præsens; quia Augustinus *lib.12. de ciuitate Dei.* parem facit statum supernaturalem viæ, & patriæ: *cap.9.* dicens Angelos bonos *nec charitatem in via, nec beatitudinem in patria à seipsis habuisse, sed vtrámque à Deo accepisse*, &c. à se autem habere est viribus naturæ acquirere.

August.

Nazianz.

Nazianzenus *in secunda oratione Theologica* admittit appetitum naturalem respectu Dei in qualibet creatura rationali, non tamen vires, quæ est sententia Doctoris: *etenim Deum quidem*, inquit, *& primariam illam causam natura quidem omnis rationis particeps appetit. Cæterùm ob eas, quas dixi, causas, viribus deficitur*, &c. Cyrillus Hierosolym. Catechesi 6. *Angelis ignorantibus eum* (supple Deum) *secundùm propriam virtutem vnicuique reuelat per Spiritum sanctum Vnigenitus*, &c. Quid est ignorare secundùm propriam, quàm non habere ex propria virtute, & viribus causam acquirendi scientiam?

Cyrillus Hierosol.

Chrysostomus in homiliis contra Anomæos idem sæpè docet: vnde homil. 3. *Innocemus ipsum ineffabilem, inuisibilem, incomprehensibilem, inintelligibilem Deum omnem lingua humana superat facultatem: omnes mortalis intelligentiæ vires excedit*, &c. Chrysost.

Cyrillus Alexandrinus *lib.1. in Ioann. cap.* 8. in illa erat lux vera, &c. *nihil ergo* inquit, *prater illam, vera est, nec quidquam aliud propria virtute, atque natura fructum luminis edere potest: sed quemadmodum ex nihil producta est, sic à tenebris splendore veri luminis accepto, & participatione veri luminis illustrata, imitatione quadam in lucem transit*, &c. Per hanc rationem, qua creatura est ex nihilo, probatur sæpè ab Augustino indigentia gratiæ Dei, nè deficiat in cognitione faciendorum, & in operibus: similiter alij Patres deducunt infirmitatem virtutis naturalis eius ad videndum Deum, aut cognoscendum sub ratione propria. Cyril. Alex.

Ad [f] argumenta: ad primum, &c. Primum fuit ex Philosopho, secundo de cælo & mundo: *si natura dedisset cælis motum progressiuum, dedisset instrumentum, vel instrumenta*, &c. Natura enim non ordinat ad perfectionem aliquid, quin det media eius attingendæ; sed homo naturaliter ordinatur ad beatitudinem: ergo, &c. 83

Ad argumēta, ad primū.

Respondet naturam dedisse homini organa ad consequendam beatitudinem, id est, quibus meritoriè operari potest ad beatitudinem: sicut & potentias passiuas, & actiuas, nempe voluntatem, & intellectum: non tamen vt statim consequeretur beatitudinem: sed habitis dispositionibus requisitis, & ita secundùm vnam viam (scilicet opinionem, quam impugnat in prima conclusione) non dedit dispositiones proximas ad beatitudinem, licèt dederit potentias; vel alio modo non dedit dispositionem actiuam proximè ad beatitudinem, donec accedat terminus, & visio, & lumen gloriæ, quomodocunque explicetur. Hæc responsio in terminis Philosophicis proponitur, sicut & ratio; quæ soluitur. *Responsio.*

Quid habet homo ad beatitudinem à natura.

Suppositio huius argumenti est visionem Dei claram esse possibilem, atque etiam de facto concedi beatis; cuius contrarius error fuit Armenorum, & quorundam modernorum Græcorum teste Armacano, *lib.14. quæstionum Armenorum cap.1.* In eodem fuit Almericus, vt ait Turrecremata *lib.4. de Eccles. c.35.* Alios eiusdē erroris citat noster Castro. *verb. Beatitudo, hæresi prima.* Sed quod magis est de eodem errore, traducit Vasquez *p.1. disputat. 37. cap.* 2. 3. & 4. primarios Ecclesiæ Patres Chrysostomum, Basilium, Epiphanium, Cyrillum Hierosolymitanum, & Alexandrinum, Theodoretum, Theophylactum, Euthymium, Gregorium Nyssenum, Hieronymum, Primasium Ambrosium, & Isidorum. Quod meritò reprehendunt Lorca 1. 2. *disp.* 27. Raphael de Ripa, *1. part. quæst. 12. art. 1. dub.* 2. & doctissimus Lusitanus *lib.12. de beatitudine quæst.1 art. 1. & sequentibus*, in quibus vindicat Patres ab eiusmodi nota; ad quem proinde remitto lectorem; quia hoc argumentum exigit maiorem prolixitatem, quàm, vt tempus permittit festinanti ad finem huius tomi, & totius operis instituti, cumulatè operam præstitit præfatus author; possibilitas alioquin beatitudinis, & veritas Catholica ex dictis hactenus est confirmata. 84

Declaratur. Error quorūdam.

Ad [g] secundum, &c. Hoc fuit confirmatio prioris duplex; primò quòd natura magis dedit homini ad acquirendum perfectionem intellectus, quàm sensus; sed sensus ex naturalibus potest in suam *Ad 2.*

suam perfectionem : ergo & intellectus. Secunda confirmatio à sensu contrario, quia sensus nequit eleuari vltra facultatem naturalem suam: ergo neque intellectus.

Responsio.

Diuersum obiectum intellectus, & sensus.

Oculus corporeus nequit eleuari ad videndum Deum.

Intellectus potest.

Respondet sensum non posse eleuari vltra latitudinem sui obiecti materialis, quod est primum eius, licèt non cuiuslibet sensus quodlibet materiale; intellectus autem respicit immateriale, quia totum ens: ideò ipsi benè competit eleuari ad aliquod, quod excedit vires naturæ suæ, quamuis contineatur sub latitudine sui obiecti primi: ex quibus patet oculum corporeum non posse eleuari ad videndum Deum, aut quodcunque immateriale; intellectum autem eleuari ad videndum Deum facialiter, vt præter Patres, & Scripturam docet etiam Euaristus Papa *epistola* 1. Petrus ad Clementem *lib.3.recognitionum*. Martialis *epist. ad Tolosanos, cap.* 12. Patres Concilij Francofurtensis ad Episcopos Hispaniæ, definit Benedictus XII. *in sua extrauaganti de visione animarum*. Concil. Florent. *in literis vnionis*. Vide citatos: *Ad aliud*, &c. Resolutio est clara, & aliàs *suprà* tractata.

85 *Ad 4.*

h *Ad aliud secundum vnam opinionem*, &c. Resolutio patet ex dictis. Hoc argumentum fuit quartum in ordine: éstque tale quòd perfectio inferioris possit contineri vnitiuè in specie superioris habitus: ergo luminis, & de charitate, quæ sunt perfectiones animæ ad videndum Deum, possunt contineri in aliqua specie superiori, vt si creetur summa substantia spiritualis, quæ includat in se perfectionem tam habituum, quàm potentiarum creaturæ inferioris vnitiuè, huic substantiæ esset connaturalis beatitudo.

Responsio.

Summa substantia, creabilis eodem modo se habet ad beatitudinem sicut Angelus.

Respondet Doctor non omnem perfectionem naturæ inferioris posse contineri vnitiuè in natura superiori, quod maximè verum est de perfectione supernaturali habituum, per quos eleuatur natura inferior, vt proximè attingat Deum sub ratione propria: vndè summa voluntas creabilis eodem modo se haberet ad beatitudinem, sicut & voluntas Angeli, & hominis, & perinde exigeret eleuationem sui per habitus luminis, & charitatis, vnde secluso habitu esset summa illa substantia creabilis magis imperfecta propter imperfectionem maiorem ad perfectionem, qua caret. Neque posset includere vnitiuè perfectionem habitus, quia sic, inquit, non esset capax habitus natura inferior. Ratio hæc optima est ad probandum non posse dari substantiam creatam supernaturalem, cui lumen gloriæ, & charitatis esset connaturalis, siue vnitiuè illorum perfectionem includeret substantialiter, siue etiam per modum proprietatum physicarum eo modo, quo igni debetur calor, non solùm passiuè, sed actiuè, vt ab eius virtute connaturali, & actiua emanat, quod iam supponimus requiri ad proprietatem, vt supponat in subiecto causam, à qua fluit. Vis autem rationis in hoc consistit, quod conuenit superiori vnitiuè, & secundùm perfectissimum gradum sui, in quo excedit inferiora, est perfectissimum in ipso, & ratione eius constituitur in gradu superiori; sed habere lumen, & charitatem vnitiuè in se esset gradus perfectissimus, & vltimus illius substantiæ: ergo substantia inferior non esset capax illius: quia quod conuenit superiori, quà diuersum est, & in *esse* superioris nequit conuenire inferiori. Quamuis autem posset aliquis modus differentiæ assignari, adhuc ratio persistit: quia illi habitus in natura superiori quatenus sunt perfectio propria, & suprema eius, quatenus immediatè Deo coniungunt, & vniunt in actu primo: ergo sic non esset capax natura inferior talis vnionis, si in superiori, & per naturam sit perfectissimus gradus, & in quo excedit. Quòd si illi habitus conuenirent per modum proprietatum, sequitur idem, quòd neque inferiori in eodem gradu perfectionis conuenirent, quæ perfectio consistit in vnione ad Deum in actu primo; si esset ergo hoc proprium illi naturæ, non posset conuenire inferiori.

Ratio cur nõ possit creari substantia supernaturalis.

Vis rationis.

Cæterùm ratio potissima huius est etiam illa, qua probat visionem Dei non posse esse ex naturalibus, quæ perinde concludit de omni creatura posita in *esse*, & de omni etiam possibili. Sic etiam supponunt tam Patres, quàm alij Theologi probantes supernaturalitatem visionis; nam rationes, quas desumunt ex parte creaturæ, vt ostendatur eius infirmitas, qua ex viribus propriis attingere possit Deum sub ratione propria, similiter probant de creatura possibili. 86

Prætereà, illa creatura, quæ in se includeret perfectionem habituum supernaturalium esset indefectibilis, & impeccabilis, imò etiam incapax legis, quia non esset libera: quia nullum haberet affectum commodi, & necessariò semper ageret secundùm inclinationem habituum, vt transit in naturam, quæ licèt ex terminis non destruat conceptum formalem creaturæ in essendo (sicut & philosophi in Intelligentiis statuebant indefectibilitatem, licèt productionem earùm ad primam causam retulerint) ex consequenti; tamen sicut ex possibilitate, & contingentia essendi est secundùm *quid*, ita etiam quoad perfectionem voluntatis, & intellectus defectibilis est, & imperfecta, qua imperfectione sublata per intrinsecam naturalem indefectibilitatem, & non ex dono creatoris; tollitur etiam conceptus creaturæ: nam sæpè Augustinus dat hanc rationem, cur voluntas creata sit defectibilis destituta suo creatore: quia nempe est ex nihilo. Eandem dant reliqui Patres sæpè, vnde probent viribus naturæ creaturam non posse videre Deum: eadem ergo sufficit ad probandum quòd neque creabilis sit substantia talis cui visio esset connaturalis. 87 *Alia ratio, ex qua sequitur talis impossibilitas.*

Cæterùm non desunt rationes in oppositum. Primò, vrgetur quòd intellectui creato eleuato per lumen sit connaturalis visio beata: ergo in genere entis creati non repugnat dari substantiam, cui sit connaturalis; & patet consequentia, quia intellectus, vt eleuatur, non amittit rationem substantiæ: si ergo potest eleuari per accidens, poterit etiam per se ex genere proprio dari aliquis intellectus in se includens perfectionem illam accidentis: quia sicut hoc conuenit inferiori, poterit conuenire superiori; attingere autem Deum conuenit habitui ex virtute propria; ergo & substantiæ. 88 *Obiectio.*

Deinde, accidentia supernaturalia videntur exigere connaturaliter subiectum eius generis: ergo substantiam supernaturalem. Deinde, datur modus supernaturalis substantialis: ergo potest dari substantia supernaturalis. *2. Obiectio.*

Respondetur ad primam, aliqui negant visionem esse connaturalem intellectui eleuato, vt eleuatus est, sed esse simpliciter supernaturalem, vt procedit à potentia etiam actiuè; quia vel tota virtus est lumen ex parte potẽtiæ, vel si agat potentia, agit etiã vt eleuata: sed hæc responsio non est 89 *Responsio ad primam. Responsio quorundam visionem non esse connaturalẽ intellectui eleuato,*

eſt vera quoad primam partem, vt *infrà d.50.* diſſeretur: quoad ſecundam verò partem non ſoluit difficultatem, quia in argumento aſſumitur connaturalitas non in ſenſu formali, quæ deſignat formam ſupernaturalem quoad ſubſtantiam, ſed effectiuè, vt deſignatur ſufficiens virtus actiua in toto illo complexo reſpectu viſionis, quamuis illa virtus ſit creata. Conceditur ergo hoc ſenſu viſionem eſſe connaturalem, quantùm ad virtutem neceſſariam, & completam ex parte potentiæ: negatur quantùm ad concurſum requiſitum ex parte obiecti, qui concurſus ſpecialis eſt, & neceſſarius, tum quia ipſum obiectum eſt voluntarium, & non videtur niſi vult, vt dicit Ambroſius; tum quia præter virtutem potentiæ, & luminis vlteriùs requiritur concurſus ſpecialis obiecti vt præſentis ad viſionem intuitiuam, ſine quo concurſu virtus potentiæ, & luminis eſt remota, quia neque ex ſe poſſunt habere præſentiam obiecti, neque illa etiam habita poſſunt in viſionem ſine concurſu obiecti, quod eſt primaria cauſa viſionis; negatur tamen conſequentia: quia quantumlibet creſcat creatus intellectus in perfectione, nunquam attingit perfectionem habitus ſupernaturalis, licèt attingere poſſit perfectionem habitus acquiſiti, repugnat in genere ſubſtantiæ ſupernaturalitas: quia cauſa creata in qualicunque perfectione propria, & connaturali nequit attingere effectum proprium, & ſpecialem cauſæ primæ: talis eſt ſupernaturalis vt exigat à Deo ſupernaturali authore prouenire, & in nullius creaturæ virtute continetur vt cauſa

Impugnatur.

Viſionem eſſe connaturalē in vno ſenſu, in alio verò non eſſe.

Requiri concurſum ſpecialem præter lumen.

Perfectio naturalis intellectus creati nequit attingere perfectionem luminis.

principalis, quidquid ſit de inſtrumentaria; eo ergo ipſo quo ſubſtantia creata ſit, nequit in ſua virtute naturali includere tanquam cauſa ſufficiens effectum ſupernaturalem proprium ipſius Dei: ex quo patet ad probationem conſequentis.

Nequit effectus Dei proprius includi in virtute cauſa creata.

Ad ſecundam obiectionem reſpondetur accidentia ſupernaturalia habere ſubiectum connaturale, cui inhærent per modum ſubiecti, & per ſe inclinatum ad illa; illud autem eſt ipſa natura ſpiritualis, cui licèt ſint connaturalia quantùm ad inclinationem paſſiuam, non tamen quantùm ad virtutem actiuam. Imò & hoc neceſſarium eſt, vt Deus tanquàm excedens omnem virtutem natiuam cauſarum naturalium poſſet perficere naturam quoad aliquam perfectionem, cuius ipſa eſt capax, licèt à nullo agente eiuſdem ordinis haberi poſſit, aut produci; quin etiam in ipſa natura talis eſt ordo rerum, vt inferiora perfici poſſint per ſuperioræ, aliqua perfectione, quæ cauſæ inferioris ordinis, & eiuſdem generis cum ſubiecto nequeunt imprimere ſubiecto. 90

Ad ſecundā obiectionem.

Alij reſponderent potentiam obedientialem eſſe connaturalem formis ſupernaturalibus, in hoc quòd aliam ex genere ſuo nequeant ſupponere ex parte ſubiecti, & negarent antecedens.

Ad tertium reſpondetur vnionem hypoſtaticam, qua vnitur natura ſubſtantialis aſſumpta, & quæ ipſi tantùm eſt intrinſeca, eſſe accidens, & vniuerſim genus ſupernaturalium ſupponere naturam, & conſiſtere in ſolis accidentibus, & non extendi ad formas aliquas ſubſtantiales.

Ad 3.

Qværstio XII.

Vtrùm homo in vita mortali poßit conſequi beatitudinem?

Tertul. *lib. 1. contra Praxeam. cap.* 4. Athan. *ſerm. contra Arrian.* Richard. *hic art. 1. quæſt. 6.* Vaſquez *1. part. diſt. 55. cap. 4. expoſit. in id Exod. 33. Non videbit me homo. & in id 1. Tim. 6. Quem nemo hominum vidit.* Aug. Chryſoſt. Anſelmus Hieron. Iſidor. *citandi in ſchol.*

Arg. 1. i TRVM homo in vita mortali poſſit conſequi beatitudinem? Non enim idem eſt quærere hoc, & vtrùm ex puris naturalibus poſſit conſequi beatitudinem? Et arguitur quòd ſic: Chriſtus habuit beatitudinem in vita iſta: & tamen verè erat homo mortalis: ergo, &c. 1

Arg. 2. Item, Auguſt. 83. *quæſt. quæſ. antepenultima ad Oroſium*, dicit de raptu Pauli, quòd vidit Deum eo modo, quo beati vident in patria: & tamen erat in corpore mortali. & licèt viſio illa fuerit quaſi horaria, potuiſſet Deus illam conſeruaſſe, & continuaſſe per totam vitam eius: ergo poſſet homo conſequi beatitudinem in vita mortali.

Arg. 3. Præterea, illud, quod non eſt ſuſceptiuum beatitudinis, non impedit ad beatitudinem aliquid beatificabile beatificari; ſed corpus non eſt beatificabile, quia non eſt coniungibile vltimo bono ſimpliciter: ergo ſiue mortale, ſiue non mortale, non impedit animam beatificari: ergo in vita iſta poteſt.

Arg. 4. Præterea, homo, naturaliter appetit beatitudinem, & ſi non poteſt eam conſequi, niſi moriatur debet homo appetere naturaliter mori, quia eodem appetitu appetitur aliquid, & fugitur impediens: ergo homo naturaliter fugeret vitam mortalem: quod eſt contra Apoſtolum, 2. ad Cor. 5. *Nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri.*

Arg. 5. Vltimò arguitur ſic; illud quod immediatè in vita iſta poteſt cognoſci, poteſt immediatè diligi, & ſic poteſt diligens ipſo frui, & eſſe beatus; ſed in vita mortali poteſt Deus immediatè cognoſci per actum fidei: ergo, &c. 2

Contrà

Contrà, August. 13. *de Trin. cap.* 8. probat quòd cum mortalitate non potest esse beatitudo, quia tunc posset beatitudo amitti per mortem, & hoc sciret homo, quòd moreretur. Tunc arguit, aut volens amitteret, aut nolens, aut nec sic, nec sic. Si volens, iam non esset illud summè volibile Si nolens, ergo timeret, & sic tristaretur. Si nec sic, nec sic; ergo non curaret de maximo bono suo, quod est inconueniens: ergo in vita mortali non potest homo esse beatus. Item Exodi 33. dicitur. *Non videbit me homo, & viuet.* ibi Glos. est pro hoc. *Rat. ad opp.*

COMMENTARIVS.

Ordo & diuisio quæstionis. VTrùm[i] *homo in vita mortali*, &c. In hac quæstione primò explicat titulum quæstionis. Secundò radicem repugnantiæ ex parte agentis & passi, ex qua posset repugnare beatitudo in vita mortali. Tertiò, tenet non esse repugnantiam in ordine ad potentiã Dei absolutam; esse tamen repugnantiã de lege ordinaria, & soluit argumẽta.

SCHOLIVM.

Non repugnare simpliciter ex parte agentis Dei, nec ex parte passi, scilicet hominis, aliquem in hac vita mortali beari. Explicat clarè, ac etiam qualis est repugnantia inter beatitudinem, & hanc vitam, dicens esse virtualem, quia effectus repugnant, scilicet immortalitas & mortalitas. Paulum vidisse diuinam essentiam tenent Chrysost. hom. 26. in 2. ad Cor. Aug. 12. de Gen. ad lit. cap. 27. 28. & l. 83. quæst. 81. Anselm. in 2 Cor. 12. D. Thom. 2. 2. quæst. 175. art. 4. Scot. 2. dist. 3. quæst 9. Negat id de Paulo Hieron. dial. 3. contra Pelag. fi. & Isidor. lib. 1. de sum. bono, & alij.

3 [k] REspondeo, & dico quòd ad istam quæstionem potest esse duplex intellectus; vel vtrùm homo in actibus, quos modò experimur in nobis, possit in vita ista beatificari; & dixisset Philosophus quòd sic, & quòd alia notitia, & dilectio clara, & immediata non fuisset possibilis homini, per rationem naturalem inuestigando; sed hoc fuit superiùs reprobatum: tum quia totum ens est obiectum suum, & per consequens non quietatur, nisi in cognitione summi intelligibilis in se: tum quia cognitio intuitiua competit sensui circa obiectum suum: ergo & intellectui circa suum: & sic ratio naturalis docet, quòd Deus immediatè, & nudè poterit cognosci, & per consequens diligi ab homine. *quæst. 8. huius dist.*

Alius intellectus posset esse, vtrùm in vita mortali aliis actibus, quàm modò experimur, posset homo fieri beatus. Ad quod dico, quòd impossibilitas aliquid recipiendi in subiecto præexistente, potest esse ex duobus, vel ex parte agentis, vel ex parte passi. Ex parte passi dupliciter, vel quia simpliciter repugnat passo, sicut lapidi sapientem esse: vel secundùm *quid*, sicut subiecto existenti sub vno contrario, repugnat pro tunc esse sub opposito. *Dubitat de lumine gloria inhærente, de quo præced.*

De istis ergo tribus est videndum, primò ex parte agentis. Si enim dispositio præuia non requiritur ad esse beatum, sicut lumen gloriæ: tunc agenti vt agens est, non repugnat plus modò dare beatitudinem, quàm in alia vita, si dispositio requiritur, potest illam dispositionem primò dare, & illa data, beatitudinem conferre, sicut post mortem: nulla enim est impossibilitas simpliciter, sed solùm, quia caret illa dispositione modò: sic ergo non est impossibilitas ex parte agentis. *Non repugnat ex parte agentis, aliquem in hac vita beari.*

4 De impossibilitate ex parte passi, patet quòd non est impossibilitas simpliciter ex natura sua: tunc enim nunquam posset recipere beatitudinem: ergo si est repugnantia modò, hoc est ratione alicuius quod est in passo, cum quo non potest esse beatitudo: & si est aliquid tale impediens, hoc erit mortalitas: talis autem repugnantia mortalitatis ad beatitudinem non est formalis repugnantia: tunc enim in Christo non potuissent fuisse simul, quod non est verum.

Qualis ergo est ista repugnantia inter illa duo? Dicendum quòd non omnis oppositio est formalis, sed quædam virtualis: vt si aliqua forma nata est facere aliquem effectum, effectus oppositus illi effectui opponitur causæ effectus virtualiter. Exemplum, ignis non solùm repugnat formæ grauis, sed effectui eius, quod est ferri deorsum. causa enim virtualiter continet effectum oppositum illi effectui, & naturaliter sequeretur, nisi esset impediens. Repugnat ergo vt in pluribus, mortalitas beatitudini, non formaliter, sed quia effectus vnius repugnat effectui alterius: & per consequens *Quænam repugnãtia inter beatitudinem, & vitam istam.*

ſequens cauſa illius effectus: beatitudo enim eſt cauſa immortalitatis in anima: mortalitas igitur repugnat beatitudini, quia repugnat eius effectui.

Cùm ergo naturaliter appetitus ſenſitiuus in homine mortali inclinetur ad delectabile; & appetitus ſenſitiuus natus eſt appetitum intellectiuum inclinare, beatitudo autem non compatitur in appetitu intellectiuo aliquam deordinationem, nec in ſenſitiuo, quia ſumma delectatio amouet omnem triſtitiam, non ſolùm oppoſitam,
1. Eth. c. 28. ſed contingentem: & per conſequens non ſinitur appetitus ſenſitiuus habere triſtitiam circa paſſionem, & ſic mortalis impeditur ab effectu, qui naturaliter natus eſt conſequi: & per conſequens repugnat mortalitati beatitudo ratione repugnantiæ effectuum naturaliter conſequentium.

Alio modo poteſt aliter ſignari repugnantia, quia licèt corpus non ſit beatificabile beatitudine propriè dicta, ſicut loquitur Auguſtinus ad Dioſcorum, quæ ſcilicet eſt in actu intellectus, & voluntatis: tamen eſt ſecundùm *quid* beatificabile: & ſiue illa beatitudo corporis ſit immediatè à Deo, ſiue ex redundantia beatitudinis animæ: tamen ordo eſt ibi, quòd beatitudo animæ non eſt omninò perfecta ſine illa corporis. Cùm ergo beatitudo corporis non poſſit ſtare cum vita mortali, repugnat effectui perfectæ beatitudinis eſſe in vita mortali. Patet ergo quòd ſine miraculo non poteſt eſſe beatitudo in vita mortali: & non ſolùm in hoc, quòd detur beatitudo, eſt miraculum: ſed quia res naturalis impeditur ab effectu ſuo naturaliter conſequente, non tamen per agens naturale contrarium. 5

Beatitudo corporis non ſtat cum vita mortali.

Obiect. 1. Sed nòn videtur quòd ſufficiat repugnantia, quæ dicta eſt: eſt enim repugnantia alicuius ad oppoſitum ſui effectus: ſi enim obiectum beatificum eſſet modò præſens ſub illa ratione animæ, immutaret animam, & videret clarè, ſicut poſt vitam illam, & ita modò impediretur effectus naturalis appetitus ſenſitiui & intellectiui, ſicut in alia vita impedirentur: ergo eadem ratione, ſine maiori repugnantia poſſet modò aliquis eſſe beatus, ſi Deus daret beatitudinem, ſicut tunc.

Obiectio. 2. Et confirmatur, quia circa idem obiectum eadem natura ſemper habet eundem actum ſpecie: ergo ſicut tunc, & modò.

Ad primã obiect. Dicendum, quòd non eſt ſimile, quia in vita mortali cauſa naturalis ſemper agit effectum ſuum, niſi per contrarium impediatur: & ſi ſuſpendatur actio iſta aliter, quàm per oppoſitum, miraculum eſt: & tale dicitur Deus non poſſe de lege communi. In vita autem immortali non talis erit neceſſitas reſpectu effectus naturalis: quia Deus pro ſtatu iſto diſpoſuit rebus coagere, & actiones proprias eis ſinere habere ſecundùm Auguſtinum 7. *de Ciuit. Dei, cap.* 30. In ſtatu autem illo non coaget eis ad corruptionem mutuam, & ad multos alios effectus: & ideò non eſt miraculum ſi tunc non habent effectus ſuos, maximè imperfectos. 6

Ad ſecundã obiect. Ad ſecundum dicendum, quòd licèt idem ſit obiectum potentiæ, & naturæ eiuſdem in ſe, & abſolutè; conſiderando tamen obiectum illud ſic materialiter idem benè diſtinguitur ſecundùm diuerſos ſtatus, & diſpoſitiones potentiæ: vnde obiectum proprium vnius ſtatus, & alterius differunt plùs, quàm ſpecie. Similiter aliud, & aliud eſt lumen hîc, & ibi, & ideò actus ſunt diuerſi ſpecie. Alia diuerſitas poteſt ibi aſſignari, quia actus abſtractiuus, & intuitiuus differunt ſpecie: quia aliud, & aliud, eſt ibi mouens, hîc enim mouet ſpecies ſimilis rei: ibi autem mouet res præſens in ſe.

Notitia abſtractiua, & intuitiua differunt ſpecie.

Ex dictis poſſunt ſolui, & intelligi omnes auctoritates Sanctorum: repugnat enim non ſolùm, quia miraculum eſſet, ſi Deus daret beatitudinem, ſed aliud miraculum requireretur, ſcilicet ſuſpenſio miraculoſa potentiæ naturalis ab effectu ſuo naturali: & ideò dicitur, quòd de lege communi non poſſet eſſe.

Ad arg. 1. Ad argumenta. Ad primum de Chriſto, dicendum quòd ſemper fuit miraculum vſque ad mortem quòd ſimul fuerunt beatitudo, & mortalitas, propter repugnantiam effectuum. & ſicut hîc dolor partis ſenſitiuæ redundabat vſque ad ſuperiorem partem animæ, illud fuit miraculum contra effectum beatitudinis. 7

Miraculũ Chriſtum fuiſſe beatũ & mortalẽ.

Ad. 2. Ad aliud de Paulo, concedo quòd non ſimpliciter eſt, nec fuit repugnantia: & ſic Deus miraculosè potuiſſet continuaſſe. ſed hoc non eſt de lege communi.

Ad 3. Ad aliud, cùm dicitur, corpus non eſt ſuſceptiuum beatitudinis; concedo, talis, qualis anima: eſt tamen ſuſceptiuum, & productiuum alicuius effectus, cui repugnat effectus beatitudinis, & è conuerſo.

Ad 4. Ad aliud de vita fugienda, concedo quòd vita iſta inquantùm vita, non repugnat beatitudini; ſed hoc eſt ſolùm inquantùm eſt mortalis, & ſic nullus appetit diſſolui, ſed ſuperueſtiri, hoc eſt magis appetit quòd ſemper poſſit eſſe immortalis vita ſua.

Ad

8 Ad aliud de cognitione, & dilectione Dei immediata, dico quòd potest cognosci, & diligi hîc immediatè: tamen in communi, & confusè; talis autem dilectio, & notitia non est vltima beatitudo possibilis homini, sicut priùs dictum est, sed consistit in cognitione intuitiua clara, & dilectione correspondente. *Ad 5.*

Ex hoc sequitur corollarium, quòd cùm anima non potest esse perfectè beata coniuncta corpori mortali, appetit perfectè beatificari: & per consequens appetit esse coniuncta corpori, sed immortali; quia tunc perfectè erit beata, non tamen corpus erit beatum simpliciter, sed fruens, & intelligens: sicut loquitur Augustinus ad Dioscorum, de beatitudine naturæ, & beatitudine secundùm *quid*, quæ consistit in actu secundo: quia corpus, vt est distinctum contra animam, nullum habet actum secundum. Consistit ergo beatitudo corporis in *esse* primo, vt est perfectibile ab anima beata: & hoc propter duo, vel propter maiorem perfectionem animæ in operando, vel propter maiorem perfectionem corporis ab anima, quia materia est propter formam, & non è conuerso. Et quia ista perfectio corporis ponitur esse in quatuor dotibus, ideò quæritur. *Beatitudo corporis in quo consistit.*

COMMENTARIVS.

2 *Duplex intellectus quæstionis.*

k RESpondeo & dico, &c. Secluso intellectu, & sensu tituli, quo beatitudo vltima hominis statui posset in actibus, quos experitur in se homo in vita mortali, sicut Philosophus affirmaret: subdit alium intellectum; nempe *an per alios actus diuersos, quos modò non experitur, repugnat ei beatitudo in vita mortali.* Radix huius repugnantiæ potest esse ex parte agentis, vel ex parte passi; & hoc dupliciter, vel quia absolutè repugnaret, sicut lapidi esse sapientem: vel secundùm *quid*, quatenus subiectum est sub forma contraria. *Repugnantia beatitudinis pro hoc statu in quo possit fundari.*

3 *1. Sent.* In hac ergo difficultate tres sunt sententiæ: prima negat de potentia absoluta posse communicari beatitudinem existenti in vita mortali. Aliquos ita sensisse refert Salas. Secunda sententia est, non posse ei communicari beatitudinem nisi sopitis sensibus, & in extasi: eam tenuit Henricus *quodlib.7 quæst.6.* citatur pro eadem D. Thomas *2.2. quæst.175. art.4. & quodlib.1. art.1. & lib.3. contra gentes cap.47.* vbi Ferrariensis. *2. Sent.*

4 *3. Sent. Posse communicari beatitudinē mortali de potentia absoluta.* Tertia sententia est Doctoris affirmans de potentia absoluta posse communicari beatitudinem mortali; quam docet etiam Richardus *in hac dist. art. 2. quæst. 6.* éstque frequentior Modernorum, Suarez *1.2. disput.16. quæstione 1.* Vasquez *conc. in art.3. quæst.5. in 1.2. & 1. part. quæst. 12. art. 11. in commento articuli.* Lorcæ *1.2. qu. 5. art. 3. in comm.* Lusitani *lib.12. de beatit. quæst.7. §.8.* Probatur ratione Doctoris, quia non est repugnantia ex parte agentis, quin possit visionem claram Dei, & amorem communicare, vel immediatè, vel conferendo lumen, & reliqua requisita; non est repugnantia ex parte passi simpliciter; neque est repugnantia formalis per positionem formæ contrariæ; sed tantùm virtualis, quatenus possibilitas, quæ sequitur ex causa naturali, vt effectus, & corruptio adiuncta mortalitati repugnat summo gaudio, quod sequitur beatitudinem vt effectum, alterum ex his potest Deus tollere de potentia absoluta: ergo, &c. *Probatio. Non repugnare ex parte agentis, aut subiecti.*

5 *Responsio.* Si dicatur quòd anima nequit esse completè beata sine beatitudine corporis.

Contrà, in Christo fuit sic beata; quamuis corpus erat passibile, & mortale. Quod dicit sententia de extasi, non videtur necessarium; quia licèt viatoribus, & reliquis de facto non contigerit beatitudo etiam transiens sine raptu: tamen potest Deus communicare beatitudinem sine raptu, illum præueniendo, sicut fuit communicata Christo: quin etiam communicare potest beatitudinem transeuntem hoc modo, & sine raptu: nam raptus prouenit ex imperfecto modo intelligendi nostri intellectus pro hoc statu: quam imperfectionem potest Deus tollere. Concludit ergo Doctor quòd sine miraculo nequeat communicari beatitudo homini puro, & mortali; quod miraculum non solùm consistit in concessione ipsius beatitudinis præter potentiam ordinariam, & legem, sed etiam suspendendo causam naturalem à suo effectu, qui opponitur effectui alicui beatitudinis; quæ suspensio in hoc est miraculum, quia impeditur non per causam naturalem agentem ad oppositum, & præualentem in virtute, sed per suspensionem concursus diuini, & necessarij; quamuis hæc suspensio fiat consequenter ad ipsam beatitudinem, vel permanentem, vel transeuntem. *Vnde proueniat raptus. Communicatio beatitudinis hoc modo esset miraculosa ex duplici capite.*

6 *Obiectio.* *Sed non videtur,* &c. Hîc obiicit contra dictam repugnantiam virtualem ratione causarum, & effectuum consequentium, quasi minùs sufficiat: quia si obiectum beatificum esset modò præsens animæ, immutaret illam, & videret clarè sicut videt in termino, & post vitam præsentem, & sic impediretur effectus naturalis affectus sensitiui, & intellectiui, sicut in alia vita impedirentur: quia delectatio consequens beatitudinem esset summa, & impediret omnia opposita; vt passionem circa delectabile creatum, & dolorem ex eius substractione, sicut in altera vita impedirentur: ergo non est maior repugnantia hac in parte pro vita præsente ad beatitudinem, quantùm est ex parte passi, quàm in vita futura. Et confirmatur, quia circa idem obiectum eadem natura habet eundem in specie actum: ergo, &c.

Respondet negando paritatem: quia in vita mortali sicut causa naturalis ex communi Dei prouidentia habet concursum eius paratum iuxta exigentiam effectus, & virtutis, sic semper agit, nisi impediatur per agens contrarium, & si suspendatur actio eius aliter, quàm ex victoria agentis oppositi, est miraculum: in statu autem immortali prouidentia Dei est aliter disposita, vt non agat cum causa naturali ad corruptionem, & ideò non est miraculum, vt Deus non coagat agentibus pro illo statu ad effectus imperfectos & corruptiuos: quia scilicet lege communi, & ordinaria disposuit non agere: sicut ècontra in statu mortali disposuit agere, vt docet August. in litera citatus, *7. de ciuit. cap.30.* *Responsio. Suspensio causæ secundæ ab effectu pro hoc statu nisi fiat per virtutem oppositam, est miraculum.*

Ad

Ad confirm. Ad confirmationem respondet: licèt idem sit obiectum materiale potentiæ pro omni statu, & absolutè loquendo: tamen distinguitur secundùm diuersos status, & dispositiones potentiæ; ideóque differunt obiecta plus quàm specie: hoc est, differunt formaliter in diuersis statibus, quantùm est ex parte potentiæ tendentis, & operantis circa idem obiectum per diuersa media: nam est aliud & aliud lumen, nempe naturale in statu mortali, vel fidei; in statu verò beatitudinis lumen gloriæ: alia & alia applicatio obiecti: alius & alius actus circa ipsum, vt abstractiuus in via, & obscurus: intuitiuus in patria, & clarus: hæc differentia formalis, quam assignat Doctor, est, non ex parte diuersarum rationum formalium in obiecto; sed ex parte diuersorum mediorum attingendi idem obiectum, quod vocat ipse materiale per quandam proportionem: quia sicut non à materiali, sed à formali sumitur distinctio actuum; ita idem obiectum sub ratione sua absoluta sumptum, quando natum est terminare diuersos actus in specie, quorum diuersitas specifica non sumitur à diuersa ratione formali obiecti, sed ab aliis, à modo, & mediis attingendi ipsum, sic potiùs habet illam proportionem obiecti materialis non distinguentis actus inter se, quàm formalis; licèt aliàs sit formale obiectum omnium actuum distinctorum.

Diuersum obiectum, & attingentia potentia pro diuerso statu.

Obiectum materiale in quo sensu dicitur.

7 Cæterùm quid velit Doctor in hac doctrina, & obiectionibus præmissis, videtur satis obscurum, nam vis obiectionis primæ in hoc versatur, vt probet non sufficere distinctionem, & oppositionem virtualem, quam designat ratione effectuum, ad discernendum statum mortalem ab immortali: quia si obiectum beatificum applicaretur animæ in statu mortali, eam moueret, non secùs ac eam mouet in patria, maximè si applicaretur ad visionem permanentem talem, qualem habuit Christus, & habent beati: ergo visio beatifica, & clara coniuncta cum fruitione permanenti infert suspensionem appetitus tam sensitiui, quàm etiam intellectiui in oppositum delectabile repugnans, cuius carentia nequit causare dolorem in anima sic beata: ergo non ex miraculo speciali sequitur suspensio agentis naturalis ad oppositum effectum doloris, sed ex natura, & efficacia visionis, & beatitudinis, quæ sic absorbet effectum, vt reddat incapacem doloris, aut tristitiæ, aut cuiuslibet motus in oppositum; causa autem præualens in virtute, & applicata subiecto infert naturaliter, & non miraculosè effectum oppositum suo effectui. Accedit quòd sæpè aliàs superiùs docuerit summum gaudium, & tristitiam tollere omnem dolorem, aut gaudium de opposito, aut etiam disparato. Deinde, quantùm ad confirmationem videtur rectè fundata, quia anima siue in via, siue in patria positis requisitis circa obiectum beatificum habet eundem semper actum: ergo si in patria non est miraculum quòd agens naturale non agat ad oppositum eius, ad quod determinat beatitudo; ita etiam in via non esset miraculum supposita collatione eiusdem beatitudinis, vt non posset agere ad oppositum.

Vrgetur difficultas contra resoluta.

Beatitudo ex se excluderet dolorem.

Confir.

8 Respondetur Doctorem assignare differentiam secundùm diuersos status, comprehendendo modum, & media ordinaria operandi status cuiuslibet. Itaque non solùm est miraculum concedere beatitudinem viatori, quæ est operatio perfectissima spectans ad statum altioré patriæ; quem non pertingit viator ex statu, quo mouetur in finem absentem: sed etiam est miraculum suspendere effectum causæ naturalis, non per aliam, quæ non est ordinis eiusdem, & spectans ad ipsum statum, sed per causam superioris ordinis, qualis est beatitudo, siue ex natura rei habeat húc effectum, siue aliter, & concomitanter per virtutem agentis supernaturalis impedientis effectum causæ naturalis: sicut ergo naturale est viatori exire in operationem, & non aliter quàm per media ordinaria, & prouidentiam huius status, sic impediri hanc operationem est ipsi supernaturale; sicut & operari circa obiectum aliter applicatum quàm ipsi debetur in via.

Responsio.

Ex dictis possunt solui, &c. Dat regulam interpretandi Patres, qui negant viatorem posse videre Deum in se, intelligendos esse naturaliter, & etiam secundùm prouidentiam, & potentiam ordinariam, qua regitur status viatoris, & legem communem: Ex qua regula meliùs intelliguntur Patres, quos Vasquez *suprà* in alium sensum refert, quorum verba aliud non sonant, quàm quòd nequeat creatura in via de lege ordinaria videre Deum, aut vlla creatura ex propriis viribus, & mediis ordinis naturalis videre Deum visione intuitiua intellectuali, aut etiam videre per vlla media Deum non posse visione coporali. 9

Regula intelligendi Patres.

Ad argumenta. Ad primum, &c. Primum, quòd Christus fuerit mortalis, & habuit beatitudinem: ergo, &c. 10

Ad arg. ad primum.

Respondet quòd fuit miraculum continuatum in Christo habere beatitudinem, & suspendi hunc effectum eius, quo redderetur impassibilis, immortalis, aut subiiceretur doloribus. Vide *in 3. d. 15.*

Responsio.

Ad aliud de Paulo, &c. Hoc fuit secundum argumentum tangens difficultatem illam de raptu Pauli. An in eo habuit visionem diuinæ essentiæ. Eadem etiam quæstio mouetur de Moyse: An habuerit illam visionem transeuntur sicut & Paulus; quæritur etiam de beata Virgine, & aliis Sanctis, an Deus ipsis communicauerit hoc donum, licèt transeunter, & ex priuilegio. 11

Ad secundũ.

An Paulus, & Moyses viderant Deum.

Supponendum ergo est primò non repugnare hoc fieri de potentia absoluta. De lege autem ordinaria repugnare, vt patet, 1. *ad Corinth.* 13. vbi fusè Apostolus declarat discrimen inter cognitionem huius status, quam habemus de Deo, & cognitionem Patriæ. Patet etiam ex Scripturis, quibus vita æterna proponitur in spe, quantùm ad statum vitæ præsentis, in futuro verò in cælis possidenda: quod etiam communis sensus Ecclesiæ, Doctorum, & Patrum tenet.

Prima suppositio.

Præterea, supponendum est nihil repugnare, quin Deus tale priuilegium contulerit aliquibus supra legem communem operando, quamuis neque id temerè asserendum sit sine probabili fundamento.

2. Suppositio.

Quantùm ad præsens institutum fuisse communicatam Paulo docet Augustinus, *de gen. ad lit. lib. 12. cap. 28.* eámque indicat *epistola* 112. quem sequitur Beda 2. ad Corinth. 12. *scio hominem ante quatuordecim annos*, &c. Vbi ipse Apostolus exponit illam visionem. Hugo Victor. *ibidem quæst.* 34. Ambrosius, Chrysostomus, Theophylactus in Apostolum, & communis schola Theologorum, & expositorum Scripturæ, vsque ad Catherinum. Altisiodorensis *lib. 3. Sum. tit. 14. quæst. 2.* D. Thomas *in Apost. lect. 1. & in 1. part. quæst. 12. art. 11. & 2. 2. quæst.* 174. 12

Sententia August.

quæst.174.art.4.& in hac distinct. & variis aliis in locis: quem sequitur eius schola prædictis in locis. *Sententia negatiua.* Noster Doctor *hic* nihil resoluit: asserit tamen *in 2.dist.3.quæst.9.* vbi eius discipuli. Ægidius Lusitanus *lib.12.quæst.8.art.3.§.1.& 2.* reliquos citans eam sequitur. Pro opposita certat Catherinus *in Apostolum.* Vasquez *1.part.disput.56.cap.1.* Eandem probabiliorem aliqui posteriores defendunt, vt Suarez *in 3.part.tom. 2. disp. 19. sect.4.* Tenenda est communis sententia, in qua expositio verborum Pauli magis genuina proponitur de ipsa visione, & nihil vrget in contrarium, quod sit maioris momenti.

13 An autem Moysi, vel aliis quibusdam Sanctis in via fuerit communicatum hoc priuilegium, & quo fundamento, in quibusdam asseritur: videantur Doctores, & potissimè Lusitanus in præmissa quæstione per varios articulos.

Ad reliqua argumenta patet solutio ex dictis, & in textu; cui subiungit corollarium, seu quandam introductionem ad quæstiones quatuor sequentes, in quibus explicat quatuor dotes corporis, in quibus eius beatitudo consistit.

Hactenus cum Doctore exposuimus per duodecim quæstiones rationem beatitudinis formalis, prout de eadem *hîc* disserit. De obiectiua autem beatitudine agitur *in distinctione prima primi.* 14
Hîc etiam égit Doctor præcisè de beatitudine formali, vt est obiecti primarij, & non vt extenditur ad obiectum secundarium, de quo aliàs plura suis locis tractat sparsim quæ huc reuocare non est visum expedire, neque vacat: itaque compendio temporis, & operis prosequemur quæstiones sequentes.



QVÆSTIO XIII.

Vtrùm corpus hominis beati post resurrectionem erit impaßibile?

D.Thom. *in add. quæst.82. art.1. & 4. dist 44.quæst.2.art.1.* Richard. *hîc art.4.quæst.* 1.1.3. D.Bonauent. *2.part.art.2.*quæst.1.Durand.*quæst.5.& disp.43.q* 4.Soto *hîc q.4* Suar. *3.part.tom.2.disp* 48.*sect.2.3.V.de* Scot.*9.Met.q.14.& in Thear.* §.Non potest probari hominem sine.

1 [a] TRVM corpus hominis beati post resurrectionem erit impassibile? *Arg. 1.*
Quòd non; Gregor. super illud Ioann. 20. *Infer digitum tuum huc*, &c. *Corrumpi necesse est, quod palpatur:* corpus gloriosum erit palpabile, sicut Corpus Christi fuit, sicut apparet Luc. 24. *Palpate, & videte*, &c.

Prætereà, si illud corpus sit impassibile, ergo beatus non potest sentire aliquod sensibile; consequens est falsum, quia sensatio, cùm sit operatio perfecta animalis, non deerit homini beato. Consequentia probatur, quia omne sensitiuum potest corrumpi ab excellenti sensibili: quod corrumpitur ab excellenti, patitur ab inferiori, sicut quod corrumpitur à calidissimo, patitur à minùs calido. *Arg. 2. 2. de Anima t.c.123.*

Prætereà, nullum violentum est perpetuum; sed corpus illud, cùm sit mixtum, habet in se quatuor elementa, quorum quodlibet præter vnum, est extra regionem suam propriam: ergo violenter, & per consequens aliquando redibit ad locum proprium, & ita totum corrumpetur. *Arg. 3. 1. Cæli tit. cap.15.& 2. Cæli tit. cap. 18.*

Prætereà, 1. *de Cæl. & mund.* arguit Philosophus contra Platonem, Cælum non potest esse corruptibile, & tamen ab alio perpetuari: quia non potest aliquid esse ex se passibile, & corruptibile, & tamen ab alio perpetuari. A simili potest argui de illo corpore. Hoc etiam vult Comment. 11.*Met.* vbi vult quòd solus motus potest esse possibilis, & tamen ab alio perpetuari. *Arg. 4. Text. 124. & inde, & text.138. Com.41.*

Oppositum 1 ad Corinth.15. *Mortale hoc induet immortalitatem*, hoc est incorruptibilitatem. Et iterum ibidem, *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.*

COMMENTARIVS.

1 *De impassibilitate beati corporis.* VTrùm [a] *corpus hominis*, &c. Hæc dos immediatiùs se habet ad *esse* corporis, & ad beatitudinem, quæ excludit omne malum, & maximè corruptionis, ideóque prima ponitur à Doctoribus. *Ordo, & diuisio quæstionis.* Hæc quæstio diuiditur principaliter in duas partes; quarum prima est de veritate rei, quæ subiicitur, & supponitur, nempe corpora beatorum fore impassibilia passione reali, & corruptiua: secunda verò pars continet modum, quo à Doctoribus secundùm varias opiniones defenditur, & declaratur, in quo consistit, reducit diuersos modos dicendi ad quatuor in genere. *Prima sententia de radice impassibilitatis. 2. Sent.* Primus est negans in corpore beatorum qualitates primas, vt excludat principium corruptionis intrinsecum. Secundus est, vt reducuntur qualitates illæ ad æqualitatem temperamenti, ita vt neutra possit alteri præualere in actione, aut subiicere eam quoad passionem. *3. Sent.* Tertius est, vt dos sit constituta in aliquo positiuo impediente omnem passionē, siue illud passiuū sit ipsa anima gloriosa, qua perfectè subiicit sibi corpus, vt nequeat pati ab agēte siue intrinseco, siue extrinseco; vel si ponatur dos tanquàm forma positiua superaddita corpori, quæ ex se excludat omnem passionem ab alio. *Varij modi quibus defenditur.*

ab alio. Quartus modus est, vt decernatur consistere in priuatiuo, & hoc est duplex, nempe cessatio motus cæli, à quo dependet omnis motus, & actio inferiorum, & non cooperatio Dei ad omnem causam secundam corruptiuam corporis humani. Hæc suo ordine tractantur in sequentibus paragraphis. Deinde, respondetur ad fundamenta opposita, & ad argumenta principalia: in responsione autem ad secundum tractatur de passione intentionali.

SCHOLIVM.

Corpus beati futurum impassibile, ex ratione ad oppositum. ex 1. Corinth. 15. & colligitur ex Rom. 6. Luc. 24. Matth. 25. & Apoc. 7. & 22. & Patres docent, August. 20. ciuit. 18. in Enchir. cap. 90. 91. Tertul. de resurr. cap. 51. & l. 5. con. Marcion. cap. 10. exponens id 1. Corinth. 15. Oportet corruptibile, &c. *Greg. 14. Mor. 29. aliàs 31. Cyrill. Ierosf. catec. 18. Hieron. in Amos. 5. Lactant. lib. 7. diuin. instit. cap. 46. Probat Doctor latè qualitates sequentes mixtionem mansuras in corpore glorioso, atque adeò impassibilitas non potest esse ex carentia harum.*

[b] Respondeo, patet quòd ita est, ex præcedenti quæstione, quia homo non potest esse beatus in vita mortali: totus autem homo erit beatus, quia totus meruit: ergo totum erit beatum in corpore immortali. Probatur hoc etiam, quia homo beatus habebit perfectionem, quæ competit suæ naturæ; talis est immortalitas, qu a animæ immortali non repugnat perpetuò perficere suum perfectibile. Vnde sicut ex immortalitate animæ concluditur resurrectio, ita probabiliter concluditur ex eadem immortalitas hominis: & per consequens corporis, & ita impassibilitas, loquendo de passione reali, vt distinguitur contra passionem intentionalem, de qua tangetur respondendo ad secundum argumentum. 2

Qualitates sequentes mixtionem manere in corpore glorioso.

[c] Sed de causa impassibilitatis dubium est: non enim est per hoc, quòd qualitates consequentes mixtum non maneant in corpore illo tunc: quia tunc non maneret illud corpus mixtum, nec etiam esset proportionatum animæ, sicut nec modò anima posset animare elementum: nec per hoc, quòd illæ qualitates non manebunt contrariæ: quia cùm forma sit contraria formæ in specie sua, si tunc remanebunt in corpore eædem qualitates in specie, quæ tunc non sequitur quòd erunt contrariæ, sicut & nunc.

Vide D. Bonau. dist. præf. par. 2. art. 2. q. 1. & 2. Vide Var. q. præf. Definitio contrariorũ explicatur.

Nec valet illa ratio ad probandum quòd non sunt contrariæ: quia contraria nata sunt fieri circa idem, & per consequens sibi succedere in eodem: ibi autem non succedit vna qualitas alteri, & ideò tolletur ratio contrarietatis. Primò quidem non valet, quia circulus est probando præmissam per conclusionem. Secundò, malè intelligitur illa descriptio contrariorum, quia illud non debet intelligi de quibuscunque contrariis acceptis secundùm numerum: nec de quocunque eodem secundùm numerum; sed de contrariis secundùm speciem acceptis, & de eodem secundùm speciem: & si de eodem secundùm numerum, non omni, sed aliquo. Hæc patent, quia albedo illa, quæ nunc est in illo, & nigredo, quæ est in illo, nunquam succedunt sibi: ergo nec hîc; alioquin alterum illorum migraret: sed circa istud, aliqua albedo, & aliqua nigredo possunt sibi succedere, non tamen circa omne subiectum; quia tunc nullum subiectum determinaret sibi alterum contrariorum. Nec potest tertiò poni quòd non sit hoc susceptiuum natum tunc recipere contrarium post contrarium, quia susceptiuum manet idem, quod nunc, & per consequens susceptiuum eiusdem naturæ secundùm speciem. 3

Priuatio non tollitur nisi posita forma.

Si dicatur quòd tunc manet sine priuatione, nunc cum priuatione. Contrà, hoc contradictionem includit, priuationem formæ tolli à subiecto, nisi ipsa forma insit: quia aptitudo suscipiendi non potest tolli, manente natura susceptiui: carentia autem, quam addit priuatio vltra aptitudinem, non potest tolli, nisi manente illo cuius est carentia.

Si dicas, forma superior tollit priuationem formarum inferiorum, sicut forma cæli, formarum corruptibilium. Contrà, non tollitur carentia, nisi sicut ponitur habitus: superior autem non includit inferiorem in se sub propria ratione, sed tantùm virtualiter: ergo non tollit carentiam eius sub propria ratione: ergo nec priuationem eius, si sit nata inesse.

Hoc etiam specialiter patet in proposito, quia nobilissima forma, quæ tunc erit in toto

toto, erit anima intellectiua: ipsa autem tunc erit eadem, quæ & nunc: & æquè perfecta substantialiter: ergo tunc non tollet priuationem, sicut nec nunc.

COMMENTARIVS.

2 *Conclusio fidei.*

[b] R*Espondeo, patet quòd ita est*, &c. Omissis erroribus, qui circa beatitudinem fuerunt quasi in affluentia terrena consisteret, vt voluptatibus corporis, & consequenter immutationem aliam corporum non admittebat. Statuit Doctor conclusionem Catholicam, quam probat Scholiastes in præmisso scholio, & occurrit passim ex Scriptura, & Patribus. Probat Doctor conclusionem ex dictis in quæstione præcedenti: quia non potest quis esse beatus in vita mortali: totus autem homo erit beatus: ergò in corpore immortali: aliàs beatitudo non esset cumulus omnium bonorum, aut possessio omnis boni, quod non repugnat naturæ, atque vltima eius quietatio; & non excluderet omnem miseriam. Secunda ratio est, quia sicut ex immortalitate animæ concluditur resurrectio, ita etiam concluditur probabiliter ex eadem, quòd semper perficit suum corpus, vt perfectibile. Hanc rationem vocat probabilem secundùm lumen tantùm naturale, non verò vt fulcitur reuelatione, ex qua sustinetur cōclusio. *(Eius probatio.)*

3 *De radice impassibilitatis.*

[c] *Sed de causa dubium est*, &c. Quærit de causa proxima, à qua est impassibilitas corporis. Aliqui negant qualitates primas manere in corpore glorioso, licèt in eo maneant elementa quoad substantiam: de hac opinione mentionem facit D. Thomas *in 4. dist. 44. quæst. 2. art. 1. quæstiunc. 1.* & Auctuarius eius summæ *3. part. quæst. 82. art. 1.* Alij docent apud eundem, licèt maneant qualitates, eas non manere vt contrarias. Vtrámque opinionem hîc excludit Doctor. Primò, quia illæ qualitates si non manerent, non maneret forma mixti, neque enim anima potest immediatè informare elementum. Deinde, secundus modus dicendi non subsistit: quia nequeunt qualitates illæ manere nisi vt sunt contrariæ, quia hoc ipsis competit ex ratione sua formali, sine qua esse non possunt; sicut neque albedo nisi sit formaliter albedo, & consequenter contraria nigredini: ergo eædem qualitates si manent, manebunt quoad suas species, quæ sunt inuariabiles, atque adeò manebunt sicut modò insunt, quoad eandem oppositionem quantùm est ex natura sua. *(1. Sentent. — 2. Sentent. — Manere qualitates primas in beato. — Manent vt contraria.)*

4 *Responsio. Impugnatur.*

Dices non fore contrarias, quæ non possunt sibi inuicem succedere in eodem.

Contrà, committitur circulus in probatione. Deinde, contrarietas non sumitur ab indiuiduis, sed à specie formæ, quæ primò opponitur alteri: quia albedo, quæ est in vno, & nigredo, quæ est in altero nunquam sibi succedent (quamuis sint inter se contrariæ formæ) alioquin daretur migratio accidentis de subiecto in subiectum: sed autem idem subiectum licèt non omnis albedo, & omnis nigredo in indiuiduo sibi succedere possint; tamen sufficit quòd aliqua albedo nigredini succedere possit: non tamen citra idem subiectum: quia tunc nullum subiectum determinaret sibi extremum contrariorum: v.g. neque cygnus albedinem, neque coruus nigredinem, neque ignis calorem, quæ formæ naturaliter abesse eis non possunt, quia sunt dispositiones connaturales suî *esse* per formam. *(Vnde sumitur contrarietas. — Non requiri vt formæ contraria sibi mutuò succedant in quolibet subiecto.)*

Prætereà, in proposito nequit dici, quòd vnum contrariorum alteri non possit succedere: quia sicut modò succedit in vita mortali, sic etiam non repugnat quin succedere possit in alia vita, quantùm est ex natura formarum, & subiecti, ab intrinseco, ideóque recurrendum erit ad aliquam aliam causam extra vtriúsque tam subiecti, quàm formarum contrariarum naturam. Accedit quòd hæc ratio non saluet impassibilitatem ab extrinseco agente, quod symbolizat in virtute, & forma cum aliqua qualitate contraria determinata ex illis intrinsecis: v.g. cum calore: nam etsi calor ex se (vt detur intentum) non possit habere actionem in contrariam qualitatem eiusdem virtutis, & resistentiæ, non repugnat quin ex coniunctione calidi vehementis extrinseci simul agar. *(Possint ab intrinseco succedere in beato.)*

Dices qualitatē contrariā in vita mortali manere cum priuatione; secus autē in corpore glorioso. 5 *Responsio.*

Contrà. Hoc inuoluit contradictionem, vt priuatio formæ contraria tollatur, nisi ipsa forma posita; aut aliqua saltem eminenter æquiualente; calor non æquiualet formæ contrariæ, neque effectum eius includit: ergo nequit tollere priuationem eius à subiecto. *(Impugnatio.)*

Dices formam superiorem tollere priuationem formæ inferioris, vt forma cæli tollit priuationem corruptibilitatis à subiecto: ergo idem erit in proposito. *(Responsio)*

Contrà. Forma superior non tollit priuationem formæ inferioris, quam nullo modo includit; sed vna qualitas mixti non includit aliam, neque est necessariò superior respectu eius, quantùm ad perfectionem actus primi, aut secundi. Deinde, forma superior si virtualiter tantùm includit inferiorem, non tollit priuationem eius formalem à subiecto, si alioquin forma priuata potest secundùm se inesse. Accedit quòd anima rationalis sit perfectissima forma, quæ tunc erit in toto, & sicut nunc non tollit priuationem, ita etiam neque tunc ipsam tollet. Hæc vltima replica examinabitur in sequentibus. *(Vna forma nō tollit priuationē eius, quam non includit.)*

SCHOLIVM.

Impassibilitatem non oriri ex adæquata proportione qualitatum corporis gloriosi, ita vt non possint agere in se mutuò, tum quia non dabitur talis qualitatum æqualitas, quia est contra naturam corporis mixti: tum etiam quia si daretur, adhuc staret passibilitas ab agente extrinseco. Item non oriri ex dominio animæ super corpus, tum quia nullam habet repugnantiam ad qualitates corruptiuas, tum etiam quia causæ naturales, quoad suas actiones non subsunt animæ, nec supremo Angelo, modò sint debitè applicatæ.

4 [d] VNde ergo erit in illa impassibilitas? Respondeo, ex parte susceptiui non potest inueniri aliqua causa intrinseca huius impassibilitatis: vel ergo inuenietur

ex defectu agentis, vel ex impedimento agentis absolutè, scilicet tam intrinseci, quàm extrinseci. Ex parte agentis non potest poni defectus, quia omnipotentiæ passiuæ correspondet aliqua actiua, vel intrinseca, vel extrinseca: agentis tamen intrinseci fortè posset poni impotentia, ponendo qualitates illas in corpore esse reductas ad tantam æqualitatem, vt vna non posset esse principium agendi in alteram. Hoc persuadetur, quia non obstante contrarietate elementorum, si essent accepta in tanta quantitate molis, & virtutis, quòd nullum eorum posset aliquod aliud, vel aliqua alia vincere, vel ab alio, vel ab aliis vinci, & sic proportionata includerentur perpetuò in quocunque corpore: nunquam esset ibi corruptio alicuius illorum: quia etsi contrarietas, tamen proportionata æqualitas. Consimiliter videtur nunc esse in elementis: quare enim ignis non comburit omnia elementa, cùm sit maioris actiuitatis, non videtur ratio, nisi ex proportione, vel adæquatione aliorum in resistendo virtuti suæ in agendo, saltem concurrente cælo cooperante aliis in resistendo.

Quare ignis non cõburit alia elementa.

Sed quia illa causa fortè supponit falsum: non enim erunt tunc qualitates ita re- 5
ductæ ad æqualitatem in tantum, vt nulla possit esse principium agendi in aliam, quia necesse est in mixto aliquas qualitates dominari, etiam in virtute; quod apparet, quia corpus humanum magis est fluxibile secundùm partes materiales, quàm corpus alicuius animati, vel inanimati inferioris, quod non est nisi ex dominio alicuius qualitatis, quod exigit animal.

Impassibilitas non est ex adæquata proportione qualitatum in corpore glorioso.

Similiter, ista causa non posset ponere impassibilitatem respectu extrinseci corruptiui: & ideò si corruptionem ab intrinseco excluderet, adhuc esset diminuta: & ideò oportet ponere impassibilitatem per aliquod impediens passionem corruptiuam: tale [c] autem impediens potest poni, vel positiuum, vel priuatiuum. Positiuum duplex, anima, vel dos in corpore. Priuatiuum duplex, cessatio motus cælestis, & non cooperatio Dei cum causa secunda corruptiua.

D.Thom. in 4.d. 44. art.2.q.1. Vide Rich. d.præs. a.4. q.1.& D. Bonau.

[f] Pro primo arguitur, quia anima constituta est in medio inter Deum, & creaturam corporalem; sicut ergo tunc ipsa erit perfectè subiecta Deo; tanquam suo superiori,
ita perfectè tunc dominabitur suo corpori inferiori; 6

Impassibilitas non oritur ex dominio animæ super corpus.

Contra hoc, anima non repugnat istis qualitatibus, etiam inquantùm contrariæ, & non reductæ ad medium, in quo sunt actiuæ. Patet, quia supponit eas in suo susceptiuo, & nihil repugnat ei, quod exigit in suo susceptiuo: nec etiam repugnat effectibus illarum, quia si illæ agant mutuò, non agunt, nisi actione vniuoca: saltem effectus illi non repugnant animæ vsque ad magnam intensionem, quia stant cum anima nunc, licèt intendantur vsque ad magnum gradum: ergo nec tunc repugnabunt animæ, vt est forma informans.

Causæ naturales non obediunt Angelo, quantùm ad actiones, & alterationem.

Si ergo dicatur, quòd anima prohibet tunc actionem illarum qualitatum, non propter repugnantiam sui ad actionem illam, sed propter imperium sui per actum voluntatis suæ, quia ex dominio pleno super corpus. Hoc non videtur probabile, quia supremus Angelus per solum imperium voluntatis suæ non potest impedire actionem alicuius causæ naturalis: causæ enim corporales non obediunt Angelis ad nutum, quantùm ad actionem, & alterationem earum.

COMMENTARIVS.

6

VNde [d] *ergo erit illa impassibilitas*, &c. Quærit deinceps causam illius impassibilitatis. Primò dicit, non esset ex parte susceptiui, quia scilicet potentia passiua susceptiui manet ex se inuariata, & correspondet potentiæ actiuæ, per quam reduci potest in actum à priuatione. Oportet ergo refundere impassibilitatem in aliquam causam extrinsecam, nempe ex parte agentis absolutè tam intrinseci, quàm extrinseci, vt agens distinguitur à susceptiuo. Ex parte agentis nequit esse, quia omni potentiæ passiuæ correspondet aliquod agens intrinsecum, vel extrinsecum. Adducit modum dicendi eorum, qui dicunt corruptionem prouenire ex inæquali proportione qualitatum, ac proinde reductis qualitatibus ad iustam, & æqualem proportionem fore ab intrinseco incorruptibile corpus. Iusta illa proportio attenditur in eo gradu cuiuslibet, vt ab alio vinci non possit, aut pati: nam actio prouenit à proportione maioris inæqualitatis: quando autem vnum est in eo gradu, vt non cedat alteri, non sequitur actio: si ergo omnes qualitates primæ reducuntur ad æqualem proportionem, non sequetur actio, neque consequenter passio, aut corruptio. Patet in elementis contrariis, quæ si in dicta proportione applicentur sibi inuicem, non sequitur actio, quia tanta est resistẽtia vnius, quãta est virtus actiua alterius, inde fortè fit quòd ignis non comburat alia elementa, accedente concursu causæ vniuersalis ad cõseruationem aliorũ.

Quorundam sententia. Proportio æqualis qualitatum.

Hanc sententiam reiicit; quia & supponit falsum; quia ista proportio æqualis nequit conuenire mixto; in quo necessarium est aliquam qualitatem dominari aliis in virtute, & corpus humanum est magis in fluxu, quàm alia, vt experientia constat, propter dominium vnius qualitatis in aliam. Deinde, non tollit passibilitatem à causa extrinseca: ideóque non reddit causam adæquatam conclusionis: oportet ergo statuere causam aliquam

Non rectè impassibilitas ex hoc fundatur.

aliquam adæquatam, quæ tollat omnem passionē, & corruptionem ex passione, eámque impediat.

7 *Sententia cōstituens hanc in aliis causis positiuis, aut priuatiuis.*

e *Tale autem impediens potest poni*, &c. Hîc primum tangit modum dicendi aliorum Theologorum, qui reducunt impassibilitatem ad causam positiuam, aut priuatiuam. Causa positiua duplex assignari potest, nempe vel anima gloriosa, vel forma aliqua per modum dotis in corpore, quæ sit positiua. Si reducatur impassibilitas in causam priuatiuam, debet esse vel cessatio motus cæli, vel concursus diuini, cum corruptiuo, siue intrinseco, siue extrinseco. Pro hac vltima citatur communiter Doctor. Pro illa, quæ refundit impassibilitatem in cessationem motus cælorum, citat Abulensis *quæst*. 111. Landulphum. Pro priori sententia plures decertant, nempe impassibilitatem prouenire ab aliqua causa positiua intrinseca. Et hæc sententia est D. Thomæ locis citatis, & satis frequens inter antiquos & modernos Theologos, sed variis modis defenditur.

Sententia quæ reducit in causam positiuam.

Primus & secundus modus.

Primus modus est, qui reducit hanc causam in æqualitatem iustam primarum qualitatum secundùm pondus, & iustitiam, vt vocant modo explicato, ex qua perfectissima complexio statuitur, placet Palacio *in* 4. *dist*. 44. *disput*. 2. Sanctus Bonauentura reducit causam in prædictam temperiem mixtionis qualitatum secundùm iustitiam, in quietationem elementorum in corpore humano, & in fluxum animæ, tum in qualitates, tum in quatuor elementa, conseruantem ea in eo statu.

3. Modus.

Alium modum excogitauit idem Palacius nempe materiam corporis gloriosi priuari à Deo omni appetitu ad aliam formam, & eo ipso esse incapacem corruptionis, seu alterius formæ diuersæ ab anima.

4. Modus.

Alij dicunt impassibilitatem illam oriri ex materia quadam quintæ essentiæ cælestis. Alij docent impassibilitatem oriri ex plena subiectione materiæ ad animam, & ex perfecto eius dominio in corpus. Hæc est D. Thomæ *locis citatis*, quem sequitur Sotus *in* 4. *dist*. 44. *quæst*. 4. *art*. 5. Capreolus *dist*. 44. *quæst*. 2. *art*. 1. *concl*. 3. Pisantius 3. *part*. *quæst*. 82. *art*. 1. Viguerius *in resolutione Theologica cap*. 14. Abulensis *in cap*. 17. *Matth*. *quæst*. 111. Hæc sententia variè afferitur. Aliqui enim dicunt hanc impassibilitatem oriri ab ipsa anima inquantùm informat immobiliter corpus; quæ informatio ex permanentia diuinæ visionis redditur insolubilis. Hic modus placet Soto. Alij referunt hoc ad imperium voluntatis beatæ, cui perfectè subditur corpus, vt neque agere, neque pati possit, nisi ex imperio voluntatis.

Variè explicatur, & statuitur quartus modus.

Alij dicunt hoc conuenire animæ ex virtute quædam actiua ei concessa ad conseruandas qualitates, & temperamentum corporis; quæ virtus excedit omnem virtutem agentis corrumpentis corpus: sicut Angelus eminentioris virtutis effectiuè potest tenere corpus in loco, ne inde moueatur ab alio Angelo minoris virtutis. Alij referunt hoc in dominium animæ in corpus, quantùm ad conseruationem eius, quia ex gloria eius redundat quædam qualitas in corpus eius conseruatiua, & illud facit simpliciter impassibile. Placet Capreolo in responsione ad argumenta Doctoris. Alij tandem hanc impassibilitatem refundunt in quandam qualitatem à Deo infusam, aut productam in corpore, quæ est supernaturalis, per quam redditur corpus beatum ab intrinseco impassibile. Hæc est, quam magis frequenter sequuntur moderni; quam sequitur Suarez *in* 3. *part*. 2. *tom*. *disput*. 48. *sect*. 3. Salas 1. 2. *tract*. 2. *disput*. 14. *sect*. 17. Valentia *in* 4. *tom*. *disput*. 11. *quæst*. 5. *puncto* 1. Lusitanus *in* 3. *tom*. *de beat*. *lib*. 5. *quæst*. 3. *art*. 3. §. 2.

Obscuritas quæstionis inuexit tot modos dicendi in scholam, quam conuenit resoluere ex principiis communibus, non tam attingendo veritatem rei in seipsa, quàm coniectando quid fieri possit, & interpretando factum ex maiori congruitate desumpta ex natura, & perfectione status beatifici, & prouidentia Dei circa illum statum. Fundamenta opposita posteà adducentur, interim sequemur ordinem textus.

8 *Argumentū Richardi.*

Pro f *primo arguitur*, &c. Argumentum est Richardi. Anima est constituta vt medium inter Deum, & creaturam corporalem: sicut ergo tunc ipsa erit perfectè subiecta Deo, tanquàm suo superiori, ita perfectè tunc dominabitur corpori inferiori. Non tam argumentum hoc directè impugnat Doctor, quàm sententiam, & intentum arguentis: & ratio eius militat contra eos omnes modos dicendi, qui hanc impassibilitatem ipsi animæ vt informanti corpus tribuunt formaliter. Et vis rationis stat in hoc, quòd anima non repugnet qualitatibus istis primis, vt etiam actione contraria in se mutuò agere possunt: quia sic eas supponit tanquàm dispositionem connaturalem corporis organici: non repugnat etiam effectibus earum, quia si agunt, agunt actione vniuoca: ergo sicut neque ipsis qualitatibus repugnat formaliter, & per modum formæ: sic etiam neque aliis productis, quæ sunt eiusdem speciei, ac proinde non alterius naturæ, aut oppositionis; saltem illi effectus qualitatum prædominantium non repugnant animæ vsque ad eam intensionem, qua materia corrumpitur, vel est in proxima dispositione ad corruptionem, vt patet: quia in vita mortali compatitur anima cum alteratione aliqua dictarum qualitatum: ergo etiam tunc potest compati, quantùm est ex natura animæ, vt informat materiam: sed anima vt informat, nihil excludit à subiecto formaliter, & per modum formæ, nisi quod ipsi repugnat formaliter in subiecto: nihil autem requisitum ex parte susceptiui repugnat formaliter animæ, vt est forma informans, ergo neque qualitates illæ vt contrariæ, & non reductæ ad temperamentum repugnant animæ, quà est forma informans: ergo non ex informatione potest tribuere illum effectum impassibilitatis.

Ex subordinatione animæ ad Deum, corporis ad animā. Impugnatio sententiæ.

Vis rationis.

Anima non repugnat qualitatibus primis vt cōtrariis aut actioni earū.

Non excludit à subiecto nisi formam repugnantem sibi.

g Omisso ergo primo modo dicendi, quem *suprà* Doctor impugnauit circa principium huius paragraphi, & qui reducit impassibilitatem illam in temperiem ipsarum qualitatum, & non in animam, vrgeo argumentum contra cæteros modos dicendi. 9

In primis modus dicendi Soti non subsistit, neque communiter etiam ab aliis recipitur: quia informatio animæ ad corpus est merè naturalis, siue sumatur pro vnione, siue pro constitutione corporis animati, & totius; quia licèt vnio illa fiat à Deo supernaturaliter, sicut & ipsa restauratio corporis: tamen sicut extrema in *esse* susceptiui, & constitutiui non variant naturam, ita neque vnio: non est ergo maior vnio animæ gloriosæ ad corpus, quàm animæ in vita mortali, & sicut indiuisibiliter, & nō secundùm magis & minùs cōstituit hominem eundem in indiuiduo, & specie, & non aliter, & aliter; ita etiā se habet ad susceptiuum

Impugnatur modus dicēdi Soti.

Beatitudo nõ variat rationem formæ naturalis in anima. susceptiuum perfectibile: quod autem sit beata, non variat in ea rationem formæ naturalis, secundùm quam præcisè constituit totum, & perficit suum susceptiuum, ad quæ gloria neque vt dispositio, neque vt causa in vllo genere se habet. Deinde, sicut dos constituitur in aliquo supernaturali, informatio verò animæ sit merè naturalis, nequit in ea constitui dos, quæ in perfectione superaddita consistit. Prior denique est ipsa informatio corporis per animam (maximè si anima est forma constituens corpus in *esse* corporis) quàm corpus natum est recipere dotem impassibilitatis. Hoc esset falsum, si informatio animæ esset dos. *Prior animatio, quàm dos.*

10 *Non constitui dotem in imperio voluntatis beatæ.* Alius modus impugnatur, qui refundit impassibilitatem in imperium voluntatis beatæ: quia incidit in id, quod fugit, quia sic non constitueretur in aliquo positiuo intrinseco, sed in protectione, & assistentia extrinseca voluntatis beatæ; quæ voluntas licèt insit beato, tamen impassibilitas ex imperio eius est extrinseca corpori, ita vt natura sua maneat positiuè passibile, quod maximè refugit hæc sententia admittere; quid enim magis iuuat hanc assistentiam tribuere voluntati beati, quæ videtur ipsi repugnare, quàm diuinæ voluntati, si sola illa assistentia saluet intentum?

11 *Impugnatur illa assistentia.* Deinde, illa assistentia vt refunditur in imperium voluntatis beati, vel proueniret ab eo quod posset remouere corruptiuum à corpore, quatenus vel corpus subducit corruptiuo, vel certè corruptiuum remouet per virtutem motiuam animæ beatæ subiectam voluntati; sed hoc non sufficit ad dotem; quia non tollit actionem; aut virtutem actiuam corrumpentis, quin agat in corpus applicatum; neque tollit etiam potentiam receptiuam passionis à corpore beato: vel illud imperium voluntatis beatæ tale esset, vt suspenderet omnem actionem, & passionem inter agens, & passum directè: & hoc vel physicè, vel moraliter, quatenùs haberet assistentiam ad omne, quod vellet quoad conseruationem corporis à corruptione intrinseca; vel ab extrinseco. *Modus quo tribueretur illa potestas voluntati, examinatur.*

Si secundum dicatur, sequitur impassibilitatem reduci ad voluntatem beati, vt in causam tantùm moralem; in Deum autem vt Physicam causam: quia in illam causam physicam reducenda est incorruptibilitas, à qua in effectu, & physicè est suspensio actionis, & passionis. Si verò primum dicatur, rectè impugnatur à Doctore in litera sequente immediatè: impugnatio est talis. *Si ergo dicitur*, inquit, *quòd anima prohibet tunc actionem illarum qualitatum, non propter repugnantiam sui ad illam actionem, sed propter imperium sui per actum voluntatis suæ: quia dominio pleno super corpus: hoc non videtur probabile: quia supremus Angelus per solum imperium voluntatis suæ non potest impedire actionem alicuius causæ naturalis: causæ enim corporales non obediunt Angelis ad nutum, quantum ad actionem, & alterationem earũ*, &c. *Voluntati nõ subest virtus causarum.*

12 *Confir.* Confirmatur: quia voluntas suspenderet actionem causarum naturalium; vel per potentiam obedientialem, quam aliqui statuunt: sed hoc non, quia suspensio actionis hoc modo non esset voluntatis, sed causæ principalis, nempe Dei. Deinde, licèt admittatur talis potentia, admitti tantùm debet in ordine ad actiones positiuas, & non priuatiuas, qualis est illa suspensio actionis: vel conueniret voluntati ex dono aliquo supernaturali posito in ipsa, & hoc simpliciter vel repugnat, vel in effectum illius doni in corpore glorioso refundenda esset causa proxima impassibilitatis, si aliquam formam repugnantem actioni produceret in corpore. Quod verò repugnet communicari creaturæ aliquam virtutem, qua posset suspendere actionem, & passionem causarum non producta forma repugnante tali actioni, & eius termino, manifestè probatur: quia virtus causæ secundæ extrinsecæ nequit ab actione suspendi, nisi suspendatur aliquod per se requisitum ad actionem: sed à nullo potest quoad hoc dependere, si aliàs est completa in suo genere, nisi à sola causa prima, à qua dependet essentialiter in *esse*, & actione. Deus autem per potentiam absolutam nequit facere, vt sic dependeat ab aliqua causa particulari creata: quia talis dependentia fundatur in causa secunda, qua præcisè est creatura; & suspensio actionis eius hoc vltimo modo est solius virtutis creatiuæ, & annihilatiuæ, quæ soli Deo competit. *Non fieri per potentiã obedientialem.* *Non competit ei ratione alicuius formæ à se productæ.* *Causa secunda tantùm à prima suspendi potest.*

Ex his satis impugnatur ille modus dicendi, quo impossibilitas tribuitur animæ beatæ, vt effectiuè conseruanti illas qualitates naturales in eo temperamento, in quo fuerunt productæ. Primò, quia conseruatio illa est influxus immediatus animæ in illas qualitates per modum conseruationis actualis; sed hic influxus non conuenit animæ, nisi mediantibus potentiis, & operationibus: quæ non habent talem efficaciam naturaliter, vt per se constat: quia influxus conseruatiuus æquiualet productiuæ, anima autem nequit primò producere illas qualitates: quia nulla causa illas producere potest, præter illam solam, quæ potest reparare corpus mortuum: hoc autem nequit anima beata, aut alia causa præter Deum solum. Deinde, substantia creata immaterialis nequit educere formas illas de potentia subiecti: ergo minùs anima, quæ necessariò eas supponit tanquàm dispositionem priorem corporis animalis. Superfluit prætereà illa conseruatio, vt proueniens ab anima, quia illa conseruatio formæ permanentis à solo Deo fieri potest, à quo solo dependet essentialiter in sua entitate, quantùm ad conseruationem intrinsecam per modum influxus, & dependentiæ à causa; vel si hoc non admittatur, de quo iam non curo, illa conseruatio erit per modum assistentiæ ab anima, vt efficiens est: sed impassibilitas hoc modo sumpta magis propriè, & minori inconuenienti reducitur in ipsum specialem influxum causæ primæ: ergo non est fingendus alius modus non necessarius, & inuoluens maiorem difficultatem, quàm ipsa res in se concepta postulat, aut inuoluit: quia id magis suggerit media impugnandi mysteria, quàm ea probat, aut declarat. 13 *Impugnantur qui dicũt hoc conuenire ipsi animæ.* *Anima non agit per potentias, & operationes.* *Anima nequit primò producere illas qualitates.*

Quòd si dicatur hæc efficacia conuenire animæ beatæ supernaturaliter, perinde etiam inuoluit difficultatem, quia actio proueniens à principio creato supernaturali est supernaturalis in substantia; illæ autem qualitates sunt naturalis ordinis, & exigunt tantùm influxum conseruatiuum ordinis naturalis in substantia. Deinde, quod magis est, nullo fundamento talis causa impossibilitatis innititur, aut statuitur, & videtur magis ex dictis repugnare rationi naturali, & principiis receptis, quæ vel contemni, aut applicari aliter, quàm fert sensus communis, non debent. *Ingerit hic modus difficultatem mysterio.*

SCHOLIVM

SCHOLIVM.

Impassibilitatem non consistere in qualitate aliqua prohibente corruptionem, nec à tali oriri posse. est contra Henr. & D. Thom. 1. part. quæst. 97. art. 1. (sed non loquitur clarè de hoc) & communem recentiorum. Probat Doctor tribus rationibus. Reiicit etiam sententiam Philosophorum, qui dicerent quòd impassibilitas oriretur ex cessatione motus cæli, quia motus cæli per accidens tantùm requiritur ad alios motus, & actiones, de quo dist 48. quæst. 2. num. 14.

7 [8] PRo secunda via, scilicet pro dote, arguitur per illud ad Dioscorum, tam potentem fecit animam Deus, vt ex eius plena felicitate redundet in corpus sanitas perpetua, & vigor incorruptibilis. Modus ponendi est talis, sicut durities est quædam impassibilitas, scilicet prohibens quandam passionem, puta faciliter scindi: sic possibile est aliquam esse qualitatem prohibentem omnem passionem corruptiuam. *Henr quodl. 9. q 16. Impassibilitas non est qualitas.*

Contra hoc, illa qualitas non est qualitas cælestis, tum quia nec perspicuitas, nec lux, nec lumen: tum quia corpus humanum, cùm sit mixtum, non est capax qualitatis cælestis; vel ergo erit qualitas elementaris, vel propriè mixta: sed siue sic, siue sic, non impediet omnem actionem, vel passionem. Patet in exemplo, quia durities licèt prohibeat incisionem, non tamen combustionem, vel aliam passionem destructiuam. Hoc etiam probatur per rationem, quia omnes formæ eiusdem susceptiui proximi sunt eiusdem generis Physici, *ex* 5. *&* 10. *Metaph.* sed omnes tales sunt contrariæ, vel mediæ, vt habetur *in eodem* 10. omnes autem huiusmodi non prohibent actionem mutuam, imò sunt principia actionis mutuæ: ergo illa qualitas, si est elementaris, vel mixti, & per consequens eiusdem susceptiui, non prohibebit omnem passionem corruptiuam, sed magis erit principium agendi, vel patiendi. *T. com. 33. T. com. 22. & inde.*

8 Præterea, illa qualitas, aut repugnat aliis qualitatibus, & tunc non prohibet omnem actionem, quia est eiusdem generis: aut non repugnat, & tunc non prohibet actionem alicuius illarum in aliam: quia illæ aliæ sunt inter se repugnantes, & ita principia mutuò agendi, & ita nulli earum actionum repugnat.

Pro tertia opinione arguitur: ablato primo, aufertur quodlibet posterius; cælestis est primus motuum. 8. *Phys.* ergo illo cessante nullus erit alius motus. *Opin. Philosophor.*

Contra hoc est articulus: *Stante cælo, approximato igne stupæ, quòd ignis non corrumpit stupam, est error.* Præterea, per rationem, Philosoph. 2. *de Generatione.* Motus pro tanto est generationis causa, quia adducit generans: ergo tantummodò facit ad præsentiam, vel ad approximationem generantis respectu materiæ: ergo si sine motu haberetur eadem præsentia, vel approximatio, æquè foret generatio. Exemplum huius: si subitò per potentiam diuinam Sol fieret in medio, sicut fit nunc per motum, eodem modo illuminaret, & calefaceret supposita; sicut nunc calefacit, imò fortiùs tunc, quia non cessaret agere quousque totaliter corrupisset sibi suppositum, si posset corrumpere: nunc autem, quia non moratur super passum suppositum, minùs agit efficaciter in ipsum. *Tex. c. 73. & inde. Paris. & est 17. cap. 11. Tex. 55. Impassibilitas non oritur ex cessatione motus cæli.*

COMMENTARIVS.

14 [8] PRo *secunda via*, &c. Superiùs expressit duos modos, quibus impassibilitas reducitur in causam positiuam intrinsecam. Prima est, quæ illam causam dicit esse ipsam animam beatam, vt subiicit sibi corpus perfectè, & quoad plenum dominium in ipsum. Hanc sententiam iam impugnauit. Secunda sententia reducit causam in aliquam formam positiuam, quæ sit ipsa dos, quæ excludit tam actionem, quàm passionem corruptiuam corporis, & temperamenti qualitatum. Probatur hæc sententia ex Augustino ad Dioscorum, vt patet ex litera. Declaratur autem resistentia illius qualitatis per exemplum desumptum ex duritie, quæ resistit scissioni, & est quædam impassibilitas quoad hoc: ita illa qualitas resistit omni actioni. *Sententia asserens, dotem esse formam positiuam superadditam corpori.*

15 Hanc sententiam impugnat Doctor primò: quia illa qualitas non est cælestis: quia nec perspicuitas, nec lux, nec lumen: quia corpus humanum mixtum non est capax qualitatis cælestis: vel ergo erit qualitas elementaris, aut propriè mixti: sed siue vna, siue altera, non est sufficiens ad illum effectum: ergo. Patet in exemplo allato: quia licèt durities resistat scissioni, non tamen resistit combustioni. Patet etiam ratione; quia omnes formæ eiusdem susceptiui proximi sunt eiusdem generis physici ex Philosopho 5. *Met. textu* 33. *&* 10. *Met. text.* 22. sed omnes tales sunt contrariæ, aut mediæ, vt patet in loco proximè citato, nec prohibent actionem mutuam, aut passionem: ergo, &c. *Impugnatur. Omnes formæ eiusdem susceptiui sunt eiusdem generis proximi.*

Omissa illa sententia, quæ dicit in corpore humano dari quandam materiam cælestem quintæ essentiæ, quam reliqui Doctores communiter reiiciunt.

16 *Responsio.* Respondent authores vltimò citati pro qualitate illa in corpore existente, & excludente omnem corruptiuam passionem, & actionem.

Illam qualitatem esse supernaturalem. Respŏdent, inquàm, argumentum hoc esse futile: quia illa qualitas est supernaturalis, & emanans in corpus ab ipsa anima beata, vt beata est beatitudine essentiali. Admittunt ergo argumentum rectè probare in formis naturalibus. Sed hi authores magis videntur inuoluere latibulum supernaturalitatis, quàm ex vero fundamento respondere. Admittunt omnes dotē esse supernaturalem: sed constituere dotem in tali forma, quæ sit materialis in corpore existens, eique coëxtensa, & inuehere genus formarum materialium supernaturalium, vel ipsi differunt nobis ex quo fundamento, vel qua necessitate id fiat? Quidquid enim sit de formis, quibus diuina instrumenta, vt sacramenta, secundùm sententiam grauium authorum, eleuantur ad efficiendum, rarum est adstrui formam materialem permanentem in solo genere formæ, cuius nullus alius sit vsus, quàm resistere actioni ab intrinseco, & ab extrinseco, eámque esse supernaturalem in genere, & satis meo videri, ipsa assertione obscurum, & liberum: quia neque ex effectu dotis, neque ex causis eius colligitur, & nullo fundamento inuehitur, nisi quia modi dicendi aliorum non p acent: quamuis meliùs multò fundentur: quod probo.

17 Primus modus dicendi, quo hic effectus refunditur in animam iuxta veriorem sententiam, & magis assertam D. Thomæ, habet fundamentum ex eo quòd ipsa anima beata sit forma per se constitutiua corporis: ergo ipsi magis debet adscribi hic effectus, quàm alij formæ materiali. *Hic effectus magis referri deberet in ipsam animã, quàm in aliquam aliam posteriorem.* Probatur consequentia: quia illa forma materialis non perfectiùs actuat subiectum, quàm ipsa anima: sed resistentia ad omnem actionem non habet nisi vt actuat immutabiliter corpus: ergo hic effectus magis conuenit animæ, quæ perfectiùs actuat, & independenter à forma illa posteriori, quæ si emanat, vt dicitur, ab anima beata, debet redundare in corpus ex perfecta actualitate, & actuatione animæ beatæ, vt est forma prior, & perfectior in genere actus, & perfectiùs vnita per vnionem substantialem independentem à posteriori, & sicut perfectiùs se habent ad corpus, vt forma substantialis superioris ordinis; ita ipsum magis perficere potest, & conseruare in suo temperamento naturali, quod supponit ex parte subiecti: nulla enim forma magis repugnat corruptiuo sui subiecti, quàm illa, quæ constituit per se subiectum substantialiter, & in perfectiori gradu essendi: *Forma constituens subiectum super se magis resistit corruptiuo.* ergo effectus hic supernaturalis, aut naturalis, vt volueris, magis debet tribui ipsi animæ, in qua est immediatè ipsa beatitudo, à qua dicitur emanare remotè hic effectus; quæ beatitudo immediatiùs respicit corpus mediante anima, quàm mediante illa forma: sic enim magis perfectè saluatur supernaturalitas effectus, quo immediatiùs se habet ad causam, & sic vlteriùs immediatior est influxus beatitudinis in corpus mediante forma constitutiua. *Impassibilitas in formã, perfectiorem reduci debet.* Item, effectus ipse quò perfectior est, debet magis attribui formæ perfectiori, si aliàs non repugnet per eam communicari talis effectus subiecto immediato: sed non repugnat animæ, quæ est forma corporis, licèt in se spiritualis sit, communicare effectum formalem corpori: ergo magis congruè dicitur sic communicare, quàm inuehetur superfluè alia forma in ordine ad eundem effectum. Magis prætereà est connaturale corpori conseruari mediante anima quoad omnes suas perfectiones connaturales, quàm per aliam formam, ad quam non dicit inclinationem naturalem; si ergo hic effectus posset prouenire ab vlla forma per modum formæ, magis refundendus esset in ipsam animam beatam, vt beata est, quàm in aliam formam.

Deinde, vt saluetur proprietas dotis, quasi ex beatitudine redundantis, dicitur illa forma emanare ab anima beata, vt beata est: Quæro an emanet physicè? Si sic, illa forma non est à Deo specialiter ad ipsam agente: quomodo ergo supernaturalis in substantia est? Deinde, quid magis congruit statuere influxum physicum animæ beatæ in suum corpus producendo illam formam, quàm statuere influxum eius etiam supernaturalem in corpus ipsum conseruando? Deinde, si sic emanat eo modo, quo calor: v. g. ab igne, non potest dicere ex sua ratione formali essendi maiorem immutabilitatem in *esse* respectu subiecti, quàm dicat principium, à quo emanat: imò necessitas essendi immutabiliter reducitur in necessitatem principij prioris, à quo emanat: ergo anima vt vnitur corpori immutabiliter, magis conseruat corpus à corruptione, quàm illa forma posterior, quæ immutabilitatem essendi participat ab anima, vt à causa priore: nequit enim anima immutabiliter se habere ad corpus, nisi hoc etiam immutabiliter se habeat ad animam. Superfluè ergo inuehitur alia forma in ordine ad illum effectum, modò talis sit, qui possit ab vlla forma prouenire, quæ nata sit inesse corpori. 18 *Quomodo illa qualitas emanat ab anima.* *Non est magis immutabilis.*

Ex quibus patet ratio Doctoris, quæ confirmatur contra dictam responsionem: ideò forma elementaris, aut mixti nequit tribuere hunc effectum corpori: quia nulla talis excludit à materia priuationem omnium formarum, cuius est capax, neque consequenter impedit virtutem causarum naturalium, siue intrinsecarum, siue etiam extrinsecarum, positis requisitis ad agendum; sed illa forma supernaturalis non tribuit omnem actum materiæ, aut subiecto, cui inest inclinatio passiua sub priuatione: ergo nequit tribuere impassibilitatem subiecto. Maior probatur: quia radix corruptibilitatis, & passionis, & actionis consistit in materia, vt est sub priuatione formæ, ad quam inclinatur: ideóque dum est in actu nequit mutari ad formam, quam actu habet: quia nihil agit, aut agere potest in sibi simile, aut æquale: & ad actionem supponitur priuatio, seu *non esse* termini: ergo à sensu contrario radix passionis est potentia priuata forma, ad quam inclinatur. 19 *Confirmatur.* *Non excludit à materia priuationem.* *Radix corruptibilitatis priuatio.*

Minor etiam probatur: quia illa forma sicut non includit in sua actualitate omnem formam, ad quam est potentia, & priuatio in materia, sic non tollit priuationem à materia, neque virtutem à causis effectiuis, quæ natæ sunt dare actum materiæ: ergo illa forma, inquantùm actuans est, non est nata reddere impassibilitatem materiæ in ordine ad alias formas compatibiles cum ipsa in materia: sed in materia compatibilis est forma opposita alicui priuationi: ergo, &c. Subsumptum patet: quia sicut potest compati cum calore in tali gradu temperamenti, potest compati cum eodem *Non includit in se reliquas formas.* *Non esse repugnantiam ad actionem ex illa forma.*

eodem in maiori gradu: quia ideò non posset, quia vel calor repugnat in maiori gradu corpori, vel certè repugnat ipsi formæ. Non primum, quia etiam corpus vt animatum potest habere gradum excedentem caloris, neque videtur illa forma etiam repugnare tali gradui: quia si repugnaret, etiam repugnaret omni gradui vt forma contraria.

Præterea, quamuis illa forma tolleret actionem corruptiuam sui, ex perfecta actualitate, non videtur ratio, cur excludat corruptionem alterius formæ, vel mutet naturam subiecti respectu eius, in quam nullam habet actionem, aut influxum.

Non tollit actionē corruptiuam alterius formæ. Dicere autem huic formæ secundùm suum *esse* supernaturale, & formale conuenire oppositum, nihil aliud est, quàm sub vmbra ignotæ supernaturalitatis, quæcunque libent asserere, aut negare: nam de formis supernaturalibus perinde verificatur limitatio, & species effectus, sicut de naturalibus.

20 Ad illud quod adducit Doctor ex Philosopho quòd omnes illæ formæ, quæ recipiuntur in proximo susceptiuo, sint eiusdem generis, &c. Ergo si aliæ formæ non prohibent passionem à subiecto, neque illa forma, quæ asseritur.

Responsio Capreoli. Respondet Capreolus quòd argumentum vim habet in formis naturalibus, non autem in iis, quarum aliquæ sunt naturales, aliæ supernaturales, qualis est illa forma: nam formæ naturales sunt in potentia naturali subiecti, supernaturales verò in obedientiali.

Impugnatio. Contrà, susceptiuum formæ illius est corpus mixtum, atque adeò immediatum susceptiuum, cui communicat suum effectum formalem, etiam secundùm aduersarios, aliàs per modum formæ non prohiberet passionem: ergo si ex immediato susceptiuo habent formæ vt sint eiusdem generis, quoad corruptibilitatem, illa erit corruptibilis.

Reducitur ad oppositum responsio. Deinde, responsio est ad oppositum: si illa forma adueniat præcisè susceptiuo inquantùm est in mera potentia obedientiali respectu eius; sequitur non dari actum nisi ipsi vt est in potentia obedientiali, & non in potentia naturali: ergo relinquit susceptiuum in sua potentia naturali ad alias formas naturales: ergo possibilis est actio in ordine ad ipsas: quia forma in tantùm impedit alias formas, à subiecto, inquantùm actuat subiectum secundùm potentiam subiecti: ergo actus huius formæ, si refertur ad subiectum præcisè, vt in potentia obedientiali; atque adeò si potentia naturalis, & obedientialis variant formas eiusdem susceptiui secundùm genus; ita similiter arguunt manere subiectum in illa potentia secundùm quam non actuatur.

21 Secundò impugnat Doctor illam sententiam: quia illa qualitas non repugnat aliis qualitatibus, (& tunc non prohibet omnem actionem, quia est eiusdem generis) aut non repugnat; & tunc non prohibet actionem alicuius earum in alteram: quia illæ sunt inter se contrariæ, & principia mutuò agendi, & ita nulli actioni earum repugnat.

Non repugnat qualitatibus subiecti.

Responsio. Respondet Capreolus illam qualitatem non repugnare aliis qualitatibus mixtis, aut elementaribus quibuscunque, quia compatitur in eodem subiecto; & negat consequentiam: quia possibile est vt forma non repugnans alteri impediat eius actionem.

Impugnatio. Contrà; ad impediendam actionem à subiecto debet aliqua repugnantia inesse, neque aliter concipi potest: quia impediens determinatè se habet ad oppositum actionis, aliàs non apparet vnde posset impedire.

Respondet Suarez illam qualitatem repugnare effectiuè, quatenus sua efficientia agit ad conseruationem qualitatum, & temperamenti subiecti, sicut patet in Angelo sistente locatum corpus in loco, contra alium inferiorem in virtute; & sicut ignis sua præsentia conseruat calorem à se productum. Hæc autem repugnantia effectiua non probat illam formam esse eiusdem generis. 22 *Responsio Suarez.*

Contrà, vt videtur supponere respondens, illa qualitas producitur ab anima beata: ergo magis congruit illam conseruationem effectiuam tribuere ipsi animæ, quàm prædictæ. Patet consequentia, quia eadem virtute, qua potest attingere illam qualitatem, siue instrumentaliter, siue principaliter, potest anima beata attingere ipsam conseruationem qualitatum; vel ostendatur repugnantia, & sic ablegatur superfluitas alterius principij differentis. *Impugnatur.*

Deinde, quòd neque ab illa qualitate, neque ab anima beata possit prouenire talis efficacia, probatur: quia illa conseruatio effectiua necessariò fit per influxum. Quæritur ergo quomodo hic influxus contingat: primò non est influxus in *esse* ipsarum qualitatum, quia sic à Deo solo producuntur in eo gradu temperamenti, & antequàm adueniat illa qualitas: idem autem influxus Dei est permanens ex fine particulari resuscitationis corporis semper in eodem statu permansuri, vt subiecti animæ beatæ, cuius beatitudo est permanens: manet etiam idem influxus Dei ex fine vniuersali, quo omnia pro eo statu mansura sunt sub quiete, & sine motu ad corruptionem. Ergo sicut sufficiens est ille influxus Dei ad primam productionem; ita etiam sufficiens erit ad conseruationem temperamenti secluso omni alio influxu, vt mox infrà dicetur: ergo sine tali qualitate haberi potest etiam ab intrinseco. Vnde, sequitur intentum, nempe superfluere illam qualitatem ad hunc effectum, & reliquos requisitos ad conseruationem temperamenti. Deinde, ille influxus si ponatur prohibens actionem intrinsecam, & extrinsecam corruptiuam, nequit etiam stare: quia influxus effectiuus hoc modo est per actionem contrariam, & productiuam alicuius formæ. Vel ergo in ipsum subiectum, vel in extrinsecum agens per modum cuiusdam reciprocæ actionis. Si primo modo, sequitur agens extrinsecum aliquid agere in subiectum, cui repugnat tam actio, quàm effectus actionis, quæ est per illam formam, in qua ponitur dos inquantùm est effectiua. Nequit autem concipi conseruatio effectiua nisi mediante actione, neque hæc, nisi vt relinquit post se terminum: terminus ergo talis actionis vel erit ipsum temperamentum vt immutatum: sed hoc non, quia, vt dictum est, correspondet sic soli diuinæ conseruationi, vt est ad ipsum: vel est aliquid additum: & hoc etiam non, quia sic actio agentis extrinseci ad corruptionem; v.g. caloris, tunc additum illud esset ad intensionem caloris temperamenti, & sic fieret in gradu excedente mediocritatem, quod est inconueniens, quod fugitur. Vel denique esset actio illi coniuncta procedens à virtute illius formæ, ita vt integret totalem actionem cum illa, quæ est caloris naturalis in corruptiuum extrinsecum, qua eius virtus actiua retardetur, aut refringatur. Vel certè tota actio est ab ipsa forma in

Non posse effectiuè conseruare temperamentū. *Conseruari à Deo temperamentum, & produci.* *Superfluitas illius qualitatis.* *Impugnatur illa efficacia formæ.* *Nihil producit.*

Non agit in extrinsecum corruptiuum. in agens extrinsecum: sed nihil horum dici potest: quia ille status, vt dixi, est expers actionis corruptiuæ, agere autem in aliud ad impediendam eius actionem, debet esse actio corruptiua suæ formæ, aut dispositionum connaturalium, & requisitarum ad actionem. Deinde, illa forma si sic agit, vel actiua est, deberet semper agere tam in extrinsecum, quàm in intrinsecum subiectum, cùm sit causa naturalis, & non libera, cuius actio non est in potestate beati. Nam si esset in potestate beati per imperium suæ voluntatis; perinde etiam minùs superfluè diceretur cum aliis, quòd tam agens intrinsecum, quàm extrinsecum corruptiuum esset in eius potestate, seclusa omni forma diuersa. Non videtur ergo conceptibile, quomodo illa forma actiuè conseruet temperamentum, cuius ipsa non est principium primum productiuum.

Probatio per exempla adducta. Declaratur per exempla allata: quia ignis non conseruat calorem productum à se, etiam existentem in termino sui gradus permanenter, nisi remouendo actionem contrariam, & agendo ad eius intentionem, si remittatur, vel agendo in contrarium corruptiuum ad refractionem suæ virtutis actiuæ. Dixi *calorem in termino productum:* quia detur talis in subiecto, quantùm est eius capax, tunc cessat motus ignis ad calorem producendum. Tunc ergo quomodo conseruatur ab igne, nisi altero ex dictis modis: cùm aliàs actio productiua ignis cesset producto calore in termino, & secundùm capacitatem subiecti. Vel aliàs si subiectum est capax vlterioris gradus, tunc ignis non conseruat propriè, sed intendit calorem productum. Idem patet de Angelo fortioris virtutis ad sistendum corpus in loco, cõtra eum, qui est remissioris virtutis: quia id facit per impulsum contrarium sistendo corpus, qui præualet impulsui alterius in idem corpus: ergo si exempla sunt ad propositum, eodem modo se habet virtus effectiua illius qualitatis per actionem aliquam contrariam modo dicto.

Exemplum de igne conseruante calorem.

Exemplum de Angelo conseruante corpus in loco.

23 *Alia impugnatio eiusdem responsionis.* *Nullum creatum includit in sua virtute formas contrarias.* Præterea impugnatur præmissa responsio: quia nullum agens creatum potest primò, & per se includere in sua virtute formas contrarias, aut æquè primò agere simul ad formas contrarias: hoc enim soli agenti primo competit, cuius virtus non est limitata, neque Philosophi talem efficaciam concederent causis vniuersalibus, aut particularibus in natura: quamuis enim Sol per suum calorem agat ad condensationem v.g. luti, & ad rarefactionem glaciei, vniformiter tamen agit producendo calorem in vtroque, qui & exsiccat humorem in vna materia, & expellit frigus condensans in altera, & non agit ad formas contrarias: ergo non est conueniens hanc nouam difficultatem ingerere huic mysterio sine vlla necessitate. Sed ita ingeritur, quia illa forma vt habeat effectum prætensum effectiuè conseruandi illas qualitates contrarias mixti, necessariò includeret æquè primò contraria in sua virtute, & ageret æquè primò ad contraria. Imò quod amplius est, in sua efficacia includeret virtutem corruptiuam omnis formæ, quæ incompatibilis esset illis qualitatibus; quod non videtur fundatè dictum, neque enim coniecturis inhærere licet, quæ non possunt probari, & inducunt grauiores difficultates.

Illa forma prætensa sic includeret formas contrarias.

24 *Responsio aliorum.* *Illam formã esse contrariã materialiter.* Respondet aliter Lusitanus, illam qualitatem non esse oppositam aliis formaliter oppositione contraria formæ ad formam, qualis est inter calorem, & frigus: sed oppositione materiali, qua reddit corpus gloriosum incapax omnis formæ: sicut forma cæli ita repugnat omnibus aliis in eadem materia, & sicut qualitates cælestes eo quòd contrarium non habent, repugnant qualitatibus inferiorum corporum, & reddunt corpora cælestia incapacia earum: sic etiam opacitas corporis repugnat materialiter lumini, & speciebus visibilibus, quæ non habent contraria.

Impugnatio. Contrà. Hæc responsio videtur magis Philosophica, & talem etiam incorruptibilitatem videtur admittere Doctor *in 2.d.14.quæst.* 1. quamuis hanc incorruptibilitatem magis reducat ad priuationem virtutis actiuæ creatæ, quæ nequit agere ad corruptionem. Cæterùm dato quòd in cælo sit materia eiusdem rationis cum sublunaribus: ideò nequit corrumpi eius forma, quia nequit agens sublunare agere nisi primùm alterando subiectum, & corrumpendo eius accidentia connaturalia, ipsum sibi assimilando, & producendo accidentia propria in subiecto. Cælum autem nequit esse capax accidentis corporis mixti, aut elementaris: ideò hæc nequeunt agere ad corruptionem eius. Sed in proposito non rectè quadrat, quia & corpus gloriosum est capax qualitatum contrariarum, & cum illis compatibilis est illa forma ab intrinseco tam subiecti, quàm formæ: quia supponit qualitates contrarias, & mixtionem corporis, quæ sine talibus qualitatibus nequit esse: ergo sicut forma non repugnat materialiter illis contrariis, sic neque his in gradu corruptionis, & excedenti potest repugnare: quia non tollit capacitatẽ ex parte subiecti ad eas formas, quæ de facto insunt: ergo neque ad eas in gradu excedente: quia est eadem capacitas; in cælo autem nulla est capacitas passiua ad qualitates mixti, aut elementares, quæ si esset, cælum esset etiam corruptibile ex hac parte. In corpore etiam opaco nulla est capacitas luminis, aut specierum, quæ tantùm inesse possunt corpori diaphano, quà diaphanum est. Ideò instantia non tollit difficultatem.

Cur forma cæli sit incorruptibilis.

Cælum nõ est capax accidentis corruptibilis.

Plura alia argumenta contra prædictam sententiam adducunt posteriores Theologi: sed reducuntur ad difficultates iam motas ex Doctore, ideóque breuitatis gratia illas omittimus. Argumentum etiam quod pro tertia opinione adducitur, quo reducitur impassibilitas in cessationem motus cæli, à quo dependent motus sublunares, alibi suprà tractauimus, de cessatione motuum cælestium, & huius cessationis effectu, rectè impugnatur à Doctore in litera, cui obiicit articulum Parisiensem, & rationem aliàs tractatam. Fundamenta oppositæ sententiæ infrà soluentur.

SCHOLIVM

SCHOLIVM.

Sententia Doctoris, impassibilitatem oriri ex manutenentia Dei, non permittentis vt ab aliquo lædantur, vel corrumpantur corpora gloriosa, sicut non permisit pueros lædi ab igne Babylonico: ita Durand. hîc quæst. 5. & dist. 44. quæst. 4. Soto hîc q. 4. & tribuit D. Thom. in add. quæst. 83. art. 1. & videtur expresse Aug. ep. 146. Mouet tria argumenta in contrarium, & soluit optimè.

9 [h] DIco ergo quòd causa impassibilitatis est voluntas diuina non coagens causæ secundæ corruptiuæ, & per hoc, est illud impassibile, non potentia remota, sed propinqua: non à causa intrinseca, sed extrinseca impediente, sicut dictum est de impeccabilitate *suprà dist. ista, quæstione de securitate*: exemplum huius de igne in camino, qui non egit ad consumptionem trium puerorum, non quidem per aliquam impassibilitatem intrinsecam pueris, nec ex carentia potentiæ passiuæ, nec ex contrario intrinseco impediente: sed quia Deus ex voluntate sua non cooperatur ad illam actionem. *quæst. 6.*

Contra hoc, tunc impassibilitas non esset dos corporis beati, quia dos est aliquid intrinsecum ei, cuius est: istud autem Deum velle prohibere causas secundas, ne corrumpant, non est aliquid intrinsecum isti; consequens est falsum, quia videtur contra auctoritatem Augustini ad Dioscor. *suprà* adductam.

Præterea, secundùm illam positionem æquè erit dos impassibilitatis in elementis, sicut in corpore Petri: æquè etiam in corporibus damnatorum, quia tam elementa, quàm corpora damnatorum præseruabuntur tunc à corruptione. Præterea tertiò, tunc videtur esse miraculum in illa præseruatione, sicut fuit in custodiendo tres pueros à læsione: non videtur autem quòd opera perpetua diuina sint miraculosa iuxta illud Aug. de Ciuit. *Sic Deus res, quas condidit administrat, vt eas agere proprios motus sinat.* *Lib. 3. c. 10.*

10 Ad primum illorum, benè potest dos non inesse realiter personæ dotatæ, sicut sponsæ, non inest illud quod sibi datum est à sponso, quod consueuit aliquando dici dos, sicut habetur *Gen. 34.* vbi ait Sichen, Iacob & filiis eius, *Augete dotem, & munera postulate.* Etiamsi dos dicatur illud, quod datur à patre sponsæ, sponso quidem quantùm ad vsum, sed remanet penes sponsam proprietas, sicut nunc vsitatè dicitur dos; patet quòd illud non inest realiter nec sponsæ, nec sponso: sed tantummodò aliquo modo habitum ratione nuptiarum: & ita ratione nuptiarum spiritualium consummandarum in resurrectione dabitur cuicunque beato pro dote, ista assistentia diuina præseruans ipsum ab omni corruptiuo, licèt illa custodia non insit realiter ipsi custodito. *Dos nõ necessariò insit personæ dotatæ.*

Aliter potest dici quòd sicut dotatus habet ius in illo, quod assignatur sibi pro dote; ita hîc beatus ex meritis habet ius in ista diuina custodia sibi impendenda: & istud ius præseruationis corporis ab omni corruptiuo per diuinam custodiam est dos in beato, & secundùm corpus, quia est ad tutelam corporis. *Quid est dos impassibilitatis?*

Ad aliud, patet ex hoc, quia nec elementa habent ius, vt præseruentur à corruptione, nec corpora damnatorum: imò illa præseruantur ad afflictionem propter demerita præcedentia; ista autem propter merita præterita habent ius istud: & hoc ad commodum illorum corporum: & secundùm hoc potest dici ad illam auctoritatem Augustini allegatam, quòd illa sanitas, & vigor deriuatur ab anima in corpus, quia est quædam ordinabilitas vt conseruetur, & vigor, & sanitas à Deo: & ille ordo est corporis, vt præseruetur ex hoc, quòd est animatum tali anima; quæ anima fuit principium merendi talem sanitatem conseruari à Deo suo corpori; ita quòd nihil aliud est dicere illam incorruptionem deriuari ab anima in corpus, quàm quòd istud præmium, id est, sanitas conseruata, est præmium incorruptibilis corporis, mediante anima, quæ sicut erat principalior in merendo, ita principaliùs in natura præmiatur. *Incorruptibilitas damnatorum quare non est dos. Quomodo dotes deriuantur ab anima in corpus.*

11 [k] Ad tertium dico, quòd magis naturale est coagere corpori beati ad conseruationem eius, contra contrarium corrumpens, quàm coagere contrario in corrumpendo: quia causa superior perfectiùs agit cum secunda perfectiori: & licèt hoc nunc esset miraculum de corpore alicuius iusti, quia nunc est tempus mutationis, & actionis mutuæ in corporibus: tamen tunc erit status quietis, & immutationis in corporibus. & pro tunc erit naturale, siue consuetum secundùm communem concursum, quòd agat ad quietem, sicut nunc ad motum. *Impassibilitas an erit miraculosa.*

Soluit rationes pro tribus sententiis refutatis positas à n. 6.

1 Ad rationes pro tribus positionibus illis. Ad primam de dominio animæ super corpus, respondeo, Deus tunc non faciet voluntatem animæ omnipotentem, & ideò nec potentem facere quicquid volet fieri, sed sufficit sibi quòd quicquid volet fieri, fiet: & sic corpus suum perfectè subdetur voluntati suæ, hoc est, erit sicut volet, sicut ipsa subditur Deo; sed ipsa subditio corporis sui erit effectiuè à voluntate diuina. Ad rationem pro secunda, dictum est quomodo intelligitur Augustinus de illa dote quòd est ius quoddam in corpore, inquantùm est animatum tali anima ad talem præseruationem passiuam ab omni corruptione.

Quam primitatē habet motus cæli respectu aliorum motuum.

Ad tertium, concedo quòd motus cæli habet aliquam primitatem ad alios, vtpote vniformitatis, & velocitatis, sed non primitatem causalitatis, nisi inquantùm adducit generans, quod est per accidens, sicut motus ignis ad lignum haberet primitatem ad combustionem ligni, sine tali autem primo benè potest esse posterius, si aliquis suppleat vicem talis primi.

COMMENTARIVS.

16 *Cōclusio Doctoris hanc impassibilitatem esse radicaliter à voluntate diuina.*

Dico [h] *ergo quòd causa impassibilitatis*, &c. Proponit conclusionem propriam, nempe impassibilitatem corporis gloriosi esse ex diuina voluntate non coagente causæ secundæ corruptiuæ, sicut suprà dixit permanentiam beatitudinis esse ex diuina voluntate permanenter agente ad eius conseruationem. Eum sequuntur Tartaretus, & reliqui nostræ scholæ hîc. Ouandus *propositione* 14. Angles *in suis floribus art.* 5. *difficultate* 1. *concl.* 2. Nicolaus de Nisa *tract.* 7. *part.* 3. *portione* 3. *quæst.* 2. *concl.* 3. & reliqui *in hac dist.* Maior. *quæst.* 17. Durandus *quæst.* 4. Gabriel. *quæst.* 2. *art.* 2. *conclus.* 5. 6. 7. Probabilem docet Salas 1. 2. *tract.* 2. *disput.* 14. Palacius *dist.* 44. *disp.* 2. Fundamentum conclusionis sumitur ex dictis: quia hic modus est facilior, & saluat quidquid per se requiritur ad dotem hanc impassibilitatis, & subsistit ad perfectiorem causam, magísque connaturalem, & minorem inuoluit repugnantiam: ergo cæteris est præferendus. Antecedens probatur quòd sit facilior patet ex dictis: & quia omnes concedunt nullam inuoluere repugnantiam: quia Deus hoc modo potest tribuere impassibilitatem proximam, sicut in camino ignis tribus pueris tribuit impassibilitatem, & pluribus etiam Martyribus, vt legitur in actis suæ confessionis, quibus ignis, & alia tormenta non nocuerunt. Quod autem aliqui affirmant per formam illam infusam concessam fuisse impassibilitatem pueris in fornace, nullo fundamento asseritur, maximè si dicatur illa forma fluere ex beatitudine animæ, tanquam effectus eius. Beatitudo autem non fuit collata pueris: ergo neque aliqua forma per se sequens beatitudinem, nisi dicatur Deum aliter non posse tribuere talem impassibilitatem nisi mediante illa forma, quod nequit dici. Probatur etiam antecedens quoad secundum membrum: quia dato quòd impassibilitas conueniat corpori glorioso ex radice beatitudinis, & ex meritis, & sit intrinseca, & supernaturalis, saluatur totum requisitum ad dotem: quod autem hic modus saluet totum hoc collectiuè probatur: primò, competit ei ex radice beatitudinis, tum quia impassibilitas tribuitur corpori propter beatitudinem, & vt aptetur tanquam subiectum idoneum animæ beatæ, atque ipsi debitum: impassibilitas autem tollens passionem contrariam, & corruptiuam corporis, & dolorem consequentem quod debetur beatitudini permanenti, & ad finem beatitudinis ordinatur; vnde autem, & à quanam causa physica oriatur hæc impassibilitas, per accidens est, modò sequatur ad beatitudinem: quia illa forma, quam statuunt alij, non habet rationem dotis, aut perfectionis, quæ ad propositum facit, nisi vt effectiuè, aut formaliter, aut, vt alij volunt, materialiter expellit omnem passionem, & per hoc tribuat impassibilitatem: ergo vndecunque insit impassibilitas intrinsecè corpori, perinde est, modò saluetur effectus prætensus, & saluetur dos, vt inhæreat corpori per modum subiecti, reddens ipsum incapax passionis. Quòd etiam ex meritis tribuatur hæc impassibilitas, satis per se constat. Quòd sit etiam supernaturalis perinde constat: quia à nullo agente creato haberi potest viribus naturæ, neque ab Agente primo, nisi vt supra vires naturæ agit specialiter. Quod tertium est in illo antecedente, nempe impassibilitatem subsistere ad perfectiorem causam, & magis connaturalem, probatur: quia causa impassibilitatis, vt assignatur per formam intrinsecam, reddit causam omnino dubiam, & non probatam; &, vt nos putamus, inuoluentem repugnantiam ad hunc effectum. Quòd sit dubia, satis patet ex variis modis philosophandi aduersariorum: quorum aliqui putant suum effectum ei conuenire efficienter, alij formaliter, alij materialiter tantùm, & quilibet ex his modis inuoluit suam difficultatem. Deinde, deficit in probatione, quæ neque est ostensiua, neque satis firma. Sed conclusio certæ fidei, vt declaratur per rationem, non debet subsistere ad causam dubiam, & incertam.

Probatio.

Quòd hac via sit possibilis & facilior.

Saluat quidquid competit doti.

Competit ei quòd sit ex radice beatitudinis.

Non refert vnde sit impassibilitas physicè, modò sit ex beatitudine.

Est ex meritis, & supernaturalis.

Impassibilitas vt est immediatè à Deo, subsistit ad perfectiorē causam.

Causa ab aliis assignata est dubia, & difficilis.

17 *Causa certa & sufficiens impassibilitatis.*

Econtra, refundendo hanc impassibilitatem in primam causam, nihil incerti inuoluit apud Theologos, qui perfectam rationem omnipotentiæ in Deo statuunt, per quam potest agere ad conseruationem effectus, à se producti vniformiter, & immutabiliter, & suspendere concursum necessarium, & requisitum ex parte causæ corruptiuæ effectus, & perinde necessariò sequitur impassibilitas, & incorruptio eius: ergo hoc statuendo, veritas hæc subsistit ad certiorem, & perfectiorem causam.

18 *Impassibilitas vt est à Deo immediatè est magis connaturalis.*

Quòd verò sit magis connaturalis etiam effectui, probatur: quia magis connaturale est effectui conseruari ab ea causa, à qua solùm produci potest, & de facto producitur, vt ab ea recipiat conseruationem, à qua & ipsum *esse*; sed à solo Deo corpus fuit formatum, & reductum ad temperamentum requisitum ad animam beatam, ne in sua beatitudine retardetur ab aliquo impedimento ex parte corporis: ergo sic ipsi est magis connaturale, vt tam beatitudo, quàm perfectio accessoria

Conseruatio effectus perfectiùs habetur à causa productiua.

accessoria, quam à Deo producente recepit immediatè agente, ab eodem etiam conseruetur. Deinde, hic ipse effectus videtur ex dictis necessariò exigere virtutem, & influxum solius Dei, vt complete habeatur, & in perfecto gradu: quia ipsi soli subiecta est causa tam intrinseca, quàm extrinseca corruptiua corporis, sicut & ipsum corpus gloriosum quoad se, & quoad temperamentum, in quo producitur ad effectum perfectæ beatitudinis à solo Deo, & supponitur formæ prætensæ, si daretur. Deinde, quidquid sit de potentiis rationalibus, quibus ex modo, quo ipsæ influunt in suam beatitudinem, magis connaturale est eleuari per habitum, vt formam permanentem, qua possit attingere obiectum, eliciendo ipsam operationem, in qua consistit beatitudo illarum; corpus gloriosum non exigit connaturali debito proximè, aut remotè talem qualitatem, per quam redderetur impassibile: quia si illa qualitas hoc munus præstet effectiuè, nulla est virtus naturalis, etiam inchoata, in corpore, quæ ad eundem effectum aliquo modo ordinetur: imò magis ex principiis intrinsecis ordinatur ad contrarium.

Illa qualitas non debetur corpori.

19 Quòd si dicatur illa qualitas formaliter, aut materialiter præstare illud munus; nequit ostendi connaturalitas vlla in corpore in ordine ad ipsam: ergo magis connaturale est corpori recipere hunc effectum à Deo causa efficiente, cui perfectè subditur quoad *esse*, & conseruationem, quàm ab illa forma, ad quam nullum dicit ordinem per se, & essentialem in ratione entis, aut effectus. Deinde, illa impassibilitas est perfectior, aut completior, vt prouenire potest à Deo, quàm vt præstari posset à forma, quia impassibilitas, in quantùm dicit aliquid positiuum perfectiùs habetur per conseruationem permanentem Dei, seu actionem continuatam, qua produxit corpus in tali temperamento, & ad finem etiam perpetuandi corpus in illo eodem *esse*; quæ actio est identificata termino; ac proinde ipsi magis intrinseca, quàm actio quæcunque proueniens à forma accidentali: actio autem illa Dei permanens superat ab intrinseco omne corruptiuum corporis: quia causa superiore perfectè, & in actu secundo determinata ad effectum, nulla virtus inferior potest agere ad eius corruptionem, & hoc ipso quòd Deus determinatè semper agat, ad conseruationem effectus in *esse*, suspenditur omnis concursus eius ad corruptionem talis effectus, necessarius; sine quo concursu nulla causa secunda est in potestate proxima ad agendum in subiectum: sic ergo influxus ille Dei intrinsecus & identificatus effectui realiter dat causam formalem positiuam, & intrinsecam impassibilitatis, atque adeò magis per se, quàm forma accidentalis, dat ex consequenti causam priuatiuam, qua hæc actio suspendit ex natura sua, & prout procedit à diuina voluntate omnem actionem causæ corruptiuæ, & concursum ad eam, & sic tollit potentiam proximam causæ secundæ ad corruptionem corporis gloriosi, ergo perfectiùs, & completiùs habetur impassibilitas ex vi huius actionis, quàm per formam prætensam, quæ sicut non includit virtutem causæ creatæ corruptiuæ, sic non subigit eius actionem, nisi vel merè resistendo, vel reagendo ad oppositum: tollere autem passionem in causa, & effectu magis repugnat passioni, quàm tollere eam in solo effectu.

Nullus est per se ordo corporis ad ipsam.

Impassibilitas est completior vt est à Deo.

Actio Dei magis intrinseca termino.

Determinatio causæ superioris præualet causæ inferiori.

Actio Dei positiuè, & priuatiuè dat completam causam impassibilitatis.

Per eam habetur maior impassibilitas.

20 Quòd etiam sic se habeat actio Dei conseruatiua respectu corporis gloriosi, facilè potest intelligi ex fine beatitudinis speciali, quo aptatur ipsi corpus semper permanens in eodem temperamento, quod producitur ad semper permanendum: si ergo ex natura actionis potest habere talem permanentiam, non exigitur alia causa diuersa. Accedit prætereà quòd ex fine vniuersalitalis status sequatur etiam suspensio actionis corruptiuæ: nam ille status est quietis: hæc autem prouenit non ex forma intrinseca rebus creatis, sed à solo diuino concursu: dos autem peculiaris impassibilitatis in corpore glorioso debet per idem seruata proportione constitui: ergo in productione eius in tali temperamento, & conseruatione. Vnde, priores modi dicendi suprà enumerati, qui hanc impassibilitatem reducunt in statum temperamenti, & conseruationem eius, vel ab anima, vel ab alia forma effectiuè, faciliùs saluarent dotem hoc modo, quàm aliter.

Actionē productiuā corporis à Deo continuari.

Cōgruit prouidentia illius status.

Dices, Doctor reducit impassibilitatem in causam extrinsecam, nempe Deum non coagentem ad corruptionem: ergo non rectè reducitur in aliquam causam intrinsecam.

Obiectio.

Respondetur Doctorem reducere in causam extrinsecam effectiuam illam impassibilitatem: tamen supponit id, quod iam declaratum est, nempe actionem Dei conseruatiuam intrinsecam effectui: quia instantia, quam adducit de securitate beatitudinis, hoc ipsum inuoluit, sicut ipse declarat *quæstione 6. suprà allegata*: quia permanentiam beatitudinis reducit in perpetuum Dei influxum, & semper permanentem. Idem supponit in præsenti: quia suspensio diuini concursus ad corruptionem corporis gloriosi supponit ipsum productum, & conseruatum; explicat autem Doctor conclusionem per illud, quòd sequitur talem influxum: & quod est priuatiuum: quia ipsa impassibilitas sonat priuationem passionis recipiendæ à causa.

Solutio.

i *Contra hoc tunc impassibilitas*, &c. Obiicit contra conclusionem, quòd tunc dos non esset aliquid intrinsecum corpori glorioso. Secundò, quia illa assistentia etiam erit in elementis in damnatis, & aliis corporibus: ergo non erit aliqua dos specialis corporis gloriosi. Tertiò multiplicantur miracula, quia erit contra prouidentiam, qua regit vniuersum: quia vt dicit Augustinus: *sic Deus res quas condidit, administrat, vt eas agere proprios motus sinat*, &c. de ciuitat. libr. 3, cap. 3. 21

Triplex obiectio.

Respondet ad primum, dotem non inesse sponsæ, siue accipiatur pro dote propter nuptias recepta à sponso: vel pro dote ad alimenta recepta à patre, licèt ius ad dotem sit intrinsecum. Respondet ergo quòd sicut dotatus habet ab intrinseco ius ad dotem: sic beatus ex meritis habet ius ad protectionem illam diuinam, qua præseruetur ab omni corruptiuo, & illud ius est dos intrinseca.

Ad primum.

Ius ex meritis intrinsecū beato ad impassibilitatē.

Explicari potest, quòd hoc ius sit duplex, nempe morale ex meritis, & hoc explicat Doctor: Physicum ex ipsa beatitudine perfecta, quo exigitur corpus tale, & temperatum ex natura beatitudinis, vt est permanens, & immutabilis. Hæc trahit secum exigentiam impassibilitatis. Dos ergo in recto potest constitui in debito vtroque ad *benè esse* beati, cuius vsus consistit in ipsa conseruatione actuali corporis tam intrinseca, quàm extrinseca: quod est bonum, ad quod fundatur ius tam morale, quàm naturale: sumendo

Debitum physicum & morale non impassibilitatis.

Dos consistit in vtroque iure. sumendo ergo dotem, vt comprehendit tam ius, quàm etiam præseruationem illam ex iure, potest dici dos; & sic non solùm includit intrinsecum bonum conseruationis, & iuris, sed etiam extrinsecam priuationem, qua tollitur causa quæcunquæ corruptiua, vt non sit potens proximè ad corruptionem. Hoc modo non præseruantur elementa ex debito proprio; sed ad statum, & integritatem vniuersi, neque etiam corpora damnatorum: quæ non habent præseruationem à pœna, & dolore; neque ex fine debiti, aut iuris acquisiti sibi: sed ex fine iustitiæ diuinæ manifestandæ, & consequenter in pœnam, & passionem debitam.

22 *Soluitur fundamentum opposita sententia.* Ex hoc soluitur fundamentum sententiæ oppositæ, quod potissimum est ex eo quòd dos sit aliquid intrinsecum. Admittimus enim esse intrinsecum quoad ius, & omnem positiuum vsum iuris, nempe ipsam conseruationem in effectu, per actionem diuinam, quæ transit in terminum: quoad verò priuatiuum, quod infert in ordine ad extrinsecum, non inest, quia illa assistentia Dei, qua suspendet actionem extrinseci, aut intrinseci corruptiui, respicit immediatè virtutem causarum, quoad hoc suspensam.

August. Explicatur prætereà authoritas Augustini ad Dioscorum epistola 56. *Tam potenti*, inquit, *natura Deus fecit animam, vt ex eius plenissima beatitudine, qua in fine temporum sanctis promittitur, redundet etiam in inferiorem naturam, quod est corpus, non beatitudo, qua fruentis, & intelligentis est propria, sed plenitudo sanitatis, id est, incorruptionis vigor*, &c. *Declaratur.* Quam authoritatẽ rectè declarat Doctor, nẽpe vigorem, & sanitatem dari corpori mediante anima, & tanquàm præmium laborum, & quia tali anima beata est animatum, quæ ipsam sanitatem, quæ versatur in temperamento, exigit in subiecto, quamuis à Deo tale temperamentum immediatè recipit, vt omnes concedunt, & non ab anima, aut eius beatitudine tanquàm à causa physica: *Dos ex beatitudine redundat in corpus.* anima enim ante sui vnionem supponit corpus sic aptatũ: quia tamen in ordine ad animã, & propter ipsam datur, vt finem, & propter merita, quæ in corpore habuit, ideò dicitur redundare ab anima tanquam finali causa scilicet, & meritoria.

23 Hinc etiam vigor excludens corruptionem eodem modo redundat ex anima, vt *suprà* explicatum est: qui vigor est quidem intrinsecus corpori animato per sui conseruationem in dicto temperamento, ex quo proximè ipse vigor, & sanitas est, excludens corruptionem, siue per intrinsecum, siue per extrinsecum agens. Hanc etiam incorruptionem corporum tribuit idem *epistola* 146. *ad Cosentium*, diuinæ virtuti, quæ *Tribuit hunc effectum diuina virtuti.* præseruauit vestimenta, & calceamenta Iudæorum incorrupta quadraginta annis in deserto, & tres pueros in camino ignis. Frustrà autem aliqui ex hoc vltimo loco contendunt Augustinum patronum facere prioris sententiæ: nam Augustinus nihil aliud intendit, quàm incorruptibilitatem corporum possibilem esse à Deo siue extrinsecam suspensionem corruptiui, siue per intrinsecam conseruationem ex parte corporis. *Valet igitur diuina potentia*, inquit, *de ista visibili, atque tractabili natura corporum, quibusdam manentibus, auferre, quas voluerit qualitates: ac per hoc valet etiam membra mortalia forma lineamentis manentibus, corruptione verò mortalitatis emortua, stabili vigore firmare, vt absit labes; adsit effigies: adsit motio, absit fatigatio; adsit vescendi potestas, absit esuriendi necessitas*, &c. *August.* Hæc conclusio Augustini est ex præmissis, illúdque tantùm intendit, quod prædictum est, nempe potentiam diuinam posse, & ab intrinseco conseruare firmitatem, & vigorem corporis gloriosi, & ab extrinseco remouere corruptionem, suspendendo actionem corruptiui, conseruando vigorem, & temperamentum corporis in eo statu, quo ipsum reparauit, eíque vniuit animam beatam. *Declaratur.*

[k] *Ad tertium*, &c. Respondet ad tertiam obiectionem præmissam, qua dicitur multiplicari miracula, si Deus non concurrat cum causis naturalibus iuxta virtutem earum innatam. Respondet Doctor esse connaturale prouidentiæ ordinariæ status quietis, in quo res omnes deductæ sunt in terminum sui motus, & quietis, non coagere causis corruptiuis: nam stabilis quies naturæ peruenientis ad suum finem id exigit, vt media per motum, & corruptionem, quæ sunt ad finem cessent fine iam acquisito, qui perfectè acquiritur homine, ad quam cætera ordinantur constituto in termino suæ peregrinationis, Deíque misericordia, & iustitia sufficienter declarata per finalem sententiam. 24 *Ad 3. obiect.* *Prouidentia status immortalis.*

[l] *Ad rationes pro tribus positionibus illis*, &c. Hæ positiones sunt illæ, quæ reducunt impassibilitatem in animam beatam, & eius voluntatem, vel in cessationem motus cæli. Respondet ad primum, quod est ex dominio voluntatis beatæ animæ in suum corpus, dicit quòd sicut illa voluntas non habebit omnipotentiam Creatoris, sic etiam ex proprio imperio non poterit subdere causas naturales, quæ dependent tantùm à suo creatore, aut destruere ex efficacia sua physica ordinem earum ad subiectum aliàs capax passionis, vt nata est esse ab illis: sufficit ergo vt ex assistentia perpetua Dei sic subdatur corpus animæ, vt illud fiat circa corpus, quod ipsa anima vult. Ad locũm Augustini ad Dioscorum, iam responsum est. Ad tertium, quod fuit de motus cæli cessatione, patet ex litera, & ex impugnatione eius aliàs subiecta in corpore. 25 *Ad rationes oppositarum opinionum.*

SCHOLIVM.

Circa solut. secundi docet quòd beati habebunt illas sensationes, qui nihil habent imperfectionis comitantis; de visu docent August 22. ciuit. 30. Chrysost. epist. 5. ad Theodorum, Greg. 8. mor. 27. aliàs 31. qui etiam dicunt videre beatos vsque ad interna viscera, aliorum corpora; & in hac visione, prout ad Christi corpus terminatur, præcipuam corporis beatitudinem consistere, docent Cyprian. serm. de Natiuit. Christi. & August. de Spir. & anima. cap. 4. & in manual. cap. 26. de auditu idem tenent communiter Theologi cum Doctore hîc, & D. Thom. dist. 44. quæst. 2. art. 2. & constat ex conuersatione Christi post resurre

resurrectionem cum Apostolis, docet August. in id Psalm. 149. exultabunt sancti. Laurent. Iust. de discipl. & perfect. Mon. cap. 23. licèt D. Bonauent. hîc ar. 3. quæst. 1. dubitet, de odoratus nihil est certum; tamen August. seu auctor lib. de spir. & anima cap. 58. idem asscrit, quod de visu & auditu, cúmque constet corpora varia Sanctorum sepulta, suauem odorem sæpiùs emisisse, id concedendum est corporibus gloriosis, de gustu Doctor hîc dubitat, & de tactu non loquitur: tamen actus horum competere beatis tenent Anselm. de similit. cap. 57. & Laurent. Iust. de disciplina & perfect. Monast. cap. 23. & colligitur ex Prospero, lib. 1. de vita contempl. cap 4. Ad tertium, quod ait esse simpliciter naturale, quòd aqua sit sursum, nè detur vacuum, intelligit esse naturale respectu vniuersi, non respectu aquæ, vt constat ex ratione, quam subdit, & intento solutionis, & quia 3. dist. 27. num. 13. expressè docet aquam non inclinari sursum, nè detur vacuum, quia eius forma est naturalis determinata ad deorsum: per hoc facilè concorda apparentem contradictionem inter hæc duo loca.

12 m AD rationes principales. Ad primam, si concedatur auctoritas Gregorij, quæ tamen non videtur necessaria; quare enim non posset palpari cælum à digito ibi existente, hoc modo intelligendo palpationem, quòd illud corpus subtiliter resisteret tactui; licèt non immutando per aliquam qualitatem sensibilem sibi derelictam, vtpote, nec vt durum, nec vt molle, nec vt calidum, nec vt frigidum, &c. quod autem palpatur secundùm aliquam qualitatem sensibilem immutando tactum, benè est corruptibile, sibi derelictum: & ita non plus sequitur, nisi quòd illud corpus, si non præseruaretur à Deo, esset passibile passione corruptiua. *Ad arg. 1. Incorruptibile potest palpari & tangi, non realiter, sed intentionaliter.*

n Ad secundum dicitur, quòd omnes sensus beati erunt in actu suo. Ratio est ad hoc, quia quælibet sensatio est propria perfectio sensitiui. Tamen non video necessitatem, quòd sensus pertinentes ad nutritionem tunc sint in actibus suis: cùm tunc nutritio non sit necessaria, quia non erit corpus animale, id est, indigens alimentis. Aliqui tamen benè possunt poni in actibus suis, quorum actus non requirunt imperfectionem concomitantem, sicut visus, & auditus, qui sunt magis spirituales: de visu nullus dubitat, nec de auditu, si est ibi sonus, & possibilis multiplicari, & immutare auditum. *D. Thom. in 4. d. 44. art. 2. Rich. dist. præs. art. 4. q. 3.*

13 Cùm arguitur, quòd talis immutatio non est sine immutatione reali corruptiua; nego, quia aliquando est maior immutatio intentionalis, & minor realis, & è conuerso, vt dictum est aliàs *in isto 4. dist. 44. quæst. 3.*

Ad probationem, *excellens sensibile*, &c. concedo quòd nunc concurrunt illæ duæ immutationes simul, quia actiuum est potens agere vtraque actione, & passiuum vel idem, vel coniunctim est, vel receptiuum vtriusque actionis, & ideò nunc vtraque actio simul est in eodem passo, vel in vtroque passo, similiter coniuncto; licèt quandoque vna maior, & alia minor, secundùm dispositionem passi ad hanc, vel illam: tunc autem non præseruabit Deus organa sensuum ab vna passione eorum, quia non est ad perfectionem eorum sic præseruari: præseruabit autem totum corpus ab alia actione, quia hoc est ad benè esse, quod corpus meruit mediante anima, vel anima ipsi corpori, vel totum ipsi corpori principaliùs per animam. *Excellens sensibile quare corrumpit sensum, & qua immutatione.*

o Ad tertium, si negatur elementa esse realiter in mixto; patet responsio. Si autem non negatur, dico quòd illud est simpliciter violentum, quod opponitur simpliciter naturali, & magis violentum quod opponitur perfectiori naturali, & minùs quòd minùs naturali. Exemplum, aquam esse sursum, vt saluetur plenum in vniuerso, non est simpliciter violentum, imò si tunc descenderet relicto vacuo superiùs esset simpliciter violentum, & secundùm *quid,* naturale: quia natura totus vniuersi magis est principium naturalitatis, quàm natura ista particularis, & magis naturale est, quod tali toti conuenit, quàm quod propriè huic parti; corpus autem mixtum, & maximè humanum perfectius quoddam est naturale quocunque elementorum: & ideò quod naturale est illi corpori, hoc est simpliciter magis naturale, quàm quod esset naturale vnicuique elementorum secundùm se. Magis ergo naturale est, quòd conseruetur corpus hominis, & elementa violenter in eo, quàm quòd violenter dissoluatur corpus hominis, & vnumquodque elementum sua naturalitate tendat in suum proprium locum. *Ad arg. 3. Vide 15. dist. 2. & sup. d. 43. Graue non descendere ne detur vacuum, est naturale: concorda cum Doct. 3. dist. 27. num. 13.*

Nullũ violentũ perpetuũ, non admittitur à Theologo.

Ista autem propositio, ***nullum violentum perpetuum***, non est necessaria Theologis, loquendo de violento contra naturam particularem huius: quia Deus potest conseruare aliquod particulare perpetuò sub opposito eius, ad quod naturaliter inclinatur: sed apud Aristotelem erat vera, quia omni potentiæ passiuæ ponit in tota coordinatione causarum actiuarum correspondere aliquam causam, quæ aliquando necessariò reduceret eam ad actum: ergo illa potentia naturalis aliquando reducetur ad actum, & ita violentum sibi oppositum corrumpetur. 14

Ad 4. Quando actus repugnat actui, possibilitas adhuc stat cum illo, sed non cum necessitate illius.

p Ad aliud de 1. *Cæli & mundi.* Respondeo, quando actus repugnat actui, licèt possibilitas ad illum actum stet cum illo, & magis cum possibilitate ad illum: tamen possibilitas ad istum non stat cum necessitate illius, quia si ille est necessarius, iste est impossibilis, quia repugnans necessariò est impossibile: ideò si Plato dixit cælum contingenter se habere ad corrumpi, vel deficere; & etiam contingenter ad perpetuò seruari à Deo; nihil valet ratio contra ipsum, quòd posito possibili sequitur incompossibilitas, quia in talibus vbi vterque actus est contingens diuisim, ex positione possibilis in *esse*, non surgit noua impossibilitas.

Exemplum, curram cras, possum non currere cras, ponatur in *esse*, nulla incompossibilitas oritur. Si autem posuit alterum dictorum necessarium esse, vel probetur quòd ex possibilitate, quam concedit, sequatur gratia materiæ, necessitas: tunc ponendo aliud possibile in *esse*, non habetur noua incompossibilitas, sed quæ nunc est manifesta inter *inesse* necessarium, & *non esse* oppositum, priùs fuit inter *non esse* necessarium, & possibile.

Et hoc modo debet exponi ratio Aristotelis; vel si accipiendo à Platone, si dedit quòd cælum necessariò perpetuabitur à Deo, & tunc ponere in *esse* illam, possibile est cælum corrumpi, vel desinere; sequitur impossibile, non propter positionem possibilis, quia comparando ad oppositum necessarium, non est noua incompossibilitas; vel si non dedit, probandum est sequi ex dato; quod quidem verum est secundùm Philosophum, quia secundùm eum *nono Metaphysicæ*, quodcumque sempiternum est necessarium: & ita si potest esse sempiternum, necessarium est sempiternum: & ita Commentator pertractare videtur rationem illam de cælo, & mundo: quia natura mutaretur, si de possibili fieret sempiternum: vel duæ naturæ oppositæ simul essent in eodem; quod expositum est *dist.* 8. 1. *quæst. vlt.* 15

Tex. 17.

Com. 138.

In perpetuis secundùm Arist. idẽ est esse & posse, sicut in diuinis secundùm fidem.

Com. 41.

Aliter probatur sequi ex dato, quia Deus quicquid immediatè agit, necessariò agit secundùm Philosophum; ex hoc procedit *in princ.* 8. *Physic.* Et hæc secunda probatio concludit aliam necessitatem, quia ineuitabilitatis, quàm prima, quæ concludit aliquam necessitatem intrinsecam. Secundo modo motus cæli est necessarius, non primo modo 11. *Metaphys.* vtroque modo deducendo necessitatem ex actu, vel possibili dato à Platone. Positio alterius possibilis in *esse* manifestat positionem esse inconuenientem, quia includentem contradictionem: quia sicut nunc est contradictio actus ad necessitatem, ita priùs fuit possibilis ad eandem, licèt minùs manifesta.

COMMENTARIVS.

26

Ad rationes principales.

m AD *rationes principales*, &c. *Ad primam*, &c. Hoc fuit ex Gregorio super illis Ioann. 20. *infer digitum*, &c. Corrumpi necesse est quod palpatur, &c. Corpus gloriosum Christi palpabile est, ergo corruptibile. Respondet intelligendum esse de palpabili inferente passionem, non verò de ea, quæ non infert passionem, licèt aliquam resistentiam ex quantitate, quæ est sensibile commune.

Immutatio intentionalis non repugnat corpori glorioso.

Dices quòd sensibile commune non habeat actum sine proprio: ergo, &c.

Respondetur, vt patet ex sequenti, quòd immutatio intentionalis, quæ non est corruptiua, non repugnat corpori glorioso.

Ad 2.

n *Ad secundum*, &c. Hoc fuit, quòd si corpus gloriosum sit impassibile, non poterit sentire aliquod sensibile, quia omne sensitiuum potest corrumpi per excellens sensibile: ergo. Respondet secundùm aliquos in statu gloriæ fore omnes sensus in suo actu. Dicit tamen non videri necessarium, vt illi sensus sint in actu, qui ordinantur præcisè ad nutritionem: quæ cessabit in illo statu. Vide circa hæc Scholium præmissum, & modernos, maximè Lusitanum *lib.* 4. *in tertio tom. de beatitudine*, vbi copiosè agit de singulis potentiis sensitiuis, & eorum actibus in corpore glorioso: negat Doctor in glorioso corpore fore passionem læsiuam à sensibili excedente.

Responsio.

An sensus habebũt suos actus in gloria.

Ad 3.

o *Ad tertium*, &c. Hoc fuit, quòd nullum violentum sit perpetuum; sed corpus gloriosum habet in se quatuor elementa, quæ præter vnum sunt extra locum naturalem, ad quem inclinantur: ergo in statu violento. Respondet in naturali dari quosdam gradus, ita vt id, quod est secundùm inclinationem totius, sit magis naturale, & secundùm maiorem, & perfectiorem inclinationem naturæ, quàm illud, quod est secundùm inclinationem partis. Proinde, corpus gloriosum constans elementis (modò in illo sunt formaliter, quod ipse aliàs negat) magis est secundùm perfectionem naturæ, & oppositum magis violentum naturæ, quàm sit conseruatio corporis: deinde, illa propositio: ***nullum violentum est perpetuum***

Diuersi gradus naturalitatis.

tuum, &c. Non est necessaria apud Theologos: qui id fieri diuina potentia concedunt: sed apud Philosophum ex errore suo peculiari de necessitate causæ primæ in agendo est necessaria: quia diceret omni potentiæ passiuæ correspondere aliquam actiuam, quæ necessariò reducit passiuam in actum.

P *Ad aliud de primo cæli*,&c. Hoc fuit quartum in ordine, quod est argumentum Philosophi contra Platonem. Vide responsionem in textu.



QVÆSTIO XIV.

Utrùm corpora beatorum erunt agilia?

D.Thom.*in addit.quæst.*84.*art.*1.*&* 4.*dist.*44.*quæst.*2.*art.*3.Richard. *hic art.* 3. *quæst* 7. Maior. *quæst.* 18. D.Bonauent.2.*part.art.*4.*quæst.*1.*&* 2.Gab.*dist.*44 *quæst.*2.*art.* 2. Suar. 3. *part. tom.* 2. *disp.* 48.*sess* 4. *Vide* Scot.9.*Metaphys.quæst.*14.

1 VTRVM corpora beatorum erunt agilia? Videtur quòd non; quia nihil erit ibi frustrà: sed agilitas poneretur ibi frustrà, quia non poneretur, nisi propter motum localem, qui non erit ibi; tum, quia omnis motus vt sic, est actus entis imperfecti, quia entis in potentia; sed beati non erunt imperfecti: ergo, &c. Tum quia primus motus non erit, qui est causa aliorum motuum: tum quia tempus non erit: omnis autem motus est in tempore. *Aduerte, quòd diuersificantur originalia in seqq. & præced. huius dist. & seq.*

Præterea, si haberent corpora resurgentium agilitatem, non indigerent alio motore ad iudicium, vel adiutore ad mouendum; sed hoc non est verum, quia secundùm Apostolum rapientur ab Angelis *in nubibus obuiam Christo, &c.* *Arg.* 1. *Arg.* 2.

Præterea, beati secundùm merita sua erunt indeterminata approximatione ad Christum; sed illi, qui erunt propinquiores nollent moueri ad locum remotiorem, quia amitterent eorum præmium in parte, ad tempus: nec è conuerso, quia eorum meritis non congruit. *Arg.* 3.

Præterea 2. *de Cæl.* Quantò aliqua sunt perfectiora, tantò paucioribus operationibus attingunt perfectionem suam; sed tunc erunt beati, & corpora eorum perfectissima: ergo non indigent motu locali, vt sic operentur diuersimodè ad suam perfectam beatitudinem consequendam. *Arg.* 4. *Text.* 62.

Contrà, Sap. 3. dicitur, quòd *tanquam scintillæ in arundineto discurrent.* Et Isai. 40. *Qui sperant in domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas vt aquilæ, volabunt, & non deficient, current, & non laborabunt.* *Rat. opp.*

SCHOLIVM.

In quolibet sensitiuo esse duos motus; alterum prouenientem ab elemento prædominante, vt descendere in graui, alterum ab anima, vt progredi. Differunt tripliciter. Primò ratione principiorum diuersorum. Secundò, primus motus non sequitur cognitionem, sed appetitum naturalem, & ideò semper est ad vnum situm. Secundus, quia sequitur cognitionem, non est semper ad vnum situm, vel locum. Tertiò, mobile à primo motu, non potest se sistere, à secundo sic. Describit agilitatem, ad quam duo requiruntur, scilicet perfectio virtutis motiuæ, & dispositio corporis nè motui locali resistat.

2 [a] RESpondeo, hîc sunt breuiter quatuor, vel quinque videnda per ordinem. [b] Primum est, quòd in homine, & in quolibet composito sensitiuo, est duplex motus: vnus secundùm exigentiam elementi prædominantis secundùm quantitatem, sicut motus deorsum propter prædominantiam terræ in corpore humano secundùm quantitatem; alius est motus non ratione talis elementi prædominantis, sed ratione, qua animatum est, & est motus progressiuus. *In quolibet composito sensitiuo sūt duo motus, & hi differunt in tribus.*

Differunt autem isti motus secundùm tria: vno modo ex parte principiorum, quia principium vnius motus est mixtum per naturam elementi prædominantis: & ideò post mortem, quando maximè illud elementum prædominatur, redditur corpus grauius: principium autem alterius motus est in anima.

Secundò differunt, quia motus, qui consequitur animatum ratione corporis, non

ſequitur cognitionem, ſed appetitum naturalem illius corporis: & ideò eſt ad vnum, ſicut appetitus naturalis ad vnum determinatur. Alius autem motus, qui eſt ratione animæ, ſequitur apprehenſionem, quæ non eſt ſemper reſpectu vnius loci, & ſitus, ſed nunc reſpectu vnius, nunc reſpectu alterius: ideò appetitus animalis ſequens cognitionem non eſt reſpectu vnius ſitus, propter quod ille motus non eſt ſemper ſecundùm eundem ſitum, nec ſemper ad eundem locum. Tertiò differunt, quia animalia in illo motu, cuius anima eſt principium, poſſunt ſe ſiſtere per intrinſecum; brutum enim quamuis non moueatur liberè, poteſt tamen cum alio occurrente apprehenſo ſe ſiſtere: ſed in alio motu non poteſt ſe ſiſtere, ſicut nec elementum prædominans in ipſo poteſt ſe ſiſtere in motu ſuo.

Definitio agilitatis.

c Secundò videnda eſt ratio nominis agilitatis. & dico quòd ratio eius in communi eſt, quòd agilitas eſt habilitas in aliquo ad promptè mouendum ſe, eo motu cuius principium eſt anima. Corpus enim agile mouet ſe ſecundùm locum, non motu naturali, cuius principium eſt elementum prædominans, ſed anima; quorum motuum differentia patet ex articulo præcedente, & quia agilitas non poteſt eſſe in aliquo toto ad faciliter mouendum ſe, niſi concurrente virtute motiua & mobili, ideò ad rationem agilitatis in ſpeciali requiritur perfectio virtutis motiuæ in anima, & congrua diſpoſitio, non repugnans iſti motui ex parte corporis. Eſt ergo in ſpeciali agilitas habilitas in aliquo toto ad promptè mouendum ſe ſecundùm locum, ex perfectione virtutis motiuæ animæ, & congrua diſpoſitione corporis. 3

Quæ requirantur ad agilitatē.

COMMENTARIVS.

1 *Ordo, & diuiſio quæſt.*

a RESpondeo: *hîc ſunt breuiter*, &c. Diuidit quæſtionem in quinque membra, ſeu articulos. In primo diſtinguit duplicem motum in animali; alium naturalem, alium progreſſiuum. In ſecundo deſcribit quid ſit agilitas. In tertio agit de motu non organico corporis per animam. In quarto de diſpoſitione corporis requiſita ad agilitatem, & an requiratur aliqua qualitas in corpore; & reſoluit quæſtionem. In quinto reſoluit non requiri qualitatem ſupernaturalem ad hoc munus. Deinde, reſpondet ad obiectiones pro opinione, & ad argumenta principalia.

2 *Art. 1. Motus naturalis.*

b *Primum eſt, quòd in homine*, &c. In hoc articulo docet in homine, & quolibet ſenſitiuo eſſe duplicem motum. Alterum ex natura prædominantis elementi ſecundùm exceſſum: v. g. motus deorſum ob prædominationem terræ in corpore humano; & hic motus eſt naturalis.

Progreſſiuus. *Differentia vtriuſque.*

Alius eſt motus conueniens, quà animatus eſt, & ſupponens apprehenſionem, & hic dicitur progreſſiuus. Differunt hi motus primò ratione principiorum: quia prior motus oritur à natura elementi prædominantis, ideóque manet in mortuo, in quo ex abſentia animæ tunc maximè dominatur elementum, vt fiat corpus tunc grauius; ſecundus motus eſt ab anima in mixto. Differunt ſecundò, quòd prior non ſequatur cognitionem, ſed appetitum naturalem, ideóque ſemper eſt reſpectu vnius ſitus. Secundus verò ſequitur cognitionem, quæ ſicut non eſt ſemper ad idem, ita neque motus eam ſequens eſt ad eundem ſitum. Tertiò differunt, quòd mouens ſe progreſſiuè ſe poſſit ſiſtere, non ita mouens ſe naturaliter; poteſt enim mutari affectus in appetitu ſenſitiuo, qui affectus eſt determinans ad motum: non ita poteſt mutari natura in mixto, vt eſt principium motus naturalis.

Cur motus naturalis ſit ad eundem ſitum, non ita progreſſiuus.

c *Secundò videnda eſt ratio nominis*, &c. In hoc articulo breuiter deſcribit quid ſit agilitas in communi, dicens eſſe habilitatem in aliquo ad promptè mouendum ſe eo motu, cuius principium eſt anima. Ad hanc requirit virtutem motiuam in anima, & diſpoſitionem congruam in corpore. Subdit diſpoſitionem ſpecialem agilitatis: quid ſit agilitas in aliquo toto ad promptè mouendū ſe ſecundùm locum ex perfectione virtutis motiuæ animæ, & congrua diſpoſitione corporis. 3

Art. 2. De ratione nominis, & quid ſit agilitas?

SCHOLIVM.

Animam poſſe mouere non organicè. Primò, quia corpus poteſt, licèt non progreſſiuè, tendere in ſuum locum, & aliud ſibi annexum eo trahere. Secundò, hoc non repugnat animæ ratione intellectualitatis, aliàs & Angelo: nec ratione imperfectionis, quia perfectiores actus ei conueniunt. ſ. velle, & intelligere. Tertiò, corpora glorioſa ſic mouebuntur iuxta id, Volabunt, & non deficient, *& non niſi ab anima: de quo ſuprà diſt.* 10. *quæſt.*7. *Oſtendit vtrumque mouendi modum ab vna, eadémque virtute motiua eſſe poſſe, licèt eadem potentia operatiua non poſſet eſſe organica, & non organica ſimul; quod optimè explicat.*

d TErtiò videndum eſt de illa virtute animæ motiua, de qua certum eſt, & manifeſtum quòd eſt ad vnum modum mouendi corpus: ſed quod habet alium modum mouendi corpus, non eſt ita manifeſtum: eſt enim virtus in anima ad 4

mouendum

mouendum corpus organicè per modum aliarum partium organicarum: ſicut patet in motu progreſſiuo, vbi vna pars mouetur, mota alia per virtutem motiuam animæ: ſed quòd habeat alium modum mouendi, aut quòd in anima ſit virtus alia ad mouendum alio modo, quàm organicè, ipſum corpus, non eſt ita manifeſtum, nec in homine, nec in aliis animalibus, in quibus manifeſtum eſt, quòd in anima eſt virtus ad mouendum organicè corpus, vt mota vna parte, quieſcat alia, ſecundùm quòd determinatur à Philoſopho *in libro de motu animalium*: ſed quòd in anima hominis ſit virtus motiua alio modo mouendi, non eſt manifeſtum.

Quid motus organicus?

Sed tamen inquiritur, per rationem, ſcilicet ex conditione animæ; primò, quia videtur inconueniens, quòd anima in aliquo loco exiſtens non poſſet ſe mouere de illo: quia ſic quantùm ad hoc eſſet imperfectior quàm corpus, quod poteſt moueri de loco, quamuis non liberè, nec progreſſiuè; & præcipuè ſecundò eſt inconueniens hoc propter hanc rationem: illud agens poteſt in aliquem terminum, quod poteſt habere in virtute ſua actiua terminum illũ: ſed terminus motus localis non eſt niſi *vbi*, & ille terminus eſt imperfectior termino cuiuſcunque alterius motus, & ideò nullum eſt corpus ita imperfectum, quod non habet in virtute iſtum terminum, & ſimiliter ad mouendum aliud ad iſtum terminum: quia lapis trahit ſecum ad locum ſuum aliud ſi ſibi coniungatur; cùm ergo anima ſit ſuſceptiua iſtius termini, quia eſt in loco diffinitiuè: & per conſequens ſibi competit *vbi* diffinitiuè: oportet, quòd habeat in virtute ſua actiua iſtum terminum: ergo anima ſeparata poteſt ſe, & aliud corpus mouere de loco ad locum: non tamen organicè, quia anima non habet organa de ſe: ergo, &c.

Animam poſſe mouere corpus non organicè, de qua ſuprà d. 10. quæſt. 7.

Motus ad vbi, *aliis imperfectior.*

5 Et confirmatur, ſi repugnat animæ ſeparatæ mouere ſe, & aliud corpus, aut hoc eſſet ex intellectualitate ſua, aut propter imperfectionem ſuam: non primo modo, quia mouere ſe, & aliud corpus, conuenit naturæ intellectuali, vt Angelo, qui poteſt mouere ſe & cælum: nec ſecundo modo, quia conuenit corpori, quod eſt ens imperfectum. Similiter anima habet in virtute ſua formam perfectiorem, ſcilicet *intelligere* & *velle*; non ergo ſibi repugnat ratione imperfectionis.

Prætereà, corpora glorificata poſt reſurrectionem mouebuntur ab anima, & non organicè, ſed totum corpus ſimul mouebitur, non vna parte mota, & alia quieſcente, quia *volabunt, & non deficient*: hæc autem motio ſimul totius corporis non eſt per organa: ergo in anima eſt virtus alia quàm illa, quæ poteſt mouere organicè.

e Sed eſtne vna & eadem virtus cum alia? ſi eſſet eadem, tunc poſſet dici, quòd anima poſſet modò mouere corpus non organicè, niſi eſſet impedita. Videtur autem quòd ſit alia virtus: quia videtur quòd virtus organica, & non organica ſit alia & alia virtus, vt patet in intellectu, & ſenſu, & de appetitu intellectiuo, & ſenſitiuo: ergo ſimiliter in propoſito virtus organica, & non organica eſt alia & alia virtus.

Veruntamen non videtur mihi ponendum, eam aliam virtutem à motiua organicè, quia nunquam eſt ponenda pluralitas ſine neceſſitate: ſed non eſt neceſſe ponere duplicem virtutem motiuam in anima reſpectu corporis ſui mouendi: poteſt enim vterque motus ſaluari ponendo eandem virtutem motiuam in anima: ergo, &c.

Eandẽ eſſe virtutem animæ ad mouẽdum organicè, & non organicè.

6 Aſſumptum declaro ſic: aliqua perfectio poteſt competere animæ ſecundùm ſe, ſecundùm quam eſt principium alicuius effectus; non tamen poteſt ipſum exequi in remotiori, niſi exequatur effectum illum in propinquiori, ſicut anima non poteſt animare partem remotiorem à corde, nec dare ſibi vitam organicè, niſi det cordi vitam, quo mediante influat vitam in cæteras partes magis diſtantes, ſicut patet per Philoſophum *in lib. de Animalibus*: & hoc eſt, quia cor eſt magis diſpoſitum ad ſuſceptionem vitæ, quàm alia pars: à ſimili ergo, licèt aliqua potentia in anima ſit ad cauſandum motum in corpore: tamen impoſſibile eſt, quòd cauſet in parte remotiori minùs diſpoſita, niſi cauſet illum in parte propinquiori magis diſpoſita: & ideò pro aliquo ſtatu, in quo pars propinqua eſt magis diſpoſita, quàm remotior, non poteſt anima cauſare motum in remotiori parte, niſi priùs in propinquiori cauſet motum. Si autem iſta eadem virtus poſſit habere partem remotam ita diſpoſitam, ſicut propinquam, poteſt pro illo ſtatu immediatè cauſare motum in quamlibet partem: ſed exequi motum in parte remotiori mediante propinquiori, eſt mouere organicè, æquè autem immediatè cauſare non organicè: ergo eadem virtus animæ, quæ mouet organicè; poteſt mouere totum corpus non organicè pro ſtatu illo, in quo omnes partes erunt æquè diſpoſitæ ad recipiendum motum.

Quid eſt mouere organicè, & non organicè.

Et ſecundùm hoc eſt dicendum, quòd eſt eadem virtus, quæ modò mouet corpus
7 organicè, & poſt reſurrectionem mouebit non organicè: inconueniens enim eſt

quòd homo careat nunc aliqua perfectione ſecundùm totam ſuam ſpeciem, quæ ſibi naturaliter congruit, & cùm illa virtus, qua anima poſt reſurrectionem mouebit corpus, ſit ſibi naturalis, quia nulla potentia animæ tunc dabitur noua; ſequitur quòd nunc habet illam potentiam: & quòd illa virtus, ſiue potentia nunc in vita mortali non impeditur à ſuo effectu, ſed tantùm in modo cauſandi effectum ſuum.

Si partes corporis, eſſent æquè diſpoſitæ, æquè primò animarentur.

Exemplum, ſi ex falſa hypotheſi ponatur, quòd omnes partes corporis eſſent æquè diſpoſitæ ad recipiendum motum, ſiue vitam, anima æquè daret *eſſe* vitale cuilibet parti, & hoc æquè immediatè: ſed quia non ſunt æquè diſpoſitæ, non poteſt cauſare vitam in parte remotiori, niſi priùs cauſet in parte propinquiori: ſic in propoſito de mouere organicè, & non organicè.

Sed tunc reſtat reſpondere ad inſtantiam priùs factam, quomodo poſſibile ſit, quòd eadem potentia motiua ſit organica, & non organica, cùm hoc non conueniat aliis potentiis, nec apprehenſiuæ, nec appetitiuæ. Præctereà, ſecundùm reſponſionem dictam, potentia motiua in homine ſecundùm ſe non eſt organica, ſed per accidens; vt quia pars vna modò magis diſpoſita, quàm alia, ideò magis mouet, & priùs partem propinquiorem, quàm remotiorem minùs diſpoſitam. 8

Eadē potētia operatiua nō poteſt eſſe organica, & non organica.

Ad primum, reſpondeo quòd potentia operatiua non poteſt eadem exiſtens eſſe organica, & non organica: quia potentia operatiua, & organica, eſt illa, cuius operatio per ſe & primò recipitur in toto compoſito ex organo, & illa potentia; & operatio quæ ſic primò recipitur in toto, contradictio eſt, quòd recipiatur in parte primò, vt quòd viſio recipiatur in anima ſeparata, & quòd anima ſeparata dicatur videns. Vnde quando totum eſt immediatum ſuſceptiuum alicuius formæ, non vna pars mediante alia, tunc impoſſibile eſt, quòd illa forma recipiatur in altera parte. Non autem ſic eſt, quando totum recipit mediante vna parte, vt corpus recipit albedinem mediante ſuperficie: nunc autem potentia operatiua recipit ſuam operationem: ſi ergo poſſet eſſe non organica, tunc reciperet operationem, quæ primò nata eſt recipi in toto, quod includit contradictionem; & ideò eadem potentia operatiua non poteſt eſſe organica, & non organica.

Potentia actiua, vel factiua, poteſt eſſe ſimul organica, & nō organica.

Sed de potentia actiua, ſiue factiua non eſt inconueniens, quòd eadem exiſtens ſit organica, & non organica, quia illa potentia non cauſat actum informantem ſe, ſed effectum in alio: ideò non ſequitur contradictio, quòd ſit organica agendo mediante aliquo organo, & non organica, agendo immediatè per propriam virtutem ſine aliquo organo, Nunc autem mouere non eſt operatio, nec cauſatur in illo neceſſariò, in quo eſt potentia motiua, & ideò ponitur motiua alterius: & non eſt potentia operatiua, ſed eſt potentia factiua, quæ cauſat motum in alio: & talis potentia poteſt eſſe cauſatiua motus in pluribus partibus immediatè, ſi omnes ſint æquè diſpoſitæ ad receptionem motus, & tunc mouet non organicè: ſi autem non ſint omnes æquè diſpoſitæ, tunc poteſt mouere vnam partem corporis mediante alia; & ſic mouet organicè, & ſic anima ſeparata poteſt mouere corpus ſuum immediatè, vtpote cadauer, quia non excedit virtutem ſuam motiuam: & ſimiliter quando eſt in corpore, poteſt mouere organicè, ideò ex parte ſui habet virtutem mouendi organicè & non organicè. 9

Quare eadem potētia apprehenſiua nō poteſt eſſe organica, & non organica.

Patet ergo quare eſt impoſſibile de potentia apprehenſiua, & appetitiua, quòd eadem potentia ſit organica, & non organica, quia ſunt potentiæ operatiuæ: non autem eſt impoſſibile de potentia motiua, quæ non eſt operatiua, ſed factiua.

Ad ſecundùm, dicendum quòd actio non poteſt eſſe æquè primò totius, & partis, & ideò cùm anima poteſt mouere per ſe, & primò totum corpus, & partem eius, vt quando perficiet corpus poſt reſurrectionem, neceſſe eſt dicere, quòd totum compoſitum ex organo, & potentia motiua animæ non primò mouet, ſed per ſe, non primò: ipſa autem anima primò: ſicut ignis dicitur calefacere per calorem per ſe, tamen calor primò calefacit, quia calefaceret, ſi eſſet ſeparatus; ſic totum compoſitum ex anima & organo dicitur mouere; & per ſe, & denominatur ab actione, quæ primò conuenit animæ, quæ moueret æquè primò omnes partes, ſi eſſent æquè diſpoſitæ ad motum: & ſimiliter cùm non ſit maior ratio, quare in vna parte cordis moueat aliam partem, quàm in alia parte, cùm totum cor ſit vniforme ſecundùm partes: videtur quòd anima primò moueat non organicè aliquam partem: & concedo quòd accidit animæ, quòd per vnam partem quieſcentem moueat aliam. Et ideò dico, quòd primò & per ſe non eſt organica: poteſt tamen denominari quæcunque pars alia compoſita à motu, & dici principium motus denominatiuè, vt cor ex anima, & parte illa cordis dicitur per ſe mouere aliam partem.

COMMENTARIVS.

4 Tertio [d] *videndum est de illa virtute*,&c. In hoc tertio articulo resoluit id quod manifestum est, nempe dari in homine, & animali virtutem progressiuam, seu ad motum progressiuum; de quo Philosophus agit *in lib.de motu animalium*, & experientia est notum. Aliud verò quod nó est ita manifestum ex actibus, quos hîc experimur, est; *An in anima sit virtus motiua totius corporis primò, & non progressiuè tantùm*, quatenus non mouet partem vnam alia quiescente, vt contingit in progressu, sed quatenus mediante illa virtute totum hominem mouet primò,& secundùm omnes suas partes,sicut moueretur ab Angelo.

Dari virtutē progressiuā in animali.

An in anima sit virtus motiua totius primò.

Qua in re Durandus *in 4.d.44.quæst.* 7. tenet negatiuam,dicens oppositum esse inopinabile, & fictitium. Paludanus *ibidem quæst.* 4. docet hanc esse probabilem, eámque tenet Ocham. *in* 4. *quæst.*5.supplementum Gabrielis *dist.*44.*q.* 2.

Sententia negatiua.

5 Affirmatiua est Doctoris in textu: eam tenet *suprà d.* 10.*q.*7.quem sequitur Suarez *in* 3.*p.tom.*2. *disput.*48.*sect.*5.Salas 1.2.*tract.*2.*disput* 14.*sect.*18. Angles *de beatitud. art.* 5. Bassolis *hîc quæst.* 2. Conimbricen. *in tractatu de anima separata disp.* 6.*art.*3.éstque communior in Scholis;quam docent discipuli Doctoris, & Abulensis *in cap.* 17. *Math.quæst.*126.& Palacius *in 4.dist.*44. *disput.*4. Lusitanus *in* 3.*tom.de beat.lib.*5.*quæst.*5.*art.*2. probat Doctor à ratione inuestigandam esse hanc potentiam, quamuis experientia non innotescat. Primò, dicit inconueniens esse quòd anima non posset seipsam mouere ad locum distantiam: quia etiam corpus seipsum virtute naturali ab intrinseco mouere potest.. Secunda ratio est desumpta à termino:quia nempe est adeò imperfectus,vt in virtute actiua cuiuslibet teneatur corporis; ergo sicut corpus mouere posset, & se,& aliud sibi coniunctum, ita & anima, quæ definitiuè potest esse in loco, potest & corpus mouere, si est separata,non organicè:quia in eo statu anima caret organis.

Affirmatiua est vera.

Probatio.

1. Ratio.

2. Ratio.

6 Confirmatur,quia non repugnat ipsi talis motus,& virtus ,quà spiritualis est: quia sic repugnaret Angelo: non quà imperfecta est: quia principium motus connaturalis conuenit corpori, quod imperfectius est anima. Tandem anima gloriosa suum corpus sic mouebit: quia *volabunt, & non deficient*, &c. quod denotat motum illum non fore progressiuum: *quasi scintillæ in arundineto discurrent*, &c. Sap. 3. Hæ rationes Doctoris, quibus confirmandis contra Durandum nunc non insisto: id tantùm insinuauerim probari posse animam seipsam mouere, & aliud à se simili medio; ex quo probari potest motus progressiuus à priori,& ex indigentia naturæ animalis, & ex appetitu absentis cogniti: quia similis etiam est in anima separata, vel esse potest naturaliter desiderium absentis loci; ad quē proinde seipsam mouere potest, nè sit inutilis appetitus ille in natura.Deinde,in anima separata potest esse œconomia, & communicatio, & dispositio politica,quæ exigunt principium huius motus, quo repellere posset, quæ displicent, & acquirere,quæ conueniunt, saltem in entibus inferioribus. Quòd si anima seipsam mouere potest,eodem modo aliud corpus & proprium mouere potest,ac proinde corpus gloriosum, quia illud aptum est magis moueri, & vnio ad ipsum non impedit motum, neque derogat perfectioni connaturali animæ: quia si in beato manebunt potentiæ etiam organicæ, à fortiori in eo manebunt potentiæ connaturales animæ, & spirituales, & maximè quæ faciunt ad perfectionem, non erunt otiosæ.

Confir.

Eadem ratio, qua fundatur virtus progressiua, probat virtutem motiuā in anima separata naturalem.

Mouere etiā corpus potest.

Obiicit Durandus quòd pars mouens debet distingui à mota, quia nihil à seipso moueri potest. 7

Obiectio.

Respondetur negando antecedens cum sua probatione: quia Angeli, & anima separata seipsas mouent, & grauia & leuia seipsa mouent ab intrinseco,& æquè primò in motu naturali. Quòd verò in motu progressiuo non ita contingat,est peculiaris ratio,non petenda ex illo principio falso,sed ex specie motus:quia vna pars nó est disposita ad motū, ideóque moueri debet per aliā,quę etiam seipsam mouet immediatè:quo instatur rationi obiectæ:est etiā falsa in aliis motibus,quando agens ad sui perfectionē agit: quia potest esse in virtute ad aliquam perfectionem, ad quam etiam est in potentia passiua,vt se habet ignis ad calorem,graue ad esse deorsum potentię organicæ,& nó organicæ tā cognitiuæ,quàm appetitiuæ ad suos actus elicitos. Principium illud Durādi falsificatur per hoc in sua radice:quia nihil posset mouere seipsum, ideò quia nihil est in potentia, & actu simul:quæ propositio intellecta de actu in virtute, & de potentia receptiua est falsum: si intelligatur verò de actu, & potentia formali,verum est: sed non facit ad propositum: neque ad illationem illius,quod deducitur:quasi nihil posset seipsum mouere: quia vt constat ex dictis; virtus actus primi sæpè ordinatur ad sui perfectionem in actu secundo.

Responsio.

Idem seipsum mouere potest.

Falsum principium reiicitur.

Obiicit secundò Durandus nullam esse in beato virtutem nouam motiuam, quæ non fuit in viatore; sed illa non fuit in viatore, illud,&c. 8

Obiectio 2.

Respondetur omissis responsionibus aliorum, qui putant in beato accedere ad illam virtutem aliquam eleuationem,vt habeat actum,de quo in sequentibus agetur.

Respondeo, inquam,negando minorem, quia illa virtus corporis primò est etiam in homine in hac vita, quamuis vsus eius impediatur. An autem pro semper,& in omnibus,mihi incertum est: quia qui subleuantur in extasi à terra, vt legimus in pluribus Sanctorum Legendis, fortè etiam Deus,licèt præter communem legem, cum illa virtute concurrit. Prætereà,fortè diceret aliquis quòd illi, qui de nocte dormientes scandant muros, etiam si moueantur, nisi dicantur moueri ab aliquo spiritu assistente: quia ille motus non est naturalis, neque etiam progressiuus; quia non scandunt reptando. Sed quidquid sit de hoc(quod affirmare non possumus cum fundamento, ob causas occultas) in anima separata ac etiam vnita corpori glorioso datur talis virtutis vsus, éstque ad perfectionem beatorum, & animarum beatorum.

Responsio.

Illa virtus est in anima in corpore mortali,impedita ab actu.

Obiicitur tertiò quòd simplex ille motus,quo mouetur primò totum, & pars post partem, sit naturalis,& secundùm inclinationem,& naturam elementi prædominantis: sed agilitas dicit habilitatem mouendi secundùm animam: anima verò ad solum motum progressiuum inclinatur: ergo agilitas non datur in beatis nisi ad solum motum progressiuum. 9

Obiect.3.

Respondetur illum motum esse neutrum, & non naturalem; quia in corpore beato non erit inclinatio

Responsio.

Motus procedens à virtute illa est neuter. inclinatio naturalis secundùm dominium elementorum, sed secundùm dominium perfectum animæ beatæ, quæ poterit mouere sine repugnantia corpus, quò libuerit, & cui nullus locus erit inconueniens, aut violentus. Ex quibus patet falsitas minoris, & consequentis: nam constituere agilitatem solam quoad motum progressiuum non est consentaneum communi sententiæ Theologorum.

10 *An sit eadē potentia motiua totius primò, & motus progressiui.* [c] *Sed estne vna, & eadem virtus*, &c. Mouet dubium, an virtus primò motiua totius, & illa, quæ est principium motus progressiui in anima, sit eadem virtus. Ratio dubitandi est, quia si esset eadem virtus modò, & in præsenti vita, haberet actum suum, nisi impediretur: si sit diuersa, tunc inconueniens est quòd potentia organica, & non organica sit eadem.

Responsio. Esse eandem. Tollenda superfluitas. Respondet Doctor esse eandem potentiam, quia superfluum statuere diuersam, vbi nulla est necessitas ex parte effectus: vterque autem ille motus saluari potest in ordine ad idem principium, & virtutem. Declarat exemplo, quia aliqua perfectio potest competere animæ secundùm se, quam non potest vt principium eius communicare remotiori, nisi priùs communicet propinquiori: *Declaratur possibilitas.* potest enim anima animare partem remotiorem, quantùm est ex se: tamen non potest exequi illum effectum vitæ in partem remotiorem, nisi priùs exequatur in partem propinquam; quia non potest dare vitam parti remotiori, nisi priùs det vitam cordi, & mediante corde aliis remotioribus: *Ordo animādi partes.* quia cor est magis dispositum ad recipiendum vitam, quàm sint aliæ partes remotæ à corde. Quòd si aliæ partes essent proximæ dispositæ, daret vitam æquè primò omnibus; vt contingit in formatione, & animatione corporis Christi, cuius animæ æquè primò dedit vitam omnibus partibus, quæ formatæ fuerunt in vltima dispositione ad vitam: sicut etiam continget in resurrectione ob similem rationem.

11 *Applicatur exemplum.* Simili ergo modo, licèt aliqua potentia in anima sit nata causare motum in corpore, nequit illum causare in parte remotiori indispositâ, neque illum mouere, nisi mota parte propinquiori disposita: in statu vitæ præsentis, ita contingit vt remotior sit indisposita, ac proinde virtus motiua nequeat aliter exequi motum, nisi mediante parte viciniori, & sic mouere motu progressiuo & organicè: post resurrectionem mouebit omnes partes simul, & non organicè.

Soluitur ratio dubitādi. Ad rationem autem difficultatis pro parte negatiua positam, respondet quòd eadem potentia operatiua, actu scilicet immanente nequeat illa modò esse simul organica, & non organica. *Eadem potētia n quit esse organica, & non organica simul.* Repugnantiam huius docet ex eo quòd potentia non possit esse ratio recipiendi primò operationem, quæ nata est primò recipi in toto, vt subiecto immediato; nec è contra totum primò seipso recipere operationem, quæ primò nata est recipi in potentia: quia id inuoluit contradictionem. *Potentia operatiua.* Operatio autem organica nata recipi in toto, scilicet ex organo, & forma constituto: non organica, quales sunt operationes intellectus, & voluntatis, recipitur primò in potentia, & non in toto, nisi vt est potentia.

12 *Factiua.* Potentia autem factiua, quæ agit in aliud, potest esse principium agendi tam organicè, mediante instrumento corporeo, & non organicè, id est, seipsa immediatè influente actionem primò in totum: talis est potentia motiua in homine. *Potest agere vtroque modo.* Hanc dicit esse in se spiritualem, & conuenientem animæ per se; quæ duplici illo modo agit ad motum mouendo organicè, & non organicè. *Motus non organicus cordis.* Reducit autem hunc motum primò in cor, cuius aliquam partem mouet non organicè. Cæteras verò, & totum organicè propter indispositionem earum pro præsenti statu.

Hæc resolutio summaria Doctoris, quæ hæret in his duobus principiis, nempe tollendam esse superfluitatem, vbi potest paucitas sufficere; motum autem illum duplicem ex natura sua non exigere duplicem virtutem: sed omnem eius differentiam reduci posse ad diuersam dispositionem subiecti. 13 *Fundamentū conclusionis posita.*

Aliud principium est, quod videtur inconueniens, vt virtus aliqua animæ, quæ est in hoc statu, careat omni actione sua: ergo si ponatur eandem esse virtutem motiuam in anima, tollitur hoc inconueniens: quia habet actum saltem imperfectum motus progressiui respectu totius, & actum initiariuum motus non organici respectu illius partis cordis primò dispositæ ad recipiendum motum non organicum, & sicut in motu organico mouetur aliqua pars primò, quæ disposita est, ita etiam non est inconueniens aliquam partem esse dispositam, vt recipiat primò motum non organicum & initiatiuum motus organici in aliis partibus.

Hanc sententiam sequitur Bassolis, & Salas *suprà* citati, & Herentius ab eodem citatus, & Maior. *in hac dist. quæst.* 18. neque etiam videtur plurimùm repugnare D. Thomas *lib.* 2. *contra Gentes cap.* 82. vbi virtutem, quæ inest membris, asserit non efficere motum aliter, quàm dispositiuè: quem sequitur Ferrariensis ibi, & *in lib.* 3. *de anima quæst.* 18. asserunt enim motum esse ab appetitu effectiuè. *Sententia tenetur ab aliis.*

Hanc sententiam impugnant Conimbricenses, & post eos Lusitanus citans ipsos *lib.* 5. *in* 3. *tom quæst.* 5. *art.* 3. §. 2. quia potentia, quæ est in anima, est spiritualis: quæ autem est principium motus progressiui, est in corpore, & materialis ex Philosopho *in lib.* 2. *de anima cap.* 3. *textu* 27. & *lib.* 3. *de anima cap.* 9. *text.* 41. vbi potentias animales diuidit in vegetatiuam, sensitiuam, appetitiuam, & loco motiuam. Secundò, idem patet, quia progressiuus, vt omnes docent, non fit nisi præuia cognitione, quod superiùs admittit Doctor. Potentia autem animalis residet in corpore ex communi Philosophorum placito. Deinde, motus progressiuus est organicus: ergo à potentia organica: potentiæ autem organicæ spectant ad animam sensitiuam, vt omnes concedunt, sequitur intentum, nempe potentiam loco motiuam progressiuè esse distinctam à motiua spirituali non progressiua, quæ competit animæ rationali. 14 *Sententia opposita, & eius fundamenta. Eius fundamenta.*

Vrgeri potest hæc difficultas vlteriùs: quia motus progressiuus sequitur cognitionem phāntasticam in bruto: ergo in homine etiā sequi potest sine operatione intellectus, aut voluntatis; & confirmatur: quia fit in pueris, amentibus, & aliquando dormientibus, in quibus non est vsus cognitionis intellectiuæ: sed si motus progressiuus in homine prouenirct à potentia motiua animæ, quæ esset spiritualis, & non organica, non posset esse ex sola cognitione phantastica, aut sensus: sed necessariò supponeret cognitionem intellectiuam, & actum voluntatis: ergo diuersa est 15 *Vrgetur amplius difficultas. Progressiuus potest esse ex sola cognitione phantastica.*

est progressiua hominis à sua motiua, quæ est animæ primò. Minor probatur, quia quæcunque potentia spiritualis conuenit homini, vt distinguitur à bruto, cōuenit ei, quà est intellectiuus & volitiuus, & subordinatur intellectui, & voluntati, vt patet etiam de loco motiua in Angelo, & similiter ratione: quia principiū huius motus remotum est cognitio, & appetitus: ergo in substantia spirituali, quà spiritualis est, motus potentiæ motiuæ, quæ sic ei competit, debet supponere cognitionem propriam substantiæ spiritualis, & consequenter etiam appetitum rationalem. Hæc ratio confirmari potest: quia homo, quà habet animam sensitiuam, debet habere eius proprietates inseparabiles: & quà est animal, non differt à bruto: ergo quà animal est per animam sensitiuam, non minùs perfectè constituitur in *esse* sensitiui, quàm brutum, imò perfectiùs, sicut in *esse* animalis excedit perfectione brutum, sed in bruto anima sensitiua est principium motus progressiui: ergo etiam in homine: ergo illa, quæ competit ratione sensitiuæ homini, est alia potentia motiua ab ea, quæ eidem conuenit, quà est rationalis. Hæ rationes reddunt mihi difficilem hanc resolutionem Doctoris.

Anima sensitiua principiū motus progressiui in bruto.

16 *Sustinetur sententia Doctoris.*

Respondetur tamen, & si affirmatiua sit probabilis: tamen negatiuam etiam satis probabilem esse authoritate Doctoris, & aliorum. Dato enim quòd sit potentia motiua, non organica in homine, Philosophus non concederet eam esse sine vllo suo actu: deinde philosophia docet etiam tollendam esse superfluitatem, si per pauciora veritas saluari potest. Data ergo ex communiori consensu Scholæ potentia motiua non organica, hæc potest statui principium vtriusque motus: neque est inconueniens, vt potentia motiua hominis sit altioris ordinis, quàm sit illa bruti, licèt in conceptu generico, & abstracto conueniat: nam & in ipsis generibus brutorum potentia progressiua, & modus motus progressiui magis quàm specie differunt: alia enim est quadrupedum, alia auium, alia piscium, alia reptilium, licèt omnia conueniant in conceptu abstracto, & generico sensitiuæ, & motiuæ organicæ. Hoc ipsum declarat à posteriori diuersitas instrumentorum, & organorum facientium ad motum: ergo in homine sicut est gradus sensitiuæ genere remoto differens à sensitiua bruti, quia sensitiua hominis est spiritualis, & immaterialis, & tota in toto, & tota in qualibet parte; sensitiua bruti è contra materialis, & non tota in qualibet parte: sic etiam non repugnat sensitiuam hominis vindicare sibi diuersam genere motiuam, & in gradu perfectionis excedentem motiuam bruti. Accedit quòd specie physica diuersa sint in ratione formæ anima sensitiua tantùm, quæ est bruti, & anima hominis, quæ est rationalis, & identicè sensitiua, ac proinde diuersum principium operandi sibi vindicat.

Potentia motiua in homine altioris ordinis, quàm in bruto.

Diuersa est in aliis.

Sensitiua hominis genere remoto diuersa à sensitiua bruti.

17 *Philosophus non cognouit potentiam spiritualem motiuam in anima.*

Quibus positis, respondetur ad argumenta opposita, ad illa quæ obiicit præfatus author, iam respondit ipse Doctor in textu. Quod autem obiicit ex sententia Philosophi, admitto illum fuisse in illa sententia, sicut & plerósque naturales, qui ex effectu, & à posteriori per ea, quæ vident, & reperiuntur in effectu, procedunt ad cognitionem causæ, neque maiorem perfectionem causæ, vt eam cognoscunt ex solo effectu, tribuunt, quàm sit necessarium ad positionem effectus; in bruto autem progressiuus organicus fit per motiuam organicam, & materialem, sicut etiam se habet anima bruti; pro sufficienti etiam principio similis motus in homine non discurrunt ad perfectiorem causam, maximè cùm executio illius motus fiat per organa: Philosophus ergo non cognouit alium statum, neque animæ conuenire potentiam motiuam, non organicam, aut moueri posse ab intrinseco alio motu, quàm organico, cuius principium coniecit esse potentiam organicam, eámque statuit facultatem sensitiuæ. Est & aliud principium ab ipso receptum, ex quo negaret motum organicum prouenire à potentia non organica: quia imperfectionem effectus ipse refert in causam: ideóque negat Deum agere immediatè seipso sine concursu causæ inferioris effectum contingentem sublunarem, nè contingentia, & imperfectio effectus redundaret in causam: sic etiam negaret motum progressiuum, qui imperfectus est, fieri à potentia motiua non organica, quæ non dependeret ab instrumento corporeo, quantùm est ex parte sua.

Aliud principium Philosophi.

Alij verò sequentes Philosophum eundem cursum tenuerunt, quantùm ad institutum præsens, nisi vbi ratio consentanea fidei, aut ipsa fides obuiat; neque secùs de motiua differunt, quàm de aliis organicis in homine; Doctor autem ex principiis admissis à Theologis, nempe in anima rationali dari motiuam non organicam, atque adeò etiam in homine eandem esse, reducit in illam vtrúmque motum iuxta principia posita, & ostendit hoc nullam inuoluere repugnantiam: quia sicut anima, aut Angelus assistens corpori animalis potest mouere illud motu simili organico, quantùm ad progressum, à fortiori anima vnita corpori potest exercere omnes suas facultates in corpore iuxta modum connaturalem operandi, & prout fert eius dispositio præsens. 18

Ad aliam obiectionem à nobis præmissam. Respondetur potentiam motiuam hominis quoad actum perfectum suum supponere intellectum, & voluntatem, non verò quoad actum motus progressiui necessariò supponere, licèt hîc etiam ex imperio solius voluntatis prouenire possit, etiam repugnante appetitu, vt quando adhibetur in opere difficili, & arduo, cui repugnat appetitus ex inclinatione innata potentiam motiuam non organicè sic subesse appetitui, & cognitioni imaginatiuæ, quæ fluunt ex eadem radice animæ, & subesse, inquam, quoad actum motus progressiui non est inconueniens: quia si esset potentia motiua organica in homine, sic subesset appetitui ex imaginatione, sicut ipse actus progressiuus ei subest quantùm ad statum, & progressum, & applicationem potentiæ, à qua procedit, & quæ alioquin non agit ex natura sua, nisi vt applicata per appetitum ex cognitione. Quòd ergo hic actus procedat à potentia motiua non organica, non tollit ordinem eius ad causam remotam: ac proinde potentia non organica eidem subiicitur quoad ipsum actum, vt ab ea procedit.

19 *Ad aliam obiectionem.*

Motus progressiuus in homine potest esse à phantasia, & appetitu sensitiuo.

Deinde, sicut ipse intellectus recipit motionem, & applicationem ab imaginatione, & voluntas ab appetitu, nullum est inconueniens, vt motiua non organica ab iisdem recipiat applicationem quoad eum actum, qui ab ipsis vt causis remotis natus est esse; ex quo patet ad rationem concedendo antecedens cum consequentia. Ad confirmationem, concedo maiorem, & nego Minorem

norem cum sua probatione inquantùm supponit præcisè per appetitum rationalem applicari motiuam potentiam hominis; quamuis verum sit quòd etiam per voluntatem applicari possit, & per eam solam applicatur forte in beatis, quoad motum non organicum.

20 *Quomodo sẽsitiua sint proprietates animalis.*

Ad secundam confirmationem, respondetur in primis falsum supponi, nempe potentias sensitiuas esse proprietates animæ sensitiuæ, licèt ex radice eius oriantur, vel oriri possint, vt in bruto: sunt enim proprietates totius, quæ constant ex anima, & corpore, seu mixto, vt organo. Ad saluandas autem proprietates totius in homine sufficit quòd ex anima habeat quæcunque principia operandi operationes sibi conuenientes, & ad quas ordinatur: hoc autem habet in proposito perfectiori modo, & à perfectiori principio sicut constituitur à perfectiori anima. De his ergo proprietatibus physicis aliter differendum est, & de proprietatibus metaphysicis, quæ consequuntur totum metaphysicum per differentiam sui constitutiuam; nam in proprietatibus physicis, quæ sunt totius primò, licèt ex partibus; non est sic differendum quasi fluant à sola forma constitutiua eius: quia hoc est falsum; licèt principaliter à radice formæ oriantur. Conueniunt enim ex partibus componentibus radicaliter; sequuntur tamen ipsum *esse* totius substantialis, quod diuersum est à partibus. Sicut ergo totum physicum attenditur penes compositionem ex materia, & forma physica, & secundùm physicam compositionem, ita etiam forma, vt ex radice eius oriuntur proprietates, consideratur in *esse* physico, & simplici secundùm *esse* reale; qua ratione Concilium Viennense definiuit animam rationalem, quà rationalis est, esse formam corporis: per eam sic sumptam in *esse* simplici physico tribuitur principium motus homini, perfectiori modo, quàm illud habet brutum ab anima sensitiua materiali, quæ vulgò ab Animastis appellatur sensitiua tantùm, ad differentiam animæ rationalis, quæ est forma hominis. Et sicut illa particula exclusiua denotat imperfectionem formæ, sic etiam ex eadem imperfectione ei conuenit, vt non possit constituere seipsa totum in ratione principij motus progressiui, sed ex concursu materiæ: non ita rationalis, quæ sicut potest esse seorsim à materia, ita etiam ei competit habere principium completum sui motus; quem motum communicat toti, & materiæ prout est capax, & disposita ad motum. Ac proinde superfluit aliud principium motus in homine, quamuis necessarium sit in bruto: Metaphysicus autem comparans vtrumque vt conueniunt in *esse* animalis, abstrahit conceptum communem seclusis imperfectione, & perfectione, aliísque differentiis.

Aliter sentiendum de proprietatibus physicis & metaphysicis.

Anima rationalis vt sumitur physicè.

Concedo ergo quòd ita conueniant in conceptu abstracto, homo, & brutum in *esse* sensitiui nego tamen principium motus progressiui eiusdem rationis formalis in vtroque, aut fluere in homine à conceptu abstracto animæ sensitiuæ, licèt ab eadem realiter oriatur, vt est talis forma physica, & specie physica diuersa in genere immateriali: in bruto enim conceptus potentiæ motiuæ abstrahitur à toto: in homine verò abstrahitur à forma sola, quà inadæquatè concipitur, vt agit motu progressiuo: & negatur consequentia illata: sic enim possumus abstrahere conceptum communem calidi ab igne, & aqua: quamuis aliter se habeat calor ad vtrumque, quia vt proprietas ad ignem, vt forma violenta ad aquam: in igne procedit à principiis subiecti, in aqua verò à causa extrinseca, quæ est consideratio vtriusque formæ in *esse* physico in homine; eodem modo dicendum de motu progressiuo hominis, & bruti posse abstrahi communem conceptum ab vtróque, licèt supponant diuersa principia proxima. Item, de aliis potentiis sensitiuis in homine, & bruto patet: quia licèt aliter, & aliter constituantur in bruto, nempe per animam secundùm partem, & non secundùm se totam, in homine secundùm totum *esse* animæ, quod facit diuersitatem physicam genericam, & specificam: tamen hoc non attenditur à Metaphysico, qui de illis agit sub ratione transcendenti, & abstracto.

Potentia motiua in homine sequitur animam, in bruto verò totum.

S C H O L I V M.

Per nullam qualitatem reddi corpus beati agile ad mouendum se ad omnem locum & situm; probat quatuor rationibus claris.

Rich. præs. d.4. ar.q.7. D. Thom. q.2.a.3.q.1.

f QVartò est videndum de illa dispositione ex parte corporis, quæ requiritur ad agilitatem, & est hîc vna opinio, quæ ponit quòd illa dispositio ex parte corporis est aliqua qualitas, per quam corpus redditur habile, vt moueatur ab anima secundùm eius virtutem motiuam; & per illam qualitatem, vt dicunt, auferuntur illa, quæ modò impediunt, nè corpus faciliter moueatur ab anima sine labore; vnde aufertur grauitas, quæ impedit. 10

Et probatur per Augustinum, 21. *de Ciu. Dei. cap.* 10. vbi dicit, quòd tunc pondus graue corporis auferetur.

Corpus gloriosum non reddi agile per qualitatem.

g Istam opinionem non intelligo, quia quòd maneat corpus hominis, & dominetur in eo terra, & tamen non maneat grauitas, est omninò inconueniens, sicut dicere, quòd fiat Sol, vel aliud corpus cæleste, & dominetur in ipso terra; & quòd non maneat grauitas, manente terra, esset idem dicere, sicut quòd remaneret lapis, & non esset durus: non video ergo, quòd per illam qualitatem tollatur grauitas: anima enim humana non perficit corpus quocunque modo dispositum: si enim esset corpus hominis ita densum, sicut aurum, non esset perfectibile ab anima: ita si non haberet grauitatem, & alias qualitates naturales suas, non esset perfectibile ab anima.

Prætereà,

Præterea, corpus hominis non est capax leuitatis: quia quando aliquid determinat sibi vnum oppositorum, alterum oppositorũ non potest sibi inesse, nec per se, nec per accidens: ergo si corpus humanum est receptiuum qualitatis, quæ repugnat grauitati, non esset determinatum naturaliter ad grauitatem, quod apparet falsum: ergo per talem formam non erit corpus hominis agile.

Præterea, illa qualitas si ponatur, non erit qualitas aliqua cælestis; ergo vel est qualitas mixti, vel elementaris; sed nulla talis qualitas potest dare agilitatem corpori, vt moueatur ad omnem differentiam positionis, & ad omnem locum, quod tamen benè beati possunt facere.

Præterea, si aliqua qualitas ponatur, poneretur propter agilitatem ad motum respectu *vbi*: ergo determinat ad *vbi*: sed omnis forma determinans ad *vbi*, determinat ad determinatum *vbi*, vt ad *vbi*, ad quod determinat elementum prædominans in mixto: ergo illa qualitas sic determinans ad *vbi*, magis addet fatigationem, quàm agilitatem ad motum: vnde non video quomodo vna qualitas possit dare agilitatem ad omne *vbi* sursum, & deorsum: ergo cùm qualitas nobilior, quæ est charitas inclinans ad actionem, inclinet ad determinatam actionem, siue operationem; & naturaliter omnis forma, quæ inclinat ad motum, inclinat ad determinatum motum; non videtur quòd per talem qualitatem habet corpus beati agilitatem ad motum, quia non est determinatum ad aliquod *vbi*. *Nulla qualitas potest dare agilitatem ad omne vbi.*

COMMENTARIVS.

21 *Art. 4. Varia sententia de principio agilitatis.* *1. Sentent.* *2. Sent.* *3. Sent.* *4. Sentent.* *5. Sent.* *6. Sent.*

f QVariò videndum est, &c. De principio, per quod agilitas cõpetit corpori beati, variæ sunt sententiæ Doctorum: prima est quam hîc citat Doctor prouenire scilicet à qualitate, qua corpus redditur agile, sed variè sentiunt de hac qualitate. Aliqui apud D. Thomam 3. *part. quæst.* 57. *art.* 3. *& in* 4. *d.* 44. *q.* 2. *art.* 3. statuunt eam qualitatem esse cælestem, quæ in resurrectione corpori beato prædominatur. Alij verò dicunt disponere tantùm corpus, vt faciliùs moueatur à virtute motiua naturali animæ, & tolli per eam grauitatem à corpore beati: & hæc est sententia, quam hîc impugnat Doctor. Alij dicunt esse qualitatem supernaturalem, qua mouetur corpus ad quemcunque situm velociter, & sine fatigatione, aut resistentia. Hæc placet Suario loco suprà citato, quam tribuit D. Thomæ, D. Bonauenturæ, & Richardo, qui tamen illam sententiam non docent, neque qualitatem illam esse actiuam, sed magis sunt in opinione proximè citata.

Alij docent hunc motum fieri à solo Deo assistente beato; ita supplementum Gabrielis *in* 4. *d.* 44. *quæst.* 2. Alij verò affirmant virtutem supernaturalem per modum concursus communicari animæ, quo Deus concurrit cum voluntate Beati secundùm potentiam eius obedientialem, qua Deus vtitur vt instrumento motus ad quemcunque situm. Hanc Suarez probabilem censet *sect.* 4. quam tribuit Soto: hic autem longè est ab illa opinione, qui docet ex perfecta animatione prouenire talem virtutem, sicut dicit simile de impassibilitate. Ita differit *in hac d.* 4. *art.* 7. Alij tandem dicunt hunc motum prouenire quidem à potentia naturali motiua ipsius animæ, non nuda tamen, sed eleuata per quandam qualitatem supernaturalem, quæ vires addit, & ad celeritatem motus tam progressiui, quàm non organici, qui motus secundùm substantiam haberi potest ab ipsis potentiis naturalibus beati; non tamen cum tanta celeritate, nisi adiuuentur à dicta qualitate. Hãc tenet Lusitanus *art.* 3. §. 3. *n.* 16. *&* 28. Hæ sunt cõiecturæ Doctorũ in quæstione obscura; sententiã Doctoris infrà subiiciemus.

g *Istam opinionem non intelligo*, &c. Impugnat sententiam eorum, qui dicunt oriri à quadam qualitate in corpore, qua tollitur eius grauitas siue à Deo, siue per ipsam qualitatem, non curo. Constat sententia duabus partibus; quarum prima est, auferri grauitatem à corpore beati. Hanc tenet Albertus *in* 4. *d.* 44. *art.* 17. *ad primum* D. Bonauentura *in hac dist. art.* 5. *quæst.* 2. Richardus *art.* 4. *quæst.* 7. *ad* 1. Argentinas *quæst.* 1. *art.* 4. Sotus *quæst.* 4. *art.* 7. Palacius *d.* 4. Probabilem hanc sententiam docet Palud. *in* 4. *d.* 44. *quæst.* 4. *art.* 1. Durand. *quæst.* 7. Maior *in hac dist. quæst.* 18. Conimbricenses *in* 2. *de cælo cap.* 5. *art.* 2. 22 *Impugnatio sententiæ, quæ dicit auferri grauitatem à corpore.*

Contrariam docet hîc Doctor, Bassolis *quæst.* 3. *art.* 4. Guilielmus à Rubione *quæst.* 3. *art.* 2. Suarez *suprà sect.* 4. Abulensis *in Matth. cap.* 17. *quæst.* 126. & videtur D. Thomæ *loco citato in* 4. Probat Doctor manere grauitatem in corpore, quia est consequens ad materiam eius, quæ est terra: ergo inconueniens est sicut dominatur in eo materia elementi terræ, non manere in eo qualitatem, aut proprietatem connaturalem elementi: sicut inconueniens esset dicere quòd fiat Sol, aut corpus aliquod cæleste. Deinde, quia requiritur illa connaturalis dispositio vt informetur ab anima, cui perinde repugnat informare materiam densam, vt aurum, sicut materiam raram, aut leuem. Deinde, quia corpus humanum non est capax leuitatis; quia quando aliquod determinat sibi vnum oppositorum, neque per se, neque per accidens conuenit ei oppositum: ergo corpus humanum non est receptiuum qualitatis, qua tollatur ab eo grauitas ipsi connaturalis, quam necessariò exigit, sicut & materiam ex qua est. Patet præterea ex dictis aliàs de resurrectione corporum in sua integritate, & cum qualitatibus connaturalibus suis; quarum vna est grauitas. Fundamentum oppositæ sententiæ *infrà* soluetur cum Doctore §. *Ad istud*, &c. *Manere grauitatem in beato.* *Sequitur naturam corporis.* *Requiritur ad informationem.*

Secunda pars illius sententiæ, seu potior est assertio illa qualitatis, per quam corpus fiat agile. Hanc impugnat Doctor: quia illa qualitas non est cælestis, vt communis etiam tenet: ergo vel elementaris, vel mixti; sed nulla talis potest dare corpori agilitatem, vt moueatur ad omnes positiones sursum, deorsum, quaquauersum; quamuis 23 *Secunda pars illius sententiæ impugnatur* *Nulla qualitas potest esse principium agilitatis.*

quamuis id possunt beati. Deinde, illa qualitas ponitur ad agilitatẽ respectu loci occupandi: sed omnis forma determinans ad locum, determinat ad certum locũ: v.g. ad illud, ad quod inclinatur elementum prædominans in subiecto: ergo forma sic determinans magis faceret ad fatigationem, quàm ad agilitatem: quia semper repugnaret ad motum contrarium suæ inclinationi determinatæ. Vnde nõ video, inquit, quomodo vna qualitas posset dare agilitatem ad omne *vbi* sursum, deorsum, &c. Probat autem illam qualitatem necessariò habere inclinationem determinatam, sicut aliæ formæ habent: quia charitas, quæ est perfectissima qualitas actiua, & supernaturalis, habet determinatam inclinationem ad actionem, & vniuersaliter omnis forma, quæ inclinat ad motum: ergo non apparet quomodo illa qualitas potest esse principium motus ad omne *vbi*, ad quod corpus beati moueri potest.

Illa qualitas necessariò inclinaret ad locum determinatum.

Omnis forma, etiã charitas inclinat determinatè.

24 Ex his facilis est impugnatio aliarũ sententiarum; in primis hunc motum fieri à solo Deo, superfluè, & sine fundamento asseritur, cùm potentia motiua non organica animæ sit actiua respectu eius: habet ergo actum suum sicut & in Angelo. Similiter, reducere hunc motum in potentiam obedientialem, fit sine fundamento, & superfluè, cùm eius principium motiuum connaturale inueniatur in beato, cuius virtutem non excedit talis motus. Deinde, superfluè additur qualitas supernaturalis ex eodem principio: & quia nequit concipi quomodo qualitas possit esse principium indifferenter mouendi ad omnem locum. Quomodo enim moueret ad locum nisi inclinaretur ad locũ ex specie sua, quæ sic determinata est; ita etiam habet determinatã inclinationem: quod patet tam ex aliis formis naturalibus, & supernaturalibus cognitis: tum, quia inclinatio ad locum respicit aliquem determinatum, & non vagum: quia omnis inclinatio est ad certam aliquam speciem. Huc veniunt ea omnia, quæ in superiori quæstione dicta sunt contra qualitatem illam, in qua aliqui statuunt impassibilitatem corporis gloriosi, ideóque non est plurimùm insistendum superfluæ probationi. Quod autem dicit Lusitanus, perinde impugnatur: quia celeritas motus ab eo est, à quo est eius substantia: si ergo, vt concedit, motus ille quoad substantiam haberi potest per virtutem naturalem motiuam beati, cur non etiam celeritas? Vel vnde constat celeritatem maiorem in motu habituros beatos, quàm sit illa, quæ competit eis ex virtute naturali motiua; ex Scriptura enim non constat nisi quòd erit motus celer, qui per volatum designatur, & non defectionem, *volabunt, & non deficient*, non constat ex alia parte voluntatem ordinatissimam beatorum velle habere maiorem celeritatem motus, quàm ipsis ex naturali potentia conueniat, neque ex alio fine diuinæ prouidentiæ, in illo statu celeritatem vllam maiorem requiri: quòd si in casu daretur, tunc in concursum diuinum magis congruè, quàm in principium aliquod diuersum permanens per modum formæ reduceretur, sicut contingit etiam in via perfectionem excedentem effectus extraordinarij reduci in impulsum, & adiutorium actuale, & non habituale.

Reiiciuntur aliæ sententiæ.

Non fieri hũc motum à solo Deo.

Non fieri per potentiam obedientialẽ.

Non per qualitatem supernaturalẽ.

Reiicitur vltima sententia.

Celeritas motus in ipsam potentiam motiuam reduci potest.

Accedit vltimò quòd videatur oppositum esse magis ex sententia Antiquorum; quia qui ponebant qualitatem cælestem, intendebant dominium eius super grauitate corporis, quo motus sursum redderetur facilior, & locus secundùm inclinationem illius qualitatis, & motus sit naturalis. Qui qualitatem statuunt non actiuam in corpore, ideò eam asserebant, vt tolleretur resistentia ad motum ex grauitate, vel tolleretur ipsa grauitas. Cæterùm referunt motũ ipsum in virtutẽ naturalem beati; quia superfluum ipsis videbatur ad illum effectum exigere aliam virtutem.

Magis conformis sententiæ antiquorum.

SCHOLIVM.

Dotem agilitatis esse intentionem, & perfectionem maiorem virtutis motiuæ cum amotione duplicis impedimenti corporis ad motum, & collatione bonorum spirituum vitalium. De hac doctè agunt Patres in 1. *Cor.* 15. *August.* 13. *ciuit.* 18 *& lib.* 20. *cap.* 18. *& epist.* 79. *Hilar. in id Psalm.* 138. Si sumpsero pennas, *&c. Vide Simanc. de cathol. institut. cap.* 37. *num.* 6.

h Respondeo ergo quantùm ad istum articulum, & dico quòd proportionata agilitas, quæ requiritur ad motum beati, potest esse sine supernaturali quocunque addito corpori, vel animæ: non enim oportet ex parte animæ, nisi quòd virtus motiua fiat perfectior, & quòd resistentia accidentalis ex parte corporis tollatur: & vtrunque potest fieri sine supernaturali addito: quia quòd modò in anima virtus non est sufficiens ad motum, hoc est, vel quia est impedita à corpore, vel quia in se est diminuta; & cùm est separata, aut vnita corpori glorioso, intenditur, sicut virtus beati visiua intenditur resumpto corpore glorioso; quia, vt videtur, tunc poterit sine difficultate visibile quodcunque videre inspiciendo. Potest ergo potentia motiua in anima intendi ad gradum perfectum, quòd sufficiat ad mouendum corpus illud sine fatigatione, nec tamen erit noua potentia, sicut nec virtus visiua intensa in beato, & non beato, est alia potentia visiua. 11

Ad agilitatem nihil supernaturale requiri.

Ex parte autem passi, scilicet corporis mobilis, amouebitur duplex impedimentum, vnum ex parte organorum virtutis motiuæ, quod est in iuncturis, & neruis, quo impedimento remoto, fit trahibilitas, & applicabilitas maior in eis; & amotio istius impedimenti maximè requiritur ad agilitatem in motu progressiuo, ad quem mouet potentia

Duo impedimẽta motus animalis, quæ ad vbi amouebuntur à corpore glorioso.

potentia motiua organicè. Aliud impedimentum est in toto corpore, quod est repletum humoribus grossis, & spiritibus, & caput fumositatibus, & multis talibus, quæ reddunt hominem pigrum, & quæ non pertinent ad veritatem humanæ naturæ: hæc autem amouebuntur, & spiritus boni, & subtiles dabuntur corporibus gloriosis, per quæ reddetur corpus multum agile ad motum, sicut patet per oppositum de corpore mortuo, quod efficitur grauius, non quia plus de quantitate, aut materia apponatur: sed quia spiritus vitales corrumpuntur, & humores grossi inducuntur. *Cur mortuũ corpus sit grauius viuo.*

Quintò ex dictis patet responsio ad quæstionem, quòd beatus habens suum corpus gloriosum, habebit agilitatem, & promptitudinem ad mouendum: quæ agilitas non est per aliquam qualitatem supernaturalem corpori superadditam, defluentem ab anima: sed est propter intensionem virtutis motiuæ ex parte animæ, & propter amotionem duplicis impedimenti ex parte corporis, & collationem bonorum spirituum subtilium in corpore.

COMMENTARIVS.

23 *Agilitas saluatur sine forma supernaturali addita. Fundatur in virtute naturali animæ, & dispositione corporis.*

RESpondeo [h] *ergo quantùm ad istum articulum, & dico*, &c. Statuit conclusionem propriam, quæ est: quòd proportionata agilitas, quæ est in motu beati, possit esse sine aliquo supernaturali addito, in corpore, aut anima, diuerso scilicet à virtute naturali perfecta animæ gloriosæ, & à dispositione proportionata in corpore: probat, quia sufficit ex parte animæ, vt virtus motiua sit perfectior, & sine resistentia accidentali ex parte corporis. Vtrúmque potest fieri sine supernaturali forma, & qualitate addita: hoc enim genus supernaturalis tantùm hîc excludit, non autem aliud, quod per modum perfectionis intrinsecæ potest aduenire, aut virtuti motiuæ in sua specie, aut dispositioni corporis: ergo illud tantùm genus formæ supernaturalis, quod ab aliis asseritur, ab ipso negatur. Probat autem minorem, quia virtus illa in vita mortali ideò non est sufficiens, quia vel impedita à corpore, vel diminuta quoad vires; sed in anima separata, aut vnita corpori glorioso intenditur, sicut potentia visiua, quæ in eo statu & corpore glorioso sicut erit impassibilis, sic etiam poterit quodcunque luminosum perfectè, & sine difficultate, aut passione; illud docet Prosp. lib. de vita contẽplatiua cap. 11. *ibi*, inquit, *corporales oculos nihil visibilis creaturæ latebit: quia incorruptibilium corporum virtus incorruptibilis erit, ac ita sine comparatione viuitior quàm hîc fuit, vt ei aliquid visibilium clausum esse non possit*, &c. docet & Gregorius quæstione sequenti citandus; sicut ergo potentia visiua intendi potest ad illum gradum perfectionis, ita & potentia motiua intendi ad gradum perfectum, in quo possit mouere corpus gloriosum ad omnes positiones, situs, sine difficultate, sine fatigatione: nec tamen tunc erit potentia motiua diuersa, sicut neque potentia visiua erit alia, licèt intensior.

Insufficientia motiuæ in vita præsenti.

Intendi virtutem motiuã in beato.

Prosper.

24 *Obiectio. Substantia non intenditur.*

Hæc resolutio non caret difficultate: quia potentia motiua est substantia, & non organica, sicut se habet intellectus, & voluntas animæ: ergo nequit intendi in suo gradu entis, aut virtutis propriæ, nisi aliquod addatur per modum formæ, aut concursus supernaturalis. Instantia etiam de visiua non soluit difficultatem, neque probat intentum: quia potentia visiua, vt est substantia, non intenditur, licèt ex impassibilitate, & purificatione organi, & perfectione qualitatum connaturalium reddatur perfectior, sua tamen virtus connaturalis productiua, & receptiua visionis manet eadem, quia substantia non suscepit magis, & minùs. *Exemplum retorquetur.*

Respondetur vel Doctorem loqui hîc iuxta sententiam eorum, qui statuunt potentias animæ esse accidentia, in qua sunt illi, quos *suprà* impugnauit; vel intelligendus est iuxta exemplum allatum de potentia visiua, eiúsque intensione ex impassibilitate, & purificatione organi, non verò intensione substantiali: quamuis autem in potentia motiua spirituali animæ, & non organica non inueniatur modus hic intẽdendi ipsam: tamen inuenitur modus intendendi eã ex non resistentia passi, & ex beatitudine potentiarũ intellectualiũ, quibus subordinatur, in quibus nulla est fatigatio, aut distractio, aut difficultas operandi, quin perfectè applicare possint motiuam subiectam ad extremum virium suarum ad operandum motum. His annecti potest etiam concursus causæ primæ debitus illi statui, & supplens quidquid est defectus ex limitatione virium, quo reddantur potentiæ perfectè dispositæ ad suum actum perfectum, & sufficientes. *Responsio & declaratio dictorum.* *Quænam intentio à Doctore intelligitur.* *Concursus Dei.*

25 *Dispositio corporis.*

Ex parte passi, seu corporis amouetur duplex impedimentum. Vnum in ordine ad motum progressiuum, quod est ex inflexibilitate iuncturarum, neruorum, & tumore etiam musculorum, quæ impediunt flexibilitatem idoneam ad motum progressiuum. Aliud impedimentum est superfluitas materiæ, humorum, spirituum densorum, fumositatum in capite, quæ non pertinent ad veritatem naturæ, hæc ergo amouebuntur, & dabuntur spiritus subtiles, per quos reddentur apti ad motum. Hæc dispositio requisita ad agilitatem ex parte corporis. Hinc deducit quintum articulum, quæ est conclusio prioris, nempe beatos habituros agilitatem ex causis præmissis, non verò ex aliqua supernaturali addita, quæ redundet ex anima, & quæ sit ab his diuersa. *5. Art.*

SCHOLIVM.

Soluit argumenta allata, & alia quæ hîc ponit pro sententia ponente agilitatem oriri ex qualitate tollente grauitatem, & reddente corpus habile ad omnem motum, & ostendit non obstante grauitate, corpus beati naturaliter quiescere sursum.

i AD illud quod obiicitur de Augustino, quòd graue pondus auferetur. Dico quòd corporis pondus aggrauans aufertur: *corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam*: & ideò hoc pondus aggrauans aufertur, non tamen omninò grauitas corporis aufertur: requiritur enim grauitas ad hoc, quòd sit corpus perfectibile ab anima, & non leuitas. Vnde sicut Philosophus dicit de cælo, quòd si esset vna stella addita, aut amota, non moueretur ab Intelligentia: ita si corpus fieret leue, non esset perfectibile ab anima, nec anima compararetur ad ipsum vt motrix: vnde videmus, quòd leuitas in aliquibus impedit motum. 12

Sap. 9.

Li. 2. c. 37. & inde, & text. c. 71.

Quando etiam arguunt, quòd si corpus gloriosum esset graue, quiesceret in centro, & violenter esset alibi, vt sursum in cælo; Prætereà, si esset graue, tunc anima continuè mouendo ipsum, fatigaretur.

Quare D. Bonau dist. præs. q. vlt.

Ad primum dico, quòd quando sunt aliquæ potentiæ ordinatæ, naturalitas potentiæ superioris est maior, quàm potentiæ inferioris: vt patet de sensu tactus, qui naturaliter secundùm propriam inclinationem delectaretur in sensibili, vel tangibili, & similiter gustus, qui tamen in beatis non habent huiusmodi actus, vt gustandi, & comedendi: nec tamen sunt ibi violenter sine actibus suis, quia sequuntur inclinationem appetitus superioris, vt voluntatis. Sic etiam est cùm graue ascendit, nè fiat vacuum: & sicut est in maiori mundo, ita in minori: vnde naturalius est corpori perfici ab anima, & quòd fiat conueniens perfectibile eius, & quòd moueatur motu competenti animæ; quàm quòd moueatur motu proprio ad centrum: & ideò secundùm inclinationem naturæ superioris quiesceret naturaliter, sed secundùm *quid* innaturaliter.

Non obstante grauitate corpus gloriosum quiescit sursum.

Quando etiam dicitur, quòd anima fatigaretur; dico quòd non, quia non vincitur, nec est contraria actio à corpore, quæ esset cum fatigatione. Et ex hoc sequitur vnum corollarium, quòd Sancti in patria non habebunt situm in cælo nisi erectum, non autem sessionis: nam inclinatio partium videtur repugnare agilitati: sed erectio, siue statio videtur esse situs conueniens corpori, inquantùm est instrumentum animæ, quia tunc magis aptum est, & promptum ad operationem: vnde & iacere magis videtur esse situs naturalis corpori humano, quàm sedere, quod includit curuitatem partium. Et confirmatur per Augustinum *in lib. de symbolo*, vbi exponens illum articulum; *Sedens ad dexteram Patris*, vult quòd non debet intelligi de sessione corporali; *Stephanus enim vidit Iesum stantem.*

Beati stabunt erecti, & quare.

Iacere magis nobis naturale, quàm sedere.

Act. 7.

k Ad primam rationem principalem, dicendum quòd aliquid est ita perfectum, quòd propter sui perfectionem non recipit vlteriorem perfectionem, sicut Deus: & aliqua sunt ita imperfecta, quòd propter sui imperfectionem non possunt recipere perfectionem, sicut accidentia vltima, vt respectus. Alia sunt entia media, quæ cum perfectione sua sunt in potentia ad perfectionem aliam, & talia sunt omnia entia absoluta citra Deum. Concedo ergo quòd illud, quod mouetur, est in potentia ad vlteriorem perfectionem, vt ad terminum motus: & quatenùs caret illo, est imperfectum: & sic corpus gloriosum, cùm non sit ens infinitum, aliquam imperfectionem habet, & mouetur ad terminum, per quem terminum acquiritur sibi aliqua perfectio, quatenùs per motum coniungitur ad aliquod corpus, circa quod operatur, nunc circa vnum, nunc circa aliud, laudando beatitudinem, & sapientiam in Deo. Vnde concedo quòd ille motus sit alicuius, quod est secundùm *quid* imperfectum. Ad aliam probationem dicendum, quòd cessatio motus cæli non est causa cessationis in omnibus aliis motibus: sed dicitur esse primus secundùm aliquam præeminentiam, & non secundùm essentialem dependentiam ad ipsum. Ad aliud dicendum, quòd non erit tunc tempus, quia non erit aliquis vnus motus primus vniformis, nec beati tunc vniformiter mouebuntur, sed velociter, & agiliter secundùm merita sua. 13

Ad arg. 1. Tria genera entiũ in ordine ad perfectionẽ acquirendam.

Cessatio motus cæli non est causa cessationis aliorum motuum.

Post iudicium non erit tempus

Ad 2.

l Ad aliud, dicendum quòd in instanti resurrectionis, sicut fient corpora gloriosa, & habebunt dotem agilitatis, sic per dotem illam rapientur obuiam Christo. Et si portabuntur ab Angelis, vel rapientur in nubibus, non sequetur aliqua imperfectio, vel violentia in corporibus: hoc enim fiet ad reuerentiam, non ad supplendam indigentiam, vel imperfectionem virtutis motiuæ in eis.

In resurrectione an à se, vel ab Angelis homines rapientur obuiam Christo.

Ad

Ad aliud dicendum, quòd licèt beati erunt in determinata approximatione ad Christum, tamen non minuetur eorum beatitudo accidentalis, cùm aliquantulum recedunt: quia recedunt secundùm libitum suum, sicut modò aliqui habent propinquitatem ad Regem in camera, vel extrà in aula. *Ad 3.*

Ad aliud, dicendum quòd beati non habebunt omnem perfectionem accidentalem, & ideò per operationem suam poterunt eam acquirere secundùm libertatem voluntatis suæ. *Ad 4.*

COMMENTARIUS.

26 *Fundamentũ opinionis impugnatæ soluitur.*

[i] AD *illud quod obiicitur*, &c. Soluit fundamentum prioris opinionis, quæ dicit grauitatem auferendam à corpore glorioso, *loco citato in litera* aliàs 22. *de Ciuit. c.* 11. *&* *serm.* 139. *de tempore, cap.* 3. quod prætereà asserunt alij, vt Cyprianus *serm. de Resurrectione Christi*, *cap.* 4. Respondet illud verum esse modo iam dicto de grauitate ex indispositione, & superfluis.

Respondet similiter ad alia fundamenta; nempe si corpus esset graue, quiesceret in centro, & violentè esset sursum. Prætereà, motus fatigaret animam. Respondet ad primum, quòd locus ille, qui est secundùm inclinationem potentiæ superioris, & potiorem totius, sit simpliciter connaturalis corpori; illa est voluntas, & inclinatio animæ beatæ, quæ informat corpus, quod declarat in textu. Ad secundùm respondet non fatigari animam, nec vinci, neque esse actionem contrariam motus à corpore ad locum centricum quia perfectè erit subiectum animæ beatæ, & secundùm propriam inclinationem animæ. Hinc deducit corollarium, nempe situm corporum in cælo esse stationem, qui est situs naturalis corporis, & probat id *ex Act.* 7. *Inclinatio naturalis potior ad locũ.* *Situs corporũ in cælo.*

27 *Ad primum principale.*

Ad [k] *primam rationem principalem*, &c. Primum fuit, quòd agilitas ponitur propter motum localem: sed ibi non erit: quia omnis motus est imperfectus, quia entis in potentia, & quia non erit motus cæli, à quo dependet, neque tempus.

Responsio. Respondet quòd aliquid non est capax perfectionis propter excessum perfectionis; aliquid etiam propter extremam imperfectionem, vt relationes. Alia sunt entia media, vt reliqua creata. Concedit prætereà motum localem inuoluere imperfectionem potentiæ secundùm *quid*, quæ perficitur per terminum motus, quo possit beatus se applicare ad aliquod corpus, creatorem laudando. Negat ad hoc esse necessarium motum cæli, aut tempus extrinsecum: dicit tamen motum beatorum non fore vniformem, sed moturos se velociter, & agiliter secundùm merita sua *Imperfectio secundùm quid motus localis.*

Ex his verbis vltimis sequitur veritas illius interpretationis superiùs præmissæ: quia si dos correspondet meritis, erit perfectior in eo, qui habet plura merita, quamuis alioquin quoad naturalia sit imperfectior, quàm alius, quem excedit in meritis: oportet perfectionem dotis excedentem refundi in Dei concursum, vt virtus motiua sit intensior in actu secundo, & non substantialiter. 28 *Agilitas ex meritis est.*

Hanc ergo intensionem intelligit Doctor *suprà*, & non substantialem.

Dices. Si ergo requiritur adiutorium concursus specialis, quid repugnat hoc adiutorium consistere in aliqua qualitate, quæ sit permanens per modum actus primi? *Obiectio.*

Respondetur ex eo repugnare, quia nequit vlla talis à Deo creari, quæ sit principium mouendi ad omnes positiones situs indifferenter: non ita se habet concursus actualis Dei, qui est semper determinatus ad illam positionem, ad quam se mouet voluntas, & applicat potentiam motiuam naturalem animæ in corpore glorioso. *Responsio.*

[l] *Ad aliud*, &c. Hoc fuit secundum: nempe si daretur talis potentia motiua in anima, non requiri alium motorem ad iudicium: sed hoc est falsum, quia ex Apostolo, electi qui tunc morientur, rapientur simul in nubibus obuiam Christo, Respondet illum raptum non fore ex indigentia, sed ob reuerentiam, & honorem. Ad alia duo patet ex litera. *Ad vltimũ.*

QVÆSTIO XV.

Vtrùm corpus gloriosum erit clarum?

D. Thom. *in addit. quæst.* 85. *art.* 1. *&* 4. *dist.* 44 *quæst.* 1. *art.* 4. Richard. *hic art.* 4. *quæst.* 6. D. Bonau. 2. *part. art.* 2. *quæst.* 1. *&* 2. Maior *quæst.* 19. Durand. 4. *dist.* 44. *quæst.* 8. Suar. 3. *part. tom.* 2. *dist.* 48. *sess.* 2. Soto *hic quæst.* 4. *art.* 8.

1 TRVM corpus gloriosum erit clarum? Videtur quòd non. Lucidum occultat illud, quod est intra se; sed corpora gloriosa non sic, quia Greg. 18. Moral. super illud Iob. *Non æquabitur ei aurum, &c.* dicit, *quòd patebit oculis corporalibus beatorum harmonia interiorum.* Et confirmatur ratione, ista harmonia corporis est delectabilis; nam pulchritudo naturæ incipit ab intrà, è conuerso pulchritudo artis est tantùm extrà: sed beati possunt percipere quodlibet sensibile delectabile: ergo, &c. *Arg. 1.*

Prætereà, lux & color requirunt determinatam dispositionem contrariam in subiecto; *Arg. 2.*

Quid pulchritudo. cto; sed corpora gloriosa erunt colorata, per August. 22. *de ciuit. Dei. cap.* 19. Pulchritudo corporis est partium congruentia cum quadam coloris suauitate: sed pulchritudo conuenit corporibus gloriosis: ergo, &c.

Arg. 3. Præterea, si ibi esset claritas, ergo immutaret visum oculi non gloriosi; sed visibile ab aliquo oculo, si opponitur sibi, necessariò videtur: ergo claritas corporis gloriosi necessariò videtur, quod apparet esse falsum, sicut patet de Christo, quando apparuit discipulis euntibus in Emaüs, cùm tamen corpus Christi esset gloriosum: igitur, &c.

Rat. opp. Contrà, Sapientiæ 3. dicitur. *Fulgebunt iusti sicut Sol, &c.*

SCHOLIVM.

Dari dotem claritatis, ex Sap. 3. & habetur Matth. 13. & 17. vbi de transfiguratione, & ad Phil. 3. ibi, reformabit corpus configuratum corpori claritatis suæ, *de hac Ruff. in Symb. Clem. lib. 1. const. cap. 8. August. 3. doct. cap. 5. & 2. de consen. Euang. cap. 56. Greg. 18. mor. 31. Hieron. epist. 103. ad Paulin. & in Amos 5. Ambr. & Anselm. in 1. Cor. 15. putat Doct. hanc consistere in perfectissimo colore, cum refulgentia, & fortè cum luce, si corpus humanum est lucis capax.*

2. Respondeo, & dico quòd corpora beata erunt clara. Claritas enim est quædam refulgentia, & addit super lucem, & colorem, manifestationem sui, quomodo dicitur clara lux, vel clara veritas, vel clara intellectio, id est, manifesta, pro quanto dicit perfectam manifestationem sui: si ergo loquamur de claritate coloris sui corporis, dico quòd corpora beatorum erunt clara, quia habebunt perfectam manifestationem sui corporis: habebunt enim colorem perfectè manifestatiuum sui, quia quilibet habebit colorem pulchrum secundùm gradum complexionis suæ: quia non omnes habebunt eundem colorem, nec secundùm eundem gradum, qui habent similem colorem: quia commensurationes colorum sequuntur commixtionem propriarum qualitatum; & ideò secundùm diuersas complexiones habebunt diuersos colores: vnde & modò magis delectatur vnus in vno colore, quàm in alio, quia conueniens est complexioni suæ: & sic non omnes erunt æquè clari, etiam habentes sibi similem complexionem, sed secundùm merita sua. Vnde secundùm Apostolum. *Alia est claritas Solis, &c.* & illa claritas videtur sufficere, quia magis delectatur sensus visus hominis in pulchro colore corporis humani, quàm in corpore luminoso; vnde plùs delectatur naturaliter in videndo faciem humanam benè coloratam, quàm solem: Ille ergo modus claritatis est mihi planus, quòd erit in beatis, quia in eis erit color secundùm vltimam perfectionem conuenientem complexionibus suis. Si autem corpus beati sit capax lucis, & non tantùm coloris, placet mihi, quòd ponatur ibi. Talem autem colorem, scilicet vltra perfectionem complexionis suæ cum refulgentia, talem esse dotem claritatis voco. 2

Claritas supra lucẽ addit sui manifestationem. Beati non habebunt eundem colorem omnes, vel non secundùm gradũ eundem.

1. Cor. 15.

Claritas beati est color perfectissimus cũ refulgẽtia.

COMMENTARIVS.

1 *Corpora beatorum erunt clara. Quid sit claritas.*

1 Respondeo, & dico, &c. Hanc quæstionem breuiter resoluit, & respondet ad argumenta. Dicit primò quòd corpora beatorum erunt clara; claritas enim erit quædam refulgentia, & addit super lucem, & colorem perfectionem illam, quæ est esse manifestatiuum sui: erunt ergo corpora beatorum clara: quæ habebunt colorem cum refulgentia secundùm diuersum gradum complexionis, & meritorum: & hunc modum claritatis dicit esse planum, hoc est sine controuersia.

2 *An sint lucida? Responsio Doctoris.*

An præterea sint corpora beatorum lucida?

Ad hanc difficultatem respondet Doctor his verbis: *Si autem corpus beati sit capax lucis, & non tantùm coloris, placet mihi quòd ponatur ibi. Talem autem colorem, scilicet vltra perfectionem complexionis suæ cum refulgentia talem esse dotẽ claritatis voco.*

Hinc aliqui interpretantur Doctorem negasse corpora gloriosa lucida. Sed meliùs Bassolis *in hac dist. quæst. 3.* & Nicolaus de Nyssa *tract. 7. par. 3. portione 3. q. 4.* dicunt eum non negasse esse lucida, sed potiùs affirmasse, si sit hoc possibile; vt patet etiam in paragrapho sequenti: *Et ideò*, inquit, *magis videtur possibile, quòd corpus beati sit lucidum & coloratum, quàm quòd sit lucidum & luminosum; & tunc potest dici, quòd color, & lux secundùm se non repugnant, nec ex parte sensitiui, sed ex parte agentis, & ideò simul ab agente creato non possunt induci, &c.* Et infrà. *Ad aliud*, inquit, *patet responsio ad dicta, quòd corpora beatorum erunt colorata, & si lux in eis possit recipi, placet mihi quòd dicantur lucida. Et tunc oportet dicere quòd lux & color absolutè non repugnant, nisi per comparationem ad actionem agentis creati.* Hinc ergo optionem faciens affirmandi corpora gloriosa esse lucida, & soluens rationem naturalem, quæ opponi posset, non est in sententia negatiua: sed asserit quòd certum est: aliud verò non probat ostensiuè esse possibile: sed soluit rationem, qua opponi posset repugnantia: vnde sublata repugnantia placet ei sententia affirmatiua, quæ docet

cet corpora illa esse lucida; ratio autem difficultatis est circa possibilitatem: primum naturalis: tum quia corpora lucida de facto non sunt colorata: & quia lux vindicat sibi diuersum subiectum de facto; neque actione naturæ possit produci in subiecto colorato, & mixto, sed in simplici: ergo si saluari potest claritas sine luce, non debet inuolui hæc difficultas mysterio. Quamuis autem Scripturæ dicant fulgere beatos, sicut Sol fulget, & sicut splendor firmamenti, & sicut stellæ, intelligi potest metaphoricè de splendore in anima, vel de claritate in pulchritudine.

Ratio difficultatis ex qua repugnat lux corpori beato.

Interpretatio Scripturæ.

4 *Replica.* Quòd si dicas verba Scripturæ intelligenda esse propriè.

Soluitur. Respondetur id verum esse, si materia pariatur; in proposito autem non ita contingit: quia accidens corporis simplicis nequit communicari corpori mixto, quod habet qualitates natura sua diuersas. Deinde, oritur difficultas ex causa huius lucis in corpore glorioso: quia aliqui dicunt redundare ex beatitudine animæ: quod videtur repugnare physicè loquendo, quasi beatitudo esset causa productiua illius lucis physicè. Alij verò dicunt à Deo supernaturaliter produci; quod etiam petit probationem, si ita sit producibilis; hinc Doctor non determinat quæstionem obscuram de possibilitate; sed hac data asserit affirmatiuam, & soluit rationem in contrarium, supponens ab agente creato non posse produci lucem in colorato, possibile tamen esse Deo; & assignat quandam conuenientiam in subiecto, quòd sit corpus densum, & terminatum. Vnde Durandus *in 4. d. 44. q. 8.* docet negatiuam esse fortè probabiliorem: quia non habet difficultatem; affirmatiuam verò esse difficillimam, & sola diuina potentia possibilem.

5 *Esse lucida.* Quantùm ergo ad resolutionem, dicendum est corpora gloriosa fore lucida, & huic non repugnat Doctor. Eam tenent communiter Theologi *in hac dist. & dist. 44. huius* & patet Matth. 13, *Fulgebunt iusti sicut Sol in regno Patris*, &c. *Fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent*. &c. Sap. 3. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt tanquam splendor firmamenti*, &c. Dan. 12. *seminatur in ignobilitate, surget in gloria*, &c. 1. ad Corinth, 15, quæ verba referri debent ad præcedentia, *Alia quidem cælestium corporum gloria, alia terrestrium: alia claritas Solis, alia Lunæ*, &c. Quem locum explicant Patres de gloria claritatis corporum, qui communiter docent hanc veritatem. Cyrill. Hierosolym. *Catechesi* 18. Lactant. *lib.* 7. Iust. *cap.* 26. Clemens. *lib.* 1. *const. cap.* 8. Hieronym, *epistola* 103. Ruffinus *in expositione Symboli*. Anselm, *in lib. de similitudinibus, cap.* 50. *& in locum Pauli citatum*, sicut & Ambrosius, & Theodoretus, Gregorius *lib.* 18. *Moral. cap.* 23. Augustin. *variis in locis, vt serm.* 143. *de tempore lib.* 22. *de ciuit. cap. vlt.* cùm ergo interpretationem literalem Scripturarum præmissarum tradunt Patres, non est quòd de possibilitate facti, aut de veritate huius resolutionis dubitetur; & quia magis commendat bonitatem, sapientiam, & potentiam Creatoris, & quia magis extollit fructum bonorum operum, cumulum beatitudinis, *quam preparauit diligentibus se*: & quia sic magis congruum est fini, vt corpus illud, in quo Deo præstitum est obsequium seruitutis, & obseruantiæ legum, & quod inter alia corpora excedit; quia & capax vitæ, & animæ gloriosæ, etiam in perfectione, & gloria excedat alia quæcunque corpora, sicut & finis creationis eius excedit finem reliquorum: lux autem maximè facit ad perfectionem corporum, & excessum super aliis obscuris, & opacis, quæ per has qualitates reddantur ignobiliora. Ratio autem in oppositum est iam soluta à Doctore, nempe coloratum fieri lucidum repugnare virtute agentis creati, non virtute diuina. Definitio autem lucidi tradita ab Auicenna, & aliis naturalibus, saluatur in proposito: quia corpora beatorum retinebunt densitatem necessariam ad informationem animæ, & lux in eis non impeditur per colorem, & refulgentiam eius.

Probatio ex Scriptura.

Ex Patribus.

Congruentia.

Corpus humanum excedit reliqua.

Dubitatur tamen circa disparitatem illam assignatam inter causas huius lucis in colorato corpore glorioso: an sit illa lux producta à solo Deo, an ab aliqua causa creata. Prima sententia est eam prouenire à beatitudine animæ; ita D. Thomas 1. 2. *quæst.* 4. *art.* 6. *& in* 3. *part. quæst.* 45. *art.* 2. *in* 4. *dist.* 44. *quæst.* 2. *art.* 4. *quæstiuncula* 1. *& lib.* 4. *contra Gentes cap.* 86. quem sequitur problematicè Richardus *art.* 4. *quæst.* 6. tenet Abulensis *in cap.* 17. *Math. q.* 127. 6

An illa lux fit à Deo immediatè.

Sententia asserens fieri ab anima.

Oppositum docet Doctor, nempe à Deo solo fieri: quod item docet Durandus *loco citato.* Sotus *in* 4. *dist.* 49. *quæst.* 4. Angles *in flor. de beatit. art.* 5. *diff.* 5. *dubio* 3. Suarez *disp.* 48. *sect.* 2. Salas *supra sect.* 16. Valentia *in* 4. *tom. disp.* 11. *quæst.* 5. *puncto.* 1. & Richardus *suprà.* Lusitanus *lib.* 5. *de perfect. corporis gloriosi quæst.* 4 *art.* 6. §. 2. Probatur, quia non apparet sufficiens fundamentum, aut modus, quo hæc claritas possit redundare physicè in corpus ab anima; quia modus, quo D. Thomas explicat hanc redundantiam, videtur Metaphoricus: v. g. sicut ex vno vase pleno redundat aqua in aliud subiectum, ita gloria ex anima in corpus: hic modus non videtur subsistere in similitudine: quia gloria animæ est spiritualis, quæ non potest redundare formaliter eadem, sicut aqua in corpus materiale. Deinde, gloria corporis, seu claritas lucida erit sensibilis, & conspicabilis oculis corporeis. Secundus modus redundantiæ est, nempe per quandam emanantiam, vel efficientiam, sicut vel proprietas emanat à subiecto, vel terminus actionis ab agente efficienter, ita gloria corporis per modum proprietatis, aut effectus sit à gloria animæ: sed neque hic modus etiam sufficiens videtur; quia non est talis connexio inter claritatem animæ, & corporis, qualis est inter subiectum, & proprietatem inseparabilem, si illa intelligatur; quia talis claritas non est in Angelis, quamuis in ipsis beatitudo sit eadem in specie: neque etiam visio beatifica causat talem effectum in Angelis, aut habet talem virtutem; hæc enim claritas corporis est ipsi supernaturaliter data. Vnde nulla necessitate refundi potest in beatitudinem essentialem tanquam in causam. Ad producendam hanc qualitatem aliqui statuunt probabiliter Deum vti instrumento corporeo. Sed hoc sine fundamento affirmatur in facto, quidquid sit de possibili. Neque in actionibus propriis Dei fingenda sunt instrumenta sine fundamento; nam vsus instrumentorum in via ad aliquos effectus est ad instructionem nostram, & commodum vsum, vt contingit in Sacramentis; hîc autem talis necessitas non occurrit.

7 *Præcedens opposita.*

Probatio secundæ sententiæ.

Lux corporis non redundat ex gloria animæ formaliter.

Neque effectiuè.

Producitur à Deo sine instrumento.

Quis sit finis instrumentorum diuinorum in via.

SCHOLIVM.

Ad primum putat corpus beatum non futurum perspicuum instar crystalli, tamen oculi beati videre poterunt eius interna instar lyncis, per poros, qui tunc erunt minores, quàm modò: quod videre poterunt interna, præter Greg. citatum id tenent August. 22. ciuit. 30. Chrys. epist. 5. ad Theodor. D. Thom. in add. quæst. 85. art. 1. Alij putant futura corpora beata peruia. Vide Suar. tom. 2. 3. part. dist. 48. sess. 2 Soto hîc quæst. 4. art. 8. Rich. artic. 4. quæst. 6. Maior. quæst. 19. an verò beatus possit occultare suum corpus, néc ne. D. Thom. affirmat, Doctor negat id posse fieri imperio voluntatis beati, sed benè Deo denegante concursum, vt videatur, & hoc modo fortè videt oculus beatus interna corporis beati, quando scilicet alius beatus videri vult, non aliter.

Ad arg. 1. 2. Cal. com. 41. & alibi.

[b] AD primum secundùm auctoritatem Gregorij. Videtur quòd illa corpora erunt peruia, & perspicua, sicut vitrum coloratum: & cum hoc lucida, quod videtur mirabile. Nam secundùm Auicennam. 6. *Naturalium*, lumen, lux, & color, habent diuersa receptiua, & minùs aliquid potest esse receptiuum luminis, & lucis, quàm lucis & coloris: quia susceptiuum lucis est opacum, & densum, susceptiuum autem luminis est peruium. Vnde densior pars orbis est lucida, vt stella, nec potest per eam videri, quod post eam est, imò eclipsat illud, vel aliam stellam: aliæ autem partes orbis sunt luminosæ, & perspicuæ, & ideò si corpora beatorum sint lucida, non videtur quòd sint peruia, nec per illa possit videri aliquod corpus. Susceptiuum autem coloris est densum: quia color non est nisi in perspicuo terminato. Ideò magis videtur possibile, quòd corpus beati sit lucidum, & coloratum, quàm quòd sit lucidum, & luminosum, & tunc potest dici, quòd color, & lux secundùm se non repugnant, nec ex parte sensitiui, sed ex parte agentis, & ideò simul ab agente creato non possunt induci: sed partes perspicuæ non sunt receptiuæ lucis, sed tantùm luminis. Et ideò colorata, & quæ habent lucem, non possunt esse perspicua: vel si sint perspicua, & cum hoc, habent lucem, non sunt nisi sicut noctiluca. 3

Susceptiuũ lucis, densum, opacũ, luminis autem, peruiũ.

Corpus beatum erit lucidum & coloratum, non lucidũ & luminosum.

Quomodo corpora beatorum erunt peruia?

Quomodo ergo saluabitur auctoritas Gregorij, non video quòd corpus gloriosum possit dici peruium, nisi propter poros, non propter aliquam perspicuitatem: ita quòd caro solida beati fiat tanquam crystallus; tamen in corpore eius erunt pori, & minores quàm modò sint, & tunc oculus beati per suam limpiditatem poterit videre per illos poros, sicut si esset transparens, sicut dicitur, quòd lynx potest videre per parietem: si autem non sic videat, tunc saltem videbit oculo mentis ea, quæ sunt intra in corpore glorioso. 4

Ric præs. dist. art. 4. quæst. 6. D. Bonau. hîc.

[c] Ad aliud patet responsio per dicta, quòd corpora beatorum erunt colorata, & si lux in eis possit recipi, placet mihi, quòd dicantur lucida. Et tunc oportet dicere, quòd lux, & color absolutè non repugnant, nisi per comparationem ad actionem agentis causati.

[d] Ad aliud dicitur, quòd claritas corporis Christi non potuit videri ab oculo non glorificato propter infirmitatem visus, & excellentiam claritatis eius; sed hoc nihil est, quia oculus debilis virtutis potest percipere quodcunque visibile, licèt non apprehendat illud; sicut potest videre solem, licèt non videat sicut aquila actu permanente: potest tamen percipere oculo carnis, licèt reuerberetur.

Alij textus sic habent;

Si dicas, natura non potest in hanc immutationem intentionalem sine reali, & ita si oculus discipulorum vidisset claritatem illam, intentionaliter immutatus, videtur quòd fuisset realiter immutatus, & ita corruptus. Dico quòd in reali immutatione non potest sine actu permanente: tamen raptim illa claritas potest immutare visum intentionaliter: vnde discipuli in Transfiguratione Christi non potuerunt ferre claritatem corporis gloriosi, scilicet actu permanente. Sed propter hoc non sequitur, quin aliam perceptionem, vel immutationem corporalem habuerint, saltem intentionalem: sed si diu staret immutatio intentionalis, haberet cum intentionali realem, & corrumperet.

[e] Alij dicunt, quòd beatus potest occultare claritatem corporis sui ex imperio voluntatis 5

luntatis animæ, à qua redundat, & fluit in corpus illa claritas. Sed non video quòd aliqua actio naturalis subsit voluntati creatæ: nulla enim voluntas creata potest impedire actionem ignis, nè agat in aquam sibi approximatam: potest tamen hæc amouere ab inuicem, sed hoc non est impedire per actum voluntatis. Et ideò videtur mihi sine assertione, quòd nulla qualitas actiua, quæ est præcisè corporis, subsit ipsi animæ, siue eius imperio: & ideò quicunque beatus, qui habet claritatem, quando est approximatus passo proportionato sibi simpliciter, vt oculo glorificato, vel passo aliqualiter proportionato, vt oculo non glorificato, necesse est quantùm est ex parte sui, quòd immutet.

D. Thom. dist. 44. 4. art 2. q. 4. & Ric. vbi supra. Vide Var. in hoc 4. q. seq.

Quid ergo dicemus? Nunquid claritas Christi post resurrectionem non immutauit oculos discipulorum? Dico quòd hoc fuit per potentiam diuinam, quia Deus est primum agens coagens cuilibet creaturæ, & quando ipse non agit, creatura desinit agere; poterit autem fieri, vt ad voluntatem cuiuslibet sancti Deus non coagat illi claritati, quando vult beatus, quòd sua claritas non videatur: & sic potest dici beatus occultare claritatem suam, non quòd hoc fiat immediatè à voluntate sua, sed ad imperium voluntatis suæ Deus occultat non coagendo claritati.

Beatus potest se occultare, quia eo sic volente, Deus non coaget ad visionem eius.

Sed quomodo tunc Christus ostendit se in forma peregrini, nunquid in alio colore, quem ipse habuit? Respondeo quòd Deus potest causare visionem in oculo non beato per qualitatem, quæ non est illius obiecti: & sic potuit causare visionem in oculis discipulorum de peregrino ipso existente in claritate, & colore proprio, non habente in se illam formam, aut colorem, nec tamen decipiebat, quia deceptio non est nisi in via morum: nec tamen etiam fuit illusio, quia certi erant, quòd ipse fuerit talis in persona. Ostendit ergo se eis, vt crederent, quòd talis erat in persona: & melius hoc fuit quàm si vidissent eum in claritate Christi: solùm enim eis intendebat ostendere personam suam.

Christus quomodo in forma peregrini se ostendit. Quia si viderent eius gloriã, eam non crederent.

COMMENTARIVS.

8 *Ad arg. ad primum.*

AD [b] *primum secundùm authoritatem Gregorij*, &c. Primum fuit: quòd lucidum occultat illud, quod est intra se; sed corpora gloriosa non sic secundùm Gregorium: *lib.* 10. *Moralium* dicentem *cap.* 31. quòd patebit oculis corporalibus harmonia corporis gloriosi interior. Deinde, quia hæc est delectabilis visui: quia pulchritudo naturæ incipit ab intra, &c. Hoc argumentum petit illam difficultatem: An scilicet corpora beatorum erunt lucida, & simul luminosa, & transparentia, sicut crystallus, aut vitrum. In partem negatiuam magis inclinat Doctor propter repugnantiam corporis lucidi, & colorati, quæ sunt impervia ad perspicuitatem: dicit ergo lucem minùs repugnare corpori glorioso, quàm lumen, quod recipitur in perspicuo: lux autem in superficie est corporis lucidi. Eandem sententiam docet D. Bonauent. *in* 2. *part huius distinctionis art.* 5. *part.* 1. Richard. *art.* 4. *quæst.* 6. Angles *suprà dub.* 4. Sotus *q.* 4. *art.* 8. Abulensis citatus Durand. *d.* 44. *q.* 8.

An corpora beatorum erunt transparentia.

Sententia negatiua præfertur.

Oppositam sententiam tenet Alen. 3. *part. quæst.* 22. *num.* 1 *art.* 1. D. Thom *in* 4. *d.* 44. *quæst.* 2. *art* 4. *quæst.* 1 *ad* 2. Paludan. *quæst.* 5. *art.* 2. *conclus.* 1. Suarez, Salas, Lusitanus *art.* 3. § 2.

Affirmatiua.

9 *Explicatur Gregorius.*

Respondet Doctor ad auctoritatem Gregorij dicens oculum gloriosum videre posse interiora, & fore ipsi perspicua per poros, sicut lynx dicitur à naturalibus videre, quæ post parietem sunt; quod pluribus documentis docet Cælius Rodignius *lib.* 16. *cap* 2. Vide plura de hoc *ibidem*, & *Conimbricenses lib.* 2. *de anima quæst.* 9. *cap.* 2. Abulensis etiam *in paradoxo* 3. *cap.* 30. dicit corpus opacum intermedium non prohibere visionem oculi gloriosi: qui proinde, vt erit perspicacissimus, videbit omnia interiora corporis gloriosi per poros eius: vnde sicut affirmat Rodignius *loco citato* nullum est corpus adeò opacum, quin subsit influentiæ cælesti mediante luce, & lumine, quod recipitur in meatus, & poros eius: ita à fortiori, vel lux ipsa corporis gloriosi per omissionem radiorum illuminabit sua interiora, vel certè radij emissi ab oculis gloriosis idem præstabunt. Vnde ad hunc effectum non est necessarium corpora illa fore aliter perspicua, aut in modum Crystalli apparentia: quanquam neque hoc etiam certo fundamento negare possumus, cùm illud affirmare videatur Gregorius, & alij: quia non possumus ratione naturali penetrare gradum densitatis, & opacitatis requisitæ in corpore ad naturalem informationem, & functiones animæ necessarias, & perfectas: Quæstio ergo incerta est.

Videri interiora per poros.

Quæstio est dubia.

[c] *Ad aliud patet responsio*, &c. Hoc fuit secundum, & solutum in corpore. 10

[d] *Ad aliud dicitur*, &c. Hoc fuit tertium: Si ibi esset claritas, immutaret visum oculi non gloriosi: sed hoc est falsum, vt de discipulis euntibus in Emaüs, qui non viderunt claritatem Christi, & aliàs sæpè post resurrectionem, quando apparuit Apostolis, licèt corpus eius fuerit gloriosum.

Ad 3.

11 Hoc argumentum petit illam difficultatem, an videri possit corpus gloriosum ab oculo non glorioso? Negat Richardus propter excellentiam visibilis; sed hanc sententiam rectè reiicit Doctor dicens in transitu videri posse, licèt non permanenter, neque intensè. Replica autem sequens cum sua responsione, quæ notatur tanquam alius textus, desumpta est ab alia impressione, & rectè cohæret præsenti instituto, inquantùm negat immutationem realem per sensibile excellens esse coniunctam immutationi intentionali, quando hæc non est permanens, sed transiens, & raptim fit, vt exemplo Apostolorum

An corpus gloriosum videri possit ab oculo non glorioso? Videri posse non fixè.

Apostoli in transfiguratione viderũt claritatem Christi. lorum in transfiguratione Domini præsentium patet: Lusitanus *art.*7.§.3. dicit hanc claritatem non posse videri ab oculo non glorioso, nonquidem remissè, quia nempe est supernaturalis illa qualitas in substantia. *Sententia negatiua.* Contrarium cum Doctore docet D. Thomas *d.*44.*quæst.*2.*art.*4. Durandus *quæst.*8. Paludanus *art.*3.*q.* 3. & communnis nostra Schola, Sotus *hîc quæst.*4.*art.*8. Pisantius 3. *par. q.* 85. *art.* 3. Valentia citatus *quæst.* 5. *puncto primo.* *Affirmatiua est vera.* Probabiliorem censet Suarez *sect.*2. *disp.* 48. neque oppositum aliquo probabili fundamento asseritur: nam seruando proprietatem, si comparatur in Scriptura cum claritate Solis, Lunæ, firmamenti, stellarum, rectè sequitur eam esse eiusdem speciei: nec refert quòd à solo Deo producatur in corpore, & supernaturaliter: nam etiamsi sic produceret claritatem Solis in ligno, vel in lapide, esset supernaturalis hoc modo: quia à nulla causa naturali in eo produci posset, neque talem exigit ex se inclinatione, aut principiis intrinsecis: tamen videretur ab oculo non glorioso, qui circa rationem formalem sui obiecti natus est versari in quocunque ponatur: eodem modo in proposito de claritate corporis gloriosi, quæ nullum alium gradum supernaturalitatis sibi vindicat, neque facilè in genere qualitatis sensibilis, & materialis supernaturalitas in substantia fingenda est, & sine fundamento. Responsio ergo Doctoris est vera.

12 *Responsio aliorum.* [c] *Alij dicunt*, &c. Adducit responsionẽ, seu opinionem aliorum, qui dicunt claritatem corporis gloriosi non videri nisi quãdo vult ab oculo non glorioso, quia illa redundat ex anima, cui proinde subiicitur. Est D. Thomæ. *Reiicitur.* Hanc non probat Doctor, quæ etiam in fundamento suo reiecta est *suprà*: quia illa non fluit ab anima, sed à Deo solo producitur, ac proinde non subest voluntati beati ex propria virtute, neque etiam actio eius, imò neque actio alicuius qualitatis corporis gloriosi subest imperio suæ voluntatis, quod fusiùs *suprà* probatum est agendo de impassibilitate.

Quòd si obiicias claritatem Christi non fuisse visam à discipulis euntibus in Emaüs. *Replica.*

Respondet, quòd fuit per diuinam potentiam. *Solutio.* Adiungit præstereà posse dici de beatis claritatem eorum non videri quando volunt, Deo non concurrente ad eius manifestationem: & sic subest imperio suæ volũtatis non mediatè sed immediatè. 13 *Dubium.* Deinde mouet dubiũ quomodo viderint discipuli Christum in colore, & forma peregrini

Respondet Deum potuisse in eis causare illam *Soluitur.* speciem sic repræsentantem obiectum secundùm calorem, quem non habuit, & sic non causat deceptionem, aut illusionem, sicut etiam Angelus potest apparere in corpore assumpto, in forma hac, vel illa, quæ à vidente non discernitur à vera, & reali: sic Christus apparuit discipulis in forma eis competente, &, vt dicit Gregorius *tom* 23. *in Euangelia* quæ designabat discipulis statum mentis, & fidei vacillantis. De inconuenienti illo, quod Doctor remouet, nempe illusionis & deceptionis, plura dici possint, quæ magis spectant ad tractatum de fide. Pro nunc sufficiant verba Gregorij. *Audistis*, inquit, *charissimi: quia duobus discipulis ambulantibus in via, non quidem credentibus: sed tamen de se loquentibus, Dominus apparuit: sed eis speciem, quam recognoscerent, non ostendit: hoc ergo egit foris Dominus in oculis corporeis, quod apud ipsos agebatur intus in oculis cordis: ipsi namque apud semetipsos intus & amabant, & dubitabant: eis autem Dominus, foris & præsens aderat, & quis esset non ostendebat*, &c.



Qvæstio XVI.

Vtrùm corpus beati er dotem subtilitatis possit simul esse cum alio corpore.

D. Thom. *in addit. quæst.*83. *art.* 1. & 4. *dist.*44 *quæst.*2. *art.*2. D. Bonauent. *hîc* 2. *p. art.*3. *quæst.* 1. Richard. *art.*4. *quæst.* 5. Durand. *dist.*44. *quæst.*6. Palud. *quæst.*3 Suar. 3. *part. tom.*2. *disp.*48. *sect.*5.

[a] Vtrvm corpus beati per dotem subtilitatis possit simul esse cum alio corpore? Videtur quòd non, primò, quòd non est ibi subtilitas, quia corpus subtile est, quod habet pauciores partes materiæ sub eadem, vel maiori quantitate; sed corpus gloriosum habet æqualem materiam sub æquali quantitate, sicut priùs: ergo, &c. Et quòd non possit esse cum alio in eodem loco per dotem subtilitatis, arguitur sic: per dotem non potest vnum corpus esse in duobus locis: ergo nec duo in vno. Antecedens est manifestum; consequentia etiam patet. 1

Vide Var. in 4. q. præs. 1. Phys. tit.17. 1. Prior. & 7. Top. & 1. Elench. & 4. Meta. idẽ habetur. Tex.37. & tex. 76. & circiter. Cap.20.

Prætereà, quæ vni, & eidem sunt eadem, inter se sunt eadem; sed si vnum corpus erit cum alio corpore in eodem loco, erunt ambo eidem eadem: ergo tunc non erunt duo. Minor probatur dimensiones illius corporis non possunt esse diuersæ: à dimensionibus loci, patet 4. *Phys.* imò sunt eædem simpliciter: & dimensiones alterius corporis erunt eædem, eodem modo dimensionibus loci: ergo inter se sunt idem.

Prætereà, quæ magis conueniunt, magis videntur posse esse simul; sed duo corpora gloriosa magis conueniunt, quàm gloriosum cum non glorioso; & tamen non ponitur, quòd simul sunt per dotem subtilitatis: ergo nec ista.

Contrà, Dam. lib. 4. cap. vlt. & fundatur super illud Ioan. quòd *ianuis clausis intrauit Iesus*:

Iesu:ergo duo corpora fuerunt simul. Et sic etiam in partu Virginis,& in exitu Christi de tumulo. Præterea,Cælum est corpus indiuisibile;sed beatorum corpora transeunt per ipsum, & post resurrectionem poterunt moueri ad omnem situm inferiùs & superiùs;neque hic oportet propter hoc ponere semper miraculum:ergo,&c.

COMMENTARIVS.

1 V*Trùm* [a] *corpus beati per dotem subtilitatis*,&c. In hac quæstione primùm adducit fundamenta sententiæ negatiuæ, & illa soluit. Deinde, adducit modum dicendi aliorum,illúmque impugnat.Tertiò resoluit quæstionem ex propria sententia, & respondet sententia ad argumenta principalia. *Ordo,& diuisio quæstionis.*

SCHOLIVM.

Corpus beatum futurum subtile,id est:potens alia corpora penetrare. Probat in ratione ad oppos.ex ingressu Christi clausis ianuis ad discipulos,& ex virginitate, & partu Mariæ,de quo Chrys.& Theoph.in 1.*Cor.*15.*Damasc.lib.*3. *cap. vlt. & lib.* 4. *cap* 28. *Anastas.lib.*5. *de resur.Anselm.de similit.cap.*53.*Lauren.Iustin.de perfect. Monast.c.*53. *Richard hîc art.*4.*quæst.*5.*D.Bonauent.in breuiloq. part.* 7.*cap.* 7. *Suar.* 3.*part. dist* 48. *sect.*1. *& citans alios sup.adducit Doctor fortia argumenta pro Philosophis contra hanc veritatem.*

2 [b] DIcunt quidam,quòd per nullam virtutem, nec creatam, nec increatam possunt duo corpora esse simul: quod probant per Boëtium 1. *de Trin.* qui dicit, *differentiam in numero accidentium varietas facit*, & sequitur, *tamen locus est semper diuersus, quoniam vnum duobus nullo modo fingere possumus*. Ex hoc arguitur sic, si varietas loci differentiam in numero facit,contradictio est,quòd duo corpora sint in vno loco. *Opin. Philosoph. Cap.*1.

Præterea, dimensio est formalis ratio repugnandi duo corpora esse simul, quia secundùm Philosophum 4. *Physic.* dimensiones solùm faciunt distare per se, non per passionem,nec per aliquid aliud:tunc sic, si forma, vel ratio repugnandi duo corpora esse simul,est dimensio distincta, tunc manente dimensione, quæ est ratio formalis huius repugnantiæ, impossibile est duo corpora esse simul. Et confirmatur, sic se videntur habere duæ dimensiones ad essendum in loco,sicut duo accidentia contraria ad subiectum;sed duo accidentia contraria non possunt esse simul in eodem subiecto: ergo nec duo corpora habentia distinctas dimensiones,possunt esse in eodem loco. *Text.*76.

Præterea,quodcunque inducit vnum contrariorum, expellit reliquum: ergo qui mouet vnum corpus ad locum, expellit reliquum: sed hoc non fieret si possent esse simul in eodem loco:ergo, &c. Quòd autem duo accidentia contraria non possunt esse simul in eodem subiecto per nullam potentiam,patet per Philosophum.4.*Metaph.* qui dicit,quòd eadem ratione contradictoria,sicut contraria essent in eodem. *Text.*9. *& text.*27. *quære* 10. *Met.t.*15.

3 Præterea,hoc probatur per rationem diuisiuam: in corpore naturali non sunt nisi ista,scilicet materia,& forma,quantitates,& qualitates;sed formalis ratio repugnandi duo corpora esse simul,non est materia,nec forma substantialis, nec qualitates, quia corpus aliquod potest rarefieri,vel condensari manente eadem materia, & forma, & qualitatibus mutata sola quantitate: sed corpus condensatum,& rarefactum occupat alium & alium locum:ergo,&c.

Præterea,duo indiuisibilia non possunt esse immediata, quia tunc non essent duo, vt patet 6.*Physic.* ergo à simili potest argui;si duo corpora essent simul immediata,non remanerent duo:eadem enim ratio,quæ est de vno,erit de alio. *Text.c.*1. *& inde.*

Præterea,à puncto vno ad punctum vnum non potest trahi,nisi linea vna recta:sed si duo corpora essent simul, possent trahi duæ rectæ lineæ ab vno puncto corporis continentis, ad alium punctum eiusdem corporis contenti, quia in duobus corporibus: ergo, &c.

COMMENTARIVS.

2 *Sententia negatiua.* [b] D*Icunt quidam*, &c. Hanc sententiam non solùm Philosophi,sed etiam aliqui Thologi docent,Durand.*in* 4.*d.*44.*quæst.*5. *art.* 2. Paludanus *quæst.*3.*art.*2.*pro sententia* adducit sex rationes. Prima est ex authoritate Boëtij dicentis: *Locus semper est diuersus,quoniam vnum duobus nullo modo fingere possumus*, &c. Secunda ratio est ex dimensione formali, quæ in diuersis corporibus in ordine ad eundem locum repugnat formaliter, *Eius fundamenta.*

ter, ſicut duo contraria repugnant eidem ſubiecto. Tertia eſt ex repugnantia virtuali agentium; quia quod corpus mouet ad locum, ab eo repellit aliud incompatibile. Quarta ratio eſt, quòd hæc repugnantia tantùm fundetur in quantitate, non in materia, forma, aut qualitatibus diuerſorum corporum. Quinta ratio eſt, quia duo indiuiſibilia non poſſunt eſſe ſibi immediata, quia ſic non eſſent duo 6. *Phyſ. tex. com.* 1. ergo ſi duo corpora poſſunt eſſe ſimul, non erunt duo. Sexta ratio: quia ab vno puncto ad vnum non poteſt trahi niſi vna linea recta; ſed ſi duo corpora poſſint eſſe ſimul, poſſint etiam trahi duæ lineæ: ergo, &c.

SCHOLIVM.

Subtilitatem non conſiſtere in diuiſione corporum, qua beatus volet intrare: probat ex ingreſſu Chriſti, virginitate Mariæ, & quia corpora beata erunt ſimul cum cælo empyreo. Oſtendit quòd beatus non poteſt figurare ſuum corpus ad libitum, quia anima non informaret illud ſub quacunque figura.

Durand. in 4. d. 44. & Occam. ibidem.

[c] IStæ rationes concluderent Philoſophis: ſed [d] quomodo ſaluabunt Theologi, quòd duo corpora poſſunt eſſe ſimul, qui hoc habent neceſſariò ponere: eſt vna fictio talis, quòd anima beata habet poteſtatem plenam ſui corporis: & ideò poteſt corpus ſuum ad quamcunque figuram, & quantitatem reducere; & ſic per corpora poroſa poteſt corpus tale tranſire, & in eis eſſe. 4

Subtilitas corporis glorioſi in quo cōſiſtat.

Sed iſti, ſi volunt dicere, quòd non poteſt eſſe ſimul cum corpore alio, niſi ſubintrando poros; magis debent dicere conſequenter, quòd non poteſt eſſe cum alio, niſi quia aliud cedit ſibi, ſicut aër cedit ſagittæ: ſunt ergo pro tanto corpora penetrabilia, quia virtus diuina diuidit quodcunque corpus, cum quo volunt eſſe: & tunc ſecundùm hoc oportet conſequenter dicere, quòd quotieſcunque mouerentur localiter, toties diuidatur eis cælum per potentiam diuinam.

Mar. 19. Ioann. 20.

[e] Contrà, fide tenemus, quòd Chriſtus natus eſt de Maria Virgine: & remanſerunt integra clauſtra Virginis: oportuit ergo corpus Chriſti eſſe ſimul cum partibus illius corporis: ergo tunc fuerunt duo corpora ſimul. Prætereà, Chriſtus reſurrexit clauſo ſepulchro; quod patet per mulieres venientes ad ſepulchrum, & dicentes, *Quis reuoluet nobis lapidem, &c.* Prætereà, Chriſtus intrauit ad diſcipulos ſuos ianuis clauſis: ergo tunc corpus Chriſti fuit cum alio corpore. Prætereà, corpora beatorum ſunt ſimul cum cælo empyreo.

Beatus non poteſt corpus ſuum redigere in figurā minorem ad libitum.

Nec valet illa fictio de paruitate, quia nullum corpus impaſſibile recipit paſſionem ſibi diſconuenientem; ſed corpora glorioſa ſunt impaſſibilia: ergo non recipiunt tales paſſiones; rarefactio autem & condenſatio ſunt paſſiones diſconuenientes corpori impaſſibili, quia cauſantur à paſſione, &c.

Prætereà, anima humana requirit corpus, quod perficit, eſſe organicum: ſed ſi fieret corpus ita ſtrictum, ſicut poneret iſta fictio, iam non eſſet organicum. Vnde ſi non remaneret quantitas, & figura corporis humani, quando eſt in alio corpore, non eſſet informatum ab anima, quia hæc ſunt neceſſaria diſpoſitio ad animationem. Philoſophis enim benè non poſſet efficaciter concludi oppoſitum: ad rationes tamen eorum poteſt reſponderi, & hoc ſufficit.

Ad arg. pro opin. Philoſ.

Accidētia quomodo faciunt diuerſum numero ſubſtantiale.

[f] Ad Primum argumentum de Boëtio de accidentibus; dico quòd nulla accidentia faciunt intrinſecè indiuiduum: ergo multò minùs locus: corpus enim quantùm eſt ex ſe, poſſet eſſe, ſi locus non eſſet, & tamen eſſet indiuiduum: ſed nunc non eſt corpus ſine loco. Ratio eſt, quia eſt cum alio corpore, & in alio, in quo continetur; ſicut etiam patet de vltima ſphæra: vnde auctoritas Boëtij eſt ſic intelligenda, quòd facit diuerſitatem in numero, id eſt, oſtendit nobis diuerſitatem numeralem, quia faciunt nobis innoteſcere: & quoad hoc meliùs facit locus ad innoteſcentiam, quàm alia: quia cognitione naturali non poſſemus illa duo corpora cognoſcere, ſi ipſa eſſent in vno loco. 5

Ad 2. Quid repugnātia virtualis & formalis.

[g] Ad ſecundum dico, quòd aliqua poſſunt eſſe repugnantia dupliciter; vel formaliter, vel virtualiter. Virtualiter repugnat cauſa naturalis, & oppoſitum ſui effectus; verbi gratia, ſi cælum de hac materia produceret vermem, & ſi agens fortius ſuperueniret, & induceret in eandem materiam, formam aliquam oppoſitam formæ vermis; iſta virtualiter opponitur cælo, vel Soli. Formalis repugnantia eſt illorum, quæ ſecundùm ſe, & ſuos effectus opponuntur, vt album, & nigrum. Sed in propoſito inter dimenſionem, & dimenſionem non eſt repugnantia formalis, quia talis non eſt niſi quoad

si quoad idem subiectum: non autem sunt in eodem subiecto; nec formaliter etiam, quia quanta non repugnant formaliter: si ergo sunt repugnantia, hoc non est, nisi respectu loci, ex eo, scilicet quòd locus est spatium capax corporis: sed vnum corpus replet locum vnum, quantùm natus est repleri: ergo aliud corpus quoad hoc, opponitur sibi, quia non potest habere effectum illum in illo loco: quia vt est probatum, est repletiuum eius, quantùm natus est repleri.

6 Patet ergo, quòd non est oppositio, vel repugnantia formalis, quia non in eodem subiecto: nihil enim vnum informatur ab eis. Est ergo tantùm oppositio virtualis inquantùm effectus vnius causæ, qui est repletio loci, eo modo, quo quantitas habet efficaciam, vel efficientiam respectu effectus, qui est esse in loco repletiuè, opponitur alteri causæ naturali: ergo non repugnat corpori esse cum alio corpore, nisi quia est repletiuum loci naturaliter quantùm aptus natus est impleri; sed quia iam repletum est, non potest ibi esse, quia non esset cum effectu suo, qui naturaliter sequitur *esse* corporis in loco: hoc autem non impedit quin per potentiam diuinam possit ibi esse, quia Deus potest facere causam naturalem sine suo effectu, sicut calorem, potest facere sine calefactione, vt patet in illis tribus pueris, *ex Daniele cap.* 3.

Virtualis repugnātia est, cùm effectus vnius causæ naturalis opponitur alteri causæ naturali.

Similiter potest facere effectum sine tali causa, qui naturaliter non sequitur, nisi ex tali, vel tali causa, vt virginem parere sine *concipere*: *parere* enim est effectus *concipere*: licèt ergo sint repugnantes dimensiones quoad hoc, quòd duo corpora non possunt esse simul in eodem loco, quoad talem virtutem naturalem: tamen non est repugnantia, quoad virtutem, quæ potest facere causam sine suo effectu naturali, & è conuerso effectum sine sua causa naturali.

Ad argumentum ergo dicendum, quòd dimensio benè est ratio repugnandi duo corpora esse simul virtute naturali, quæ non potest facere causam sine suo effectu naturali: non tamen diuina, quæ hoc potest, nec est hæc repugnantia formalis; talis enim est inter contraria: illæ autem dimensiones non sunt contrariæ; nec sunt in eodem formaliter: & ideò non sequitur, quod additur ibi in confirmatione, quia si contraria non possunt simul esse in eodem subiecto, quòd etiam non possunt esse corpora duo in eodem loco.

Dimensio est ratio repugnandi duo corpora esse simul naturaliter, non supernaturaliter.

7 Ad aliud dico, quòd verum est, quòd non inuenitur aliud, quod sit causa illius repugnantiæ, nisi dimensio; qualis autem sit ista repugnantia, dictum est. Ad aliud, quòd si duo puncta manentia duo, non possunt esse simul, nisi fiant vnum: ergo & diuisibilia, scilicet corpora. Dicendum, quòd consequentia non valet, quia indiuisibilia nullam habent magnitudinem, & ideò fiunt vnum simul posita: diuisibile autem licèt sit cum alio diuisibili, manet tamen magnum: & ideò non valet, si indiuisibilia non possunt esse sic, nisi fiant vnum: ergo diuisibilia.

Ad 3. Fiunt vnū non entitatiuè, sed quoad magnitudinē, quia duo puncta non sunt maius vno secus est de diuisibilibus, etiam penetratis.

Alij dicunt aliter, quia possumus loqui de quanto mathematico, vel naturali. Si loquamur de mathematico, dicunt quòd nec quantitas talis, nec terminus eius possunt esse distincta ab alio quanto mathematico, & termino eius, nisi situ: & ideò si non distinguuntur situ, non distinguuntur, & per consequens efficiuntur vna quantitas. Si loquamur de quanto naturali, hoc non oportet, quia licèt tales quantitates sint in eodem loco, nec distinguantur situ, distinguuntur tamen subiecto, quæ sunt distincta qualitatibus naturalibus.

S. Bonau. dist. præs. art. 2. q. 1.

Hanc solutionem non intelligo. Arguo sic, linea mathematica non est aliud realiter à linea naturali, licèt Mathematicus non tradat scientiam, vt huius existentis, sed de linea secundùm se: sic etiam naturalis non tradit scientiam de hac rosa existente, sed de rosa secundùm se, nec etiam est necessarium ad considerationem Mathematici, quòd linea sit in materia, sed solùm facit, quòd sit de consideratione eius, quòd possibilis sit in natura esse; prout tamen consistit realiter, non est nisi illa, quæ perficit rem naturalem: sic enim verè sunt in naturalibus, & pro tanto dicit Philosophus, quòd abstrahentium non est mendacium; non dicit, diuidentium: considerat enim Mathematicus, quod est in substantia, non considerando subiectum. Sequitur ergo, si linea naturalis potest distingui à naturali sine distincto situ, quòd similiter linea mathematica à linea mathematica, cùm sint realiter idem.

Reiicit sol. D. Bonau.

Quantum mathematicum, & naturale sunt idem.

2. Phys. text. 18.

8 Per hoc ad argumenta dico, quòd sicut sunt duæ lineæ naturales, sic similiter sunt duæ mathematicæ, quoad rem, non tamen quoad considerationem mathematicam: Mathematicus autem considerat omnes lineas vt sunt partes alicuius figuræ: omnes autem lineæ simul existentes sunt partes vnius figuræ, vt puta basis vnius trianguli, vel tale quid. Et sic est illud verbum Commentatoris glossandum, quòd quæcunque in

2. Phys. 22.

in mathematicis sunt simul, sunt vnum: quod est verum quoad constitutionem alicuius figuræ: tamen in se non sunt vnum: non tamen constituunt maius aliquid duæ lineæ simul, quàm vna; ideò non accipitur nisi vt vna, constituendo figuram. Eodem modo de puncto, qui est cum alio puncto, quòd non sunt duo puncta, pro tanto, quia non constituunt aliquid maius; indiuisibile enim additum indiuisibili non facit maius: non tamen sequitur quòd sunt vnum: & hoc sufficit Philosopho quoad intentionem suam, *in 6. Phys.* tantùm enim vult ibi probare, quòd non sit ex eis continuum; & hoc est verum. Similiter in proposito dico de istis duobus corporibus, quòd non faciunt maius, vt sunt in loco vno: non tamen sequitur, quòd sunt vnum. ex hoc patet ad aliud de lineis tractis inter duo puncta, &c.

6. Phys. & 1. de Generat. Text. c. 1. & 2. & inde.

COMMENTARIVS.

3 ISta [c] *rationes concluderent*, &c. Dicit has rationes concludere Philosophis, qui naturalem discursum, & virtutē causarum tantùm cognouerunt. Hinc reiicitur sententia eorum, quos insinuat Abulensis *in cap.* 17. *Math. quæst.* 119. qui dixerunt duo corpora esse simul viribus naturæ; quam reiicit Richardus *in hac d. art.* 4. *quæst.* 5. eámque impugnant Philosophi cum Aristotele *in 4. Phys. cap. 3. text.* 27. nam & experientia, & ratio est in oppositum.

Penetratio corporum nequit fieri naturaliter.

4 [d] *Quomodo saluabunt Theologi*, &c. Penetratio corporum, vt dicit, necessariò saluanda est Theologis: adducit autem quorundam sententiam, quam ipse vocat fictionem. Hi dicunt quòd anima beata habeat potestatem plenam sui corporis, & ideò potest corpus suum ad quamcunque figuram, & quantitatem reducere; & sic per corpora porosa potest transire, & in eis esse: sed illi, inquit, si volunt dicere quòd non potest corpus gloriosum esse simul cum alio corpore, quàm subintrando poros, magis debent dicere consequenter, quòd non potest esse cum alio, nisi quia illud ei cedit, sicut aër cedit sagittæ, & ita corpora alia erunt penetrabilia à corpore glorioso, quatenus diuina virtus ea diuidit, & consequenter quotiescunque mouentur beati localiter, Deus ipsis diuidit cælum, vel alia corpora; hoc enim consequenter dicendum est, si non possunt aliter esse cum alio corpore: quia & ipsi pori non sunt vacui: ergo vt sint in poris, expellitur id quod aliàs in poris fuit: quòd si retenta figura, & dimensione naturali velint moueri, tunc non possint nisi diuidendo corpus oppositum.

Penetratio fit supernaturaliter, & saluari debet à Theologis.

Sententia quorundam falsa.

Reiicitur.

5 [e] *Contrà, fide tenemus*, Hanc sententiam satis indicat non esse tutam in fide per hoc argumentum; quod etiam indicant Suarez, & alij, qui dicunt eam præbere occasionem errandi. Probat ergo Doctor oppositum: *quia fide tenemus*, inquit, *quod Christus natus est de Maria Virgine, & remanserunt integra claustra Virginis*; *oportuit ergo Corpus Christi fuisse simul cum partibus alterius corporis: ergo tunc fuerunt duo corpora simul.* Antecedens est omnium Patrum, & fusè tractatur in materia de Incarnatione. Deinde, Christus surrexit clauso sepulchro, intrauit ad discipulos ianuis clausis; ergo tunc fuit simul cum alio corpore. Deinde, corpora beatorum sunt simul cum cælo empyreo.

Impugnatur prædicta sententia.

Virgo intemerata peperit.

Christus surrexit clauso sepulchro.

6 Respondet Durandus partum Virginis fuisse miraculosū, non quòd exierit cum penetratione, sed per solam dilationem membrorum, vt via naturalis, quæ est discontinua, daret locum corpori Christi, vt sine diuisione, aut fractione claustri virginalis posset exire: quod etiam contingeret in statu innocentiæ: ita vt sit miraculum in natura lapsa, non autem in natura integra. Solutio hæc est satis temeraria, quia inde sequeretur quòd natiuitas & modus natiuitatis Christi non fuerit singularis: quia non haberet aliud miraculū, aut supernaturalitatem, quàm id quod naturaliter fieret in statu innocentiæ, dato quòd ita fieret. Vnde falsa essent verba Sophronij *in epistola lecta in sexta synodo act.* 11. illum partum asserit fuisse ex maximis miraculis diuinæ virtutis. Videantur Patres. Aliud exemplum adductum, nempe quòd Christus sepulchro clauso exierit in sua Resurrectione, est communis traditio Ecclesiæ, quam docet Nazianz. *in trialogo* Augustin. *sermone* 138. *de tempore.* Hieronym. *epistola* 15. *ad Hebdibiam.* Iustinus Martyr. *q.* 117. *ad gentes* Chrysostomus *homil.* 50. *in Math.* Bernardus *serm.* 1. *de Resurrectione*, & alij, vt patet *ex interpret. in Math.* 28.

Responsio Durandi.

Reiicitur vt falsa, & temeraria.

Tertium exemplum de ingressu ad discipulos ianuis clausis, est Scripturæ, eámque sic exponunt Patres, quos frequenter citat Suarez *in 2. tom. disput. 6. ad 3. part.* & Maldonatus *in Ioann.* 20. Durandus respondet primò Christum ingressum ianuis clausis, non per ianuas, sed per fenestras, aut alium locum patentem. Hanc solutionem Caluinus assumpsit pro fundamento plurium errorum: est futilis illusio Scripturæ, quæ hanc emphasim exprimit ad declarandum miraculum, & ita Patres intelligunt, & reliqui interpretes; dicit deinde, si per ianuas fuerit ingressus, eas aperuisse, & mox clausisse. Deinde dicit, si per ianuas fuerit ingressus, mutasse figuram, vt per rimam aliquam transierit apertam. Tandem respondet Christum diuina virtute se posuisse in medio discipulorum ianuis clausis, non transeundo per loca intermedia: meritò Sotus appellat has responsiones cauillationes. Videantur præfati authores, qui doctissimè & acriter has euasiones impugnant; Doctor autem illam fictionem, vt ipsi vocant, impugnat quatenùs dicit in potestate animæ gloriosæ esse mutare figuram, minuere quantitatem. Primò ex dote impassibilitatis.

Responsio Durandi.

7 *Nec valet*, inquit, *ista fictio de paruitate: quia nullum corpus impassibile recipit passionem sibi disconuenientem; sed corpora gloriosa sunt impassibilia: ergo non recipiunt tales passiones: rarefactio autem & condensatio sunt passiones disconuenientes corpori glorioso, quia causantur à passione*, scilicet reali: ergo, &c. Confirmari potest ex iis, quæ dicta sunt de resurrectione corporum cum omni integritate eorum, quæ ad veritatē, & perfectionem naturæ faciunt, permansura in eodem statu ex Apostolo, in quo immutantur à corruptione in corruptionem, ab ignobilitate ad gloriam.

Ratio Doctoris.

Manet debita figura, & quantitas in corpore glorioso.

Secundo

8 *Secunda ratio. Manet organizatio.* Secundò impugnat: quia anima, vt informet corpus, requirit vt sit organicum; sed si fieret ita strictum, vt possit esse in poro alterius, quantumlibet exiguo, *Vt ponit*, inquit, *illa fictio, iam non esset organicum*: quia si non remaneret quantitas, & figura corporis humani, non esset informatum anima rationali, & secundùm connaturalem modum existendi, quem nequit immutare beatus.

Instantia. Quòd si instes per exemplum Corporis Christi in Eucharistia, quod retinet animam in qualibet parte specierum; hoc nihil iuuat, quia etiam retinet quantitatem, & figuram in ordine ad se totam, licèt careat extensione in ordine ad locum. In proposito nequit beatus non retinere modum connaturalem existendi, & quantitatem, & figuram ad hunc necessariam, quæ si desineret, desineret etiam anima informare naturaliter corpus eius, quòd ex se non est nata naturaliter informare sine his. Subiicit tandem Doctor probationem necessariam ex causis naturalibus non suppetere, qua conuincerentur Philosophi; ac proinde sufficere respondere eorum rationibus, quas præmisit in priori paragrapho.

9 *Ad rationes Philosophorũ. Ad primam* [f] *Ad primum*, &c. Quod fuit ex authoritate Boëtij, intelligendus est quoad diuersitatem, vt nobis manifesta sit, quæ maximè colligitur ex diuersitate loci.

10 *Ad secundã. Duplex oppositio.* [g] *Ad secundum dico*, &c. Respondet duplicem esse oppositionem; aliam formalem, aliam virtualem; illa est forma respectiuè ad idem subiectum; hæc est causæ naturalis, respectu eius, quod est oppositum suo effectui; dimensiones autem diuersorum corporum non repugnant sibi inuicem formaliter, sed tantùm virtualiter, & quasi effectiuè, quatenus vnum corpus implet locum adæquatè, quantum naturaliter repleri potest, & facit distare eius latera; hunc effectum sequitur expulsio, & resistentia ad aliud corpus in eodem loco, qui est effectus secundarius corporis locati; hunc autem Deus potest suspendere, inducendo aliud corpus penetratiuè in eodem loco: quia potest effectum causæ efficientis suspendere, manente ipsa causa, sicut suspendit ignem Babylonicum, nè pueros incenderet, qui incendit alios: quamuis ergo ad virtutem causæ naturalis sit repugnantia inter duo illa quantùm ad locum, quia hæc nequit suspendere effectum causæ naturalis; tamen non est repugnantia quin possit Deus suspendere talem effectum.

Dimensiones diuersorum corporum repugnant virtualiter, non formaliter.

Repugnantia virtualis potest à Deo impediri.

Hunc modum repugnantiæ corporum in eodem loco admittunt communiter Theologi, vt D. Thomas *dist. 44. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 2.* Henricus *quodlib. 9. quæst. vlt.* & est communissima, vt posteà videbitur. Ratio est ex parte corporis moti, quia per motum localem actiuè acquiritur ei locus, vel ipsum acquirit, si ex intrinseca virtute acquirit: ergo locatio passiua eius erit per modum termini producti: Vnde Philosophus admittit motum dari ad Prædicamentum *Vbi*, sicut ad quantitatem, & qualitatem. Hinc etiam corpus locatum facit distare latera loci. Eodem ergo in genere conseruat locum, quo illum acquirit, scilicet efficienter: quia non formaliter, aut materialiter eum non respectu eiusdem intrinseci datur repugnantia: resistentia ergo, quam habet corpus locatum ad aliud superueniens, fundatur in virtute actiua, vel quasi actiua naturali, qua acquisiuit locum, & facit distare latera eius, & conseruat locum: quamuis alia resistentia eidem competere possit per accidens ob grauitatem, vt facilè non sit mobile à loco, in quo est. 11 *Communis est sententia. Declaratur. Resistentia effectiua locati.*

Ad tertium respondet resistentiam esse ex dimensionibus effectiuè, & virtualiter repugnantibus, non autem formaliter, qualis est inter contrarias formas, aut incompatibiles in eodem loco. Et per hoc patet ad quartum in ordine. 12 *Ad 3.*

Ad quintum, negat consequentiam: Diuisibilia enim non faciunt maius, duo verò corpora in eodem etiam loco retinent suam quantitatem, & magnitudinem. Adducit prætereà responsionem aliorum, qui dicunt duo corpora in eodem loco posita distingui quidem naturaliter, non verò mathematicè: quia illa distinctio est per entitatem; hæc verò per situm, qui idem est in illis duobus in eodem loco positis. Hanc reiicit Doctor: quia sicut duo corpora, aut duæ lineæ sunt naturaliter distinctæ, ita etiam mathematicè; non tamen erunt secundùm considerationem mathematicam, quia Mathematicus non considerat lineas nisi in ordine ad figuram, neque diuersitatem earum, nisi in ordine ad figuram diuersam, quam componunt. Vide textum. *Ad 5. Responsio aliorum. Reiicitur. Consideratio Mathematici.*

SCHOLIVM.

Sententia asserens subtilitatem esse qualitatem, qua beatus possit alia corpora penetrare: probatur latè quinque rationibus, & explicatur, quomodo per virtutem actiuam illius qualitatis fiat penetratio.

9 [h] QVia illæ rationes non concludunt, vt videtur, & quia secundùm Theologiam oportet ponere duo corpora posse esse simul, ideò dicunt aliqui, quòd sic. Sed quidam dicunt hoc modo, quòd corpus subtile gloriosum virtute formæ creatæ alicuius, scilicet subtilitatis, potest esse cum alio corpore non glorioso, vel non subtili. Hoc probatur, cuiuscumque dotis corporis gloriosi est aliquis effectus proprius; sed dotis subtilitatis non videtur esse alius effectus, nisi penetrare aliud corpus, & facere se simul cum eo: sed hæc est forma creata, & datur corporibus gloriosis: ergo possunt se facere cum alio corpore non subtili, penetrando ipsum. *Rich. præs. dist. art. 4. q. 5. op. 28.*

Prætereà, quòd possit esse per virtutem creatam, probatur, Christus inquantùm Deus posset facere, quòd corpus gloriosum posset esse cum glorioso: nec tamen conceditur, quòd corpus gloriosum posset se facere cum glorioso, sed benè conceditur quòd

quòd posset se facere cum non glorioso:ergo non est tantùm per potentiam diuinam, sed per aliquid,quod est in eo:hoc non videtur esse,nisi dos subtilitatis:ergo,&c.

Præterea,si subtilitas non esset ratio corpori essendi cum alio corpore, tunc corpus post resurrectionem esset in onus animæ:anima autem quantùm est ex se, potest esse cum quocunque corpore:& si corpus non posset esse similiter, iam esset sibi in onus, quia non posset cum ipso,quod posset sine ipso ; quod est contra Aug.22. *de Ciuit.Dei.* *Cap.11.*

10 Præterea,sicut Deus potest facere illud corpus pro nunc cum alio corpore , ita potest ipsum conseruare per aliquod tempus,& perpetuò : ergo à simili poterit sibi dare aliquam formam , per quam fit cum illo alio corpore , & per quam perpetuò conueniat sibi esse cum alio pro libito voluntatis suæ.

Præterea,magis videtur de corporibus gloriosis ; quòd per subtilitatem suam possent se facere cum alio corpore,quàm de aliis non gloriosis;sed aliqua corpora inueniuntur,quæ possunt se facere cum alio corpore;vt ignis cum ferro , & vinum similiter cum pane : ignis enim in ferro oportet , quòd verè sit, quia ferrum ignitum habet propriam actionem ignis,& ferri:vnde si est acutum,comburit,& scindit. Nec potest dici quòd sit ibi in aliena materia,quia duæ formæ substantiales specificæ non possunt simul perficere materiam eandem. Quòd etiam vinum sit verè cum pane, patet,quia vera est humiditas in pane : sed humiditas non potest separari à proprio subiecto , vt patet per Philosophum *secundo de Anima*,de humido aquæ,& aëris,licèt minùs sit sensibile in aëre , vnde semper quando comprimuntur digiti in aëre , vel in aqua secundùm eum,intercipitur aqua,vel aër inter digitos;quod patet , quia manet humiditas, quæ non separatur ab eis:ergo multò magis hoc possunt corpora gloriosa.

Tex.113. *Quando.s. panis intingitur vino.*

Modus ponendi est iste,subtile est aptum ad penetrare ; vnde *in lib. 2. de generatione* dicitur,quòd subtile est, quod est repletiuum partium : aliquid enim potest dici penetratiuum tripliciter,vel quia habet figuram acutam aptam ad penetrandum ; alio modo propter materiæ paruitatem , vt sunt corpora rara : tertio modo per virtutem actiuam aliquam in eis : & illo tertio modo est subtilitas in proposito in corporibus gloriosis.

Lib.2.text. cap.10. *Penetratiuum tripliciter dicitur.*

COMMENTARIVS.

13 *Sententia asserens penetrationẽ prouenire à qualitate superaddita.*

h QVia illa non concludunt, &c. Nempe quas iam soluit positas pro Philosophis. Adducit modum differendi eorum,qui dicunt hanc penetrationem corpotum oriri ab aliqua qualitate intrinseca ipsis corporibus gloriosis,quæ sit principium effectiuum penetrationis. Hæc est Richardi.*hîc art.4.quæst.4.& 5.* est D. Bon. *art. 6. quæst.1.*Petri à Tarantasia *in hac distinctione , problemate 4. quæst. 3.* Probabilem tenet Palacius *hîc disput. 3. conclus. 7.* Eam in reipsa vel similem defendit Suarez probabilem *in 2. tom.in 3. p.disp. 48.sect. 5.* quatenùs dicit esse formam intrinsecam,qua vt instrumento Deus vtitur ad penetrationem, ei datam intuitu beatitudinis. Esse qualitatem supernaturalem actiuam penetrationis docet Lusitanus *lib.5.in tertio tomo q.6.ar.4.§.2.& in sequentibus.* Hic autem Doctor adducit rationes pro hac sententia quinque. Prima , quia dos supponitur qualitas corporis gloriosi ; sed alius eius effectus in proposito nequit assignari nisi penetrare : ergo,&c.

Fundamenta eius. *1.Ratio.*

Secunda, quia Deus potest facere corpus gloriosum cum alio glorioso simul , hoc negatur beatis , sed tantùm facere se simul cum corpore non glorioso : ergo virtute propria id habet. *2.Ratio.*

Tertia , si virtute propria non posset esse cum alio, esset onus & impedimentum animæ , quæ potest esse cum alio corpore , contra Augustinum. *3.Ratio.*

Quarta,Deus potest facere,& conseruare corpus gloriosum cum alio simul : ergo dare ei virtutem intrinsecam , qua sic possit fieri cum alio. *4. Ratio.*

Quinta,ignis penetrat ferrum,vinũ panem virtute naturali:ergo à fortiori Deus potest tribuere dotem subtilitatis corpori glorioso , quo aliud penetret in eodẽ loco.Modus autem declaratur: quòd penetratio fiat per subtilitatem ex Philosopho *lib.2.de generat.text.1.cap.10.* tribus modis contingere potest,nempe ex subtilitate figuræ,ex raritate materiæ,& ex virtute actiua : hoc tertio modo conuenit dos subtilitatis corpori glorioso. Ad has rationes respondet Doctor *infra §. Alius est intellectus* , &c. Primùm enim adducit alios modos dicendi. *5. Ratio.* *Triplex modus penetrationis.*

SCHOLIVM.

Sententia asserens subtilitate tolli grossitiem corporum, qua remota, corpus beatum potest penetrare alia : hanc, quæ videtur D.Thom. latè impugnat Doctor. Impugnat etiam quod dicitur hîc distinctionẽ situs esse à causa secunda, sed solum Deum posse facere quòd corpus hoc sit distinctũ ab illo, cuius materia non est distincta situ à materia huius.

Petrus de Tar.in præsenti d.problem.4.q.3.

i ALij dicunt , quòd repugnantia , quare duo corpora non possunt simul esse in eodem loco, est propter grossitatem quam habent corpora non gloriosa ; & ideò 11

ideò illis corporibus cùm datur qualitas opposita, scilicet dos subtilitatis, tunc tollitur illa grossities. *D. Thom. in 4. d. 44. ar. 2. q. 2.*

Contrà, gloriosum corpus est sensibile corpus; sed fatuum est dicere quòd locus, in quo est corpus sensibile, sit vacuus. Vacuum enim (vt patet 4. *Physic.*) est locus priuatus corpore: ergo vbi est corpus gloriosum, ibi est corpus sensibile, & per consequens est locus plenus, nec hoc tollit ab eo gloriam, nec gloria tollit ab eo quin repleat locum: sed corpus replens locum expellit aliud corpus naturaliter: ergo gloria non tollit quin expellat aliud corpus: ergo, &c. *Tex. 6. 50. & 51.*

Prætereà, si dimensiones essent separatæ à corporibus, non essent simul cum alio corpore, vt probat Philosophus 4. *Physic.* sed illæ dimensiones non essent sensibiles, & tamen expellerent aliud corpus: ergo multò magis facit corpus sensibile hoc; & hoc est contra modum ponendi secundum, quia quantumcumque tollatur grauitas, nihilominùs remanet corpus naturale sensibile, vt patet de cælo, quod nec est graue, nec leue, vel etiam stella. *Tex. 76. 1. & 2. Cæli.*

Prætereà, ad definitionem dimensiuæ quantitatis pertinet situs: quia quantitas permanens per hoc distinguitur à successiua, quòd habet partes in toto ad vnum terminum communem copulatas: sed definitio non potest separari à definito: ergo per dotem non potest separari situs à quantitate: ergo, &c. *In Prædicamentis, & 5. Met.*

12 Prætereà, ad hoc est auctoritas Boëtij allegata. Prætereà, linea addita lineæ, secundùm quòd nata est facere extensionem, facit maius: ergo corpus additum corpori secundùm omnem extensionem facit maius: sed hoc non videtur per dotem tolli, dotem dico subtilitatis: ergo, &c. Prætereà, nihil impedit vnitatem situs, nisi quod est ratio distincti situs: sed nihil potest esse ratio distincti situs, nisi quantitas distincta: sed hoc non tollitur per dotem: ergo, &c.

k Dicunt ergo isti, quòd ad hoc quòd duo corpora sint simul, requiritur necessariò quòd habeant distinctum *esse*, & quòd illud *esse* distinctum seruetur, vel conseruetur eis, quando sunt in eodem loco: *esse* autem illud dependet à causis suis, & principaliùs ab essentialibus causis, & proximis: sed à Deo dependent omnia, sicut à causa prima, ita quòd à causa secunda est distinctio situs, quam requirit diuersitas materiæ, quæ est principium indiuiduationis. Et quia Deus potest conseruare rem in *esse*, cessantibus causis secundis, vt patet per primam propositionem de causis, ideò Deus, & solus Deus potest tantùm facere quòd *esse* corporis vnius maneat distinctum ab *esse* alterius corporis, quamuis eius materia non sit distincta in situ à materia alterius corporis: & ponunt exemplum de Sacramento Altaris, vbi Deus separat accidens à subiecto. *D. Thom. vbi suprà & quodl. 2. quæst. 20.*

l Contrà, hæc opinio prima facie non est probabilis, quoad hoc quod dicit, quòd solus Deus potest facere distinctionem duorum corporum existentium simul in eodem loco: quia vel manent principia essentialia illorum corporum, vt sunt in vno loco distincta, vel non. Si sic, ergo solus Deus non conseruat, quia cum causis secundis manentibus & concurrentibus conseruat, cuius contrarium dicitur in positione. Si non, sequitur quòd Deus conseruat, & non conseruat; conseruat secundùm te illud *esse* distinctum eis: non conseruat, quia non conseruat nisi quod est: sed materia illius est istius secundùm te, & forma illius est forma istius: ergo non sunt distincta: ergo nec conseruat vt distincta, & sic ponis contradictoria. *Colligit ex dictis D. Thom. contradictoria.*

13 Et si dicas quòd Deus potest conseruare corpora illa distincta sine distinctione principiorum intrinsecorum illorum; hoc non valet, quia Deus nunquam conseruat, nec potest conseruare rem sine suis principiis essentialibus, vt hominem sine anima, & corpore humano: ergo nec distinctas res potest conseruare sine distinctis principiis essentialibus: talia autem sunt materia, & forma: ergo, &c. *Deus non potest conseruare corpora distincta, nisi habeant principia distincta.*

Prætereà, aut situs est formale, & essentiale distinctiuum quantitatis, vel accidentale: si formale, & essentiale: ergo Deus de potentia absoluta non potest conseruare quantitatem distinctam ab alia, sine situ alio: Deus enim nunquam potest effectum causæ formalis facere sine ipsa, vt hominem sine anima humana, & album sine albedine: quia est contradictio: si est accidentalis ratio distinctionis quantitatis, ipse situs: ergo ante illud habuit causam essentialem formalem propriam distinctionis, & tunc Deus conseruat illa distincta secundùm causas suas priores sine illo, quod est accidentalis ratio: vel si est causalis, tunc conseruat causam sine effectu, & hoc est benè possibile. Prætereà, in causis eiusdem ordinis non est circulus; sed distincta quantitas est causa effectiua distinctionis situs, vt ipse accipit in vna ratione, contra aliam opinionem: ergo è conuerso situs non potest esse causa effectiua distinctionis quantitatis. *Repugnat esse effectum formalem sine forma.*

COMMENTARIVS.

16 *Sententia Tarantasij.* i ALij dicunt quòd repugnantia, &c. Hîc modus est Petri à Tarantasia *suprà* citati, qui cum superiori sententia admittit qualitatem dari corpori glorioso, per quam potest simul esse cum alio corpore in loco; effectum autem huius refundit in hoc, quod est tollere impedimentum, cui annexa est repugnantia illa duorum corporum in eodem loco; & hanc dicit esse grossitiem, seu corpulentiam, quam dicit per dotem auferri corpori glorioso.

17 *Impugnatur argumentis D. Thom.* Contra hanc sententiam adducit argumenta, quibus eam impugnat, D. Thomas *in 4.d.44. q. 2. art. 2. quæstiuncula 2.* *1. Ratio.* Primum est, quòd corpus gloriosum est sensibile, & spatium, in quo est, non est vacuum, sed plenum. *2. Ratio.* Secundum, quòd dimensiones non sunt sensibiles: tamen si essent separatæ expellerent aliud corpus ab eodem loco: ergo non fundatur repugnantia in accidentibus sensibilibus corporis, sed in dimensionibus; quia sublata grauitate, quæ intelligitur per illam corpulentiam, simul cum aliis sensibilibus, & manentibus dimensionibus, adhuc maneret repugnantia. *3. Ratio.* Tertium, quia situs non potest separari à dimensiua quantitate, & includitur in eius definitione, qua dicitur habere partes in toto copulatas termino communi: ergo per dotem non potest separari situs.

4. Ratio. Quartum est ex authoritate Boëtij superiùs citata. *5. Ratio.* Quintum, linea addita lineæ secundùm quòd nata est facere extensionem, facit maius: ergo & corpus corpori; sed hoc non videtur per dotem tolli: ergo, &c. *6. Ratio.* Sextum, nihil impedit vnitatem situs, nisi quod est ratio distincti situs; sed ratio distincti situs est quantitas distincta, quæ non tollitur per dotem: ergo, &c.

18 Has rationes D. Thomæ admittit Doctor tanquàm concludentes, quantùm ad hoc quòd probant dotem subtilitatis non auferre à corpore glorioso dimensiones, aut repletionem actualem loci per easdem dimensiones, aut alia accidentia connaturalia, quæ recepit corpus gloriosum in sua resurrectione. *Falsa interpretatio reiicitur.* Vnde, nescio vnde Conimbricenses attribuunt Doctori oppositam sententiam *in 4. Physicorum cap. 5. quæst. 4. art. 2*, nisi fortè eluserit eos textus Doctoris, quatenus in sequentibus impugnat modum dicendi D. Thomæ, & hanc fortè impugnationem interpretati fuerint in subsidium primæ sententiæ, quam ipse reiicit rationibus D. Thomæ adductis; quod ampliùs confirmat in fine paragraphi sequentis.

k *Dicunt ergo illi*, &c. Hîc adducit sententiam D. Thomæ, quatenùs asserit diuina virtute fieri distinctionem corporum in eodem loco, quando non diuersus est situs. Dicit sanctus Doctor distinctionem sumi à materia sub quantitate diuersa in diuerso situ; distinctionem, inquam, indiuidualem esse à materia sic signata quantitate, & diuerso situ secundùm quantitatem diuersam. 19 *Modus explicandi D. Thom.*

l *Contrà, hæc opinio prima facie*, &c. Hanc sententiam impugnat: quia vel manent principia essentialia illorum corporum in vno loco distincta, vel non? Si sic, ergo solus Deus non conseruat distinctionem corporum, sed mediantibus suis partibus, & causis secundis. Si non; sequuntur contradictoria, nempe Deum conseruare distinctionem, & non conseruare; conseruat ex positione præmissa: non conseruat; quia materia & forma vnius est materia, & forma alterius: ergo non sunt distincta. 20 *Impugnatur.* *Distinctio corporum prior situ.*

Si dicatur Deum conseruare illa corpora, vt distincta sine distinctione partium, non videtur subsistere, quia nequit conseruare totum sine suis partibus: ergo neque distinctas res sine principiis distinctis. 21 *Est ab intrinsecis principiis.*

Deinde, vel situs est distinctiuum essentiale vnius quantitatis ab alia; vel accidentale tantùm. Si essentiale, Deus de potentia absoluta nequit conseruare quantitatem distinctam ab alia sine situ distincto; sicut neque hominem sine suo essentiali, & formali, vt anima. Si est accidentale distinctiuum situs: ergo potest Deus conseruare corpora vt sunt distincta per causas priores sita absque ipso situ. *Possunt conseruari distincta sine diuerso situ.*

Præterea, quantitas distincta est causa effectiua situs distincti vt distincti: ergo ne detur circulus committi in probatione, situs nequit esse causa prima distinguendi quantitatem. Deinde, quantitas diuersa corporum in eodem loco manet terminata, & non continuata alteri: ergo diuersa. Conueniunt ergo in hoc D. Thomas, & Doctor quòd in corpore glorioso in eodem loco cum alio existente maneat quantitas, & dimensiones distinctæ, licèt situs sit idem in ordine ad locum, quem vtrumque corpus ita replet, vt si auferatur aliud, adhuc maneat spatium repletum per corpus existens. Conueniunt etiam in hoc, quòd per nullam qualitatem creatam fieri possit penetratio illa corporum, sed sola diuina virtute. Differunt tantùm quantùm ad illud principium distinctiuum quantitatis; primò, quòd ad præsens institutum non facit, sed magis ad modum indiuiduationis rei materialis; de quo agitur *in 2. d. 3.* fusiùs à Doctore. 22 *Punctus in quo conuenit Doctor cum D. Thoma.* *Discrimē inter ipsos.*

SCHOLIVM.

Sententia Henric. subtilitatem in eo consistere quòd Deus potest conseruare prius, scilicet distinctam quantitatem, sine posteriore, id est, distincto situ. Hanc non impugnat Doctor, quia fortè benè explicata est propria, & ideò iuxta eam soluuntur argumenta sententiæ posita num. 9. quæ ponit subtilitatem esse qualitatem.

Henric. quodlib. 9. q. vlt. sol. 1. art. m ALius est intellectus, quòd in ordinatis secundùm prius, & posterius, Deus potest conseruare prius sine posteriori, vt subiectum sine accidente, natura tamen non potest hoc semper, licèt posset aliquando, vt quando accidentia sunt necessaria respectu talis subiecti, vt superficiem non potest natura conseruare sine aliquo colore: Deus tamen potest sine omni colore, quia totum genus colorum superficiei inest 14

ineſt contingenter, ſicut quodlibet indiuiduum : vnde ſicut poteſt ab vno indiuiduo ſeparari, ſic à toto genere coloris. Sic eſt in propoſito, quantitas eſt ratio ſitus, & diſtincta, diſtincti ſitus: licèt ergo tota natura non poſſet ſeparare à diſtincta quantitate diſtinctum ſitum, tamen Deus poteſt, & tunc hoc modo debent procedere, quòd licèt diſtinctio ſitus ſit accidens, conſequens neceſſariò diſtinctam quantitatem, tamen Deus poteſt vnum ſeparare ab alio, & conſeruare prius ſine poſteriori, quantitatem ſcilicet diſtinctam ſine diſtincto ſitu; natura tamen hoc non poſſet.

Deum poſſe conſeruare prius ſine poſteriore.

Et tunc reſpondendum eſt ad rationes primæ opinionis, quando dicitur quòd quælibet dos habet actum aliquem. Dico quòd non eſt verum : imò impaſſibilitas eſt dos, & non habet aliquem actum, quia non poſſe pati, non eſt niſi negatio ipſius *poſſe pati*.

Ad rationes pro ſent. poſitą n. 9. quę videtur Ric.

Et ſi dicas, quòd impaſſibilitas prohibet ne agens contrarium poſſit cauſare actionem. Dico quòd ſi hoc eſt verum, tamen hîc non eſt aliqua actio, ſed ſola reſiſtentia.

Ad ſecundum dico, quòd Deus de potentia abſoluta poſſet facere corpus glorioſum cum glorioſo, ſicut cum non glorioſo, non tamen Deus diſpoſuit : & pro tanto dicitur quòd poteſt facere glorioſum cum non glorioſo: non autem cum glorioſo.

Corpus beatum, an poſſit ſimile penetrare.

15 Ad tertium, dicendum quòd propter hoc corpus non eſt onus; non quia non habet hoc, propter qualitatem aliquam in ipſo, per quam poſſet ſe virtute propria facere cum alio corpore : ſed quia ita citò virtute diuina poteſt facere ſe cum alio corpore, ſicut ſi eſſet ſine corpore, poſſet eſſe cum alio corpore virtute ſua.

Ad aliud, quando dicitur quòd Deus poteſt facere corpus cum alio corpore, & conſeruare ipſum per aliquod tempus cum eo, & perpetuò ; concedatur : & quando dicis vltrà, ſi poteſt ipſum perpetuò conſeruare, poteſt ſibi dare formam, per quam ſit cum alio corpore. Reſpondeo, ſi intelligas per illam formam reſpectum quendam extrinſecum ad aliud corpus, qui reſpectus eſt ſimultas ; concedo : ſi autem intelligas, quòd det ſibi formam priorem, quæ ſit cauſa ſimultatis; nego.

Ad aliud de igne, & ferro; dico quòd ferrum eſt corpus alterabile ab igne : non tamen ferrum ignitum eſt ignis; quia corpus durum, & difficulter recipiens, ex quo recipit, fortiter alteratur in illis qualitatibus, & per conſequens ſecundùm eas, fortiter agit: non tamen ibi eſt ignis, ſed qualitas ignis, niſi fortè in poris ferri, vbi eſt ignis, quia corpus ſubtile, & penetratiuum eſt. Ex hoc enim aliquid dicitur penetratiuum, non quòd penetret ſolida, ſed partes minimas, vbi non eſt ſoliditas : ſic etiam ſpiritus animales dicuntur ſubtiles, quia diffundunt ſe per totum corpus, per poros illos, vbi non eſt caro ſolida, non quòd ſimul ſint cum carne ſolida. Ad probationem, cùm dicis, habet virtutem alterandi; dico quòd verum eſt, non tamen in materia propria.

In ferro ignito non eſt forma ignis, niſi fortè in poris.

Spiritus animales quomodo ſubtiles?

16 Ad aliud de pane, & vino, dicendum quòd ſi totus panis eſſet pori, nihil eſſent ibi de pane: oportet ergo aliquam partem eſſe ſolidam, & aliam poroſam, & in illis poris recipitur vinum verè: in aliis verò partibus non eſt vinum, ſed humiditas quædam extra circunſtans: non tamen in pane, ſed in vino, vt patet in exemplo Philoſophi, de digito, & aqua: quia humiditas circunſtans digito non eſt tantùm humiditas, ſed eſt de aqua cum humiditate, quæ non eſt in digito, ſicut in ſubiecto; ſed in aqua, à qua non ſeparatur: nec tantùm eſt ibi illa humiditas, quæ ab aqua ſeparari non poteſt, quæ tantùm eſt contigua digito : ſed aliqua humiditas alia, quam poteſt digitus recipere, quæ ſubiectiuè eſt in digito: ſic aliqua qualitas cauſatur à vino, quæ eſt ſubiectiuè in pane. Et ſic patet quòd argumentum non concludit per illud ſimile.

In pane intincto vino, non eſt vinum, niſi in poris.

Humiditas eſt effectiua.

[n] Alij dicunt, quòd corpus glorioſum eſt cum non glorioſo, & poteſt eſſe per miraculum: modus enim quantitatiuus eſt ratio quare aliquid eſt localiter in loco; ſed modus quantitatiuus poteſt tolli à corpore, & ſic non erit localiter in loco : eſſe autem cum alio corpore, non tamen localiter, non eſt inconueniens. Contrà, hoc non valet, quia quod eſt in loco ſibi æquali, eſt localiter in loco; ſed tale corpus quando eſt cum alio corpore, eſt in loco ſibi æquali : nec vnquam tollitur ab eo, quin ſit in loco ſibi æquali: ergo nec modus quantitatiuus, licèt benè concedam quòd Deus benè poteſt hoc facere, non tamen facit illud.

Goff. quodl. 6. q. 5.

Refutat Goff.

COMMENTARIVS.

23 *Henrici modus.*

[m] A*Lius eſt intellectus*, &c. Adducit modum, quem ſtatuit Henricus, nempe Deum poſſe conſeruare prius ſine poſteriori: v. g. ſubiectum ſine accidente ; quantitas autem diſtincta eſt prior, & ratio, & cauſa diſtincti ſitus, qui eſt poſterior : licèt nequeat natura conſeruare prius ſine poſteriori, poteſt Deus. Hanc non impugnat Doctor, quia coincidit cum propria ſententia, quæ in paragrapho ſequenti ponitur. Et hæc

ſuppoſita, reſpondet ad argumenta præmiſſa pro prima opinione, paragrapho, *Quia iſta rationes.*

24 *Ad primum pro opinione.* Ad primum, negat de ratione dotis eſſe vt ſit actiua, & inſtat de impaſſibilitate. Poſſet etiam dici quòd penetrabilitas ſit actiua, inquantùm Deus ſpecialiter concurrit cum voluntate, & potentia motiua beati, quo ſe poſſit ſine reſiſtentia collocare in eodem loco cum alio corpore non glorioſo: quia ſicut motus ille eſt à potētia motiua, Deo concurrente ſpecialiter, ita etiam & terminus motus. Cæterùm quòd aliud corpus non cedat, eſt à ſolo Deo conſeruante ipſum in eodem ſitu ſine repugnantia ad corpus glorioſum, neque hoc genus actionis negat Doctor: ſed tantùm illud, quod procedit à principio actiuo per modum qualitatis ſupperadditæ.

Penetrabilitas eſt actiua ex parte beati.

Eſt à Deo ſuſpendente concurſum quoad repugnantiā corporis locati primò.

Ad ſecundū. Corpus glorioſum non penetratur ab alio. Ad ſecundum, dicit quòd Deus poteſt facere corpus glorioſum penetratiuè cum alio glorioſo in eodem loco, ſi vellet, de facto tamen non vult. Hæc eſt communis reſolutio Doctorum omnium noſtræ Scholæ, quam tenet Altiſiodorenſis, D.Bonauent. Richardus, Suarez *ſect.* 2. Salas *ſect.* 19. Luſitanus *quæſt.6. art.6. paragrapho* 2. Contrarium docet Palacius, modò penetratio fiat per qualitatem actiuam: non valet autem conſequentia illius argumenti, qua infertur beatum habere virtutem penetrandi corpus non glorioſum per aliquam qualitatem creatam: quia quòd limitatio actionis, & concurſus diuini poſita per potentiam ordinariam poſſit à Deo tolli de abſoluta potentia, non ſequitur effectū limitatum illū eſſe poſſe ab alia cauſa, quàm à Deo ſolo.

Ad tertium Fallacia. Ad tertium, committit non cauſam vt cauſam: quia ille effectus, quo tollitur onus prætenſum animæ, non eſt per qualitatem illam, ſed virtute diuina aſſiſtente ad nutum beati.

Ad 4. Ad quartum, negatur conſequentia, ſi intelligatur de forma per modum principij prioris, & actiui.

Quomodo ferrū alteratur ab igne. Ad vltimum de ſimilitudine ferri candentis, & panis recipientis vinum, reſpondet benè, & philoſophicè, neque ferrum fieri ignem, ſed alterati per qualitates ignis, niſi fortè in poris aliquid ignis ſubintrat, in partibus non ſolidis, ſicut ſpiritus vitales diffunduntur per corpus in partibus non ſolidis. Eodem modo de pane dicendum & vino; poteſt tamen aliqua humiditas, non illa, quæ eſt in vino vt ſubiecto, ſed alia per vinum produci in pane; ſicut digitus comprimens aërem poteſt ab eo recipere humiditatem, vt dicit Philoſophus 2. *de anima text.* 113. quæ humiditas non eſt illa, quæ eſt circumſtantis aëris, ſed alia producta in digito; hinc non colligitur penetratio: ergo, &c.

Reſponſio ad alia exēpla.

25 *Sententia aliorum reiicitur.* n *Alij dicunt quòd corpus glorioſum,* &c. Hîc adducit opinionem aliorum, quæ in margine notatur Gotifredi. Hæc reducit impenetrabilitatem in hoc quòd modus exiſtendi quantitatiuus ſeparetur à corpore glorioſo: quam ſententiam rectè reiicit Doctor, quia corpus glorioſum eſt in loco quantitatiuè, & loco tanquam æquale locatum, eſtque circumſcriptiuè etiam in loco.

SCHOLIVM.

*Sententia Doctoris tria continet. Primum, poſſibile eſt duo corpora eſſe in vno loco: hoc patet ex allatis, ratione ad oppoſ. & num.*4. *& Patribus citatis ſcholio primo, ideóque meritò reprehenditur Durand. diſt.* 44. *quæſt.*6. *quem ſequitur Palud. quæſt.*3. *quòd defendat, vt probabile, oppoſitum. Secundum, poſſibilitas eſſendi in loco ſimul cum alio corpore, debetur corpori beato, vt informatur anima, quæ id meruit. hoc conſtat ex dictis, ſcholio primo, & ratione ad oppoſitum. Tertium, iſta poſſibilitas, id eſt, ſubtilitas, non poteſt eſſe qualitas vlla: quod probat tripliciter, & ſic erit Dei decretum, de poſitione corporis beati ſimul cum alio, quoties beatus id voluerit, ſicut in ſimili dictum eſt de impaſſibilitate quæſt.* 13. *hæc eſt communior ſent. DD. pro qua Suar.* 3. *part. diſtinct.* 48. *ſect.* 5. *citat D. Thom. Richard. Capreol. Paludan. & alios, dicens eſſe communem.*

n Reſpondeo ergo ad quæſtionem, vbi primò oſtendo quòd poſſibile eſt duo corpora eſſe ſimul. Secundò, quòd hæc poſſibilitas debetur corpori, vt informatur ab hac anima. Tertiò, vtrùm ſit qualitas abſoluta illa poſſibilitas? 17

Duo corpora poſſe ſimul eſſe. Ad primum dico, quòd in corpore glorioſo eſt poſſibilitas eſſendi cum alio corpore. Probo, ad ſimpliciter impoſſibile non eſt aliquid in potentia actiua: ſed ad hoc eſt potentia, vt fide tenemus de corpore Chriſti in Natiuitate, & in aliis exemplis *ſuprà* poſitis: ergo, &c. Sed quomodo ita fit? Dico quòd inter quantitatem, & quantitatem non eſt repugnantia formalis, nec inter ſitum & ſitum, nec inter *vbi*, & *vbi*. Probatio, quæcunque formæ quantumcunque ſint contrariæ, ſi ſunt in diuerſis ſubiectis, non repugnant: ſed illa duo *vbi*, ſunt in diuerſis: ergo non repugnant formaliter. Vnde dato quòd in hoc corpore ſit hoc *vbi*, & in alio aliud *vbi*, iſta duo *vbi* non repugnant formaliter, quia eiuſdem ſpeciei ſunt: nec repugnant reſpectu corporis, ſcilicet ſubiecti, quia hoc *vbi* eſt in vno corpore, aliud in alio: ſi ergo eſt impoſſibilitas, quòd illa duo *vbi* ſint in diuerſis, hoc non eſt propter repugnantiam, quam habent inter ſe abſolutè; nec etiam, vt comparata ad ſubiecta: ergo oportet quòd ſit propter comparationem eorum

Non eſt repugnantia formalis inter quantum, & quantum, vel vbi & vbi.

Plures reſpectus poſſunt eſſe ad vnum terminum.

eorum ad eundem terminum, respectu cuius accipiuntur; sed nec sic est impossibilitas, quia duos respectus extrinsecos esse in diuersis, non ad diuersos terminos, non est impossibile: quia nec est impossibile de respectibus intrinsecùs aduenientibus, vt duos respectus similitudinis esse in diuersis ad vnum simile.

Præterea, hoc patet ex hoc, quòd impossibilitas quanti ad quantum, existendi in eodem loco; non est nisi sicut impossibilitas causæ essendi sine suo effectu naturali; sed cùm causa prior sit suo effectu, & omne prius naturaliter Deus posset conseruare sine posteriori: non est impossibile quantum esse cum quanto, & quantum esse sine effectu suo: & per consequens potest esse quantitas, siue dimensio distincta sine distincto situ: sed erunt duo respectus eiusdem situs, & per consequens duo corpora simul possunt esse.

18 º De secundo dico, quòd possibilitas essendi cum alio corpore conuenit huic corpori, & debetur, vt ab hac anima informatur, & hæc possibilitas est dos subtilitatis. Vnde sicut perfectio huius animæ est debitus ordo ad gloriam; sic est perfectio corporis, quòd sit cum alio corpore pro libito voluntatis animæ beatæ ad coagendum illi alteri. *Quid sit subtilitas?*

19 p Sed de tertio principali, quid est ista possibilitas? éstne aliqua qualitas absoluta? Dico quòd non; quia hæc possibilitas non est aliud in hoc corpore, nisi vt non repugnet ad coëxistendum alteri corpori: talis enim non repugnantia non est qualitas absoluta: ergo, &c. *Subtilitatē non esse qualitatem probatur tripliciter.*

Præterea, non videtur quòd aliqua qualitas creaturæ habeat respectu *vbi* maiorem virtutem, quàm Angelus; sed Angelus non potest causare duo *vbi* respectu eiusdem termini: ergo nec illa qualitas: si ergo ponatur, erit frustrà.

Præterea, si erit qualitas aliqua absoluta, vel erit qualitas actiua, vel passiua; non passiua, quia tunc per illam corpus gloriosum fieret passibile, nec actiua, quia nec simultas corporum esset actio eius, nec terminus: non actio, quia suum oppositum magis importat actionem, quæ est expellere: nec terminus actionis eius, quia simultas aliquorum est eorum non mutua expulsio: vnde dicit carentiam actionis: ergo propter illam non oportet ponere qualitatem actiuam: si ergo inesset qualitas talis, non ageret, imò magis impediret: quia si haberet aliquem actum, ille esset expellere aliud corpus: quòd autem sit aliqua qualitas, & non habeat aliquam actionem, inconueniens est. *Omnis qualitas habet aliquā actionem.*

Dico ergo quòd subtilitas, vel illa possibilitas non habet susceptiuum intrinsecum in corpore glorioso, sed habet causam intrinsecam voluntatem suam, & extrinsecam voluntatem, & potentiam diuinam: & sic ille ordo intrinsecè est in illo corpore, & debetur sibi quasi de iure, vt dictum est de dote impassibilitatis, & secundùm hoc dicitur dos. *Duæ causæ subtilitatis.*

20 q Ad argumenta. Ad primum, dico quòd non erit corpus gloriosum subtile per carentiam alicuius partis materiæ: sed per possibilitatem existendi cum alio corpore secundùm libitum voluntatis animæ suæ; non tamen ex se effectiuè, sed per aliam causam, scilicet voluntatem diuinam. *Ad arg. 1.*

r Ad secundum dicitur communiter, quòd non est simile: maior enim virtus requiritur ad hoc, quòd vnum corpus sit in duobus locis, quàm quòd duo in vno loco: & ideò consequentia non valet. Ista solutio non valet: vtrunque enim non est nisi potentiæ increatæ: ergo æqualis virtutis: neutrum enim est possibile potentiæ creatæ: sicut ergo vnum posset esse per dotem, ita & reliquum. *Ad 2. Rich. hîc q. 5. fol. 6. argum.*

Sed posset dici, quòd natura non potest dare, nec causare mutationem positiuam sine mutatione priuatiua, in quibus nata sunt concurrere. Vnde non potest dare albedinem, nisi priuet subiectum nigredine, in quibus tamen non sunt nata concurrere, in illis potest, vt in illuminatione: ibi enim est mutatio positiua sine priuatiua. *An æquè difficile, duo corpora poni in vno, & vnum in duobus locis.*

Ad propositum, omnis motus ad diuersa *vbi*, est talis quasi ad contraria; & ita absolutè loquendo natura non potest facere, quòd corpus aliquod accipiat vnum *vbi*, & non priuetur alio *vbi*: quia natæ sunt concurrere mutationes positiuæ, & priuatiuæ in talibus. Sic non est quando facit duo corpora simul, quia priuat corpus vno situ, & ponit ipsum in alio situ: non tamen facit illam mutationem priuatiuam circa aliud corpus, sed in se.

Præterea, si faceret vnum corpus in duobus locis, faceret mutationem, quæ nata est terminare motum sine motu: quod patet, quia si manet in illo loco, & est in alio, non mouetur ad illum, quia iam dimitteret primum; quia motus ad illud *vbi* est recessus

cessus ab alio *vbi*: sed impossibile est naturam facere mutationem sine motu, quæ mutatio nata est terminare motum localem, vt patet: ergo, &c. Hoc autem non sequitur si ponantur duo corpora in vno loco. Potest etiam dici, quòd ad hoc quòd vnum corpus sit in diuersis locis, requiritur aliqua actio positiua, & sic aliqua virtus actiua; non autem ad hoc, quòd duo corpora in vno sint, & ideò non est simile.

Ad 3. Videtur penetrationē fieri per denegationem concursus ad expulsionē, ideóque effectiuè fit expulsio localis.

s Ad tertium, dicendum quòd procedit ex falsa imaginatione, quia dimensiones illas esse easdem dimensionibus loci, potest intelligi positiuè, vel negatiuè: si positiuè, falsum est, quia non sunt eædem alicui dimensioni loci, quia locus non habet dimensiones, vt patet 4. *Phys.* præter dimensiones locati. Si autem intelligatur negatiuè, id est, non aliæ: verum est, & tunc glossandum est, dimensiones illius corporis, & alterius corporis, quæ sunt in eodem loco, sunt idem dimensionibus loci, id est, non aliæ: quia non sunt dimensiones loci aliæ à dimensionibus locati, vel contenti in loco: sed propter hoc dimensiones corporis illius non oportet quòd sint idem dimensionibus alterius; quia non sunt alicui alteri idem, & ideò manent distinctæ dimensiones. 21

Ad 4. Corpus beatum non potest penetrare corpus aliud beatum.

t Ad vltimum dico, quòd non est data potestas corpori glorioso coëxistendi corpori alteri glorioso, licèt sibi possit dari: quia dos subtilitatis est, quòd ad imperium voluntatis suæ sit cum alio propter perfectionem aliquam: quòd autem sit cum glorioso non requirit dos subtilitatis, nec perfectio aliqua. Ad illud quod dicis quòd magis conuenit gloriosum cum glorioso, quàm cum non glorioso: dico quòd verum est; & cùm dicis, ergo deberent esse magis simul: dico quòd non oportet, nisi essent cætera paria: non enim omnis similitudo est ratio simultatis: si enim ratio valeret: concluderet quòd cùm duæ dimensiones plus conueniant inter se, quàm quantitas cum qualitate: ergo magis possent esse simul: quod falsum est. Potest etiam ibi dici, quòd non propter imperium voluntatis alterius beati: non enim habet anima imperium super corpus gloriosum, sicut super non gloriosum.

COMMENTARIVS.

26 *Resolutio quæstionis.*

1. Conclus.

R*Espondeo* n *ergo ad quæstionem*, &c. Hîc statuit propriam sententiam, quæ tribus conclusionibus absoluitur; quarum prima est quòd *duo corpora diuina virtute possunt esse in eodem loco.* Hanc probauit superiùs variis exemplis Christi Domini, eámque docet fides, vt ipse asserit, & Patres, vt *ibidem* discurrimus contra modum primum negantem penetrationem corporum esse possibilem; & probauit hanc repugnantiam esse virtualem, & non formalem; quod etiam sic breuiter repetit. *Probatio.* Non esse repugnantiam ex parte corporum respectiuè ad diuinam virtutem, patet: quia potest Deus suspendere effectum secundarium causæ efficientis, potest separare posterius à priori: situs autem diuersus, & repugnans sic conuenit quantitati diuersæ: non est repugnantia nisi ad locum vt ad terminum; hæc etiam potest tolli consequenter tam materialiter, ex indistantia duorum corporum quoad repletionem eiusdem loci, quàm formaliter, quia non repugnat in ipsis vt diuersis fundari diuersos respectus eiusdem speciei in ordine ad eundem locum, vt terminum.

27 *2. Conclus.*

Dos subtilitatis in ordine ad penetrationem consistit.

o *De secundo dico*, &c. Hæc est secunda conclusio, in qua dicit hanc possibilitatem penetrationis in loco conuenire huic corpori glorioso, & deberi, vt ab hac anima gloriosa, scilicet informatur, & *hæc possibilitas*, inquit, *est dos subtilitatis.* Aliter alij explicant dotem subtilitatis: nam Durandus *in 4. d. 44. quæst. 5. ar. 1.* Paludanus *q. 3. art. 1.* statuunt dotem subtilitatis in perfecta subiectione corporis ad animam in ordine ad operationes cognoscitiuas, & appetitiuas. *Alij saluant in ordine ad cognitionem* Alia est sententia D. Thomæ *d. 44. q. 2. art. 2. quæstiuncula prima, & art. 3. q. 1. ad 3. & in hac dist. quæst. 4. art. 5. q. 3. ad 2. & in cap. 15. primæ ad Corinthios lect. 6. ad finem* *Sent. D. Thomæ.* statuit dotem in completissima subiectione corporis ad animam, vt hæc est forma complete informans corpus, per quam subiectionem corpus promptè recipit formam cuiuscumque imperij animæ beatæ, quod est proprium corporis subtilis, vt patet in aëre & aqua, quæ suscipiunt formam vasis continentis. *In subiectione plena corporis ad animam statuit.* Sequitur Capreolus *in dist. 44. q. 3. art. 1. concl. 1.* Soncinas *q. 3.* Sotus *in hac dist. quæst. 4. art. 6. conclus. 3.* Abulensis, Valentia citati: Viguerius *in Instit. Theolog. cap. 14.* éstque frequens in Schola D. Thomæ. Itaque dotem statuit in ordine ad hunc effectum, penetrationem autem corporum negat esse ex dote hæc sententia, sed virtute diuina. Si hæc sententia intendat subiectionem ad imperium animæ in ordine ad formam situs, & penetrationem aliorum corporum, non differt in re ipsa à sententia Doctoris. *Explicatur.*

28 *Dos consistit in ordine ad penetrationē.*

Conclusio Doctoris est hanc dotem esse in ordine ad penetrationem corporum in eodem loco sine diuisione ipsorum corporum, quam tenet D. Bonauentura *in hac d. art. 6. q. 1.* Richardus *art. 4. q. 4.* Petrus à Tarantasia *quæstiunc. 3.* Omnes nostræ Scholæ Doctores; Palacius *d. 44. disput. 3.* Suarez *2. tom. in 3. p. disput. 48. sect. 1.* Salas citatus *disput. 14. sect. 19.* Altisiodorensis *in 4. part. Summa tract. 12. q. 2.* Parisiensis *de vniuerso*; éstque magis consentanea Patribus, qui hanc perfectionem explicant in ordine ad penetrationem corporum, *Consentanea Patribus sententia.* qui per oppositum dicunt hoc repugnare corporibus non beatis ob corpulentiam & dimensiones, quæ inter connaturales defectus corporis mortalis, Damascenus lib. 4. de fide cap. vlt. *Damasc.* *Seminatur*, inquit, *corpus animale crassum & mortale, resurgit corpus spirituale, immutabile, impassibile, subtile: hoc enim designat spirituale, quale Domini corpus post resurrectionem clausis portis ingrediens*, &c. Epiphanius hæresi 20. *Epiphan.* *Christus*, inquit, *surrexit ex mortuis, non aliud corpus suscitans, sed seipsum,*

sum, quod erat, in spiritualem subtilitatem transmutans, & spirituale totum conueniens ingressus per fores conclusas: id quod fieri nequit hic in nostris corporibus propter crassitudinem, quod nondum in spiritualem subtilitatem sunt coniuncta, &c. Vide sequentia, &c.

August. Augustinus *de Agone Christiano cap.* 24. loquens de eodem ingressu Christi ianuis clausis: *post resurrectionem suam*, inquit, *de corpore suo fecit quod voluit: si enim potuit ante passionem clarificare illud, sicut splendorem solis, quare non potuit, & post passionem ad quantam vellet subtilitatem in temporis momento redigere, vt per clausa ostia posset intrare*, &c.

Euthym. Euthymius in cap. 20. Ioannis; *clausis illis* (supple ianuis) *introiuit tanquam Deus, & quasi corpore suo leui iam, & subtili, ac immortali effecto*, &c. Accedit tandem quòd subtilitas in ordine ad penetrationem etiam à Philosophis capitur.

29 *3. Conclusio.* P *Sed de tertio principali*, &c. Hîc statuit tertiam conclusionem, nempe hanc dotem non per qualitatem aliquam superadditam corpori, sed non repugnantiam essendi simul, sublata diuina virtute repugnantia, quæ est effectus quantitatis, quo diuina virtus assistit voluntati beati in ordine ad hunc effectum. *Non esse qualitatem superadditam.* In hac conclusione quantùm ad hoc quod asserit diuina virtute fieri penetrationem, conuenit etiam Schola D. Thomæ, & ipse Angelicus Doctor: & reliqui omnes præter paucos, éstque communior in Scholis. *Penetratio fit virtute diuina.*

Probatio conclusionis. Probat Doctor, quia possibilitas essendi cum alio in eodem loco non est ex parte corporis aliud, quàm non repugnantia respectiuè ad diuinam virtutem. *2. Ratio.* Deinde, nulla qualitas creata respectu *vbi*, videtur habere maiorem virtutem, quàm habeat Angelus, qui nequit corpus constituere penetratiuè in loco. *3. Ratio.* Tertiò, quia illa qualitas vel esset passiua, & hoc nõ: quia sic cõstitueret passibile corpus gloriosum quod est falsum: vel erit actiua, quia simultas corporum in loco nec esset actio eius, vel terminus actionis, quia simultas magis importat non expulsionem; vnde potiùs dicit carentiam actionis: *Corporum simultas dicit carentiam actionis.* Si enim haberet aliquam actionem, illa esset potiùs expulsiua alterius corporis, quia si ageret ad *vbi*, ergo inclinaretur ex virtute sua ad tollendam resistentiam alterius corporis, & consequenter ad expulsionem ejus è loco.

30 *Responsio Lusitani.* Respondet Lusitanus *q.6. art.4. §.4.* hanc qualitatem esse formam supernaturalem maioris virtutis, quàm sit virtus Angeli, esse actiuam in ordine ad penetrationem corporis non gloriosi, & suspensiuam repugnantiæ quoad situm in vtroque corpore, quo se mutuò in eodem loco compatiantur.

Impugnatur. Contrà. Hæc sententia obscurat mysterium sine vlla necessitate, & Patres in diuinam potentiam solam referunt penetrationem corporum, non in vllam creatam: ergo hic modus neque ipsis cohæret, neque conducit ad præsens; *Patres hunc effectum soli Deo tribuunt.* alio enim modo loquuntur Patres de aliis formis supernaturalibus, vt de adiutoriis gratiæ, & eiusmodi, admittentes fieri à Deo effectus operationum per aliquod auxilium. Aliter loquuntur de penetratione corporum in exemplis allatis *suprà*, hanc tribuentes soli Deo; vnde excludunt causam secundam concurrentem physicè.

Deinde, non soluitur difficultas per hoc quòd illa qualitas fingatur supernaturalis; quia per hoc non excedit naturam qualitatis: ergo neque actionem connaturalem qualitati in genere, &c. sed hæc actio qualitatis tam huius, quàm cuiuscunque materialis, qualis debet esse illa, de qua agimus, quæ inexistit corpori, supponit quantitatem, extensionem, & situm in ordine ad locum: ergo non tribuit corpori glorioso hos effectus, neque in ipsos influit, qui habentur completè per causas priores connaturales corpori; neque exigunt consequenter qualitatem supernaturalem. *Esse in loco non conuenit corpori mediante qualitate.*

Quòd habeatur quantitas, & extensio ad locum in corpore glorioso independenter ab illa qualitate, admittit author, & non potest negari: ergo sequitur quòd ex parte corporis gloriosi sit totum, quod est necessarium ad occupandum locum capacem sui, & non impeditum. 31 *Requisita ad effectum saluantur sine illa qualitate supernaturali.* Est præterea in beato potentia motiua, & expedita ad se mouendum in ordine ad locum capacem non impeditum: ergo sublata resistentia, & impedimento ex parte loci pleni alio corpore, potest se mouere ad illum locum, & se etiam statuere in loco eodem cum alio: ergo necessitas illius qualitatis non est ad motum, extentionem, neque ad terminum motus, nisi in hoc præcisè quòd tollat resistentiam ex parte vtriusque corporis extensi in eodem loco; sed hæc resistentia est tantùm actiua, vt idem affirmat, quatenùs quodlibet corpus ex illis est causa diuersi situs; ergo qualitas illa solùm exigitur à primo ad vltimum ad tollendum illam resistentiam: *Resistentia nequit tolli per illam qualitatem.* sed tollitur resistentia per solam suspensionẽ alterutrius actionis, seu mutuæ actionis conseruandi diuersos situs, aut expellendi se mutuò ab eodem loco; ergo illa qualitas intantùm est actiua, inquantùm suspendit actionem mutuam, qua suspensa, reliqua saluantur ex naturalibus principiis ipsorum corporum, ex quibus habent posse occupare locum sibi æqualem. Sed futile est dicere vllam formam creatam habere *esse* actiuum hoc modo, quæ nequit agere nisi assimilando passum per aliquem terminum positiuum à se productum, quo posito subigit sibi passum, & non aliter vt actiuè se habet: *Nihil in creatis agit nisi producendo.* ergo si illa forma habet actionem & terminum talem, explicetur; quod nequit fieri, non enim est vbicatio formalis, quia hoc conuenit corporibus in qantùm sunt quanta extensa & indistantia, seu materialiter coniuncta in eadem superficie, æqualiter continente. Quis enim vnquam dixit esse corpus in loco formaliter, aut materialiter per qualitatem vllam tanquam per rationem essendi in loco; æqualitas etiam & adæquata occupatio loci conuenit ratione quantitatis dimensæ æqualiter loco: ergo non apparet quis possit esse effectus ille positiuus illius qualitatis productus: ergo manet quod tantùm sit actiua respectu suspensionis actionis corporum, quâ se mutuò expellunt: sed ad hoc non potest esse necessaria qualitas actiua. *Nequit illa qualitas agere priuatiuè ad suspensionem actionis.* Quidquid enim sit, an per modum formæ impedientis actionem, & resistentis ex parte corporis gloriosi, id præstaret, non apparet vnde posset resistere, aut impedire actionem huius in aliud. Deinde, vt aliàs dictum est, repugnat formæ, & causæ naturaliter, seu per modum naturæ agenti, suspendere actionem causatum naturalium, quæ neque in *esse*, neque etiam in *operari* dependent ab ipsa. Hæc enim suspensio à solo Deo immediatè, & per modum suspensionis fieri potest, cuius concursus est necessarius ad ipsam actionem: *Illa suspensio soli Deo competit.* ergo potiùs in eum refundenda est immediatè hæc suspensio, quàm in illam

illam qualitatem, cui repugnat. Alias impugnationes satis fundatas huius sententiæ videre licet apud Suarem, & alios, quibus breuitatis gratia supersedeo.

32 *Conclusio deducta.* *Dico ergo*, inquit Doctor, *quòd subtilitas, vel illa possibilitas non habet susceptiuum intrinsecum in corpore glorioso* (ad quod scilicet positiuè sequeretur tanquam formam) *sed habet causam intrinsecam voluntatem suam, & extrinsecam voluntatem, & potentiam diuinam: & sic ille ordo intrinsecè est in illo corpore, & debetur sibi quasi de iure, vt dictum est de dote impassibilitatis, & secundùm hoc dicitur dos*, &c. quod est dicere hoc debitum esse in corpore glorioso, & ex meritis, & ad plenam, & perfectam completionem suæ beatitudinis tam animæ, quàm corporis, & ex voluntate, & potentia motiua cum Dei concursu parato in ordine adhunc effectum.

33 *Ad arg.* q *Ad argumenta*, &c. Ad primum patet ex dictis, & ex litera.

Ad 2. r *Ad secundum.* Ostendit diuersam esse rationem impossibilitatis essendi idem numero corpus in diuersis locis, & duo corpora in eodem loco: quia licèt eiusdem virtutis increatæ solius sit efficere vtrumque effectum, tamen maior est repugnantia ex parte naturæ ad constituendum idem corpus in diuersis locis simul, quàm duo corpora in eodem loco, vt benè declarat in litera.

s *Ad tertium.* Dicit sicut aliàs in corpore, vtrumque corpus in eodem loco habere diuersas dimensiones quoad se, licèt in ordine ad locum habeant eundem situm, per quem vniformiter occupant locum. *Ad 3.*

t *Ad vltimum.* Negat duo corpora gloriosa posse esse simul penetratiuè per dotem penetrabilitatis, neque animam vnius habere eandem potestatem in corpus alterius, sicut in corpus proprium. Hæc de hac quæstione, & distinctione, circa quam plura alia dici possint: sed hæc festinanti sufficiant, reliqua ex authoribus suppleri possunt. *Ad vltimũ.*

DISTINCTIO L.

ET VLTIMA HVIVS LIBRI.

Dist. præced. c. 1. ex Ench. c. 111. Soluit secundùm diuersos.



A

HIc oritur quæstio, ex præmissis ducens originem: suprà enim Augustinus loquens de malis in inferno damnatis, & bonis in cælo glorificatis, dixit, quòd nec bonis voluntas, nec malis facultas esse peccandi poterit. Et de bonis quidem constat, sed de malis, à quibus voluntatem malam non remouet, quæritur quomodo sit verum eos non posse peccare: imò, quomodo verum sit eos non peccare: cùm malam habeant voluntatem? Quidam autumant illam voluntatem non esse peccatum, sed supplicium tantùm. Alij verò peccatum esse fatentur, sed per illud eos non mereri aliquam pœnam: quia non est ibi locus merendi. Illud ergo peccatum dicunt non esse meritum supplicij, sed supplicium mali meriti, quod in hac vita præcessit. De hoc autem August. ita dicit, [Tempus acquirendi vitam æternam in hac tantùm vita Deus hominibus dedit, vbi voluit etiam pœnitentiam esse fructuosam. Ideò hîc pœnitentia fructuosa est, quia potest hîc homo deposita nequitia benè viuere, & mutata voluntate merita, simúlque opera mutare, & ea gerere quæ Deo placeant. Quod qui in hac vita non fecerit, habebit quidem pœnitentiam in futuro seculo de malis suis, sed indulgentiam in conspectu Domini non inueniet: quia etsi erit stimulus pœnitudinis, tamen nulla erit ibi correctio voluntatis. A talibus enim ita culpabitur iniquitas sua, vt nullatenus ab eis possit vel diligi, vel desiderari iustitia. Voluntas enim eorum talis erit, vt habeat semper in se malignitatis suæ supplicium, nunquam tamen recipere possit bonitatis affectum. Quia sicut illi, qui cum Christo regnabunt, nullas in se malæ voluntatis reliquias habebunt: ita illi, qui erunt in supplicio æterni ignis cum Diabolo, & Angelis eius deputati, sicut nullam habebunt vlteriùs requiem, sic bonam nullatenùs poterunt habere voluntatem. Et sicut cohæredibus Christi dabitur perfectio

Lib. de fide ad Petrum cap. 3. *Mat. 25. d.* *Mat. 25. d.*

fectio gratiæ ad æternam gloriam, ita consortibus Diaboli cumulabit ipsa malignitas pœnam, quando exterioribus deputati tenebris, nullo illustrabuntur interiori lumine veritatis.] Ex his apparet reprobos in inferno pœnitentiam sic gesturos, vt per eam prauam voluntatem non deserant: & illa maligna voluntas erit eis ad cumulum pœnæ: per quam tamen non merebuntur, quia nullus meretur nisi in hac vita.

Quare dicuntur tenebræ exteriores?

B HIc quæri potest, Quare illæ tenebræ, quibus inuoluentur mali in gehenna, dicuntur tenebræ exteriores? Quia tunc mali penitùs extra lucem corporalem & spiritualem, scilicet Deum, erunt. Nunc enim etsi patiantur tenebras in cæcitate mentis, non tamen penitùs extra lucem Dei sunt, nec corporali luce priuantur. De hoc August. sic ait [Ira Dei, & in iudicio erit, & hîc est in cæcitate mentis, cùm dantur mali in reprobum sensum Ibi exteriores tenebræ erunt, quia tunc peccatores penitùs erunt extra Deum. Quid est enim penitùs esse extra Deum, nisi esse in summa cæcitate? Siquidem habitat Deus lucem inaccessibilem. Hæ autem tenebræ hîc iam incipiunt in peccante, cùm ab interiori Dei luce secluditur, sed non penitùs dum in hac vita est. Ecce quare ibi peccator dicitur pati exteriores tenebras, & non hîc: quia ibi secludetur penitus à luce Dei, quod non hîc. Sed quomodo intelligenda est illa seclusio? An quia non videbunt Deum per speciem? sed nec aliquis videt hîc Deum per speciem. An per dissimilitudinem, quam facit peccatum inter Deum & hominem? sed & hîc multi per grauia peccata elongantur à Deo. An quia Deum odiunt, ita vt velint Deum non esse? sed & hîc multi Deum oderunt: de quibus scriptum est, Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper. Quæ est ergo illa elongatio? Sanè exteriores tenebræ intelligi possunt, quædam malignitas odij, & voluntatis, quæ tunc excrescet in mentibus reproborum, & quædam obliuio Dei: quia tormentorum interiorum & exteriorum doloribus adeò afficientur & turbabuntur, vt ab illis ad cogitandum aliquid de Deo, vix, vel rarò, vel nunquam mentem reuocet, vt qui nimio premuntur pondere, adeò stupescunt & turbantur, vt interim in aliam cogitationem non se extendant: sed illuc tendat impetus cogitationis, vbi sentitur vis doloris: sed in hac vita nullus adeò malus est, vt penitus secludatur à cogitatione Dei: quia nec perdit appetitum beatitudinis, & quendam boni amorem, quem naturaliter habet rationalis creatura. Illas autem exteriores, & profundissimas tenebras reprobos perpessuros post iudicium dicit Augustinus opponens de illo diuite, qui in inferno positus eleuans oculos vidit Abraham, & in sinu eius Lazarum; cuius comparatione coactus est confiteri mala sua, vsque adeò, vt fratres roget ab his præmoneri: quod ante iudicium factum legitur. Sed post iudicium in profundioribus tenebris erunt impij, vbi nullam dei lucem videbunt, cui confiteantur.

Super Ps. 6. super illa verba Turbatus est à furore oculus meus.
1. Tim. 6. c.
Psal. 73.
Super illud Psalm. 6.
Luc. 16. f. g.

De animabus damnatorum, si quam habent notitiam eorum, quæ hîc fiunt.

C PRætereà quæri solet, si reproborum animæ, quæ nunc in inferno cruciantur, notitiam habeant eorum, quæ circa suos in hac vita geruntur, & si aliquo modo doleant super infortuniis suorum charorum? Hanc quæ-

Aug. super Psal. 108. Disperdat de terra. Luc. 16. f. Eadem habentur in lib. de cura pro mortuis c. 14. & 15.

stionem August. commemorat, ex parte eam explicans, ex parte verò insolutam relinquens: ait enim, [Quæret aliquis, An vllus dolor tangat mortuos, de his quæ in suis post mortem contingunt? vel quomodo ea quæ circa nos aguntur, nouerint spiritus defunctorum? Cui respondeo magnam esse quæstionem, nec in præsenti differendam. Veruntamen breuiter dici potest, quod est cura mortuis de suis charis, vt de diuite legitur: qui dum tormenta apud inferos pateretur, leuauit oculos ad Abraham: & inter alia dixit, Habeo enim quinque fratres, mitte aliquem ex mortuis, vt testetur illis, nè & ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Habent enim mortui curam de viuis, quos sciunt viuere, quia nec in locis pœnarum vident eos, vbi diues sine fratribus erat: nec in requie beatorum, vbi Lazarum, & Abraham, quamuis longè agnoscebat. Non tamen ideò consequens est eos scire, quæ circa charos suos aguntur hîc, vel læta, vel tristia.]

Quomodo accipienda sunt quæ de Lazaro & diuite leguntur.

Aug. super Gen. ad lit. lib. 8. cap. 5.

SI quis autem quærat, Quomodo intelligatur, quod de Lazaro & diuite legitur? Audiat Augustini responsum, dicentis, [Si quis putat animas corpore exutas locis corporalibus contineri, cùm sint sine corpore, non deerunt, qui faueant, & diuitem sitientem in loco corporali fuisse contendant, ipsámque animam corpoream præparasse linguam, & stillam de Lazari digito cupiisse. Sed melius est dubitare de occultis, quàm litigare de incertis. Diuitem in supplicio, pauperem in refrigerio esse non dubito. Sed quomodo intelligatur diuitis lingua, digitus Lazari, flamma inferni, sinus Abrahæ, & huiusmodi, vix à mansuetis, à contentiosis, autem nunquam inuenitur.] D

Si se vident boni & mali.

Greg. super Luc. 16. hom. 40. & in gl. super illud, Eleuans autẽ oculos. Luc. 16. g.

SOlet etiam quæri vtrùm vicissim se videant illi, qui sunt in inferno, & illi, qui sunt in gloria? Sicut sancti tradunt, & boni malos, & mali bonos vident vsque ad iudicium. Post iudicium verò boni videbunt malos, sed non mali bonos. Vnde Greg. [Infideles in imo positi; ante diem iudicij fideles super se in requie attendunt, quorum gaudia post contemplari non possunt.] E

De chaos inter bonos & malos.

SEd cùm sancti malos in tormentis videant, nonne aliqua compassione erga eos mouentur? Nonne eos de tormentis liberari cupiunt? Recole illud Euangelicum, quod Abraham diuiti respondit. Inter nos & vos chaos magnum firmatum est, vt hi qui volunt hinc transire ad vos non possint, neque inde huc transmeare. Quid est illud chaos inter bonos & malos, nisi hinc iustitia, inde iniquitas, quæ nullatenus sociari valent? Adeò enim sancti Dei iustitiæ addicti sunt, vt nulla compassione ad reprobos transire valeant, nulla pro eis inter sanctos fiat intercessio. Quomodo ergo inde volunt aliqui transire ad illos, sed non possunt? Quia si de iustitia admitteret, non fieret eis molesta liberatio eorum. Vel ita dicuntur velle, & non posse: non quia velint & non possint, sed quia etsi vellent, non possent eos iuuare. De hoc ita Gregor. ait, [Sicut reprobi à pœnis ad gloriam Sanctorum transire volunt, & non possunt: ita & iusti per misericordiam mente ire volunt ad positos F

ad positos in tormentis, vt eos liberent, sed non possunt: quia iustorum animæ, etsi naturæ suæ bonitate misericordiam habent, iam tunc auctoris sui iustitiæ coniunctæ tanta rectitudine constringuntur, vt nulla ad reprobos compassione moueantur.] *Greg. super Lucam loco preallegato circa illud,* Homo quidā erat diues.

Quòd visa impiorum pœna non minuit beatorum gloriam.

G Postremò quæritur, An pœna reproborum visa decoloret gloriam beatorum? an eorum beatitudini proficiat? De hoc ita Gregorius, [Apud animum iustorum non obfuscat beatitudinem aspecta pœna reproborum: quia vbi iam compassio miseriæ non erit, minuere beatorum lætitiam non valebit. Et licèt iustis sua gaudia sufficiant, ad maiorem tamen gloriam vident pœnas malorum, quas per gratiam euaserunt: quia qui Dei claritatem vident, nil in creatura agitur, quod videre non possint. Non est autem mirandum, si Sancti iam immortales reprobos videant mentis intelligentia, cùm Prophetæ mortales adhuc videre hæc omnia meruerunt.] [Egredientur ergo electi, non loco, sed intelligentia, vel visione manifesta, ad videndum impiorum cruciatus:] quos videntes non dolore afficientur, sed lætitia satiabuntur, agentes gratias de sua liberatione, visa impiorum ineffabili calamitate. Vnde Isaias impiorum tormenta describens, & ex eorum visione lætitiam bonorum exprimens, ait: Egredientur, electi scilicet, & videbunt cadauera virorum, qui præuaricati sunt in me. Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur, & erunt vsque ad satietatem visionis omni carni, id est electis. Lætabitur enim iustus, cùm viderit vindictam. *Greg. super Lucam 16.* Fili recordare *hom.* 40. *Hier. lib. 8. cap. 65 super Esai. in fine, super*, Egredientur è cælo, &c. *Esai. vlt. g. Psal. 57.*



QVÆSTIO I.

Vtrùm aliquis secundùm rectam rationem ad fugiendum miseriam possit appetere non esse?

D. Thom. *in addit. quæst. 99. art. 3. & hic quæst. 2.* Richard. *art. 4. quæst. 2 & 3.* D. Bonauent. 1. *part. art.* 1. *quæst.* 1. Mayr. *quæst.* 1. Bassol. *quæst.* 1. Nyssen. *orat. de infantibus.* Bernard. *serm.* 35.

1 a CIRCA istam distinctionem quinquagesimam primò quæritur. Vtrùm aliquis secundùm rectam rationem ad fugiendum miseriam possit appetere *non esse*? Videtur quòd sic. Per illud Matth. 26. de Iuda, &c. *Bonum erat ei*, &c. Ergo hoc est minus malum, ergo magis appetendum. *Arg. 1.*

Præterea, Philosophus 1. *Rhetor cap.* 2 Carentia mali est delectabilis; sed delectabile est desiderabile: ergo carentia mali est desiderabilis; sed *non esse* non includit aliquod malum: ergo est delectabile, & per consequens desiderabile. *Arg. 2.*

Præterea, Anselm. Cur Deus homo, lib. 1. cap. 21. *Fateri me necesse est, quia pro tota creatura nihil deberet facere contra voluntatem Dei, sed annihilari eligendum esset.* *Arg. 3.*

Contrà, August. 3. *de lib. arb. ante medium, vel circa*, probat oppositum per tres rationes ex intentione, & est prima ratio sua, vbi sic dicit: *Non esse non est rectè eligibile, quia nihil est.* Præterea, secunda ratio est, in quo nulla est ratio boni, in ipso non est ratio melioris; sed in *non esse* non est ratio boni: igitur nec melioris; ergo non est præeligendum. *Rat. ad opp.*

Præterea, tertia ratio Augustini *ibidem*; Qui rectè eligit, necesse est, vt cùm peruenerit ad illud, quod eligit, melior fit; sed nullus fit melior per *non esse*: ergo, &c. Et has rationes ponit August. ex intentione in libro prædicto.

COMMENTARIVS.

Ordo, & diuisio dist. HAnc distinctionem absoluit Doctor sex quæstionibus. Prima est, an secundùm rectam rationem ad fugiendam miseriam possit quis appetere non esse. Secunda, an damnati sic appetant non esse. Tertia, an beati videant pœnas damnatorum. Quarta, vtrùm pœna omnium damnatorum sit æqualis. Quinta, vtrùm beatitudo omnium beatorum sit æqualis? Sexta, vtrùm beatitudo corporum erit æqualis.

Circa [a] *istam distinctionem*, &c. Hîc mouet duas quæstiones consequenter. An secundùm rectam rationem appeti posset non esse ad fugiendam miseriam: & an ita appetant damnati de facto sic non esse. Adductis argumentis hinc inde in prima quæstione, mouet secundam, & mox resoluit vtramque seruato ordine, quo mouentur. 1

SCHOLIVM.

Positis tribus rationibus pro vtrâque parte, remittit resolutionem in quæst. seq. vbi à num. 2. eam disputat, & soluit argumenta hîc posita, ibi num. 13.



QVÆSTIO II.

Vtrùm damnati appetant non esse *propter miseriam fugiendam?*

D. Thom. D. Bonau. Rich. *& alij citati pro quæst. præced.* August. *serm. 26. ad fratres, & 5. contra Iul. cap. 8.* D. Thom. gloss. & Lyra *in id Matth. 26.* Bonum erat illi si natus non fuisset.

Arg. 1. IVXTA hoc quæritur, Vtrùm damnati appetant *non esse* propter fugiendam miseriam? Videtur quòd non: obiectum voluntatis est bonum, vel verum, vel apparens: ergo nihil est appetibile, nisi aliquod illorum: sed in non ente nullum illorum est: ergo, &c. 1

Arg. 2. Præterea, qui vult esse in quiete, vult esse: non enim potest velle esse in quiete, nisi velit seipsum; sed damnati non possunt non appetere beatitudinem: ergo nec possunt non velle esse in quiete: ergo non possunt velle *non esse*.

Apoc. 9. Contrà, Apostolus, *Desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.*

SCHOLIVM.

Sententia tenens non licere appetere non esse *pro fugienda miseria pœnæ, vel culpæ, latè suadetur. Primò, quoad pœnam, & hanc partem tenet Rich. hîc art. 4. q. 2. Secundò, quoad culpam.*

Ric. præs. d. art. 4. q. 2. Non esse eligendum non esse *ad fugiendum infernum.* [b] REspondeo ad primam quæstionem, quòd potest dupliciter intelligi, secundùm quòd est duplex miseria, scilicet pœnæ, & culpæ. Si quærat quæstio, vtrùm possit quis secundùm rectam rationem ad fugiendum miseriam pœnæ, appetere *non esse*: dicunt quidam quòd non. Prima ratio est ad hoc, malum ideò est malum, quia adimit aliquod bonum: sed *non esse* adimit totum bonum, quia totam naturam: ergo maius malum est *non esse*, quàm miseria pœnæ: sed secundùm rectam rationem maius malum nunquam debet appeti propter fugam minoris mali: ergo nunquam *non esse* est appetendum secundùm rectam rationem propter fugam pœnæ.

Aug. 12. Ciu. c. 16. Præterea secundò, fuga maioris perfectionis non est appetenda propter adeptionem minoris perfectionis: igitur nec oppositum maioris perfectionis propter fugam oppositi minoris; sed *esse* est maior perfectio quàm gaudium, quia secundùm Dionysium *de Diuin. nom.* inter omnes diuinas participationes *esse* est nobilior: ergo oppositum ipsius non potest appeti propter fugam oppositi ipsius, quod est pœna. *Cap. 5.*

Non esse appetendũ non esse *ob fugiendã miseriam culpæ.* Si autem quæratur de malo culpæ, dicunt quidam, quòd non, sicut & priùs dictum est in vniuersali: & ad hoc, concludunt duæ prædictæ rationes. Prima, quia culpa non adimit totum bonum, quia relinquit naturam: sed *non esse* nihil relinquit. Secunda, quia *esse* est nobilior participatio diuina, quàm esse sine culpa, vel participatio iustitiæ oppositæ culpæ. Ad hoc etiam assignantur aliæ rationes. Prima est talis, si propter fugam culpæ esset appetendum *non esse*, & non propter pœnæ fugam, hoc esset per aliquam 2

quam rationem mali repertam in culpa, quæ non reperitur in pœna. Triplex autem malum inuenitur in culpa,quod non in pœna:vnum, quia pro culpa infligitur pœna: ſecundum,quia Deus poteſt pœnam efficere,non culpam : tertium , quia culpa facit habentem formaliter malum. Propter primum non poteſt appeti *non eſſe*, quia nihil eſt appetendum,quod eſt maius malum propter fugam minoris mali : ſed appetendo *non eſſe* propter fugam culpæ, ratione mali pœnæ infligendæ per eam, non vitatur maius malum quàm ſit malum pœnæ,quæ infligitur pro illo. Prætereà , pœnæ infligentia nunquam poteſt eſſe ita mala, ſicut *non eſſe*: ergo non eſt appetendum *non eſſe* propter fugam pœnæ infligendæ pro culpa.

Prætereà,nec propter ſecundum malum repertum in culpa, quale eſt , quod Deus non poteſt facere ; quia ſicut non poteſt facere culpam , ſic etiam non poteſt facere *non eſſe*:neutrius enim eſt cauſa poſitiua,vt patet per Auguſt.83.*q.q.*21. vbi dicit,quòd Deus non eſt cauſa alicui creaturæ tendendi in *non eſſe*; ſed tantùm eſt cauſa *non eſſe*, nec conſeruando *eſſe* : ſic eſt etiam cauſa peccati,non infundendo gratiam, per quam tollitur peccatum. Nec propter tertium,quia per culpam non deordinatur tota natura,nec efficitur mala,niſi voluntas : ergo propter illam malitiam, etiam non eſt appetendum *non eſſe*.

Deus non eſt cauſa non eſſe.

COMMENTARIVS.

2 *Ordo primæ quæſtionis.*

b RESpondeo ad primam quæſtionem, &c. Adducit opinionem aliorum , & reſpondet argumentis,& tandem reſoluit quæſtionem. Duplex eſt miſeria, ſcilicet pœnæ & culpæ. Quæſtio ſi intelligatur quantùm ad miſeriam pœnæ; aliqui reſpondent negatiuè : ita D. Bonau. *in* 1. *part.huius diſtinct.art.*1.*quæſt.* 2. Fundamenta huius ſunt,quia malum ideò eſt malum , quia tollit bonum , *non eſſe* verò tollit totum bonum,pœna tantùm partem boni : ergo, &c. Secundò ; quia fuga maioris perfectionis non eſt appetenda propter adeptionem minoris perfectionis : ſed *eſſe* eſt maior perfectio, quàm gaudium ſecundùm Dionyſium *de diuinis nominibus cap.* 5. inter omnes diuinas participationes *eſſe* eſt nobilior participatio diuina : ergo *non eſſe* eius non poteſt appeti propter *non eſſe* miſeriæ. Si quæratur vlteriùs de *non eſſe* reſpectiuè ad malum culpæ.

Duplex miſeria. *Probatio ſententiæ negatiuæ quoad pœnam.* Eſſe *eſt nobilior participatio Dei.*

Aliqui dicunt, quòd etiam nec propter fugiendam culpam poſſunt appetere *non eſſe*. Ex duabus rationibus præmiſſis,quæ idem concludunt. Deinde,quia ſi propter culpam , & non propter pœnam,ideò eſſet,quia aliqua ratio mali eſſet in culpa, quæ non eſſet in pœna. Triplex autem malum eſt in culpa, quod non eſt in pœna. Primum ; pro culpa infligitur pœna. Secundum; quia Deus non poteſt efficere culpam,& pœnam poteſt inffligere. Tertium ; quia culpa facit habentem malum formaliter. Propter primum non poteſt appeti *non eſſe* : quia maius malum eſt *non eſſe* , quàm pœna : nec pœna poteſt eſſe tantum malum ſicut eſt culpa. Non ſecundum, quia eodem modo ſe habet Deus quantùm ad poſſe facere *non eſſe* , ſicut & peccatum : quia ex Aug. 83. *qq. quæſt.* 20. Deus non eſt cauſa tendendi in *non eſſe* : & ad vtrumque ſe habet vt ſuſpendens actioné,vel conſeruatiuam, vel præuenienté lapſum.Neque tertium vrget : quia culpa non deordinat totam naturam , ſed ſolam voluntatem.

Pars negatiua quoad culpam ſuadetur. *Triplex malum in culpa.* *Propter nihil horum appeti debet* non eſſe.

S C H O L I V M.

Sententia tenens ob culpam fugiendam,appetendum eſſe non eſſe;*eſt Richard.ſuprà, & probatur varijs,ac claris rationibus.*

3 c ALij dicunt oppoſitum,ſcilicet quòd propter culpam fugiendam eſt appetendum *non eſſe* ſecundùm rectam rationem : quod primò probatur ſic. Quilibet tenetur magis fugere illud , quod eſt contra Deum quàm illud , quod eſt contra ſeipſum;ſed culpa eſt contra Deum , *non eſſe* verò contra ſeipſum : ergo , &c. Et confirmatur,quia homo plùs tenetur diligere Deum,quàm ſe.

Ric.vbi ſuprà. & Henr. Arguit multipliciter eligendum non eſſe, *vt euitetur culpa.*

Prætereà,maius malum eſt magis fugiendum;tale eſt malum culpæ reſpectu *non eſſe*: ergo,&c. Minor probatur,carentia boni debiti eſt maius malum, quia formaliter malitia eſt, quàm carentia boni indebiti;ſed peccatum,vel culpa eſt carentia boni debiti, *non eſſe* autem non eſt carentia boni debiti : aliàs ante creationem mundi fuiſſet boni debiti carentia,& ſic malum : peius ergo eſt peccatum;quàm *non eſſe*.

Prætereà,quod eſt malum ſimpliciter,magis eſt vitandum , quàm quod eſt tantùm malum huic : propter quod etiam conceditur , quòd Deus poteſt eſſe cauſa pœnæ, licèt non culpæ:quia culpa eſt ſimpliciter malum,non pœna,ſed ſolùm huic:& quòd culpa ſit malum ſimpliciter,probo,quia opponitur bono ſimpliciter : tollit enim Deo honorem debitum , ſicut patet per Anſelm. *lib. Cur Deus homo cap.* 11. *&* 15. peccator enim quantùm in ſe eſt,Deum inhonorat : quia ergo peccatum eſt contra Deum , & contra ordinem vniuerſi , eſt malum ſimpliciter : *non eſſe* autem non eſt malum ſimpliciter,ſed huic tantùm.

COMMENTARIVS.

3 *Sententia Richardi. Appeti non esse propter culpă fugiendam.*

ALij [c] *dicunt oppositum*, &c. Hæc est sententia Richardi *in hac d. art.* 4. *quæst.* 2. vbi dicit propter culpam fugiendam appeti debere *non esse* secundùm rectam rationem: & probat, quia magis tenetur fugere id, quod est contra Deum, quàm aliquid aliud, peccatum est contra Deum. Confirmatur: quia magis tenetur diligere Deum quàm aliquid aliud.

Secundò, quia magis malum est culpa, quàm *non esse*, quia carentia boni debiti est magis malum; quia culpa formalis, quàm carentia boni non debiti; talis est carentia *esse*, quod non debetur. 2. Ratio.

Tertiò, quia malum simpliciter est magis vitandum, quàm malum determinatum: v. g. huic: culpa est malum simpliciter, quia inhonorat Deum secundùm Anselmum, & est contra ordinem vniuersi: *non esse* verò est malum tantùm huic. 3. Ratio.

SCHOLIVM.

Refutat primam sententiam quoad primam partem, quæ est Richard. quia rationes eius ita concludunt de malo culpæ, sicut de malo pœnæ, & tamen ipse tenet non esse *esse eligendum pro malo culpæ vitando: cuius rationes hîc soluit Doctor satis clarè.*

[d] COntra primam opinionem, quæ dicit, quòd malum pœnæ est magis eligendum, videtur quòd illæ rationes sint contra eos, quia ita concludunt de malo culpæ, sicut de malo pœnæ: & tamen non dicunt ipsi vniformiter de vtroque malo, nec est etiam ista propositio vera, quòd illud, quod adimit maius bonum, vel plus de bono, sit maius malum. 4

[e] Præterea, illæ rationes de malo culpæ habent instantiam, quia quando dicitur in prima ratione, quòd quilibet tenetur magis fugere quod est contra Deum, quàm contra seipsum; dicendum quòd verum est, si eodem modo est contra Deum, & contra seipsum; aliter non oportet. Patet in aliis, plùs ego diligo pedem meum, quàm aliquem alium hominem: tamen magis volo aliquam læsionem pedis mei, quàm mortem alicuius alterius. Sic plus diligo Deum: tamen potiùs volo sibi aliquam offensam, quàm me non esse: sed qui peccat, non ita facit contra Deum, quòd velit Deum non esse: sed tantùm facit contra præceptum Dei, & sic non facit contra *esse* Dei.

Quomodo teneor fugere magis quod est cōtra Deum, quàm quod est contra me.

Dico ergo, quòd modo eodem non est contra Deum culpa mea, quomodo *non esse* est contra hominem, & vitam eius: quia per culpam non destruitur Deus, neque detrimentum fit ei, sicut *non esse* est detrimentum meum, & contra me: sed ideò dicitur contra Deum, quia culpa fit contra præceptum diuinum: nec propter culpam Deus vult te non esse simpliciter, nec peccator appetit *non esse* propter culpam: nec *non esse* est contra præceptum.

Carentia boni indebiti an magis mala, quàm boni debiti.

Ad secundum dicendum, quòd maior vera est cæteris paribus, scilicet quòd maius malum est fugiendum, quia cæteris paribus carentia boni debiti est maius malum, quàm boni indebiti: si autem bonum debitum supponit bonum indebitum, nec sine ipso potest haberi, tunc carentia boni indebiti est maius malum, quia sic est carentia boni indebiti causalis occasio, carentiæ boni debiti: sic est in proposito: bonum enim, secundùm quòd est bonum debitum, non potest haberi sine bono indebito, quod est primum: & sic maior in proposito est falsa, quia cætera non sunt paria. Vnde quando dicitur in minori, quòd malum culpæ est maius malum; dico quòd est petitio principij. 5

Ad tertium eodem modo dicendum, sicut ad primum: si enim Deo, vel vniuerso posset esse peius in se propter culpam, verum esset; sed turbatio vniuersi non est in toto vniuerso, sed tantùm in hac parte, sicut damnatio non est, nisi in hac parte: si ergo intelligis per malum simpliciter huic, est verum: si autem intelligis, quòd est simpliciter malum, & huic, falsum est; quia sic *non esse* est ibi simpliciter malum, non culpa: quia *non esse* tollit totale *esse* eius: & sic est sibi totale malum, non autem sic culpa, quia non tollit totam naturam.

Cùm dicis, quòd peccator inhonorat Deum, & ideò est malum simpliciter. Dico quòd si peccatum tolleret aliquid de his, quæ sunt in Deo à Deo, tunc verum esset: sed quia non tollit aliquid honoris, nisi quod debet esse in honorante, ideò non valet. 6

Præterea, secundùm hoc Deus maximè debet nolle peccatum, quia est contra ipsum, & secundùm hoc potiùs deberet annihilare peccatum, quàm velle ipsum *non esse* peccantis.

Vel

Vel dicas, si argumentum concludit, quòd culpa contra Deum est, tunc esset magis nolenda ab illo, contra quem est, quàm non esse *illius, qui culpam commisit contra eum: & sic Deus magis vellet destructionem illius, scilicet culpæ, quàm permittere aliud, scilicet* non esse; *& magis deberet nolle peccatum, quàm* non esse *istius: sicut si frigus esset malum rosæ plusquàm aliquid aliud, tunc calor conseruans rosam destrueret frigus, sicut maius malum. Item, secundùm hoc deberet quilibet absolutè appetere* non esse, *antequàm alius peccaret, quia in eo non saluaretur honor Dei, sicut nec in se, quando peccat mortaliter: sed hoc non credo esse verum.* Additio.

Præterea, quodcunque peccatum mortale cuiuslibet personæ æquale existens, æquè inhonorat Deum, & tunc secundùm hoc quilibet potiùs tenetur velle *non esse*, quàm in quemcunque mortaliter peccare, quod non credo tamen.

COMMENTARIVS.

4 *Impugnatio primæ sententiæ.* Contra [d] *primam opinionem*, &c. Refutat primam sententiã ex eo, quòd rationes nimiũ concludant: quia perinde concludunt *non esse* magis fugiendum quàm culpa, & pœna: quod tamen secunda sententia non admittit, neque etiam D Bonauent. qui loquitur tantùm de malo pœnæ. Deinde, negat illam propositionem, nempe quòd illud quod adimit maius bonum, sit maius malum: magis enim bonum est vitæ, quàm bonum famæ, vel fortunæ: tamen aliquando illud bonum contemnendum est hîc & nunc præ aliis, quæ censentur magis mala hîc, & nunc. In genere etiam morali peccatum contra virtutem inferiorem aliquando est maius peccatum, quàm contra superiorem hîc & nunc.

5 *Instat rationibus Richardi.* [e] *Præterea, illæ rationes*, &c. Dicit illas rationes Richardi habere instantiam, hoc est, esse solubiles: quibus proinde ipse respondet. Ad primam, dicit quòd vera est propositio, si in eodem genere, & oppositione sit peccatum contra Deum, & *non esse*; vel malum contra seipsum; aliter non sequitur. Instat, quia plus diligit quis vitam propriam, & membrum, quàm alium, tamen magis vellet aliquam læsionem suæ vitæ, quàm alium non esse, vel eum mori. *Peccans non vult Deum non esse.* Peccans autem non vult Deũ non esse, neque in affectu, neque in effectu: sed tantùm facit contra præceptum Dei, & non contra *esse* eius. *Neque Deus vult peccatorem non esse ob peccatum.* Neque Deus ob peccatum vult peccatorem non esse: imò non obstante peccato vult peccatorem esse ad ostensionem suæ iustitiæ, vel misericordiæ: & magis voluit secundùm Augustinum *de malis benefacere, quàm nulla mala esse non sinere*, &c. Neque ergo conformiter ad Dei voluntatem, & prouidentiam peccator ad peccatum fugiendum rectè appetit non esse, quamuis, vt *infrà* Doctor, magis debeat permittere mortem, vt ab alio inferendam, quàm peccare mortaliter; ac proinde electiuè est efficaciter velle non esse, non est medium proportionatum ad fugiendum peccatum, quod inest, neque conforme diuinæ legi, aut voluntati.

6 *Instantia contra secundã.* Ad secundum respondet, cæteris paribus, maius malum esse fugiendum, & quòd cæteris etiam paribus, carentia boni debiti sit maius malum, quàm carentia indebiti; tamen si bonum indebitum necessariò supponatur ad bonum debitum, tunc carentia boni indebiti est maius malum causatiuè, quia & tollit bonum debitum, & causam, per quam, vel sine qua acquiri non potest bonum debitum: sic se habet in proposito: *Non esse est maius malũ causatiuè.* quia beatitudo, quod est bonum debitum, nequit acquiri sine *esse*, & *non esse* consequenter tollit & causam sine qua, & ipsum bonum debitum, & capacitatem eius; vnde in minori, quando dicitur peccatum esse maius malum, petitur principium.

7 *Ad 3. Quid tollitur per peccatũ.* Ad tertium respondet, quòd non tollitur aliqua perfectio Dei, nec vniuersi ordo per peccatum, nisi in hac sola parte: peccatum ergo non est malum simpliciter priuans totum suo ordine, sed tantùm est malum simpliciter huic. Quod autem dicitur peccator inhonorare Deum, verum est quantùm ad honorem, qui est in honorante, & non in Deo: quia tollit tantùm debitam subiectionem sui in hoc actu ad legem Dei. Aliàs Deus potiùs deberet non permittere peccatum esse, quàm permittere, si per peccatum tolleretur aliquis honor intrinsecus Deo, aut perfectio, & magis velle *non esse* peccati, quàm peccantis, quod tamen non contingit.

Præterea, aliàs sequeretur quòd sicut quolibet peccato mortali inhonoratur Deus, quilibet deberet potiùs velle non esse, quàm Deum sic offendere: *quod non credo tamen*, inquit, quia scilicet viator peccans non debet hanc voluntatem habere, vel seipsum destruere vt fugeret peccatum: sed magis recurrere ad media salutis, quibus à peccato liberatur.

SCHOLIVM.

Non licere ad vitandam pœnam iustam, appetere non esse. *Primò, quia iustum & bonum est talis pœna; ergo præferenda est* non esse. *Secundò, ad* esse *est appetitus naturalis, & consonus diuinæ voluntati, cui pœna non est dissona. Intellige concl. ex suppositione diuinæ voluntatis volentis pœnam infligere, vt colligitur ex verbis Doct. hac enim seclusa videtur licere eligere* non esse, *potiùs quàm esse in pœna, & hoc suadent rationes in 8. & 9. & Magister expressè docet ad primum.*

7 [f] Respondeo ergo ad quæstionem, quòd propter fugam mali pœnæ nullus secundùm rectam rationem potest, vel debet appetere *non esse*. Probo, nullus recta ratione potest appetere *non esse* ad fugiendum iustum, & bonum; sed malum pœnæ *Non licere ad vitandũ malum pœnæ appetere non esse.*

pœnæ eſt iuſtum & bonum:ergo propter fugam ipſius nullus debet appetere *non eſſe*. Maior patet,quia nihil poteſt appeti ſimpliciter,niſi *eſſe*;iuſtum autem & bonum magis habet rationem *eſſe*,quàm *non eſſe*, quia *non eſſe* opponitur ipſi *eſſe*. Minorem probo, quia pœna eſt quid iuſtum,& bonum,quia poſitiuum,& punitiuum peccati,& culpæ. Præterea, nullus ſecundùm rectam rationem poteſt aliquid appetere contra inclinationem naturalem, quando illa conſonat voluntati diuinæ: ſed ad *eſſe* eſt appetitus naturalis,vt patet *ſecundo de Generatione,& ſecundo de Anima*,& eſt voluntati diuinæ conſonus;quod patet ex hoc, quòd ipſum cauſat immediatè in creatura rationali, & in perpetuum conſeruat: pœna autem non eſt diſſona voluntati diuinæ, quia infligit eam:ergo propter ipſam non eſt appetendum *non eſſe*.

Text. 59. *Text. 33.*

Vtor autem in iſtis rationibus bonitate, & iuſtitia,inclinatione naturali ad *eſſe*, & voluntate diuina, quæ eſt regula recta appetitus humani, quæ non concludunt de malo culpæ:nam licèt voluntas diuina ſit ad pœnam puniendam, non tamen voluntas naturalis. Non vtor autem iſtis terminis, ſicut aliæ prædictæ rationes dicebant, quòd malum adimit bonum,& maius malum maius bonum.

COMMENTARIVS.

8 *1. Concluſ.* [f] RESpondeo *ergo ad quæſtionem*, &c. Hîc ſtatuit primam concluſionem huius quæſtionis: quæ talis eſt: *Propter malum pœnæ nemo ſecundùm rectam rationem poteſt velle non eſſe ad fugiendam pœnam*,&c. eſt D.Bonauent. & Richardi quam docet Auguſtinus lib. 3. de libero arbitrio cap. 7. & 8. quam ibidem optimè deducit. *Probatio.* Probat Doctor duabus rationibus: quarum prima eſt *Pœna iuſta eſt, & bona.* quòd pœna ſit iuſta & bona: quia eſt debita ordinatio peccati. Secunda ratio eſt, quia inclinatio naturalis conformis diuinæ bonitati eſt ſequenda: talis eſt inclinatio ad *eſſe*. *Inclinatio naturalis cõformis volũtati diuinæ ſequenda.* Deinde inſinuat has rationes non inuoluere probationem eandem de malo culpæ, ſicut priores rationes ab aliis adductæ id inuoluunt ſumendo oppoſitionẽ maioris, & minoris mali ad maius & minus bonũ,quia sũt dubiæ in propoſitionibus aſſumptis, *Hæ rationes non patiũtur inſtantiam, ſicut præmiſſæ.* vt patet ex dictis:ideóque ipſe probat concluſionem ex bonitate pœnæ, vt eſt ſecundùm iuſtitiam,legem ordinatiuã peccati, ab inclinatione naturali, vt conformis eſt voluntati diuinæ:quæ rationes nõ comprehendunt aliqua dubia, nèque trahuntur ad ſimilem probationem de peccato.

SCHOLIVM.

Licitum eſſe,quod paterer non eſſe(ſi mihi daretur optio) potiùs quàm eſſe in culpa, imò ad id tenerer,quia eo caſu non peccarem non volendo eſſe;*ſed peccarem volendo eſſe in culpa:id enim tantùm eſſet contra appetitum naturalem; hoc contra Dei præceptum. Secundò,tunc velle* non eſſe *eſſet propter honorem Dei, nè offenderetur. Tertiò,ſecundùm Philoſoph.ob bonum virtutis laudabiliter quis exponit ſe morti. Vide alias efficaces rationes,quibus Doctor hanc probat.*

Ad vitandum malũ culpæ licet appetere non eſſe.

[g] DE ſecundo dico, quòd ad fugiendum malum culpæ poteſt aliquo modo appeti *non eſſe*,& alio modo non. Vnde ſciendum quòd dupliciter poteſt comparari voluntas ad *non eſſe*,& ad miſeriam culpæ, ſcilicet vniformiter, & difformiter. Vniformiter,vt ſit cauſa ipſius *non eſſe*,ſicut eſt cauſa ipſius culpæ, & hoc modo quæſtio nulla eſſet, quia nullo modo poteſt eſſe cauſa ipſius *non eſſe*; nec etiam ſi poſſet, deberet velle ſe facere non eſſe, propter fugiendam culpam, quia in hoc peccaret mortaliter. Probo, ſicut poſt *eſſe* diuinum maximè teneor diligere *eſſe* meum, ſic poſt odium *eſſe* diuini,maximè teneor vitare,& fugere odium *eſſe* proprij: ergo odiendo *eſſe* proprium,& volendo ipſum facere *non eſſe*, pecco mortaliter. Ergo oportet vt intelligatur quæſtio,ſecundùm quòd ad ea comparatur voluntas difformiter, videlicet ſecundùm quòd voluntas poteſt appetere *non eſſe*,non vt ſit cauſa, ſicut eſt cauſa peccati: ſed vt voluntariè ſuſtineret ipſum *non eſſe*, ſi infligeretur ſibi: & ſic non eſt quaſi *velle* ſimpliciter, ſed quaſi *non nolle*: & talis voluntas eſt ſemper, quando duo mala ponuntur, maius & minus malum,quia quando ſunt duo mala, in eligendo minus malum eſt fugere maius malum: quia ibi vnum habet rationem boni reſpectu alterius,vt patet 5. *Ethicorum cap. 6.* 8

Eligẽdum potiùs non eſſe, *quàm in culpa eſſe, ſi Deus daret optionem.*

Sic ergo intelligendo quæſtionem, dico quòd voluntas creata tenetur non vitare 9
non eſſe à Deo annihilante: aliter enim mortaliter peccaret. Ratio ad hoc, quia quilibet ſecundùm rectam rationem tenetur ſeruare præceptum diuinum, quamdiu non eſt reuocatum, & per conſequens non facere peccatum in quocunque caſu: quia quodcunque peccatum eſt peccatum, quia eſt contra præceptum diuinum: ergo in quocunque

quocunque peccato quis transgreditur præceptum diuinum, sed non nolendo, se à Deo annihilari, non transgreditur quis præceptum diuinum, sed inclinationem naturalem: vitare autem peccatum includit præceptum, quod non est reuocatum: nunc autem semper sic est: ergo tenetur ad istud, vt fugiat, & vitet illud.

Prætereà, quando aliqua duo concurrunt secundùm diuersas regulas, semper illud, quod est secundùm regulam superiorem, est eligendum, & faciendum: sic est in proposito, quia præceptum diuinum est secundùm regulam superiorem, quia secundùm voluntatem diuinam, quod est de non committendo culpam: sed nolle *non esse* est secundùm inclinationem naturalem, quæ est inferior: ergo potiùs debet non nolle se annihilari à Deo, quàm culpam suam, vel peccatum esse.

10 Et dico, nisi reuocetur præceptum: quia non videtur, quòd circa creaturam sit aliquod peccatum mortale ex genere, sed tantùm ex præcepto diuino: vt cognoscere alienam, occidere hominem, quia illa ex se, si Deus reuocaret præceptum, non essent peccata.

Scot. 3. d. 37. q. vnic. latè probat Deum posse dispensare in præceptis secundæ tabulæ.

Hoc autem potest sic declarari, quia non dicitur, quòd circa creaturam sit aliquod peccatum ex genere: habere enim non suam, non est peccatum, nisi ex circumstantia: cognoscere enim non suam non est actus simpliciter malus, sed circunstantionatus, non autem ex genere actus. Vnde si Deus faceret illam suam, nullum esset peccatum. Similiter, occidere hominem non est peccatum ex genere actus, quia licitè potest fieri à iusto iudice, & huiusmodi: peccatum autem dum stat peccatum, tenetur quilibet vitare, & præceptum, dum stat præceptum, tenetur, quilibet seruare: igitur dum stat præceptum, tenetur nolle esse illud, quod est contra præceptum, & hæc est culpa mortalis: & isto modo tenetur potiùs sustinere non esse, *à Deo annihilante, quàm peccare. Vnde ex vna parte transgrediendo præceptum, est causa peccati; ex alia parte, non est causa peccati, sed sustinet* non esse *propter Deum; & ideò hoc est potiùs, & citiùs eligendum. Debet igitur intelligi, quòd non debet quis facere contra præceptum manens præceptum: sed si reuocetur, tunc licitè potest eligere illud sine peccato, & Deus potest facere de non licito, licitum, & de præcepto non præceptum.*

Ex genere malum vocat essentialiter malũ, vt odium, mendaciũ.

Additio. *In quibusdam antiquis ponitur vt textus.*

11 Præterea, velle illo modo *non esse*, nè scilicet peccet quis mortaliter, est velle *non esse*, nè inhonoret Deum: sed hoc procedit ex maxima charitate, & dilectione Dei, quia in tantùm vult seruare præceptum Dei, quòd potiùs vult *non esse*, quàm transgredi; sed actus procedens ex maxima dilectione Dei, est actus consonus rationi rectæ: ergo debet se permittere occidi à Deo, antequam velit peccare: Deus enim non peccat occidendo te, &c.

Præterea, secundùm Philosophum 9. *Ethicorum*, propter bonum actum virtutis debet se virtuosus exponere morti, non quòd occidat seipsum, sed quòd se offerat alteri, vt occidatur, priusquàm committat aliquid turpe; ergo magis, qui sequitur legem diuinam, debet se exponere morti, etiam ipsi *non esse*, antequam faciat contra legem diuinam.

Cap. 9. Ob bonum virtutis licitè exponit quis se morti.

Et si dicas, quòd Philosophus non diceret, quòd debet se exponere morti, si sciuisset, quòd haberet vitam immortalem, quia vita immortalis præponderat illi actui virtutis, propter quem mortuus est: sed quia non diu durasset vita illius secundùm eum, ideò præponderauit ille actus virtutis omnibus aliis, quos posteà habuisset: & si tunc secundùm rectam rationem non fuisset eligendum apud Aristotelem *non esse*, potiùs quàm committeretur turpe; ergo non nunc.

12 Respondeo, si homo secundùm rectam rationem debet se coniungere fini, tunc secundùm rectam rationem debet se coniungere omni, quo coniungitur illi fini: sicut si tenetur ad finem moralem secundùm rectam rationem; tunc quicquid concomitatur illum actum, nihilominùs habet æquè necessarium ordinem ad illum finem; siue ergo concomitetur immortalitas, siue non, pro illo nunc nè perdat finem moralem, secundùm rectam rationem tenetur ad illum actum virtutis, per quem sibi coniungitur.

Et tunc si arguatur, in omni natura ita est, quòd melior est substantia quàm operatio, vel beatitudo eius: quia beatitudo eius est accidens, nullum autem accidens perfectius est substantia: ergo nunquam beatitudo est finis, quia finis nobilior est eo, quod est ad finem. Respondeo, pro tanto operatio, vel beatitudo non dicitur bonum, nisi quia coniungit fini, quod est simpliciter bonum, & quia est medium ei: sic intelligit Aristoteles, quòd quæcunque operatio se habet ad finem humanum, illa est simpliciter eligenda, quia secundùm hanc, substantia sua perficitur & conseruatur, & sic aliud non est accipiendum, quod auertit.

13 h Ad Argumenta: ad primum dicendum quòd potest concedi, quòd priùs debuisset *Ad arg. 1. quæst. 1.*

Hic vult licere appetere non esse post esse ad fugiendum malum.

set eligere se non fuisse creatum à Deo, quàm quòd fecisset istud malum. Si autem intelligatur, quòd melius fuisset sibi non fuisse natum, quàm habere pœnam illam: tunc exponitur de natiuitate extra vterum, quòd melius sibi fuisset, quòd fuisset mortuus in vtero.

Ad 2. Ad secundum dicendum, quòd carentia mali, supposito aliquo bono, est delectabilis; sed nullo bono supposito non est delectabilis, quia nihil est. Si autem arguas de malo culpæ, tunc argumentum est pro me.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quòd arguit de miseria culpæ, & hoc concedo; potest etiam concedi, quod est verbum discipuli, tamen Anselm. approbauit.

Ad Rat. in oppos. Ad illa in oppositum dicendum, quòd absolutè loquendo non debet appetere *non esse*, ita quòd voluntas sit causa ipsius *non esse* quantùm est in se: potest tamen appetere *non esse*, scilicet permissiuè, scilicet, quòd si infligeretur sibi, voluntariè acciperet: & secundùm hoc procedunt rationes Augustini.

COMMENTARIVS.

9 *2. Conclus.* 8 DE *secundo dicto*, &c. Adiicit secundam conclusionem de fuga peccati: & dicit quòd ad fugiendum malum culpæ aliquo modo potest appeti *non esse*, aliquo modo non, &c.

Ad fugiendũ peccatum potest appeti non esse & quomodo. duobus autem modis comparari potest voluntas inquantùm operatur circa *non esse*, & circa miseriam culpæ; primo modo, vt sicut est causa culpæ, sic etiam esset causa non essendi sui ipsius: sic autem non potest velle *non esse* sui, quia non est causa sibi essendi, neque potest causare *non esse*: & si causare posset, non ordinatè etiam causaret *non esse* sui: quia peccaret mortaliter: quia post odium *esse* diuini, magis tenetur fugere odium sui *esse* proprij, peccaret ergo propter talem destructionem sui, & charitatem propriam: quia etiam homo nequit se interficere, vt fugiat peccatum: vnde Martyres, qui se præcipitarunt in mortem, excusantur à Patribus, quòd diuino instinctu id fecerint: & negant communiùs Authores damnatum iustè ad mortem posse concurrere ad sui mortem, & pœnam actiuè, eo saltem concursu, qui ab aliis adhiberi potest, quia non est dominus vitæ suæ, neque ageret secundùm charitatem, quam sibiipsi debet.

Nequit velle positiuè & absolutè non esse.

Potest permissiuè velle non esse ad fugiendum peccatum. Oportet ergo intelligi quæstionem, vt ad hæc cõparatur voluntas difformiter ad *non esse* quidẽ quatenùs voluntariè sustineret *non esse*, si fieret à Deo annihilante, præ peccato, quod simpliciter tenetur nolle: talis est voluntas, quando minus malum præfert maiori, non quòd minus malum positiuè eligat, & velit, sed permittat, & sustineat præ maiori malo: sic ergo dicit quòd voluntas creata debet velle *non esse* à Deo annihilante ipsam magis, quàm peccare: aliàs peccaret; quia secundùm rectam rationem debet seruare præceptum fugiendo peccatum; quod præceptum respectu eius semper stat in sua obligatione: non repugnando autem, aut sustinendo se annihilari à Deo agit non contra præceptum; sed contra naturalem inclinationem, quam tenetur non se qui contra præceptum obligans ad oppositum: ergo tenetur ad vnum vt fugiat alterum.

Exemplum. Declaratur hoc in exemplo adducto suprà: quia nemo se potest priuare vita ad fugiendum peccatum; quamuis possit, & debeat sustinere mortem ab alio inferendam, magis quàm consentiat in peccatum.

10 *Præferenda superior inferiori regula, quando opponuntur.* Secundò, probat conclusionem ex eo quòd quis debet operari secundùm regulam superiorem magis quàm inferiorem, quando illæ sunt oppositæ, superior est lex Dei, & voluntas, quæ præcipiunt fugiendum esse peccatum: inferior est inclinatio naturalis ad *esse*: ergo debet non nolle potiùs annihilari à Deo, quàm consentire in peccatum, modò præceptum non relaxetur, aut reuocetur.

Et dico, inquit, *nisi reuocetur præceptum: quia non videtur quòd circa creaturam sit aliquod peccatum mortale ex genere, sed tantùm ex præcepto diuino: vt cognoscere alienam; occidere hominem: quia illa ex se, si Deus reuocaret præceptum, non essent peccata*, &c. In primo non dari peccatum ex genere nisi sit malum contra præceptum, defendit *in 2. dist. 34. & 35.* vbi definit peccatum cum Augustino *esse dictum, factum* &c. *contra legem*, &c. Sic ergo negat aliquid prohiberi, quia malum, aut malitiam peccati supponi ad prohibitionem in genere, aut legem: in secundo docet aliqua præcepta secundæ tabulæ posse à Deo dispensari: de qua difficultate agit fusiùs *in 3. dist. 37.* videatur ibi Commentarius, & Textus. Non intendit ergo quòd peccatum mortale non contingat contra præceptum humanum, cuius contrarium sæpissimè docet: sed intendit in creatura nihil esse intrinsecè, & ex genere malum secluso præcepto.

Tertiò, probat conclusionem: quia ille actus est perfectæ charitatis. 11

Probat quartò ex Philosopho 9. *Ethic. cap. 9.* quòd propter bonum actum virtutis studiosus se debet exponere morti, non eam sibi inferendo, sed patiendo.

Dices quòd Philosophus non diceret hoc, si sciuisset eum habere vitam immortalem, quia propter breuitatem vitæ Philosophus præfert actum virtutis prolongationi breui. Diceret ergo Philosophus immortalem vitam esse præferendam: ergo similiter diceret non esse appetendum, aut supportandum *non esse* magis, quàm aliquid turpe admittendum. 12 *Replica.*

Respondet quòd sicut homo debet secundùm rectam rationem coniungere se fini in operando, id est operari propter finem, ad quem inclinat recta ratio, sic etiam debet se coniungere ei, quod est connexum fini, sicut medium necessarium ad finem, vel conditio concomitans, & hoc ex ipsa obligatione, qua tenetur sequi finem, & ad omnia concomitantia per se, siue sint conditiones finis, aut operantis, vt coniungitur fini, vel natus est coniungi; siue ergo mortalitas, siue immortalitas habeat se vt concomitans, tenetur ad actum bonum, nè perdat finem rectæ rationis. *Responsio.* *Obligatus ad finem tenetur ad coniuncta fini.*

Si dicas quòd substantia, & eius *esse* excedat operationem, quæ est accidens: ergo nunquam beatitudo 13 *Replica.*

beatitudo in operatione est finis: quia finis perfectior est eo, quod est ad finem. Substantia verò perfectior est operatione.

Responsio. Respondet quòd beatitudo non dicitur bonum, nisi vt coniungit fini extrinseco, qui simpliciter est bonus, & ad quem se habet beatitudo, vt medium vniendi ipsi. Sic intelligit Aristoteles, quòd operatio ad finem præferenda est omni ei, quod auertit à fine; quia per eam perficitur, & conseruatur substantia, quam simpliciter excedit finis extrinsecus beans ipsam: quod est dicere, quòd licèt beatitudo formalis in *esse* entis sit accidens, & inferioris generis, & perfectionis, substantia cuius est perfectio per modum actus secundi: si sumatur, vt includit suum terminum, vt obiectum qui est finis, & cum ipso facit vnum per modum vnientis, & coniungentis se, simpliciter excedit substantiam, quæ est ad finem, prout ipse finis eam præcedit.

Finis excedit id quod est ad finem.

[h] *Ad argumenta. Ad primum*, &c. Primum fuit ex illo Math. 26. *melius fuisset ei si natus non fuisset homo ille*, &c. Respondet quòd priùs debuisset eligere quòd non fuisset creatus a Deo, quàm habere malum culpæ: ita Carthusianus, & patet ex dictis. Quòd si intelligatur de malo pœnæ: dicendum est quòd melius ei fuisset mors in vtero, quàm natiuitas extra vterum. Alij exponunt, vt Maldonatus, has locutiones vulgares, & hyperbolicas prouerbiales esse, & non trahendas ad rigorem. 14

Ad arg. Ad primum.

Ad secundū patet respōsio ex litera, sicut ad tertium, quorū solutio patet ex corpore quæstionis.

SCHOLIVM.

Damnatos appetere suum non esse, *licèt inordinatè, quia non propter fugiendam culpam, sed iuxta rectam rationem optandum esset* non esse, *potiùs quàm esse in miseria damnatorum. Ita August. serm. 26. ad fratres & 5. contra Iul. 8. Nyssen oratione de infantibus. Bernard. serm. 35. in Cant. colligitur ex illo*, Bonum erat illi, si natus non fuisset. *Matth. 26. & Mar. 14. vbi gloss. Lyra. D. Thom. Theophil. Vide Salas tr. 13. dist. 15. num. 60. qui alios pro hoc citat. Facit id Apoc. 9.* Desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.

14 Ad secundam quæstionem iam patet quid sit dicendum, quia licèt debeant magis velle *non esse* quàm in peccato permanere; credo tamen, quòd appetunt *non esse*, non propter culpam fugiendam (sunt enim obstinati) sed propter pœnam, quam sustinent. Ratio est, *non esse* non est maximum malum, nec per se odibile; sed miseria est per se malum & per se odibile: ergo quilibet ipsam naturaliter refugit, nec ab hac fuga retrahitur: tale autem non est *non esse*: ergo, &c. Prima patet, quia sicut *non esse* ab æterno non fuit malum, sic nec post est malum; nec aliquis vnquam contendit cum Deo, quia non fuit natus antequam fuit natus: sed pœna & miseria est simpliciter malum, & ideò simpliciter nolenda, quia est contra appetitum naturalem: nec *esse* est per se obiectum commodi; vnde si daretur mihi optio, ego eligerem potiùs *non esse* simpliciter, quàm in tali & tanta miseria esse.

Decis. q. 2. *Damnati appetunt non esse, sed non ordinatè.* *Non esse potius eligendum, quam esse damnatum.*

15 Contrà, *esse* est magis diligibile affectione commodi; probo, omnis appetitus affectione commodi est concupiscens; concupiscens alicui concupiscit, & hoc habet pro fine; sed omnis appetitus affectione commodi sibi concupiscit: ergo maximè concupiscit sibi suum *esse*.

Tres obiectiones contra resol.

Prætereà, August. *decimonono de Ciuit. Dei*, dicit quòd amor sui vsque ad contemptum Dei facit ciuitatem Diaboli: hoc maximè viget in damnatis, sicut ex opposito maximè amor Dei in beatis. *Cap. vlt.*

Præterea, affectio commodi sequitur appetitum naturalem; sed natura maximè appetit *esse*: ergo & affectio commodi maximè est ad *esse*; tunc sic, cuius oppositum quis maximè odit, ipsum affectione commodi maximè diligit: sed oppositum ipsius *esse* maximè quis odit, affectione commodi: ergo *esse* maximè diligit.

Respondeo, de minori posset esse dubium propter beatitudinem, quæ magis videtur diligi affectione commodi, quia opponitur ipsi miseriæ: sed tamen certum est, quòd licèt concupiscentia, quoad concupitum, sit magis ad beatitudinem: non tamen concupita est beatitudo, nisi propter me, sicut propter finem: concedo ergo minorem: sed ad maiorem, quando dicitur, quòd *esse* est maximè eligibile affectione commodi, & sic oppositum eius est maximè fugiendum: dico quòd est falsa, nisi sit in eodem genere oppositionis. Tunc ad minorem dico, quòd *non esse* est oppositum *esse* contradictoriè; sed miseria & beatitudo contrariè: *velle* etiam & *nolle* sunt actus contrarij, & habent opposita obiecta; nunc autem contradictorium non habet rationem formalem odibilis, sed contrarium: contrarium enim est maioris odij, quàm contradictorium. Probo, ex affectione beatitudinis est odibilitas: non enim appeto *non esse*, nisi quia vellem beatus esse: sed huic opponitur miseria: ergo, &c.

Præterea,

Prætereà, illud est malum formaliter; sed *non esse* non est malum formaliter. Et sic patet, quòd illa propositio est falsa, quæ dicit, quod opponitur magis bono, est magis fugiendum, nisi opponantur contrariè, credo tamen quòd propter fugam pœnæ vellent *non esse*, quia dicit hoc Scriptura secundùm illud Apoc. *Desiderabunt homines mori, & fugiet mors ab eis.*

Ad arg. 1. Ad argumenta. Ad primum dico quòd ibi sunt duo *nolle*: tamen fortius nolle te- 16
neret, & sic dicuntur nolle *esse*, quia in *non esse* nihil mali imaginantur.

Ad 2. Ad secundum dicendum, quòd consequentia bona est de volitione efficaci, non tamen de absoluta, vel simplici volitione; & ideò arguis ex opposito consequentis ad oppositum antecedentis, non destruendo totum consequens.

Vel sic ad primum, dico quòd ibi sunt duo *nolle*, & vnum fortius alio: & ideò cedit vni, & vult illud aliud, quia scilicet miseria pœnæ habet rationem maioris nobilitatis, licèt sint duo nolita, & duo *nolle*; vnum contrariè, & aliud negatiuè; & ideò vnum magis nolendum, quàm alterum. Ad secundum, cùm dicitur, quòd damnati non possunt non appetere beatitudinem, & sic semper esse in quiete appetunt. Dico quòd consequentia est bona, loquendo de volitione efficaci: non est autem bona loquendo de conditionata, id est, si possent velle *non esse*. Vnde istud argumentum procedit ex opposito consequentis ad oppositum antecedentis, non destruendo totum consequens: simul igitur possunt appetere beatitudinem, & *non esse*, voluntate conditionata.

COMMENTARIVS.

15 *Resolutio secundæ quæstionis.* AD *secundam quæstionem*, &c. Hîc resoluit, ex dictis in prima, secundam quæstionem: dicit secundùm rectam rationem modo suprà dicto posse velle *non esse* ad fugiendum peccatum, non verò ad fugiendum pœnam iustam; tamen de facto voluit *non esse* ad fugiendam pœnam non ex affectu iustitiæ ad fugiendam culpam; sed commodi ad fugiendam pœnam. *Damnati vellent non esse ad fugiẽdam pœnam ex affectu commodi.* Eandem tenet D. Thomas *hîc art. 1. quæst. 2. quæstiunc. 3.* & Richardus *art. 4. quæst. 3.* qui distinguunt duplicem voluntatem in illis, aliam naturalem, aliam deliberatiuam: negant voluntate naturali eos velle *non esse*, & rectè, si detur talis voluntas, quia sequitur inclinationem naturæ, quæ semper, & vniformiter est ad *esse*. *Duplex voluntas, vt à quibusdam ponitur.* Voluntas alia est deliberatiua, & libera, & hæc consideratur ad *non esse* nudum, & sic non est appetibile, quia nullam rationem boni includit: alio modo consideratur quatenùs inducit carentiam pœnæ, & sic potest appeti, & de facto appetitur à damnatis. *Hanc distinctionem non admittit Doctor.* Hanc distinctionem voluntatis naturalis elicitæ, & voluntatis deliberatiuæ non admittit Doctor, de qua difficultate egimus *in d. præcedenti*; ideò Doctor sine illa distinctione procedit.

16 *Probatio conclusionis.* Probat conclusionem: quia *non esse* non est per se malum, aut per se odibile; sed miseria est per se odibilis: ergo quilibet eam naturaliter refugit. Maiorem probat: quia ab æterno fuit *non esse*; nullum tamen malum: & nemo cum Deo contendit, quòd non fuerit natus antequam natus est: ergo etiam post *esse* non est malum: pœna autem est malum propter repugnantiam appetitus naturalis; *esse* autem non est obiectum appetitus commodi. *Subsistere voluntatem illam in dãnato ex sufficiẽti motiuo.* Vnde secundùm hunc affectum commodi magis appetendum esset *non esse*, quàm esse in miseria. In hac ratione agit Doctor de bono commodi, & malo opposito: & sic intelligenda est maior, quatenùs *non esse* non est malum per se post *esse*: quamuis etiam propositio intelligi possit vniuersaliter, quia *non esse* neque per se est malum nisi tantùm contradictoriè.

Contra esse, &c. Obiicit contra resolutionem datam, & probationem: primò quòd *esse* sit diligibile secundùm affectum commodi, vt finis *cui*: ergo maximè concupiscibilis affectu commodi. 17 *Obiectio.* Secundò ex Augustino 19. *de ciuitate Dei cap. vltimo*, vbi dicit, quòd *amor sui vsque ad contemptum Dei fecit ciuitatem Diaboli*: qui amor maximè viget in damnatis, sicut amor Dei in beatis. *2. Obiectio.* Tertiò, quia affectio commodi sequitur appetitum naturalem, qui maximè inclinatur ad *esse*: ergo oppositum magis habetur in odio. *3. Obiectio.*

Ad primum respondet negando maiorem, nisi sit in eodem genere oppositionis: *non esse* autem contradictoriè tantùm opponitur affectui commodi: miseria verò contrariè: affectus ergo commodi licèt magis inclinetur in beatitudinem, quàm in aliud, & ex hoc motiuo refugit oppositum: tamen magis refugit oppositum contrarium, quàm quod opponitur remotè, & contradictoriè. 18 *Ad primam responsio. Affectus cõmodi fugit magis cõtrarium, quàm contradictorium.* Quod probatur, quia ex affectione, & inclinatione commodi, qua fertur in beatitudinem, est odiũ tam contradictorij, quàm contrarij, ex eadem affectione, qua quis desiderat beatitudinem, desiderat etiam *non esse*, quia sic desiderat quietem, & quandam beatitudinem per remotionem miseriæ, quæ magis repugnat inclinationi commodi: & quia *non esse* non est malum formaliter, sicut est miseria, ideò negat illud, quod magis opponitur bono, esse magis appetibile, per affectum commodi, nisi opponatur contrariè. *Fuga miseriæ ex appetitu quietis.* Ex qua solutione patet ad obiectiones.

Ad primam. Quòd affectus commodi maximè, & directè inclinatur ad beatitudinem: quia inclinatio actus secundi ad summam perfectionem actus secundi, quæ est beatitudo, quamuis hæc inclinatio sit ad *esse* etiã substantiæ, eatenùs est ad *esse*, vt finis *cui*, quatenùs est ad obiectum proprium vt ordinatur per modum perfectionis ad substantiam in *esse*, quæ proinde non trãscendit suum obiectum, sicut neque vlla alia inclinatio ad actum secundum. 19 *Ad primam obiectionem. Appetitus beatitudinis est ad esse, & quomodo.* Si ergo miseria opponatur directè contrariè beatitudini, & inclinationi naturali, vt est ad beatitudinem in genere, seu ad bonum, quà commodum est, *non esse* verò opponatur tantùm remotè, & contradictoriè, & per conse

Ad 2. & 3. consequentiam tantùm, inde est quòd magis inclinatur affectus commodi ad fugiendam miseriam, quàm *non esse*. Vnde patet ad secundum, quod est Augustini, nempe amorem proprium inclinare maximè in commodum, atque consequenter fugere maximum incommodum præ alio minori. Ad tertium, patet ex dictis. Tandem concludit Doctor: *Credo tamen*, inquit, *quòd propter fugam pœnæ vellent non esse: quia dicit hoc Scriptura secundùm illud Apocalypsis 9. desiderabunt homines mori, & fugiet mors ab eis*, &c. quod ita plures interpretantur.

Ad argumenta patet solutio ex litera, & ex dictis.



QVÆSTIO III.

Vtrùm beati videant pœnas damnatorum?

D. Thom. *hic quæst. 1. art. 5.* D. Bonau. *1. part. art. 1. quæst. 3.* Rich. *art. 3. quæst. 3.* Soto *quæst. vnic. art. 6. con. 3.* Bassol. *quæst. 5. Vide* Scot. *in Theor.* §. Non omne agens est præsens.

1 TRVM beati videant pœnas damnatorum? Videtur quòd non, quia si viderent aliquid, esset eis ratio videndi; sed nihil potest eis esse ratio videndi eas, quia non essentia diuina, quia ipsa non repræsentat omnia vt distincta, quia ipsa est indeterminata ad omnes creaturas; nec proprietas personalis, quia illa non est communis tribus. Ratio autem cognoscendi est communis tribus. Nec alius respectus ad extrà, quia ille non potest esse cognitus nisi priùs sint cognita extrema: ergo cùm nihil aliud sit in diuinis, nisi aliquod illorum, & per illa non cognoscunt: ergo non possunt cognoscere. *Arg. 1.*

Præterea, nihil cognoscitur nisi quod habet ideam in Deo: pœna autem est quoddam malum: ergo non habet in Deo ideam: ergo, &c. *Arg. 2.*

Præterea, si vident pœnas damnatorum, vel volunt eas, vel nolunt. Si volunt, ergo videntur crudeles. Si nolunt, & non possunt subleuare: ergo cadit in eis tristitia, quod est inconueniens: ergo, &c. *Arg. 3.*

Contrà, Gregorius in Dialogo, & ponit Magister in litera. *Lib. 4. cap. 34. Idem super Luc. 16.*

SCHOLIVM.

Beatos non videre damnatorum pœnas sensibiliter ob nimiam distantiam, nec etiam eas intelligere intuitiuè in genere proprio, si requiratur proportionata distantia ad intellectionem; de quo 2. dist. 9. quæst. 2. possunt tamen eas videre in Verbo, id est, in essentia diuina, quia hæc sine vlla determinatione superaddita, licèt illimitata, & indifferens sit, determinatè omnia repræsentat, & contingenter vt vult respectu aliorum intellectuum à suo, ostendit contradictoria, contraria, & disparata. de quo 1. distinct. 7. & dist. 28 quæst 3.

2 [a] RESpondeo hìc primò est videndum, vtrùm videant, vel cognoscant illas pœnas in genere proprio. Secundò, vtrùm in Verbo. Patet quòd non videant visione sensibili, quia non est distantia debita, si requiratur distantia debita inter intellectum, & obiectum; etiam non cognoscunt, quia non est distantia proportionata inter potentiam existentem in cælo empyreo, & obiectum in inferno. Sic ergo patet, quòd non in genere proprio. *Beati non vident pœnas damnatorum in genere proprio.*

[b] Remanet ergo quæstio, si in Verbo cognoscant eas: vbi prima difficultas est, quid est ratio cognoscendi eis illas pœnas in Deo? Et dico quòd est essentia diuina, non respectus, nec personale aliquod. Probatio, quando causa est illimitata ex perfectione sua ad plures effectus in se, ex se est determinatissima determinatione excludente contradictionem, vel indifferentiam ad contradictoria, ad quodcunque illorum plurium. Probo, quia si esset tantùm illius, esset determinata ad illud; sed quod extendit se etiam ad aliud causandum, nihil diminuit de virtute sua respectu illius: nec impedit determinationem sui respectu illius: tunc arguitur. *i. non determinatur ab alio, sed ipsa se determinat ad contradictoria, vt producere, vel non producere album, ad contraria, vt ad albũ*

Si aliqua essentia esset determinata ad repræsentandum tantùm hanc essentiam, illa esset determinata duplici determinatione ad contradictoria, & determinatione ad alia; sed essentia diuina est illimitata ad omnia entia, & est ad quodlibet illorum determi

& nigrum, ad disparata, vt ad album & rubrum d. 7. n. 4. & 9. & d. 28. q. 3. à n. 12.

determinata determinatione excludente indifferentiam ad contradictoria, vt ostensum est *in primo libro*: ergo per hoc quòd extendit se, & est illimitata ad plura, nihil tollitur sibi de perfectione respectu illius, vel cuiuslibet illorum in se: & ideò sine omni determinatione, & omni determinante, re, vel ratione, cognoscibilis est ex se, & ratio cognoscendi omnium ad quæ est.

COMMENTARIVS.

1 *1. Conclusio.* *Beati non vident oculo corporeo pœnas damnatorum.*

[a] R*Espondeo hîc primò*, &c. Mouet quæstionem de visione pœnarum in genere proprio, & in Verbo: & statuit primam conclusionem, quòd non possit beatus videre illas pœnas visione sensibili ob improportionatam distātiam inter oculum in cælo empyreo existentem, & obiectum constitutum in inferno. Hanc sequitur Suarez *2. tomo in 3. part. disput. 47. sect. 6.* quamuis *ibidem* excipiat visiuam Christi propter participationem omnipotentiæ, & maiorem dignitatem eius. Maior *hîc quæst. 1. ad secundam dubit.* Bassolis *quæst. vltima art. 2.* Lusitanus *in 3. tom. lib. 4. q. 6. art. 3. §. 2.* & patet ratione, quia ordo naturalis causarum non est peruertendus, nisi ratio aliqua, aut authoritas suadeat. In proposito autem nulla est talis: quia neque ex beatitudine talis perfectio colligitur, neque ex natura potentiæ, licèt habitura sit aliquam excedentem præsentem statū, & perficietur in ordine ad quodcunque visibile, seruata tamen determinata distantia: nam licèt oculus quantùm est ex se, moueri possit ad visionem distantis obiecti, tamen ipsum obiectum non est natum mouere in tanta distantia; quod relinquitur in sua virtute naturali, neque ex beatitudine colligitur specialis aliqua Dei assistentia, vt videatur obiectum absens extra sphæram sibi proportionatam ad mouendum.

Probatio.

Sententia opposita.

Contrarium huius docuit noster Lyranus *in cap. 7. Actorum*; & Sotus *in d. præcedenti q. 4. art. 5. post tertiam conclus.* Medina 1. 2. q. 3. *ad* 1.

An videantur ab intellectu in proprio genere.

Quantùm ad cognitionem intellectiuam in proprio genere dicit, si requiratur distantia proportionata, non videri illas pœnas à beatis in proprio genere. De hac difficultate aliquid diximus *suprà*, agentes de cognitione animæ separatæ, & speciebus eius.

2 *An videātur in Verbo.*

Remanet [b] *ergo quæstio*, &c. An scilicet videant in Verbo, & quærit primò de ratione videndi, dicens esse ipsam essentiam diuinam prout est principium ex se actualissimum repræsentans quodcunque seclusa omni determinatione superaddita re, vel ratione distincta, vt probat in litera. Hanc dissertationem remittimus *ad primum Sententiarum dist. 35. & sequentibus.*

SCHOLIVM.

Pœnas priuatiuas damnatorum, vt damni, & culpæ (hæc lato modo pœna dicitur) non posse videri, secundùm speciem, vt loquitur August. 1. ita, vt habeant proprias ideas in Deo, reliquas pœnas positiuas; de quibus suprà dist. 44. quæst. 2. sic videri posse, quia habent in eo ideas, & de facto videntur, secundùm Greg. hom. 40. in Luc. & Mag. hîc, qui dicit esse commune Sanctorum: & colligitur ex Isai. vlt. non erit in voluntate beatorum complacentia de miseria damnatorum, qua talis, imò conditionatè vellent eos liberatos, si Deo placeret, complacebunt tamen in iustitia iudicis, inflictiua pœnarum.

Cognoscere secundùm speciem, & secundùm priuationē, quid est? De his suprà d. 44. q. 2.

[c] SEcundò est videndum quomodo hoc est, an pœna habeat ideam in Deo? Dico secundùm Augustinum *nono de Trinitate, capitulo decimo*: quòd aliquid est cognoscibile secundùm speciem, & aliquid secundùm priuationem: cognitio secundùm speciem est eius rei, quæ cognoscitur in se: secundùm priuationem cognoscitur, quod cognoscitur per aliud: & idem dicit Philosophus *quarto, septimo, & nono Metaphysicæ*, quòd priuatio cognoscitur per habitum. 3

Quinque pœnæ damnatorum, vna priuatiua, & quatuor positiuæ.

Tunc dicitur ad propositum, quòd pœna damnatorum est multiplex, quædam pœna damni, carentia scilicet visionis diuinæ: alia est tristitia de ipsa pœna: tertia, tristitia de culpa, non vt est offensiua Dei, sed vt est causa pœnæ: quarta est tristitia de igne continente perpetuo: quinta de igne immutante, & retinente intellectum damnatorum in perpetua consideratione sua: tertia tristitia, scilicet de culpa, inquantùm est peccatum, est vermis conscientiæ.

Pœnæ positiuæ cognoscuntur secundùm speciem in Deo.

Si ergo est quæstio de pœna damni, quæ est carentia visionis diuinæ, siue de culpa, quæ est causa pœnæ; sic dico quòd non vident in essentia diuina: quia nec habent ideam in Deo, nec imitantur ideam, quia nec in se, nec in aliquo gradu entis sunt, nec per consequens imitantur illam in aliquo gradu: & ita non est ratio cognoscendi in essentia diuina secundùm speciem, quia non habent propriam ideam in Deo, sed secundùm similitudinem per aliud. Si autem est quæstio de tristitiis aliis, tunc dico quòd illæ cognoscuntur secundùm speciem, quia sunt verè entia positiua, quæ habent verè propriam ideam in Deo.

Sed

4 Sed quid facit idea, si ponatur ad cognitionem, & visionem illam? Dico quòd si idea ponitur respectus essentiæ diuinæ ad extrà, cognitio illorum, ad quæ est respectus ille, necessariò præsupponitur: essentia enim nunquam est comparata, nisi priùs intelligatur illud, ad quod fit comparatio, non enim fit comparatio ad ignotum. Per quid ergo cognoscuntur illa, ad quæ comparatur? non per cognitionem illius respectus: oportet ergo quòd per illam essentiam, quæ perfectissimè omnia repræsentat, quæ vt sic repræsentans illa vt obiecta cognita, habet rationem ideæ.

Ideam non esse respectum essentiæ ad extrà. de idea latè 1.d.35. vbi n. 12. describitur, & dist. 36.

Et si arguatur, quòd hoc non potest esse, quia illud, quod sic se habet in ratione cogniti est deductum, vel abstractum ab alio; ergo habet necessariò exemplar, à quo, vel vnde productum est, sub ratione propria, & determinata, & hoc habet rationem ideæ. Dico quòd falsum est, imò ipsa essentia est exemplar illimitatum. Et ista est prima ratio in *esse* cognito, non autem alia ratio, quæ priùs det *esse* cognitum, vt dictum est *in primo libro*. Et hæc magis determinatè repræsentat, quàm aliquid limitatum nedum extrà existens, imò quàm aliquid intrà. Illo modo loquebatur Augustin. quia ipse loquebatur de ideis sicut Plato: Plato autem ponebat eas in mente diuina, sicut per se entia.

5 [d] Sed de tertio principali, scilicet quomodo se habet voluntas beatorum ad ipsas pœnas damnatorum; Non credo quòd consolentur absolutè de pœnis eorum: quia nec Deus, qui est iudex inferens pœnam, consolatur absolutè, vt patet per Isaiam, *Heu me consolabor super inimicos meos*: obiectum enim circa quod ordinatur, est natura nuda, & illam non ordinat ad pœnam nisi propter rationem mali: non ergo gaudent de eis, nisi propter iustitiam iudicis, si est, imò quia est volita ab eis: aliud autem, vt culpa, est nolitum ab eis.

Quomodo voluntas beatorum se habet erga pœnas dãnatorum.

Aliter tamen est in eis *velle*, quàm in Deo, quia Deus est iudex voluntariè inferens: sed in eis non est nisi *velle* complacentiæ inquantùm est determinatum à iusta voluntate diuina, & si placeret Deo, vellent liberationem eorum, vel saltem non displiceret eis, si placeret Deo: & sic patet quòd non acceptant pœnam vt primum obiectum, sed vt est à iustitia diuina inflicta eis.

Alij textus sic sunt.

6 De tertio principali, scilicet quomodo voluntas beatorum se habet ad istas pœnas damnatorum, nec video, nec scio, quomodo vel ipsi, vel Deus gaudeant, vel consolentur de pœnis eorum. Vnde Deus dicit Isaiæ 1. per modum plangentis. *Heu consolabor super hostibus meis.* Vnde cùm dicit *heu*, non dicit nisi quasi dolendo, quia Deus est, *cui proprium est misereri semper, & parcere*, nec lætatur in perditione malorum morientium; vnde non ordinat aliquos ad pœnam, nisi quadam ratione necessitatis in natura, eo quòd non potest aliter ordinare saluo ordine iustitiæ, qua ordinari debet culpa sub pœna; non tamen est volitum simpliciter, nec à Deo, nec à beatis, sed tantùm est volitum secundùm *quid*: gaudent enim propter iustitiam inquantùm natura existens sub culpa ordinatur per pœnam.

Sciendum tamen, quòd aliter debet gaudere iudex de pœna iustè inflicta, quàm alius, cuius non interest: vnde Deus acceptat damnatorum pœnam, quia iusta est, & fit in vindictam offensæ iudicis: & ideò eius interest habere maiorem complacentiam infligendo iustè pœnam, quàm debeant habere beati; quia alij beati minùs debent habere de complacentia, eo quòd ad eos non pertinet vindicta, imò si placeret Deo, vellent eorum liberationem, vel saltem non displiceret eis liberatio eorum. Vnde Deus acceptat id quod iustum est in se; sed beati acceptant illud pro tanto, vt est ordinatum, & inflictum à Deo.

[e] Sed eritne tristitia in eis in videndo pœnas damnatorum propter illud *nolle*? Dico quòd non, quia beati omnia vident in Deo sicut in primo obiecto eorum volito, & volunt quod Deus vult: vident autem Deum velle pœnas eorum, & intelligere eas, ideò volunt eas intelligere vt Deus, & velle, vt Deus vult eas: & ideò pœna illa non est eis vt obiectum nolitum, sed volitum: tamen si placeret Deo, absolutè nollent, nec tamen propter hoc est tristitia in eis, quia voluntas eorum non est capax tristitiæ propter delectationem perfectam, quæ impedit omnem tristitiam, non solùm oppositam, sed quamcunque contingentem. Nec est etiam ista nolitio, nisi conditionalis, scilicet si Deus vellet, & ideò non sequitur tristitia, quia talis nolitio non est sufficiens causa tristitiæ. *1. Ethic. 8.*

Ad arg. 1. [f] Ad argumenta. Ad primum, nego maiorem, quando dicis quòd essentia non potest esse ratio cognoscendi. Et ad probationem, quando dicis, quòd est indeterminata. Dico quòd verum est: non tamen in determinatione, quæ est cum potentialitate quadam ad contradictoria, quæ est imperfectionis: & isto modo materia est indeterminata ad formas, & genus ad species, & de ista verum est, quòd non sufficit ad determinatam cognitionem. Sed alia est indeterminatio, & illimitatio actiua, & actualitatis, & talis est sufficiens ratio & causandi, & cognoscendi, sic essentia diuina est indeterminata propter illimitationem suæ perfectionis. Illud autem indeterminatum, quod propter suam illimitationem est perfectius, quàm determinatum determinatione opposita, benè potest esse ratio determinatæ cognitionis, sicut esset vnius tantùm; sic autem essentia diuina sic se habet ad omnia cognoscibilia.

Quomodo indeterminatum repræsentat determinatè varia.

Ad 2. Ad aliud dico, quòd non habet ideam: cognoscitur tamen per habitum sicut priuatio habet cognosci.

Ad 3. Ad tertium dico, quòd volunt eas, sed non primò, quia volunt quicquid Deus vult, & si etiam illas pœnas volunt, non tamen propter hoc sunt crudeles, quia nolunt prima nolitione, nec tamen propter hoc tristantur, quia appetitus eorum non est capax tristitiæ, vt dictum est, sed vultu diuino satiantur.

COMMENTARIVS.

3 [c] *Secundò est videndum*, &c. Quærit quomodo cognoscantur pœnæ in Deo. Duplicem modum cognitionis adducit ex Augustino in textu, nempe cognitionem secundùm speciem, & est illa, qua cognoscitur aliquid in seipso. Alia cognitio est non secundùm speciem, éstque priuatiua, qua cognoscitur non in se, sed per similitudinem, seu ordinem ad aliud; talis est cognitio priuationis, quæ cognoscitur tantùm per habitum oppositum, vt asserit Philosophus *locis citatis in textu*, subdit multiplex genus pœnæ damnatorum, de quibus egit *superiùs d.*44. *q.* 2. & resoluit pœnam priuatiuam non habere ideam in Deo, neque imitantur ideam, quia nullum habent gradum entis in se, aut in alio: & cognoscuntur tantùm per sua opposita: pœna autem positiua cognoscitur directè, & in specie per ideam à sensu contrario: quod tenet Gregorius *homil.* 40. *in Lucam.* Magister *in hac distinctione* asserens esse communem Patrum, & colligitur ex Isaiæ vltimo, éstque communis Doctorum. Docet prætereà rationem cognoscendi esse ipsam essentiam diuinam, quæ est perfectum exemplum omnium, non verò relationes aliquas in essentia, quæ supponunt necessariò cognitionem extremorum, & explicat Augustinum. De his est varia sententia Scholasticorum: quam quæstionem in proprium locum remitto, vbi de ea per se agit Doctor, & alij: sicut etiam illam controuersiam, an possint creaturæ videri in Verbo; quod negat Vasquez per ipsam visionē videri, quæ magis tractatur de sciētia Dei, & de cognitione Christi etiā *in* 3.*d.*14.

Duplex genus cognitionis in Verbo.

Pœna priuatiua non habet ideam in Deo.

Essentia diuina ratio cognoscendi.

Remissio controuersiæ.

[d] *Sed de tertio principali*, &c. Quærit an lætentur Beati de pœnis damnatorum? 4

Respondet quòd non directè, & formaliter, sed tantùm complacent de iustitia diuina adimpleta, & de ordine vniuersi seruato: neque etiam ipse Deus aliter infligendo pœnam respicit pœnas, damnatorum nisi sub ratione iustitiæ adimplendæ, & manifestandæ, quia pœna, vt habet præcisè rationem mali, non est obiectum volibile prosecutiuè; sed vt habet tantùm rationem boni: sic autem habet rationem boni, vt est iusta, & per eam ordinatur culpa. Vterque modus, quo hoc declaratur in litera, æquiualet.

Beati complacent in voluntate Dei, & iustitia completa, non in pœnis inde sumptis.

[e] *Sed eritne tristitia in eis*, &c. Respōdet negatiuè ob conformitatem cum diuina voluntate, & propter affectum iustitiæ: & quamuis nollent pœnas damnatorum, si Deus ita vellet, tamen hæc est conditionalis volunta, & insufficiens causa tristitiæ, cuius etiam non sunt capaces beati, qui Dei vultu satiantur. 5

Non tristari de pœna damnatorum beatos.

[f] *Ad argumenta. Ad primum*, &c. Respondet quòd indeterminatio essentiæ diuinæ ad repræsentandum creaturas sit indeterminatio potentiæ actiuæ, & summæ actualitatis, ac proinde seipsa reducuntur in actum sine aliquo determinante superaddito. Non est autem determinatio potentiæ passiuæ, seu contradictionis, qualis est in materia, & genere, & huiusmodi, vt est intellectus, quæ requirunt per aliud determinari. 6

Ad arg. ad 1.

Indeterminatio duplex.

Ad secundum, & tertium respondet sicut in corpore.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm pœna omnium damnatorum sit æqualis?

Alensis 3.*part.quæst.*41.*m.*4.*&* *quæst.*61.*m.*3.Richard.*art.*5.*quæst.vlt.*Sotus *quæst.vn.art.*4.Vasq. 1. 2. *disp.* 100.*cap.*3.*&* 5.Assor.*tom.*1.*lib.*4.*cap.*24.Suar.*tom.*4.*disp.*12.*sect.*2.Abul.*in* 25. *Matth.quæst.*639.

Arg. 1. [g] VLTIMO quoad totum quartum istum quæritur, Vtrùm pœna omnium damnatorum sit æqualis? Videtur quòd sic, Pœna essentialis damnatorum est pœna damni, quæ consistit in carentia diuinæ visionis; carentia verò est priuatio: sed priuatio non recipit magis, & minùs: ergo, &c. 1

Item

Item ignis, qui facit pœnam sensus, omnium erit idem ; sed agens naturale agit secundùm vltimum potentiæ suæ in omne, in quod agit: ergo æqualiter patientur, quia in omnibus pœna æqualis erit, &c. *Arg. 2.*

Item, si pœna vnius esset minor quàm pœna alterius, tunc pœna peioris esset maior, quàm minùs mali; sed hoc est falsum : ergo, &c. Consequentia patet : falsitas consequentis probatur, quia maior pœna est maius bonum, quia pœna est aliquod positiuum, & per consequens bonum, quia à Deo: & sic si daretur pœna maior peiori, plus daretur sibi de bono. *Arg. 3.*

2 Prætereà, si illa pœna esset sic diuersa in diuersis secundùm magis & minùs, tunc deberet plùs attendi maioritas, vel minoritas secundùm extensionem, quàm secundùm intensionem. Probo, ex hoc debet attendi grauitas pœnæ, ex quo grauitas culpæ: grauitas autem culpæ attenditur penes infinitatem: ergo & pœnæ: sed hoc non potest esse secundùm intensionem: ergo quoad extensionem : ergo in pœnis non est diuersitas inæqualitatis, quia quælibet infinita extensiuè, & per consequens omnium hominum erit æqualis. *Arg. 4.*

Contrà, Apoc. 18. dicitur, *Quantum glorificauit se, & in deliciis, &c.* Et in Psalm. 61. dicitur : *Reddes vnicuique secundùm opera sua.* *Idem Prouerb. 24. & Hier. 25.*

COMMENTARIVS.

1 **V**Ltimò [g] *quoad totum quartum istum*, &c. Complet tractatum quarti Sententiarum per tres quæstiones, quarum hæc est prima. Secunda est de inæqualitate gloriæ beatorum, &c. Tertia de inæqualitate gloriæ corporum.

SCHOLIVM.

Posita ratione ad oppositum pro sententia vera quæst. resoluit in quæst. vlt. huius à num. 12. & argumenta hic posita, diluit ibi à num. 16.



QVÆSTIO V.

Vtrùm beatitudo omnium beatorum sit æqualis?

D. Thom. 1. *part. quæst.* 12. *art.* 6. D. Bonauent. 4. *dist.* 49. 1. *part. art.* 1. *quæst.* 6. Richard. *art.* 2. *quæst.* 8. Gabr. *quæst.* 2. *art.* 3. Bassol. *quæst.* 2. Durand. *quæst.* 2. Sotus *quæst.* 3. *art.* 2. Suar. 1. *part. tr.* 1. *lib.* 2. *cap.* 21. Vasq. 1. *part. dist.* 47.

[h] IVxta hoc quæritur, Vtrùm beatitudo omnium beatorum sit æqualis ? Videtur quòd sic, quia dicitur in Matth. 20. *Singuli acceperunt singulos denarios:* æquale enim donum erit in Ecclesia militante, quantùm ad numerum : ergo non potest intelligi secundùm extensionem, ergo secundùm intensionem. *Arg. 1.*

Prætereà, fruitio sequitur visionem ; sed non vident Deum inæqualiter : ergo nec fruuntur eo inæqualiter. Quòd non videant Deum inæqualiter, patet per Augustinum 83. *quæstionum quæstione* 32. vbi dicit quòd vnus non intelligit meliùs rem, quàm alius: quia qui aliter intelligit rem, quàm est, fallitur : igitur cùm secundùm eum *ibidem*, beati intelligant Deum, & videant, sicut est ; ergo non potest inæqualiter videri. *Arg. 2.*

Prætereà, Augustinus *super Ioannem homil.* 66. dicit, & ponitur in litera. *Omnium erit par gaudium :* ergo par beatitudo: gaudium enim vel est idem quod operatio, vel consequitur operationem, quia æqualem operationem sequitur æqualis delectatio. *Arg. 3.*

Contrà : Ioan. 14. dicit Saluator : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt:* & loquitur de beatis secundùm Augustinum. Prætereà, Apostolus primæ ad Corinth. c. 15. *Sicut differt stella à stella in claritate, &c.* Psalm. 61. dicitur. *Reddes vnicuique secundùm opera sua :* sed opera sunt inæqualia, &c. *Rat. ad opp.*

COMMENTARIVS.

2 **I**Vxta [h] *hoc quæritur*, &c. Hanc quæstionem resoluit primo loco. Deinde, resoluit priorem, & secundam, vltimo verò loco primam.

SCHOLIVM.

Positis rationibus pro vtraque parte, resoluit quæsitum quæst. seq. num. 2. *& soluit argumenta hîc posita ibi num.* 10.



QVÆSTIO VI.

Vtrùm beatitudo corporum erit æqualis?

D.Thom. *in add. quæst.* 82. *art.* 1. *& quæst.* 95. *art.* 1. *& dist.* 49. *quæst.* 4. *art.* 1. *vbi* Richard. *art.* 4 *quæst.* 2. D.Bonau. 1. *part. art.* 2. *quæst.* 2. Bassol. *quæst.* 2. Suar. 1. *part. tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 20. *&* 3. *part. tom.* 2. *disp.* 48. *sect.* 3. Enriq. *lib. vlt. cap.* 26. *num.* 1.

VXTA hoc quæritur, Vtrùm beatitudo corporum erit æqualis? Videtur quòd sic. Primò de impassibilitate, impassibilitas est priuatio: sed priuatio non recipit magis, & minùs: ergo nec impassibilitas. 1

Præterea, quòd non in subtilitate, quia subtilitas est possibilitas coëxistendi vnum corpus cum alio pro libito voluntatis animæ informantis ipsum; sed æqualiter omne corpus beatum habet possibilitatem talem: ergo, &c.

Contrà, 1. ad Corinth. cap. 15. *Stella differt à stella in claritate; sic erit resurrectio mortuorum.*

SCHOLIVM.

Resoluit primò quæst. secundam, id est, quintam huius dist. per 6. concl. Prima est, dari posse inæqualitatem beatitudinis in eadem specie: quia potest quietari appetitus naturalis beati, licèt non habeat, quantum capere potest. & soluit argumenta duo in oppositum: dari de facto illam inæqualitatem in beatis, constat ex locis adductis quæst. 5. *August. lib. de sancta Virg. cap.* 26. *& tract.* 67. *in Ioann. Cyrill. ibi lib.* 9. *cap.* 31. *Nazian. orat.* 16. *Cyprian. lib. de habitu Virg. fin. Ambr. lib. de bona morte, cap.* 12. *Greg.* 4. *dial.* 26. *qui sic exponunt locum Ioan.* 14. In domo Patris mei, *&c. & eodem modo exponunt Patres illum locum* 1. *Corinth.* 15. Sicut Stella, &c. *diffinitur in Flor. in literis vnionis.*

i REspondeo, & primò ad secundam quæstionem, circa quam sex sunt videnda. Primò, quomodo potest stare inæqualitas in eadem specie: secundò, vnde est ista inæqualitas: tertiò, quòd non potest absolutè esse ex parte potentiæ passiuæ: quartò, quòd est ex actiuo, & qualiter: quintò, vtrùm ex natura voluntatis, vel habitus: sextò ex his, quæ inæqualiter fruuntur Deo. 2

k De primo, quòd inæqualitas possit esse in eadem specie in beatitudine, videtur esse contradictio, quia beatitudo includit quietationem appetitus naturalis in quolibet beato: sed appetitus naturalis in quolibet iudiuiduo est ad perfectionem summam possibilem in illa specie: ergo si appetitus talis quietatur, non nisi per summum possibile in specie; ergo hoc erit æquale in omnibus, quia appetitus naturalis est æqualis in omnibus: ergo, &c.

Deus non potest esse causa nisi recta, & recti.

Præterea, appetitus liber consonus appetitui naturali, rectus est. Probo, consonans recto, rectum est; appetitus naturalis est rectus, quia Deus est causa illius in natura, qui non potest esse causa, nisi recta, & recti: sed appetitus naturalis est ad summam perfectionem possibilem in specie: ergo & voluntas libera, si est recta, erit ad summam perfectionem in specie: sed nullus est beatus, nisi qui habet quidquid vult rectè: ergo nullus erit beatus, nisi habeat summam perfectionem, quæ est possibilis in specie.

Appetitus naturalis quietatur, licèt non habeat sũmum quod appetit.

l Respondeo, quòd inæqualitas potest stare cum beatitudine in eadem specie. Probo, non oportet quòd appetitus naturalis habeat omnem perfectionem cuius est summè capax; patet de graui, quod est capax *esse* summè, deorsum, scilicet in centro, non tamen omne graue potest esse in centro: & si tolleretur impedimentum, esset summè deorsum, & tamen non potest esse, sed facit se deorsum quantum potest, & ibi quiescit: 3

cit: & ideò sufficit, quòd graue quietetur eo modo, quo grauitas est principium intrinsecum ad quietationem: est autem sic principium, quod stante eadem perfectione naturæ, ad quam est maior intentio naturæ, maiorem habet perfectionem, & hoc siue sit ab intrinseco perfectiuo eorum, siue ab extrinseco; quod est natura vniuersalis: hoc autem est, vt illa, quæ sunt magis grauia quietentur magis deorsum; vnde sufficit minùs graui, quòd quietetur in superficie terræ.

Sic est etiam in proposito, quòd licèt appetitus naturalis naturaliter inclinet ad summam perfectionem: iustitia tamen distributiua in Deo, quæ ordinat omnia propter seipsam, ordinat sic homines ad beatitudinem, vt hæc perfectio detur propter meritum, non propter appetitum naturalem, & quia inæqualia possunt esse merita in eadem specie hominum, per consequens, & perfectio potest esse inæqualis. *Beatitudo commensuratur meritis.*

4 Ad primum argumentum dico, quòd totalis appetitus quietatur, vt est consonus voluntati, siue regulæ superiori, non quòd tantum accipiat, quantum capere posset: nihilominùs tamen quietatur, quia attingit quantum natus est attingere per dispositionem illam mediam, sine qua non erit coniunctio ad illam causam: huius autem dispositio est per merita. *Ad rationem primã. Quietatur beatus licèt non habeat quantũ capere potest.*

Ad secundum dico, quòd appetitus liber tunc est rectus, quando est consonus regulæ diuinæ; & huic appetitui naturali huius suppositi, modò ita est, quòd quando aliquid habet duas regulas, si, vt comparatur ad superiorem regulam, est conforme ei, tunc simpliciter est rectum: si, vt comparatur ad inferiorem regulam est ei conforme, est secundùm *quid* rectum: sed beatus non vult habere maiorem beatitudinem, quàm Deus vult eum habere, & hoc dico actu elicito: ergo tunc simpliciter appetitus est rectus, non autem quantum inclinat naturalis appetitus, & si conformaretur sibi in hoc, non diuinæ regulæ, iam esset simpliciter malus, & secundùm *quid* rectus *Ad 2. Appetitus elicitus cõsonus naturali, non est rectus, si sit difformis regulæ superioris.*

Et quando dicis, quòd tunc appetitus naturalis esset malus: dico quòd non; appetitus enim naturalis est ad hoc, ad quod datus est, nec propter hoc malus est: appetitus enim naturalis tactiuus non est propter hoc malus, quòd non potest non delectari in tangibili conuenienti, quia hoc non est in potestate sua: sed hoc in appetitu libero esset malum, quia est in potestate sua non delectari: & ideò appetitus naturalis in hoc non est rectus, quia appetit illud, quod Deus vult ipsum appetere. Non enim potest absolutè appetere, quod Deus vult, sicut liber; nec tamen appetit contra Deum, quia Deus ordinat eum sic appetere.

COMMENTARIVS.

4 *Ordo, & diuisio quæst. 5.* [i] RESpondeo, & primò ad secundam quæst. &c. Hæc quæstio diuiditur in sex articulos. Primus, quomodo potest stare inæqualitas in eadem specie. Secundus, vnde oritur? Tertius, quòd non ex parte potentiæ passiuæ. Quartus, quòd ex actiuo, & qualiter? Quintus, vtrùm ex natura voluntatis & habitus. Sextus, ex his quæ inæqualiter fruuntur Deo.

5 *Ratio difficultatis.* [k] *De primo,* &c. Mouet rationem difficultatis pro opposito, quæ est talis: consonans recto rectus est; appetitus naturalis est à Deo, & ad summam perfectionem possibilem, cui conformis est appetitus liber: rectus ergo erit ad summam perfectionem in specie; sed nullus est beatus nisi habeat quidquid rectè vult: ergo nullus est beatus nisi habeat summam perfectionem.

6 *Hæresis Iouiniani.* [l] *Respondeo quòd inæqualitas,* &c. Hic se obiicit hæresis Iouiniani, qui dicebat beatitudinem fore æqualem in patria; vt patet ex Hieronymo contra eundem *lib. 2. cap. 6.* ex hoc errore fortasse deducebat nullum esse meritum virginitatis: quem errorem docuit Lutherus, & alij Protestãtes, qui posuerunt iustitiam nostram non esse intrinsecam, sed esse iustitiam Christi, & damnant iustitiam operum. Meritò etiam reprehenditur Durandus *in d. præcedenti q. 2.* asserens probabile esse non fore inæqualitatem in beatitudine essentiali, sed in accidentali. Hic error omissis aliis damnatur in Florentino in literis vnionis, vbi habetur *animas iustorum, quæ nihil iam habent purgandum, in cælum mox recipi, & intueri clarè Deum trinum, & vnum, sicuti est: pro meritorum tamen diuersitate alium alio perfectiùs.* Supponitur veritas opposita à Tridentino *in sess. 6. cap. 1. & 16. can. 24. & 32.* vbi bonis operibus decernitur argumentum gratiæ, & gloriæ. *Et aliorum. Damnatio erroris. Flor. Conc. Trident.*

Eandem veritatem docent omnes Patres, & interpretes Scripturæ. Patet Ioannis 14 *In domo patris mei mansiones multæ sunt*, &c. quem locum de hac veritate inæqualitatis mansionum cælestium quoad gloriam inæqualem exponunt Patres. Tertullianus *in Scorpiaco cap. 6. de Monogamia cap. 10.* Origines *hom. 23. in Iesum Naue*, Hilarius *in Psal. 64.* Cyprianus *de habitu virg. cap. 10.* Basilius *in lib. de Spiritu sancto cap. 16. in reg. breuioribus reg. 203.* Ambros. *in lib. 5. in Lucam. & sermone de beatitudinibus*, Hieronymus *contra Iouinianum lib. 2. cap. 15. & in cap. 9. Amos, & epistola 1. ad Demetriadem.* Cyrillus. Alexand. *lib. 9. in Ioann. cap. 31.* August. *tract. 60. in Ioann. & lib. de sancta Virginitate cap. 26.* Gregorius *lib. 4. Moralium cap. 42. & lib. 25. cap. 24.* & aliàs vt *lib. 4. Dialog. cap. 35. in Ezechielem homil. 16.* Theodoret. *in 1. ad Corinth. cap. 15.* Prosper. *de vita contemplatiua cap. 4.* Bernardus *in Apologia ad Gulielmum Abbatem.*

Item, *1. ad Corinth. 15.* eadem veritas habetur de claritate stellæ supra stellam diuersa, & Lunæ, & Solis; vbi communiter Patres, & interpretes.

Patet etiam ex 2. ad Corinthios cap. 9. *Qui parcè ſeminat, parcè & metet*, &c. Vide Auguſtinum *tract. 22. in Ioan.* & interpretes. Item cap. 3. *Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem*, &c. & cap. 5. *Omnes nos manifeſtari oportet ante Tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum.* Item, ad Galatas 6. *Quæ enim ſeminauerit homo, hæc & metet*, &c. Item, patet ex parabolis ſementis, & talentorum. Patet etiam de promiſſionibus factis operibus, in Scriptura, & beatitudinibus. Hanc eandem veritatem defendunt omnes Patres, & interpretes Scripturæ, & Scholaſtici *hîc*, & *in 1. part. q. 10.* Videatur pro ea noſter Vega *in Trident. à cap. 4.* Caſtro *verbo Beatitudo.* Bellarmin. *lib. 3. de iuſtificatione*, & reliqui Controuerſiſtæ.

7 *Obiectio Iouiniani. Ex denario diurno.* Obiicit Iouinianus parabolam illam vineæ, in qua conuentum eſt cum operariis de denario diurno, & ſinguli receperunt denarium, ita vt nouiſſimi fierent pares primis, qui pondus diei, & æſtus ſuſtinuerunt. Hinc deducit per denarium ſignificari gloriam, & æqualem dandam mercedem omnibus.

Reſpondetur illam parabolam induci contra Phariſæos, qui plurimùm de ſeipſis confidebant, & ad retundendam ſuperbiam, & confidentiam humanam: ergo parabola intelligitur accommodari ad illam Chriſti ſententiam, *Erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi*: vt communis Patrum eſt, & interpretum ſenſus habet. Origenes *tract. 1. in Matthæum*, Hieron. Beda, Euthymius, Gloſſa ordinaria, Ianſenius concordiæ *cap. 101.* Maldonatus, & alij: *Sic*, inquit, Chriſtus, *erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi*, &c. quæ eſt ipſius parabolæ explicatio, & confirmatio. Parabola autem includit in ſe myſterium, tam vocationis, quàm etiam retributionis. Vocationis autem, vt conſtat ex Luca, *Ecce ſunt nouiſſimi, qui erant primi; & ſunt primi nouiſſimi*, &c. In verbis enim præcedentibus agit de vocatione eorum, qui ab oriente, & occidente, ab auſtro, & aquilone veniént, & recumbent cum Abraham, & Prophetis in regno, excluſis filiis regni, qui legem, & Prophetas habebant; & qui vocati ſunt ad regnum. Poteſt accommodari etiam ſubſtantiæ beatitudinis formalis in ipſis electis, & beatitudini obiectiuæ; poteſt etiam accommodari ipſis electis, vt qui maiores hîc fuerunt in authoritate, & miniſterio, ſint minores in regno cælorum, & è contra hîc deſpecti ſint ibi primi. Omnes hæ ſolutiones accõmodari poſſunt parabolæ, & quælibet pro ſe authores habet. Eam ſoluit Doctor *infrà.*

Concluſio probatur ex iis, quæ de retributione bonorum operum tradunt Scriptura, Patres, & Concilia, ex inæqualitate etiam pœnæ damnatorum, quæ differetur in reſolutione primæ quæſtionis, ex prærogatiua quorundam operum præ aliis, vt virtutum Euangelicarum, & Martyriis, & prærogatiua quorundam prę aliis Sanctorum apud Deum. Summa probationis, quam breuiter ſubiicit Doctor, conſiſtit in duobus, nempe beatitudinem non dari intuitu appetitus naturalis, ſed per merita, tanquam diſpoſitionem, & media ordinata à Deo ſecundùm proportionem iuſtitiæ, & qualitatem meritorum, & exceſſum, ſupponens ea quæ de natura iuſtitiæ diuinæ, & actibus eius dixit *ſuprà d. 46.* 8 *Probatio concluſionis.* *Inæqualitas meritorũ ordinatur per iuſtitiam.*

Ad rationem autem difficultatis reſpondet appetitum naturalem totalem quietari, prout conſonus eſt regulæ ſuperiori, & ſecundùm diſpoſitionem præuiam meritorum. Quòd appetitus liber ſit conformis regulæ ſuperiori vt ſit rectus; quia ſequitur naturam, & diſpoſitionem eius. Nec ergo beatus vult maiorem beatitudinem, quàm ſit illa, quam Deus elargitur, & ei ex meritis debetur. Regula autem ſuperior eſt, quam reſpicit appetitus liber, appetitus autem naturalis nullam habet regulam, quia paſſiuus eſt, & ſequitur virtutem agentis prout reducitur in actum, hîc, & nunc, ſecundùm diſpoſitionem præſentem: regula enim operandi illi ſoli præfigitur, cuius eſt virtus operandi, quæ competit præciſè appetitui libero. 9 *Rectitudo appetitus.*

SCHOLIVM.

Secunda concluſio, inæqualitatem beatitudinis non prouenire ex parte obiecti, quia eſt infinitum. Tertia concluſio, non prouenire ex parte potentiæ paſſiuæ, quia hæc eſt ad totam perfectionem eandem in ſpecie, in quocumque indiuiduo: prouenit tamen ex meritis vt ex diſpoſitione præuia, ex 1. Cor. 13. 2. Cor. 9. Matth. 13. & 19. & 25. Quarta concluſio, prouenire ex parte actiui extrinſeci & intrinſeci, quia Deus non coaget inæqualiter ad beatitudinem, niſi præhabeat in beato diſpoſitionem, vel concauſam inæqualem: diſpoſitio hæc eſt 1.

Vnde inæqualitas in eadẽ ſpecie. m SEcundò eſt videndum, vnde ſit illa inæqualitas: oportet enim quòd ſit, vel à potentia paſſiua, vel actiua: vel ab obiecto beatitudinis, ſi potentia ſit neutra: ſed non poteſt eſſe ab obiecto. Probatio, obiectum beatitudinis non poteſt eſſe obiectum beati, niſi vt infinitum in perfectione; infinitum vt infinitum in perfectione non poteſt eſſe inæquale: ergo ex parte obiecti non poteſt eſſe inæqualitas. Maior probata eſt *in primo libro*, & modò etiam probatur. Impoſſibile eſt potentiam quietari perfectè, niſi in optimo, in quo ſaluatur ratio obiecti ſui; ſed totum ens eſt obiectum voluntatis ſub ratione boni, & intellectus ſub ratione veri: ergo intellectus, & voluntas non quietantur, niſi vbi eſt obiectum ſuum in ſumma ſua perfectione; ſed in nullo finito poteſt eſſe in ſumma ſua perfectione: ergo non niſi in infinito. Minor probatur, enti vt ens non repugnat eſſe infinitum, vt probatum eſt *libro primo*: ergo, &c. Patet ergo quòd 5

Diſt. 3. q. 1. & alibi.

Intellectus & voluntas non quietãtur niſi in obiecto infinito, d. 2. quæſt. 1.

quòd ex parte obiecti non potest esse ista inæqualitas; quia secundùm totum secundùm rem,& rationem obiicitur obiectum.

Tertia conclusio est,quòd non potest esse ista inæqualitas ex parte potentiæ passiuæ absolutæ: cuius ratio est, quæcunque potentia passiua in specie est ad perfectionem totam eandem in specie absolutè, in quocunque indiuiduo: propter dispositionem tamen,vt puta propter merita,vt disposita sic potest esse inæqualis respectu perfectionis in diuersis indiuiduis in eadem specie: sed ista non sufficit, quia non manet cum effectu, scilicet beatitudine: nec est causa principalis, sed est tantùm præuium ad effectum,non autem manet quando inest. *Inæqualitas beatitudinis non est ex parte potentiæ passiuæ, sed ex meritis, vt ex dispositione præuia.*

6 Quarta conclusio est,quòd est ex parte actiui:actiuum autem potest poni vel intrinsecum vel extrinsecũ;si ponatur extrinsecũ,impossibile est quòd ponatur inæquale in se: sed quia tantùm inæqualiter agit:non autem potest inæqualiter agere, vel saltem non agit inæqualiter,nisi quia dispositio præuia est inæqualis (nisi fortè diceres,quòd agit inæqualiter sine dispositione, quia agit sicut vult, & non secundùm iustitiam distributiuam) tunc enim non est causa quare vnus minùs, vel plus habeat,quàm aliùs nisi quia vult vni dari plus, quàm alteri, & si esset agens necessarium, vt poneret Philosophus, quòd ageret necessitate naturæ, sequeretur quòd causaret in quolibet, quantum posset capere natura illa. *Inæqualitas beatitudinis est ex parte actiui. intrinseci, vel extrinseci.*

Si autem ponatur principium actiuum intrinsecum, aliqualiter,videtur probabile, quòd sit charitas: non enim videtur poni propter aliud, nisi propter principium actiuum:non enim videtur facere ad passionem, nec frustrà ponitur: ergo habet rationem principij actiui: sed non potest habere rationem principij actiui,nisi potentia sit actiua,quam habilitat ad agendum,quæ potentia est voluntas. Si sic,tunc facile est videre quomodo est inæqualitas, non solùm in actione, sed etiam in ipso principio actiuo est inæqualitas, vt patet Voluntas enim,& charitas in diuersis secundùm perfectionem,possunt esse inæquales. *Ex parte charitatis fit beatitudo inæqualis.*

COMMENTARIVS.

10 *Inæqualitas non est ex obiecto.*

m Secundo est videndum, &c. Probat in hoc secundo articulo, primùm hanc inæqualitatem non esse ex obiecto, quia hoc est infinitum; & prout infinitum extrinsecè beat,quod non admittit inæqualitatem secundùm se: beatitudinis autem obiectum esse infinitum, vt infinitum est, probat, quia alioquin potentiæ nequeunt quietari nisi in obiecto infinito,quà infinitum est.

Non est ex potentia passiua.

Secundò dicit quòd inæqualitas non sit ex potentia passiua, quà absolutè passiua est, quia est ad perfectionem totam in specie,prout est in singulis indiuiduis, ita vt nulla ipsi in indiuiduo repugnet,cùm sit eiusdem speciei, & quamuis merita sint dispositio quædam moralis ad actum in hoc,vel illo indiuiduo,non sufficiunt ad inæqualitatem,vt est ex causa physica, de qua causa hîc præcisè quæritur,sicut & de inæqualitate physica beatitudinis: merita autem transeunt in *esse* physico pro instanti conferendæ beatitudinis.

11 *4. Conclusio. Inæqualitas reducenda in causam efficientem.*

Quarta conclusio est, hanc inæqualitatem reducendam esse in causam actiuam physicam beatitudinis,& procedés diuisiuè,dicit illam,vel intrinsecã esse beato,vtpote potentiæ,& gratiæ,vel esse extrinsecam,népe Deum:inæqualitas autem in Deum authorem tantùm referri potest,vt agit inæqualiter intensiùs, aut remissiùs ad effectum, vel ex mera voluntate, vel etiam secundùm dispositionem præuiam meritorum; vtroque enim modo sic agere potest, & illi, qui dicunt potentias non operari ad beatitudinem effectiuè, sed à solo Deo inesse, sic debent inæqualitatem physicam eius reducere in Deum authorem. Quam sententiam hîc non examinat Doctor.

Si autem ponatur principium intrinsecum actiuum respectu beatitudinis, tunc dicit illum esse habitum, v. g. charitatis cum potentia: & idem dicendum est de intellectu cum lumine in sententia Doctoris,prout eam *suprà* explicuimus *d.49.quæst. 1. Hoc dato, inquit, facile est inuenire principium physicum inæqualitatis ex parte beati,& intrinsecum.*

SCHOLIVM.

Quinta conclusio, voluntatem inæqualem, supposito quòd sit actiua, facere inæqualitatem effectiuè physicè, in beatitudine. Si tamen nobilior voluntas vnius beati haberet æqualem gratiam cum ignobiliori voluntate alterius, non exiret in actum secundùm totum conatum, Deo sic ordinante, vt gloria correspondeat meritis. Eandem doctrinam tenet 3.dist.13.quæst.3.ad arg.de inæqualitate actuum supernaturalium ratione inæqualitatis potentiæ naturalis; & idem docet Richard.dist.49.art.2.quæst. 8. Gabr. q.2.art.3. Durand.3.dist.14.quæst.1.& Palud ibi.pro opposito clamant Thomistæ 1.part.quæst.12. art.6.sed frustrà. Sexta conclusio, quòd beati de facto inæquales sunt in gloria, vt probatum

tum est scholio primo: non est tamen necesse nullos esse æquales in ea, quia verisimile est, paruulos, & martyres innocentes æquales esse, ac nonnullos adultos æqualia habere merita.

n QVinta conclusio sequitur ex illa quarta, quia si voluntas est causa inæqualitatis, quia est principium actiuum inæquale, tunc erit inæqualitas in beatitudine in naturalibus: si autem inæqualitas sit per habitum charitatis, tunc videtur, quòd nobilior voluntas, si non habet æqualem habitum charitatis, non potest æqualiter agere, sicut ignobilior: quod videtur inconueniens. 7

o Respondeo ad hoc, quòd siue sit voluntas æqualis, charitas verò inæqualis: siue charitas æqualis, & voluntas inæqualis, potest tamen in æqualem actum; probo, in effectu potest esse perfectio aliqua, non solùm à prima causa, sed etiam à secunda.

Non obstãte inæqualitate voluntatis beatitudo correspondebit meritis.

Sed dices, si sit æqualis charitas, ita quòd habens voluntatem ignobiliorem habet tantam charitatem, quantam habens nobiliorem voluntatem: & habens nobiliorem, habet simplicem charitatem, & est causa æqualis actus tunc, quantùm est ex parte actus charitatis, tamen quantùm est ex parte actus voluntatis, qui habet voluntatem nobiliorem, habet perfectiorem actum: & tunc cùm charitas sit ratio merendi, sequitur quòd inæqualiter meriti, erunt æqualiter beati.

Respondeo, & dico quòd est æqualitas quantitatis in illis in specie actus, tamen est inæqualitas proportionis: inferior enim voluntas agit secundùm totum suum conatum; sed voluntas nobilior non, & sic secundùm hoc non dabitur tanta charitas vni, sicut alteri proportionaliter.

Sed argues; ille, qui habet nobiliorem voluntatem, & minorem charitatem, non habet æqualem beatitudinem æquali actu. Dico quòd primò sunt æquales in merendo æqualitate quantitatis, non æqualitate proportionis, quæ attenditur secundùm maiorem conatum, vel minorem: ideò charitas inæqualiter inæqualitate proportionis tribuitur eis: beatitudo tamen æqualiter æqualitate quantitatis. 8

Sumit æqualitatẽ quantitatis respectu actiui totalis conflati ex potentia & gratia, proportionis verò penes conatũ voluntatis. Vide Tartaret hic.

Ex hoc patet sextum, quòd scilicet inæqualiter fruuntur Deo. Sed quid, volúntne æqualiter bonum suum, & alteri bono bonum suum maius, vel inæqualiter? Videtur quòd non, quia maius bonum est magis diligendum; sed bonum beatissimæ Virginis est maius, quàm bonum Lini: ergo beatus Linus magis diligit bonum Beatæ Virginis, quàm suum sibi; & si sic, cùm dilectionem sequatur gaudium, tunc tantùm gaudebit, imò plus, de bono alterius, qui habet maius gaudium, quàm de bono suo, quod est minus.

Charitas incipit à se, *explicatur.*

Respondeo, vnusquisque citra Deum plus diligit se, quàm alium, & ad hoc tenetur: quia post Deum minùs tenetur odire se, quàm aliquem alium, & magis diligere se, quàm aliquem alium: quia si non, tunc non teneretur magis vitare peccatum in se, quàm in quacunque creatura, quod est falsum: in nullo enim tantùm debet fugere peccatum, sicut in se: & pro tanto magis tenetur sibi diligere Deum amore commodi, quàm Beatæ Virgini.

Non omne melius est magis diligendum.

Ad rationem, quando dicitur maius bonum, &c. Dico quòd verum est, cæteris paribus; hîc autem non sunt cætera paria: excluso igitur simpliciter optimo, falsum est, quòd omne melius sit magis diligendum, nisi sit æqualis vnitas vtriúsque boni ad diligentem, quia dilectio fundatur in vnitate. 9

Aliter potest dici, quòd verum est extensiuè, non intensiuè; vult enim Beatæ Virgini bonum, quod est maius, & sibi suum: tamen vult bonum suum intensiori actu, quàm Beatæ Virgini suum bonum, licèt plura bona velit Beatæ Virgini.

Sed quid, eritne adhuc propter hoc æquale gaudium, quia vult illi bonum suum, quod est maius & sibi ipsi bonum suum, quod est minus? Videtur quòd sic, quia vult illi maius bonum, quàm sibi, quod bonum etiam euenit sibi: sed de hoc generatur gaudium: ergo habebit gaudium tantum, vel plus de bono alterius, sicut de suo.

Vnde prouenit maius gaudium.

Respondeo, gaudium maius non semper prouenit ex volito magis bono, sed ex intensiori actu volendi bonum volitum: sed bonum suum est magis volitum intensè, quàm alterius: ergo ex hoc maius gaudium est.

COMMENTARIVS.

12 *5. Conclus.*

n QVinta conclusio sequitur, &c. Hîc præmittit dubitationem, differendo quòd voluntas sit principium inæqualitatis, tunc erit in natura principium huius: quòd si solus habitus inæqualis erit principium inæqualitatis, tunc perfectio excedens voluntatis non facit ad inæqualitatem, quæ est ex solo habitu, & voluntas ignobilior

Dubitatio, an voluntas sit principiũ beatitudinis inæqualis.

bilior erit par voluntati perfectiori quoad hoc, quod est inconueniens.

13 *Ex inæqualitate tam potentiæ, quàm habitus redundat inæqualitas beatitudinis.* ° *Respondeo ad hoc*, &c. Subiicit conclusionem propriam, in qua dicit ex inæquali perfectione alterutrius, habitus scilicet, & potentiæ, sequi inæqualitatem in actu quoad perfectionem, quod probat, quia in effectu potest crescere, perfectio, tam ex perfectione causæ secundæ, quàm primæ, ita se habent habitus & potentia: ergo, &c. Hæc vnica probatio Doctoris *Probatio.* deinde soluit obiectionem, quæ posita est in eo, quòd *Obiectio.* aliqui sint inæquales in meritis, & habitu charitatis, inæquales autem voluntate, sequeretur quòd perfectior voluntate haberet perfectiorem gloriam, & vltra merita.

Responsio Respondet quòd æqualis erit actus secundùm quantitatem, non tamen erit concursus secundùm proportionem æqualis in vtraque voluntate: quia perfectior minori conatu eliciet actum, imperfectior verò voluntas maiori conatu.

Sed quid si voluntas perfectior agit secundùm totum conatum?

Respondet non agere, quia aget secundùm beneplacitum Dei, & prout vult eam agere, quod est dicere quòd aget secundùm concursum à Deo exhibitum hîc, & nunc, quia causa secunda non agit, neq; agere potest, nisi dependēter ad actionem, & concursum Dei: vt tunc solùm agit ex natura concursus, prout exigit effectus, neque agit secundùm extremum gradum virtutis, nisi Deus præbeat concursum proportionatum: concursus autem Dei in proposito limitatur secundùm exigentiam causarum in ordine ad talem effectum beatitudinis, qui correspondet meritis, & electioni. Hæc Doctor de hac quæstione. *Actio causæ secundæ limitatur per concursum Dei.*

14 *Controuersia.* Circa hanc conclusionem Doctoris non modica est controuersia: inprimis, illi qui negant actiuitatem potentiarum, aut habituum respectu beatitudinis, sed eam à solo Deo produci, referunt inæqualitatem in Deum, & in merita tanquam dispositionem præuiam. Alij referunt in lumen gloriæ, & habitus tanquàm dispositionem proximam, in merita, vt remotam. In priori fuit Richardus, & Gabriel. in secunda Durandus, *in 3.d.14.p.1.* Hæc sententia communiter reiicitur; quamuis non in hoc, sed inquantùm negat potentiis vitalibus concursum ad suas operationes beatificas. Pro eadem citatur noster Doctor, sed malè, vt *suprà* ostendimus agendo de lumine gloriæ *in d.præcedenti q.11.* *Varia sententia.* *Prima sent. refert hanc inæqualitatē in Deum solum.*

15 *2. Sent. non esse ex potentiis.* Secunda sententia negat inæqualitatem visionis posse oriri ab intellectu, & eodem modo dicerent de voluntate; sed variè id explicant. Aliqui dicunt lumen gloriæ, & idem de habitu charitatis (vniformiter enim de vtroque differendum est, quamuis frequentiùs agant moderni de lumine gloriæ, vel quia statuunt beatitudinem in visione, vel quia hæc notior est, vel denique quia tractatus de intellectu & visione priùs occurrit, in quo hanc quæstionē proinde mouent; nos autem sequemur stylum illorū vt magis accomōdetur solutio fundamentis ipsorū) esse totalē virtutem agendi ad visionem: ita sentit Sotus vt longè probabiliorem *in 4.d.49.p.3. art. 2.* quam existimat esse D. Thomæ, Ledesma *de diuina perfectione q.8.ad 6.in 4.sententia*, dicit esse plurimum, & longè probabilissimam. Cabrera *1.tom. in 3.p.q.9.disput.4.§.2.concl.2.disput.9.§.5.concl.3.* Nauarrettus *primo tomo controuersia* 37. Sumel *1. p.q.12.art.6.q.1.* Bannes *ibidem dub.circa 3.conclusionem*, Pesantius *ibidem disp.2.in 2.notabili, & in 2. conclusione.* Quidam ex his nullum concursum tribuunt intellectui, vt Cabrera. *Habitum esse totalem virtutem agendi.* *Variant inter se.*

Alij, vt saluent concursum intellectus, dicunt ita se habere lumen ad intellectum, sicut virtus actiua principij, seu potentiæ se habet ad ipsam potentiam, & sic intellectum illustratum lumine esse simplicem quandam potentiam actiuam diuersam à se, vt constituitur virtute naturali.

Alij dicunt intellectum instrumentaliter concurrere ad visionem, qui est modus satis vsitatus in Scholis à modernis. Alij tandem dicunt concurrere per potentiam obedientialem diuersam à naturali; quæ potentia est æqualis in omnibus creaturis, & qua potest vti Deus ad omnem effectum, qui non repugnat. Hæc est sententia Suarez *in Met.disp.30 sect.11.in 1.tom.ad 3.p. disp 22. sect.1.& disp.31.sect.6.& lib.2 de attributis negatiuis c.10.in eadem persistit 1.2 q.5.ar.2. quæstiuncula* 3. Hanc sententiam potissimùm adinuenit dictus auctor ad scopum huius quæstionis, vt saluaret inæqualitatem visionis esse ex solo lumine, & ex hoc medio præcipuè probat, suam sententiam de potentia obedientiali; communis ergo sententia est inter modernos in Schola D. Thomæ inæqualitatem visionis non esse ex inæqualitate intellectus, sed luminis; quam præter citatos docent Vasquez *1.p.disput.47.cap.6.* Salas *1.2. disp. 5.sect.7.* Lorca *disput.35.* Henriquez *in lib. de fine hominis cap.10.* Valentia *in 1.tom q.12 art.6.puncto* 4. Medina *1.2.q.5.a.2.q.vlt.conc.1.& in 3.p. q. 10. art. 4.* Quòd si inspiciatur radix primaria huius sententiæ, & controuersiæ, reducitur ad illam quæstionem de eleuatione potentiarum, ita vt gradus influxus sit secundùm gradum formalem eleuationis potentiæ ad *esse* supernaturale per lumen, tanquam formam; de qua difficultate *suprà* egimus. *Intellectum instrumentaliter concurrere tantùm ad visionem.* *Concurrere per potentiā obedientialem docet Suarez.* *Radix huius sententiæ.*

Conclusio Doctoris est Richardi *in 4.d.49.art. 2.q.8. & art.3.q.2.* eam ipse Doctor supponit *ibidem q.11.& in 3.d.13.q.3.& d.14.* sequuntur eundem omnes eius discipuli iisdem in locis & hîc. Præterea Maior. *in 4.d.49.q.10. ad 7.* supplementum Gabrielis *q.2.art.3.dub.2.* Holcot *in art.2.*& probabiliorem affirmat Molina *1.p. q. 12. art. 6. disp.2.* putans eā esse D.Thomæ *3.p. q. 10. a.4.ad 2.* asserentis perfectionem visionis magis sumi à gratia quàm à visione, ideóque animam Christi, quamuis inferioris sit intellectus, clariùs videre Deum, quàm Angeli videant: eandem vt longè probabiliorem docet Lusitanus *de beatitudine lib. 12.q 10.art.3. §. 3. conclusione secunda*, data hypothesi, sine qua controuersia nullum habet locum, nempè dari latitudinem perfectionis in potentiis substantialiter, qua vna excedit alteram. 16 *Sententia Doctoris, & aliorum.*

Probatur conclusio: si virtus naturalis intellectus attingeret visionem, ex perfectione intellectus maiori, sequeretur gradus perfectionis in visione: sed virtus naturalis intellectus attingit visionem concurrente lumine; ergo inæqualitas visionis potest esse ex inæqualitate intellectus perfectioris, manente eodem lumine. Hæc est suppositio, in qua fundatur ratio præmissa Doctoris. Maiorem, eiúsque suppositionem admittunt tacitè authores sententiæ oppositæ, sicut & aliam suppositionem, quæ fundat controuersiam, nempe dari vnum intellectum in virtute actiua naturali perfectiorem alio; saltem non potest negari quoad intellectum Angelicum, vt comparatur ad humanum. Dixi maiorem suppo- 17 *Probatio conclusionis.*

ni

Suppositum admissum communiter. ni ab aduersariis: quia ideò negant intellectum virtute naturali concurrere, vt tollant hanc inæqualitatem esse ex intellectu: si enim saluari posset inæqualitas, & non ex intellectu, si concurreret virtute naturali, non esset contra communem Philosophorum, & Theologorum negandus concursus intellectus secundùm virtutem naturalem: quia sic perfectiùs saluaretur vitalitas operationis, & productio eius, vt est à potentia. *Probatur discurrendo per singulas opiniones.* Ideóque illi, quos primo loco citauimus, quamuis verbis dicant intellectum concurrere cum lumine ad visionem; id tamen in reipsa dicunt, solum lumen esse virtutem agendi, à quo exit visio, vt producitur, & nihil saluant virtuti naturali intellectus præter hoc solùm, quòd subiectare lumen, sicut aqua subiectat calorem, per quem fit calefactio, & denominatiuè tãtùm se habet ad effectum; qui etiam dicunt intellectum instrumentaliter concurrere tantùm ad visionem, ideò hoc dicunt, vt efficacia tota, & excessus in visione tribuatur causæ principali; quia instrumentalis non habet actionem propriam, sed agit vt mota ab agente principali, & in virtute eius, siue applicetur per virtutem communicatam, siue per actionem, prout aliqui variè sentiunt: qui etiam recurrunt ad potentiam obedientialem, vt Suarez, ideò recurrit, vt tollat inæqualitatem visionis, & inde asserit potentiam illam esse æqualem in omnibus, non minorem, non maiorem in vno magis, quàm in altero: quia competit eis inquantùm sunt creaturæ, quæ ratio est æqualis in omnibus. Vnde constat suppositionem illam maioris ab omnibus tacitè concedi: & probari potest inductione in omnibus causis partialibus eiusdem speciei, vel diuersarum; quarum vna excedit aliam, etiam excessum effectus posse inde oriri, modò effectus sit intensibilis.

18 Minor restat probanda, & probatur primò ex Patribus. *Probatio Minoris.* Dion. *Intellectum concurrere virtute naturali ad visionem.* Dionysius de diuinis nominibus cap. 7. *Oportet*, inquit, *videre mentem nostram habere quidem virtutem ad intelligendum, per quam intelligibilia inspicit* (hæc verba designant virtutem natiuam, non instrumentariam, non obedientialem) *visionem autem excedentem mentis naturam, per quam coniungitur ad ea, quæ sunt suprà ipsam* (per illam vnitionem designatur necessitas gratiæ) *secundùm hanc igitur oportet diuina intelligere, non secundùm nos* (id est, ex virtute sola naturali, per quam cætera intelligimus) *non secundùm nos*, inquit, *sed nos ipsos extra nos ipsos statutos, & totos deificatos*, &c. Nempe per gratiam: negat ergo Dionysius secundùm nos, id est, vires naturales solitarias, non posse videre Deum; & affirmat secundùm nos deificatos posse videre Deum, id est, secundùm virtutem naturalem, vt fit vnitio eius ad gratiam: negatiua enim illa *non secundùm nos* & aduersatiua *sed nos ipsos*, id est, secundùm nos ipsos deificatos, includunt idem subiectum respectiuè ad negationem exclusiuam, & affirmationem inclusiuam cum coniuncto.

Nazianz. Nazianzenus *orat. 2. de Theologia*, vbi agit de naturali inuisibilitate Dei; & quærit, an à nobis aliquando videndus sit, ita scribit: *Mea quidem sententia tum demum hoc inueniat, cùm Dei forma hoc, & diuinum, hoc est mentem nostram, & rationem, Deus rei cognita, & familiari adiunxerit, atque imago nostra ad exemplar illud suum, cuius desiderio flagrat, ascenderit*, &c. Ascendit ergo hoc diuinum, quod est in nobis, forma Dei, mens, & ratio nostra, atque imago Dei: ascendit, inquam, ad Deum, & ad suum exemplar, cuius desiderio flagrat, cum ipsæ rei cognitæ, & familiari, id est, suæ essentiæ per visionem eam adiunxerit: sed mens, & ratio nostra est forma, imago, & diuinum in nobis participatum secundùm virtutem natiuã, quę per peccatum est deformata, per gratiã reformatur: ergo ascendit ad Deum, modò actiuè agat, vt supponitur, per virtutem naturalem, eleuatam per gratiam, seu ipsa gratia adiuta, cum qua secundùm virtutem innatam concurrit ad visionem; *Imago Dei in nobis.* imago enim in nobis Sanctissimæ Trinitatis, & similitudo naturalis per imitationẽ essentiæ est in potentiis intellectualibus, vt sunt actiuæ virtute innata, & non secundùm aliam vllam rationem sibi, & cæteris communem, qualis est illa potentia obedientialis, quam statuit Suarez, non est consistens etiam in potentia merè passiua nudè sumpta; qualem in reipsa statuunt alij; nec in instrumentaria propriè dicta: ratio ergo & mens, quæ adiungitur per gratiam Dei, adiungitur secundùm virtutem innatam.

19 Confirmatur, quia in ipsis naturalibus potentiis eo modo sumptis, Patres statuunt imaginem, vt capax est Dei operando, vt aliàs *suprà* probauimus, agendo de inclinatione naturali beatitudinis, *Imago consistit in potentiis vt actiuæ sunt.* Athanasius *oratione contra idola*. Chrysost. *homil. 9. in Gen.* Basil. *homil.* 10. Aug. *tract. 8. in primã Epistolam Ioannis de spiritu & litera, cap. 28.* Nyss. *in Gen.* Bernard. *lib. de anima, seu humana conditionis cognitione.* *Et lib. 1. retract. cap. 26. in fine.* Videantur in specie *ibidem* citati, & interpretes in illud Gen. *Faciamus hominem*, &c. Si ergo hæc imago in via perficitur per gratiam, in patria verò consumatur per gloriam; *In via perficitur per gratiam, in patria per gloriam.* non alio modo sumenda est, neque attendenda capacitas eius tam actiua, quàm passiua, quàm ex naturalibus, quibus accedit perfectio gratiæ, vt expressè docent Patres; quamuis enim adstruant necessitatem gratiæ, & eleuationis ad hoc, vt imago possit voluntate, & intellectu attingere Deum, & vt ipsa imago est principium suarum operationũ; quibus deificatur: tamen per hoc non destruunt ipsam imaginem secundùm rationem perfectam imaginis, sed magis astruunt accedente perfectione gratiæ, quæ eam perficit, vt imago est, & non sub ratione extranea, qualis est potentia obedientialis. & instrumentaria; quę non concurrit ad rationem imaginis, quæ propria est humanæ naturę quà intellectiua est, & volitiua in specie. *Gratia non perficit imaginem sub ratione extranea imagini.* Neque gratia eidem accedens derogat eius virtuti innatæ, vt est ad obiectum suum perfectissimum, qualis est Deus, vt in superiori distinctione aliquoties est probatum: *Perficitur imago in ordine ad obiectum.* Si ergo Deus sit perfectissimũ obiectum intellectus, ad quod inclinatur ex natura potentiæ, licèt virtus eius naturalis sit inchoata, & insufficiens; si intellectus perficitur & eleuatur per gratiam, debet perfici, & eleuari secundùm eandem virtutem innatam, quo intellectus per modum intellectus; & sic de voluntate per modum voluntatis concurrant ad suas operationes perfectissimas, in quibus beantur. Ex quibus patet prima probatio.

20 Secundò probatur minor, in via certum est tam intellectum quàm voluntatem agere ad operationes suas supernaturales virtute naturali cum adiutorio gratiæ eleuantis; *Secunda probatio minoris.* quod patet ex prima ratione, quam *loco citato dist. 49. quæst.* 10. adduximus pro inclinatione naturali hominis ad supernaturalia: & breuiter suppositis dictis *ibidem* confirmatur: *Confir. Liberum arbitrium quid sit?* quia Patres & Concilia per liberum arbitrium nihil intelligunt, quàm intellectum & voluntatem

voluntatem secundùm vires naturales suas in ordine ad operationem. Hoc dicedant Pelagiani sufficere ex se sine gratia Christi ad opera salutis. Semipelagiani ad initium bonæ voluntatis, & loquebantur proculdubio de libero arbitrio secundùm vires connaturales intrinsecas.

Consistit in virtute naturali potentiarum.

Contradicunt Patres dicentes liberum arbitrium in natura post lapsum sufficere tantùm ad malum ex se; ad bonum autem salutis non sufficere nisi adiungatur gratia Christi.

Sit intelligāt Patres liberum arbitrium.

Peto ergo an eadem sit suppositio liberi arbitrij vt præcisè sumitur, apud hæreticos, & apud Patres in terminis contradictionis: si ita sumitur, vt verè eodem modo sumitur, ergo Patres sumunt liberum arbitrium, vt concurrit per vires innatas cum gratia Dei, & non sub alia ratione, qua diceretur concurrere per modum instrumenti, aut secundùm rationem communem sibi, & aliis, per meram potentiam obedientialem diuersam à virtute innata, & communem sibi & omni creaturæ: vterque enim modus ideò inuentus est ab assertoribus, vt defendant liberum arbitrium non concurrere virtute innata ad suas operationes simul cum gratia; quod videtur obscurare dogma fidei, non declarare: & proculdubio qui ita responderet hæreticis differentibus circa hanc veritatem, non modò non satisfaceret, sed magis esset risui. Nihil enim æquè obiiciebant Pelagiani quàm liberum arbitrium destrui per gratiam; nihil æquè ex opposito astruebant Patres, quàm contrarium, nempe per gratiam adstrui liberum arbitrium ad posse in opere salutis: quia voluntas per gratiam adiuuatur, & disponitur ad velle bonum: ergo intendunt Patres per liberum arbitrium id, quod in nobis est à natura, & secundùm vires innatas. Probatur consequentia ex Augustino, qui instar omnium est in hoc tractatu; ita enim asserit in libro de spiritu & litera, cap. 35. ***Liberum**, inquit, **arbitrium naturaliter tributum à creatore animæ, media vis est, quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem potest: & ideò nec istam voluntatem, quæ credit Deo, dici potest habere, quam non accipit: quandoquidem vocante Deo surgit de libero arbitrio, quod naturaliter concreatum accepit*, &c. Media vis est liberum arbitrium ex Augustino, quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem potest, & naturaliter tributa à Creatore: ergo secundùm eundem modum, & vires, quantùm est ex intrinseco sui, inclinatur ad fidem & infidelitatem secundùm Augustinum; & solùm est differentia, quòd voluntas credendi vocante Deo per gratiam surgat de libero arbitrio, quod naturaliter concreatum accepit. Surgere enim idem est ac produci, & emanare in sensu Augustini. Item, cap. 34. *Attendat, & videat*, inquit, *non ideò tantùm istam voluntatem diuino muneri tribuendam, quòd ex libero arbitrio est; quod nobis naturaliter concreatum est; verum etiam quòd visorum suasionibus agat Deus*, &c. Ergo voluntas illa bona tribui potest Deo ex Augustino, tum quòd ex libero arbitrio est, ea ratione qua in capite sequenti, & verbis allatis definitur ab eo media virtus animę; quæ ad infidelitatem, & fidem inclinari potest: ad infidelitatem autem virtute naturali agit: ergo ad fidem eadem virtute agit, vt accedit diuina vocatio. Videatur idem *libr. de gratia Christi contra Pelagium in principio*, qui interpretatur subdolas eius euasiones, quatenùs admittebat gratiam Christi; sed eam intendebat consistere in eo quòd dedit liberum arbitrium, quo posset homo in

August.

Liberum arbitrium tributum à natura vis media est inter fidem & infidelitatem.

bonum, & malum, vel in lege, vel in exemplo Christi, vel liberatione à peccato incurso.

Contra primum modum replicat, quòd si bona voluntas esset ex solo libero arbitrio, siue alia gratia superaddita, plus haberet ex seipso homo, quàm à Deo: quia solam potentiam recepit à Deo ipsi concreatam, voluntatem, & actum haberet ex seipso; nempe virtute naturali liberi arbitrij.

Deinde, in libro de prædestinatione Sanctorum c. 5. *Non ideò*, inquit, *hac de re solis votis agendum est, vt non subinferatur ad benè viuendum nostræ efficacia voluntatis. Adiutor enim Deus dicitur: nec adiuuari potest, nisi qui sponte aliquid conatur*, &c. Ergo voluntas Deo adiutore per vires innatas elicit actum bonum, quæ est perpetua doctrina Augustini de voluntate, vt ipsa adiuta per gratiam, elicit opera salutis, resistit tentationibus, vincit fomitem, obseruat legem, ad quæ omnia comparatur voluntas per virtutem innatam, & adiuuante gratia Dei, sine qua esset infirma. hæc autem infirmitas intelligitur quoad vires innatas incursa per vulnus peccati, eadem etiam in parte dicitur sanari quoad vires innatas per gratiam, qua adiuuatur infirmitas. & hic est sensus Conciliorum, & Patrum aduersum Pelagianos, & Semipelagianos: & vt cæteros omittam, 21 August.

22 Probatur ex Tridentino *sess. 6. cap. 5.* vbi initium iustificationis in diuinam vocationem reduci; in voluntatem verò liberam liberum assensum, & cooperationem: *Ita*, inquit, *vt tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omninò agat, inspirationem illam recipiens: quippe illam, & abiicere potest, neque tamen sine gratia Dei mouere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate possit: vnde in sacris literis, cùm dicitur. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos; libertatis nostræ admonemur*, &c. Hominem ipsum liberi aliquid agere assentiendo, & cooperando vocationi, vt distinguitur per vires innatas libertatis ab ipsa gratia præueniente voluntas, docet Concilium; ergo dicit quòd eadem libertate, qua recipit inspirationem, possit abiicere: abiicere autem potest per solas vires naturales liberi arbitrij, per quas deserere potest etiam fidem receptam, sicut & vocationem: ergo per easdem cooperatur liberè assentiendo; vires autem libertatis esse naturales, nemo hactenùs in dubium vocat; sicut & libertatem ipsam conuenire naturaliter nostro arbitrio; vnde sumit denominationem: si ergo admonemur nostræ libertatis, vt per eam conuertamur assentiendo, & cooperando gratiæ, id intelligi debet de vsu libertatis innatæ. Atque hunc quidem sensum facit primus Canon illius sessionis: *Si quis dixerit hominem suis operibus, vel quæ per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiant, absque diuina per Iesum Christum gratia posse iustificari coram Deo, anathema sit.* Ergo per opera, quæ fiunt per humanæ naturæ vires simul cum gratia concurrente potest: nam quod negatur in sensu exclusiuo, affirmatur posse in sensu cumulatiuo, & adiũcto principio excluso, nempe gratia. Eundem sensum præfert Canon secundus, in quo damnatur error Pelagij, sicut in primo. *Si quis dixerit ad hoc solùm diuinam gratiam per Christum Iesum dari, vt faciliùs homo iustè viuere, ac vitam æternam promereri possit: quasi liberum arbitrium sine gratia vtrumque, sed agrè tamen, & difficulter possit, anathema sit.* Vbi Concilium non supponit alias vires ex parte nostri ad benè viuendum, nisi innatas liberi arbitrij, quas definit esse

Probatio ex Trident.

Canon. 1.

Canon. 2.

insufficientes sine gratia ad simpliciter posse: supponit ergo easdem cum gratia simpliciter posse; & damnat tantùm asserentes posse liberum arbitrium, licèt ægrè absque diuina gratia.

Canon. 4. Eundem sensum facit canon quartus: *Si quis dixerit liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo vocanti, & excitanti, quoad obtinendam iustificationis gratiam se disponat, ac præparet, neque posse dissentire, si velit, meréque passiuè se habere, anathema sit*, &c. Hîc etiam damnat Concilium negantes liberum arbitrium in nobis; asserit Concilium liberum arbitrium, & definit ipsum coagere gratiæ vocanti; & excitanti: ergo per vires proprias liberi arbitrij, & innatas concurrit.

23 *Sequela dictorum.* Ex his ergo satis probata manet minor. Sed eodem fundamento, quo in via, concurrunt vires innatæ liberi arbitrij ad actum supernaturalē, ita & potentiæ in patria: ergo intellectus, & voluntas in ordine ad finem supernaturalem agunt per vires innatas. Probatur consequentia, quia eodem fundamento adstruitur necessitas eleuationis in via, & in patria, & infirmitas naturæ ad opera supernaturalia.

24 *Responsio.* Quòd si dicas in via non concurrere voluntatem, aut intellectum, nisi instrumentaliter, vel per potentiam obedientialem modo *suprà* explicato.

Impugnatio. Contrà, hoc non saluat liberum arbitrium, vt est in natura, quod nequit dici. Probatur antecedens, quia motio instrumentalis, seu instrumenti non est in potestate instrumenti, quod merè passiuè se habet ad illam; neque effectus talis motionis est in eius potestate, inquantùm agit vt instrumentum. Idem dicendum de potentia obedientiali, quam nequit homo applicare, & tantùm respicit concursum Dei, & vsum sui à Deo in ordine ad illum effectum, ad quem à solo Deo assumitur; cui soli subest, & in se est inchoata, & incompleta. Dicere autem liberum arbitrium concurrere ad actum per modum liberi arbitrij, vt ab omnibus definitur, ex eo solùm quòd Deus eo vtatur inquantùm includit potentiam obedientialem diuersam ab innata, vel vt concurrit per modum instrumenti (quo tollatur omnis influxus virtutis innatæ, & quæ ei competit, quà est præcisè liberum arbitrium in reipsa, valere quidquā ad opera supernaturalia cum gratia Dei adiutum, & eleuatum) non cohæret doctrinæ traditæ, à quo modo loquendi, & differendi recedūt hi authores in tractatu de libero arbitrio, & auxiliis gratiæ: & tollitur subinde fundamentum meriti, tollitur lex præcipiens opera supernaturalia: quia omnis lex, & præceptum est respectu voluntatis, quà libera est, & sic solùm est capax libertatis. Hæc ergo solutio est omninò euitanda: nam ad voluntatem sicut quà libera est spectat obseruantia præceptorum, ita etiam gratiæ, quà adiuuatur, vt possit obseruare præcepta, datur in adiutorium suæ libertatis naturalis, de se alioquin insufficientis, quæ fit sufficiens per gratiam.

Concursus per modum potentiæ obedientialis, aut instrumenti, non saluat liberum arbitrium.

Tolli fundamentum meriti, & præceptorum.

25 *Responsio.* Dices ergo in via quidem concurrere liberum arbitrium per virtutem innatam ad actus supernaturales, adiutam gratia; quia hoc requiritur ad meritum: sed in patria non se habere per modum liberi arbitrij; sed agere necessariò, & ex hoc, vel ex eminentia operationis, & obiecti non posse concurrere per vires innatas.

Impugnatio. Contrà, necessitas operationis nihil obstat, quia etiam in via operatio intellectus, vt procedit ab intellectu, est necessaria: requirit tamen gratiam: neque solùm attenditur à Patribus libertas, sed insufficientia naturæ ad opera supernaturalia, siue liberè se habet, siue necessariò se habet potentia. Non obstat natura operationis: quia est actus vitalis ea vitalitate, quæ conuenit operationibus in via, specialiter vt procedunt à potentiis secundùm virtutem innatam potentiarum, qua se vitaliter mouent ad suas operationes. Hæc ratio non saluatur aliter in patria per concursum instrumentalem, aut obedientialis potentiæ; quia hæ rationes, quæ sunt communes viuentibus, & non viuentibus non possunt esse principia influentia vitam in operationes. Non obstat eminentia obiecti; quia est perfectissimum, in quo quietatur potentia, & contentum sub suo obiecto primo: ergo actiuitas, quæ in potentiis saluanda est, est illa, quæ conuenit ex virtute innata, & quæ potest esse principium attingendi finito modo ex parte operationis, & tendētiæ potentiarum in ordine ad infinitum obiectū: quia potētia actiua innata saluari potest in ordine ad operationē, per quā saluatur eius tendentia.

Potentias in patria concurrere per virtutem innatam.

Non obstat natura actus.

Neque eminentia obiecti.

Confirmatur *ex Clementina Ad nostrum, de Hæreticis*, de qua *suprà* actum est *quæstione vndecima distinctionis præcedentis*. Begardi asserebant visionem beatificam haberi viribus naturalibus. Hoc damnat Concilium sine lumine gloriæ, & eleuatione esse possibile: ergo supponit perinde ac alia Concilia contra Pelagianos vires naturales intellectus cum gratia attingere obiectum supernaturale, vt Deum per fidem, sic etiam, inquam, ex iisdem principiis Concilium damnans hunc errorem, & adiungens necessitatem luminis, & eleuationis, supponit intellectum per vires naturales concurrere simul cum lumine, illúdque solùm damnat, quo dicitur vires naturales sine gratia, & eleuatione sufficere. 26 *Confir.* Ex Clementina ad nostrum de Hæreticis.

Hinc ergo ex probatione maioris, & minoris rectè sequitur consequentia illata: nempe inæqualitatem visionis sequi ex inæqualitate intellectus. Quæ etiam ex probatione minoris satis claret: quia in via commendatur maior conatus voluntatis in actum supernaturalem; idcóque reprehenditur duritia cordis, & tarditas ad credendum in discipulis; commendatur fides maior Centurionis, & Syrophœnissæ, & Hemorrhoidis. Intensio etiam actus charitatis est in præcepto: vt *diliges Dominum*, &c. *ex toto corde*, &c. Deinde, quia intensio actus est laudabilis, & inter eius circumstantias: deinde, voluntas liberè agens ad actum, vt supponitur, potest agere intensiùs, aut remissiùs; conatus autem voluntatis exercitus in actum secundum, est respectu alicuius gradus in actu: ergo est respectu intensionis inæqualis ei, ad quam remissè se habet voluntas: quæ inæqualitas nequit esse ex solo habitu, qui semper, quantùm est ex se, agit per modum naturæ, & quantum potest: si ergo esset tota ratio agendi, haberet eundem semper effectum, & inutilis esset conatus maior voluntatis; ex quo nihil perfectionis accresceret effectui. Quod autem præstat maior conatus voluntatis, idem præstat virtus eius perfectior applicata; quia conatus ipse nihil aliud designat quàm applicationem virtutis in agendo, & quò perfectior est, eò perfectiorem ad effectum ordinari potest. 27

Præceptum dilectionis.

Intensio actus ex maiori conatu voluntatis.

Obiiciunt aduersarij, potissimùm Suarez, plura contra hanc conclusionem, quæ ad pauciora reduci possunt. Primò obiicit quòd virtus naturalis sit ordinis inferioris ad visionē, & improportionata 28 *Obiectiones contra conclusionem.*

tionata effectui. Quòd virtus naturalis, vt naturalis, non respiciat effectum supernaturalem, sed naturalem, ad quā limitatur: quia haberet ordinē ad effectū supernaturalē, vel causæ principalis, vel instrumentalis; neutrū dici potest. Deinde, si daretur virtus actiua naturalis, etiam daretur in eodem intellectu potentia passiua naturalis; sequeretur etiam ex perfectiori virtute inæqualis visio, Nequit influere nisi vt eleuatus est; si sic influit, non influit per virtutem naturalem.

29 Item, quia si influeret per virtutem naturalem, difficillimè saluari posset visionem esse supernaturalem. Sequeretur quòd posset producere gratiam, augere habitus supernaturales; ita Cabrera.

Responsio. Respondetur hæc nihil vrgere: quia vt est probatum, in via concurrit liberum arbitrium quà liberum arbitrium est ad actus supernaturales simul cum gratia, & sententia contraria tollit liberum arbitrium, & totum fundamētum meriti: *Modus loquendi Patrum.* malè etiam interpretatur Canones Ecclesiæ de necessitate gratiæ; quia illi non excludunt concursum liberi arbitrij per virtutem innatam, & præter iam dicta modus ipse loquendi Patrum, quo vocant gratiam Christi, quam definiunt necessariam ad opus bonum; vocant, inquam, adiutorium, auxilium, dispositionem, præpositionē voluntatis, vt consentiat liberè in bonum, hoc, inquam, designat liberum arbitrium concurrere cum adiutorio, & auxilio; quia adiutorium est collocatio virtutis accedentis, & complentis actum primum: quia, vt dicit Paulus, *non ego, sed gratia Dei mecum*: Id est, non ego solus, & viribus propriis, sed gratia Dei mecum in adiutoriū. Et Augustinus dicit Deum non esse adiutorem nisi operantibus. *Conclusio præmissa est D.Thom.* Concurrit ergo liberum arbitrium per virtutem innatam ad actus supernaturales, sed necessariò requirit auxilium gratiæ supernaturalis, vt hæc virtus eius insufficiens, & inchoata compleatur in actu primo per principium supernaturale adiunctum: quam sententiam opinor esse Doctoris Angelici, & omnium Antiquorum, & tam mihi certa est, quàm dari liberū

30 arbitrium in nobis in ordine ad opera salutis; & quidquid probat dari liberum arbitrium ad meritum, probat eius concursum; quia consistit in potentia actiua, & non passiua; esse autem doctrinam S.Thomæ patet *ex 1.part.quæst.12. art.5.*

Cùm igitur, inquit, *virtus naturalis intellectus creati non sufficiat ad Dei essentiam videndam, oportet quòd ex diuina gratia superaccrescat ei virtus intelligendi; & hoc argumentum virtutis intellectiua illuminationem vocamus*, &c. Et lib. 3. contra Gentes cap.54. in argumento 4. *Virtus intellectus naturalis non sufficit ad videndum diuinam essentiam: ergo oportet quòd augeatur ei virtus, ad hoc, vt ad talem visionem perueniat. Non sufficit autem augmētum per intensionem naturalis virtutis: oportet igitur, quòd fiat augmentum per alicuius noua dispositionis adeptionem*, &c. Per quæ satis constat quid intendit *priori loco, ar.6.ad* 3. quando dicit diuersitatem visionis prouenire *ex diuersa facultate intellectus: non quidem naturali, sed gloriosa*, &c. vbi per *gloriosam* intendit intellectum coniunctum cum lumine, alioquin non diceret prouenire ex diuersa facultate intellectus: & negans prouenire à facultate naturali, intendit illam seorsim sumptam ab adiutorio luminis eleuantis.

Obiectiones ergo præmissæ habent eandem solutionem ex D.Thoma, & Patribus, nempe liberum arbitrium, aut potentias non esse ex virtute innata solitariè sumpta sufficientes in opus supernaturale: posse adiuncta gratia & eleuatione, non quòd hæc tota sit virtus agendi, aut vsus & applicatio potentiæ obedientialis tantùm, sed applicatio virtutis innatæ, & aliàs insufficientis per concursum adiunctum supernaturalem, non requiritur alia responsio in specie, nisi quoad ea, quæ assumit Cabrera de intensione, & productione habitus infusi; quæ consequentia nulla est. *Solutio obiectionum.*

p *Ex hoc patet sextum*, &c. Mouet dubium an æquè gaudeat beatus de sua, & aliorum beatitudine. Respondet primò negatiuè; quia secundùm ordinē charitatis magis tenetur diligere post Deum seipsum, & propriam salutem; sicut magis tenetur euitare peccatū proprium quàm alienū. 31 *An æquale sit gaudium beati de propria, & aliorum gloria?*

Respondet secundò magis intensiuè diligere propriam beatitudinem; extensiuè verò magis diligere beatitudinem maiorem aliorum: quia scilicet gaudebit de quolibet bono in aliis beatis, & de excessu cuiuslibet.

SCHOLIVM.

Per denarium in parabola Matthæi, Patres intelligunt vitam æternam. Greg. hom. 16. in Ezechiel. Nazianz. orat. 40, August. homil. 59. de verb. dom. Hieron. 2. contra Iouin. & in illum locum, vbi etiam Anselm. Chrysost. & alij. Doctor etiam exponit de essentia diuina, sed in idem ferè incidit.

10 q AD argumenta illius quæstionis. Ad primum, quòd singuli recipiunt singulos denarios, &c. Dicitur quòd verum est, & exponitur de vita æterna, quam quilibet accipit. Aliter expono, quòd ille denarius est essentia diuina, quæ est idem obiectum omnium beatorum, & datur omnibus sub æquali ratione, quia infinita ex parte obiecti. *Ad argu. quæst. 5. Vide in 3. d.3.q.1. & d.14.q.2. In preced. cap. de substant.*

Ad secundum dico, quòd omnes illæ propositiones sunt truncatæ: aduerbium enim, nisi habeat participium, vel verbum, semper est truncata locutio, siue incongrua: sic est propositio hæc in proposito, qui intelligit rem aliter, quàm est, fallitur: hæc enim alietas potest poni circa actum intelligendi, & sic est propositio falsa; quia omnis intellectus creatus intelligit rem aliter, quàm est, quia intellectio est accidens, intellectus autem potest esse aliqua substantia: & sic non est propositio Augustini alia ab illa Philosophi, *ab eo, quod res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa.* Potest etiam poni circa rem, quæ intelligitur: & sic, intellectus si rem aliter intelligit, quàm sit, fal- *Intelligēs rem, aliter quàm est, fallitur. explicatur.*

ſum intelligit,& ſecundùm hoc illud *aliter* dicit modum circa obiectum,& ſic,qui intelligit rem aliter quàm eſt,fallitur,quia non intelligit eam : nihilominùs tamen vnus poteſt habere clariorem modum intelligendi alio.

Ad aliud dico,quòd non eſt par fruitio,nec par gaudium,nec etiam par amor concupiſcentiæ,nec etiam par delectatio ſequens : licèt enim ſit de paribus, non tamen pari affectu. Intelligit ergo Auguſtinus extenſiuè, non intenſiuè : quia quilibet gaudebit de quolibet,& de omnibus, de quibus alius gaudebit.

COMMENTARIVS.

32 *Ad arg.* q AD *argumenta illius quæſtionis*, &c. Scilicet quintæ quæſtionis in ordine. Ad primum patet reſponſio hîc in litera, & ex dictis in principio huius quæſtionis, vbi declarata eſt parabola.

Ad ſecundum, & tertium patet ex litera.

SCHOLIVM.

Reſoluit tertiam quæſt. quæ eſt vltima totius operis. Si teneatur dotes eſſe qualitates, erunt inæquales ſecundùm diuerſitatem meritorum; ſi verò impaſſibilitas ſit extrinſeca Dei manutenentia, vt dictum eſt d. præced. quæſt. 13. & ſubtilitas ſit Dei decretum de non concurrendo ad reſiſtendum penetrationi, vel de ea facienda ad nutum beati, vt dictum eſt ibi quæſt. 16. nulla erit in eis inæqualitas. Similiter reſoluit de æqualitate agilitates, iuxta varias opin. de ea ibi q. 14. de claritate verò ſi eſt tantùm perfectus color, de quo ibi conſtat poſſe eſſe inæqualem.

Deciſio q. ſexta ſuperioris. *An dotes corporum glorioſorũ ſint inæquales?*

r AD tertiam quæſtionem, dicendum quòd ſi illæ beatitudines corporis ponũtur qualitates abſolutæ poſitiuæ, tunc erunt inæquales: quia ſiue perficiãt corpus ſuum ex redundãtia animæ ad corpus, ſiue à Deo immediatè: differũt tamen ſecũdùm merita : quia merita ſunt inæqualia, etiam cùm beatitudo animarum ſit inæqualis, illæ qualitates erunt inæquales. Si autem impaſſibilitas eſt ſolùm poſſibilitas non patiendi corpus paſſione abiiciente à ſubſtantia, Deo præſeruãte, vt viſum eſt priùs, & ſi ſubtilitas eſt poſſibilitas eſſendi corpus, cum alio corpore pro libito voluntatis animæ ſuæ; tunc videtur de his, quòd non recipiunt inæqualitatem : quia omnia corpora æqualiter præſeruantur à paſſione, & æqualiter poſſunt eſſe cum alio corpore : agilitas verò ſi eſt in corporibus qualitas proportionis, poſſet eſſe æqualis. Si verò eſt ſecundum quòd proportionantur virtuti animæ, & illa poteſt eſſe inæqualis, ſic & agilitas. De claritate, ſi eſt tantùm perfectus color in gradu perfecto, non eſt dubiũ quin ſit inæqualis. 11

Ad argumenta : duo prima procedunt de impaſſibilitate, & ſubtilitate; patet in corpore quæſtionis quid ſit dicendum. Ad illud in oppoſitum de claritate, concedo.

COMMENTARIVS.

34 *Ad tertiam quæſtionem.* r AD *tertiam quæſtionem*, &c. Nempe quæ tertia eſt in hoc ordine, licèt ſit ſexta in ordine reliquarum. Reſoluit hanc quæſtionem breuiter ex dictis *in quæſtionibus vltimis diſt. 49.* in qua de dotibus diſſerit.

Reſpondet ergo dicendo, ſi conſiſtunt in qualitatibus poſitiuis ſuperadditis, ſiue redundantibus ex anima in corpus, aut à Deo productis diſtinguũtur ſecundùm merita. Quòd ſi impoſſibilitas non ſit qualitas ſuperaddita; ſed conſeruatio rei, eſſe æqualem dicit in omnibus, & idem dicendum de ſubtilitate, ſi conſiſtat in aſſiſtentia Dei ad voluntatem beati, vt poſſit eſſe ſimul cum alio corpore, eſſe ſimiliter æqualem. Agilitas verò, & claritas poſſunt eſſe inæqualia.

Obiicies, quomodo ſaluari poſſit priores æquales in omnibus eſſe ex meritis imparibus. 35 *Obiectio.*

Reſponſio. Reſpondetur, licèt effectus ſit indiuiſibilis, & æqualis, poteſt correſpondere idem pluribus meritis : ſicut gradus primus gloriæ, qui debetur conuerſioni peccatoris, & virtuti Sacramenti, meritiſque Chriſti, etiam correſpondet primo merito iuſtificati. Sic ergo omnia merita beatorum influunt in illas dotes, ſiue plura ſint, ſiue pauciora, ſicut influunt in ipſam gloriam animæ, cui ſecundùm omnem ſuum gradum correſpondet talis diſpoſitio conſequens in corpore : quòd verò ipſa ſit indiuiſibilis, non infert quin ſit ex pluribus cauſis maximè moralibus, quarum intuitu collectiuè datur.

SCHOLIVM.

Ad primam quæſt. quæ eſt quarta huius, declarat in quo ſit inæqualitas pœnæ damni, & videtur totam inæqualitatem eius reducere ad nolitionem : atque adeò ipſam priuationem meram vbique eſſe æqualem. Ita ſequuntur Doctorem Angles. q. de ſacr. pœn. art. vlt. diff. 2. Baſſol. hîc q. 2. a. 2. prætereà Doctor 2. d. 37. q. 1. §. Ex iſta n. 9. & quodl. 18. ar. 3. §. Ex iſto, docet priuationes ſecundùm ſe non dicere magis, nec minùs, ſed eas eſſe peiores, quæ

quæ melioribus rectitudinibus specie, vel numero priuant: & infrà ad secundum, ait priuationem esse maiorem, quia priuat maiori bono, vel quia magis inuoluntaria: & hanc opin. de æqualitate pœnæ damni in omnibus, tenet Alens. 3. p. q. 57. m. 3. D. Bon. 4. d. 22. a. 1. q. 2. Vasq. 1. 2. d. 100. c. 3. & 5. citans. Duran. & Palud. Assor. tom. 1. lib. 4. c. 24. Oppositum tenent Ric. ar. hîc ar. 5. q. vlt. Soto q. vnic. ar. 4. Suar. tom. 4. disp. 12. sect. 2. vbi modum explicandi Doctoris sequitur, sed tacito eius nomine.

12 [s] AD primam quæstionem concedo, quòd damnati erunt miseri, miseria scilicet animæ, & corporis, & ita est duplex miseria; sicut & beati sunt beati in anima & corpore: miseria autē animæ est in duplici pœna, scilicet damni, & vermis. De pœna damni dico, quòd non est solùm carentia, quia sic non esset pœna, sed carentia est boni apti nati inesse, & conuenientis, quod debet inesse; non boni remoti, sed propinqui: nec cum hoc toto esset illa carentia pœna, nisi esset nolita: & ideò oportet quòd sit carentia inuoluntaria: sic autem potest dupliciter intelligi inæqualis: primò, quia esset carentia inæqualis, quia inæqualiter ordinati ad beatitudinem, quia ad alios, & alios gradus beatitudinis. Similiter potest esse inæqualitas inuoluntaria, quia magis vellet minus bonum suum, quàm alterius. *Decisio q. 4. superioris.* *Quid pœna damni.*

Sed qualiter erit illa inæqualitas in illis? Dico quòd erit secundùm inæqualitatem culpæ; quia qui habet grauiorem, habebit carentiam maioris boni, ad quod fuit ordinatus. Probo, quantò actus elicitur cum maiori conatu, tantò debet habere maiorem rectitudinem, & per consequens, tantò magis debet ordinari ad maius præmium: qui ergo grauiùs peccat, priuat se maiori bono. & sic patet secundùm primum modum quomodo potest pœna damni esse inæqualis. *Pœna dāni quomodo inæqualis, secundùm inæqualitatem culpæ.*

Ex alia parte, quantò aliquis grauiùs peccat, tantò magis dimittitur affectioni commodi, & priuatur affectione iustitiæ: & per consequens erit magis nolens peccatum suum, inquantùm est causa pœnæ: ergo magis habebit de nolitione, quàm alius, quantò magis habet de affectione commodi. *Ex nolitione sumit inæqualitatē pœnæ dāni.*

3 [t] Contrà, si ille, qui fuit maior peccator, magis diligit se, & sic magis tristatur de damno suo, tamen quantùm diligit se, magis delectabitur; probo, si talis magis diligit se, & voluntariè operatur circa se vt obiectum dilectionis suæ, vt puta circa obiectum beatissimum, & sic tunc aliqua delectatio erit in eis, quod est inconueniens.

Respondeo, si quilibet damnatus, & præcisè Dæmones possent stare in quieta cognitione sua, & dilectione sua perpetua, & non determinarentur ab hoc, vel ab alio; reputarent se beatos beatitudine naturali, & ideò in cognitione sua maximè quiescerent; & credo quòd quia ab hoc impediuntur, quod est eis maxima pœna. *Pueri in Limbo habent beatitudinem istam naturalem, quia possunt seipsos considerare, & in illa consideratione stare.*

Et tunc ad rationem dicendum, quòd nullus potest stare absolutè in cognitione, & consideratione sua: sed tantùm, vt est terminus cuiusdam alterius, scilicet inferni, vel carentiæ, vel priuationis tanti boni commodi: sicut infirmus considerat se, non tamen delectatur, quia non considerat se, nisi vt est terminus concupitæ sanitatis, qua caret, quam si obtinere non potest, ampliùs tristatur, & punitur; & tunc dico, quòd diligens se ad habendum aliquid, quod nunquam poterit habere, illa dilectio est causa mœroris & tristitiæ.

COMMENTARIVS.

36 *Ad primam quæstionem.* [s] A*D primam quæstionem concedo*, &c. Supponit damnatos puniri anima, & corpore. Duplex autem pœna est in anima, nempe damni, & vermis. Dicit pœnam non consistere in nuda carentia nisi sit nolita, ideóque debet esse carentia inuoluntaria; quia debet esse carentia boni nati inesse. Duplex autem potest esse inæqualitas, vel potiùs ex duplici capite oriri, nempe quia ordinatur vnus ad maius bonum, quàm alius: vel quia etiam minus bonum magis desideratur; potest ergo crescere ex natura habitus excedentis, quo priuar; vel ex vehementiori actu voluntatis circa volitum, aut nolitum. Plures enim magis tristantur circa perditionem minoris boni, quàm alij circa perditionem boni maioris, vt auarus magis tristatur ex paruo dispendio, quàm liberalis ex maiori. *Debet esse nolita carētia vt sit pœna.* *Inæqualitas ex duplici capite oritur.*

Ex vtroque patet esse inæqualitas pœnæ: quia qui grauiùs peccat, priuat se maiori rectitudine, & merito, ad quæ per legem vocatur, & quæ sunt media acquirendæ gloriæ; ac proinde etiam consequenter se priuat gloria, quæ aliàs corresponderet; magis etiam dimittitur affectioni cōmodi; & priuatur affectione iustitiæ, quæ est secundùm rectam rationē, & consequenter erit magis nolēs peccatum ex quo incurrit tantum incommodum. *Quomodo saluatur inæqualitas pœnæ damni.*

[t] *Contrà, si ille*, &c. Obiicit contra hunc secundum modum, ex quo dicit resultare inæqualitatem pœnæ, inde sequi quamuis peccator ex incommodo tristetur magis, quantò magis in eo prædominatur affectus commodi: tamen inde etiam sequetur in eo maior delectatio de seipso, inquantùm se amat magis, quàm aliquod aliud, quia amat commodum sibi, vt fini *cui*. 37 *Obiectio.*

Respondet damnatos non permitti in quieta, & stabili consideratione sui, vt aliàs *suprà* dixit de *Responsio.*

Damnati non considerant se nisi respectiuè ad pœnas. de his pœnis in specie,& respondet ad rationem quòd damnati non permittuntur in consideratione sui,nisi vt sunt terminus alicuius adiacentis noliti,vt inferni,aut ignis, aut carentiæ beatitudinis, & boni commodi: sicut infirmus considerat seipsum, non absolutè,sed respectiuè ad sanitatem, qua caret, & quam desiderat, & quantò magis concupiscit sanitatem,tantò magis sui consideratio cum carentia eius est ei causa doloris. Vide quæ latiùs circa hæc dicta sunt. *distinct.* 44. *quæst.* 2.& 3.

37 *Conclusio ab aliis tenetur.* Conclusionem positam de inæqualitate pœnæ damni,tenent Abulensis *in* 25. *Matt.* supplementum Gabrielis *in* 4. *dist.* 44. *quæst.* 3. *art.* 3. *concl.* 3. Almainus *cap. vltimo moralium.* Curiel. *art.* 4. *dub.* 1. Videantur alij,quos citat Scholiastes. Ratio conclusionis est: quia pœna damni in paruulis, & adultis esset eadem; quod videtur inconueniens. Secundò,quia meritis inæqualibus correspondet præmium essentiale inæquale:ergo etiam peccatis inæqualibus pœna essentialis & inæqualis damni. Tertiò,quia maior est pœna damni quàm sensus::ergo debet crescere ex peccato maiori & multiplicato. Quartò, non obstat quòd consistat in priuatione: quia etiam auersio peccati vnius excedit auersionem alterius, licèt vtraque consistat in priuatione. *Inæqualitas pœnæ damni vnde consurgit.* Deinde, hæc priuatio est moralis quantùm ad rationem pœnæ:quia supponit debitum in voluntate respectiuè ad gloriam, inquantùm per voluntatem antecedentem Deus mediante lege,vocatione,aliis mediis ordinauerit voluntatem creatam ad gloriam per merita acquirendam. Vnde,priuando se rectitudine multifaria operum,priuauit etiam se per eadem peccata gloria in gradu proportionato illis meritis, quorum debitrix erat voluntas in ordine ad gloriam acquirendam in eadem proportione: licèt ergo priuatio physica æqualis sit in eo sensu,quo tollit simpliciter gloriam, & in omni suo gradu: tamen priuatio moralis non erit æqualis, sicut neque debitum æquale est. Accedit quòd hæc priuatio non solùm opponitur gloriæ secundùm speciem:sed etiam gradum perfectionis:ita vt sit tantæ gloriæ,quāta exclusa est per demerita,sublata rectitudine, quæ deberet inesse, & secundùm gradum rectitudinis, non solùm in specie, sed in indiuiduo; volūtas enim debitrix est hîc & nunc vt operatur, operari secundùm regulā præsentem,cui opponitur peccatū quod committit; *Oppositio eius ad gloriam.* hæc autem rectitudo,quæ hîc & nunc excluditur per malitiam oppositam, & deberet esse, habet sibi commensuratum gradum gloriæ,& sicut peccatum opponitur directè ipsi rectitudini, ita inducit damnum gloriæ correspondentis;quod consistit in priuatione illius gloriæ commensurata ipsi in substantia,& gradu. Et hoc modo crescit priuatio quantùm crescit in gradu ipsa gloria.

Hinc excluditur modus, quo Gabriel declarat hunc excessum priuationis, & pœnæ damni respectiuè ad gratiam, & merita, quæ ante lapsum fuerunt: quia hic modus destruit conclusionem: si enim quis habens plura merita, & peccaret finaliter peccato leuiori,quàm alij,qui nunquam habuerunt gratiam, & merita, sequeretur talem habere maiorem pœnam damni, quod est absurdum. 38 *Modus dicendi quorūdam reiicitur.* Distinguenda igitur est pœna damni essentialis à pœna damni accidentalis: quæ distinctio sumenda est non ex statu, quem habuit damnatus;sed ex præcisa ratione peccati,& causat damnum,priuando directè ipsa rectitudine, quæ deberet inesse, & consequenter gloria correspondente illi rectitudini, & hæc est pœna essentialis damni, quæ consequitur per se ad peccatum. Secunda pœna est accidentalis ex statu viatoris peccantis finaliter,aut non resipiscentis: si is habuit plura merita,& gratiam, ea amittit per peccatum finale: hoc tamen per accidens est,vt talia fuerint, & damnum eorum proinde vt causatur ab hoc peccato,est per accidens,sicut erat per accidens talia præcessisse. Pœna ergo damni essentialis explicanda est modo dicto, sicut solemus etiam explicare differentiam inæqualitatis inter eadem specie peccata, aut etiam diuersa, vt suo loco tractatur.

39 *Obiectio. Priuatio non suscipit magis,& minus.* Obiiciunt alij,vt Durandus *in* 4. *d.* 44.& Paludanus *eadem q.* 1. *conclus.* 2. Capreolus *q.* 2. *art.* 3. & alij,quos citat pro opposita sententia Scholiastes, quòd pœna damni sit priuatio totalis visionis beatificæ: sed priuatio non suscipit magis,& minus,ergo neque inæqualitatem.

Responsio. Respondetur,quòd priuatio in specie in ratione damni tantò maior est,quantò forma est perfectior,qua priuat. Vnde in proposito non solùm attenditur illa priuatio secundùm rationem,seu oppositionem in specie, sed etiam oppositionem in indiuiduo, qua priuat gloria, & visione commensurata rectitudini,qua hîc & nūc priuat peccatum, & quæ est damnum, quod per peccatum incurritur; negatur ergo minor, quia sicut aptitudo & debitum proximum illius beatitudinis extenditur ad ipsam non in specie tantùm,sed etiam in gradu,& indiuiduo, sic etiā priuatio ad eandem sub his rationibus extenditur,& distinguitur à priuatione in specie per determinationem superadditam. Reliquæ obiectiones facilè ex dictis resoluuntur.

SCHOLIVM.

Pœnam vermis,quæ est tristitia de peccatis non propter Deum, sed quatenùs priuant bono commodi, docet esse inæqualem,secundùm inæqualitatem culpæ:de quo suprà d. 44. *q.* 2. *Item,pœnam ignis esse inæqualem,quatenus inæqualiter immutabit potentias. & ponit tres modos dicendi, an ista inæqualitas erit per inæqualitatem ignis comburentis in se, vel in applicatione,vel sine illa inæqualitate per alium modum possibilem ei,cuius iudicia sunt abyssus multa,cui sit laus,honor,virtus,gloria, per infinita sæculorum sæcula. Amen.*

d.44.q.2. Vnde inæqualitas pœna vermis. u DE pœna vermis dico,sicut de prima: illa enim pœna vermis erit quædam tristitia, & continuus remorsus conscientiæ,& ista pœna erit eis inæqualis,sicut 14
tristitia,qua nollent isti mala pati,est eis inæqualis,vt dictum est *suprà*, inquantùm tollit ab eis bonum commodi: sic enim habebunt remorsum maiorem, vel minorem,secundùm

cundùm proportionem culpæ, sicut de peccato grauiori infligitur eis grauior pœna.

Si quæras, vel dicas, quòd isti sunt æquales in naturalibus, inæquales tamen in conatu voluntatis ad peccandum: ergo debetur eis pœna æqualis propter æqualitatem in naturalibus, vel inæqualis propter maiorem, vel minorem conatum. Respondeo, sicut *suprà* de beatitudine; non enim est æqualis beatitudo propter æqualitatem in naturalibus, nec propter æqualitatem boni actus eliciti: sed secundùm quòd est maior conatus in hoc, quàm in illo, secundùm hoc est maius meritum, & maius præmium: sic in proposito, licèt voluntates peccantium, & actus fuerint æquales, non tamen æquè fuit in eis culpa: quia non fuit in quolibet æqualis conatus in peccato, quare nec æqualis pœna in puniendo.

In solu. 2. quæstiunc. Conatus scilicet ex parte voluntatis fortè vt distincta à concausa: quia concausa naturaliter agit.

15 [x] De pœna ignis dico, quòd ignis immutat sensum, & mediante sensu immutat appetitum sensitiuum, & mediante illo, voluntatem, & inæqualiter obiectum potest esse. Sed eritne ista inæqualis immutatio, vel quia ignis in se est inæqualis, vel quia corpora inæqualiter immutantur ab eis?

Quomodo ignis inæqualiter puniet damnatos.

Dico quòd si illa corpora damnata erunt sine motu locali, ita quòd non mouebuntur de loco ad locum; tunc afflictiua erunt inæqualia: & hoc est rationabilius, quòd sint inæqualia quàm æqualia: quia sic sunt pauciora miracula in damnatione eorum: si enim est afflictiuum æquale, & tamen vnus minùs, & alius magis punitur, erit ibi perpetuum miraculum. Si autem sunt mobiles, & transferantur de loco ad locum, tunc possunt transferri de vno afflictiuo in vno gradu, ad aliud afflictiuum in alio gradu, secundùm illud Iob, *Transibunt ab aquis niuium ad calorem nimium.* Vel si erit æquale, potest dici, quòd est eis intrinsecum afflictiuum eorum, vel perpetuò contiguatiuum, sicut concederetur modò de Dæmonibus: & ad hoc videtur esse Aug. 12. *de Ciuit. Dei cap.* 16. in quadam auctoritate, quæ sic incipit: *Non est negandum.*

An ipse ignis erit inæqualis; tripliciter explicatur. Iob 24.

[y] Ad argumentum primum dico, quòd ratione habitus, quem negat priuatio, non est maior vna quàm alia: sed ratione malitiæ, & maioris boni, quod priuat, potest esse maior quia priuatio maioris boni. Vel potest dici, quòd est inæqualis inquantùm inuoluntaria.

Ad arg. quæst. 4 superioris.

16 [z] Ad secundum patet responsio. [a] Ad tertium dico, quòd secundùm iustitiam distributiuam non potest dari peiori plus de bono, si est simpliciter magis bonum, & huic: si verò non est bonum huic, est tamen bonum simpliciter, maius benè potest dari: & sic est de pœna in proposito.

In 3. art.

Ad vltimum, nego quòd excessus in pœna debeat attendi secundùm quantitatem extensionis: quia per se culpæ correspondet pœna secundùm intensionem, secundùm iustitiam distributiuam. Vnde (sicut dixi suprà.) Deus posset infligere pœnam aliquam, quæ si tantùm per momentum duraret, sufficienter tamen puniret peccatum: nec fortè duratio pœnæ cadit sub demerito, sicut nec duratio beatitudinis sub merito, sed ratione liberalitatis.

Dist. 46. q. 4 in fin. & 49 q. 6.

Et quando dicis, quòd grauitas accipit extensionem in peccato, quia secundùm infinitatem, & secundum hoc correspondet pœna. Dico quòd peccatum non dicitur infinitum, nisi quia separat ab infinito, non quòd formaliter malitia sit infinita: quia talis, & tanta est, quanta est bonitas, quæ nata fuisset inesse illi actui, si secundum debitas circunstantias fuisset elicitus: sed hæc non fuisset infinita, nec possibile fuisset esse infinitam, nisi pro tanto, quia coniungit infinito. Hoc patet de fide ad Petrum circa medium, & ideò pœna durat, quia peccatum in eis durat. Vnde dicit: *Permanente in eis iniustæ affectionis malo, permanet in eis iustæ retributionis damnatio*, à qua nos custodire dignetur, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

COMMENTARIVS.

40 [u] *De pœna vermis*, &c. Est secunda conclusio, in qua docet pœnam vermis etiam fore inæqualem: quæ consistit in tristitia ex remorsu conscientiæ, & peccatorum inquantùm tollunt bonum commodi: quò maius autem commodum fuit, quo priuat peccatum, eo maior erit hæc tristitia. Vide quæ dicta sunt in superiori conclusione.

2. Conclusio. de pœna vermis.

Obiicit prætereà contra hanc, inæquales esse damnatos in naturalibus: & respondet quòd hæc pœna non sequitur ad naturalia, sed ad demerita, sicut aliàs *suprà* dixit de inæqualitate gloriæ ex meritis inæqualibus. Iustitia enim Dei proinde respicit proportionem meriti ad gloriam, & demeriti ad pœnam.

Obiectio. Soluitur.

41 [x] *De pœna ignis dico*, &c. Est tertia conclusio quòd hæc pœna sit inæqualis. Hæc est conclusio fidei, quam aliàs probauimus *d. 44. q. 2.* & hîc supponitur. Modum autem docet in litera, ex quo hæc inæqualitas ex parte afflictiui, & ex parte repugnantis voluntatis possit consistere.

3. Conclusio.

[y] *Ad argumenta. Ad primum*, &c. Hoc est argumentum, quod iam solutum est in prima conclusione, de priuatione. An possit esse maior, aut minor: dicit ratione habitus in specie non esse maiorem, aut minorem; sed esse maiorem, aut minorem, vt comparatur ad bonum maius, aut minus,

Ad argumenta. Ad primum.

quo priuat, in indiuiduo scilicet, quæ solutio quadrat dictis.

Ad secundum. [z] *Ad secundum* patet ex dictis: Quòd ignis non sit idem omnium quantùm ad applicationem, cruciatum, & tormenta, quæ exigentibus peccatis diuersa erunt.

[a] *Ad tertium*, &c. Respondet quòd pœna licèt in se sit bona, tamē est mala damnatis secundùm affectionem commodi: æquiuocat ergo ratio: aliquid enim in se bonum simpliciter, est malum huic. Vnde si peior habeat maiorem pœnam, non sequitur plus habere de bono.

Vltimum argumentum petit illam difficultaté.

An pœna sit infinita?

42 *Pœna finita intensiuè.* Prima conclusio. Tam pœna damni, quàm sensus finita intensiuè. Probatur quia peccata sunt inæqualia, & diuersis pœnis de facto puniuntur maiora maioribus, minora minoribus: sed si quęlibet esset infinita, non posset hæc disparitas reperiri; ergo, &c. Idem patet de vtraque, quia nemini debetur nisi gloria finita: ergo eius priuatio erit finita. Item, quicunque dolor causatus est finitus: ergo & pœna sensus, quæ in hoc dolore consistit.

43 *Obiectio.* Obiicies, tam auersio, quàm conuersio in peccato mortali dicunt malitiam infinitam: ergo debetur eis pœna infinita.

Responsio. Respondetur negando antecedens.

Obiectio. Obiicies secundò: Si pœna sensus debita mortali esset finita, sequeretur pœnam sensus debitā venialibus saltem multiplicatis, esse æqualem, quod est absurdum; quia venialia quantumlibet multiplicata non æquātur in malitia vni mortali: ergo neque pœna proportionata. *2. Obiectio.* Deinde, saltem odium Dei quantùm ad conuersionem habet malitiam infinitam, quia terminatur ad infinitū obiectum, ergo pœna ei debita debet esse infinita.

3. Obiectio. Tertiò, peccato mortali, quod durat per vnum instans, debetur pœna aliqua: ergo ei quod durat per horam pœna maior, & consequenter pœna infinita, sicut instantia infinita sunt.

44 *Ad 1.* Ad primum respondetur, negando sequelam; quia licèt illa pœna sit finita, tamen est alterius rationis, à pœna debita venialibus manentibus intra latitudinem venialium. *Pœna mortalis, & venialis diuersa.* Aliqui concedunt quantùm ad acerbitatem, & intensionem incendij posse æquari has pœnas. Ita Caiet. *q.* 88. *art.* 4. Conrad. *art.* 5. *q.* 87. Durand. *in* 4. *d.* 21. eique fauet D. Thomas *q.* 87. *art.* 5. vbique infinitam negat esse distantiam inter peccatum mortale, & veniale quantùm ad conclusionem, & quantùm ad pœnam debitam ipsi, qualis est pœna sensus.

Si secludatur ergo pœna remorsus, seu vermis conscientiæ, possunt æquari, quantùm ad intensionem incendij. Sed meliùs negatur ex ratione iam dicta, & exemplis lucis matutinæ, & meridianæ, viri, & pueri, visus noctuæ, & aquilæ, quia quantumlibet intendatur in his alterum extremum; non æquiparat alteram, quia sic transcenderet latitudinem sui proprij extremi, ita in mortalibus, & venialibus contingit, quantùm ad malitiam, & pœnam.

Ad aliud, negatur odium Dei habere malitiam infinitam intensiuè.

Ad vltimum, petit difficultatem communem de merito, an correspondeat singulis instantibus diuersa bonitas, aut præmium.

Respondetur non correspondere, nisi totale præmium, aut pœnam actibus, quæ seruata proportione diuisibilis est secundùm diuisionem durationis.

Secunda conclusio: pœna debita peccato mortali est syncathegorematicè etiam finita, & non infinita: est contra Almainum *tract.* 3. *moralium, cap.* 29. qui partem negatiuam adstruit. 45 *2. Conclusio.* Explicatur conclusio; cuius sensus est, pœnam finitam in ratione punitionis ita commensurari peccato mortali, vt illud non sit dignum maiori pœna, & maiori in infinitum. *Pœnam non esse infinitā syncathegorematicè.* Oppositum docet præfatus author, nempe peccatum mortale ita dignum esse pœna, vt quacunque finita, & possibili data, ipsum sit adhuc ex malitia maiori dignum, & maiori in infinitū syncathegorematicè. *Probatio.* Probatur conclusio: quia malitia peccati mortalis quantùm ad auersionem, & conuersionē finita est. Secundò, aliàs sequeretur quòd peccata mortalia æquali pœna punirentur, aut deberent saltem puniri.

46 *Obiectiones.* Obiicit aduersarius peccatum mortale excedere quamcunque pœnam infinitam in ratione mali. Deinde, pœna quantumcunque magna, non est sufficiens satisfacere pro peccato mortali. Tertiò, est infinitæ malitiæ: ergo.

Ad primum. Ad primum, respondetur quodcunque malum culpæ, etiam veniale, esse magis malum quàm sit pœna; neganda ergo est ista consequentia. *Responsio.* Pœna vt malum nunquam adæquatur culpæ etiam veniali, vt habet rationem depressionis peccatoris, & punitionis eius, sic adæquat peccatum quantùm ad hunc effectum, & proportionem requisitam per iustitiam, vt tanta sint tormenta eius, quantum in deliciis se glorificauit. *Pœna quomodo adæquat culpā.*

Ad secundum. Ad secundum: Quidquid sit de antecedente, negatur consequentia, quia ordinata est non in satisfactionem, sed in satispassionem, & depressionem peccatoris.

Ad 3. Ad tertium, negatur peccatum esse infinitæ malitiæ; quamuis non intelligatur crescere in diuerso genere, nempe fieri mortale ex veniali per adiectionem partis, & partis; sed ex natura sua, & genere hoc habet.

Subinde Doctor ad finem illius responsionis ostendit perpetuitatem pœnæ; quæ est veritas fidei *suprà* probata *dist.* 46. causam autem huius perpetuitatis illic ostendit, & hìc ex Gregorio, quia semper continuatur peccatum, cui adiungi potest quòd hoc damnum incurrit iustè, & secundùm legem Dei? quam affert Augustinus, 1. *de fid. contra Manichæos cap.* 19.

Hìc finit per Dei gratiam Commentarius in Quartum Doctoris: ad gloriam ipsius Dei sit, & sanctissimæ Virginis, Sanctorum Patricij, Francisci, Antonij, Isidori, & omnium ciuium cælestium breuitatis gratia, & festinationis, quia impressor expeditionem vrget; plura reliqui, quæ in hac quæstione proposui tractare, & in superioribus insinuaui. Sed huius laboris, & propositi filum excidit tempus, cui parendum erat: præmissa in alium locum refero, & potissimùm de pœnis paruulorum; qua in re non pigebit Lectorem adire doctissimum tractatum Illustrissimi nostri Tuamensis Archiepiscopi in Hibernia, Fratris Florentij Conryo, quem pro defensione Augustini scripsit. Quæstio spectat ad dist. 33. secundi Sententiarum, vbi de ea Doctor.

Laus Deo.

FINIS.

INDEX



INDEX

Rerum notabilium, quæ in hoc decimo Tomo Doctoris subtilis continentur.

Prior numerus ad paginam, posterior ad numeros marginales remittit.

A B

A C

Actus

Index rerum.

Animatio

B O

B R

C Æ

C A

C E

C H

C R

C V

D Æ

D A

D I

D O

L A

L E

L I

L O

L V

M A

N E

N I

N O

N V

O B

O C

O D

O M

O P

Prioris

P V

Q V

Species

S T

S V

Violentia

V N

V O

Index rerum.

Voluntas

Index Rerum.

FINIS.

ERRATA.

Pag. 80. col. 2. l. 1. leg. *suscitat mortuos.* 145. col. 1. l. 67. leg. *intentio.* 164. col. 2. l. penult. leg. *proxima.* 211. col. 1. l. 11. leg. *nunc.* 576. col. 2. l. 41. leg. *transeunter.*

B
765
D7
1639a
t.10

Duns, Joannes
Johannes Duns Scotus

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY